48

L. III. 106

3



R. P. D. ANGELI PISTACHII CASTELLI

CLERIC. REGVL.

DE SVPERSTITIONE REORVMQVE IVDICIO.


SER VA
MAN DA TA.
DEVM ADORA
RELIGIO MVNDA ET IMMACVLATA
Iac. II
DE SVPERSTITIONE
REORVMQVE
IVDICIO
Auct. P.D. Angelo Pistachio
Castelli. Cler. Regul.
PECCA VI
NOLI DESTRVERE OPVS DEI Rom. XIIII.
PRIOR EST ACCVSATOR SVI. Prov. 18

R. P. D. ANGELI
PISTACHII CASTELLI

ORDINIS CLERICORVM REGVLARIVM,

S. Theologiæ Profeſſoris, S. Officij in Neapolis Regno Conſultoris, ac Eminentiſſimi Cardinalis Caraccioli Archiepiſcopi Neapolitanæ Diœceſis, à Confeſſionibus, eiuſq; Synodalis Examinatoris

TRACTATVS
DE SVPERSTITIONE, REORVMQVE IVDICIO,

DVAS PARTES COMPLECTENS.

IN PRIMA,

Singulæ Superſtitionis ſpecies, ex ſuis principijs, ac Summorum Pontificum; Sacrorumque Canonum auctoritate, & communi Theologorum doctrina ſedulò pertractantur.

IN ALTERA,

Adminiſtrorum S. Officij Requiſita, Priuilegia, & Iuriſdictio; mos item procedendi in Cauſis ad S. Inquiſitionis Tribunal deductis, ac ſpectantibus, vſque ad ſententiam, eiuſq; exequutionem incluſiuè, dilucidè explicantur.

Cum triplici Indice; ſcilicet, Locorum S. Scripturæ, Capitum cum Summarijs, & Notabilium Rerum, atque Verborum locupletiſſimo.

Opus quibuslibet Eccleſiaſticis Viris, præſertim ſacris Præſulibus, cunctiſq; Prælatis, ac Confeſſarijs, & alijs Iuſtitiæ Adminiſtris, in pertractandis Cauſis, appoſitum, vtile, ac neceſſarium.



NEAPOLI, Apud Caſtaldum M.DC.LXXVIII. *Sup. Facultate.*

EMINENTISSIMO PRINCIPI
ALDERANO CYBO.
S.R.E. CARDINALI,
LEGATO AVENIONENSI,
ET SS.D.N. PAPÆ INNOCENTII XI.
A Secretis Status, &c.

ANGELVS PISTACHIVS CASTELLI CLER. REGVL.
F. P.

ECCE in manibus tuis impiam Superſtitionem ſiſto, ac libens exhibeo, in hoc volumine à me fusè deſcriptam, ſedulò excuſsam, ac graui verbere, vt potui, laceſſitam: Vt coram Eminentia Tua, quæ veluti Templum quoddam Religionis, ac virtutum omnium ſimulacrum hodie ſplendet, pudore affecta, magno cum dedecore contabeſcat. Neque enim, quàm te, præſtantiorem Heroem huic ſanè facinori aptiùs inueniſſem; qui acriùs, & illam argueret, & longiùs à Chriſtiana Republica eliminaret. Cùm & ſumma generis nobilitate, & præclariſſima Stirpe fulgeas, & egregijs omnibus animi dotibus admirabilitèr exorneris. Quis enim, aut totius vitæ tuæ ſeriem, aut præſertim legationes, & quàm maximas præfecturas, aut alia munia grauiſſima inſpexit, & te aliquid operantem animaduertit, aut de re quapiam egregiè perorantem audiuit; & Dei cultum, amorem, ac feruorem in te, vel Fidei Catholicæ ſtudium, vel moderationem animi, vel omnium virtutum exemplar, vel Eccleſiaſticæ diſciplinæ peritiam, non magnoperè commendauit; tuam inſignem prudentiam, ſapientiam ſingularem, &

pro-

probitatem eximiam admiratus? Vix olim primùm Vrbino, ac deindè Rauennæ præeras, cùm ea ſtatim ex Vrbe facinoroſos quoslibet vnà cum vitijs expuliſti, vt Religioni, ac Iuſtitiæ,& Virtutum omnium diſciplinæ vitia, ocia, ac cuncta etiam miniſteria cederent. Quàm fauſtè id ipſum Ferrariæ planè accidit: Cui ferri nomen cum auri verè omine commutaſti, dùm vetus illud Oraculum iterum in os omnium, & in morem induceres; quo aureum id ſeculum audiebat, quo Sapientes regnare, ac clauum tenere conſpicerentur. Quid verò illic illud tuum palatium erat? Aula procerum, an religioſarum omnium virtutum palæſtra, & magnarum exercitationum Academia? Ibi publicè Orationes, Commentationes Cœleſtium, Collationes ſacræ, ac Sermones docti ac pij, adeò confluentibus turmatim nobilibus, ac populis, habebantur, vt mirificè omnes animum, & pietatem excolerent, & te omnes veluti totius perfectionis ideam vehementiſſimè admirarentur, & vbique deprædicarent. Cum verò Sacri Antiſtitis Inſulam induiſſes; Deus bone! quos ipſe ignes in tuum Clerum, in tuam vbilibet Diœceſim, tuis planè geſtis, ac monitis, ac tuo vel etiam ore, ac muto ipſo aſpectu, non inieciſti? Nunquàm feriari planè animo videbaris; ſed labore improbo, omnem mouebas lapidem, ac neruis omnibus, diù noctùq; peruigil inſiſtebas, vt virtutes ſereres, flagitia profligares, & tàm Clerus ad ſanctiorem viuendi normam, quàm Populus ad morum emendationem incenderetur. Cùm verò aliquos, vel periculis obſitos, vel pauperie oppreſſos inſpiciebas; ità veri Paſtoris officio fungebaris, vt omnibus omnia factus, nulli vnquam labori ſanè peperceris, quò arduum quodcumque opus obires, & quæ opus eſſet, magna animi conſtantia, ac promptitudine, omnem pecuniam erogares. Tantaq; virtutum fama ſemper vbilibet effulſiſti, vt in te meritiſſimè Beatiſſimus Pontifex INNOCENTIVS, qui plurimis ab hinc annis tuam innocentiam, virtutemq; eximiam inſignitèr adamauerat, Chriſtiani Orbis curam, quam maximè collocauerit. Tibi igitur veluti viuo Templo Religionis, quæ omnem Superſtitionem exterminet, hos ego labores, & Commentarios meos, quos ſenio affectus elucubraui, qua par eſt animi humilitate, ac reuerentia conſecro, vt quod ab Auctore pretium, lumenq; non ferunt, abs tuo ſplendore ampliſſimè mutuentur. Eritq; tuum illis in fronte nomen impreſſum, inſigne protectionis auſpicium, & mei ergà te obſequij, ac perpetuum obſeruantiæ, acceptiq; haud ſemel à te eximij beneficij monumentum. Vale Chriſtianæ Eccleſiæ decus, & vt Deus diuturnè ſeruet incolumis, æternèq; felicitet prolixius deprecor. Neapoli xx. menſis Octobris Anno poſt Chriſtum natum 1678.

AV-

AVCTORIS PRÆFATIO AD LECTOREM

De totius Operis Argumento.

AGe parumpèr hìc ſiſte, Lector; nam te monitum, & rogatum, in hoc Operis veſtibulo, volo: vt quos, magno, ac libenti animo, labores ipſe meos tibi offero; grato, ac benigno inſpicere oculo, non graueris. Summam ad ætatem, Dei beneficio, iam perueni: nec tamen piget, aut tædet, quicquid temporis Dei cultui, aliorum ſiue Confeſſionibus, ſiue Conſultationibus audiendis, aſſiduæq; Religionis obſeruantiæ ſupereſt, in tui commodũ, impendere calamo, ac ſemper aliquid lucubrare, vt Senecæ illud monitũ impleam, qui ait: Hoc ab homine exigitur, vt proſit hominibus, ſi fieri poteſt, multis, ſin minùs paucis; ſin minùs proximis, ſin minùs ſibi. *Non inficias eo, veriſſimum eſſe, quod ille tradidit:* Quanquam ſenectui, occupatæ præſertìm, & inualidæ, non labor tantùm, ſed ſupplicium ſit ſcribere; ſcribam tamen (*vt is adiecit*) & motum animi ſequar. *Num dedecet Venerabilem Bedam imitari; qui ſcribendo, ac docendo, grauiſſimam ſenectam traduxit; ac quinque ſupra centum annos natus, diſcipulos ſuos extremo die, cùm planè decumberet, axhalaturus animam, admonebat:* Diſcite cum feſtinatione, quia neſcio quandiù ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus? *Non is equidem ſum, vt tanto viro conferri merear; ſed quãuis homuncio planè ſim, ac benè meam exilitatem agnoſcam, in ſtudio tamen geſtio, non modò ſacros Heroes, ſed etiam Ethnicos imitari. Scio Socratem 94. annos natum ſuas orationes elucubraſſe: ſuum tragicum verò volumen Sophoclem, cùm penè centeſimum attigiſſet: ad quam etiam ætatem, aſſiduè legendo, ac ſcribendo, Varro peruenit. Non mihi diù viuere propoſitum eſt: euocet, & tollat me Deus, quando illi libitum fuerit. Dùm tamen viuo, optimam ad mortem præparationem exiſtimo, dies, noctesq; cum sacris Codicibus, & calamo agere, & quoad oculos claudam, nunquam à lectione, ac ſcriptione ceſſare; nam quamuis æuo maior, dicam quod Pomponius, celeberrimus Iuriſconſultus, aſſeruit:* Ego diſcendi cupiditate, quam ſolam viuendi rationem in octauum, & ſeptuageſimum annum ætatis duxi, memor ſum huius ſententiæ, quam dixiſse fertur Salon: Et ſi alterum pedem in ſepulcro haberem, adhùc diſcere quædam vellem. *Franciſcum Petrarcam, quem Cardinalis Bellarminus* piè, ſanctèque obijſse *narrat, imitari contendo, & eius dictum vſurpo:* Scri bendi mihi, viuendique vnus (vt auguror) finis erit. *Mox ad rem veniamus. Volumen hoc edo, & de Superſtitione perſcripſi, non ſolùm quòd grauiſſimam hanc materiam, & vnicuique præſertìm Eccleſiaſticis opportunam, ac ſanè proficuam arbitrarer; ſed quòd in Sanctæ Inquiſitionis Iudicio hanc ſpartam quadraginta ipſos annos ſtudiosè verſaui: nec dumtaxàt exhibeo quod cæteri tradunt, ſed quod ego ipſe annos,*

Sen. de Ocio Sap. 29.

Lucas de Penna lib. 16. in ep. 1

Card. Baron. to. 9. ſub anno 731.

L. de pandect. 40. de fidei commiſſ.

Card. Bellarm. de ſcript. Eccl.

Petr. in præf. ad ep.

quos

quos dixi, in Tribunali Sanctæ Inquiſitionis expertus ſum. In ſcriptione tamen hac mea, non noua depromo, quæ meo ſolùm ingeniolo, atque iudicio innitantur; ſed à probæ notæ Scriptoribus adprobata, vt tutiùs ipſe Lector progredi poſſis, meoq; labore vti, ac lectione proficere. Si enim Diuus Thomas, ac Sanctus Gregorius Nazianzenus hac laude potiſſimùm decorantur, quòd in ſcholaſticis diſciplinis, & ſacris Scripturis interpretandis, à maiorum, ac ſeniorum Patrum ſententia non receſſerint, cur meo ego, in moralibus quæſtionibus exponendis, ingeniolo nitar, quæ non maximum ſanè pondus habent, niſi à vetuſtioribus, & celeberrimis Doctoribus hauſta? Satis fuerit ea me ſedulò perſcrutatum fuiſſe, & quæ diù lance libraui, nunc vno, atque altero in Volumine digeſta, hic ad Dei Optimi Maximi Gloriam, & in tui commodum, exhibere. In primo ergo tomo, Superſtitionem excutio. Indebitum, ac licitum omninò Cultum expendo, qui vel Deo, vel Sanctis, aut Sanctorum Imaginibus, ac Lipſanis, vel Beatis, vel nondùm hunc titulum promeritis tradi, ac haberi poſsit. Idololatras, Hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos exagito. Diuinationem perſtringo, ſeu per aſtra, ſeu per Phyſiognomiam, Chyromantiam, Metopoſcopiam, & alia id genus, ſeu per Cabalam, per Rotam, aut Characteres, ſeu per Sortes, ſeu per Duellum fiat. De Vana item Obſeruantia, de Magia, Sagis, Lamijs, Maleficijs, & de Adiuratione contra Dæmones ago. In altero verò tomo, ſtudioſiſſimè ſermonem inſtituo de Miniſtris S. Inquiſitionis, hoc eſt, de Inquiſitorum S. Officij requiſitis, priuilegijs, iuriſdictione, Vicarijs, Conſultoribus, Patrono, Procuratore, Notarijs, Socijs, Familiaribus, Cuſtodibus carcerum, Iudice, de obligatione denunciandi, de modo procedendi, de citatione, captura, de carceri mancipatis, de ſpontè comparentibus, de ſpontè confeſsis, de eorundem confeſsione sacramentali, de teſtibus, de reorum defenſionibus, de examine, de indicijs ad torquendum, de tortura, de ſententia, de abiuratione, de pœna excommunicationis, irregularitatis, mortis, carceris, triremium, fuſtigationis, exilij, de habitu pœnitentiæ, de pœna pecuniaria, & confiſcatione bonorum, de pœna priuationis beneficiorum actiuæ, ac paſſiuæ vocis, de ſalutaribus pœnitentijs, ac de pœna demùm Talionis. Fruere ergo, Lector, hoc qualicumq; labore meo: & ſi quid boni in ipſo reperies, Deo ſolùm attribue, cui omnia accepta referri debent. Sin me lapſum alicubi deprehendas, meam inſcitiam haud inficiór: quæ tua tamen erit benignitas, ac prudentia, id meis occupationibus, ac ſenio condonabit. Cæterùm vnum oro, vt à Deo mihi per Deiparam impetres veniam peccatorũ, & mortem Chriſtiano, ac Religioſo homine dignam, vt æternùm ipſum amare, ac laudare queam. Vtinam tu quoq; Lector, meis hiſce ſcriptis extimulatus, ſtudia cuncta vana contemnas, ac Deum ſolùm ames, & colas, vt propter quam conditi ſumus (ò vtinam) æternam mecum Beatitatem adipiſcaris! Cenſuræ tamen S. Romanæ Eccleſiæ omnia à me typis impreſſa, & ſcripta ſubmitto.

A V C T O R I S

Ad Lectorem Hexaſtichon.

Quicquid obeſt Fidei: Cultum quod Numinis afflat:
Quis modus in Cauſis ſuſcipiendus erit:
Antiſtes, Cenſor Fidei, cunctique Miniſtri,
Ritè ſuum vt poſthac munus obire queant:
Nunc Liber iſte docet. Quæ multa Volumina tractant;
Vno hem perſpicuè in Codice, Lector, habes.

A P.

APPROBATIONES.

TRactatum hunc De Superſtitione,& Sortilegorum Punitione *à R.P.D.Angelo Piſtachio accuratè compoſitum, iuſſu Paternitatis Tuæ Reuerendiſſimæ, iucundè, & qua potuimus diligentia percurrimus; Nec in eo aliquid offendimus, quod Catholicæ fidei, ac bonis moribus aduerſetur: immò Opus ſuo dignum Authore eſt; verùm cum nihil apud cæteros ſit latiùs reperire, quod ipſe ſtrictìm, atque ingenioſè non exprimat; ad Eccleſiæ, omniumque publicam vtilitatem in lucem edi poſſe probamus, laudatores potiùs, quàm cenſores. Datum Neap. die 20. Febr. 1676.*

D.Aloyſius Sifola Cler.Reg. S.T.Prof.
D. Michael de Bononia Cler.Reg.S.T.Prof.

D. CAROLVS PIGNATELLVS
Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.

HOc Opus inſcriptum, Tractatus de Superſtitione, & Sortilegorum punitione, *à R. P. D. Angelo Piſtachio compoſitum, & iuxtà aſſertionem PP. quibus id commiſimus approbatum, vt typis mandetur, quod ad nos ſpectat facultatem concedimus. Datum Romæ 28.Februarij anno 1676.*

D. Carolus Pignatellus Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.

D.Caietanus Capycius Minutulus Secr.

De

DE mandato Eminentiſs. & Reuerendiſs. Domini Cardinalis Caraccioli Archiepiſcopi Neap. prout ex eiuſdem literis nobis directis, &c. prouiſum eſt, quòd Reu. P. D. Thomas Caracciolo Ordinis Caſſinen. Opera prædicta, ſeu Tractatus reuideat, & in ſcriptis referat. Datum ex Archiepiſc. Palatio. Neap. 16. Ianuarij 1677.

F. Scanagata Vic. Gen.

Ioſeph Imperialis Soc. Ieſu Theol. Eminentiſs.

EMINENTISSIME DOMINE.

EX *commiſſione Em. V.* Tractatum de Superſtitione, ac Sortilegorum pœnis, *ab A. R. P. D. Angelo Piſtacchio Clerico Regulari, ingenioſè, ac eruditè lucubratum accurata iucunditate expendi, quem cum nedum rectæ Fidei, ac bonis moribus conſonum deprehenderim; Verùm in doctrinarum profunda, ac ſolida facilitate comendabilem recognouerim, vt publicæ vtilitati, ac eruditorum plauſibus prodeat typis digniſſimum cenſeo. Datum in Monaſterio SS. Seuerini, & Soſsij die 16. Iulij 1677.*

D. Thomas Caracciolus Caſsinen. S.T.L. ac S. Off. Conſ.

IN *Congregatione habita coram Eminentiſs. Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neapolitano, ſub die 9. Octobris 1677. fuit dictum, quod ſtante ſupradicta relatione Imprimatur.*

F. Scanagata Vic. Gen.

Ioſeph Imperialis Soc. Ieſu Theol. Eminentiſs.

ECCELLENTISS. SIC.

IL *P. D. Angelo Piſtacchio de Chierici Regolari, dice à V. E come deſidera dare alle ſtampe tre libri, che contengono l'infraſcritti Trattati, cioè* De Superſtitione, De Iuramento, & De Voto; *ſupplica V. E. à commettere per la Real Giuriſdittione la reuiſione di quelli à chi meglio li parerà, che l'hauerà à gratia vt Deus.*

R. D. Franciſcus Verde videat, & in ſcriptis referat

Galeota Reg. Carrillo Reg. Calà Reg. Soria Reg.

Prouiſum per S. E. Neap. die 27. Menſis Ianuarij 1677.

Scoppa.

Excellentiſs. Domine ſemper Obſeruandiſs.

P*Ræſcripto Exc. Dominationis Suæ attentè vidi Opera, quorum tit.* De Superſtitione, &c. *Auctore P. D. Angelo Piſtacchio Cler. Reg. in quibus nihil Regiæ Iuriſdictioni contrarium. Sed omnia eruditè digeſta, & ſumma laude digna; ideò iudico lucidiſſima, luce citatiſſima digna. Si videbitur*

Excellentiſs. Dominationis Suæ,

Cui viuit addictiſs. Seruus

Franciſcus Verde.

Viſa retroſcripta relatione imprimatur, & in publicatione ſeruetur Reg. Pragmatica.

Galeota Reg. Carrillo Reg. Valero Reg. Calà Reg. Soria Reg.

Prouiſum per S. E. Neap. die 3. Menſ. Septembris 1677.

Scoppa.

INDEX CAPITVM.

Cum ſuis Summarijs

PRIMAE PARTIS.

CAP. I.

Superſtitionis nomen vndè dicatur. Quid eſt Superſtitio. fol. 1. n. 1.

Quot, & quæ ſunt ſuperſtitionis ſpecies? fol.1.n.2.

CAP. II.

De prima ſpecie Superſtitionis, ideſt de indebito cultu veri Dei. fol.1.

Quonam modo Deo exhiberi poteſt indebitus cultus? fol.1.n.1.

Cultus veri Dei ſuperſtitioſus, ratione indebiti modi, eſt ne ſemper mortale peccatum? fol.2.n.2.3.4.& 5.

Superſtitioſus cultus Dei, non falſus, ſed ſuperfluus,eſt ne mortale peccatum?fol. 3.n.6. 7. & 8.

Eſt ne cultus ſuperſtitioſus, & mortale peccatũ, canere genibus flexis in Choro per determinatos dies,Pſal.108.*Deus laudem meam ne tacueris*; ad petendam à Deo vltionem alicuius inimici, vel perſecutoris? fol.4. n.9.vſq; ad 15.

Cognitio ſuperſtitionis,cultus Deo indebiti, pertinet ne ad Tribunal S.Officij? fol.5.n.16.

Cognitio ſuperſtitionis,quæ hæreſim manifeſtè non ſapit, pertinet ne ad Tribunal S.Officij? fol.6.n.16.

CAP. III.

De cultu non ſuperſtitioſo, nec indebito, ſed Religioſo, ac licito, Sanctis, earumq; Imaginibus debito. fol. 6.

Quonam cultu à nobis venerantur Sancti, earumq; Reliquiæ,& Imagines?fol. 6.n.2. & 3.

Chriſti humanitas, Imagines,Crux,claui, lãcea,indumenta,præſepe, ſepulchrum, & ſimilia;quo cultu à nobis venerari,& adorari debent?fol.7.n.4. 5.6.7.& 8.

Quare Imagines Sanctiſſimæ Trinitatis,& Angelorum adoramus, dum ſpiritus ab imaginibus corporeis repræſentari non poteſt?fol.9.n.9.& 10.

Cereis benedictis, quos Agnos Dei appellamus,à figura agni, ipſis impreſſa, debetur ne religioſus cultus, ac veneratio? fol.10.n.11.

In cultu,& veneratione Sanctorum poteſt ne quis aliquod peccatum committere? fol.10.n.12.

Imagines Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, & Sanctorum omnium, quonam modo, & qua ratione colendæ, & adorandæ ſunt? fol.10.n.13.& 14.

Eſt ne de fide imagines Chriſti, & Sãctorum eſſe debito cultu venerandas? fol. 11.n.15.

Sanctorum Imagines, ſunt ne res ſacræ quæ continent aliquam ſanctitatem? fol.11.n.16.

Conſpurcantes, percutientes, lacerantes ex contemptu,Chriſti Domini,vel Sanctorum Imagines, ſunt ne de hæreſi vehementer ſuſpecti;ſi ex indignatione,& ira hoc faciunt? fol.12.n.17.

Hoc crimen, ſeu delictum,eſt ne mixti fori; an ſpectat ad Inquiſitores S. Officij, priuatiuè quoad laicos?fol.13.n.18.

Iudæi deturpantes Sanctorum Imagines, ſunt ne puniendi ab Inquiſitoribus S. Officij? fol.12. n.19.

Eſt ne de fide,eſſe colendos, & venerãdos Sanctos,à Summo Pontifice canoniza-

tos?fol.13.n.20.21.& 22.

Affirmans canonizatum à Pontifice, non eſſe colendum, nec venerandum, eſſet ne tanquam hæreticus ab Inquiſitoribus S. Officij, puniendus? fol.14.n.23.

Vt aliquis in Sanctorum numerum, & venerationem per Canonizationem, aut per Beatificationem aſcribatur, quid requiritur? fol.14. n.24.vſq;ad 31.

Eſt ne licitum, ex particulari deuotione, ſculpere, vel pingere Imagines Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, Angelorũ, & Sanctorum, in habitu, & forma alicuius ordinis regularis? fol.17.n.32.

C A P. I V.

De cultu non ſuperſtitioſo, ſed religioſo, ac debito Sanctorum Reliquijs. fol. 17.

Eſt ne de fide Sanctorum Reliquias eſſe ab hominibus venerandas? fol.17. n.1.

In Eccleſia, in qua eſt aliqua Sancti Reliquia, poteſt ne celebrari eius Miſſa, & Officium? fol. 18. n.2.

Quid requiritur, vt licitè Sanctorum Reliquię venerentur? fol.18. n.3.& 4.

Reliquię, quę ab antiquis temporibus in veneratione fuerunt; poſſunt ne publicè exponi, ſi non reperiatur eàs fuiſſe ab Epiſcopis approbatas? fol.19.n.6.

Reliquiæ Sancti canonizati, ſi ſint permiſtę cum reliquijs alicuius Sancti non canonizati, nec inter ſe diſcerni valeãt; poteſt ne Epiſcopus illas approbare, vt publicè venerentur? fol.19. n.6.

Eſt ne licitum abſolutè adorare corpus alicuius Sancti, in vno loco, quando alij affirmant, eſſe alibi? fol. 19.n.7.

Eſt ne licitum publicè exponere adorãdã in altari Crucem, varijs reliquijs non approbatis, ornatam? fol.20.n.8.

Quænam Reliquiæ Sanctorum à nobis venerandæ ſunt? fol.20.n.9.

Dum tanquam Reliquiæ Sacræ venerantur, quæ Sanctos in vita, vel poſt mortem tetigerunt, quare non poſſunt venerari vermes, qui ex Sanctorum corporibus oriuntur? fol.20.n.10.

Fruſtulum corporalis poteſt ne, vt ſacra Reliquia haberi, & venerari? fol. 21. n.11.12.& 13.

Qui geſtando ſecum reliquias peierat, furatur, fornicatur, vel aliud peccatum committit, habet ne tale peccatum ſpecialem malitiam, neceſſariò in confeſſione exprimendam? fol.22.n.14.

Qui Reliquias ſacras, vel Agnos benedictos daret Amaſiæ pro actu venereo, committeret ne ſimoniam, vel ſacrilegium? fol.22.n.15.

Dare, vel recipere pecuniam, ob reliquias habendas, vel videndas, eſt ne ſimonia? fol.22.n.16.17.& 18.

Qui exponeret reliquias videndas, vel tãgendas, vt hac occaſione eleemoſynæ creſcerent, committeret ne ſimoniam, vel mortalitèr peccaret? fol. 23. n.19. & 20.

Eſt ne peccatum, furtiuè ſubtrahere Sanctorum Reliquias? fol. 24.n.21.

Qui Sanctorum Reliquias furatur, incidit ne in excommunicationem? fol. 24. n. 22.

Extrahens reliquias à loco, in quo reconditæ ſunt, quas pœnas incurrit? fol.24. n.23.24.25.

Regulares, Sanctorum Reliquias alienantes, incidunt ne in pœnas Paulinæ, de rebus Eccleſiæ non alienandis? fol.25. n.26. & 27.

Eſt ne licitum Sancti alicuius reliquiam radere, & ipſius raſuram infirmis in potum dare? fol.26.n.28.

Clerici in ordinibus minoribus, & Laici poſſunt ne tãgere Sanctorum reliquias? fol.26. n.29.

Eſt ne licitum Clericis in minoribus conſtitutis, & laicis, calices conſecratos, & alias res ſacras tangere? fol.26. n.30.

Si Sacerdos celebraret cum calice non conſecrato, vel cum paramentis non benedictis, peccaret ne mortaliter? & remanerent ne, calix ille conſecratus, & paramenta benedicta? fol. 27. n.31. & 32.

Quando per notabilem fracturam perditur calicis, & patenæ conſecratio? fol. 27.n.33.& 34.

Vaſa ſacra, veſtes, ligna, aliaq; cultui diuino dicata, eſt ne licitum in profanos

vſus

vſus conuertere? fol.28. n. 35.
Licitus ne eſt vſus accendendi cereos, & lampades ad Sanctorum ſepulcra, ad eorum Imagines,& reliquias? fol. 28. n. 36.

CAP. V.

De cultu non ſuperſtitioſo, ſed licito, ac debito Beatis non canonizatis. fol. 29.

In quonam differt cultus Beati non canonizati à cultu Sancti canonizati? fol. 29. n.1.
Quinam ſunt honores, qui debentur Sanctis,&participantur à Beatis non canonizatis? fol.29.n.2.
Beatificati poſſunt ne eligi in Patronos, ſeu Protectores alicuius Ciuitatis? fol. 30.n.3.&4.
Super cultum, qui præſtandus eſt Beatis, adhùc non canonizatis, quid decreuit S. Rituum Congregatio, annuĕte Alexandro VII. 27. Septembris 1659. fol. 30. n.5. vſq;ad 9.
Quando alicui Religioni conceditur facultas celebrădi certa die Miſſam Beati non canonizati,poſſunt ne in eorum Eccleſijs alij Sacerdotes eandem Miſſam dicere? fol.31. n.10.11.12.& 13.
Eſt ne eadem certitudine fidei colendus Beatificatus, ac Canonizatus? fol. 33. n.14. vſq;ad 20.

CAP. VI.

De cultu, qui exhiberi, vel non exhiberi poteſt defunctis,cum opinione Sanctitatis nondùm Beatificatis,fol. 35.

Quinam cultus exhiberi, vel non exhiberi poteſt animabus nondùm canonizatis,neq;beatificatis? fol.35.n.1.
Qualis eſt iſte cultus priuatus, qui exhiberi poteſt non canonizatis, neq; beatificatis? fol.35.n.2. vſque ad 10.
Qualis cultus publicus exhiberi non poteſt defunctis cum fama ſanctitatis, ſed non canonizatis, neque beatificatis? fol.37.n.11. vſq; ad 19.
Proteſtatio Auctoris in principio libri imponenda. fol.39. n.20.
Sequens verò in fine libri. fol.40.n.21.
Tranſgreſſoribus ſupradictorum decretorum, qua pœna puniendi ſunt ab Ordinario, vel ab Inquiſitore S. Officij? fol.40.n.22.
Poteſt ne celebrari Miſſa de Sanctiſſima Trinitate in anniuerſario ſerui Dei nõ canonizati,neq;beatificati?fol.40.n.23. & 24.
Defunctus cum fama Sanctitatis, vt poſſit tanquam Beatus, vel Sanctus venerari; quid requiritur,vt proceſſus ſuæ Beatificationis ritè formentur? fol.41. n.25. vſq; ad 33.
Quæ conditiones requiruntur ad verum miraculum conſtituendum? fol. 44. n. 34.35. & 36.
Eſt ne de ſubſtantia miraculi, vt fiat in inſtanti,abſq; vllo naturali remedio? fol. 45. n.37.38. & 39.
In proceſſu Sanctitatis ſerui Dei, pro obſeruantia ſolemnitatum à iure,vel à decretis Summorum Pontificum, & præſertim Vrbani VIII. agitur de his, quæ releuant probationes virtutum, & miraculorum ipſius: Ideò quæritur, quænam ſunt huiuſmodi releuantia?fol.45. n.40. 41.42. & 43.
Quinam defectus non irritant, nec diminuunt validitatem,& releuantiam proceſſus Sanctitatis ſerui Dei? fol.46. n. 44.45. & ſeq.
Indubio facti, an ſint, vel non ſint obſeruatæ omnes circumſtantiæ, etiam minimæ pro fabricatione proceſſuũ, quomodo prçſumendum eſt, Commiſſarios benè, vel malè illos fabricaſſe? fol. 47. n.49.
Si in formatione proceſſus Sanctitatis, & miraculorum ſerui Dei, reperti ſunt aliqui defectus, poteſt ne peti, & concedi noua remiſſoria, pro ſupplendis illis defectibus?fol.48.n.50.

CAP. VII.

De ſecunda ſpecie Superſtitionis, quæ dicitur Idololatria, fol. 48.

Quid eſt Idololatria, & quare inter ſpe-

cies ſuperſtitionis numeratur? fol. 48. nu. 1.
Quotuplex eſt Idololatria? fol. 48. n. 2.
Idololatria eſt ne peccatum aliorum omnium grauiſſimum? fol. 49. n. 3. & 4.
Peccatum Idololatriæ habet ne ſemper annexum peccatum hæreſis? fol. 49. n. 5.
Qui creaturam vt Deum colit, ſed credit illam non eſſe Deum, peccat ne tam grauiter, quàm qui colit, & credit creaturam eſſe Deum? fol. 50. n. 6.
Metus mortis, vel ignorantia excuſat ne ab hoc peccato? fol. 50. n. 7.
Qui creaturam, vt Deum colit opere externo, ſed interius credit ei talem cultum, non deberi, incurrit ne excommunicationem latam contra hæreticos? fol. 50. n. 8.
Qui non exhiberet Dæmoni cultum ſoli Deo, & Sanctis eius debitum, ſed obſequium profanum, ſolitum exhiberi hominibus in dignitate cõſtitutis, peccaret ne mortaliter, & incurreret excommunicationem? fol. 51. n. 9.
Sacerdos offerens alicui particulam non conſecratam, vt conſecratam, committeret ne peccatum Idololatriæ? fol. 51. n. 10.
Si Dęmon per Imaginem Chriſti aliquem alloquatur, & ille putans eſſe Chriſtũ, illũ adoraret, talis cultus eſſet ne Idololatria? fol. 51. n. 11.
Qua pœna peccatum Idololatriæ ab Eccleſiaſtico Iudice punitur? fol. 51. n. 12.
Quare Iudæis permittitur legis Moyſaicę cultus, qui parũ ab Idololatria differt, & tamen non permittitur eis vſura, nec aliud crimen? fol. 52. n. 13.
Sunt ne aliqui caſus, in quibus Inquiſitores S. Officij procedere poſſunt contra Iudeos, & alios Infideles Idololatras? fol. 52. n. 14.
Iudæi ſi ad ſectam Paganorum, vel aliorũ Idololatrantiũ tranſeant, poſſunt ne ab Inquiſitoribus puniri? fol. 53. n. 15.
Iudæi Idololatrantes, vel delinquentes in his, quæ ſunt communia noſtræ, & ipſorum fidei, puniuntur ne ab Inquiſitoribus pœna abiurationis? fol. 53. n. 16.
Quibus pœnis Iudæi, Mauri, & Infideles non baptizati ſupradicta delicta perpetrãtes puniri poſſunt ab Inquiſitoribus S. Officij? fol. 53. n. 17.
Fautores, defenſores, & receptatores idololatrantium, vel hæreticorum, ſi ſint conſanguinei, affines, vel amici, excuſantur ne à ſupradictis pœnis? fol. 54. n. 18.
Eſt ne idem dicendum, ſi dubium ſit an fauens, vel defendens, vel receptãs idololatram, vel hæreticum conſanguineũ, vel affinem, vel amicum, id præſtiterit ob conſanguinitatis, affinitatis, & amicitiæ coniunctionem, an ob Idololatrię, vel hæreſis crimen? fol. 54. n. 19.
Prædicti delinquentes etiam in dubio cõtrahunt ne pœnam excommunicationis latæ in Bulla Cœnæ contra fautores, defenſores, & receptatores hæreticorum? fol. 54. n. 20.
Quinam dicuntur fautores, vel receptatores hæreticorum, & idololantium? fol. 54. n. 21. & 22.

CAP. VIII.

De obligatione denunciandi Idololatras, hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos. fol. 56.

Si tale delictum ſit adeò occultum, vt nullo modo probari poſſit, tenetur ne qui illud ſecretò nouerit, Sacro Tribunali reuelare, & delinquentem denunciare? fol. 56. n. 2.
Qui credit Idololatram hęreticum iam eſſe emendatum, tenetur ne illum iudicialiter denunciare? fol. 57. n. 3. vſq; ad 12.
Si ex omiſſione denunciationis idololatræ, vel hæretici immineret damnum Reipublicæ, poſſet ne quis illam omittere ob timorem ſuæ grauis iacturæ in vita, vel fama, vel rebus familiaribus? fol. 59. n. 13. & 14.
Tenetnr ne quis denunciare ſuo ſanguini coniunctos, etiam fratres ſuſpectos, de Idololatria, vel hæreſi? fol. 60. n. 15.
Tenetur ne filius denunciare patrem Idololatram, vel hæreticum, & pater filiũ; vxor maritum, & maritus vxorem? fol. 60. n. 16. & ſeq.

Eſt

Eſt ne idem dicendum de patre, vel marito, aut de filio, vel vxore ſuſpectum tã-tum de tali crimine? fol.62. n. 22. 23. & 24.
Non denuncians hęreticum, vel idololatram, vel ſuſpectum de tali crimine, eſt ne ſuſpectus de hæreſi leuiter, an vehementer? fol.62.n.25.26.27.& 28.
Tenetur ne quis denũciare huiuſmodi delinquentem, ſi poſt perpetratum delictũ ſtatim pœnituit? fol.63.n.29.
Tenetur ne quis denunciare huiuſmodi delinquentem, ſi ſciat fuiſſe ab alio denunciatum? fol.63.n.30.
Ceſſat ne vnquam obligatio denunciandi idololatram, aut hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum? fol.64.n.31.& 32.
Reges, & Cardinales ſunt ne exempti ab obligatione denunciandi idololatras, & hæreticos, vel de idololatria, aut hæreſi ſuſpectos? fol.65.n.33.
Denunciatio hæc iudicialis, quonam modo fieri debet? fol.65.n.34.
Non denunciantes Idololatras, aut hæreticos, vel de hęreſi ſuſpectos, quam pœnam incurrunt? fol.65.n.35.vſq; ad 39.
Poteſt ne Confeſſarius abſoluere pœnitẽtem, qui non denunciauit, ſed promittit Sacro Tribunali talem delinquentem denunciare? fol.67.n.40.& 41.
Idololatra ſeipsũ ſpontè denuncians quomodo ab hoc Sancto Tribunali tractatur? fol.n.42.& ſeq.

CAP. IX.

De Prælatorum, & Principum poteſtate cogendi Idololatras, & Infideles, ac etiam hæreticos ad Chriſti fidem catholicam ſuſcipiendam. fol.69.

Idololatra hęreticus, poteſt ſub graui pœna cogi, vt ad catholicám fidem redeat? fol.70. n.2.
Quare igitur Chriſtus Dominus ſub nomine Regis inuitantis ad cœnam; dixit, compellendos eſſe intrare ad Eccleſiã eos, qui in vijs, & plateis ſedebant: hoc eſt extrà eam? fol.70.n.4. & 5.
Principes ſeculares poſſunt ne ſuis ſubditis idololatris, & infidelibus negare ius habitandi in ſuis Prouincijs, niſi Chriſti fidem recipiant? fol.71.n.6.
Infidelis, qui coactè Chriſti fidem ſuſcepit, poteſt ne ad hanc fidem retinendã obligari? fol.71. n.8.
Infideles cogi ne poſſunt à Principe chriſtiano, cui ſubijciuntur, ad Idololorum cultum abijciendum, ad ritus ſuperſtitioſos reſpuendos, & ad legem naturæ ſeruandam, & vnum Deum colendum? fol.72. n.9.
Quare ergo Iudæi non coguntur Chriſti legem amplectere, & ſeruare; & nolentes, quare à Chriſtianorum Prouincijs non expelluntur? fol.72.n.11.& 12.
Poſſunt ne Principes Chriſtiani, Infideles, & Idololatras cogere, ad audiẽdam prædicationem Euangelij? fol.73.n.13. & 14.
Poſſunt ne Principes Chriſtiani de licentia Summi Pontificis cogere Infideles, ſeu Idololatras, etiam non ſubditos, ad audiendam Euangelij prædicationem? fol.74.n.15.
Poteſt ne Summus Pontifex Chriſtiano Principi poteſtatem concedere, debellandi, & occupandi Prouincias Paganorum, & Infidelium, ſi non permittant liberam Euangelij prædicationem? fol. 74.n.18.vſq; ad 27.
Infidelibus permitti ne poteſt à Principibus Chriſtianis dominium in Chriſtianos? fol.77.n.28.29. & 30.

CAP. X.

De tertia ſpecie Superſtitionis, quæ dicitur Diuinatio. fol.77.

Quidnam eſt huiuſmodi diuinatio, & quare ſpecies ſuperſtitionis dicitur? fol.77. n.1. & 2.
Hoc pactum cum Dæmone, ſeu eius inuocatio quotuplicitèr fieri poteſt? fol. 78. n.3.
Diuinatio per pactum implicitum, ac tacitum, diſtinguitur ne ſpecie ab illa, quæ fit per pactum expreſſum: ita vt hoc pactum expreſſum ſit neceſſariò exprimendum in confeſſione? fol. 78. n.4. & 5.

Di-

Diuinatio tacita, ſeu pactum implicitum cum Dæmone, eſt ne ſemper mortale peccatum? fol.79.n.6.
Qui ſignis illis ſuperſtitioſis, ſolū propter experientiam fidem adhibet, & expreſſè proteſtatur, nullam cum Dæmone ſocietatem habere velle, neque illius miniſterio cognitionem aliquam conſequi, excuſatur ne à peccato ſuperſtitioſæ diuinationis? fol.79.n.7.
Si Dæmon nullum pactum cum aliquo inierit, concurrendi cum illo, qui huiuſmodi ſignis vanis vſus fuerit, & aliquis illis ſignis vtatur, quia per experientiam ità ſucceſſiſſe, conſtet, eſſet ne tacitè inuocator Dæmonis? fol.80.n.8.
Qui ex ignorantia vtitur diuinatione ſuperſtitioſa, poteſt ne excuſari à culpa mortali? fol.80.n.9.
Qui vtitur huiuſmodi ſignis vanis, vt vanis, ad cognitionem occultorum, non expectans certam notitiam ex ipſis, ſed cauſa recreationis, & ioci, excuſatur ne à mortali? fol.80.n. 10.
Quonam modo dari poteſt pactum inter homines, & Dæmones? fol.81.n.11.
Eſt ne omnis inuocatio Dæmonis actus ſuperſtitioſus, & hæreticalis ſubiectus Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis? fol. 81. n.12.13.& 14.
Inuocans Dæmonem per modum adiutorij, eſt ne ſemper hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus? fol.82.n.15.
Inuocatio Dæmonis deprecatiua, ad ſciēdnm, vel faciendum ea, quæ non excedunt naturalem eius facultatem, eſt ne hæreticalis? fol.82.n.16.
Inuocans Dęmonem non verbis deprecatiuis, ſed imperatiuis, ad faciendum, vel ſciendum ea, quæ naturalitèr ipſe Dæmon ſcire, vel facere poteſt, committit ne ſortilegium hæreticale? fol.82.n.17. & 18.
Inuocatio Dęmonis, non ad malum finem, ſed ad finem bonum aſſequendum, eſt ne mortale peccatum, hæreſim ſapiens? fol.83.n.19.
Dæmones expreſsè inuocati, quonammodò ſolent futura prænunciare? fol. 83. n. 20.
Qui reſponſum Dæmonis credit, eſſe certum, & infallibile, quodnam peccatum committit? fol.84.n.21.
Dæmones in eorum apparitionibus bona conſulentes, ſunt ne audiendi? fol. 84. n. 22.
Quonam modo diſcernere poſſumus, an huiuſmodi apparitiones, ſint illuſiones Dæmonum, an verò apparitiones bonorum Angelorum, vel animarum? fol. 85. n.23.
Eſt ne imitandum pactum illud, quod à nonnullis factum, legimus, vt præmoriens, ſuperſtiti apparere debeat; eumq; de ſuo ſtatu certiorem faciat? fol. 85. n. 24.
Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum pœnitente, qui cum pacto expreſſo Dæmonem inuocauit? fol.85.n.25.
Superſtitioſi diuinatores incurrunt ne excommunicationem ipſo facto. fol. 85. n. 26.
Diuinatio ſuperſtitioſa, ſpectat ne ad Tribunal S.Inquiſitionis, vel aliquando eſt mixti fori? fol.86.n.27.
Diuinatio, quę continet pactum illicitum, ſeu tacitum cum Dæmone, diuiditur ne in plures ſpecies? fol.86. n.28.
In confeſſione eſt ne explicanda ſpecies dictarum diuinationum? fol.86. n.29.

C A P. XI.

De Diuinatione per Aſtra, ſeu per Aſtrologiam.

Quid, & quotuplex ex Aſtrologia? fol.87. num.1.
Eſt ne malum, aut prohibitum prædicere ex Aſtris effectus naturales, qui proueniunt ex influentijs cœleſtibus? fol.87. num. 2.
Naturalis prædictio ex aſtris, eſt ne certa, & infallibilis? fol.87.n.3.
Certò prædicere, vel credere, futuros dictos effectus naturales, eſt ne ſuperſtitionis peccatum? fol.88.n.4.
Aſtrologia iudiciaria prænuncians ea, quæ pendent ex libero hominis arbitrio, eſt ne ſuperſtitioſa, & de ſe mala, omni iure prohibita, & hæreſim ſapiens. fol.88. n.5.6.& 7.

Eſt

Eſt ne per ſe malum, vel prohibitum, ex ſtellarum cõſtellatione, obſeruare pueri natiuitatem, & coniectare eius temperamentum, & naturalem inclinationẽ? fol.89.n.8.

Inueſtigatio temperamenti, & inclinationum pueri, ſpectato natiuitatis puncto, ex aſtrorum aſpectu, habet ne certitudinem. fol.89.n.9.

Prædictio, ſiue diuinatio caſus fortuiti, tãquam certò futuri, eſt ne ſuperſtitio, & mortale peccatum. fol.90. n.10.

Poſſunt ne Aſtrologi abſq; peccato prædicere, ex aſtrorum aſpectu, actiones ex hominum voluntate pendentes, non vt certò futuras, ſed vt futuras probabiliter? fol.91.n.11. & 12.

Poſſunt ne Aſtrologi, abſque mortali inquirere, & denunciare res pręteritas, vel præſentes occultas per aſtra? fol.91. n.13.

Si re vera ex aſtris nihil occultum, aut dependens à voluntate hominum, aut à caſibus fortuitis, agnoſci poteſt, quare aliquando Aſtrologi vera prædicunt, & diuinant? fol.92.n.14.

Quænam futura ergo poſſunt Aſtrologi abſq; peccato prænunciare. fol.92.n.15.

Coniecturalitèr tantùm prædicere, non ſolùm ex aſtris, ſed ex temperamento, & naturali propenſione hominis ea, quæ pendent ex libero arbitrio, eſt ne mortale peccatum. fol.92. n.16.

Quare Aſtrologi abſq; mortali culpa, poſſunt prænunciare futura, coniecturalitè, & non probabilitèr. fol.93. n.17.

Quare Aſtrologi Iudiciarij, qui res occultas, vel pendentes à voluntate hominũ, vel contingentes, vt certas, vel vt probabiles, futuras eſſe prænunciant, poſſunt puniri à Tribunali S. Officij. fol. 93. n.18.

Quid ſtatuit Sixtus V. contra Aſtrologos, & alios diuinatores, aut libros de Aſtrologia, & ſimilibus materijs legentes, vel retinentes? fol.93.n.19.

Compræhenduntur ne in dicta Bulla tantùm Aſtrologiam pluries exercentes, vel etiam qui ſemel diuinauit alicui, futura contingentia, vel ſuam natiuitatem. fol.94.n.20.

Per illa verba: *Se quomodolibet intromittunt*, quinam compræhenduntur? fol. 95. n.21.

Hæ Bullæ obligant ne tantùm in foro externo, & iudiciali, an etiam in foro cõſcientiæ? fol.95.n.22.23.& 24.

Quare Aſtrologi, & alij diuinatores, non excuſantur à peccato, & à dictis pœnis. etiam quando proteſtantur, *ſe non affirmare certò, quod pręnunciant*? fol. 95. n.25.

Vltrà prohibitiones contentas in dicta Bulla Sixti V. quid amplius prohibuit Vrbanus VIII. & ſub quibus pœnis? fol. 96. n.26.

Quænam actiones in dicta Bulla prohibẽtur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, confiſcationis bonorum omnium, & vltimi ſupplicij. fol.97.n.27.

Huiuſmodi prohibitio reſtringitur ne ad Summum Pontificem, actu viuentem, vel extenditur etiam ad futurum ſede vacante. fol.97. n.28.

Includuntur ne in dicta prohibitione, & ſub dictis pœnis, nón ſolùm omnes Eccleſiaſtici, ſed magni Principes, & Duces, ac mulieres? fol.97.n.29.

Ad quos Iudices ſpectat punire huius Bullæ tranſgreſſores? fol.97.n.30.

Secluſis perſonis in dicta Bulla Vrbani VIII. poſſunt ne Aſtrologi, alijs prædicere aliqua futura coniecturaliter? fol. 98. n.31.

Poteſt ne Aſtrologus abſq; ſuperſtitionis peccato prædicere ſano, ei imminere periculum infirmitatis, & mortis tali tempore ex aſtris? fol.98.n.32.

Qui dicunt ſe videre in terræ viſceribus venas aquarum, & metallorum, theſauros abſconditos, cadauera ibi abdita, & apoſthemata, vel alia humcrum genera intrà humanum corpus latentia. Sunt ne vt ſuperſtitioſi damnandi? fol. 98. num.33.

Si quis à Dæmone didiciſſet veram Philoſophiam, poteſt abſq; peccato vti tali ſcientia. Quare ergo nõ poteſt quis vti etiam Aſtrologiæ ſcientia à Dæmone accepta? fol.99.n.34.

Aſtrologi, & cæteri Diuinatores, tenentur ne reſtituere pretium receptum pro

eorum diuinatione, vel poſſunt illud iuſtè retinere? fol.99. n.35.36.& 37.
In hoc caſu cui facienda eſt reſtitutio.fol. 100. n.38.

C A P. XII.

De Diuinatione per Somnia.

Quid eſt ſomnium, & quot ſunt genera ſomniorum? fol.100.n.1.vſq; ad 6.
Ex quibus cauſis ſomnia prouenire ſolēt? fol.102. n.7.
Quare Dei oracula potius in ſomnis, quā in vigilia reuelantur?fol.102.n.8.
Qui ſine prudenti iudicio facilè credit ſomnium eſſe à Deo,vel temerè dat illi creditū, excuſatur ne à peccato mortali? fol.102..n.9.
Quomodo diſcerni poteſt, an ſomnium ſit à Deo,vel à Dæmone? fol.102.n.10.
Eſt ne licitum futurorum,& occultorum cognitionem deſiderare, vel petere à Deo per ſomnia? fol.103.n.11.
Somnia poſſunt ne cauſare effectus quos repræſentant. fol.103. n.12.
Eſt ne licitum obſeruare ſomnia, quatenus indicant morbos,vel humores corporis prædominantes. fol.103. n.13.
Eſt ne licitum inueſtigare,an ſomnia proueniāt ex cōſtellatiōne Cœli, vel aeris impreſſione, ac etiam ex præteritis cogitationibus.fol.103.n.14.
Eſt ne licitum obſeruare, ex qua cauſa ſomnia proueniant, & ex illis coniectare futura. fol.104.n.15.& 16.
Qui propter ſomnia timet aliquod malum ſibi futurum, vel ſperat aliquod bonū, & ad vitandum illud malum,vel ad cōſequendum illud bonum, aliqua operatur,committit ne peccatum? fol.104. n.17.
Si alicui euenirent,quę ſibi in ſomnijs repræſentantur, poſſet ne abſque peccato fidem ſomnijs præſtare? fol.105.n.18.
Eſt ne ſuperſtitio, & mortale peccatum ad captandum ſomnium, & per illud futura cognoſcere, aliquod ſecretum adhibere. fol. 105.n.19.
Quando in ſomnijs videtur vſus rationis liber,& expeditus, poteſt ne ſomniator tunc mereri, vel demereri. fol. 105. n.20.

C A P. XIII.

De Diuinatione per Augurium.

Quid eſt Augurium. fol.106.n.1.
Diuinare futura per auguria, eſt ne illicitum,& ſuperſtitioſum. fol.106. n.2.
Si licitum non eſt per auguria diuinare, quare Ioſeph Patriarcha fratribus ſuis dixit: *An ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia*?Geneſ.44.fol. 106. n.3.
Augurium per auium,piſcium, aliorumq; animalium motus,volatus,voces,& cātus, eſt ne ſemper ſuperſtitioſum, vel aliquando licitum. fol.107. n.4.
Ex his auium,& animalium vocibus,& ſignis, poſſunt ne coniectari aliqua proſpera, vel aduerſa hominibus eſſe futura. fol.107.n.5.
Excuſatur ne à peccato mortali, qui obſeruando auguria, non habet in illis fidem certam; ſed ex illis quendam timorem concipit. fol. 107. n.6.
Quid eſt diuinatio per Omen,& an ſit ſuperſtitioſa. fol.107. n.7.
Hæ ſuperſtitioſæ diuinationes per omen, quodnam peccatum ſunt. fol.108. n.8.
Si diuinationes per Omina ſunt illicitæ, ſuperſtitioſæ,& à Deo prohibitæ: quare in Sacra Scriptura tanquam licitæ approbatæ ſunt diuinationes per Omina Eliezer ſerui Abrahæ.*Geneſ.* 4. Gedeonis *Iudic.* 7. Ionatæ 1. *Reg.* 14. & Dauid 1.*Reg.* 20. fol. 108. n.9.10.11. & 12.

C A P. XIV.

De Diuinatione per Phyſiognomiam, vel Chyromantiam, vel Metropoſcopiam, vel Spatulantiam, vel Pedomantiam, vel Onycomantiam. fol. 109.

Quænam Diuinatio per hæc nomina ſignificatur.fol. 110.n.1.
Quidnam per omnes, & ſingulas huiuſmodi

modi inſpectiones, licitè prænunciar, ſeu coniectari poteſt? fol. 110. n. 2.
Quidnam diuinare ex dictis inſpectionibus eſt illicitum, & mortale peccatum? fol. 110. n. 3.
Si per Chyromantiam licitum non eſt omnia diuinare: quare *in cap. 37. Iob.* dicitur de Deo: *Qui in manu omnium ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua*? fol. 110. n. 4. & 5.
Interrogare Aegyptianam de bona, vel mala fortuna per manus lineas, eſt ne peccatum? fol. 111. n. 6.
Phyſiognomici, Chyromantici, & alij ſupradicti, ſi certò prænuncient occulta, vel futura contingentia, vel pendentia ex hominum libera voluntate, ſunt ne S. Officio denunciandi? fol. 111. n. 7.
Inquiſitores S. Officij poſſunt ne procedere contra Aegyptianas, bonam, vel malam fortunam diuinantes? fol. 112. n. 8.

CAP. XV.

De Diuinatione per Geomātiam, Hydromantiam, Aëromantiam, Pyromantiam, & Aratmantiam. fol. 112.

Quænam ſunt huiuſmodi diuinationes? fol. 112. n. 1.
Huiuſmodi diuinationes ſunt ne omnes ſuperſtitioſæ, & peccatum mortale? fol. 112. n. 2. & 3.
Dæmones poſſunt ne ab hominibus alligari, in annulis, in ſpeculis, in phialis, et ſimilibus? fol. 113. n. 4.

CAP. XVI.

De Diuinatione per Cabalam, vel per Rotam, quæ dicitur Bedæ, aut characteres manuſcriptos. fol. 113.

Quid eſt Cabala? fol. 113. n. 1.
Cabalæ ars diuinandi, à quo originem traxit, & eſt ne illicita, & ſuperſtitioſa? fol. 113. n. 2. & 3.
Cabalam exercens, vel ad illam cooperans, eſt ne de hæreſi ſuſpectus? fol. 114. num. 4.
Cabalam exercentes, vel cooperātes, quibus pœnis puniendi ſunt? fol. 114. n. 5.
Inuentor diuinationis per Rotam, quæ dicitur Bedæ, fuit ne ipſe Venerabilis Beda, an aliquis ſuperſtitioſus, & ſortilegus? fol. 115. n. 6.
Huius Rotæ diuinatio, eſt ne illicita, & ſuperſtitioſa? fol. 115. n. 7. & 8.
Diuinatio per characteres manuſcriptos, eſt ne etiam illicita, & ſuperſtitioſa? fol. 115. n. 9.

CAP. XVII.

De Diuinatione per Sortes. fol. 116.

Quid, & quotuplex ſit Sors? fol. 116. n. 1. & 2.
Sortes diuiſoriæ, quæ fiunt præuio contractu, vel pacto, ſunt ne licitæ? fol. 116 n. 3. & 4.
Quando ſortes diuiſoriæ licitæ fieri poſſunt? fol. 117. n. 5.
Inter Clericos eſt ne licitum ſorte dirimere, & componere lites, non ſolùm in cauſis, & litibus de rebus ſecularibus, ſed etiam de beneficijs eccleſiaſticis? fol. 118. n. 6. & 7.
Prohibitio *cap. Eccleſia de ſortilegijs*, extēditur ne ad electiones ciuiles, & ſeculares? fol. 118. n. 8.
Eſt ne aliquando illicita in ciuilibus electio per ſortes? fol. 118. n. 9.
Sortes diuiſoriæ, quæ ex ſe licitæ ſunt, poſſunt ne ob aliquam circumſtantiam vitiari? fol. 119. n. 10.
Contractus ſortium, qui dicitur (il lotto) eſt ne licitus, & iuſtus? fol. 119. n. 11.
Si in electione ſuffragia ſint paria, duo. E. g. habuerunt, in electione ſemel, bis, aut pluries facta, paria ſuffragia. Eſt ne licitum inter illos duos ſortes mittere? fol. 120. n. 12. vſque ad 16.
Quare ergo in aliqua congregatione eſt licitus huiuſmodi eligendi modus per ſortem? fol. 121. n. 17.
Electio ad Eccleſiaſticum beneficium facta per ſortes diuiſorias, eſt ne ipſo iure irrita, vel irritanda? fol. 121. n. 18.
Sortes conſultoriæ, ad cognoſcendam in rebus dubijs diuinam voluntatem, & illam à Deo expectandā, ſunt ne licitæ? fol. 121. n. 19.

Sortes conſultoriæ miſſionis, poſſunt ne licitè fieri, ſi ſtante qualitate miniſtrorũ mittendorum ad Indos. E. g. dubium eſſet, quis eorum eſſet ibi mittendus? fol. 122. n. 20.

Sortes conſultoriæ mitti ne poſſunt ad agnoſcendum quiſnam Sanctus ſit ſuſcipiendus in Patronum Ciuitatis, vel in deuotum alicuius particularis? fol. 122. n. 21.

Sortes diuinatoriæ, per quas inquiruntur futuri euentus, vel manifeſtatio rei occultæ, ſunt ne ſemper illicitæ? fol. 122. n. 22.

Sortes diuinatoriæ, continent ne ſolum malitiam ſuperſtitionis, vel etiam iniuſtitiæ? fol. 122. n. 23.

Quare ergo Ioſuè iudicio ſortium puniuit Achan, qui erat delinquens occultus: nã occultè ſurripuerat de anathemate? *Ioſue* 7. fol. 123. n. 24.

Sortes diuinatoriæ ſunt ne ſub pœna excommunicationis prohibitæ? fol. 123. n. 25.

C A P. XVIII.

De Diuinatione per Duellum. fol. 123.

Quid eſt duellum? fol. 123. n. 1.

Duellum eſt ne ſuperſtitioſum? fol. 123. num. 2.

Duellum ad indagandam veritatem, vel iuſtitiam alterius partis, eſt ne ſemper illicitum? fol. 124. n. 3.

Datur ne aliquis caſus, in quo licitum ſit duellum acceptare, vel offerre? fol. 124. n. 4. vſq; ad 12.

In dictis caſibus, in quibus duella licent, eſt ne licitum conditionem apponere: vt nullus ex circumſtantibus opem alicui ferat? fol. 126. n. 13.

Si quis innocens ab impio Iudice damnaretur, vel ad ſubeundam mortem, vel ad pugnandum in duello, vt ſe ab impoſito crimine purgaret, eſſet ne ei licitum acceptare Duellum? fol. 127. n. 14. & 15.

Si duo ſint Iudicis ſententia damnati ad mortem, eſt ne licitum Principi pugnam ipſis concedere; Vt qui Victor occidẽdo alterum euaſerit, vitam, & libertatẽ habeat? fol. 127. n. 17.

Eſt ne licitum acceptare duellum, ad terminandam litem criminalem, aut ciuilem? fol. 127. n. 17.

Eſt ne licitum acceptare duellum ob defenſionem proprij honoris? fol. 128. num. 18.

Duelli vſus quibus pœnis iure Canonico punitur? fol. 128. n. 19. 20. & 21.

Ad excommunicationem, & alias ſupradictas pœnas incurrendas quid requiritur? 129. n. 22. vſq; ad 26.

Vir eques ad duellum prouocatus, poteſt ne illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat? fol. 131. num. 27.

Eſt ne ſaltem licitum, prouocato ad duellum, illud acceptare, & exire in locum condictum, non cum abſoluta voluntate pugnandi, ſed conditionata, ſi ibi iniuſtè prouocetur? fol. 131. n. 28.

Qui ob præmiſſam prouocationem ad duellum ſe confert ſtatuto tempore ad locum præfixum, & ibi expectato inimico, ſed non comparente diſceſſit, incurrit ne in excõmunicationem, & alias duellantium pœnas? fol. 132. n. 29. 30. & 31.

Contra quas perſonas, vltra duellantium, lata eſt excommunicatio huiuſmodi? fol. 133. n. 32.

Prouocatus ad duellum, poteſt ne ad ſua negotia peragenda, armatus incedere, ac ſi eſſet cum inimico pugnaturus, vel tenetur è domo non exire? fol. 133. num. 33.

Conſulens duellum, ſi fecit quantum potuit, reuocãdo conſilium, ſed nihil profecit, incurrit ne excommunicationem? fol. 134. n. 34.

Conſulens duellum alicui, qui ante ſuum conſilium erat determinatus illud cõmittere, ligatur ne excommunicatione? fol. 134. n. 35.

Quomodo quis cognoſcere poteſt an ſuũ conſilium influxerit in duellũ. fol. 134. n. 36.

Si conſulens adhibita diligentia: adhuc dubitet: an per ſuum conſilium influxerit,

xerit,

xerit, ad prouocandum, vel acceptandum duellum, ligatur ne excommunicatione? fol. 135. n. 37.

Conſulens duellum, quod ſi non conſuluiſſet ipſe, certè conſuluiſſet alter, incurrit ne excõmunicationem? fol. 135. n. 38.

Qui non conſulit duellum, ſed narrat aliquod factum, ex quo, illud audiens, ſumit occaſionem prouocandi, vel acceptandi duellum, incurrit ne excommunicationem? fol. 135. n. 39.

Conſulens parato non terminare duellũ, niſi cum alterutrius morte, vt ſolum pugnent, vſque ad primum ſanguinem, contrahit ne excommunicationem? fol. 135. n. 40.

Qui eſt paratus committere duellum, ſed nulla determinatione facta, an vſque ad mortem, an verò vſque ad primum ſanguinem, poteſt ne conſulens illi ſuadere, vt pugnet vſque ad primum ſanguinem? fol. 136. n. 41.

Si parato ad prouocandum omninò Petrum, ad duellum non terminãdum, niſi alterutrius morte, conſulens ſuaderet, vt non diffidaret Petrum, ſed Ioannem non vſque ad mortem, ſed vſq; ad primum ſanguinem tantùm, incideret ne in excommunicationẽ, & pœnas duelli? fol. 136. n. 42.

Perſonæ Eccleſiaſticæ, duellum, ſiue conſulentes, ſiue quomodolibet ad illud ſe intromittentes, quas pœnas incurrunt? fol. 137. n. 43.

Perſonæ Eccleſiaſticæ in duello aliquo modo delinquentes, vt priuentur beneficijs obtentis, & ſint inhabiles ad alia obtinenda, requiritur ne Iudicis ſententia? fol. 137. n. 44. 45. & 46.

Conſulens alicui duellum, vt inimicum occidat, ſi ille, qui conſilium accepit, in duello occidatur, incurrit ne conſulens irregularitatem? fol. 138. n. 47. & 48.

Conſulens duellum, in quibus alijs caſibus irregularitatem contrahit? fol. 138. n. 49.

Mandans alicui, vt duellum aggrediatur, ſi poſteà reuocet mandatum, & mandatarius duellum aggrediatur, ipſe mandans contrahit ne excõmunicationem? fol. 139. n. 50.

Si mandatario non conſtet expreſsè de mandati reuocatione, ſed tantùm tacitè, & implicitè; nempè quia ad eius notitiam venit, quòd mandans iniuit pacem, vel parentelam cum inimico; & tamen mandatum exequitur, & duellum aggreditur. Mandans eſt ne excommunicatus? fol. 139. n. 51.

Si mandans impoſuit mandatario, vt iniret duellum non ad mortem, neque ad primũ ſanguinem, ſed ad aliquos ictus tantùm cauſa honoris, & mandatarius duellantem vulnerauit, vel occidit, eſt ne ipſe mandans excommunicatus? fol. 140. n. 52.

Mandans duellum, ſi mandatarius tunc noluit illud acceptare; ſed poſtea mutauit ſententiam, & abſq; vllo alio mãdato, duellum exequutus fuit, eſt ne ipſe mandans excommunicatus? fol. 140. n. 53.

Mandans non expreſsè, ſed tacitè duellũ, vt ſi conſanguineo iniuria læſo quis dicat: ne reuertaris domum meam, donec aliquid noui de te audiam; ſi poſteà ſequitur duellum, eſt ne talis mandans excommunicatus? fol. 140. n. 54.

Mandatum requiritur ne, vt ſit efficax, ità vt duellum ex ipſo ſequatur? fol. 140. n. 55.

Spectatores duelli, incidunt ne in excommunicationem? fol. 140. n. 56.

Spectatores ex compoſito, ſi ignorent eſſe ab Eccleſia prohibitum, aſpicere duellantium certamen, incurrunt ne in dictam excommunicationem? fol. 141. n. 57.

Socij, qui comitantur duellatorem, ſunt ne omnes excommunicati? fol. 141. n. 58.

Qui commodat amico, volenti duellare, arma, incidit ne in excõmunicationem? fol. 141. n. 59.

Ob libellos, & ſcripta prouocantia ad duellum, quinam incidunt in excommunicationem? fol. 142. n. 60.

Qui libellum prouocatorium compoſuit, ſed per ipſum ſtetit ne affigeretur, neq; intimaretur, incidit ne in excommunicationem? fol. 142. n. 61.

Qui audiunt, vel legunt prouocationes ad duel-

duellum,incidunt ne in excommunicationem? fol.142. n.62.

Excommunicatio incurritur ne ſemper, ſtatim, ac præſtitæ ſint prædictæ actiones? fol.142.n.63.& 64.

Vltra excõmunicationem, quas alias pœnas incurrunt pugnantes in duello?fol. 143. n.65.

Pœnæ perpetuæ infamiæ,& proſcriptionis bonorum petunt ne Iudicis ſententiã? fol.143.n.66.

Vt mortuo in duello denegetur ſepultura requiritur ne Iudicis ſententia? fol.143 n. 67.

Vulneratus in duello, ſi moriatur ex ipſo vulnere poſt aliquos dies,eſt ne priuãdus eccleſiaſtica ſepultura, ſi Sacramẽta ſuſceperit? fol.144. n.68.& 69.

Qui moritur in duello, ſed ante obitum dedit pœnitentię ſigna,eſt ne ei negãda ſepultura? fol.145.n.70.& 71.

Epiſcopus poteſt cum his contritis, & cõfeſſis diſpenſare, vt liceat eos ſepelire in loco ſacro? fol.145. n.72.

Poteſt ne publica oratione deprecari, & Miſſæ ſacrificium offerri, pro mortuo in duello cum contritionis ſignis, ſed ſepulto extrà Eccleſiam,& in loco non ſacro? fol.145.n.73.

Ex occiſione ſequuta in duello, oritur ne obligatio reſtitutionis? fol. 146. n. 74. & 75.

Locorum Domini, ſi duellum in ſuis locis fieri permiſerint, aut quantum in ſe fuerit, non prohibuerint, quas pœnas incurrunt?fol.146.n.76.

Principes poſſunt ne in caſu extraordinario, ad maiora vitanda mala, duellum permittere?fol.146.n.77.& 78.

Princeps Chriſtianus,qui in ſuo ſtatu duobus infidelibus locum cõcederet duellandi, incurreret ne excommunicationem? fol.147.n.79.

Pœna priuationis iuriſdictionis, & dominij Ciuitatis,Caſtri, aut loci ab Eccleſia obtenti,vt à Principe, & ab alijs, in Conc. expreſſis, incurratur ob duelli permiſſionem,indiget ne Iudicis ſentẽtia?fol.148. n.80.

Abſolutio excommunicationis latæ contra duellantes, & ad duellum cooperãtes, eſt ne Summo Pontifici reſeruata? fol.148.n.81.

Quando duellum emiſſum, eſt occultum, poteſt ne Epiſcopus eius excommunicationem abſoluere? fol.148.n.82.

Quando dicitur duellum occultum,ità vt illius excommunicatio abſolui poſſit ab Epiſcopo? fol.148. n.83.

Qui excommunicationem ſupradictam cõtraxit, & ob legitimum impedimentum adire non poteſt Papam, poteſt ne ab Epiſcopo abſolui?fol.149.n.84.

Regulares poſſunt ne abſoluere excommunicationem, ob duellum contractã, virtute ſuorum priuilegiorum?fol.149. n.85. & 86.

Prouocantes,vel ad duellum cooperãtes, poſſunt ne abſolui ab excommunicatione à Regularibus,virtute priuilegiorum,duello non ſequuto?fol.150.n.87.

Excommunicatio per duellum contracta, poteſt ne abſolui per Bullam Cruciatæ? fol.150. n.88.

CAP. XIX.

De quarta ſpecie Superſtitionis, quæ eſt vana obſeruantia. fol. 150.

Quid eſt Superſtitio vanæ obſeruantiæ? fol.150. n.1.

Hæc vana obſeruantia,in quo differt à diuinatione? fol.151. n.2.

In quo conſiſtit huius ſuperſtitionis malitia,& eſt ne graue peccatum? fol. 151. num. 3.

Hæc vana obſeruantia eſt ne ſemper peccatum mortale, vel aliquando eſt veniale? fol.151.n.4.

Hæc vana obſeruantia continens ſolum pactum tacitum cum Dæmone, ratione paruitatis materię,excuſatur ne à mortali peccato? fol.152. n.5.

Quot ſunt ſpecies vanæ obſeruantiæ? fol. 152.n.6.

CAP. XX.

De vana obſeruatione artis notoriæ. fol.152.

Quidnam

Quidnam eſt ars notoria? fol. 152. n. 1.
Vſus huiuſmodi vanæ obſeruantiæ, & artis notoriæ ad ſcientiam acquirendam, eſt ne mortale peccatum? fol. 152. n. 2.
Dæmon poteſt ne alicui ſcientias ſubitò infundere? fol. 153. n. 3.
Qui alicuius rei ſcientiam à Dæmone acquiſiuit, poteſt ne illa vti? fol. 153. n. 4.
Qui ſtudendo, & faciendo, quod in ſe eſt, ad ſcientiam acquirendam, ſimul vteretur vanis obſeruantijs, committeret ne ſuperſtitionem? fol. 153. n. 5.
Qui ad inquirendam aliquam ſcientiam, profert illa verba *Pſal.* 50. *In certa, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*; eſſet ne ſuperſtitioſus? fol. 154. n. 6.
Appetere ſcire magicas ſcientias, vel ſimiles, eſt ne mortale peccatum? fol. 154 num. 7.

CAP. XXI.

De vana obſeruatione Sanitatis. fol. 154.

Quænam eſt vana obſeruantia Sanitatis? fol. 154. n. 1.
Adhibere medicamenta naturalia, & vtilia, cum vanis circumſtantijs, eſt ne ſuperſtitioſum, & illicitum? fol. 154. n. 2.
Quando dubitatur, an effectus excedat vires cauſæ naturalis, præſumendum ne eſt prouenire à cauſa naturali, an à ſuperſtitione? fol. 155. n. 3.
Eſt ne ſuperſtitioſus ille modus medendi, quo vulnus in loco, etiam diſtanti, breuiſſimè curatur, applicando medicamentum lineis petijs vulnerati ſanguine tinctis? fol. 155. n. 4.
Vtens hoc medendi modo, eſt ne denunciandus Sancto Inquiſitionis Officio? fol. 155. n. 5.
Sunt ne aliqui habentes naturalem vim, curandi aliquos morbos, ſolo tactu, uel eorum ſaliua, aut ſimili modo, nec ſint ſuperſtitioſi? fol. 155. n. 6.
In his caſibus quonammodò agnoſci poteſt, an Dæmon in eis operetur; ità vt actus ſint ſuperſtitioſi? fol. 156. n. 7.
Enſalmatores, ſeu Salutatores, qui grauitèr vulneratos curant, ſignãdo tres cruces ſuper vulnus, dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. cũ quadã inhalatione, & deindè benedicũt vinũ, & oleum his verbis: In nomine Sanctiſſimæ Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti: Beata Virgo ſalua virginitate peperit Dominum noſtrum. Per Myſterium iſtud altiſſimum, ſupplico diuinæ Maieſtati, vt hoc oleum, & uinũ benedicere dignetur, ad vulnerum curationem, per iſtorum ſanctisſimorum verborũ virtutem, ſunt ne ſuperſtitioſi? fol. 156. n. 8. & 9.
Salutatores, ſeu Enſalmatores, ſunt ne vt ſuperſtitioſi damnandi, vel ſunt admittendi, vt mederi poſſint? fol. 157. n. 10.
Qui ità occultè, & artificioſè vtitur remedijs naturalibus, in curandis morbis, vt ſine illis operari videatur, & hoc facit, vt in maiori ſit admiratione, committit ne ſuperſtitionis peccatum? fol. 158. num. 11.
Si notitia virtutis efficacis alicuius medicamenti originem habuit, non à peritis medicis, ſed à Dæmone, eſt ne licitum illo vti? fol. 158. n. 12.
Vtens remedijs non naturalibus ob aliorum traditionem, & experientiã abſq; Dæmonis conſortio, vel pacto, poteſt ne excuſari à peccato ſuperſtitionis? fol. 158. n. 13.
Sunt ne damnandi Salutatores, qui dicũt ad exercendum ſuæ virtutis vſum requiri nimium vini potum? fol. 158. num. 14.
Sunt ne damnandi Salutatores, qui dicũt, ſe coram altero Salutatore, maiorem ſanãdi virtutem habente, ſanare quempiam non poſſet? fol. 159. n. 15.
Sunt ne damnandi Salutatores, qui dicũt, eorum ſigna, & verba, licet de ſe videãtur nullam virtutem habere, illam tamen efficacem, accipere ab efficacitate imaginationis, aut affectus ipſius hominis operantis illa mira opera? fol. 159. n. 16. vſq; in finem capitis.

CAP. XXII.

De vana obſeruatione ſacrarum rerum, & verborum. fol. 160.

Sub

Sub nomine ſacrarum rerum, & verborũ quid comprehenditur? fol. 160. n. 1.

In quo differt ſuperſtitio cum abuſu rerum ſacrarum ab alijs ſuperſtitionibus? fol. 161. n. 2.

Applicans medicamentum naturale, ad curandum morbum, cum admiſtione alicuius rei ſacræ, vel ſacrorum verborum, eſt ne ſuperſtitioſus, & tãquam de hæreſi ſuſpectus, Officio Sanctæ Inquiſitionis denunciandus? fol. 161. nu. 3. & 4.

Qui nullam infirmo applicaret medicinã naturalem ad ſanitatem conſequendã, ſed ſolas res ſacras, vel preces, vel adiurationes, exiſtimans per illas ſolas infirmum eſſe ſanaturum, committeret ne ſuperſtitionem, ac ſortilegium? fol. 162. num. 5.

Recitare certas orationes, vel portare aliqua Sanctorum nomina, credendo in bello nunquam eſſe vulneraturum, vel violenta, aut repentina morte periturũ, vel benè fortunatum futurum, eſt ne mortale ſortilegium? fol. 162. n. 6. & 7.

Verbis ſacris ſerpentes incantare, eſt ne ſuperſtitioſum? fol. 163. n. 8. & 9.

Qui expertus eſt, eſſe efficax remediũ pro morbis curandis, recitare ter verba illa *Pſal, 115. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*, vt in dicto Pſalmo affirmat Caſſiodorus, eſt ne ei licitũ illa trina repetitione in morbis vti? fol. 163. n. 10.

Eſt ne ſuperſtitio illicita in colligendis herbis, vel floribus, aut fructibus, vel in cuſtodiendis animalibus, vti certis verbis ſacris, vt quidquid malum in illis eſt, auferatur? fol. 163. n. 11. & 12.

Quænam aliæ vanæ ſupplicationes fieri ſolent, quæ ſunt vitãdæ ſuperſtitiones? fol. 164. n. 13. 14. 15. 16. & 17.

Qui manus celeritate, vel quadam arte, vt id, quod efficit, non percipiatur ab aſtantibus, vtitur uerbis ſacris, non ad effectum faciendum, ſed ad illudendos aſtantes, eſt ne ſuperſtitioſus, & peccat ne mortaliter? fol. 165. n. 18.

Eſt ne ſuperſtitioſum applicare Angelis nomina illa *Raguel, Tubiel, Adimis, Tubas, Simibel, Vriel, Scaltiel, Iehudiel, &* *Barachiel*? fol. 165. n. 19.

Eſt ne ſuperſtitio hæreticalis illa, quæ efficitur ad inuenienda furta. Cùm puella virgo, habens cæreum accenſum in manu, ponitur antè phialam aquæ plenam, profert hæc verba: *Angelo bianco, Angelo Santo, per la tua ſantità, e per la mia virginità, moſtrami chi hà tolto la tal coſa*? fol. 165. n. 20.

Eſt ne ſuperſtitio hæreticalis dicere. Si N. Sanctus eſt, vel Beatus, liberet te Deus per illius intercesſionem? fol. 166. n. 21.

Superſtitio facta cum hoſtia nõ conſecrata, ſuper quam celebrata ſit Miſſa, eſt ne hæreticalis? fol. 166. n. 22. 23. & 24.

Quotuplicitèr agnoſci poteſt in abuſu ſacrorum verborum, vel aliarum rerum, ineſſe tacita Dæmonis inuocatio? fol. 167. n. 25.

Eſt ne licitum rebus vanis, & ſuperſtitioſis vti cum proteſtatione, animum non habere conſequendi effectũ, ſi ex Dæmonis pacto ſit obtinendus? fol. 167. n. 26.

Ludus ille, qui *Paſſa paſſa* vocatur, eſt ne ſuperſtitioſus? fol. 168. n. 27.

C A P. XXIII.

De vana obſeruatione futurorum euentuum. fol. 168.

Qui ex aliquo fortuito accidenti coniectat bonum, vel malum futurum, peccat ne mortalitèr, an venialitèr? fol. 168. num. 1.

Obſeruatio dierum fauſtorum, & infauſtorum, eſt ne ſuperſtitioſa, & illicita? fol. 168. n. 2.

Obſeruare dies, menſes, & annos ad negotia aggredienda, eſt ne ſuperſtitioſum? fol. 169. n. 3.

Mulierculæ, quæ nuptiarum auidæ, in nocte S. Ioannis Baptiſtæ aliquas orationes recitant, vt eis manifeſtetur, cui nubere debeant, peccant ne mortalitèr? fol. 169. n. 4.

Luſores, qui vel locum ludendi, mutant, aut tantiſper ſurgunt, ad malam fortunam, vt ipſi dicunt, abijciendam; vel conſulunt Aſtrologos, vt eis manifeſtẽtur dies, in quibus in ludo lucraturi

ſunt,

ſũt, peccant ne mortalitèr? fol. 169. n. 5.
Eſt ne vana ſuperſtitio fidem pręſtare prędictionibus futuris, quæ aliquando à morientibus fiunt? fol. 169. n. 6.

C A P. XXIV.

De Magia, & Sagis, ſeu Lamijs. fol. 170.

Quid, & quotuplex ſit Magia? fol. 170. num. 1.
Quonammodo agnoſci poteſt, an aliqua operatio, ad magiam naturalem, vel ad ſuperſtitioſam pertineat? fol. 170. n. 2.
In dubio an effectus oriatur à cauſa naturali, vel à magia ſuperſtitioſa; quid eſt iudicandum? fol. 171. n. 3.
Magia ſuperſtitioſa, quàm graue peccatũ eſt? fol. 171. n. 4.
Magia non naturalis, eſt ne ſuperſtitio hęreticalis? fol. 171. n. 5.
Cum magia admiſcentur ne alia crimina, à Confeſſarijs, & à Iudicibus omninò interroganda? fol. 172. n. 6.
In magia datur ne paruitas materiæ excuſans à mortali? fol. 172. n. 7. & 8.
Magus, qui ſuo chyrographo fidei renunciauit, & Dæmonis obſequio ſe dicauit; quomodo poteſt hoc pactum diſſoluere, abſq; ſui chyrographi receptione? fol. 172. n. 9.
Quare in magia plerumque fœminæ, rarò viri exercẽtur, & peccant? fol. 173. n. 10.
Quare huiuſmodi nefariæ fœminæ Magicæ, Lamiæ, Striges, Maleficæ, & Sagæ vocentur? fol. 173. n. 11.
Lamiæ, & Striges, portãtur ne verè à Dæmone de loco ad locũ, breuiſſimo temporis ſpatio, vel ſolùm per phãtaſiæ illuſionem hoc illis accidit? fol. 173. nu. 12. 13. 14. & 15.
Poſſunt ne Dęmones acceſſum venereum ad mulieres habere, & fieri incubi, & ſuccubi? fol. 174. n. 16.
Magi, Lamiæ, ſeu Striges poſſunt ne per Dæmones miracula operari? fol. 175. num. 17.
Si Dæmon non poteſt miracula facere, quarè Pythoniſſa ad preces Saul, Samuelem mortuum ſuſcitauit, qui euentum futuri belli, & Sauli, & filiorum mortem prædixit? vt legitur 1. *Reg.* 28. fol. 175. n. 18. & 19.
Magi Pharaonis nõnè incãtationbus, ſuis miracula fecerunt: quando ſicut Moyſes conuerterunt virgas ſuas in dracones, & aquam in ſanguinem, & eduxerunt ranas in terram Aegypti? *Exodi* 7. *&* 8. fol. 176. n. 20. & 21.
Quare ergo permiſit Deus, vt quæ miraculosè fiebant à Moyſe, eadem fierent à Magis? fol. 176. n. 22.
Quænam ergo tranſmutationes ope Dæmonis fieri poſſunt in homine à Magis? fol. 177. n. 23. 24. vſq; ad 29.
Quomodo agnoſci poſſunt apparitiones; an ſint à malo, vel à bono ſpiritu? fol. 178. n. 30.
Magi, & Lamiæ poſſunt ne Dæmonis ope theſauros occultos detegere, & opes mari proiectas, eruere? fol. 179. n. 31.
Theſaurus arte magica inuẽtus, ad quem ſpectat? fol. 179. n. 32.
Theſaurus arte magica inuentus, eſt ne in conſcientia ſtatim reddendus Fiſco, vel poſt Iudicis ſententiam? fol. 179. n. 33.
Theſaurus arte magica in fundo alieno inuentus, non conſentiente Domino, ſed ipſo inſcio, cui adiudicandus eſt? fol. 179. n. 34.
Bona fortunæ arte magica acquiſita, poſſunt ne licitè teneri? fol. 180. n. 35.
Ars alchymica, per quam metalla viliora in argentum, vel aurum tranſmutãtur fieri ne poteſt naturalitèr, & abſq; arte magica? fol. 180. n. 36. 37. & 38.
Licet ne vendere aurum, vel argentum alchymicum, pro vero argento, & auro? fol. 171. n. 39.

C A P XXV.

De ſuperſtitioſis maleficijs. fol. 181.

Quid, & quotuplex eſt maleficium ſuperperſtitioſum? fol. 181. n. 1.
Præbens poculum amatorium, ad tentandam mulierem, poteſt ne illius voluntatem ad libidinem cogere? fol. 182. num. 2.
Quare erg o nonnullæ mulieres, & viri ex vio-

violentia magicę artis,ad turpitèr amãdum,& ad libidinem deflexerunt,vt dicitur in *l.Eorum*, *C. de maleficijs*, & refertur ab Azorio *par.1.lib.9.c.2.q.1.* & ab alijs? fol.182. n.3.

Ergo, dices, nulla eſt vis maleficij amatorij?Quomodo igitur nonnullę mulieres,& viri,magicæ artis vi, ad amãdam certam perſonam,deflexerunt?fol.182. num. 4.

Amatorium poculum ad tentandum hominem ad impudicum amorem, eſt ne ſortilegium hæreticale? fol.183.n.5.

Eſt ne licitum vti maleficio ob finem bonum: E.g. ne fructus terræ, vi ventorũ, vel grandinum diſſipentur,vel ne locuſtæ, & bruchi pratis,& oleribus noceãt, vel ne delictum remaneat non verificatum, & impunitum, & ſimilia? fol. 183. n.7.

Licet ne Dæmoni petere,vt ceſſet maleficio vexare? fol.183. n.8.

Eſt ne aliquando licitum maleficium maleficio tollere?fol.184.n.9.

Ad maleficium tollendum eſt ne mortale peccatum, vti medijs vanis, & non naturalibus? fol. 184.n.10.

Licet ne petere à malefico parato, maleficium,maleficio ſoluere, vt maleficium ſoluat?fol.184.n.11.

Quare licitum eſt petere mutuum ad vſuram ab vſurario, dare parato, & iuramentum ab infideli, qui paratus eſt iurare per falſos Deos;& non licet exigere à parato ſoluere maleficium maleficio,vt maleficium tollat? fol.185.n.12.

Si vnicuiq;licitũ eſt,rem ſibi furtiuè ablatam,vi eripere, quando alitèr illam recuperare nequit. Quare ſimilitèr maleciatus non poteſt, non ſolùm precibus, ſed etiam vi à malefico ſalutem perditam extorquere? fol.185.n.13.

Ex quibus ſignis argui poteſt aliquem eſſe maleficio læſum? fol.185.n.14.

Eſt ne licitum petere à malefico,vt maleficium ſoluat,deſtruendo ligaturas,nodos,volumina capillorum,& alia ſigna, ex quibus maleficium per Dæmonis pactum dependet? fol.186.n.15.

Magus, qui maleficium fecit, & poteſt illud deſtruere abſq; nouo maleficio, & noua Dæmonis inuocatione, poteſt ne cogi, ad illud deſtruendum? fol.186. num. 16.

Eſt ne licitum petere à malefico, ut maleficium ſoluat, ſi poteſt modo licito illud ſoluere; ſed conſtat petenti,illum modo illicito fore vtendum? fol.187. num.17.

Poteſt ne permitti, ſolutionem maleficij ab eo fieri, qui nolit, niſi per aliud maleficium illud ſoluere? fol.187.n.18.

Poteſt ne alter maleficus interrogari, an ſciat,in quo conſiſtat maleficium,vt illud deſtruatur? fol.187. n.19.

Si petens dubius ſit,an maleficus ſciat,uel poſſit,licito modo maleficium ſoluere: eſt ne ei licitum, ſolutionem maleficij ab eo petere?fol.188. n.20.

Eſt ne licitum maleficium tollere, ſi adſit pactum cum Dæmone, illud non tolli ſine malefici, vel alterius tertij graui damno?fol.188.n.21.

Si Dæmonis pactum cum malefico ſit: ſi hoc ſignum poſueris, nocebo; ſi autem loco illius talem rem poſueris, nõ amplius nocebo. Eſt ne licitũ, ne amplius Dæmon noceat, rem illam, ab ipſo ordinatam,ponere, ad maleficium tollendum? fol.188. n.22.

Maleficium tollere modo ſupradicto, eſt ne ſolum licitum,vel ſub præcepto?fol. 189. n.23.

Maleficium committens, vel committere faciens, tenentur ne ad reſtitutionem damni illati? fol.189.n.24.

Hæc reſtitutionis obligatio, extinguitur ne ſi maleficus corporalitèr puniatur? Et ſi morti damnetur,tranſit ne ad eius hæredes? fol.189.n.25.

Qui aliquod bonum, ſiue corporis, ſiue fortunæ ex vſu magiæ à Dæmone acquiſiuit, ad quid tenetur? & poteſt ne illud retinere?fol.190.n.26.& 27.

C A P. XXVI.

De licitis remedijs contra maleficia. fol. 190.

Quibus remedijs licitè vti poſſumus ad expellenda maleficia? fol.190.n.1.vſq;

CAP.

C A P. XXVII.
De Confeſſario Malefici, vel Sortilegi. fol. 192.

Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius circa pœnitentes maleficos, ac ſortilegos? fol. 192. n. 1.
Si maleficus, ac ſortilegus ſit ab Inquiſitore, præuia abiuratione abſolutus, tenetur ne Confeſſario commiſſa maleficia, & ſortilegia confiteri? fol. 192. n. 2.
Confeſſarius exigere ne debet à ſortilego, ſeu malefico ante abſolutionem iuramentum, nunquam ſimile crimen committendi? fol. 192. n. 3.
Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius cum Saga, aut Sortilego, vel quolibet reo conſtanter affirmante ſe non eſſe, nec Sortilegum, nec Sagam, nec vllo modo reum: ſed tormentorum vi, crimen falsò in iudicio ſibi impoſuiſſe? fol. 194. n. 10. & 11.
Confeſſarius ſi ex confeſſione complicis, vel extrà confeſſionem, certò ſciat, aliquem feciſſe ſortilegium, vel maleficiũ, & ille in confeſſione neget illud cõmiſiſſe, debet ne illũ abſoluere, & Sanctã Euchariſtiã ei miniſtrare? fol. 195. n. 12.
Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poteſt ne abſoluere magum, ſeu maleficũ, aut ſortilegum? fol. 195. n. 13.
Epiſcopus poteſt ne à ſortilegijs, & maleficijs, hæreſim ſapientibus, abſoluere? fol. 196. n. 14.
Confeſſarius, qui fuit ſocius maleficij, aut ſortilegij, poteſt ne validè maleficum, aut ſortilegũ abſoluere? fol. 196. n. 15.
Tempore Iubilei, poteſt ne Confeſſarius ſuum ſocium talis criminis abſoluere? fol. 195. n. 16.

C A P. XXVIII.
De reſeruatione caſus Maleficij, aut Sortilegij. fol. 196.

Quibus verbis inter caſus Epiſcopales reſeruari ſolet crimen maleficij, & ſortilegij. fol. 197. n. 1.
Malefici, & Sortilegi procurantes res ſacras, ad facienda maleficia, & ſortilegia, ſed illas non recipientes, incurrunt ne in ſupradictam reſeruationem, & excommunicationem? fol. 197. n. 2.
Abutentes ad maleficia, & alios fines illicitos, aqua benedicta, thure, candelis, palmis benedictis, vel paramentis ſacerdotalibus, & linteaminibus Altaris, incurrunt ne in dictum caſum reſeruatũ, & excommunicationẽ? fol. 197. n. 3.
Recipiens rem ſacram ad finem illicitum, ſi poſteà ea re non abutatur, incurrit ne in dictam reſeruationem, & excommunicationem? fol. 197. n. 4.
Dans, vel recipiens particulam conſecratam, vt ſecum illam retineat, aut portet ad repellendas tentationes, vel ad vitandam mortem violentam, incurrit ne in dictum caſum? fol. 198. n. 5.
Si quis habita notitia theſauri abſconditi, deferret ibi ſanctiſſimum Sacramentum, ad fugandos Dæmones, cuſtodiẽtes theſaurum, incurrit ne in dictum caſum reſeruatum, & excommunicationem? fol. 198. n. 6.
Qui abſque conſenſu voluntario, ſed ex graui timore, ab aliquo incuſſo, exhiberet cultum ſacrum Dæmoni, actu tãtum externo, incurreret ne dictum caſum reſeruatum, & excommunicationem? fol. 198. n. 7.
Qui Dæmoni exhiberet non cultum ſacrum, ſed profanum, ſeu politicum, ſolitum exhiberi hominibus in dignitate conſtitutis, incurreret ne in dictam reſeruationem, & excommunicationem? fol. 198. n. 8.

C A P. XXIX.
De facultate abſoluendi maleficos, & alios de hęreſi ſuſpectos. fol. 199.

Quinam poſſunt abſoluere in foro conſcientiæ à peccato reſeruato, & ab excommunicatione, ob commiſſum maleficium, vel aliud ſortilegium? fol. 199 n. 1. 2. & 3.
Si maleficus, vel quilibet alius ſit hæreticus occultus, poteſt ne ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore S. Officij abſolui in foro conſcientiæ? fol. 200. n. 4. 5. 6. & 7.
Quid ergo facere debet maleficus, aut ſortilegus, vel quilibet alius hæreticus oc-

occultus,dum nec ab Epiſcopo,neque ab Inquiſitore abſolui poteſt in foro conſcientiæ? fol.102. n.8.& 9.
Ratione periculi, ſiue articuli mortis,poteſt ne quis à ſupradicto caſu reſeruato, & excommunicatione à quolibet Confeſſario,vel Sacerdote abſolui?fol. 202.n.10.& 11.
Quando autem quis dicitur eſſe in periculo mortis, ità ut ab omnibus peccatis,& cenſuris,etiam reſeruatis, abſolui poſſit à quolibet Sacerdote? fol. 203. n.12. vſque ad 18.
Maleficus,ſeu quiuis alius,qui in periculo, vel articulo mortis, fuit à peccatis, vel cenſuris abſolutus; ſi poſteà mortis periculũ euaſerit; tenetur ne ad Superiorẽ recurrere,vt ab illis reſeruatis iterũ abſoluatur? fol. 205.n.19.20.& 21.
In articulo,ſeu periculo mortis,poteſt ne etiam Sacerdos ſuſpenſus, vel excommunicatus, vel irregularis, vel degradatus, aut hæreticus abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris ſortilegos, & alios? fol.206.n.22.23.& 24.
In caſibus Summo Pontifici reſeruatis, quando ratione articuli, vel periculi mortis,non eſt recurſus ad Pontificem, eſt ne adeũdus Epiſcopus pro illorum abſolutione?fol.207.n.25.
Si deficiente Confeſſario approbato,ſimplex Sacerdos cœpit audire confeſſionem conſtituti in periculo mortis; & ante finem cõfeſſionis ſuperueniat Cõfeſſarius approbatus, vel Superior,cui caſus non eſt reſeruatus; poteſt ne ſimplex ille Sacerdos inceptam confeſſionem perficere? fol.208. n.26.
Eſt ne idem dicendum, ſi caſus haberet annexam excommunicationem reſeruatam; & ante abſolutionem ſuperueniret Superior, cui excommunicatio non eſſet reſeruata?fol.208. n.27.
Conſtitutus in articulo,ſeu periculo mortis, qui per ſe non poteſt Superiorem adire,ſed poteſt per literas,aut perCõfeſſarium, vel alium nuncium petere facultatem, vt à reſeruatis abſoluatur, tenetur ne ad illam obtinendam, aliquem iſtorum mittere? fol.209.n.28.
Maleficus, ſeu quiuis alius habens excõmunicationẽ reſeruatam ſi in articulo, ſeu in periculo mortis abſoluatur,tenetur ne Confeſſario,iuramentum præſtare,ſe præſentandi Superiori,ſi cõualuerit,vel periculũ euaſerit? fol.209.n.29.
Conſtitutus in periculo mortis,ſi poſtquã ab excõmunicatione abſolutus fuit,periculũ euaſit,poteſt ne per procuratorẽ ſe Superiori præſentare? fol.210. n.30.
Sortilegus, ſeu quilibet alius excommunicatus, qui in articulo mortis obmuteſcens, nullum dedit contritionis ſignum,poteſt ne ab excommunicatione abſolui? fol.210. n.31.
Sortilegus, ſeu alter excõmunicatus moribundus, poteſt ne ob abſentiam Sacerdotis à non Sacerdote,vel laico, ab excommunicatione abſolui? fol. 210. n.32.33.34. & 35.
Sepelientes in loco ſacto excommunicatum abſolutum ab excommunicatioae à laico in articulo mortis vt ſuprà, incidunt ne in excommunicationem latã *in c.Sacris de ſepulturis*? fol.211. n.36.

CAP. XXX.

De adiuratione, & exorciſmis contra Dæmones. fol.212.

Quid,& quotuplex eſt adiuratio?fol.213. n.1.& 2.
Vt adiuratio ſit iuſta,& honeſta,quas cõditiones expoſtulat? fol.213.n.3.
Quinam adiurare,& adiurari poſſunt? fol. 213.n.4.5. & 6.
Adiurantur nè vniformitèr,an diuerſimodè, creaturæ rationales, & Deus? fol. 214. n.7.
Adiurare creaturas irrationales, dirigendo ſermonem,neque ad Deum,neq; ad Dæmones; ſed ad ipſas creaturas per ſe; vt nobis nocentes,nè noceant; eſt ne ſuperſtitioſum peccatum? fol.214. n.8.
Eſt ne ſuperſtitioſum peccatum, ad fugãdas locuſtas, ne frugibus terræ noceãt: conſtituere Iudicem, accuſatorem, & Aduocatum,ac Procuratorem,ad dirimendam litem inter ipſas locuſtas, & terræ poſſeſſores, vel cultores; & auditis partibus proferre ſententiam, vt locuſtæ excommunicentur,& anathema

tizen-

tizentur? fol.214. n.9.

Eſt ne homini licitum adiurare Dæmones? fol.215. n.10.

Quid requiritur, vt Dæmones licitè adiurentur? fol.215.n.11.12.& 13.

Adiurare Dæmones,non deprecando,ſed præcipiendo, vt aliquod obſequium, vel beneficium præſtent;quodnam peccatum eſt? fol.216. n.14.

Eſt ne licitum,Dæmonem ſuperiorem adiurare, vt Dæmones inferiores ab obſeſſi corpore expellat? fol.216. n.15.

Dæmon,per quam corporis partem ingreditur, & egreditur, & in qua reſidet in energumeno? fol.216.n.16.

Quibus ſignis dignoſcitur aliquem eſſe maleficio læſum, & à Dæmone obſeſſum? fol.217.n.17.

Cur permittit Deus, vt aliquando homines à Dæmonibus per maleficia vexētur? fol.217.n.18.19.& 20.

Dæmones poſſunt per ſe in hominū corporibus intrare, & illa torquere; quare ergò plerumq; operibus maleficorum vtuntur? fol.218.n.21.

Dæmones, quam poteſtatem habent in energumenos, ſeu dæmoniacos? fol. 219.n.22.

Eſt ne licitum,Dæmonem, in energumeno exiſtentem, exorciſmis cogere, vt tollat eius maleficium? fol.219. n.23.

Exorciſmi habent ne vim eijciendi Dæmones ex opere operantis, vel ex opere operato? fol.219.n.24.

Quare ergo energumeni exorcizati, non ſemper à Dæmonibus infallibilitèr liberantur? fol.219.n.25.

Quomodo immittuntur in corpore energumeni illa, quæ aliquando ab eis per os eijciuntur, nempè ſpinæ,oſſa,ligna, ſaſſa,glomi pilorum,acus,cultri, & alia ferramenta? fol.220. n.26.

Clericus exorciſta,poteſt ne,præſente Sacerdote,& inuito, energumenum exorcizare? fol.220.n.27.

Licet ne Exorciſtæ Dæmonem interrogare de maleficij auctore in energumeno? fol.220. n.28.

Exorciſta poteſt ne Dæmonem interrogare; in quo conſiſtat obſeſſi maleficium, vel quæ ſit eius infirmitatis cauſa, & quale eius remedium? fol.221.n.29.

Licet ne aliquid à Dæmone inquirere ad Dei gloriam, & aſtantium vtilitatem? fol. 221.n.30.

Eſt ne mortale peccatum, Dæmonem, in energumeno exiſtētem, interrogare ex curioſitate de rebus inutilibus, & vanis? fol.221. n.31.

In adiuratione quidnam licet, Dæmonem interrogare,vt ab obſeſſi corpore exeat. fol.222.n.32.

Licet ne petere ſignum à Dæmone, quo ipſe teſtetur, ſe à corpore obſeſſi exire; & nunquā in eo reuerti. fol.222. n.33.

Exorciſta poteſt ne licitè,dæmoniacū,ſputo, alapis, & flagellis percutere, vel fumo mali odoris moleſtare? fol.222.n.34

Si Dæmones remedijs corporalibus ab energumenis non expellātur; quare Raphael *Tobiæ cap.6.*dixit de immani illo piſce: *Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum*? fol.223. n.36.

Eſt ne licitū Exorciſtæ præcipere Dæmoni ſub pœna excommunicationis,vt ab obſeſſi corpore exeat? fol.224. n.38.

Poteſt ne Exorciſta Dæmoni præcipere,vt abeat in locū deſertum, vel in Infernū, & indè ne egrediatur? fol.224.n.39.

Poteſt ne Exorciſta, Dæmoni petenti,ne in Infernū relegetur, vel ne nouis cruciatibus afficiatur,conniuere,vt ab obſeſſi corpore egrediatur? fol.224.n.40.

Si Dæmon, vt exeat ab obſeſſi corpore, aliquod opus bonum præſcribat, eſt ne illud faciendum? fol.224.n.41.

Vno Dæmone expulſo, expelluntur ne omnes,qui ſunt in obſeſſi corpore? fol. 225.n.42.

In Dæmonis adiuratione,poſſūt ne Exorciſtæ aliquando eſſe de ſuperſtitione ſuſpecti? fol.225.n.43.

Quomodo adiuranda eſt domus,quæ Dæmonum infeſtatione vexatur,vt ab ea ipſi expellantur? fol.225.n.44.

Exorciſta poteſt ne Dæmoni imperare, vt det ſignum aliquod ſui egreſſus ab obſeſſi corpore, & quod nunquam ſit indè regreſſurus? fol.226.n.45.

TRA-

TRACTATVS
DE SVPERSTITIONE
PARS PRIMA.

PROOEMIVM.

DÆmon, inuidus Dei emulator, ſuper aſtra Cœli exaltare ſolium ſuum, & Altiſſimo ſimilem fieri, præſumens,ad infima Terræ pœnalia præcipitatus, non didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, ambitionem reprimere; Superbia namque eius aſcendit ſemper, magis, magiſque diuina concupiſcens. Sed illa, cum Angelis pugnando, aſſequi non valens, ad homines fraudulenter pugnam conuertit, vt propriæ indulgeat ſuperbiæ. Quarè ignota diuinare, futuraq; prænunciare,promittens, ad nefarios ſuperſtitioſos actus,eos inducere, conatur. Futura autem,ac ignota prænoſcere, ſolius Dei proprium eſt. Vndè Iſaias cap.41.ait: *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis.* Ideò Dæmon, vt diuinitate ſe præditum eſſe, ſimulet; verſutia quadam futura coniectat, & occulta indebito modo reuelando, quod diuinum eſt, ſibi tribuit,& vſurpat; vt homo, qui ad agnoſcenda futura, & incognita naturalitèr eſt propenſus, ipſi Dæmoni pro illorum notitia ſe mancipet; vel ſacrificia offerendo, vel eius auxilium, ad aliquid faciendum, uel ſciendum, expreſsè, uel tacitè inuocando. Inuocans enim, & deprecans Dæmonem, illi præſtat obſequium, honorem, cultumque latriæ, qui ſoli Deo debetur; vt docent Eymericus *in direct. Inquiſit. par.2. quæſt.43. n.5. & ſequ.* & omnes Doctores communitèr. Callidè etiam Dæmon hominem decipit, & excœcat,ne reſpiciat decipientis vanitates, & inſanias falſas. Certùm enim eſt; uanam, falſamque futurorum inquiſitionem eſſe à Dæmone, qui mendax eſt, & hominis crudelis inimicus, &, ut ait Angelicus Doctor 2.2. *quæſt.* 95. *art.* 5. *Nihil magis intendit, quàm hominum perditionem ex eius reſponſis: etſi aliquando vera dicat, intendit tamen homines ad hoc aſſuefacere, vt ei credatur, & ſic eos perducere in aliquid, quod ſit humanæ ſaluti nociuum?* Ità D. Thomas. Ne igitur homines, ſuperſtitionum uanitates, & inſanias falſas requirant; et ſciant maximè vitioſum eſſe quidquid à veri Dei cultu auertit, Tractatum de Superſtitione aggredior. In cuius accurata diſceptatione, non quæram doctrinarum futilem nouitatem; verùm ſoliditatem, quæ enim ex Claſsicis, ac grauiſsimis Doctoribus diligentèr collegi, hæc ſincerè referam.

CAPVT I.

Quid ſit Superſtitio, & quot eius Species?

Superſtitionis nomen vndè dictum, & quid ſignificat?

Reſpondetur varias eſſe hius nominis Ethymologias. Cicero enim *lib. 2. de nat. Deor.* exiſtimauit nomen Superſtitionis deriuatũ eſſe à voce Superſto, ſeu Superſtes: quia ſuperſtitioſi vocabantur, qui nimis aſſidui erāt, precantes, & immolantes Dijs, vt eorũ liberi ſibi ipſis ſuperſtites forent: Vel vt refert Lactantius *lib. 4. diuinarum inſtitutionum c. 28.* qui ſuis parẽtibus ſuperſtites, relictis veteribus Dijs, parentũ imagines domi tanquã Deos colebant. Epicurei, vt notat Suar. *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 1. n. 1.* Superſtitionẽ vocari æſtimarunt vanum cultũ Dei: putabant enim Deum nullam habere prouidentiam humanarum rerum; ideò omnem Dei cultum eſſe ſuperſtitioſum credebant. Alij, vt ſcribit Iſidorus *lib. 8. Ethimol. c. 3.* Superſtitionem dictam eſſe à ſuperſtando, affirmabãt, quaſi ſuperſtitio ſit cultus deſuper ſtantium, & eorũ qui ſuper nos ſunt. Lactantius *loc. cit.* exiſtimauit per ſuperſtitionis nomen intelligi debere cultum falſorum Deorum, & eos ſolos dicẽdos eſſe ſuperſtitioſos, qui falſos Deos colunt. Sed verius docent D. Thomas *2. 2. q. 92. ar. 1.* Syluęſter *verb. Superſtitio q. 1.* Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 1.* & cæteri cõmuniter ſuperſtitionem dici omnem uitioſũ cultũ, & ſuperſtitioſos eſſe, non ſolùm falſos Deos colentes; ſed etiam uerum Deum uitioſè uenerātes. Homines enim aliquando inordinato, & nimio deſiderio appetunt bonũ aliquod conſequi, uel malũ deuitare, vel alteri malum inferre; & videntes ſe hoc aſſequi non poſſe humana, & naturali diligentia, nec à Deo, & à Sanctis: auxiliũ, opemq; à Dęmone implorant; & vel cultũ ſoli Deo, & Sanctis debitũ ipſi Dæmoni deferunt: vel ipſum Deum, & Sãctos, indebitis modis, aut inordinato cultu interpellant, & venerantur. Et iſte vitioſus cultus propriè diciturſuꝑſtitio.

Qualis igitur eſt huius Superſtitionis definitio?

1 Reſp. cum D. Thoma *loc. cit.* & cum cõmuni Doctorũ ſententia: quod Superſtitio eſt vitiũ Religioni oppoſitũ ſecundum exceſſum; vel exhibẽdo cultum diuinum, cui non debetur; vel Deo cultũ exhibendo, indebito modo. Dicitur: Vitiũ; quia vitium eſt, quicquid declinat à medio virtutis. Superſtitio autẽ non ſeruat medium Religionis, verum Deũ, & debito modo ſolũ colendo. Ergo eſt vitiũ morale, & peccatum. Dicitur. Vitium Religioni oppoſitum, quia Religio debitũ cultũ ſoli vero Deo offert; Superſtitio autẽ, vel indebitũ cultũ Deo vero pręſtat; vel cultũ verum falſo Deo. Ergo eſt vitiũ Religioni oppóſitũ; Dicitur ſecundũ exceſsũ: Nõ quia Deũ, quis poſſit nimiũ colere, vel in eius cultu dari poſſit exceſſus: ſed quia ſuperſtitio excedit in exhibitione cultus diuini, vel cui nõ debet, vel indebito modo, cui debet: vt ex infra dicẽdis patebit.

Quot, & quę sũt Superſtitionis ſpecies?

2 Reſp. eſſe quatuor, nẽpè indebitus cultus veri Dei, Idololatria, Diuinatio, & Vana obſeruatio. Ità D. Tho. *2. 2. q. 92. ar. 2.* Nauarr. *c. 11. n. 22.* Sayrus *in Claui reg. lib. 4. c. 4.* & cõmunitèr alij Doctores. Quia vel colitur Deus indebito modo; & eſt ſuperſtitio indebiti cultus. Vel cultus diuinus exhibetur creaturę, eã loco Dei adorãdo; & eſt Idololatria. Vel diuinus cultus tribuitur creaturę, vt quis inſtruatur de futuris, aut de pręteritis, ac pręſentibus occultis, & dicitur Diuinatio. Vel quis cultũ tribuit creaturę, vt ab ipſa in ſuis actibus loco Dei dirigatur: & hæc vocatur Superſtitio vanæ obſeruationis.

CAPVT II.

De prima ſpecie Superſtitionis, ideſt de indebito cultu veri Dei.

Quonam modo Deo exhiberi poteſt indebitus cultus?

1 RESp. cum D. Thoma *ibidem q.93. art.1. & 2.* duplici modo. Vel quia cultus eſt pernicioſus, aut falſus. Vel quia eſt ſuperfluus, aut vanus. Cultus pernicioſus, & falſus eſt, quãdo quis Deum colit aliquibus cærimonijs, quæ falſitatẽ ſignificãt. Vt e.g. ſi quis vteretur cęrimonijs iudaicis, vel mahomettanis. Quia cærimoniæ iſtæ ſignificant rem falſam. Nam ſi ſunt Iudaicæ, ſignificant, Chriſtum nõ fuiſſe incarnatum, ſed eſſe venturum; quod eſt falſum. Et ſi ſunt Mahometanæ, ſignificãt Mohometum fuiſſe verum Prophetam, cũ falſus fuerit. Cultus ſuperfluus, & vanus eſt, quando aliquid fit, quod quantũ eſt de ſe, non pertinet ad Dei gloriam, nec vt mẽs hominis feratur in Deũ, aut quod carnis concupiſcentiæ moderatè refrenentur: aut etiã ſi ſit præter Dei, & Eccleſiæ inſtitutionẽ, vel contra cõſuetudinem cõmunẽ, quæ pro lege habenda eſt. Hoc totũ ait D. Tho. reputandũ eſt ſuperfluum, & ſuperſtitioſum. Et ità etiã Nauarrus *c.11.n.23.* Leſſius *lib.2.c.43. dub.1.n.2.* Sanchez *lib.2.in decal.c.37. n.1.* Valentia 2. 2. *diſp.6. q. 10. pun.2.* Thomas del Bene *de offic. Inquiſ. par.2. dub.219. ſect. 3. n. 3.* & alij. Exemplis oſtenditur. Si quis in Miſſa diceret ſępius *Alleluia*, vel *Kyrie eleiſon*, vel plures cruces faceret, quàm ab Eccleſia ordinãtur, vel diceret *Gloria*, aut *Credo*, quando ex inſtituto Eccleſię omitti debent, eſſet vtiq; cultus ſuperfluus. Item qui bis in die ſuſciperet Sanctiſſimam Euchariſtiam; illa ſecunda communio non contineret verum cultum, neq; honoraret Deum, etiam ſi eſſet tam vera communio, ſicut prior; quia dum non fieret debito modo, eſſet cultus ſuperfluus, ac ſuperſtitioſus. Et ſic de ſimilibus.

Cultus veri Dei ſuperſtitioſus, ratione indebiti modi, eſt ne ſemper mortale peccatum?

2 RESp. quod cultus pernicioſus, & falſus ſemper eſt peccatum mortale? quia vt ait Ioannes 4. *In ſpiritu, & veritate Deum oportet adorare.* Vndè qui Deum coleret cærimonijs Iudaicis, vel Mahometanis, mortalitèr peccaret, vt ait Diuus Auguſtinus *lib. de mendacio cap.* 4. ac etiam Sanchez *lib.2.in decal. c.37. n.5.* Nauarrus *c.11. n.23. & 24.* Leſſius *loc.cit.n.4.*

3 Qui falſas reliquias pro veris donaret, vel venerandas proponeret, etiam mortalitèr peccaret. Quia cultus taliũ reliquiarum eſt cõtra Fidei veritatem, & falſus. Ità Caietanus *in ſumm. verb. Superſtitio, n.2.* Nauarrus *c.17. n. 169.* Suarez *to.1. de relig. lib.2. c.2. n.17. &* 18. Fagundez *in decal. lib. 1. c.34. n.3.* & alij.

4 Fingere miracula non vera, vt vera, & illa prædicare, vel ſcriptis mandare, vel ad fingendum miraculum, tabellas, cereos, aut ſpolia in altari alicuius Sancti ſuſpendere, eſt cultus ſuperſtitioſus, & peccatum mortale; etiam ſi fiat non ex contemptu, neq; animo irreuerenti in Deum, & Sanctos; ſed ſolùm ad deuotionem excitandam, & vt alicuius Sãcti imagini, vel altari donatiua offerantur. Quia eſt cultus falſus, & pernicioſus, veram miraculorum fidem eneruans. Ideò nulla pia intentione à mortali excuſari poteſt. Ità Caietanus 2.2. *q.93. art.1. in fin. & in ſum. verb. Superſtitio, §. Aut enim,* Nauarrus *c.11. n.27.* Sayrus *lib.4. c.4. n.4.* Leſſius, Sanchez, Fagundez locis ſupracitatis, & alij.

5 Cantus, vel ſonus profanus, aut amatorius in Eccleſia, inter diuina officia, eſt etiã ſuperſtitioſus cultus, & peccatum mortale; in quo crimine incidunt, non ſolùm pulſantes ſonos, & canentes, ſed etiam conducentes, & conſentientes. Quia eſt falſus cultus; aduerſatur enim diuino cultui, qui eſt, vt mentes non ad vana, & mundana, ſed ad cœleſtia

ſtia excitentur per ſonum, & cantum; Miſcere autem inter diuina officia cantilenas,& ſonos profanos,& turpes, nil aliud eſt, quàm coniungere Chriſtum cum Belial,& lucem cum tenebris. Ergo talis mixtio eſt crimen ſuperſtitionis ſacrilegæ, & peccatum mortale. Ità Caietanus 2.2.*q.*91*.ar.*1.§.*Inter hæc,et in ſumma, verb. Organorum vſus, n.* 2. Valentia 2.2.*diſp.6.q.9.pun.vnic.* Nauarrus *c.*12*.n.*87. Sanchez *loc.cit. n.7.* Thomas del Bene *par.2.de off. Inquiſ. dub.*219*.ſect.3. n.*8*.& ſeq.*Suarez *to.* 2. *de relig. lib.* 4. *de oratione c.* 13*.n.* 16. Qui cum *Caietano* addit quod: Poteſt duobus modis talis cantus eſſe indecens in Eccleſia: ſcilicet, vel ratione materiæ,quia eſt res profana,aut ratione ſoni, quia eſt laſciuus; Vel eſt valdè ſæcularis. In priori modo, ferè ſemper committitur peccatum mortale: quia eſt magna irreuerentia, & aduerſatur diuini cultus fini, qui eſt, non ad vana, & mundana, ſed ad cœleſtia, & beata mentem excitare. Et quamuis ſonus, ſiue vocis,ſiue organi ex ſe ſit quid indifferens;tamen dum audientes, vel ad malum prouocat, vel occaſionem eis tribuit ſcandali,quia miſcentur diuino cultui profana,nulli dubium eſt, eſſe mortale peccatũ. Tum ratione prouocationis ad malum. Et tum ob irreuerentiam,& iniuriam cultus diuini. In poſteriori autem modo poteſt eſſe venialis culpa, vel ratione minimæ materiæ,vel ex bona intentione, & inaduertentia, vt Caietanus dixit 2.2.*q.*91. vel ſi fiat ex intentione, non excitandi impuram delectationem,ſed ad delectandos audientes vano illo modo canendi. Ità Suarez, & alij ſupradicti Doctores.

Superſtitioſus cultus Dei, non falſus, ſed ſuperfluus, eſt ne mortale peccatum?

6 RESp. ſi non adſit eccleſiaſticæ diſciplinæ contemptus, nec alicuius præcepti tranſgreſſio, non eſt peccatum mortale,ſed tantum veniale. Quia talis cultus eſt præter, non contra conſtitutionem Eccleſiæ; nec in eo videtur committi grauis irreuerentia Deo.Ità Caietanus 2.2.*q.*93*.art.*1.§.*In ſequenti verò*, Valentia 2. 2. *diſp. 6. q.* 10*.pun.*2. Suarez *to.* 1. *de relig.lib.*2*.de ſuperſtit.c.*2*.n.*20.Sanchez *lib.* 2. *in decal.c.*37*.n.* 10. Nauarrus,Armilla,Medina,Leſſius,Fagũdez,Thomas del Bene,& alij communiter. Qui docent eſſe tantum veniale peccatum,quod audiatur Miſſa Sacerdotis, qui tali nomine appelletur; vel quod in peregrinatione ſint tanti homines; vel tali nomine, vel tali veſtitu induti;Vel quod in recitandis horis canonicis, aut in ſacro faciẽdo,relictis rubricis ordinarijs,alias cærimonias pro ſua deuotione adhiberet:Vt ſi bis dicat Alleluia, quando ſemel dicendum eſt;aut Gloria,& Credo, quando dicenda non ſunt; aut fiat in Miſſa ſignum crucis, vbi non mandatur fieri. Omnes hi modi,& ſimiles colendi Deum, ad eius indebitum ſuperfluum cultum ſpectãtes, non videntur, eſſe pluſquam peccata venialia.

7 Peccaret verò mortaliter, qui abſq urgenti cauſa, bis in eodem die communicaret, quia eſt contra conſuetudinem, ac præceptum Eccleſiæ; quæ ob reuerentiam tanti Sacramenti prohibet;ne quis pluſquam ſemel diuinam Euchariſtiam ſumat;ne ob nimiam frequentiam vileſcat. Ità colligitur ex *C. Conſuluiſti, de celebr.Miſſ.& ex c. ſufficit, de conſecrat. diſt.* 1. In quibus de Sacerdotibus ſacrificãtibus ſermo eſt; & indè ſumitur argumentum ad laicos communicantes.Et ità docent D.Thomas *3.p. q.*80. *ar.*10*.ad* 4. Sotus *in* 4. *diſt.*13*.q.*2*. ar.* 2. Tabiena, *verb.Communio*, §. 15. Henriquez *lib.* 8. *de Euchariſt.c.*53*. n.* 5. Suarez *in 3.par. to.3. q.*80. *diſp.*69*.ſect.* 4*.n.3.* Fagundez *de præc.Eccleſ. lib.*3*. c.*7*.n.*11. & alij.

8 Qui verò votum emitteret,ieiunandi omnibus Dominicis, eius votum eſſet ſuperſtitioſum continens cultum Dei indebitum, & ſuperfluum; & conſequenter etiam illicitum, & inualidũ; quia aduerſatur Eccleſię conſuetudini,

quæ vim legis habet: vt teſtatur D. Auguſtinus epiſt. 86. ad Caſulanum. Sed ceſſante contemptu moris Eccleſiæ, & ſcãdalo, eſſet tantùm peccatum veniale, ob quandam ſingularitatem, & cultum ſuperfluum. Ità docent Suarez *to. 2. de relig. lib. 3. de voto c. 6. n. 21. in fin.* Sanchez *lib. 2. in decal. c. 37. n.* 15. Fagundez *in decal. lib. 1. c. 34. n.* 7. Thomas del Bene *de offic. S. Inquiſ. par. 2. dub. 219. ſect. 4. n. 5. & ſeq.* & alij.

Eſt ne cultus ſuperſtitioſus, & mortale peccatum, canere genibus flexis in Choro per determinatos dies, Pſalmum 108. *Deus laudem meam ne tacueris*; ad petendam à Deo vltionem alicuius inimici, vel perſecutoris?

9 RESp. affirmatiuè, quia, quamuis orando peti poteſt à Deo aliquod malum alicui; ut ad ipſum Deum conuertatur, uel ob publicũ honorem Eccleſiæ, & commune bonum Reipublicæ; uel ſi iuſtus eſt, ne malitia mutet intellectum eius, & ſi peccator ſit, ne peior fiat, & ità Deus agnoſcat expedire ad illius proximi ſalutem æternam, uel ad minorem damnationem. Nam tunc non agitur contra proximi charitatem, nec contra Dei uoluntatem. Tamen nunquam licet, imprecari proximo malum aliquod, ad finem uindictæ, neque ſub titulo diuinæ iuſtitiæ. Eſſet enim hoc, contra charitatem, & contra præceptum diuinum. *Diligite inimicos veſtros*. Supradictus autem Pſalmus continet damnationem æternam, & cętera mala, quæ in pœnam ſui facinoris, proditor Iudas paſſurus erat; ut ait D. Auguſtinus, & cum eo cæteri expoſitores. Ergo decantatio huius Pſalmi in Choro, ad finem petendi à Deo ultionem inimici, uel perſecutoris, ſine peccato mortali fieri non poteſt.

10 Eſt etiã decantatio ſuperſtitioſa mortaliter; quia quãdo aliquis intendit colere Deum, & illis rebus utitur, in quibus uerè Deus non honoratur, immò offenditur; tunc mortale peccatum ſuperſtitionis committitur; quia cultus ille eſt falſus, & pernitioſus; ut docent D. Thomas *2. 2. q. 92. ar. 1. & 2.* & communiter alij Doctores. In decantatione autem huius pſalmi Deus non ſolũ non honoratur, ſed ei grauiſſima iniuria infertur; quia ab eo petitur illud, quod ſine peccato fieri non poteſt. Ergo decantatio huius pſalmi eſt mortaliter ſuperſtitioſa.

11 Inſuper petere à Deo, quod ſine peccato fieri non poteſt, eſt petere, non ſolùm, quod Deo non placet, & eſt peccatum, ſed rem omninò indignam, & indecentiſſimam, quę hæreſim ſapit. Eſt enim petere à Deo, ut ipſe ſit auctor peccati, quod grauiſſima Dei iniuria eſt; ut docet Suarez *to. 2. de relig. lib. 1. de orat. c. 23. n.* 4. Ergo decantatio ſupradicti Pſalmi, ad petendum malum proximo in uindictam iniurię, uel damni illati, eſt cultus omninò indebitus, ſuperſtitioſus, perniciofus, falſus, & hęreſim ſapiens.

12 Dices: quare ergo, etiam Sancti uiri in hac uita, & Beati in Patria, aliquãdo uindictam à Deo poſtularunt, & inimicis ſuis imprecati ſunt, non ſolùm mortem, ſed etiam damnationem externã? Sic Dauid *in Pſal. 54. Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes.* Et ſubdit. *Exaudiet Deus, & humiliabit illos.* Et *in Pſal. 58. Intende ad viſitandas gentes: Non miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatem*: Elias, 4. *Reg.* 1. imprecatus eſt inimicis: *Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de Cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* Quod ſemel, & iterum factum eſt. Et Ioannes refert, *Apoc. 6. Vidi ſub altare Dei animas interfectorum propter Verbum Dei, clamãtes ad Deum: Vſquequo Domine non vindicas ſanguinem noſtrum?* Ergo etiam nobis licitum erit, decantare ſupradictũ Pſalmum, & petere à Deo, ut uindictam ſumat de inimicis noſtris, & etiam, ut in infernum illos damnet; & hoc non erit ſuperſtitioſus, ac perniciofus Dei cultus.

13 Reſp. ad illud *Pſal. 54. & 55.* cum D. Au-

D. Auguſtino *lib.* 1. *de ſerm. Domini in monte c.* 42. *&* *lib.* 2. *quæſt. Euang. c.* 45. *cum* D. Thoma 2.2. *q.* 83. *art.* 8. *ad* 1. *& ad* 2. *cum* Suarez *vbi ſup. c.* 19. *n.* 6. & alijs: Quod Dauid in illis imprecationibus, prophetiam proferebat. Quia agnoſcebat, illam eſſe Dei voluntatem, ac definitam ſententiam contra illos peccatores, & petebat illorum vindictam, conformando ſuam voluntatem iuſtitiæ diuinę ſub conditione; ſi in peccato perſeueraſſent. Vel quia præſciebat, illam imprecationem eſſe implendam ad iuſtitiæ conſeruationem, & Dei honorem; Aut ob commune bonum, & pacem Reipublicę. Sicut in *d. Pſal.* 108. *Deus laudem meam ne tacueris, ipſe Dauid* (vt ait ibi D. Auguſtinus) *prophetauit in illis imprecationibus ſententiam Dei contra Chriſti proditorem, & crucifixores.*

14 Ad factum Eliæ, reſp. etiam cum D. Thoma *ibid. q.* 108. *art.* 1. *ad* 4. quod Elias fecit, ignem deſcendere ſuper illos, qui venerant ad ipſum capiendum; quia iniuria, ſibi ab illis illata, redũdabat in Deum; & ideò debebat talem iniuriam vlciſci. Nam, vt ait Chryſoſtomus *hom.* 5. *in Matth. In proprijs iniurijs, eſſe quempiam patientem, laudabile eſt: Iniurias autem Dei diſſimulare, nimis eſt impium.* Inſuper Elias, illa vltione oſtendere, voluit ſententiã mortis, à Deo fulminatam contra Regem Samariæ, eſſe veram, & certò implendam; vt patet ex eodem *c.* 1. *lib.* 4. *Reg.* Igitur quando iniuria, alicui illata, ad eius perſonam pertinet, debet illam tolerare, & nunquam vindictam à Deo contra offenſorem petere. Quando autem iniuria illata, redundat in Deum; tunc debet ille propriam iniuriam vlciſci. Sic enim fecit non ſolùm Elias, ſed etiã Eliſeus, quãdo *Maledixit pueris eum irridentibus* 4. *reg.* 2. & Syluester Papa, quãdo *Excommunicauit illos, qui eum in exilium miſerũt.* Vt habetur 23. *q.* 4. Ità Doctor Angelicus.

15 Ad illud Apoc. 6. uidiſſe Ioannem Beatos, clamantes ad Deum: *Vſquequo non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum.* Reſp. etiam cum D. Thoma *q.* 83. *art.* 8. *ad* 2. quod uindicta, quam petunt Martyres, eſt ut deſtruatur regnum peccati, quo regnante, tanta perpexi ſunt. Vel poſtulant, ſe uindicari nõ uoce, ſed ratione: Sicut ſanguis Abel clamauit de terra: lætantur autem de uindicta non propter eam, ſed propter diuinam iuſtitiam; Sanctos enim petere ratione uindictam, eſt paſſiones ſuas, quæ ſunt ratio ultionis, patentes habere: ut ait Caietanus ibi: *Hoc enim modo ſanguis Abel clamauit ratione. Effuſus enim patenter fraternus ſanguis, ratio erat vltionis.* Vel in dictis uerbis poſtulant à Deo gloriam ſuorum corporum, in ultimo iudicio futuram, ut notat Suarez *to.* 2. *de relig. lib.* 1. *de oratione c.* 11. *n.* 9. quia ſolùm deeſt illis corporis gloria.

Cognitio Superſtitionis cultus Deo indebiti, pertinet ne ad Tribunal S. Officij?

16 Reſp. cognitionem Superſtitionis cultus falſi, & pernicioſi, pertinere ad Tribunal S. Officij, non autem cultus ſuperflui. Primum clarè patet: quia colere Deum, E.g. per ſacrificia, & ritus ueteris legis, uel aliorum infidelium, eſt actus ſuperſtitioſus hæreticalis; ut ex *c. Quidam de Apoſt.* Vbi qui ad fidem conuerſus, ſequens ritus ſectæ derelictæ, tanquam hæreticus, & apoſtata punitur. Et in *c. Contra Chriſtianos, de hæreticis*, ſtatuitur, quod Inquiſitores contra iſtos procedant, tanquam contra hæreticos. Quia utentes illorum ſacrificijs, præſumũtur, credere: Deum per illa coli, & adorari poſſe; quod impium, & hæreticum eſt. Probatur ſecũdum, nempè cognitionem ſuperſtitionis cultus ſuperflui nõ ſpectare ad Tribunal S. Officij; Quia regulariter hic cultus non importat actũ hæreticalem; cùm fiat bono animo, & non mala intentione. Vt, ſicut ſuprà dictum eſt, quãdo quis habet peculiarem affectum, audiendi ſacrum Sacerdotis, qui uocetur tali nomine, uel in Miſſa recitat

Glo-

Gloria, aut *Credo*, uel aliquid aliud, contra rubricas, ab Eccleſia ordinatas. Nam talis cultus ſuperfluus, eſt tãtum ueniale peccatum, & nullum continet actum hæreticalem, qui ſemper ſupponit peccatum mortale. Si uerò cultus ſuperfluus eſſet peccatum mortale: ut E.g. ſi quis, ultra diem Natiuitatis Domini, pluſquam ſemel Miſſam celebraret in eodem die; Vel pluſquam ſemel in die abſq; urgenti cauſa Sacram Euchariſtiam ſuſciperet; Vel ſi in officio, aut in Miſſa, profana, & turpia miſceret. Tunc redderetur ualdè ſuſpectus de hæreſi; Quia præſumitur, uel non credere, eſſe obediendum præceptis Eccleſiæ, uel illa contemnere; & licitũ eſſe Deum ità colere; & delectari, ut ſacris profana, & turpia miſceãtur. Quod eſt, de rebus fidei malè ſentire. Et ſic facientes, anathemate feriuntur, in *Conc. Trid. ſeſſ.* 7. his uerbis: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione, adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à Miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios, per quemcumq; Eccleſiarum Paſtorem, mutari poſſe. Anathema ſit.* Dixi non licere, Sacram Euchariſtiam pluſquam ſemel in die, abſq; urgenti cauſa, ſuſcipere; Nam ſi cauſa urgeret, ut quãdo quis in articulo mortis eſſet, Sanctum Viaticum ſuſcepturus; Vel ſi hæretici, aut infideles Templum Dei inuaderent, & diuinum illud Sacramentũ irreuerenter contemnerent, & in terram proijcerent: licitum eſt bis in eodem die communicare.

Cognitio Superſtitionis, quæ hæreſim manifeſtè non ſapit, pertinet ne ad Tribunal S. Officij.

17 RESP. affirmatiuè: quia, quamuis antiquitùs Inquiſitores S. Officij non habebant iuriſdictionem, niſi ſuper ſuperſtitiones, quæ manifeſtè hæreſim ſaperent, vt ex *c. Accuſatus*, §. *Licet de hæreticis in 6.* Hodiè tamen per *Bullam Xiſti V. contra Sacrilegos*, poſſunt, & tenentur, inquirere in omnes ſuperſtitiones, quę aliquo modo, & ſi non manifeſtè, hæreſim ſapiant. Vt patet ex illis verbis Bullæ; *Etiam ſi in pleriſque his caſibus procedere, non valebant*: & ità etiam declarauit *Sacra Congregatio die* 21. *Decembris* 1602. Ità teſtantur Scortia *in Bulla Pontif. epitom.* 58. *theor.* 158. Ioſeph Seſſe *to.* 4. *deciſ.* 464. *n.* 8. *&* 18. *et deciſ.* 446. *n.* 16. *&* 17. Azorius *to.* 1. *lib.* 9. *c.* 26. *q.* 4. Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.* 38. *n.* 92. Torreblanca *de magia lib.* 3. *c.* 9. *poſt n.* 48. Raphael de la Torre *in* 2. 2. *D. Tho. q.* 69. *ar.* 4. Molfeſius *to.* 1. *ſumm. tr.* 11. *c.* 7. *n.* 145. Diana *to.* 5. *tr.* 10. *reſol.* 102. *& tr.* 12. *reſ.* 10. *ex par.* 4. *tr.* 7. *reſ.* 10. *& tr.* 8. *reſ.* 107.

CAPVT III.

De cultu non ſuperſtitioſo, nec indebito, ſed religioſo, ac licito, Sanctis, eorumq; Imaginibus debito.

1 EXiſtimant Caluiniſti, & Luterani, infeſtiſſimi hoſtes Eccleſiæ, indebitum, & ſuperſtitioſum eſſe cultum, quo nos Sanctos, eorumq; reliquias, & imagines colimus, ac veneramur: & nos idololatras appellare, non venerentur; impiè aſſerentes; ſolùm Deum eſſe religiosè colendum. Sed quia, ut uerbis vtar S. Concilij Trid. *ſeſſ.* 25: *Affirmantes, Sanctorum reliquijs venerationem, atque honorem non deberi, vel eas, aliaque ſacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opus, impetrandi cauſa, Sanctorum memorias fruſtra frequentari, omninò damnandos eſſe, prout iam pridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Eccleſia.* Ideò quàm iuſtè, quàm religiosè, ac laudabiliter à nobis, cultu eis debito, venerantur, inquirendum eſt.

Quonam cultu à nobis venerantur, Sancti, eorumq; Reliquiæ, & Imagines?

2 Reſp. triplicem eſſe cultum, nempè La-

Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ. Nomen Latriæ eſt gręcum, & ſignificat ſeruitutem ſoli Deo debitam, vt docent D. Auguſtinus *lib.6.de Ciuit.Dei c.*1.& D. Thomas 2.2.*q.*103.*ar.3.* & omnes alij. Cultu ergò Latriæ nos non colimus, nec veneramur Sanctos, nec eorum reliquias, ac imagines: quia ſoli Deo, & Ieſu Chriſto debetur, in ſignum ſummæ ſubiectionis, & debitæ reuerentiæ. Sic enim præcipitur Matth. 4. *Dominũ Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Ad Timotheum 1. *c.* 1. *Soli Deo honor, & gloria in ſæcula ſæculorum*; & ſæpè alibi. Nomen Dulia, ſimiliter eſt græcum; & vt notant D.Auguſtinus 10. *de Ciuit. Dei c.*1. & D. Thomas *loc. cit.* ſignificat ſeruitutem, quæ debetur hominibus, ſecundùm quam præcepit Apoſtolus: ſeruos dominis ſuis ſubditos eſſe. Et ideò ait D.Thomas: *Dulia, quæ debitam ſeruitutem exhibet homini dominanti, alia virtus eſt à Latria, quæ exhibet ſeruitutem diuino dominio. Et eſt quędam obſeruantiæ ſpecies, qua honoramus quaſcumq; perſonas, dignitate præcellentes.* Cultu igitur Duliæ à nobis coluntur, & venerantur Sancti, & eorum reliquiæ, ac imagines. Nam ſi per Duliam, propriè ſumptam, ſerui Dominos ſuos venerantur: quantò magis, ſanctiori cultu Duliæ, venerari debemus Sanctos, eorumq; reliquias, & imagines; cum ipſi incomparabilitèr nobiliores, ac præſtantiores ſint quauis excellentia hominis, viuentis in hoc ſęculo? Vndè Dauid *Pſal.* 138. ait: *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus*: ideſt amicos, & Sanctos tuos Deus valdè colo, ac veneror: Geneſ. 18. Abraham Angelos adorauit: *Apparuerunt ei tres viri, ſtantes propè eum, quos, cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum, & adorauit in Terram*: Similitèr Ioſue 5. *Cecidit Ioſue pronus in terram, & adorauit*: ideſt *Sanctum Angelum*. Si ergo colendi, & adorandi ſunt Angeli, qui ſunt etiã ſicut Sancti, creaturæ Dei; cur non etiam Sancti viri, quorum æqualis eſt Sãctitas, & aliquãdo maior? Inſupèr in Sanctorum cultu, & veneratione, etiam Deus colitur, ac veneratur; Ait enim D. Ambroſius *ſer. 1.de Sanctis*: *Quiſquis honorat Martyres, honorat & Chriſtum, & qui ſpernit Sanctos, ſpernit & Dominum: cum ipſe dicat ad Sanctos ſuos: Qui vos honorat, me honorat: & qui vos ſpernit, me ſpernit.*

3 Cultus Hyperduliæ eſt dignior cultu Duliæ, & inferior cultu Latriæ; & hoc cultu nos colimus Beatiſſimã Dei Genitricem, ac Virginem Mariam, illiuſq; imagines, reliquias, & indumenta; qua eminentioris ſanctitatis eſt cæteris omnibus Sãctis, & in cœleſti gloria infra Deum, ſed ſuper omnes Sanctos, & Angelos exaltata. Hic autẽ cultus Hyperduliæ eſt ſpecie diſtinctus à Latria, & Dulia: quia fundatur in ſpeciali dignitate Matris Dei. Dulia verò fundatur in dignitate gratiæ habitualis, quæ inferior eſt dignitati Matris Dei, quæ ſpectat ad ordinem vnionis hyſtoſtaticæ. Et ideò D.Thomas 2.2.*q.* 103.*art.3 ad* 2. ait: *Cultum hyperduliæ deberi Sanctiſſimæ Virgini propter affinitatem ad Deum*: vbi notat Caietanus: *Virginem habere conſanguinitatem cum Chriſto, vt homine; affinitatem verò cum Chriſto, vt Deo*: & hac ratione illi debetur ſpecialis cultus. Quia propria operatione attingit fines diuinitatis; concepit enim, ac peperit, & nutriuit Chriſtum Deum.

Chriſti humanitas, imagines, crux, claui, lancea, indumenta, præſepe, ſepulchrum, & ſimilia; quo cultu à nobis venerari, & adorari debent?

4 RESp. certum eſſe de fide, Chriſtum hominem, in diuina, & humana natura ſubſiſtentem, adorandum eſſe perfectiſſima adoratione latriæ: quia in eo tota Trinitas, & ſingulæ diuinæ perſonę venerãtur. Chriſtus enim, de ſe loquens, dixit: *Vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem*: Ioann. 5. *Mihi curuabitur omne genu*, Iſai. 15. & in eodem ſenſu dixit Paulus ad Philipp. 2. *In nomine Ieſu omne ge-*

genufle&#x1F;ctatur. Et ità in alijs habetur ſcripturæ locis. Addit verò D. Thomas *3.p.q.25.art.2.* Poteſt etiam alio modo intelligi adoratio humanitatis Chriſti, quæ fit ratione humanitatis eius, perfectæ omni munere gratiarum, ſed ab hypoſtaſi diuina ſeiūctę: Et ſic adoratio humanitatis Chriſti non eſt adoratio latrię; ſed adoratio dulię, vel vt alij dicūt hyperdulię. Ità ſcilicet, quod vna, & eadem perſona Chriſti adoretur adoratione latrię, propter ſuam diuinitatem, & adoratione dulię propter perfectionem humanitatis. Nec hoc eſt inconueniens. Quia ipſi Deo Patri debetur honor latrię propter Deitatem; & honor dulię propter dominium, quo gubernat creaturas. Vndè ſuper illud Pſal. 7. *Domine Deus meus in te ſperaui*, dicit Gloſſa interlinearis: *Dominus omnium per potentiam, cui debetur dulia: Deus omnium per creationem, cui debetur latria.* Hæc D. Thomas. Et idem confirmant Caietanus ibi, Suarez *to.1. in 3.par. diſp.53. ſect.2. verſ. Dico tertio*, Azorius *par.1. lib.9. c.5 dub.7.* & alij. Notat autē Caietanus, quod adorationem dulię Chriſto debitam ratione humanæ naturæ, Eccleſia in mente retinet, non in vſu, ad euitandos errores. Vndè accepturos communionem ſacram, aut ſacrificio Miſſæ aſſiſtentes, tàm Corpus, quàm Sanguinem Dominicum, adorare, nos experimur adoratione latriæ: non diſtinguēdo inter corpus, & eum, cuius eſt corpus; dicendo: *Domine non ſum dignus*: & alias ſimiles orationes. Similiter notādum eſt, quod quando Concilia definiunt: Chriſtum vna tantùm adoratione eſſe adorandū, ſolùm docent, in Chriſto non ità eſſe diuidēdas adorationes, vt vna ad Chriſtum, alia ad Verbum pertinere putetur. Hoc enim ad errorē Neſtorij pertinet. Et ideò rectè dicunt, vna, & eadē adoratione adorari. Quia qua adoratione adoratur Verbū, adoratur Chriſtus, & econuerſò: quia eſt vnus, & idē, & omnis adoratio ad vnum, & eundem pertinet. Et ideò vna eſt, nam ſicut quādo adoratur Chriſtus adoratione latriæ, adoratur humana natura propter diuinam: ità ſi adoratur adoratione hyperduliæ, coadoratur diuina natura propter humanam. Vt docet Suarez *vbi ſup. verſ. Vna verò.*

5 Imagines autem Chriſti, & Sanctorum ſimpliciter, & abſolutè eſſe adorādas, & honorificè colendas, eſt de fide; vt probat Suarez *ibid. diſp.57. ſect.3.* & definitur in Concil. Trid. *ſeſſ.25. in 2. decr. de inuocat. & venerat. reliq. Sanct. & ſacr. imagin.* Et quia Imaginis honor ad prototypum, ideſt ad exemplar pertinet, vt ait D. Damaſcenus *lib.4.c.17.* ſequitur, vt docet D. Thomas *3.par.q.25.art.3.* quod eadem reuerentia exhibetur imagini Chriſti, ac ipſi Chriſto. Cum ergo Chriſtus adoretur adoratione latriæ, eadem latrię adoratione adoranda eſt eius imago. Et ità etiam docent D. Bonauentura *in 3. diſt.9. art.1. q.2.* Riccardus *ibidem art.2. q.2.* D. Antoninus *3.par. tit.12. c.9* §.4. & alij cōmuniter. Imagines verò Sanctorum venerantur adoratione duliæ: quia ipſi eadem adoratione venerantur, vt ſupra dictum eſt.

6 Crux, in qua Chriſtus Dominus fuit cruc fixus, dupl ci t tulo eſt adorānda adoratione latriæ. Vnus eſt, in quātum repræſentat nobis figuram Chriſti, in ea extenſi. Alter eſt ob contactum corporis Chriſti, & quia fuit eius ſanguine perfuſa. Aliæ verò cruces venerantur tantùm, vt imagines Chriſti crucifixi adoratione latriæ. Quia illi exhibemus cultum latriæ, cui ponimus ſpem ſalutis; ſed in Cruce, vt in imagine Chriſti crucifixi ponimus ſpem noſtræ ſalutis; canit enim Eccleſia: *O Crux, aue ſpes vnica*; ergo ei exhibendus eſt cultus latriæ. Ità D. Thomas *3.par. q.25. art. 4.* D. Bonauentura, & Riccardus *vbi ſup.* Suarez *to. 1. in 3.par. diſp.56. ſect.1. & 2.*

7 Claui, lancea, indumenta, ſpongia, flagella, corona ſpinea, præſepe, ſepulchrum, & alia huiuſmodi, quæ Chriſtū Dominum tetigerunt, etiam latriæ cultu venerantur, ſicut de alijs rebus ſacris, & imaginibus dictum eſt. Ità D. Tho-

Thomas *loc. cit. ad 3.* D. Damaſcenus *lib.4.c.12.* Honor enim, & adoratio, quę iſtis rebus exhibetur, non ſiſtit in illis, ſed reſpectiuè ad perſonam Chriſti, propter quam adorantur; quia fuerunt cum eo aliquo modo coniuncta. Notat uerò D.Thomas, quod Crucem Chriſti ueneramur in quacumq; materia, non autem imaginem clauorum, uel quorumcumq; huiuſmodi: Quia hæc non repræſentant imaginem Chriſti, ſicut Crux, quæ dicitur ſignum filij hominis, quod apparebit in Cœlo; ut dicitur Matth.24. Ideòq; mulieribus dixit Angelus: *Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum*: Marc. 16. Non dixit *lanceatum*, ſed *crucifixum*: quia in cruce repræſentatur Chriſtus, non in lancea, aut in clauibus, uel corona ſpinea, & ſimilibus. Verùm quia Chriſtum Dominum tetigerunt, ideò cultu latriæ uenerantur.

8 Quæ autē Chriſtum tetigerunt ignominiosè, nefariè, & impiè: Vt ſunt manus crucifigentium, & flagellantium, ſpongiam aceto plenam ori eius porrigentium, ſpineam coronam capiti imponentium, & contumeliosè Chriſtum tractātium, manus.n. iſtę nō uenerationē, ſed ignominiā, opprobriū, ac uituperationē merentur. Quia non eſt eadē ratio de his manibus, ac de eorum inſtrumentis, ab ipſis ſeparatis; ut ſunt claui, lancea, corona ſpinea, ſpongia, & cætera hiuſmodi, quæ omnia ſenſu, & ratione, & conſequentèr omni malitia carent. Et ideò hæc ſunt ueneratione latriæ digna; non tamen impiæ manus percutientium, flagellantium, & crucifigentium Chriſtum Dominum, quia nefariè, impiè, & contumeliosè illum tetigerunt. Nec etiam adoramus dictas res, quia illis uſi ſunt Iudæi, ad iniuriā, & pœnam inferēdam Chriſto; ſed quia ab ipſo Chriſto ſanctificata ſunt tactu. Notandum etiam, quod quamuis contactus Chriſti, per ſe quidem ſufficiens ſit ratio reſpectiuæ adorationis latriæ: aliquando tamen ex hoc contactu non expedit hæc adoratio. Vel quia nō decet; vt E. g. quando Chriſtus Hieroſolymam ingrediens in die Palmarum ſuper aſinam. Non quia illa corpus eius tetigit, eſſet adorāda, ſi viueret. Vel quia res adoranda eſt valdè incerta, qualis eſt terra illa, de qua dicitur *Pſal. 131. Adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius.* Ità notat Suarez *to. 1. in 3. par. diſp.56.ſect.1. verſ. Ad ſecundum, & lib. 11. contra Regem Angliæ c. 14.*

Quare imagines Sanctiſſimæ Trinitatis, & Angelorum adoramus, dum ſpiritus ab imaginibus corporeis repræſentari non poteſt?

9 Reſp. quod Imagines Sanctiſſimæ Trinitatis, & Angelorum non depinguntur, vt nobis repræſentent eos ſic eſſe; ſed ſic aliquando apparuiſſe, & cuius qualitatis, & virtutis ſint. Et ſic Pater Aeternus depingitur ſenex; quia ità Danieli 7. apparuit. Filius in eius pectore depingitur; quia à Patre eſt genitus. Spiritus Sanctus in ſpecie Columbæ: quia ſic dignatus eſt, ſe nobis oſtendere. Angeli autem depinguntur iuuenes, non quia ſic exiſtunt, ſed quia ſic ſæpè apparuerunt, & vt indicetur eorum vitam, nunquam ſeneſcere. Depinguntur alati, ad indicandam eorum velocitatē, in exequendis diuinis mandatis; & in albis veſtibus propter eorū puritatem, & innocentiam. Vt optimè notant Azorius *par.1.lib.9. c.7. q.2. & 3.* Vaſquez *3.par.q.25. diſp. 193. & de adorat.lib.2.diſp.3.n.44.62.& ſeq.* Bellarminus *to.controu.4. lib.2. c.8.* Et ità retinetur harum imaginum vſus; quia ab Eccleſia eſt communitèr approbatus & in ſeptima Synodo generali, quę eſt Nicena *act.2. & 5. & in Conc.Trid. ſeſſ.25.c. 2.* deciſum, retinendum eſſe, huiuſmodi uſum, depingendi Deum, & Angelos.

10 Adorantur etiam Imagines iſtæ eadem adoratione, quæ debetur ei, cuius eſt imago; diuerſo tamen modo, nam Deo, & Angelis debetur adoratio, ut perſonis, quæ per ſe adoratione dignæ ſunt: Imaginibus verò non debetur adoratio ob excellentiam aliquam, &

virtutem,quam in ſe habent,& propter quam adoratione dignæ ſunt; ſed quia referũtur ad Deum, & Angelos,illoſq; repræſentant. Quare cum in ratione adorandi imaginem,ſit excellentia Sancti repræſentata, eadẽ adoratione adoranda eſt, ac adoratur repræſentatum: nempè imaginẽ Dei adoratione latriæ, & Angelorum duliæ. Ità docent Azorius 1. *par.lib.9.c.6.q.*5. Bonacina *tom.* 2.*in* 1.*decal.præc.diſp.3.q.*1.*pun.*3. *n.*9. Vaſquez *lib.*2. *de adorat. diſp.*8. *c.*3. & alij.

Cereis benedictis,quos Agnos Dei appellamus, à figura Agni, ipſis impreſſa,debetur ne religioſus cultus, ac veneratio?

11 Reſp. affirmatiuè, ſicuti debetur alijs rebus ſacris, Deum repræſentantibus. Quia ſunt Dei imagines, & ad cultum,& uenerationem Dei ſunt à Pontifice deſtinati, ſolemniſſimo precationum ritu,mirisq; cærimonijs, pietatem redolentibus; Et propter orationes,& precationes Eccleſiæ,in eorum benedictione factas, multa beneficia à Deo conceduntur eos habentibus; & præcipuè tempeſtates ſedantur, extinguntur incendia, fulgura, & tonitru pelluntur, & à dæmonum tẽtationibus defendimur.Vndè in horum Agnorum cultu Gregorius XIII.in ſua conſtitut. quæ incipit: Omni certè ſtudio, edit. 8.Kalend.Iulij 1572.hoc decretũ emiſit. *Statuimus, & ordinamus, ac ſub excommunicationis pœna ; ipſo facto incurrenda,interdicimus: Ne quiſquam ſiue vir,ſiue fœmina,ſæcularis, aut Eccleſiaſticus,etiam ſi Regularis ille ſit, &c. poſt hac in perpetuum : Agnos Dei per Pontificem Romanum,pro tempore exiſtentem, depingere,inficere,minio notare, vel aurum, aut colorem aliquem illis imponere, aut quicquam aliud ſuper inducere, neq; depingi, aut miniari facere, nec illos venales proponere, ſeu tenere quouis prætextu,qualibetue de cauſa, audeat; ſed eos albos,& mundos,decentèr, ac reuerentèr à cunctis haberi,deferri,& cuſtodiri,præcipimus*. Ità fuiſſe decretũ,refert Azorius *par.*1. *lib.*9. *c.*9. *q.*2. & idem affirmant Sanchez *lib.*2. *in decal.c.*43.*n.*28. Bonacina *to.*2.*in* 1. *decal.præc.diſp.*3.*q.* 1. *pun.*4. *n.*12. CaſtroPalaus *par.* 2. *de adorat.diſp.*1. *pun.*6. *n.*23.

In cultu, & veneratione Sanctorum poteſt ne quis aliquod peccatum committere?

12 Reſp.affirmatiuè:quia ſicut in Dei cultu peccari poteſt,uel deficiẽdo à reuerentia, & ueneratione ei debita; uel indiſcretè exercẽdo in modo ipſum colendi, & venerandi; vt in *c.* 2. probatum eſt. Ità etiam in cultu Sanctorum vtroq; modo peccari poteſt; nẽpè per defectum, & per exceſſum. Per defectum illos non venerãdo, ſicut decet,& vnuſquiſq; obligatur.Per exceſſum illos colendo cultu latriæ,vel Sanctos non Canonizatos,nec Beatos, uel eorum reliquias, & imagines cultu publico duliæ uenerando, uel nouas reliquias Sancti alicuius non approbatas ab Epiſcopo, publicè exponere uenerandas. Hoc enim eſſet ſacrilegium: quia expreſsè eſt prohibitum *in c.* 1. & 2.*de reliquijs,& venerat.Sanctorum,& in Conc.Trid.ſeſſ.*25.

Imagines Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, & Sanctorum omnium, quonam modo, & qua ratione colendæ, & adorandæ ſunt?

13 Reſp. quod ſunt colendæ, & adorandæ, ut decreuit S.Conc.Trident. *ſeſſ.* 25. *Non quod credatur, in eis ineſſe aliqua diuinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quod ab eis ſit aliquid petendum,vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda; veluti olim à Gentilibus, qui in Idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniã honor, qui eis exhibetur,refertur ad Prototypa, quæ repræſentant; ità vt per Imagines, quas oſculamur,& coram quibus caput aperimus, & procumbimus,Chriſtum adoremus,& Sanctos,quorum illæ ſimilitudinẽ gerunt.*

Idem

Idem definiuit Nicæna Synodus *act.7.* ac etiam docent Diuus Baſilius *ſerm. contra Sabellios,& Arrium,*& D.Thomas 2.2.*q.89.ar.1. ad 2. & 3.diſt.9. q.1.ar.2.q.5.* & alij omnes.

14 Rationes quoq;ob quas Sacras Imagines ueneramur, idem Concil. ibid. reddit. *Quia ex omnibus ſacris imaginibus grandis fructus percipitur; non ſolum quia admonetur populus beneficiorum,& munerum, quæ à Chriſto ſibi collata ſunt; ſed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & ſalutaria exempla oculis fidelium ſubijciuntur; vt pro ijs Deo gratias agant,ad Sanctorumq; imitationem vitam,moreſq; ſuos componant, & excitentur,ad adorandum,et diligendum Deum, & ad pietatem colendam.* D.Thomas etiam ait *3.diſt.9.q.1.ar.2. ad 3. Triplex ratio fuit inſtitutionis Sãctorum imaginum in Eccleſia; Primo ad inſtructionem rudium,qui eis, quaſi quibuſdam libris,edocentur;Secundo, vt incarnationis Myſterium, & Sanctorum exempla, magis in memoria eſſent, dum quotidiè oculis repræſentantur; Tertio ad excitandum deuotionis affectum, qui ex viſis magis excitantur,quàm ex auditis, &c.*

Eſt ne de fide imagines Chriſti, & Sanctorum eſſe debito cultu venerandas?

15 Reſp. affirmatiuè, ſic enim in pluribus Concilijs definitum fuit, & præcipuè in ſupradicto Niceno.Vndè Cõc.Trid. decreuit *d.ſeſſ.25.Si quis autem his decretis* (nempè de ueneratione Sanctarum Imaginum) *contraria docuerit,aut ſenſerit,anathema ſit.*Quia contrarium aſſerere,aut ſentire,hæreticum eſt, ut probant,Repertorium Inquiſitorum, *verb.Hæreticus, verſ.Anfrangens imagines*, Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.33.rubric.de Imaginibus n.1.& ſeq.* Peſantius *in 3.par.D.Thom. q.25.ar.3.diſp.1.& 2.* Suarez *aduerſus errores Anglicanæ ſectæ lib.2.c.11.* Valentia 2.2.*q.94.pun.6.diſp.6.* Farinacius *de hæreſi q.178.n.53.*

Sanctorum Imagines ſunt ne res ſacræ, quæ continent aliquam Sanctitatem?

16 Reſp. eſſe res ſacras,& continere aliquam ſanctitatem,non quidẽ ueram intrinſecam,& formalem, quia hæc Sanctitas propriè eſt intellectualium,& rationabilium perſonarum; ſed analogicam, & quaſi methaphoricam per habitudinem,ſeu denominationem extrinſecam; quia repræſentant perſonas ſacras, & deputatæ ſunt, ad eiſdem Sanctis honorem aliquem exhibendũ, ad Templorum Dei religioſum, & decentem ornatum, & ad animarum ſpiritualem profectum. Ideò inter res ſacras meritò cenſeri debent: ſicut loca, uaſa, & ueſtimenta ſacra, & alia proxima diuini cultus inſtrumenta ſanctitatem quandam extrinſecam, participare, cenſentur: ait enim D. Auguſtinus *lib.2.de peccat. remiſſ. c. 26. Non vnius modi eſt ſanctificatio*, & ſic etiam multi modi ſunt ſanctitatis:& idem D. Auguſtinus dixit *ſerm.14. de verbis Apoſt. c.9.* Vndè communes cibos, per uerbum Dei,& orationem, ſanctificari dixit Apoſtolus, 1. *ad Timoth.* 4. Panes propoſitionis in lege ueteri dicebantur Sancti: Arca Fœderis cenſebatur Sancta, iuxtà illud *Pſal. 98. Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt*: quod ad literam de arca intelligitur,quæ ſcabellum pedum Domini dicitur, 1.*Paralip.*28. Dies feſtiui dicuntur Sancti,& venerabiles:*Exod.*12.Veſtes ſacerdotales ſimilitèr vocantur sãctæ,*Exod.*28.In his ergo aliqua ſanctitas cogitanda eſt, quia nihil nominatur Sanctum, niſi ab aliqua ſanctitate, quæ non eſt ſanctitas vera, & formalis, ſed habitudo quædam ad veram aliquam ſanctitatem. In hoc genere ſanctitatis æquiparantur Sanctorum Imagines, vt tradit Concil. Nicenum 2. *in act.2.* Et Adrianus Papa *in epiſt. ad Imperatores* ait: *Non eſt dubitandum; omnia, quæ in Eccleſia Dei ad laudem,& decorẽ domus illius,conſtituuntur;ſancta, & colenda eſſe.*

eſſe. Confirmatur, quia ſicut imago Regis non eſt quidem Rex, nec in ſe veram Regis excellentiam habet; & tamen, quia Regem repræſentat, & quaſi vicem eius ſuſtinet, tanquã quid regale æſtimatur, & peculiarem quandam reuerentiam ſibi conciliat. Ergo ſimilitèr Sanctorum Imagines, quia ipſos Sanctos repræſentant, vmbram quandam ſanctitatis participant, ratione cuius, ſanctæ, & ſacræ per analogiam nominantur.

Conſpurcantes, percutientes, lacerantes ex contemptu, Chriſti Domini, vel Sanctorum imagines, ſunt ne de hæreſi vehementèr ſuſpecti, ſi ex indignatione, & ira hoc faciunt?

17 Reſp. affirmatiuè, quia vt ſupra dictum eſt: aſſerere Sanctorum imagines, non eſſe venerandas, hæreſis eſt, ergo multo magis illas deturpare, percutere, lacerare, pedibus conculcare, comburere, & modis ſimilibus inhonorare, hæreſim ſapit. Nec iracundia ab hac hæreſis ſuſpicione excuſat; quia ſi quis non ex motu iracundiæ, ſed animo deliberato, & conſultò tam nefas crimen patraret, eſſet manifeſtè hæreticus. Ideò ergò dicitur de hæreſi tantum ſuſpectus; quia iratus illud commiſit. Ità docent Alphonſus de Caſtro *de iuſt. hæret. punit. lib. 1. c. 12. & 15.* Genuenſis *in praxi Archiep. Neap. c.* 18. *n.* 11. *& in addit. n.* 17. Zanardus *in ſumm. c. 64. verſ. Secundo dico to.* 2. Symanchas *in Enchid. iudic. viol. relig. tit.* 101. Lezzarius *de blaſphemia q. 6. n.* 14. Farinacius *q. 20. n.* 68. Raphael de la Torre *in 2. 2. D. Thom. q. 96. art. 4. diſp.* 2. Riccius *in praxi to. 2. reſ.* 423. Ioſeph Seſſe *to. 4. deciſ.* 448. *n.* 19. Zecchius *in ſum. to. 1. c. 11. n.* 5. Delrius *diſquiſ. magic. lib. 5. ſect. 16. §. Sacerdotes*, Carena *par. 2. tit. 7. §. 7. n.* 38. Diana *par. 5. tr. 12. reſ. 9. ex par. 4. tr. 9. reſ.* 9. Bordonus *to. 1. c. 41. n. 111. verſ. Qui ergo*, & alij.

Hoc crimen, ſeu delictum eſt ne mixti fori, an ſpectat ad Inquiſitores S. Officij, priuatiuè quoad laicos?

18 Reſp. nonnullos Doctores ſuſtinere eſſe mixti fori, itaut ſit locus præuentioni, inter Iudicem Eccleſiaſticum, & laicum. Ità Iulius Clarus *in pract. crimin. §. fin. q. 68. verſ.* Imaginem, Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.* 33. *n.* 17. Baiardus *ad Clarum n. 49. & ſequ.* Farinacius *de delictis, & pœnis q. 20. n. 68. & ſequ.* Menochius *de Arbitr. iudic. caſu* 376. Francus *deciſ.* 504. vbi Riccius *in addit.* Caballus *in ſuis reſolut. crimin. centur. 1. caſu* 919. Alij verò docent cognitionem huius delicti ſpectare tantùm ad Inquiſitores S. Officij, priuatiuè quoad laicos; quia ſi is, qui talitèr deliquit verbo dixiſſet: Imagines Sanctorum non eſſe venerandas; vtiquè, tanquam de hæreſi ſuſpectus, puniendus eſſet ab Inquiſitore, priuatiuè quoad laicos. Sed hominis voluntas, non minus verbis, quàm factis oſtẽditur, *l. repræhendenda, Cod. de inſtit. & ſubſtit.* & ibi Doctores. Immò magis facto, quàm verbis declaratur, vt cum alijs probat Barboſa *axiomate* 230. *n.* 4. Ergò dum talis delinquens conſpurcando, percutendo, &c. Imagines Sanctorum, facto declarat, ſentire, illas non eſſe uenerandas, utiq; Inquiſitorum S. Officij iuriſdictioni ſubditur, priuatiuè quoad laicos. Inſuper Inquiſitores ſoli ſunt Iudices, in cauſis ſortilegorum hereticalium, quando rebus ſacris utuntur in ſortilegijs; ut ſi quis e. g. baptizaret aliquam Imaginem; uel hoſtiam conſecratam miſceret in ſortilegio. Et hoc non alia ratione, niſi quia crederet, hoſtiam conſecratam, uel abuſum Sacramenti Baptiſmi, habere uirtutem ad ſortilegium, quod eſt hæreticum; alias illa re ſacra non uteretur. Ergò ſimilitèr, niſi deturpans Sanctorum Imagines crederet, non eſſe uénerandas, nõ eſt præſumendum, quòd illas deturparet. Et hoc idem alijs rationibus probat Carena *par. 2. tit. 7. §. 7. per totum.*

Ità

Ità etiam ſuſtinet Azeuedius, inſignis I.C. *in regijs Conſtitut.lib.1.tit.1.l.3.n.7.& ſequ.* omninò videndus, Genuenſis *in praxi Archiep.Neap. c.18. in addit. n.17.* Lazarius *de blaſphemia q.6.n.14.* Souſa *in ſuis aphoriſ.inquiſit.lib.2.c.42.n.14.& ſeq.* Bordonus *to.1.c.26.n.13.*

Iudæi deturpantes Sanctorum Imagines, ſunt ne puniendi ab Inquiſitoribus S.Officij?

19 RESp. affirmatiuè, quia Iudæi, quãuis ſint extra Eccleſiam Catholicam, tamen Inquiſitores S. Officij procedere poſſunt contra eos, vilipendentes, verbis, vel factis, Chriſtianam fidem, & Religionem: vt probant Eymericus *in direct.par.2.q.46.* & ibi Pegna, Royas *de hæret.par.1.n.552.& ſeq.* Farinacius *in fragmen.verb.Iudæus par.2.n.657.* Decianus *in tract.crimin.lib.5.c.14.n.2.* Azeuedius *loc.cit. lib.8. tit.3. leg.1.n.20.& ſequ.* Deturpando autem Sanctorum imagines Iudæi, vilipendunt, & graui iniuria chriſtianam Religionem afficiunt; ergò contra eos procedere poſſunt Inquiſitores; & ità docent Carena *par.2.tit.14.n.35.* Bordonus *to.1.c.25.n.25.*

Eſt ne de fide, eſſe colendos, & venerandos Sanctos, à Summo Pontifice canonizatos?

20 RESp. hanc reſolutionem pendere ab illa quæſtione: An ſit de fide; Summum Pontificem errare nõ poſſe, in Sanctorum canonizatione. In qua nonnulli graues Doctores, quos citant, ſed non ſequuntur Caſtro Palaus *par.1.tr.4. diſp.1. pun.5.* §.4. & Diana vbi infrà, diſtingunt eſſe quidem de fide, poſſe Pontificem canonizare; non eſſe autem de fide, non poſſe in canonizatione errare; ſed hoc eſſe ità certum, vt aſſerere; poſſe illum in huiuſmodi actione errare, ſit temerarium, ſcandaloſum, & de hæreſi ſuſpectum. Tum quia canonizatio fit ex teſtimonijs de ſanctitate, & miraculis, & teſtes ſunt homines, qui falli poſſunt. Tum etiam quia non cogimur, fide diuina credere illam veritatem, quæ reuelata non ſit: Miracula autem, & ſanctitas canonizati, & eum eſſe Beatum in Cœlo, nulli reuelatum eſt. Ergo eius canonizatio, & declaratio, quòd ſit in ſtatu æternæ Beatitudinis, non eſt ità certa, quin poſſit Pontifex in ea errare.

21 Nihilominùs probabilior ſententia docet, non ſolùm eſſe temerarium, ſcãdaloſum, & de hæreſi ſuſpectum, aſſerentem; poſſe, in canonizatione Sanctorum Pontificem errare, ſed eſſe abſolutè hæreticum. Ità ſuſtinet D.Thomas *quodlib.9.ar.16.* Bellarm. *tô.2. controu.4. lib.1. c.9.* Garcia *de canonizat. Sanct.* §.13. Azorius *par.2. lib.5. c.6. q.5.* Valentia *2.2.diſp.1. q.1.pun.7.* §.40. *verſ.Itaque,* Turrianus *in 2.2.to.1.diſp.17. dub.6.* Caſtro Palaus *loc.cit.* Verricellus *in quæſt.moral.tr.8.q.28.n.2.* Arriaga *to.5.diſp.9.ſect.5.n.28.* Megalius *in ſumma, verb.Canonizatio n.1.* Diana *to.9.tr.5.reſ.18.ex par.11. tr.2. reſ.28.* Bordonus *to.1.c.5.n.282.* & alij. Probatur, quia de fide eſt: Pontificem errare non poſſe, in paſcẽdis ouibus fidei doctrina, nec poſſe in Eccleſia deficere ſpiritum veritatis, nec errare in Legibus ſpectantibus ad vniuerſalem Eccleſiam. Alias ipſa macularetur pernicioſo errore, à quo Chriſtus Dominus voluit eam liberare, & promiſit, eius fidem non defuturam: *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua:* Luc.22. & Ioan.16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatẽ:* Ex his ſequitur, quod Pontifex non poteſt, in Eccleſia aliquid ſtatuere, contrarium legi diuinæ, & naturali: ſed ſi ipſe poſſet errare, in Canonizatione Sanctorum, ſtatueret aliquid contrarium legi diuinæ, & naturali, vt per ſe patet; nam obligaret fideles, aſſentiri falſitati, venerando indignum. Ergò de fide eſt in canonizatione Sãctorum; non poſſe errare. Confirmatur, quia de fide eſt, eſſe venerandos Sanctos, eorumq; reliquias; & Eccleſiam auctoritate gaudere, declarandi, quibus hæc inuocatio, & veneratio adhi-

adhibenda ſit; Vt conſtat ex *Clement. et Extrauag. de reliquijs, & veneratione Sanctorum, & ex Trid. ſeſſ. 25. in decreto de eadem re*. Ergò etiam de fide eſt: Pontificem errare non poſſe in declaratione ſanctitatis alicuius, & venerandum eſſe, vt Sanctum ab Eccleſia. Alias fruſtrà eſſet eius auctoritas. Et conſequentèr etiam de fide eſt: Sanctos à Pontifice canonizatos eſſe colendos, & venerandos. Confirmatur ſecundo, quia eſſet intolerabilis error, vt iudicio Eccleſiæ aliquis non Sanctus coleretur pro Sancto, & imitandus proponeretur, qui eſſet damnatus. Eccleſia enim in ferēdis legibus vniuerſalibus, errare non poteſt ſecundùm fidem: nam eſt *Columna, & firmamentum veritatis*, & eſt Sancta ſecundùm vniuerſalem ſtatum, quod non eſſet, ſi in moribus vniuerſalibus erraret.

21 Et ad dictas rationes in contrarium reſpondetur. Ad primam; negando: Pontificem, ſolùm ex teſtimonijs humanis moueri ad Sancti Canonizationem, quia ſimùl cum hac teſtificatione mouetur ex ſpeciali inſtinctu, & aſſiſtētia Spiritus Sancti; & ideò eius declaratio eſt firma, & infallibilis. Ad ſecūdam reſp. Sanctitatem canonizati, & illius aſſiſtentiam in æterna beatitudine, non eſſe regularitèr, & explicitè reuelatam, ſed virtualitèr, & implicitè. Quia reuelatum eſt, in æterna beatitudine aſſiſtere, qui in Dei gratia ex hac vita deceſſit; & etiam reuelatum eſt: Pontificē ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti errare non poſſe in ijs, quæ ad religionem, & cultum vniuerſalis Eccleſiæ pertinēt. Ex his autem principijs deducitur manifeſtè: De fide eſſe etiam, hunc canonizatum verè in cœlis eſſe, cùm hæc conſequentia ſequatur ex vna præmiſſa de fide, & altera euidenti.

Affirmans, Canonizatum à Pontifice non eſſe colendum, nec venerandum, eſſet ne, tanquam hæreticus, ab Inquiſitoribus S. Officj, puniendus?

23 Reſp. non eſſe puniendum, vt hæreticum, quia non affirmat aliquid, quod ſit contrarium his, quæ Eccleſia recipit, tanquam de fide certa, abſq; vlla Doctorum controuerſia. Suprà enim dictum eſt, nonnullos graues Doctores opinari, de fide non eſſe: Pōtificem in canonizatione Sancti errare non poſſe. Ideò eſſet puniendus, tanquam temerarius, impius, ſcandaloſus, & de hæreſi ſuſpectus, iuxtà iſtorum Doctorum ſententiam, vt notat Bordonus *to. 1. c. 5. n. 283. verſ. Quamuis hæc*. Eſſet enim temerarius, quia contra torrentem omnium fidelium aliquid in re graui ſuſtineret; quia omnes verbis, & operationibus fatentur ſanctitatem, & beatitudinem animæ illius, qui à Romano Pontifice eſt canonizatus. Eſſet impius, quia ſuſtineret aliquid cōtra religionem, dùm negaret, deberi cultum Sanctis, canonizatis ab Eccleſia. Eſſet ſcandaloſus; nam quis non ſcandalizaretur audiens, dicentem, animam Beati canonizati non eſſe colendam; ac ſi eſſet damnata. Et eſſet ſuſpectus de hæreſi, quia hęreſim ſapit, negare venerationem Canonizatis, quia videtur, negare, vel auctoritatem Papæ circa Sanctos canonizandos, vel quod Sancti non ſint digni tali honore. Ità ſuſtinent Caietanus *to. 1. opuſc. tr. 15. de indulg.* Vericellus *tr. 8. q. 24.* Bannes 2. 2. *q. 1. art. 10. dub. 7. concluſ. 2.* & alij, Iacobus Granadus *in 2. 2. controu. 1. tr. 7. diſp. 23. ſect. 3. n. 24.* Diana *to. 9. tr. 5. reſ. 22. n. 3. ex par. 11. addit. 2. reſ. 22. n. 3.*

Vt aliquis in Sanctorum numerum, & venerationem per Canonizationē, aut per Beatificationem aſcribatur, quid requiritur?

24 Reſp. requiri primo, vt à Summo Pontifice canonizetur, aut beatificetur; nam, quamuis olim poterat quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi, aliquem pro Sancto, aut Beato eſſe venerandum, declarare; vt teſtantur Thomas Vualdenſis *to. 3. de Sacram. tit.* 14. *c.* 122. Bellarminus *to. 2. lib. 1. de beatif. &* ca-

canoniz. Sanct. c.8. Layman *lib.4.tr.7. c.5.n.1.*Baldellus *to.2.lib.3.diſp.12.n.2.* & alij. Hodie tamen ſolùm ad Summum Pontificem ſpectat, aliquem canonizare, ac etiam beatificare. Ità ex Alexandro III.habetur *in cap. Audiuimus*, & Innocentio III. *in cap. cum ex eo,de reliq.& venerat.Sanct.* & ibi omnes Canoniſtę.Vndè nec ad Epiſcopos, nec ad Legatos à latere amplius ſpectat hæc facultas;vt notant Caſtellinus *de canonizat.Sanct.q.3.ar.2. & 3.* Barboſa *in collect.Doctor.in dicto cap.Audiuimus n.7.* Et quod maius eſt, neque ex commiſſione Pontificis poſſunt, talem facultatem exercere;vt docent Alphonſus de Caſtro *de iuſt. hæret. punit. lib.1.c.6.col.4.verſ.Rurſus,*Contelorius *in addit.ad Caſtellinum dicta q.3. ar.2. n.4.* Quia Pontifex non poteſt, delegare poteſtatem alteri definiẽdi, res fidei; vt probant Aragonius *in 2.2.q.1.art. 10.in tract. de Concil. verſ. Tertia concluſio, & verſ. Ad primum argum.* & Bannes *in 2.2. q.1.ar.10.dub.4. verſ. Quapropter.* Immò neq; Conciliũ vniuerſale poteſt per ſe ſolum,Sanctos canonizare, niſi interueniente Romani Pontificis auctoritate;vt reſoluunt Caſtellinus *d.q.3.ar.5.*Angelus Rocca *de de Canoniz.Sanct.c.4.verſ.Quod ad ſolum.* Ratio autem cur Canonizatio, & Beatificatio ad Sedem Apoſtolicam ſolum pertinent,eſt, quia vtraq; eſt publicum teſtimonium de vera ſanctitate, & gloria alicuius fidelis, & ſimùl iudicium, & ſententia, vt ei tribuantur honores,qui debentur Sanctis, cũ Deo regnantibus;vt docent Bellarm. *loc.cit. c.7.*& Scaccia *de cultu, & vener. Sanct. lib.1.ſect.1.c.8.* Carena *par.2. tit. 17.§. 12.n.39.& 40.* Et ſolus Summus Pontifex eſt Caput, & ſupremus Iudex in Eccleſia, & is, ad quem ſpectat, tales honores decernere, & tale teſtimoniũ dare.

25 Secundo requiruntur certæ, & euidentes probationes vitæ ſanctitatis, & miraculorum. Ità expreſsè Gregorius IX. *in Conſtitut. Canonizationis S. Antonij de Padua,* quæ incipit: *Cum dicat Dominus,*§.3. Vbi ait: *Licet ad hoc, vt aliquis Sanctus ſit apud Dominum in Eccleſia triumphante, ſola ſufficit finalis perſeuerantia,iuxtà illud:Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: Ad hoc tamen vt Sanctus habeatur apud homines in Eccleſia militante, duo ſunt neceſſaria: Virtus morum, & veritas ſignorum,merita videlicet, & miracula; vt hæc, & illa ſibi ad inuicem conteſtentur; cùm nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plenè ſufficiant, ad perhibendum inter homines, teſtimonium Sanctitatis: ſed cùm merita ſana præcedunt, & clara ſuccedunt miracula; tunc certum præbent iudicium ſanctitatis;vt nos ad ipſius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & ſignis ſubſequentibus exhibet venerandum. Quæ duo ex verbis Euangeliſtæ plenius colliguntur: Illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante,& ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.* Hæc Gregorius IX.

26 Merita autem quomodo probentur, exprimitur in *cap. Quærendum de pœnit.diſt.2.*his verbis.*Sanctitas manat in Sanctis, quamdiù mortale corpus geſtãt; vt bonis inſiſtant actibus,voluntariam paupertatem diligant, manſuetudinem ſequantur, pro æternorum deſiderio lugeant, exuriant,& ſitiant iuſtitiam; miſericordiam,munditiam cordis, trãquillitatem pacis amplectantur;& pro obſeruatione,perſecutionum pati, non vereantur,eleemoſynis,orationibus,cęteriſq;fructibus ſpiritus inſiſtere, deſiderent.*

27 Miracula, quæ requiruntur ad Canonizationem, & Beatificationem, debent eſſe poſt mortem facta. Nam, quæ ſolùm in vita geſta ſunt, non plenè cõuincũt.Conſtat enim,plures improbos, dùm viuerent,miracula feciſſe, qui, vt dicitur Matth.7. dicturi ſunt in die iudicij: *Domine in nomine tuo prophetauimus,et in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus*: Et tamen,vt notat D.Auguſtinus *in pſal. 103.* & habetur *in cap. Prophetauit 1.q.1.* à Diuino Iudice eis reſpõdetur: *Non noui vos*: quia non idcircò

ob

ob miracula facta, merentur vitam æternam: Etiam Magi Pharaonis, & Simon Magus, opere Dæmonum, miracula patrarunt, vt docet S. Thomas 2.2.*q.* 178. *ar.* 3. & habetur *in cap. Teneamus* 1.*q.*1. *& cap. Prophetauit* 2.*q.*7. §. *Item Balaam.* Miracula igitur debent eſſe facta, ne dum in vita, ſed etiã poſt mortem, & quod non ex aliquo artificio, nec à Diabolo facta ſint, ſed à Deo, & ſint ſupra naturam; vt *ex cap. Cum ex iniuncto*, §. *Cum igitur de hæreticis.*

28 Pro Martyrum vero Canonizatione, non requiritur miraculorum probatio, ſed probatio cauſæ, ob quam paſſi ſunt. Quia cauſa, non pœna facit Martyrem, vt inquit D. Auguſtinus *epiſt.* 61. *&* 166. Quæ quidem cauſa, debet eſſe fidei defenſio, vel confeſſio, vel Dei offenſę prohibitio; quia S. Ioannes Baptiſta, Martyr ab Eccleſia extimatur, eò quòd occiſus fuit ab Herode ob repræhenſionem adulterij. Ità docẽt Angelus Rocca *de Canonizat. Sanct. c.*35. Cherubinus *in compend. Bull. Schol.* 2. *in conſtit.* 4. *Alexandri III. & ſchol.* 1. *in conſtit.* 11. *Innocentij IV.* Carena *par.* 2. *tit.* 17. §. 12. *n.* 42. Lezana *to.* 4. *conſul.* 1. *de Canoniz. Sanct. n.* 16. Maſcardus *de probat. vol.* 1. *concluſ.* 261. *n.* 10. Quia ut ait D. Hieronymus *in pſal.* 115. ſuper illis verbis: *Calicem ſalutaris. Grandis res eſt Martyrium; quoniam retribuit Domino, quod accepit à Domino. Chriſtus pro ipſo paſſus eſt, & ipſe pro eius nomine patitur*: & poſt pauca ſubdit. *Quicumque Sanctus moritur, licet ſit ſancta eius mors; quia miſericordias operatus ſit, fecerit ſigna, & Dæmones eiecerit, non vadit ad Dominum ſecurus; horreſcit enim eius conſcientia, videns Dominum. Martyr autem, etſi poſt baptiſmum peccauerit; tamen ſecundo Martyrij baptiſmate ablutus, ſecurus ad Dominum vadit.* Si verò cauſa Martyrij non conſtat ſufficientèr, tunc videntur neceſſaria miracula, vt probat Baldellus *to.* 2. *lib.* 3. *diſp.* 14. *n.* 15.

29 Requirunt etiam Pontifices ante Beatificationem, & ante Canonizationem, præter vitæ ſanctitatem, & miracula, multiplicatas preces Magnatorũ intercedentium, item conſtantem famam de Sanctitate, continuationem cultus, & miraculorum, & alia plura ex decreto S. Congreg. Sanctiſs. Inquiſit. iuſſu Vrbani VIII. edito 13. Martij 1625. & 5. Iulij 1634. & anno 1642. vt notant Carena *loc. cit. n.* 49. *&* 50. Baldellus *ibid. n.* 27. *& diſp.* 13. *n.* 1. Lezana *n.* 21. *& ſeq.* Quia in tota Eccleſiæ gubernatione nihil maius, nihil eſt auguſtius Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum; eoſq; pro Beatis, ac Sanctis colendos, & venerandos decernere.

30 Hinc eſt, quòd in huiuſmodi cauſis regularitèr, & communitèr non ſufficit, nec facit plenam probationem fama, *l.*3. §. *Eiuſdem quoque de teſtibus*, & ibi Doctores. Maximè ſi agatur de miraculis, quia circa ipſa fieri debet diligens, & exacta inquiſitio; itaut de ſingulis circumſtantijs innoteſcat, vt *in cap. Cauſam de teſtibus*, & notant Bartolus *tr. de teſtibus*, §. *Qualitas n.* 56. Troylus *de Canoniz. c.*1. *n.*15. *et c.*4. *n.* 64. Maſcardus *de probat. col.* 1. *concluſ.* 261. *n.*41. *et* 42. Paſqualigus *in quæſt. moral. centur.* 1. *q.*69. *n.* 14. Molfeſius *poſt* 2. *vol. ad Conſuetud. Neapol. de probat. miracul. et qualit. teſtium conſil.* 45. *et* 46. *à n.*62. Lezana *loc. cit. n.*40. *et* 41.

31 Verùm ſi fama miraculorum ſit notoria, & probabilibus coniecturis, & veriſimilibus argumẽtis innitatur, præſtat indicium efficaciſſimum ad effectũ Beatificationis, & Canonizationis. Vt colligitur ex Bullis, ſeu diplomatibus Summorum Pontificum, pro Canonizatione, vel Beatificatione. Et patet in literis *Dominum excelſum* Paſchalis II. pro Beatificatione Petri Epiſcopi Ananienſis. Alexandri III. in literis *Redolet Anglia* pro Canonizatione S. Thomæ Cantuarienſis, Gregorij IX. in literis *Mira circa nos* pro Canonizatione S. Frãciſci, Honorij III. in literis pro Canonizatione S. Laurentij Epiſcopi Dublinẽſis; vt refert Fortunatus Scacchus *de cultu, & venerat. Sanct. lib.* 1. *ſect.* 9. *c.* 7. Et idem patet in nouiſſimis inſtrumen-

mentis Canonizationis S. Andreę Corſini, S. Caietani Patris noſtri, D. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, & aliorum, vt refert Lezana *to.4. conſult.* 1. *de canoniz. n.* 42. Et ratio eſt, quia talis fama eſt tantæ efficacię, vt expurget omnem ſuſpicionem contrariam, vt docent Crauatus *conſil.* 145. *in fin.* Card. Tuſchus *to.3. lit.F. concluſ.69. n.*17. Barboſa *in Axiomatibus, axiom.*95. Ac etiam quia famæ probatio cum adminiculis ſufficit pro iuſtificatione, vt habetur ex Rota in *Cluſina Penſionis* 28. Ianuarij 1525. coram Blanchetto; & *in Netitonenſi Penſionis* 24. Nouembris 1606. coram Gregorio XV. inter eius deciſionis *n.* 277. Quæ maximè procedunt, quando fama eſt notoria notorietate facti, quia tunc ex ea ſumitur efficaciſſimum probationis argumentum, & nulla alia indiget probatione. Surdus *deciſ.*259.*n.*14.*& deciſ.*326.*n.*82. Farinacius *in praxi crimin.par.* 1.*q.*21. *à n.* 80. Scacchus *lib.*1.*de notis, et ſignis ſanctitatis ſect.9.c.*5. §. *Sed longe*, Caſtellinus *de canoniz. Sanct.q.6.pag.* 104.

Eſt ne licitum, ex particulari deuotione, ſculpere, vel pingere Imagines Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum, in habitu, & forma alicuius ordinis regularis?

32 RESp. Negatiuè; ex motu proprio Vrbani VIII. edito 5. Martij 1642. in quo præcipit, his verbis: *Ne quis, cuiuſcumque gradus, qualitatis, ordinis, ſtatus, vel conditionis, ac dignitatis, & præeminentiæ, etiam Eccleſiaſticæ, ac indiuidua, & ſpeciali expreſſione dignæ, exiſtat; Imagines Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum quorumcumque, ſculpere, aut pingere, vel ſculpi, aut pingi facere, aut antehac ſculptas, aut pictas, & alias quomodolibet effectas, tenere, ſeu publico aſpectui exponere, veſtitæ cum alio habitu, & forma, quam Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ab antiquo tempore conſueuit; nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis Regularis, tenore præſentium, prohibemus. Ac vt Imagines aliter pictę, vel ſculptæ ab Eccleſijs, & alijs locis, quibuslibet amoueantur, & deleantur, vel reducantur, & reformentur ad habitum, & formam in Eccleſia Catholica, et Apoſtolica, ab antiquo tempore, conſuetam, vt veneratio, & cultus ſic dictis Imaginibus augeatur, & quæ oculis fidelium ſubijciuntus, non inordinata, nec inſolita appareant, ſed deuotionem pariant, & pietatem; & ne exponantur in Eccleſijs quibuslibet, ac quomodolibet qualificatis, ac earum frontiſpicijs, & atrijs, Imagines prophanæ, vel alias indecentiam, et inhoneſtatem præſeferentes; cùm domum Dei deceat ſanctitudo, præcipimus.* Ità Vrbanus VIII.

CAPVT IV.

De cultu non ſuperſtitioſo, ſed religioſo, ac debito Sanctorum Reliquijs.

NVlli dubium eſt ſuperſtitioſum cultum, & mortale peccatum eſſe colere, uel venerandas exponere, aut alijs donare reliquias falſas, tanquam Sanctorum veras; quia vt *in c.2. n.3.* dictum eſt, talis cultus eſt contra fidei veritatem, vt notant Caietanus *in ſumm.verb. ſuperſtitio, n.*2. Nauarrus *c.* 107. *n.*169. Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. c.2.n.*17.*&* 18. Fagũdez *in decal.lib.*1. *c.34.n.3.* & alij. Ideò, nunc aliqua dicemus de cultu non ſuperſtitioſo, & indebito, ſed religioſo, ac debito veris Sanctorum Reliquijs.

Eſt ne de fide Sanctorum Reliquias eſſe ab omnibus fidelibus venerandas.

1 RESp. Affirmatiuè. Ità expreſsè habetur in Conc. Trid. *ſeſſ.*25. his verbis: *Affirmantes, Sanctorum reliquijs uenerationē, atque honorem non deberi,*

vel eas, aliaq; ſacra monumenta à fidelibus inutilitèr honorari: atque eorum opus impetrandi cauſa Sanctorum memorias, fruſtrà frequentari, omninò damnandos eſſe, prout iam pridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Eccleſia. In ſacra enim ſcriptura indicatur Sanctorum corpora eſſe veneranda. Vndè in *Geneſi c.50. et Exod. c.13.* legimus: Oſſa Iacob, & Ioſeph magno cum honore eſſe conſeruata, & ſepulturę tradita, & in egreſſu de Ægypto *tulit quoq; Moyſes oſſa Ioſeph ſecum* ob reuerentiam, & æſtimationem tantæ reliquiæ. Oſſa Eliſei ſuſcitauerunt mortuum; ſic enim dicitur *4. reg. 13. Proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſei, & cum tetigiſſet oſſa Eliſei, reuixit homo.* Multaque alia de veneratione reliquiarum Sanctorum referuntur ab Auguſtino *lib. 22. de Ciuit. Dei, c.8. et in epiſt. 137.* Probatur etiam ratione, quia corpora Sanctorum fuerunt templa animarum Sanctarum, & futura ſunt conſortia æternæ beatitudinis, in qua erunt in perpetuo honore. Item illas conſeruare, & retinere, eſt ſignum amoris erga Sanctos, & excitant eundem amorem, & deuotionem ad illos. Ergò eorum reliquiæ ſunt honore, & veneratione dignæ.

In Eccleſia, in qua eſt aliqua Sancti Reliquia, poteſt ne celebrari eius Miſſa, & Officium?

2 RESp. decreuiſſe Sacram Congregationem Rituum die 8. Aprilis 1628. ex mandato Vrbani VIII. nō poſſe locorum Ordinarios tàm Sęculares, quàm Regulares addere Calendarijs, etiam proprijs, Sanctorum Officia, niſi ea dumtaxàt, quę Breuiarij Romani rubricis, vel S. Rituum Cōgregationis, ſeù Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur. Et inſupèr vetuit celebrari per totam Ciuitatem, vel Diœceſim, etiam de cuiuſque Ordinarij auctoritate, Miſſam, vel Feſtum cum Officio de Sancto, eò quod adſit in Eccleſia Parochiali, vel Regulari, aliqua Reliquia; ſed tantùm in ipſius Sancti Eccleſia titulari, ſeu vbi aſſeruatur inſignis Reliquia, & non alibi. Inſignes autem Reliquias, declarauit, eſſe Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illam partem corporis, in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra, & non parua, & legitimè ab Ordinarijs approbata. Ità referunt Gauantus *commen. in rubr. Breuiar. to. 2. ſect. 1. c.5. tit. 2. n.9. & 10.* Barboſa *de offic. & poteſtate Parochi c.10. n.13.* Lezana *to.1. de obligat. Regul. rat. voti paupert. c.10. n.33.*

Quid requiritur, vt licitè Sanctorum reliquiæ venerentur?

3 RESp. vel loquimur de cultu publico, vel de priuato. Si venerandæ ſint cultu publico, requiritur, vt ab Eccleſia approbatæ ſint. Quæ autem approbatio diuerſimodè requiritur. Quia ſi reliquiæ ſint alicuius Sancti non canonizati, ſolùm à Summo Pontifice approbandæ ſunt; vt ex *c. Cum ex eo de reliquijs & vener. Sanct.* Si verò ſint Sancti canonizati, ſed nouitèr inuentæ, approbari poſſunt ab Epiſcopo loci, vt colligitur ex Conc. Trid. *ſeſſ. 25.* vt ſuſtinēt Suarez *to.1. in 3. par. diſp. 55. ſect. 2. verſ. Sed quæret aliquis,* Sanchez *lib. 2. in decal. c.43. n. 10.* Azorius *par. 1. c.8. q.8.* Fagundez *in 1. Eccl. præc. lib.1. c. 4. n.3.* & alij. Si autem reliquiæ ſint Sancti non canonizati, ſed tantùm beatificati, ſimilitèr ſufficit, vt ab Epiſcopo loci approbentur. Quia eo ipſo, quod à Papa beatificatur, & Miſſa, Officium, Altaria, & Imagines cum laureolis, etiam publicè conceduntur, quæ maiorem, & magis publicum cultum important; eo magis competere poteſt veneratio reliquiarum publica, & ſufficere, vt ſint ab Epiſcopo approbatæ. Et ità affirmāt Portellus *in dub. Regular. verb. Reliquiæ Sanctorum n. 10.* Fagundez *vbi ſup.* Lezana *to.2. de Sanctorum cultu n.3.*

4 Loquendo autem de cultu priuato reliquiarum, ad illos venerandos non eſt neceſſaria Papę, aut Epiſcopi approbatio, ſed ſufficit priuatum teſtimoniū

vnius

vnius perſonæ fide dignæ, aut alia ratio, vel coniectura, quæ ſit ità probabilis, vt ſufficiens ſit ad prudentèr iudicandum, ità eſſe. Ità docent Suarez *vbi ſup. verſ. At verò*, Vaſquez *de adorat. Imagin. lib. 3. diſp. 3. c. 8. n.* 114. Azorius *par. 1. lib. 9. c. 8. q.* 8. Sanchez *in decal. lib. 2. c. 43. n.* 13. & alij. Et idem dicendū eſt de cultu priuato reliquiarum alicuius Sancti nō canonizati; ſufficit enim, vt priuatim adorentur, ſi prædicta moralis certitudo Sanctitatis illius viri, ac veritatis eius reliquiarum habeatur. Ità Sanchez *ibid.*

Reliquiæ, quæ ab antiquis temporibus in veneratione fuerunt, poſſunt ne publicè exponi, ſi non reperiatur eas fuiſſe ab Epiſcopis approbatas?

5 Reſp. affirmatiuè: quia Sacra Congregatio declarauit reliquias antiquas habendas eſſe in illa veneratione, quam hactenus habuerunt. Ità Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 97. *n.* 11. Naldus *in ſumma verb. Reliquiæ Sanctorum n.* 1. Lezana *to. 2. verb. Reliquiæ Sanctorum n.* 8.

Reliquiæ Sancti canonizati ſi ſint permiſtæ cum reliquijs alicuius Sancti non canonizati, nec inter ſe diſcerni valeant, poteſt ne Epiſcopus illas approbare, vt publicè venerentur?

6 Reſp. negatiuè; quia quamuis dignius trahat ad ſe minus dignū. Vndè oleum non conſecratum, admiſtum cōſecrato, remanet conſecratum: *C. quod in dubijs de conſecrat. Eccleſiæ*, & Gloſſa ibi, *verb. Conſecratio*, & communitèr Doctores. Et cadauer excommunicati in loco ſacro ſepultum; ſi diſcerni nequeat à cadaueribus cæterorum fidelium, non eſſet exhumandum: *C. Sacris de ſepult.* & ibi Gloſſa, *verb. Excommunicatorum*: & Doctores affirmant id prouenire cauſa connexionis, & impoſſibilis ſeparationis, iuxtà *C. denique* 14. *q.* 5. Nihilominùs non poteſt Epiſcopus huiuſmodi reliquias, modo ſupradicto miſtas, approbare, vt publicè venerentur. Ità Sanchez *in decal. c. 43. n.* 12. Suarez *to. 1. in 3. par. diſp.* 55. *ſect. 2. verſ. At verum*, Bonacina *to. 2. in 1. decal. præc. diſp. 3. q. 1. pun. 4. n.* 5. Fagūdez *in 1. Eccleſiæ præc. lib. 1. c. 4. n.* 11. & alij. Quia reliquiæ non poſſunt adorari, niſi verè fuerint alicuius Sancti. Si ergò Epiſcopus approbaret, eſſe publicè exponendas illas reliquias mixtas, eſſet manifeſtum periculum errandi, & adorandi reliquias perditi hominis; cum in illo mixto, tàm reliquiæ veræ, quàm non veræ exiſtant. Quod enim dicitur de oleo non conſecrato, mixto cum conſecrato, procedit tantùm in liquoribus; vt docent Antonius *c. 1. n. 11. de conſecrat. Eccl.* & ibi Abbas *in fin.* & ſupradicti Doctores. Et requiritur, vt liquor conſecratus mixtus, ſit in maiori quantitate. At in dicta mixtione ignoratur, quarum reliquiarum quantitas ſit maior. Ergo &c. Verùm hoc non tollit, quominus quis adorare poſſit illas reliquias, qua parte veræ ſunt. Quia ſub hac conditione omne periculum vitatur, vt notāt Sanchez, & Bonacina. Nec dictum *C. Sacris*, probat omnes illas reliquias ob connexionem venerandas non eſſe: ſed ſolùm probat, deberi omnes in loco decenti reponi, & cuſtodiri, ne adſit periculum, contemnendi reliquias veras, neque adorandi falſas. Sicuti ſi dubitetur, an aliquę reliquię ſint veræ, nō debēt exponi adorādæ, ſed sūt ſeruandæ, & cuſtodiendæ in loco decēti. Vt benè docent Armilla, *verb. Canonizatio n.* 2. & Suarez, Sanchez, & Fagundez *locis citatis.*

Eſt ne licitum, abſolutè adorare corpus alicuius Sancti in vno loco, quando alij affirmant, eſſe alibi?

7 Reſp. Affirmatiuè, poſita Summi Pontificis, vel Epiſcopi approbatione, quia corpus eiuſdem Sancti, interdum in diuerſis locis eſſe, exiſtimatur, & in eis ſolemnitèr colitur, ac veneratur. Quod accidit; vel quia in vtro-

que loco eſt aliqua pars illius corporis, & à parte, totum corpus nominatum eſt: ait enim Theodoretus *lib. 8. ad Græcos*: nullibi ferè reperiri integrum alicuius Sancti corpus, propter fideliũ deuotionem. Vel cauſa, interdum eſſe potuit, quia duo Sancti eiuſdem nominis, fuerunt canonizati, & eorum reliquiæ approbatæ: ſed ſucceſſu temporis vtriuſq; reliquiæ eiuſdem perſonæ exiſtimatæ ſunt, & propter nominis ſimilitudinem, illi attributæ, qui maiorem ſanctitatem habuiſſe, creditur. Quod in capite Ioannis Baptiſtæ, aliqui ſuſpicãtur, accidiſſe, dum in diuerſis Eccleſijs eſſe, dicitur. Qui tamen error non tàm eſt in ſubſtantia, quàm in conditione rei adoratæ; Satis enim eſt, vt ſine errore certum ſit, illas eſſe alicuius Sancti reliquias. Ità docent Suarez *to. 1. in 3. par. diſp. 56. de vſu, & adorat. Crucis ſect. 1. verſ. Sed quæret in fine*, CaſtroPalaus *par. 2. de Adoratione diſp. 1. pun. 6. n. 8.* Bonacina *to. 2. in 1. decal. præc. diſp. 3. q. 1. pun. 4. n. 7.*

Eſt ne licitum, publicè exponere adorandam in altari Crucem, varijs reliquijs, non approbatis, ornatam?

8 Reſp. Bonacinam *loc. cit. n. 5.* negare, quod exponi poſſit: quia non ſolùm Crux, ſed etiam reliquiæ videntur, proponi adorandæ cum periculo, vt populus, non ſolùm crucẽ, ſed reliquias non approbatas, ibi exiſtentes, adoret. Sed id eſſe licitum, affirmant Sanchez *lib. 2. in decal. c. 43. n. 17.* Caſtro Palaus *par. 2. tr. 8. de adoratione diſp. 1. pun. 6. n. 10.* Antonius Excobar *to. 4. moral. lib. 28. ſect. 1. c. 13. n. 150.* Thomas del Bene *de offic. Inquiſ. par. 2. dub. 234. ſect. 4. n. 9.* Quia ſic vſus admittit. Et dùm Crux in altari collocatur, nõ reliquiæ, ſed Crux adoranda exponitur; & ſi aliquis reliquias etiam adoret, id eſt per accidens, & ad priuatum, non ad publicum cultũ pertinet.

Quænam Reliquiæ Sanctorum à nobis venerandæ ſunt?

9 Reſp. eorum oſſa, carnes, dentes, capilli, vngues, cineres, & aliæ res, quæ ipſos in vita, vel poſt mortem tetigerunt, vel ad ipſos ſpectarunt, vt veſtes, literæ, ſedilia, ſeù cathedræ, & ſimilia: hæc omnia veneratione, & ſacro honore habenda ſunt, vt definitum eſt in multis Concilijs, & præcipuè in *Lateranenſi c. 62. & in Tridentino ſeſſ. 25. c. 2.* & etiam teſtãtur D. Thomas *3. par. q. 25. & 6.* Suarez *ibi diſp. 55.* Bellarminus *lib. 2. de Sanctis c. 2.* Vaſquez de *adoracione lib. 3. diſp. 3.* Azorius *par. 1. lib. 9. c. 8. q. 2.* & alij communitèr. Hæ autem reliquiæ, tantò prẽſtantiores, cẽſeri debent, quantò propinquius ad Sãctos pertinent, v. g. caro, & oſſa Sanctorum præferuntur in æſtimatione alijs rebus reliquiarũ, vt cineribus, veſtibus, & ſimilibus. Et adorantur omnes, vt coniunctæ cùm Sanctis, quorum fuerunt reliquiæ; ità vt Sancti ipſi per ſe primo adorentur in reliquijs, ſeù per reliquias, quæ ſimul coadorantur; vt notat D. Damaſcenus *orat. 3. de cultu imaginum*, & colligitur ex 7. *Synodo act. 4.* Nam licet ipſæ reliquiæ, realitèr ſeparatæ ſint à perſonis, quarum fuerunt reliquiæ; mente tamen poſſunt, vt coniunctæ apprehendi, & coli. Quia mentis appræhenſio, per modum vnius, ad venerãdum, proponit eas res, quæ, quamuis ſeiunctæ ſint, habitudinem tamen retinent inter ſe. Cultus igitur reliquiarum omnium, fundatur in excellentia, & ſanctitate illorum, quorum ſunt reliquiæ. Nam ipſæ cum ſint res vita, & ratione carentes, propter ſe adorabiles non ſunt. Ergo illa adoratio eſt reſpectiua ad perſonas Sanctorum. Ità colligitur ex dictis Concilijs, & probant ſupradicti Doctores.

Dum tanquam Reliquiæ Sacræ venerantur, quæ Sanctos in vita, vel poſt mortem tetigerunt; quare venerari non poſſunt vermes, qui ex Sanctorum corporibus oriuntur?

10 Reſp. quod vermes oriri ſolent ex cor-

corporibus defunctorũ paulò poſt mortem, quando nec canonizatio, nec beatificatio præceſſit, nec vnquam oriuntur ex oſſibus, aut carnibus exiccatis, & conſequenter petitur quod nunquã euenire poteſt. Sed dato quod vermes orirentur ex corporibus Sãctorũ, qui iã canonizati, vel beatificati ſint. Reſp. quod nõ ſunt tãquã reliquiæ venerãdi, quia valdè indecens eſſet, adorare Sanctos in vermibus, quamuis vermes ipſi ex eadem materia prima, quam Sancti habuerunt, conſtarent. Reliquiæ enim adorãtur propter habitudinem ad perſonam cuius reliquiæ fuerunt, & in quantum in illis appræhenditur ipſe Sanctus, vt adorabilis; quod ſi in vermibus Sanctus appræhenderetur, indecenter hoc fieret; & ideò adorari nõ debent. Tũ etiã, quia viderentur vermes propter ſe adorari, quod turpiſſimũ eſſet. Ità Vaſquez *3. p. diſp.* 112. *c.* 8. *n.* 29. Suarez *to.* 1. *in 3. p. q.* 55. *ſect.* 1. *circa finem*, Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.* 43. *n.* 2. Azorius *par.* 1. *lib.* 9. *c.* 8. *q.* 1. Layman *lib.* 4. *tr.* 7. *c.* 5. *q.* 4. *n.* 14. Caſtro Palaus *par.* 2. *tract.* 8. *diſp.* 1. *pun.* 6. *n.* 1. Bonacina *to.* 2. *in* 1. *decal. præc. diſp.* 3. *q.* 1. *pun.* 4. *n.* 1.

Fruſtulum corporalis poteſt ne, vt Sacra Reliquia haberi, & venerari?

11 Reſp. quod Thomas Hurtadus exiſtimat *to.* 1. *tract.* 2. *c.* 6. *reſ.* 24. *n.* 262. eſſe Sacram Reliquiam; & poſſe in conſecratione altaris loco reliquiæ apponi fruſtulũ corporalis. Quia Summus Pontifex Leo Primus, ad conſecrationẽ cuiuſdã Eccleſiæ, dedit partẽ corporalis, & hoſtiæ Corporis Chriſti, vt loco reliquiarũ ponerentur: & declarauit corporale, ſummam eſſe reliquiam. Nam ſi veſtes, & indumenta alicuius Sancti, & Crux Chriſti ex eorũ cõtactu habẽtur, & ſunt reliquię, quę in magna habentur veneratione, & in cõſecratione Eccleſię, vel altaris poni poſſunt. Ergo corporalia, quæ tãgunt corpus Chriſti verum, abſque dubio magnæ ſunt reliquiæ. Inſuper ſi fruſtulum illius Sindonis, in qua corpus Chriſti mortuum inuolutum fuit, pro magna reliquia habemus. Corporale autem Corpus Chriſti viuum tangit, & continet, & eſt Corporis Chriſti in altare indumentum. Ergo etiam non eſt minori veneratione dignum, non ſolum propter ſignificationem, quam habet, ſed etiam per contactum. Hæc Hurtadus.

12 Sed omninò dicendum: quod quamuis corporalia cum reuerentia tractanda ſint, nec à laicis tangenda, nec lauanda, niſi à Diacono; tamen nunquam in Eccleſia Dei, tanquam reliquiæ habita, & æſtimata ſunt; nec tanquam reliquiæ populo expoſita, ad adorandum. Aliàs etiam calices, patenæ, piſſides, & oſtenſoria, ob eandem rationem, tanquam reliquię veneranda eſſent. Immò ſi aliqua particula caſu ſuper tapetum v.g. caderet illa pars tapeti, quam tangeret corpus Chriſti, eſſet tãquam reliquia æſtimanda, & poſſet poni in conſecratione altaris; quod nemo vnquam dicet; ſed Rubrica ait, quod poſt ablutionem, ad ſolitos vſus deſtinata, remaneat. Nec contactus Corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ habetur ab Eccleſia, vt cõtactus ille phyſicus Corporis Chriſti, in Cruce, Spinis, Lancea, & alijs inſtrumentis eius Paſſionis.

13 Et factum illud Leonis Papæ æſtimatur apochriphum; vt notant Diana *to.* 2. *tr.* 1. *reſ.* 178. *n.* 4. *ex par.* 11. *tr.* 6. *reſ.* 25. *n.* 4. Et Syluester *verb. Altare n.* 5. qui illud refert, non illud approbat. Nec eſt veriſimile, Sanctum illum Pontificem dediſſe prò conſecratione altaris partẽ hoſtiæ Sacræ loco reliquiæ. Quia Corpus Chriſti in Euchariſtia eſt cibus animæ, nec in aliũ vſum à Chriſto inſtitutũ fuit; nec vti poſſumus. Eſſet etiam contra reuerentiam debitam tanto Sacramento, illud in conſecratione altaris corruptioni exponere. Ideò non eſt credendum, Leonem Pontificem hoc feciſſe, vt notant Vaſquez *diſp.* 233. *c.* 2. *n.* 17. Coninch. *q.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *n.* 242. Emanuel Sà *verb. Altare in fin.* Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 5. Lugo *de Sacr. diſp.* 20. *ſect.* 3. *n.* 75. Caſtro Palaus *par.* 4. *diſput.*

22. *pun.9.n.5.* Fagundez *in 1. præc. lib.3. c.22.n.6.* Dicaſtillus *de Sacram. to.1. tr. 5. diſp.4. dub.9. n.147.* Diana *vbi ſup. n. 3.* Sicut, ergo huiuſmodi factum redditur apochriphum, & inueriſimile, in ordine ad particulam hoſtiæ conſecratæ; ità etiam æſtimandum eſt, in ordine ad corporale. Niſi forſitan aliquis dicat, fuiſſe fruſtulum alicuius corporalis miraculoſi, quod tunc Romæ extabat, & nunc extant in Italia, & in Hiſpania. Pater verò Amicus *to.7. diſp. 33. ſect. 12. n. 349.* affirmat, factum ſupradictum Leonis, quantùm ad partem corporalis probabile eſſe, ſed quoad partem Euchariſtię omninò abſurdum, & indignũ: Sed tutius eſt dicendum, eſſe quoad vtrumque inueriſimile, dùm credi non poteſt, tunc Romę non adeſſe reliquias Sanctorum; ità vt Pōtifex coactus fuiſſet, loco ipſarum, fruſtulum corporalis appoſuiſſe.

Qui geſtando ſecum reliquias peierat, furatur, fornicatur, vel aliud peccatum committit, habet ne tale peccatum ſpecialem malitiam, neceſſariò in confeſſione exprimendam?

14 Reſp. Affirmare Philiarcum *de officio Sacerd. to.1. 2. par. lib.3. c. 9. circa finem.* Quia negari non poteſt, ait, irreuerentiam fieri reliquijs Sāctorum, ſeù potius Sanctis ipſis, quorum ſunt illæ reliquiæ, dum ad illarum conſpectum Deus offenditur. Sed contrarium docent Azorius *1. par. lib.9. c.8. q.6.* Bonacina *in 1. præc. diſp.3. q.1. pun. 4. n.7.* Sanchez *lib.2. in decal. c.40. n.28.* Caſtro Palaus *par.2. tr. 8. diſp. 1. pun.6. n.10.* Leander *de Sacrament. to.1. tr.5. diſp.8. q.15.* Diana *tom.1. tract.7. reſol. 80. & reſ.81. ex par.1. tr.7. reſ. 18. & ex par. 11. tr.8. miſc.8. reſ.58.* & alij, quos ipſe citat. Quia Sanctorum reliquiæ ſicuti neque coluntur, neque adorantur, quādo quis aliquod opus bonum præſtat, e.g. eleemoſynam largitur, vel ieiunat, vel ſimile: Ità neque directè offenduntur, neque irreuerenter tractantur, cum quis aliquod peccatum committit, ſiuè peierando, ſiuè furando, ſiuè fornicando, vel quid ſimile faciendo; dummodò in illarum contemptum peccata non fiant. Reliquiarum enim geſtatio, dum quis peccat, eſt nimis accidentaria. Et quamuis Dicaſtillus *de Sacram. to.2. tr. 8. diſp.9. dub.8. n. 718. cum* Lugo *diſp. 16. n.513.* affirmet, eſſe irreuerentiam aliquam, geſtando reliquias, fornicari, niſi inaduertentia, vel ignorantia excuſet ab omni culpa; quia talis actus, in prudenti æſtimatione, continet indecētiam; Tamen exiſtimat, non eſſe irreuerentiam mortalem, quæ neceſſariò ſit explicanda in confeſſione: Idem affirmat Peyrinus *to.1. in conſtitut. Leonis X. c.4. n.2.*

Qui reliquias ſacras, vel Agnos benedictos daret amaſiæ prò actu venereo, committeret ne Simoniam, vel Sacrilegium?

15 Reſp. vel dātur reliquiæ, aut Agni benedicti in pretium actus venerei, & indubitanter eſt Sacrilegium, & Simonia; quia datur res ſpiritualis, & ſacra prò re temporali, & peccaminoſa. Si verò dentur tantùm ex gratitudine, & beneuolentia, non erit nec Simonia, nec Sacrilegium; ſed quædam irreuerentia; irreuerenter enim daretur res ſacra, & Deo dicata, in remunerationem actus turpis, & profani. Ità Filiucius *to.2. tr.30. c.7. n. 129.* Diana *to. 1. tr.7. reſ.81. ex par. 1. tr.7. reſ.18.*

Dare, vel recipere pecuniam, ob reliquias habendas, vel videndas, eſt ne Simonia?

16 Reſp. Affirmatiuè: quia pretio æſtimatur res ſpiritualis, & ſacra. Vnde in C. vltimo de reliquijs, & venerat. Sanctorum præcipitur: *Ne reliquiæ exponantur venales*, & in Conc. Trid. *ſeſſ. 25. in princ.* dicitur: *In reliquiarum veneratione omnis turpis quęſtus eliminetur*: Et ità etiam docēt Suarez *to.1. in 3. par. diſp.56. ſect. 2. verſ. Et hinc, & to. 1. de relig. lib. 4. de Simonia*

*nia c.*14.*n.*24.Sanchez *lib.* 2. *in decal.c.* 43.*n.*22.Peyrinus *to.* 1. *in conſtit. Leonis X.c.*4.*n.*2. Caſtro Palaus *par.* 2. *de adorat.diſp.*1. *pun.* 6.*n.* 17. & alij communiter.

17 Verùm ſi ipſæ reliquiæ ſint ornatæ argento,& auro,clarum eſt, abſque ſimonia vendi poſſe illud ornamentum;quia eſt materiale, & valdè extrinſecum ipſis reliquijs.Sed obſeruandum eſt, ne carius illud tabernaculũ vẽdatur propter reliquiam, quam continet. Sicut non liceret vendere cariùs Roſarium, eò quod per contactum ad varias reliquias, videatur quodammodo ſanctificatum. Quia per hos omnes reſpectus venditur,quod ſpirituale eſt, & inuẽdibile,vt notat Suarez loc.cit.

18 Si verò reliquiæ eſſent apud infideles, vel hæreticos, & ne irreuerenter tractentur, pretio fidelis illas emeret, nullam committeret ſimoniam,nec peccatum, ſed potiùs religionẽ foueret: quia tunc non ſacrum, quod eſt in reliquijs, emeretur; ſed pretio redimeretur vexatio, qua infideles, & hæretici vexant fideles,iniuſtè retinendo reliquias illas. Ità Philiarcus, *de offic.Sacerd.to.*1. *par.* 2.*lib.*3. *c.*9. *ad fin.* Vgolinus *de ſimonia tabula* 1.*c.*38.*n.*5. Sanchez, Caſtro Palaus *vbi ſup.* Similiter ſi quis nollet reliquias oſtendere, & aliquis pecuniam illi daret, vt illas oſtendat, non eſſet ſimonia, quia tunc pecunia non datur, vt pretium, ſed vt animum illius inflectat abſque vllo pacto, nec intendit recipientem obligare.

Qui exponeret reliquias videndas, vel tangendas, vt hac occaſione eleemoſynæ creſcerent, committeret ne ſimoniam, vel mortaliter peccaret?

19 Reſp. Non deeſſe Doctores, qui ſubſtinent: reliquias exponere, publicè adorandas ob quæſtum, & vt abundantiores eleemoſynæ colligãtur, eſſe peccatum ſimoniæ. Quia hoc in rigore eſt quædam lata venditio, & illicitus modus negotiationis. Et in Cõc. Trid. *ſeſſ.* 25. præcipitur: *Vt in reliquiarum veneratione omnis turpis quæſtus eliminetur.* Ità ſuſtinent Abbas *in C.finali de reliquijs, & vener. Sanct.notab.* 1. Angelus *verb. Reliquiæ initio*, Vgolinus *de ſimonia tabula* 1.*c.*38. *n.*1. Azorius *par.*1. *lib.*9. *c.*8. *q.* 7. Limitant verò alij hanc ſententiam, eſſe veram, quando principaliùs, ob has maiores eleemoſynas, reliquiæ oſtenduntur; quàm ob populi deuotionem; ſecus quãdo eſſet finis minus principalis. Ità Fumus *verb.Reliquiæ n.*1. *& ibi* Tabiena *initio*, Nauarrus *c.*17.*n.*169.Philiarcus *de offic. Sacerd. to.*1.*par.*2. *lib.*3.*c.*9. *circa finem,& alij.*

20 Dicendum tamen cum Sanchez *lib.*2. *in decal.c.*43.*n.*22.Fagũdez *in* 1. *Eccleſ. præc.lib.*1.*c.*4. *n.* 29. Caſtro Palao *par.* 2.*tr.*8. *de adorat. diſp.* 1. *pun.* 6.*n.* 18. Peyrino *to.*1.*in conſtit. Leonis X. c.*4. *n.* 2.Soto *lib.*9.*de iuſt.q.*6.*art.*2.*in fin.* Lezana *to.* 2. *verb. Reliquiæ Sanct. n.* 4. Thoma del Bene *de offic. Inquiſ.par.*2. *dub.*234.*ſect.*11.*n.*6.Qui docent neque ſimoniam,neque grauem culpam committi in dicta oſtentione reliquiarum, etiamſi finis principalis ſit, acquiſitio maiorum eleemoſynarum: dummodo eleemoſynæ non offerantur in pretium oſtenſionis, & ex pacto: vt e.g. Propone reliquias in publico, & reddemus tantum. Quia non eſt emere, vel vendere,quando non intenditur lucrum ex pacto, & tanquam pretium; ſed tanquã eleemoſyna gratis oblata. Conc.autem Trid. in illis verbis: *In reliquiarum oſtentione, omnis turpis quæſtus eliminetur*; prohibet quæſtum turpem,nempè ſtipendium ex pacto, aut pretium; quia tunc eſſet lucrum rei ſpiritualis,& conſequentèr ſimonia; Sed non prohibet acquiſitionem eleemoſynarum ob talẽ oſtenſionem. Ergo etiam ſi finis principalis ſit acquiſitio largiarum eleemoſynarum, non eſt ſimonia, nec mortale peccatum; dummodo eleemoſinæ non exigantur ex pacto,nec intendantur, tãquàm eius oſtenſionis pretium; ſed tãquàm eleemoſynæ gratis ex deuotione re-

reliquiarum oblatũ. Ità ſupradicti Doctores.

Eſt ne peccatum, furtiuè ſubtrahere Sanctorum reliquias?

21 RESP. Affirmatiuè: & eſſe furtum ſacrilegum, mortale, etiã ſi ſurripiantur cauſa deuotionis, & vt honorabili loco collocentur, quia eſt rei ſacræ, inuito Domino, ablatio. Nec ab hoc ſacrilegio excuſaret, ſi reliquiæ ſurriperentur cõſentiente Præfecto Eccleſiæ, in cuius cuſtodia commiſſæ eſſent. Quia iſte nullam reliquiarum adminiſtrationem habet, ſed tantùm cuſtodiam; & ideò eius licentia non excuſaret à ſacrilego furto. Nec etiam excuſaret paruitas materię reliquiarum. Quia in hoc ſacrilegio nõ ſpectatur ſola rei ablatæ quantitas, ſed qualitas, ac dignitas, & æſtimatio; quæ hanc materiam aggrauant. Ità docent D. Antoninus *3. par. tit. 12. c. 8. fin.* Syluester *verb. Reliquiæ q. 2. & ibidem* Angelus *n. 2.* Armilla *n. 2.* Tabiena *n. 3.* Philiarchus *de offic. Sacerd. to. 1. par. 2. lib. 3. c. 9. fin.* Sanchez *lib. 2. in decal. c. 43. n. 23.* Fagũdez *in 1. Eccl. præc. lib. 1. c. 4. n. 20.* Caſtro Palaus *par. 2. tr. 8. de adorat. diſp. 1. pun. 6. n. 19.* Bonacina *in 1. præc. diſp. 3. q. 1. pun. 4. n. 8.* Thomas del Bene *par. 2. de offic. inquiſ. dub. 234. ſect. 10. n. 1.* & alij.

Secus verò dicẽdum, ſi reliquiæ ſint apud infideles; tunc enim liceret illas ſurripere; quia iniuſtè eas illi poſſident, & nulla infertur iniuria. Ità etiam dicti Doctores.

Qui Sanctorum reliquias furatur inciditne in excommunicationem?

22 RESP. quod Azorius cum Syluestro exiſtimat *par. 1. lib. 9. c. 8. q. 10.* huiuſmodi furem ante quamlibet admonitionem contrahere excommunicationem minorem, ob quam non poteſt Sacramentum altaris ſuſcipere. Et ſi poſtea, ter admonitus, non ſatisfecerit, eſt excommunicatione maiori puniẽdus. Quia ſic colligitur in *C. Quiſquis inuentus 17. q. 4.* Sed Suarez *to. 5. in 3. par. diſp. 22. ſect. 2. n. 9.* Sanchez *lib. 2. in decal. c. 43. n. 24.* Caſtro Palaus *par. 2. de adorat. diſp. 1. pun. 6. n. 21.* Fagundez *in 1. Eccl. præc. c. 4. n. 21.* Peyrinus *to. 1. in conſtit. 3. Leonis X. §. 2. n. 5.* & alij cõmuniter docent: Nullam adeſſe excommunicationem, ſed ſolum peccatum Sacrilegij, contra reliquias ſurripientes; quia nullus eſt caſus in vſu, in quo excommunicatio minor incurratur, niſi tantùm ob participationem cum excõmunicato; vt docent Caietanus *in ſum. verb. excommunicatio in fin.* Sotus *4. diſt. 22. q. 2. ar. 3.* Nuarrus *c. 27. n. 23.* Suarez *vbi ſup. diſp. 24. ſect. 3. n. 2.* & alij. Nec vllo iure ſufficienter probatur, eſſe excommunicatos ſurripientes reliquias; & pœna, contenta in dicto *C. Quiſquis*, eſt lata contra fractores Eccleſiam, & raptores.

Extrahens reliquias à loco, in quo reconditæ ſunt, quas pœnas incurrit?

23 RESP. ſi loquamur, de extrahentibus Sanctorum reliquias ab Vrbe Roma, adeſt decretum de mandato Pauli V. *editum die 24. Auguſti* 1613. in quo præcipitur: Ne quis audeat, vel preſumat intrare in aliquã ex Cryptis, Catacumbis, vel Cœmeterijs intra, vel extra Vrbem Romam exiſtentibus; neque de illis extrahere reliquias, etiam in minima particula, ſeù quantitate, neque ad id præſtare auxilium, vel fauorem, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & ſub pœna triremium, & alijs pœnis, arbitrio Vicarij, ipſo facto incurrẽdis. Adeſt etiam aliud Decretum, de mandato eiuſdem Pauli V. editũ *die 16. Maij anno* 1614. in quo ſtatuitur: Ne quis poſſit reliquias extrahere, de Eccleſijs, Monaſterijs, locis pijs, Chryptis, vel Cœmeterijs, intra, vel extra Vrbem Romam exiſtentibus. Alias incurrat excommunicationem, ipſo facto Papæ reſeruatam. Quæ extẽditur in eos, qui prædictarum Eccleſiarum, aut locorum curam, ſeù guberna-

nationem habent, ſi extractionem permiſerint, ſeu extractioni conſenſerint. Ità Theſaurus *in praxi par. 2. verb. Reliquiæ c. 1. §. 1. n. 3.* Quoad extractionē pro Prouincia Mediolanēſi extat prohibitio Gregorij XIII. vt refertur à Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 50. n. 158.* & à Caſtro Palao *par. 2. de adorat. diſp. 1. pun. 6. n. 21.*

24 Notat etiam Sanchez *lib. 2. in decal. c. 43. n. 25.* quòd ſi Reliquiæ Sanctorū ſint perpetuæ ſepulturæ traditæ, transferri nequeunt abſque Summi Pontificis licentia, vel Epiſcopi, vel Sanctæ Synodi, niſi neceſſitas immineat, vt incendij, &c. quia tunc ſufficit auctoritas Præſidis Prouinciæ; vt ex *C. Corpora de conſecrat. diſp. 1. & ex l. 1. Cod. de reliquijs, & ſumpt. fun.* Sed ſi perpetuæ ſepulturæ non dum traditæ ſint, benè poſſunt, transferri ſine alicuius auctoritate ad alium locum religioſum: *l. ſi nec dum, C. eod. tit.* & docent Gloſſa *in dicto C. Corpora*, D. Antoninus *3. par. tit. 12. c. 8. fin.* Angelus *verb. Reliquiæ, n. 1.* & alij.

25 Paſſarinus *to. 1. de ſtat. & offic. hominū q. 85. ar. 7.* etiam teſtatur, ſtylum Romanæ Eccleſiæ eſſe, quod non extrahantur, nec transferantur de loco ad locum Sāctorum reliquiæ, muro clauſæ; vel inſignes ſine licentia Papæ. Et ſibi conſtare, ait, ſimilem licentiam datam fuiſſe à Pontifice, media Sac. Regul. Congr. *vt in vna Ianuenſi 20. Ianuarij 1593.* transferendi Corpus Sāctum de vno altari ad aliud eiuſdem Eccleſiæ. Et in alia *Roſſanenſi 28. Nouembris 1603.* conceſſum fuiſſe; vt à quadam Eccleſia poſſit, ad Cathedralem transferri, pars vnius Reliquiæ; dummodò id fieret de conſenſu Superiorum illius Eccleſiæ, ſine ſtrepitu, & cum omnium ſatisfactione. Ideò dicēdum reliquias muro clauſas, & reliquias inſignes, etiam non muro clauſas, non poſſe ſine licentia Summi Pōtificis extrahi de loco vbi ſunt, & ad alium transferri, neque in eadem Eccleſia de altari ad altare.

Regulares, Sanctorum Reliquias alienantes, incidunt ne in pœnas Paulinæ, de rebus Eccleſiæ non alienandis?

26 RESp. Affirmatiuè Paſqualigus *in centur. 2. q. 181.* Caſtro Palaus *par. 2. tr. 12. diſp. vnica pun. 15. §. 1. n. 8.* Riccius *in praxi par. 1. reſol. 60.* Barboſa *in ſumma verb. Reliquiæ Sanctorum n. 7.* Lezana *verb. Alienatio n. 14.* Tamburrinus *to. 3. diſp. 13. q. 1. n. 11 & q. 2. n. 13.* Bonacina *de alienat. pun. 2. n. 31.* Genuenſis *in pract. cap. 56. n. 4.* Carolus Maranta *conſ. 3. p. 3.* Ricciullus *Eccleſ. lucubrat. lib. 11. c. 44.* & alij. Quia Paulus II. motus fuit, ad prohibendam alienationem omnium rerum Eccleſiæ, ne ipſa ſuis ornamentis, quibus illuſtratur, priuetur, & detrimentum patiatur. Sed magis illuſtratur Reliquijs Sanctorum, quàm cæteris alijs rebus pretioſis. Ergo in prohibitione alienandi res pretioſas, includitur etiā alienatio reliquiarum. Confirmatur, quia quamuis Sāctorum reliquiæ, pretio, ſeù pecunijs æſtimari non poſſint, ſunt tamen omnium mobilium pretioſiſſimæ, & quæ æſtimari debent plus quam quodlibet vas pretioſum Eccleſiæ. Ergo earum alienatio compræhenditur in dicta Paulina.

27 Verum Bordonus *to. 4. deciſ. 194.* Paſſarinus *de ſtatibus hominū to. 1. q. 185. art. 7. n. 416. & 420.* Diana *to. 5. tr. 1. reſol. 78. ex par. 10. tr. 14. miſc. 4. reſ. 23. alias 25.* Pellizzarius *to. 2. tr. 6. c. 8. n. 91.* ſuſtinent Sanctorum reliquias non eſſe incluſas in prohibitione dictæ bullæ Pauli II. ità vt alienari non poſſint à Regularibus ſine debita ſolemnitate: quia in ea prohibetur alienatio rerum temporalium pretio æſtimabilium, vt patet ex illis verbis textus: *Quod ex immobilibus, & pretioſis mobilibus Miniſtri Eccleſiarum ſibi alimoniam vendicant.* Alimenta autem habentur ex rebus pecunia æſtimabilibus, non autem ex Sanctorū reliquijs, quæ ſunt ſupra omnem temporalem

æſtimationem, nec pecunijs æſtimari poſſunt.

His tamen non obſtantibus, in praxi non eſt recedẽdum à prima opinione, quod ſcilicet: Reliquiarum alienatio ſit inclusa in prohibitione Paulinæ; quia etſi pretio nõ æquẽtur, sũt tamẽ ſupra omne pretium: Limitat verò hanc ſententiam Caſtro Palaus: dummodò reliquiæ ſint inſignes, vt Caput, Manus, Pes, & ſimiles alicuius Sancti ſatis cogniti, & qui ſit apud omnes in magna veneratione.

Eſt ne licitum, Sancti alicuius reliquiã radere, & ipſius raſuram infirmis in potum dare?

28 RESp. Negatiuè. Quia adeſt declaratio Sacræ Congregationis Epiſc. & regul. in qua præcipitur, nõ poſſe radi oſſa Reliquiarum Sanctorũ, vt raſuræ dentur in potum infirmis. Ità referunt. Gauantus *in manuali verb. Reliquiæ Sanctorum n.* 34. Lezana *to.* 2. *verb. Reliquiæ Sanctorum n.* 11. Thomas del Bene *de offic. Inquiſ. par.* 2. *dub.* 234. *ſect.* 13. *n.* 9. & alij.

Clerici in ordinibus minoribus, & laici poſſunt ne, tangere Sanctorum Reliquias?

29 RESp. poſſe religioſè illas tangere, aut decenter in thecas includere, ac etiam apud ſe honeſtè, & piè tenere. Quia etſi D. Gregorius *lib.* 3. *epiſt.* 30. dicat: *Omninò intolerabile eſſe, atque ſacrilegum; ſi Sanctorum corpora, tangere, quiſquã fortaſſe voluerit.* Tamen ipſe de illis tẽporibus loquutus eſt; in quibus nulli, etiam in Sacris Ordinibus conſtituto, licebat, Sãctorũ corpora, oſſa, vel particulas eorũ, è loco amouere, transferre, vel geſtare. Sed vſu deindè introductum eſt, vt transferantur, & è collo etiam pendentes, honorificè in vaſculis incluſæ geſtentur. Ideò non eſt alicuius criminis cõdemnandus Clericus in minoribus, vel laicus, qui eas reliquiarum ſacrarum minutias, quas apud ſe habet piè, & religioſè tangit, aut in capſas includit. Secus verò ſi irreligioſè, & per contemptum. Nullibi enim inuenitur interdictum laicis, reliquias decenter tangere; ideò neque eſt peccatum veniale. Ità Azorius *par.* 1. *lib.* 9. *cap.* 9. *quæſt.* 5. Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.* 43. *n.* 26. Caſtro Palaus *par.* 2. *de adorat. diſp.* 1. *pun.* 6. *n.* 15. Thomas del Bene *par.* 2. *de offic. S. Inquiſ. dub.* 234. *ſect.* 12. *n.* 1. Addit etiam Sanchez *n.* 27. *in fin.* Agnos Dei tangere, nullam eſſe culpam, eò quod vſus obtinuerit, vt à laicis, etiam fœminis tangantur: & *n.* 29. etiam ait: Quod quamuis ſit interdictum: Agnos Dei venales exponere; intelligitur tamen de venditione ſimoniaca: qualis eſt ſi ratione benedictionis; pluris vendantur. Secus ſi ratione ſolius materiæ, ex qua conficiuntur, & impenſarum in eis conficiendis, & ab Vrbe Roma portandis, vendantur.

Liceat hic incidentèr petere aliqua de reuerentia debita rebus ſacris.

Eſt ne licitum Clericis in minoribus conſtitutis, & laicis, calices conſecratos, & alias res ſacras tangere?

30 RESp. Affirmatiuè, quoad Clericos quia ab his tãgẽdis excludũtur in *Can Sacra Apoſtolica de conſecr.* profani, & admittũtur ſacrati. Clerici autẽ, etiam prima tonſura initiati, ſacri dicuntur ex *Cap. Non oportet* 28. *diſt.* & docet Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. D. Thom. de Euchariſt. diſp.* 81. *ſect.* 9. §. *Tertio.* Ergo licitum eis eſt, calices conſecratos, purificatoria, & corporalia, tangere. Laicis verò non licet res iſtas ſacras contrectare; quia videtur eis prohibitum in *cap. Sacratas* 23. *diſt.* Verũ ſi de facto tangerent, debito tamen honore, & reuerentia, culpam grauem nõ committerent; quia non videtur grauis irreuerentia. Ità Azorius *par.* 1. *lib.* 9. *cap.* 9. *q.* 3. Bonacina *diſp.* 3. *in* 1. *decal. præc. q.* 1. *pun.* 4. *circa finem*, Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.* 43. *n.* 27. Caſtro Palaus *par.* 2. *tr.* 7. *diſp.* 1. *pun.* 6. *n.* 24.

Si

Si Sacerdos celebraret cum calice nõ conſecrato, vel cũ paramentis non benedictis peccaret ne mortaliter? & remanerent ne, calix ille conſecratus, & paramenta benedicta?

31 RESp. ad primum, nulli dubium eſſe: Sacerdotem, ſcienter celebrantem cum calice, vel patena non conſecratis, peccare mortaliter: quia agit contra præceptum Eccleſiæ in re graui; vt expreſsè docet Tamburrinus *opuſc. de ſacrificio Miſſæ diſp.* 1. *c.* 1. §. 3. *n.* 1. *& ſeq.* Ad ſecundũ verò; An in tali caſu calix remaneat conſecratus, & paramenta benedicta: negant Lugo *in* 3. *par. to.* 2. *de Sacram. Euchar. diſp.* 20. *ſect.* 4. *n.* 91. Fagundez *in præc. Eccleſiæ lib.* 3. *c.* 21. *n.* 17. Portell. *in addit. ad dub. regular. verb. Eccleſia n.* 5. ſed indigere ſolita conſecratione, & benedictione. Quia huiuſmodi conſecratio, & benedictio pendet ex certa verborum forma, ab Eccleſia ad id inſtituta, quæ dũ non profertur ſuper ipſas res, non cenſetur habere effectum conſecrationis, aut benedictionis: per hanc enim formam ab Eccleſia tanquam ſacræ deputantur, & nõ per aliud miniſterium.

32 Sed probabile eſſe, per primam celebrationem, à Sacerdote bona fide factam, calicem conſecratum, & indumẽta ſacerdotalia benedicta, manere, nec indigere alia conſecratione, aut benedictione docent Emmanuel Sà *verb. Eccleſia n.* 19. Tamburrinus *opuſc. de ſacrificio Miſſæ lib.* 1. *c.* 1. §. 4. *n.* 1. *& ſeq.* Antonius de Excobar *to.* 1. *Theol. moral. exam.* 1. *præcept.* 1. *Eccleſ. c.* 4. *n.* 95. Diana *to.* 2. *tr.* 1. *reſ.* 173. *&* 174. *ex par.* 2. *tr.* 14. *reſ.* 69. *& par.* 5. *tr.* 13. *miſc.* 1. *reſ.* 60. Franciſcus de Nigro *in addit. ad Ruiz par.* 6. *animad.* 8. *n.* 4. Caſtrus *lib.* 2. *de leg. diſp. penult. c. vlt.* Auila *de cenſur. par.* 5. *diſp.* 7. *dub.* 3. *cõcluſ.* 1. Bordonus *to.* 3. *reſ.* 83. *n.* 19. Quia ſacrificij dignitas, & contactus ſanguinis Chriſti vtique ſanctificat calicem, & veſtimenta ſacerdotalia; Ergo non indiget ille alia conſecratione, nec iſta alia benedictione. Sicut Eccleſia polluta non indiget alia reconciliatione, ſi quis in ea celebrauit; vt communiter Doctores affirmant. Confirmatur; quia calix non conſecratus eſt materia profana, & poſtquam quis in eo conſecrauit, non eſt amplius profanus: ſed ſacer effectus eſt per contactũ Sãguinis Chriſti. Ergo non eget alia conſecratione. Et idẽ dicẽdum eſt de veſtimentis ſacerdotalibus nõ benedictis, quòd maneãt benedicta, poſtquam ſacerdos bona fide illis vſus eſt. Immò Bordonus, Emmanuel Sà, Tamburrinus *locis citatis* ſuſtinent, quòd etiamſi Sacerdos mala fide celebraſſet cum calice non conſecrato, & cum indumentis non benedictis, adhuc per illam celebrationem, manerent indumenta benedicta, & calix conſecratus. Quia non eſt bona fides, quæ conſecrat, aut benedicit; ſed Sanguis Chriſti Domini, & ſacrificij celebratio. Et ſicut Sacerdos ad huiuſmodi conſecrationem, & benedictionem nihil ex ſe confert, cùm totum pendeat à confectione ſacrificij: ità neque illius bona, aut mala fides obeſſe, vel prodeſſe poteſt. Et idem dicendum eſt de altaris lapide, non conſecrato, fieri conſecratum, per Miſſæ celebrationem, vt affirmant, Bordonus *loc. cit.* & Paſqualigus *deciſ.* 45.

Quando per notabilem fracturã perditur calicis, & patenæ conſecratio?

33 RESp. quod notabilis fractura dicitur, quando patena hoſtiam capere non valet, & in calice Sanguis Chriſti commodè conſeruari non poteſt, D. Thomas *3. par. q. 83. art. 3. ad* 1. D. Antoninus *3. par. tit. 13. c. 6.* & alij communiter. Notandum autem eſt, quod ſi calicis cuppa, à pede ità ſeparari poſſit, vt tanquam res ſeparata, conſecrationem recipere, & conſeruare poteſt, tunc calix, per ſeparationem à pede, conſecratus adhuc manet. Secus verò ſi pes ſit, ità ſcypho, ſeù cuppa coniunctus, vt ob fractionem omninò

nò ſeparetur, nec per ſe ſtare poſſit, tũc perditur conſecratio. Ità docẽt D. Antoninus *vbi ſup.* §. 5. Henriquez *lib. 9. de Miſſa c. 28. n. 2.* Armilla *verb. Calix* §. 2. Paludanus *in* 4. *diſt. 13. q. 2. ar.* 5. Fagundez *in præc. Eccl. lib. 3. c. 20. n.* 17.

34 Notandum etiam, quod calix non ſolum debet eſſe ſacro Chriſmate conſecratus; ſed quòd non ſit ex vitro, aut criſtallo, formatus, ob fractionis periculum, & ne Chriſti Sanguis effundatur; neque ligneus, ne in eius poros Chriſti Sanguis ſubintret; neque lapideus, propter ineptitudinem materiæ; neque plumbeus, quia vinum attingens, facilè æruginem contraheret, & ad vomitũ prouocaret. Sed eſſe debet, vel ex auro, aut argento, vel ex ſtanno, aut ære metallo confectus, & inauratus. Vt ex *cap. Vaſa de conſecr. diſt.* 1. & *cap. Calix n.* 1. & alij. Et quãuis olim Sacerdotes calicibus ligneis vtebantur, vt in dicto cap. *Vaſa*; poſtea Vrbanus Papa ſtatuit, vt materia calicis, & patenæ omninò ex auro, aut argento, aut ſtanno inaurato, conſtaret; vt notãt D. Thomas *3. p. q. 83. ar. 3. ad* 3. *verb. Calix, n.* 1. Sylueſter, Couarruuias *lib. 4. variar. c.* 12. & alij.

Vaſa ſacra, veſtes, ligna, aliaque cultui diuino dicata, eſt ne licitum, in profanos vſus conuertere?

35 Reſp. certum eſſe, non licere, in eadem forma, in profanos vſus illa conuertere, quia eſſet grauiſſimum peccatum, res cultui diuino dicatas, profanis vſibus deſeruire. Hac enim de cauſa, Rex Baltaſſar fuit grauitèr à Deo punitus. Et patet etiam ex *cap. Quæ ſemel* 19. *q.* 3. & *cap. Quæſti ſunt* 17. *q. vlt.* & *cap. Ligna*, *cap. Altaria de conſecrat. diſt.* 1. Verùm ſi vaſa ſacra ſint confracta, itaut eorum conſecratio ſit deperdita; & alia, cultui diuino dicata, ſint ſimiliter ita inueterata, & fracta, vt diuino cultui amplius non ſeruiant, poſſunt in vſus profanos adaptari, nè omninò conſumentur, & deperdantur. Quia nulla irreuerentia videtur, fieri rebus ſacris ex eo, quod earum materia profanis vſibus in altera forma aptetur. Deſtructa enim forma calicis, e. g. iam calix ille amiſit conſecrationem, & amplius non eſt ſacer; Ergo materia illa calicis deſtructi eſt communis, ſicut quæuis alia ſimilis. Ergo neceſſe non eſt, vt conuertatur in vſus ſacros, ſed poteſt ad profanos deſeruire. Nam nihil, ex præterita conſecratione, in illa materia remanet; & conſequenter nihil retinet, ob quod prohibeatur vſui communi materiam illam aptari, cùm iam communis ſit. Textus autem, prohibentes hanc applicationem, loquuntur de rebus ſacris, in eadem forma manentibus, ac prius fuerunt applicatæ. De illis enim veriſſimum eſt, quòd, ſemel conſecratę, non debent, ad laicorum vſus conuerti. Ità docent Caſtro Palaus *par. 2. tr. 7. diſp. 1. pun. 6. n.* 25. Diana *tom. 2. tr. 1. reſol.* 183. *ex par. 5. tr. 13. miſcell. 1. reſ.* 76.

Licitus ne eſt vſus accendendi cereos, & lampades ad Sanctorum ſepulchra, ad eorũ Imagines, & reliquias?

36 Reſp. Affirmatiuè; quia quamuis Cõcilium Elibertinum *can.* 34. prohibeat, cereos in cœmeterijs Sanctorum incendi: & D. Hieronymus teſtetur cõtra Vigilantium, eſſe idololatriam, cereos in tumulis Sanctorum accendere. Nihilominus loquuntur, ex gentilitia ſuperſtitione, qua iudicabatur: Defunctorum corpora, in tenebris recondita, lumine noſtro indigere, eoque illuſtrari. Ideò inquiunt: hac gentilitia ſuperſtitione non eſſe vtendum. Secus verò ſi ritu pio, & religioſo cerei, & lampades incendantur. Nempè ad ſignificandum lumen fidei, quo Sãcti deceſſerunt, & lumen gloriæ, quo perfruuntur; & in ſignum letitiæ, quã ex eorum gloria recipimus: & vt illos hoc cultu moneamus, vt diuino lumine nos perfundant. Vt notant Azorius *par. 1. lib. 9. c. 8. q.* 3. Caſtro Palaus *vbi ſup. n.* 16. & alij.

CA-

CAPVT V.

De cultu non ſuperſtitioſo, ſed licito, ac debito Beatis non Canonizatis.

In quonam differt cultus Beati non Canonizati à cultu Sancti Canonizati?

1 RESp. cum Peyrino *in conſtitut. 16. Leonis X. n. 1.* quod differt in quatuor, ſcilicet, Primò tanquam prius, & poſterius, quia Beatificatio antecedit Canonizationem. Secundò tanquã particulare, & generale, quia Beatis non conceditur omnis honor Sanctis debitus, ſed particularis. Tertiò tanquam totum & pars, quia cultus non in ómni loco, ſed alicubi tantùm conceditur. Quartò, tanquam ſolemne, & minus ſolemne, quia cum minori ſolemnitate celebratur Beatificatio, quã canonizatio. Nihilominus quando aliquis declaratur Beatus à Summo Pontifice, iam eſt Sanctus; Quia omnis, qui decedit in Dei gratia, vtique Sanctus eſt. Vnde hæc nomina *Sanctus*, & *Beatus* in ſcriptura ſæpè confunduntur, & aliquando nomen Beati datur digniori, & nomen Sancti minus digno. Sic in *Confiteor Deo*, vocantur Beati, *Sanctiſſima Virgo Maria*, *Michael Archangelus*, *& Ioannes Baptiſta*, & Sancti vocantur *Petrus*, *& Paulus*. Nec per canonizationem acquirunt Sancti augmentum gloriæ eſſentialis, quia hæc nunquam augeri, nec minui poteſt: ſed ſolum recipiunt maiorem gloriam accidentalem, quia ab Eccleſia magis venerantur.

Quinam ſunt honores, qui debentur Sanctis, & participantur à Beatis non canonizatis?

2 RESp. quod honores, qui debentur Sanctis canonizatis ab Eccleſia ſunt ſeptem, vt notant Bellarminus *to. 2. controu. 4. de Eccleſ. triumph. lib. 1. c. 7.* Peyrinus *vbi ſup.* Thomas del Bene *de offic. Inquiſ. to. 2. dub. 234. ſect. 2. petit. 14. n. 1.* Qui omnes cum aliqua limitatione exhibentur etiam Beatificatis tãtum. Primus honor, canonizatis debitus eſt, vt inſcribantur in Cathalogo Sanctorum, & ſtatuitur, ac iubetur, vt ab omnibus, tanquam Sancti habeantur, & vocentur Sancti. Hic honor exhibetur etiam Beatis cum limitatione, nam ſæpè inſcribuntur in Martyrologio, vt factum fuit noſtris Beatis Caietano Tieneo, & Andreæ Auellino, & alijs, & ſtatuitur, vt tanquam Beati haberi, & appellari poſſint. Secundus honor canonizatorum eſt; vt inuocentur in publicis Eccleſiæ precibus. Qui etiam cum limitatione exhibetur Beatificatis, dum inuocantur in Miſſa, & in eorum officio; ſed non in publicis litanijs, vt notant Doctores apud Fortunatum Scacchum *de cultu, & vener. Seruorum Dei, lib. 1. ſect. 10. c. 3. §. Verum non licere*. Tertius honor eſt, vt Templa, & Aræ in Sanctorum memoriam Deo dedicentur. Qui limitatus exhibetur Beatificatis, dum eis dedicantur Aræ, & altaria, ſed non Templa. Quartus honor eſt, vt ſacrificia, tàm Euchariſtiæ, quàm laudum, & precum, ſeu officium, & horæ canonicæ, in eorum honorem, Deo publicè offerantur. Qui coarctatus ad perſonas loca, & tempora, etiam beatificatis exhibetur. Quintus eſt, vt dies Feſti in eorum memoriam publicè celebrentur. Hic honor, quamuis Fagundez *in 1. præc. Eccl. lib. 1. c. 3. n. 14. & 15.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. c. 11. n. 4. & 5.* exiſtiment, quod etiam competat beatificatis: Tamen Alexander VII. decreuit, quòd dies Feſti in Beatorum memoriam non celebrentur, niſi ſpeciali Indulto Apoſtolico prouiſum fuerit. Sexto, quod Sanctorum Imagines cum Laureolis, & ſplendoribus in ſignum gloriæ, quam in Cœlis habent, pingantur. Hic honor conuenit etiam Beatificatis ex Decreto Sacræ Congregationis. Septimus, quod Sanctorum reliquię ſpecioſis thecis includantur

tur,& publicè honorentur. Hic honor, quamuis negandus videatur, ex *c. cum ex eo de reliquijs.* Tamen omninò concedendum eſſe etiam Beatificatis, probant Fagundez *vbi ſup.& c.4.n.3.* Portellus *in dub. regul.verb.Reliquiæ Sanctorum n.*10. Thomas del Bene *par.2. dub.*234.*ſect.*2.*petit.*14.*n.*8. Quia dum Beatificatis conceduntur, Miſſa, officium,altaria, & imagines cum laureolis, & ſplendoribus; quæ maiorem, & magis publicum cultum important, quàm veneratio reliquiarum etiam publica, non adeſt ratio,cur non exhibeatur hic honor,etiam publicè beatificatorum reliquijs, quæ ſufficienter approbatæ cenſentur, eò ipſo, quòd Beatificatis à Papa conceduntur, Miſſa,officium,& cætera ſupradicta.

Beatificati poſſunt ne eligi in Patronos, ſeu Protectores alicuius Ciuitatis?

3 RESp. Negatiuè abſq; ſpeciali Summi Pontificis conceſſione. Quia Sacra Rituum Congregatio, annuente Vrbano VII. 23. *Martij* 1630. edidit ſequens Decretum. *Primo, quod eligi poſſint in Patronos ij ſolum, qui ab Eccleſia vniuerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat. Secundo, quod de Patrono Ciuitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia à populo,mediãte concilio generali illius Ciuitatis,vel loci; non autem ab Officialibus ſolum: Et quod accedere debeat conſenſus Epiſcopi, & Cleri illius loci. Idemque ſeruari debeat in Patrono Regni,qui pariter eligi debeat per ſecreta ſuffragia à populo ſingularum Ciuitatũ, Prouinciæ,& quod repræſentantibus Regnum, Ciuitatem, Prouinciam nulla competat facultas eligendi patronos, niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum; & vlterius interueniat conſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum Ciuitatum. Tertio, quod cauſæ electionis nouorum Patronorum,debeant in S.Congregatione deduci, & ab ea examinari. Ac demum cauſa cognita ab eadem Congregatione approbari, & confirmari.*

4 Verùm, ſi aliquis Beatificatus fuerit, ex ſpeciali cõceſſione Sũmi Pontificis, electus in Patronum,& Protectorem alicuius Ciuitatis, præcedere debeat Sanctum canonizatum poſt ipſum electum. Quia cum in ratione Patroni, ſeu protectoris ſit prior tempore, debet ob eandem rationem præcedere: iuxtà regulam: Prior tempore potior eſt in iure. Ità ex declarationibus Sacræ Congregationis reſoluit præter alios Paſqualigus *deciſ.*507.

Super cultum,qui præſtandus eſt Beatis, adhuc non canonizatis, quid decreuit Sacra Rituum Congregatio, annuente Alexandro VII. 27. Septembis 1659.

5 RESp. quod decreuit primo; *Quod eorumdem Beatorum imagines, etiam non principaliter, & vti ſupplices appoſitæ, picturæ,ſimulacra, tabellæ,aut ſcripturæ, eorum præclara geſta repræſentantes, aut referentes, in Eccleſia,ſacrarijs, & Oratorijs quibuſcumque, & præſertim in quibus Miſſæ ſacrificium, vel alia diuina officia peraguntur,inconſulta Sede Apoſtolica, nullo pacto exponantur. Secundo, quod vbi indultum fuerit per Sedem Apoſtolicam; imagines, ſimulacra,pictaſque tabellas in Eccleſijs poni,& coli poſſe, in pariete tantũ non autem ſuper altari, collocandi facultas, tributa cenſeatur. Tertio, quod ſi conceſſa fuerit per eandem Sedem Apoſtolicam altarium erectio, non autem ob id Miſſam,& officium de prædictis Beatis, celebrandi, vel recitandi, facultas tradita præſumatur; etenim ſpecifica, & expreſſa conceſſio ſuper his præcedere debet. Quarto, vbi in vno loco cultus fuerit conceſſus,non extẽdatur inconſulto Pontifice ad alium locum, quauis alia concurrente auctoritate. Quinto, in locis vbi Beatos prædictos ab omnibus coli permiſſum fuit; non inde publica officij recitatio permiſſa cenſeatur,ſed tantummodò priuata,nec ſatisfactoria præcepto recitationis; niſi quoad illos, quibus Se-*

des

des Apoſtolica de hoc indulſerit. Sexto, Miſſæ pariter, quæ fuerint indultæ certis perſonis, nempè Præsbyteris Regularibus, vel ſecularibus alicuius loci, vel Monaſterij, ſeu Præsbyteris alicuius Eccleſiæ ſeruitio præcipuè addictis; à cōfluentibus Sacerdotibus, quauis dignitate, etiam Cardinalatus, inſignitis, minimè celebrentur. Septimo, dies Feſti in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, niſi ſpeciali Indultu Apoſtolico prouiſum fuerit. Octauo, eorumdem nomina in Kalendarijs non apponantur, niſi illius tantùm loci, earumque perſonarum, in quo, & à quibus, cultus cum officio, & Miſſa celebrentur. Nono, in quibuſdam Eccleſiaſticis precibus, etiam in Oratorijs priuatis recitandis, particularia eorumdem ſuffragia non apponantur, vel recitentur. Decimo, publicis in precibus præter indultas, & à Sede Apoſtolica approbatas, ijdem Beati non inuocentur. Vndecimo, eorumdemque reliquiæ in proceſſionibus minimè circumferantur.

Sacra tamen Congregatio, præſentibus, declaratione, & iuſſione, remouere, non intendit cultum Beatis per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per immemorabilē tēporis curſū, aut per Patrum, virorūque Sāctorū ſcripta, vel tēporis centū annorū metā excedētis ſciētiam hactenus, ac tolerātiā Sedis Apoſtolicæ, aut Ordinariorū præſtitum, ac certis, modo, & forma ab eo tempore eis exhibitum. Verum ſi à centum annis citra, cultus huiuſmodi, aliqua ex parte, cōſtiterit auctus, & extenſus, eo caſu eadem Sacra Congregatio, eumdem in priſtinum reduci iubet; prout, quemuis cultum extra caſus prædictos, expreſſum tantùm verbalitèr in Apoſtolicis indultis, omninò reuocari mandat ſub pœnis, &c.

7 *Firmis quoque remanentibus Decretis, nempè, ne Beati in Patronos eligantur. nec eorum natalitia cum octauis celebrētur, & alijs quibuſcumque à Sacra Congregatione hactenus emanatis: quæ præſenti Decreto renouantur. His autem Sāctiſſimo relatis, & in Congregatione Sacra Rituum ordinaria habita coram SS. per Eminentiſſimum, & Reuerendiſſimū Dom. Cardinalem Sacchettum accuratè perlectis, maturè diſcuſſis: Sanctitas Sua ea approbauit, & pro omnimoda eorumdem approbatione mandauit, typis imprimi, ad valuas affigi, & publicari, vt elapſo termino ſex menſium à die publicationis eorumdem, omnes, & ſingulos afficiant, & arctent, ac ſi omnibus, & ſingulis eadem exhibita, vel perſonaliter præſentata, intimata, ſeu notificata fuiſſent.*

8 *Indulſitque locorum Ordinarijs; vt auctoritate Sedis Apoſtolicæ poſſint, immò debeant, ſeculares, & Regulares quorūque quantumuis exemptos, etiam Societatis Ieſu, S. Antonij Viennenſis, & S. Ioannis Hieroſolymitani, ac reliquos omnes ſpeciali expreſſione indigentes, etiam ſub cenſuris compellere.*

9 *Cumque aliqui nulli ſubdantur Epiſcopo, qui eos ſi exceſſerint, coercere valeāt; eo caſu à Sedis Apoſtolicæ Nuncijs, ſi aderint; ſin minus ab Archiepiſcopis, à quorum Prouincijs, vel ab Epiſcopis Romano tantum Pontifici ſubiectis, intrà, vel propè, quorum diœceſis limites eorum Eccleſiæ, vel Monaſteria ſita fuerint, tanquam à Sede Apoſtolica delegatis, ad huiuſmodi decretum obſeruationem, prædicti omninò cogantur. Die 7. Septembris 1659.*

Quando alicui Religioni conceditur facultas celebrandi certa die Miſſam Beati non canonizati, poſſunt ne in eorum Eccleſijs alij Sacerdotes eandem Miſſam dicere?

10 RESp. olim in hac quæſtione fuiſſe Doctores alij affirmantes, alij negantes dictam facultatem extendi ad alios Sacerdotes. Nam Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 1. *pun.* 5. §. 5. *n.* 4. Megalius *in promp. Theol. mor. to.* 1. *verb. Canonizatio n.* 1. Tamburrinus *de Sacrif. Miſſæ lib.* 2. *c.* 6. §. 8. *n.* 15. & alij docent, quòd ſtatim ac Pontifex declarat, talem Beatum dignum eſſe vna Miſſa, quę dicatur ab vna determinata perſona,

na, declarat illum eſſe dignum ſupremi cultus, qui ab Eccleſia ei exhiberi poteſt. Ergo hac conceſſione facta quilibet poteſt, eodem cultu Beatum illum pro deuotione venerari, & non eſt, vndè quilibet Sacerdos impediatur, illius Miſſam celebrare. Confirmatur, quia fauores, & priuilegia ſunt amplianda, ex *C. Olim, de verb. ſignif. l. Beneficium, ff. de conſtitut. Princip. l. Hoc modo, ff. de condit. & demonſtr.* & *l. Cum quidam, ff. de lib. & poſthum.* Et ex his inferunt dicti Doctores: Poſſe quamlibet imaginem talis Beati adorare; adorandam in altari conſtituere, publicis proceſſionibus circumferre, & eius collectam, ſeu commemorationem in Miſſa infrà annum facere: quia hi cultus longè inferiores ſunt Miſſa. Ergo dum Pontifex concedit Miſſam, concedit & illos etiã minores cultus.

11 Sed facultatem celebrandi Miſſam alicuius Beati, conceſſam certæ Religioni, non extendi ad exteros, nec poſſe alios Sacerdotes illam celebrare, neq; in Eccleſijs eorundem Regularium, ſuſtinent Turrianus in *2.2. to. 1. cap. 13. dub. 8.* Molfeſius *in ſumm. to. 1. tr. 11. c. 16. n. 51.* Amicus *in curſu Theol. to. 5. diſp. 2. ſect. 4. n. 100.* Antonius de Excobar *in Theol. mor. tr. 1. exam. 12. c. 4. n. 42.* Trullenchus *in decal. to. 2. lib. 1. c. 9. dub. 5. n. 9. & 11.* Ioannes de S. Tho. *in 2.2. diſp. 9. ar. 1.* Diana *to. 2. tr. 1. reſ. 80. & 81. ex par. 2. tr. 14. reſ. 74. & tr. 15. reſ. 55. & to. 9. tr. 5. reſ. 21. ex par. 11. tr. 2. addit. reſ. 21.* Gauantus *in comment. ad rubr. Miſſ. to. 1. par. 3. tit. 10. n. 16.* Tum quia Alexander III. *in cap. de reliq. & vener. Sanct.* prohibuit aliquem de tali cultu publico ſine Sedis Apoſtolicæ facultate, quæ dum non conceditur omnibus Sacerdotibus, neq; illã omnes gaudere poſſunt: iuxtà illud, *Incluſio vnius, eſt excluſio alterius, l. Cum Prætor, ff. de iudic. & l. Maritus, C. de procur.* Tum quia priuilegia, & gratiæ cenſentur conceſſæ, ſolummodò ijs perſonis, quæ ſint in priuilegio expreſſæ, nec extenduntur vltra intentionem concedentis. Intentio autem Pontificis exprimitur, dum non omnibus Sacerdotibus, ſed talibus Regularibus priuilegium concedit. Ergo ad alios non extenditur. Tum quia vt docent Suarez *de leg. lib. 8. c. 26. n. 11.* Salas *de leg. diſp. 14. ſect. 9. n. 48.* Bonacina *de leg. diſp. 1. q. 3. pun. 7. §. 2. n. 1.* & alij, vis priuilegij non eſt poſita in ratione, ſed in uoluntate concedentis. Ergo ipſum priuilegium non eſt extendendum, de perſona in perſonam, etiam ſi adſit ſimilitudo rationis. Voluntas enim hominis nõ operatur, niſi vt exprimitur. Tum quia quando verba priuilegij ſunt clara, & certam habent ſignificationem, nulla eſt adhibenda extenſio, aut interpretatio, ſed ſeruandus eſt tenor, & forma priuilegij, nec ab eo eſt recedendum, vt probant dicti Doctores, & Baldus *in l. 1. §. ſi is qui in fin. ff. de exercit. act.* Tiraquellus *in l. Si vnquam in ver. Liber ſis n. 8. C. de reuoc. donat.* Surdus *to. 1. conſil. 140. n. 21.* & alij. Sed verba dicti Breuis, ſeu priuilegij ſunt clara, & explicitam habent ſignificationem. Ergo nulla eſt eis adhibenda interpretatio, vel extenſio: ſed ut ſonant ſunt ſeruanda.

12 Tandem confirmatur, quia ita ſeruari mandauit Innocentius X. *in decreto S. Congregationis* his uerbis *habito die 5. Octobris* 1652. *S. Rituum Congregatio cenſuit, & declarauit: (Si Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit:) non potuiſſe, nec poſſe, tam ſeculares, quam Regulares, cuiuſcumque Ordinis, & Inſtituti, etiam Societatis Ieſu, excedere limites verbales indultorum Sedis Apoſtolicæ ſuper Beatificationibus, præſertim in celebratione Miſſarum; & Officij cum octauis, niſi hoc expreſsè Sedes Apoſtolica eis indulxerit. Et facta relatione per me Cardinalem Cornelium Epiſcopum Albanenſem die 16. Decembris 1652. Sanctitas Sua approbauit, & ſic vt præmittitur, ſeruari mandauit.* Idem ſtatuit Alexander VII. 27. *Septembris* 1659. vt ſupra dictum eſt.

13 Ad rationes igitur ſupradictas in cõtrarium reſpondetur, quòd facta Beatifi-

tificatione, quamuis ſupponatur Beatũ eſſe in Gloria, & omni honore dignũ; tamen cultus publicus non ſolum requirit, vt homo ſit in gloria, ſed etiam licentiam Eccleſiæ, quæ cùm ſit reſtricta, non eſt à nobis extendenda. Et fauores, & priuilegia tunc ampliari poſſunt, quando id recta ratio poſtulat, & rationabiliter permittitur, fieri poſſe, nõ autem quando adeſt ratio in contrarium; vt docent Suarez, Salas, Bonacina, & alij communiter. Et eo magis in caſu prædicto, in quo adeſt ſpecialis Pontificum prohibitio.

Eſt ne eadem certitudine fidei colendus Beatificatus, ac Canonizatus?

14 REſp. Nonnullos Doctores affirmare, eadem certitudine fidei eſſe vtrumque colendum, & æſtimandũ, in æterna gloria Beatum, Dei viſione fruentem; Quia rationes, quæ probant, eſſe de fide certum: Pontificem non poſſe errare in Sancti Canonizatione, probant etiam, nõ poſſe errare in Serui Dei Beatificatione. Nam in vtraque cauſa Canonizationis, & Beatificationis, Pontifex tractat de re ad fidem ſpectante, nempe de veneratione Beati in æterna gloria; Ergo in vtriuſque cauſa ei aſſiſtit Spiritus Sanctus, non permittens illum errare. Et quamuis extenſiuè maior ſit cultus Canonizati, quia extenditur per totam Eccleſiam: Beatificati verò per vnam tantum Prouinciam, aut Religionem Regularium: intenſiuè tamen vtriuſque cultus eſt æqualis: quia etiam in honorem Beati celebratur Miſſa, quæ eſt cultus ſupremus, perfectiſſimus, & omnium maximus. Immò dum pro Beato conceditur Miſſa, toti Eccleſiæ colendus, & venerandus proponitur; nam nomine totius Eccleſiæ Miſſa celebratur, & ſacrificiũ offertur. Ergo à tota Eccleſia medio illo Miniſtro, & ſacrificio, Beatus veneratur. Vndè quia in his, quæ pertinent ad cultum vniuerſalis Eccleſiæ, Pontifex errare non poteſt. Sequitur, neque poſſe errare in ſerui Dei Beatificatione. Ità expreſsè ſuſtinent, Caſtro Palaus *par. 1. tr.4.diſp.1. pun.5.§.5.n.4.* Antonius Excobar *to. 6. par.1.ſect.2.c.16.dub.23.n. 196.* Lezana *to. 4. de canonizatione Sanctorum n.52.* Bordonus *to.1.c.5. n. 287.* Megalius *in prompt. verb. Canonizatio n. 1.* Vericellus *in quæſt.moral.tr.8.q.25. n. 3.* Ergo ſicut pari certitudine fidei credere debemus: Pontificem, tam in cauſa Canonizationis, quàm Beatificationis, errare non poſſe: ità etiam pari certitudine fidei colendus eſt Beatificatus, ac Canonizatus.

15 Sed his non obſtantibus, probabilius alij Doctores docent: Non eadem certitudine fidei eſſe tenendum; Pontificẽ non poſſe errare in ſerui Dei Beatificatione, ac in Sancti Canonizatione. Et conſequenter, neque eadem certitudine fidei, Beatificatum eſſe venerandũ, ac Canonizatum: ſed vtrumque eſſe ità certum, vt oppoſitum credere, & aſſerere, ſit temerarium, ſcandaloſum, impium, & de hæreſi ſuſpectum. Probatur primum, quòd ſcilicet non eadẽ certitudine fidei Beatificatus, & Canonizatus ſint venerandi. Quia Beatificatio eſt facultas, ſeu licentia, aut cõceſſio Pontificis alicui Prouinciæ, vel Religioni præſtita, venerandi aliquem, tãquam Beatum, & in Cœlis exiſtentem. Patet ex Bulla Beatificationis, in qua his verbis, aut ſimilibus vti ſolet Pontifex: *Vt ipſe ſeruus Dei N. Beatus, nũcupari, officiumque, & Miſſa de eo, &c. in tali die, & tali loco, recitari, & celebrari, poſſit, concedimus, & indulgemus.* At Canonizatio nedum eſt licentia, ſed eſt ſententia canonica, definitiua, in qua Pontifex præcipit: Beatum eſſe venerãdum ab vniuerſali Eccleſia, cultu, & veneratione Sanctorũ. Vti enim ſolet his verbis: *Beatum N. (de cuius puritate fidei, & excellentia vitæ, & miraculorum, in vita, & in morte, factorũ, claritate, nobis pleniſſimè conſtat) decernimus Sanctorum cathalogo adſcribendum, prout nos adſcribimus, eumque Sanctum à fidelibus venerandum eſſe, mandamus.* Ergo longè differt Beatifi-

catio à Canonizatione. Nam illa eſt iuſta licentia,& conceſſio venerationis; iſta eſt definitiua ſententia præceptiua venerationis; illa fundatur in certa probabilitate morali; iſta in certitudine fidei.

16 Confirmatur, quia vt probat Ioannes à S. Thoma 2. 2.*diſp.9.ar.2.* Vt Eccleſia publicè celebret feſtum de aliquo, tanquam Sancto, ſufficit probabilitas, & certitudo moralis de illius ſanctitate,non autem requiritur iudicium definitiuum,ſeu ſententia canonica. Patet manifeſtè in celebratione Feſti Conceptionis Beatiſſimæ Virginis; quod Eccleſia celebrat in honorem ſuæ immaculatæ Conceptionis: Et tamen ipſamet Eccleſia præcipit, ne poſſit vlla cenſura notari opinio, aſſerentis non fuiſſe à peccato originali immunem. Ergo ſimiliter,vt Eccleſia habeat iudicium practicum,certum de celebratione alicuius Beati, non requiritur quòd habeat etiam iudicium ſpeculatiuum, certum tanquam de fide,de illius Sanctitate, ſed ſufficit moralis certitudo,& rationabilis opinio. Et hoc idem alijs exemplis idem Doctor probat. Ergo non eadem certitudine fidei venerari debet Beatus, ac Canonizatus;cum ille veneratur ex licentia,& conceſſione; iſte ex præcepto, & definitiua ſentẽtia.

17 Confirmatur ſecundo, quia veneratio, quæ nunc exhibetur Beatificatis, olim erat permiſſa, fieri ab Epiſcopis in Eccleſia; & tamen certum eſt, quòd ad illam venerationem exhibendam, ſufficiebat moralis certitudo Sanctitatis: nam Epiſcopi non poterant definire de fide, nec certum reddere; animam illius eſſe in gloria.Ergo de ſe talis Beatificatio non petit,niſi moralem certitudinem de alicuius gloria.Immo in rigore loquendo, conceſſio celebrãdi miſſam de aliquo, poteſt ſtare cum certitudine, quòd ille adhuc non ſit in gloria: dummodò conſtet eſſe Sanctũ. Sicut concedit Eccleſia, vt celebretur de Elia in Ordine Carmelitarum Officium, & Miſſa ex antiqua conſuetudine,& conceſſione plurium Pontificum, & præcipuè Gregorij XIII. & Sixti V. vt refert Lezana *to.4.conſult.3. de officio Eliæ n.20.& ſeqq.* Et tamen conſtat, Eliam non eſſe glorioſum in Cœlis. Ergo aliud eſt, celebrandi licentiam concedere de aliquo; aliud iudicare, definire,& habere pro infallibili, & ex certitudine fidei, quòd ille ſit colẽdus, vt Sanctus in gloria.

18 Inſupèr ſi de fide certum eſſet: Beatificatum eſſe in Cœlis, & Pontificem non poſſe errare in illius Beatificatione,non vlterius ipſe Pontifex procederet ad maiorem certitudiem ſanctitatis eius,nec maiorem diligentiam adhiberet pro Canonizatione.Immò non abſque illius iniuria, nouum examen de eius ſanctitate exquireret. Sicut iniuriã faceret B.Petro;E.g. ſi nouum examen quæreret, ad illum declarandum Sãctum. Ergo in Beatificatione ſupponitur; rem non eſſe adhùc omninò certam,certitudine fidei;quia quod eſt de fide certum, non eget vlteriori certitudine. Nec Pontifex nouum examen, nouamq;diligentiam poſt Beatificationem expoſtulat,ad externam pompam, & ſolemnem apparatum tantùm,ſed ad maiorem ſanctitatis certitudinem, vt patet ex praxi, & Curiæ ſtylo. Ergo ex Beatificatione non deſumitur, tam efficax argumentum certitudinis gloriæ Beati, quàm habetur ex Canonizatione. Ità docent Turrianus *in 2. 2. to. 5. diſp. 17.dub.6.n.55.* Syluius *in controu. lib.4.q.2. ar.15.* Franciſcus de Caſtillo *in lib.3.ſent.to.2.diſp.16.q.8.n.33.* Ioãnes à S.Thoma *loc.cit.* Amicus *to.4.diſp. 7.ſect.4.n.98.* Arriaga *to.5. diſp. 9.ſect. 6.n.55.* Diana *to.9.reſ.19.& 20.ex par. 11.tr.addit.1.reſ.19.& 20.* & alij.

19 Quod autem ſit temerarium, ſcandaloſum,impium, & de hæreſi ſuſpectum aſſerere: Pontificem errare poſſe in Beatificatione, & Beatum non eſſe in Cœlis: probatur. Quia eſt temerarium contra communem ſenſum Doctorum, & omnium fidelium, & ſine ſufficienti ratione iudicare:Pontificem errare in re tam graui, & ad quam ſemper præcedunt tot diligentiæ, & prudentes inqui-

quiſitiones:& cùm Beatificatio ſit proximum medium, & via ad Canonizationem, vt Pontifices in Bullis declarant; vtiq; magnæ temeritatis eſt negare: Beatificatum certò eſſe in Cœlis. Eſt etiam ſcandaloſum, quia non poteſt non afferre ſcandalum audientibus, ſi quis dicat: Pontificem errare poſſe in Beatificatione. Eſt quoque impiũ, quia ſic ſentiens, oſtendit ſuam voluntatem auerſam erga Chriſtianam Religionem, & cultum Sanctorum. Et eſt de hæreſi ſuſpectum, quia videtur, negare poteſtatem Pontificis, beatificandi aliquem Dei ſeruum. Ità docent ſupradicti Doctores.

20 Ex dictis patet reſponſio ad rationes in contrarium. Negatur enim eaſdem rationes, quæ probant certitudinem fidei in Canonizatione, illam probare in Beatificatione, quia in Canonizatione Pontifex definitiuè, & cum ſententia canonica declarat, Beatum eſſe in Cœlis venerandum, & præcipit, vt veneretur, tanquam Sanctus, & ei aſſiſtit Spiritus Sanctus, vt infallibilitèr ritè, & iuſtè operetur. In Beatificatione verò, vt operetur probabilitèr, concedendo licentiam, priuilegium, & facultatem venerandi Seruum Dei tanquam Beatum. Et quamuis hæc conceſſio extendatur ad ſupremum honorem celebrationis Miſſæ pro Beato; tamen ſupra probatum eſt ad hoc ſufficere probabilitatem, & moralem certitudinem ſanctitatis illius, nec requiri eſſe certum de fide per ſententiam definitiuã.

CAPVT VI.

De Cultu, qui exhiberi, vel non exhiberi poteſt Defunctis cum opinione Sanctitatis nondum Beatificatis.

Quinam cultus exhiberi, vel non exhiberi poteſt animabus Sanctis nondùm Canonizatis, neque Beatificatis?

1 Reſp. non Canonizatis, nec Beatificatis exhiberi, non poſſe cultum publicum, ſeu ſolemnem; benè tamen cultum priuatum, & non ſolemnem. Cultus autem publicus, ſeu ſolemnis non eſt ille, qui coram multis exhibetur; Sed qui exhibetur, vel ex Eccleſiæ inſtituto, vel Eccleſiæ nomine, etiam ſi fiat nullo præſente. Cultus priuatus eſt, qui ex priuata deuotione colentis exhibetur, non ex Eccleſiæ inſtituto, vel nomine; etiam ſi fiat coram multis: Ità communitèr Doctores. Cultus publicus exhiberi non poteſt non canonizatis, neq; beatificatis. Tum quia eſt prohibitus *in C. Audiuimus, de reliq. & venerat. Sanctorum, & in* Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. & cultus iſte non poteſt extendi vltrà Eccleſiæ conceſſionem. Tum etiam quia cum Eccleſia falli nõ poſſit in canonizatione Sanctorũ, eius conceſſio publici cultus certificat ſanctitatem illius, cui exhibetur. Cultus autem priuatus nõ eſt prohibitus, quia perſona priuata, dum poteſt falli, non certificat ſanctitatẽ Sancti, cui exhibetur cultus ille priuatus. Ità docent Bellarminus *lib.* 1. *de Sanct. c.* 10. Suarez *to.* 1. *in 3. par. diſp.* 55. *ſect.* 1. *& to.* 1. *de relig. lib.* 2. *de feſtis c.* 11. Sanchez *in decal. lib.* 2. *c.* 43. *n.* 3. *&* 4. Molfeſius *conſil.* 45. *n.* 64. *& conſil.* 55. *n.* 20. Azorius *par.* 1. *lib.* 9. *c.* 8. *q.* 8. Syluester *verb. Reliquiæ in princip.* Fagundez *in* 1. *præc. Eccl. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 19. Portellus *in dub. regul. verb. Reliquiæ in addit. n.* 11. & alij communitèr.

Qualis eſt iſte cultus priuatus, qui exhiberi poteſt non Canonizatis, neq; Beatificatis?

2 Reſp. eſſe primo, poſſe credere aliquem eſse Sanctum, & in ſui auxilium inuocare, etiam alijs audientibus, quia hic cultus exhiberi etiam poteſt alicui virtuosè, & ſanctè viuenti. Ergo multo magis exhiberi poteſt defuncto, quem maiori ratione Sanctum eſſe ſperamus, iuxtà illud: *Ne laudes hominem in vita ſua*, ac ſi diceret *lauda*

poſt mortem. Ità docet Gloſſa *in C. Vnico de reliquijs, & venerat. Sanctorum in 6.* & ibi Hoſtienſis; & Innocentius, Syl-ueſter, *verb. Canonizatio, n.* 1. *&* 2. Azorius *par. 2. lib. 5. c. 6. q.* 8. *in fin.* Bellarminus *lib.* 1. *de Beatif. Sanct. c.* 10. Fagundez *vbi ſup.* Thomas del Bene *de Offic. Inquiſ. par.* 2. *dub.* 234. *ſect.* 2. *n.* 2. & alij.

3 Licitum eſt ſecundo antequam defunctus cum ſanctitatis opinione, ſepeliatur, deoſculari manus, vel pedes, veſtis fruſtula ſumere, capillos capitis, & barbæ tondere, eorum reliquias ad collum appenſas deferre, ante eius corpus, vel in eius ſepulchro orare, & in ſignũ venerationis ſe proſternere, dummodò non adſit ſcandalum: quia hæc omnia ſunt ſigna particularis affectus, & priuatę reuerẽtiæ, quæ exhiberi poſſunt cum ijſdem viuentibus. Et quandò agitur de eorum Beatificatione, & Canonizatione, inter cęteros articulos, probanda eſt veneratio corporis, & ſepulchri ipſius viri Sancti. Ità affirmant Bellarminus *loc. cit.* Sanchez *lib. 2. in decal. c.* 43. *n.* 7. Fagundez *vbi ſup.* & alij.

4 Poſſumus etiam tertio eos ſepelire in loco honeſtiori ſeorſum ab alijs, & cum ornatu veſtium pretioſarum. Quia hoc idem aliquando ſeruatur etiam cũ ijs, qui non deceſſerunt cum fama ſanctitatis; ſed ob aliquam illorum excellentiam; vndè prædictus honor pertinet etiam ad cultum prophanum. Ità Molfeſius *conſil.* 45. *n.* 14. & alij, quos ipſe citat, Trullenchus *lib.* 1. *in decal. c.* 9. *dub.* 6. *n.* 10. Thomas del Bene *vbi ſup. petit.* 3.

5 Licitum eſt quarto depingere imagines Seruorum Dei non Canonizatorum, nec Beatificatorum, abſq; radijs, ac ſplendore, & diademate, & illas ponere in Eccleſijs, Templis, & Oratorijs pro ornatu dictorum locorum, ſeparatas ab imaginibus Sanctorum; & circumcirca ornare, & ponere ſub baldachino: quia hec ſigna reuerentiæ non indicant ſanctitatem; cùm etiam erga Principum, & Illuſtrium virorum iſtæ imagines adhibeãtur. Ità Bellarminus, Sanchez, Portellus, Peyrinus *loc. cit.* Thomas del Bene *petit.* 13. *n.* 4.

6 Licitum eſt quinto illas imagines ponere in Oratorijs priuatis ex parte dextera, vel ſiniſtra altaris, ita vt nõ ſint ſuper altare, nec videantur expoſitæ ad publicum cultum, & venerationem; ac etiam illas ponere in cubiculis priuatorum in loco, vbi ipſi orare ſolent, dummodò non ponantur ſolæ, vel cum lampade; ſed cum imaginibus aliorum Sanctorum: quia dum prædictæ imagines priuato modo coluntur, non certificatur eorum ſanctitas, ſed ſolùm priuata deuotio oſtenditur. Ità docent Sanchez, Fagundez, Portellus, *locis ſupra citatis*, Peyrinus *to.* 1. *in conſtitut.* 3. *Leonis X. n.* 4. Trullenchus *lib.* 1. *in decal. c.* 9. *dub.* 6. *n.* 6. Thomas del Bene *petit.* 5. *n.* 2. *&* 3.

7 Licitum eſt ſexto in die anniuerſaria dictorum ſeruorum Dei, ſe abſtinere ab operibus ſeruilibus, & in vigilia ieiunare in honorem ipſorum: quia hæc pertinent ad cultum priuatum; & ex ſui natura non ſunt ordinata ad cultum: nam ob aliam cauſam poteſt quis, ſe abſtinere ab operibus ſeruilibus, & ieiunare. Ità Bellarminus *lib.* 1. *de Beatif. Sanct. c.* 10. Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.* 43. *n.* 8. Molfeſius *conſil.* 45. *n.* 46. Trullenchus *vbi ſup. n.* 21. Thomas del Bene *petit.* 7. *n.* 3.

8 Licitum etiam eſt ſeptimo prædictis ſeruis Dei, offerre votum, etiam ad obtinendam gratiam: quia votum non cõtinet aliud, niſi cultum priuatum: non tamen eis emitti poteſt votum à toto populo cum auctoritate Epiſcopi, vel Principis, vel alterius poteſtatis; quia tunc contineret cultum publicum. Ità Sanchez, Molfeſius *n.* 74. Trullenchus *n.* 21. Thomas del Bene *n.* 4. *locis citat.*

9 Licitum eſt octauo Eccleſiaſticis perſonis recipere tabellas, & imagines, ſiue pictas, ſiue ex quaui materia fictas, atque alia quæcunque collatæ gratiæ fidem facientia, ſimul cum deferentis, aliorumque, qui conſcij fuiſſent, atteſtationibus, atque approbationibus ordinarijs; Ad quos referre ſtatim omnia

nia tenentur; & in ſecreto aliquo ſeorſum ab Eccleſia loco cuſtodire, ibidēque iam collocata aſſeruare; vt ſi quādo Dominus, talium virorum merita Beatificationis, ſeu Canonizationis honore, in terris decorare voluerit, adſint huiuſmodi ſanctitatis qualeſcumque probationes, Apoſtolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ. Ità Vrbanus VIII. *in conſtitut.* 10. quæ incipit *Cæleſtis Hieruſalem*, §.4.

10 Poſſunt nono perſonæ priuatæ ad oſtendendam ſuam deuotionem ad ſepulchrum prędictorum ſeruorum Dei, tabellas, & imagines, lampades, & cereos offerre, & accendere. Quia hæc pertinent ad ſepulchri venerationem, quę nō ſunt interdicta perſonis priuatis; Immo articulātur in proceſſu prò beatificatione, vel canonizatione; Pontifex enim per dicta decreta, ſicuti patet ex eorum proœmio, intendit ſolum tollere abuſus, & idcircò videtur, ſolum miniſtris Eccleſiæ interdicere, ne ad illorum ſepulchra, lampades, & alia lumina apponantur. Quia abuſus in hac materia conſiſtit in eo, quod prædicta fiant ad captandum cultum populorū; quod ſolum contingit, ſi prædicta apponantur à miniſtris Eccleſiæ, non autē ſi offerantur, & accendantur à perſonis priuatis, venerantibus ſepulchrum. Ità Thomas del Bene *par.2.dub.*234.*ſect.* 2.*petit.*12.*n.*5.& alij.

Qualis cultus publicus exhiberi non poteſt defunctis cum fama ſanctitatis, ſed non canonizatis, neque beatificatis?

11 Reſp. Primo non poſſe eis tribui nomen Sancti, vel Beati denominatiuè, ſeu appellatiuè (ſicut dicimus Sanctus Petrus, Sanctus Paulus) non ſolum in concionibus, vel in publicis ſcriptis, ſed nec etiam in priuatis colloquijs. Quia huiuſmodi nomen, quando non adducitur ſolum, ad ſignificandam qualitatem, & ſanctitatem ſerui Dei; ſed vt titulus honoris, non poteſt alicui conuenire, niſi ex publica auctoritate Sedis Apoſtolicæ ei ſit datus; ne videamur eos diuulgare, tanquam canonizatos, vel beatificatos, qui tales adhuc non ſunt. Vt aduertūt Trullenchus *lib.*1.*in decal. cap.* 9. *dub.* 6.*n.*5. Bonacina *diſp.*3.*in decal.q.*1.*pun.* 2.*n.*2.& alij omnes.

12 Secundo non poſſumus eorum imagines cum radijs, ac ſplendoribus, aut diademate retinere, vel exponere, quia hæc ex inſtitutione Eccleſiæ adhibentur, tanquam inſignia æternæ gloriæ, & ad cultum publicum pertinent. Ideoq; inter abuſus referuntur, & prohibentur, ab Vrbano VIII. in decretis editis die 13. Martij, & die 1. Octobris 1625. his verbis: *Qui etſi neque canonizationis, neque beatificationis honore inſigniti ſint ab Apoſtolica Sede, eorum tamen imagines in Oratorijs, atque Eccleſijs, alijſque locis publicis, aut etiam priuatis cum laureolis, aut radijs, ſeu ſplendoribus ne apponantur, &c.*

13 Tertio neque abſque radijs, & laureolis eorum imagines, ſiue pictæ, ſiue ſculptæ exponi poſſunt in altari aliquo publico, vel priuato; quia id pertinet ad cultum publicum, ipſis interdictum ab Eccleſia, per textum *cap. Audiuimus de reliquijs, & venerat. Sanctorum*; vt notant Bellarm. *lib.* 1. *de beatif. Sanct.* c.10. Sanchez *lib.*2.*in decal. c.* 43. *n.*7. Bonacina *diſp.*3.*de præc. decal.q.*1.*pun.* 2.*n.*2. Et patet ex dicto Decreto Vrbani VIII. ibi. *Decreuit: ne quorumuis hominum cum Sanctitatis, ſeu martyrij fama, quantumcumque illa ſit, defunctorum imagines, aliaque prædicta, & quodcumq; aliud, venerationem, & cultum præſeferens, & indicans, in Oratorijs, aut locis publicis, ſeu priuatis, vel Eccleſijs, tam ſecularibus, quam regularibus, cuiuſcumque Religionis, Ordinis, Inſtituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizentur, aut beatificentur. Et ſi quæ appoſitæ ſint amoueantur, prout eas ſtatim amoueri mandauit.* Quæ omnia idem Pontifex confirmauit per Breue, datum die 5. Iulij 1634. & habetur cum alijs decretis huiuſmodi editis 1642.

14 Quar-

14 Quarto neque poſſumus eos inuocare in diuino officio, ſiue publicè, ſiue priuatè, & in illius recitatione eorum commemorationem facere, vel in litanijs, aut in quacumque alia oratione, inſtituta ab Eccleſia, etiamſi recitentur priuatim. Quia talis cultus, vtpotè ab Eccleſia inſtitutus, pertinet ad cultum totius Eccleſiæ, & conſequentèr publicum, & ſolemnem; nec ratione priuatæ recitationis amittit eiuſdem Eccleſiæ auctoritatem. Ità docent Innocentius *in c. Audiuimus de reliq. & vener. Sanct.* Syluester *verb. Canonizatio n.* 1. Bellarminus *lib.* 1. *de beatif. Sanct. c.* 10. Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.* 43. *n.* 5. Bonacina *de præc. decal. diſp.* 3. *q.* 1. *pun.* 2. Fagundez *de præc. Eccleſ. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 19. Thomas del Bene *de offic. Inquiſ. par.* 2. *dubit.* 234. *ſect.* 2. *petit.* 8. Neque eis emitti poteſt votum ab aliqua cõmunitate, vel à toto populo, cum interuentu auctoritatis Epiſcopi, vel Principis alicuius: quia contineret cultum publicum, & ſolemnem, vt Doctores affirmant, vt ſupra.

15 Quinto neque in eorum honorem poſſumus in die anniuerſaria, feſtum inſtituere, neque ieiunium in eorum vigilia alijs indicere: quia huiuſmodi cultus, cum exhibeatur in nomine, ſeu ex inſtitutione Eccleſiæ, æſtimatur publicus, & ſolemnis, & conſequenter prohibitus non canonizatis, neq; beatificatis, vt patet ex *cap.* 1. *de reliq. & vener. Sanct.* & ex decreto Alexandri VII. edito die 27. Septembris 1659. Vbi etiam in honorem beatificatorum diem feſtum inſtitui, prohibetur. Et ità docent Gloſſa *in d. c.* 1. Sanchez *loc. cit. n.* 9. & communiter alij.

16 Sexto neque in eorum anniuerſario haberi poteſt concio ad populum, aſſerendo præclara eorum geſta, virtutes, merita, & laudes. Quia quamuis talis laudatio in Academijs fieri etiam aliquando ſoleat pro viris illuſtribus, qui nullam ſanctitatis opinionem habent: Circumſtantiæ tamen dictorum ſeruorum Dei videntur, reddere talem cultum publicum. Quia talis concio ordinaretur, ad excitandos populos, ad colendum talem ſeruum Dei, & eſſet quædam procuratio cultus in ordine ad eum, & obſtaret ipſius beatificationi; cum primo loco articulandum ſit, quod cultus nõ fuerit procuratus. Etſi in ipſa concione narrarentur miracula, reuelationes, vel gratiæ acceptæ ab ipſo Dei ſeruo, poteſt Nũtius Apoſtolicus, vel Ordinarius, vel Inquiſitor S. Officij, illa prohibere. Vt conſtat ex *Conſtit. Vrbani VIII. die* 5. *Iulij* 1634. quæ incipit *Cæleſtis Hieruſalem*. Vbi habetur. *Quo circa venerabilibus fratribus Patriarchis, &c. & Apoſtolicæ Sedis Nũcijs, ac hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus vbilibet exiſtẽtibus per Apoſtolica ſcripta mandamus; vt ſtatim, atque præſentes literæ noſtræ ad eorum, & cuiuslibet eorum notitiam peruenerint in ſua quiſque reſpectiuè diœceſi, vel prouincia, ſedulo peruigilet; ne ſine approbationibus prædictis, Imagines cũ memoratis ſignis exponantur: aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliaue cõtra ſuperiùs diſpoſita fiant*. Secus verò ſi in concione aliqua non narrẽtur miracula, reuelationes, vel gratiæ acceptæ, ſed merita, laudes, virtutes, & prȩclara geſta alicuius; quia hæc celebrari, non prohibentur, dummodò concionator non intendat illius Sanctitatem ſuadere, & celebrare, ac ſi eſſet vir Sanctus; vt notat Thomas del Bene *dicta dubit.* 234. *ſect.* 2. *petit.* 10. *n.* 2. *&* 3.

17 Septimo neque poſſumus circa eorũ ſepulchra, vel ad eorum imagines, lãpades, aut cereos accendere, vel appẽdere tabellas, & ſimilia, vt conſtat ex Decreto Vrbani VIII. *die* 13. *Martij, & die* 2. *Octobris* 1625. his verbis: *Ad horum hominum ſepulchra vetuit etiam, ac inhibuit, tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, aut ex alia quacumque materia, tàm pictas, quàm fictas, atque exculptas appendi, ſeu affigi, & lampades, vel alia quæcumque lumina accendi, ſine recognitione ab Ordinario, omninò prout ſupra facienda, Sedique Apoſtolicæ referenda, ac probanda.*

18 Octa-

18 Octauo neque aliquis cuiuſuis Religionis, vel Congregationis poteſt, recipere teſtificationes miraculorum dictorum ſeruorum Dei, niſi ſub ſigillo ſecreti ipſius referentis, & illas tranſmittere tenetur Epiſcopo loci; vt ex Decreto Sacræ Congregationis Rituũ tenoris ſequentis: *Cum in tota Eccleſiæ gubernatione nihil ſit maius, nihil ſit auguſtius beatificatione, & canonizatione Sanctorum: vtpotè homines iam demortuos, etiam cum fama ſanctitatis, & miraculorum; declarare pro Sanctis, eoſque, vti tales, colendos, & venerandos decernere. Sacra Rituum Congregatio, vt res hæc planè ampliſſima, atque grauiſſima ritè, ſanctèque conficiatur, prohibet omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quam regularibus, etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Societatis Ieſu, vel aliorum quantumuis ſpeciali nota dignorum, ne audeant ipſi per ſe, vel per alios capere informationes ſuper ſanctitate, vel miraculis alicuius defuncti, neque vllo modo exquirere, vel obtinere ad hunc effectum extraiudiciales teſtificationes, aut ſubſcriptiones ſub pœnis arbitrio S. Congregationis infligendis. Quòd ſi Superiori Sacriſtæ, vel alteri Officiali illius Eccleſiæ, in qua requieſcit corpus ipſiuſmet defuncti, vel alterius etiam Eccleſiæ fuerint reuelata aliqua miracula, vel prophetiæ dona, poſſint ea recipere ſub ſigillo ſecreti ab ipſis tantùm relatoribus, in quorum gratiam contigiſſe, narrabitur. Teneãtur autem quamprimum commodè poterunt, eadem deferre, vel obſignata tranſmittere Epiſcopo loci, cum expreſſa declaratione, quod reuelationes, ſicut ſupra, receptæ, non faciant aliquem probationis gradum, etiam cuiuſuis longiſſimi temporis curſu.*

19 Nono nec etiam poſſunt, typis mandari miracula, reuelationes, & ſimilia geſta prædictorum cum fama ſanctitatis defunctorum, qui nec canonizati ſunt, nec beatificati, abſque approbatione Ordinarij, & reſpõſo Sedis Apoſtolicæ; & niſi cum infraſcriptis proteſtationibus, decretis ab Vrbano VIII. anno 1641. editis his verbis. *Reſponſũ, quod à Sede Apoſt. in vim prædictorum decretorum expectare debent Ordinarij locorum, vt imprimi poſſint libri, continentes geſta, miracula, ſeu reuelationes eorum, qui cum prædicta fama Sanctitatis, vel Martyrij deceſſerunt, non detur, niſi cum infraſcriptis proteſtationibus, in dictis libris, & hiſtorijs inſerendis. Declarando etiam expreſsè, quod tales libri, ſeu hiſtoriæ licet ab Ordinarijs reuiſæ, & poſt Sedis Apoſtolicæ reſpoſum approbatæ, non faciant maiorem gradum probationis in ordine ad canonizationem, vel beatificationem, quàm quæ alias abſque tali approbatione de iure feciſſent: non obſtante quocumque longiſſimi temporis curſu.*

Proteſtationes autem ſunt iſtæ.

Proteſtatio Auctoris in principio libri imponenda.

20 *CVm Sanctiſſimus D.N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in S. Congregatione S. Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis, decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui ſanctitate, ſeu martyrij fama celebres, è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcumque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem Sanctiſſimus die 5. Iulij anno 1631. ità eſplicuerit, vt nimirũ non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonã; benè tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penès Auctorem. Huic Decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi obſeruãtia, & reuerentia, qua par eſt inſiſtendo. Profiteor me, haud alio ſenſu quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi, ab vllo velle, quàm quo ea ſolent, quæ dũta-*

taxat humana auctoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, ijs tātummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Cathalogo adſcripſit.

Sequens verò in fine libri.

21 *LEctor aduerte in Elogijs virorū Illuſtrium, quos hoc libro complexus ſum, nonnulla me obiter attingere, quæ ſanctitatem ipſis videantur adſcribere, pertingo nonnumquam aliqua ab ijs geſta, quæ cum vires humanas ſuperant, miracula videri poſſunt, præſagia futurorum, arcanorum manifeſtationes; reuelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſūt alia huiuſmodi beneficia, item in miſeros mortales, eorum interceſſione diuinitus, demum Sanctimoniæ, vel Martyrij videor appellationem tribuere. Verum hæc omnia,ità meis Lectoribus propono; vt nolim, ab illis accipi tanquā ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata, ſed tanquam quæ à ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant, atq; adeo non aliter, quàm humanam hiſtoriam; Proindè Apoſtolicum Sacræ Congregationis S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum integrè, atque inuiolatè iuxtà declarationem eiuſdem Decreti à Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano Papa VIII. anno 1631. factū, ſeruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, vel venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem Sanctitatis, aut Martyrij inducere, ſeu augere, nec quicquam eius exiſtimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationē; ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quàm ſecluſa hac mea lucubratione obtinerent; non obſtāte quocumque longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione, & actione dirigi. Ego N. à N.*

Tranſgreſſoribus ſupradictorum Decretorum, quà pœna puniendi ſunt ab Ordinario, vel ab Inquiſitoribus S. Officij.

22 REſp. eſſe puniendos, vel ab Ordinario, vel ab Inquiſitoribus ijſdem pœnis, quas Vrbanus VIII. in dicta ſua Conſtitutione his verbis expreſſit. *Tranſgreſſores verò, ſi Regulares fuerint, priuationis ſuorum officiorū, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ, nec non, & ſuſpenſionis à diuinis. Si verò Clerici ſeculares, priuationis pariter ſuorum officiorum, ſuſpenſionis à diuinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, executioneſq; ſuorum ordinum reſpectiuè, alijſq; arbitrio prædictorum Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros imprexerit, aut imagines pinxerit, ſculpſerit, ſeu quoquo modo affixerint, vel formauerint, cæterique artifices circa præmiſſa qualitercumque delinquētes, prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniarijs, alijſque etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem eorumdē Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum arbitrio afficiantur. Contrarijs quibuſcumq; non obſtantibus.*

Poteſt ne celebrari Miſſa de Sanctiſſima Trinitate in anniuerſario Serui Dei non Canonizati, neq; Beatificati?

23 REſp. negatiuè, quia Vrbanus VIII. in ſuis decretis de cultu Seruorum Dei prohibet expreſsè omnem cultum publicū in ordine ap prædictos Seruos Dei. Celebrare autem Miſſam, ſiue ſolemnem, ſiue priuatam de Sanctiſſima Trinitate, etiam in gratiarum actionem, quod Deus talem ſeruum ſuum ad cœleſtem gloriam tranſtulerit, eſt cultu publico profiteri ſan-

ſanctitatem illius; & conſequentèr ei cultum publicum exhibere, & cultum aliorum procurare. Ergo abſque Sedis Apoſtolicæ facultate celebrari non poteſt. Ità ſuſtinent Contilonus *de Canozat.Sanct.c.2.*& Trullenchus *lib.1.in decal.c.9.dub.6.n.16.*

24 Verùm Thomas del Bene *de Offic.Inquiſ.par.2. dub.234.ſect.2. petit.* 9. refert, Molfeſium cum alijs oppoſitum docere, nempè celebrari poſſe in die anniuerſario Serui Dei non canonizati, nec beatificati Miſſam de Sanctiſſima Trinitate. Et ipſe etiam affirmat, quod non damnaret Sacerdotes in foro conſcientiæ, qui non impulſu humano, ſed impulſu deuotionis celebrarent dictam Miſſam tali die. Quia Ioannes XXII. *in Bulla Canonizationis S. Thomæ de Aquino* approbauit factũ quorundam Monachorum, qui poſt ſeptem menſes, ab obitu eiuſdem Sancti,in honorem ipſius abſq; licentia Sedis Apoſtolicæ, Miſſam de communi Confeſſorum celebrauerant. Inſupèr in vita S. Caroli *lib.7. cap.* 16. legitùr, quod cùm populus Mediolanenſis in honorem S. Caroli exhiberet cultum, qui in honorem Canonizatorum exhiberi ſolet: Romæ prouiſum fuit, quod *Populus in ſua libertate relinquendus eſſet.* Item coram Clemente VIII. cum ortum fuiſſet dubium de cultu, qui S. Carolo Boromeo, & S. Philippo Nerio,tunc non canonizatis, deferebatur, reſolutum fuit: *Nihil innouetur, & vt poſſidetis ità poſſideatis.* Idemq; coram Paulo V.anno 1615.reſolutum fuit de noſtro S. Caietano. Hæc ſupradictus Doctor.

Defunctus cum fama Sanctitatis, vt poſſit tanquam Beatus, vel Sanctus, venerari; quid requiritur, vt proceſſus ſuæ Beatificationis ritè formentur?

25 RESp. requiri primò, vt formentur iuridicè à delegatis à Sede Apoſtolica de obſeruantia omnium ſupradictorum decretorum, & quod in eorum nullo contrauentum fuit; ità vt nunquam tali defuncto fuit præſtitus cultus aliquis publicus, ſed ſolùm priuatus.Ità precipit idem Vrbanus VIII. in dicto decreto edito 5.Iulij 1634. incip.*Cœleſtis Hieruſalem*,his verbis.*Statuimus,decreuimus, atq; declarauimus; nè ex tunc deinceps quiſpiam Ordinariorum, aut ab Apoſtolica Sede ad hoc ſpecialitèr delegatorũ ſuper,alicuius vtriuſque ſexus,cum Sanctitatis,aut Martyrij fama, vel opinione defuncti, miraculis, reuelationibus,alijſue eiuſmodi,ſanctitatem redolentibus,ex integro informationes quoquo modo reciperet,aut proceſſum inſtrueret,vel hucuſq; receptas informationes, inſtructumue proceſſum, vlterius proſequeretur; niſi Poſtulator prius, per legitimas,iuridicè ſuſceptas probationes, circa perſonam eius, de cuius miraculis, reuelationibus, alijſue rebus geſtis,ſanctitatem præſeferentibus, ageretur, præſcriptam, in præfato noſtro Decreto, formam omninò ſeruatam, extitiſſe, docuerit; & niſi poſtea ſuceeſſiuè, idem Ordinarius,aut ab Apoſtolica Sede ad hoc ſpecialitèr delegatus, diligenti præhabita diſquiſitione circa eandem perſonam, ſupra citato Decreto nullatenus controuentum eſſe,ritè pronunciauerit. Vtq; id inuiolabilitèr obſeruetur,ſtatuimus inſuper ac decreuimus: nè tranſmiſſi ad Vrbem vndecumq; huiuſmodi proceſſus, à Congregationis Sacrorum Rituum Secretario,minuſue à S.Fidei Promotore quomodolibet aperiantur; niſi prius in ipſa Sacrorum Rituum Congregatione, alio ſeiunctim oblato authentico proceſſu, ex eo Ordinarium, aut ab Apoſtolica Sede ſpecialiter delegatum, ritè, ac rectè, vt præmittitur,cognouiſſe, ac pronunciaſſe, prælibato Decreto nequaquam contrarium eſſe, plenè conſtiterit, ac deinde à nobis iudicialitèr aperiendi eos proceſſus, facultas indulta fuiſſet.*

26 Secundo in formatione tam dicti proceſſus de non præſtito cultu, quàm ſequentium pro Beatificatione,& Canonizatione,ſeruandum eſt; vt Iudex, coram quo formantur proceſſus, habeat

F ve-

veram, & legitimam iuriſdictionem; vt docent D. Thomas 2.2. *q.60. ar.1.* & cæteri Doctores. Quia *Iudex* idem eſt, ac *ius dicens*; & *Iudicium* dicitur, quaſi *iuriſdictio*; vt ex *cap. Forus, de verb. ſignificat.* Et vbi non adeſt Iudex competens, habens iuriſdictionem, iudiciũ eſt vſurpatum, & nullum, *cap. At ſi Clerici de Iudicijs, & de Pœnitentia diſt.6. §.fin.* & notat Syluefter, *verb. Iudicium, q. 3. & 4.* Id etiam conſtat ex decretis Vrbani VIII. editis 1642. de forma conficiendi proceſſus pro cauſis Beatificationis, & Canonizationis: Ibi enim habetur, quòd petendæ ſunt à Summo Pontifice literæ Remiſſoriales, vt cauſam committat aliquibus Epiſcopis cũ facultatibus opportunis, ad inquirendum prius de non cultu, & deindè de fama, & miraculis, &c. Et in Remiſſorialibus datur ipſis talis commiſſio per verba *Committimus*, & *Mandamus*, & cum clauſulis: *Decernentes irritum, & inane, &c.* & alijs ſimilibus, quæ ſecundùm iura, & Doctores important iuriſdictionem. Huiuſmodi autem Commiſſiones præſentantur illis, ad quos diriguntur, & ab illis acceptantur; quod eſt ſignũ formatæ iuriſdictionis: *Cap. Præterea, cap. Quamuis de offic. deleg.* Abbas *in cap. Venerabilis n.2. de teſtib.* Rota corã Coccino *in relat. ad Vrbanum VIII.* pro Canonizat. D. Philippi.

27 Notandum verò cum Lezana *to. 4. de canonizat. Sanct. conſul. 1. n.82.* quòd ſi S. Congregatio Papæ nomine deſignet, vt contingere ſolet, tres Epiſcopos pro informationibus, & proceſſis conficiendis. E. g. Epiſcopum A, Epiſcopum B. & Epiſcopum C. Et ſi poſteà ob impedimentum Epiſcoporum B. & C. eorum loco deputet, & ſubroget D. & E. in eadem cauſa, Epiſcopi B. & C. non ſunt amplius legitimi Iudices in ipſa cauſa, *cap. Ex literis de offic. & poteſt. Iudicis deleg. §. Si verò conſtiterit*, Rota *deciſ.8. eod. tit.* in antiquis. Quia reſcriptum commiſſionis ſecundæ eſt reuocatoriũ primi, & illud reddit nullum, vt docent Innocentius *in dicto cap. Ex literis, verb. Reuocatas*, Hoſtienſis *col. vlt. n.6. in verb. Per ſecundas, & n.7.* & alij, quos refert, & ſequitur Rendina *in prompt. recept. ſent. tit.103.*

28 Iudices iſti Deputati, & Commiſſarij Sedis Apoſtolicæ debent ad vnguem obſeruare omnia, quæ eis in literis remiſſorialibus præſcribuntur. Quia ea omnia habentur pro forma, quæ conſiſtit in indiuiſibili, & ad vnguem eſt obſeruanda, *ex cap. Dilecta de reſcriptis, cap. Venerabili de offic. deleg.* & *in l. Cum hi, §. Prætor, ff. de tranſact.* Et vnuſquiſque tenetur, ſeruare formam ſuæ commiſſionis, Rota *deciſ.39. n.1.* Farinacius *par.1. recent. deciſ.671. n.2.* & alij.

29 Tertio debet conſtare de legitimatione Actoris, & ſui Procuratoris, quia Actor eſt, qui agit, & petit rem aliquã à Iudice in iudicio, *l. In tribus, ff. de iudicijs, l. Iudicium, ff. ſi Regum*, Syluefter *verb. Actor*; & patet ex ipſis literis remiſſorialibus in illis verbis: *Quemadmodum pro parte N. procuratoris, in huiuſmodi cauſa deputati, prout de eius legitimo mandato docuit*: & infra. *A perſonis legitima mandata procuræ habentibus, recipietis.* Procurator enim gerit vices actoris.

30 Quarto conſtare debet de legitimatione Promotoris, vel Subpromotoris fidei; Promotoris, ſi proceſſus fiant in Curia, Subpromotoris ſi fiant in partibus. Probatur ex D. Thoma 2.2. *q.67. ar.3.* & ibi Caietanus, Sotus *lib.5. de iuſt. q.4. ar.3.* Quia in omni iudicio requiruntur tria; nempè Iudex, à quo petitur iuſtitia, Actor, vel eius Procurator, qui eius nomine illam petat, & Pars aduerſa in ciuilibus, & Reus in criminalibus. Promotor autem, ſeu Subpromotor gerit vices Partis aduerſæ; quia eſt legitimus contradictor, & defenſor Eccleſię, à Sede Apoſtolica conſtitutus in huiuſmodi cauſis, veluti pars intereſſe habens in illis. Qui citandus eſt in omnibus actibus, nam ipſo non citato, nihil decidi poteſt. Citatio enim partis aduerſæ, vt ſe defendat, omni iure, in cauſis controuerſis, neceſſaria omninò eſt; *cap.1. de cauſ. poſſeſſ.* & ibi Panormitanus *n.4.* Ioannes Andreas, Innocentius,

tius, Imola, Hoſtienſis, & alij, & Clemētina Paſtoralis *de ſentent. & re iudic.* & patet etiam ex dictis literis remiſſorialibus, in quibus ſæpè dicitur, procedēdum eſſe in his cauſis audito, & citato fidei Promotore, vel eius Subpromotore.

31 Quinto examinandi ſunt omnes, & ſinguli teſtes inducti, ſingularitèr, non ſolùm quia ità præcipitur in dictis literis, & decretis, ſed *in cap. Venerabilis de teſtibus*. Quia ſi òmnes teſtes, ſemel producti, aut inducti non examinentur, cēſeri poteſt, hoc ità contingere, quia Actor timet, quòd ſint vacillaturi, aut deſtructuri ſua, vel aliorum dicta, & veritatem patefacturi; quæ omni conatu in huiuſmodi cauſis indaganda eſt. Vt notant Maſcardus *de probat. vol.* 1. *concluſ.* 261. *n.* 39. Aretinus *conſil.* 140. *n.* 2. Aymon. *de antiq. temp. par.* 1. §. *Quæritur*, & alij. Teſtes autem per extenſum examinandi ſunt, ſuper articulis contentis in literis remiſſorialibus, vt in illis his verbis dicitur: *Super quibus examinabuntur, primò iuxtà dicta interrogatoria. Et deinde ſuper petitionibus, et articulis prædictis per extenſum coram vobis.* Et infra. *Vt ijdem teſtes quæcūque habent, explanatè, & per extenſum deponant, nec ſe referant ad atteſtationes, alias redditas, neque eis recitentur, quæ alias ipſi depoſuerunt.*

32 Sexto in virtutum examine inquirēdæ ſunt virtutes ſi nedùm ſint communes, & ordinariæ, ſed in gradu heroico perfectæ, quales requiſiuit Chriſtus à ſuis Diſcipulis, quando eis dixit: *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: Quia Beati ſunt membra Chriſti Domini, vt ait D. Paulus, & notat D. Hieronymus, & refertur in *cap. Si quis hominem* 11. *q.* 13. Membra autem debent eſſe ordinata ad ſuum corpus, & ad illud aſſimilari, alias eſſet monſtruosū. Ergo ſimilitèr Beati debent, aſſimilari virtutū perfectioni ipſius Chriſti; & conſequenter beatificandi virtutes eſſe debent in gradu heroico perfectæ. Confirmatur, quia qui ab Eccleſia beatificantur, proponuntur fidelibus imitandi. Ergo requiritur, vt ſint norma morum, & virtutum. Et ſi beatificādus ſit regularis, requiritur quoq; exactiſſima, & vigilantiſſima cuſtodia, & obſeruantia omnium, quę ad ſtatum religioſum pertinent, ità vt votorum Regulæ, & ſui Ordinis conſtitutionum fuerit exactor, & perfectus obſeruator. Et talis eſt ſtylus Apoſtolicæ Sedis, vt notant Molfeſius *to.* 2. *addit. ad qq. vſualium conſil.* 46. *n.* 5. *&* 6. Lezana *to.* 4. *tr. de canoniz. Sanct. conſul.* 1. *n.* 54. & alij.

33 Septimo cum virtutum excellentia, vt defunctus cum fama ſanctitatis beatificari poſſit, & tanquam Beatus, coli, & venerari, requiritur, feciſſe miracula, vt notant omnes Doctores, *in cap.* 1. *de reliq. & vener. Sanct. & in cap. Venerabilis de teſtib.* Et ratio eſt, quia, vt dicitur *Matt.* 7. aliqui *Veniūt in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Et D. Auguſtinus *ſerm.* 44. *ad fratres in eremo*, ſuadens pro defunctis, cum opinione ſanctitatis, orare, & offerre ſuffragia, ait: *Multi enim fuerunt, qui reputati erant Sancti, & tamen in conſpectu Dei non boni, ſed mali inuenti ſunt.* Ad vitādum ergo deceptionis periculum, & vt talis defunctus tanquam Beatus publicè æſtimetur, & colatur, euidentia argumenta Eccleſia requirit. *cap. Vbi periculum de elect. in* 6. *cap. Quinctianus* 42. *diſt.* & alibi. Et ideò pro eius beatificatione, virtutum probationes non ſufficiunt, ſed miraculorum probationes neceſſariæ ſunt. Inſuper, ſuppoſita etiam ſanctitate defuncti, nō omnes qui ſunt in Cœlo, vult Deus, vt in hoc ſeculo canonizentur, & pro Sāctis nominatim venerentur; ne cultus, qui debetur Sanctis, multitudine Sanctorum vileſcat, iuxtà *cap. Epiſcop.* 80. *diſt.* & *cap. Legimus* 99. *ad fin.* & docēt Hoſtienſis *in cap.* 1. *n.* 10. *de reliq. & venerat. Sanct.* & Gloſſa *in cap. vnic. verb. Sedis, verſ.* 5. *Ne in infinitum eod. tit. in* 6. Nec propterea Sancti non canonizati, nec beatificati, deſinunt in Cœlis habere ſuam mercedem, & gloriam, vt notat Auguſtinus, relatus *in cap. Teneamus* 1. *q.* 1. *Erant quidam Chriſtiani*,

ni,&c. Expectandum ergo eſt, vt Deus ſuis ſignis, & miraculis, oſtendat eum, qui verè fuerit Sanctus, & quando velit in hac ſua Eccleſia militante nominatim venerari.

Quæ conditiones requiruntur ad verum miraculum conſtituendum?

34 RESp. quòd iuxtà doctrinam D. Thomæ. 2. 2. *q.* 105. *ar.* 7. ad veram rationem miraculi conſtituendam, tres conditiones requiruntur. Prima, quòd opus ſit excedens facultatem totius naturæ creatæ. Secunda, quòd ſit inſolitum, & præter legem ordinariam naturæ. Tertia, quòd ſit præter naturæ ſpem. Neceſſitas primæ conditionis probatur: quia quod fieri poteſt per cauſas naturales, ſeu ab aliqua creatura ex ſui natura, nunquam dicitur miraculum: Deus enim ſolus miracula facit; vt teſtatur Dauid *pſal.* 71. *Deus, qui facit mirabilia magna ſolus* Vndè mirabilia, quæ fieri ſolent à Dæmonibus, non ſunt miracula, quia non excedunt vires ſuæ naturæ, quamuis excedant hominis potentiam. Eleuatio enim Simonis Magi per aera, traſportatio corporalis ſtrigarum de loco ad locum, & ſimilia non ſunt miracula: quia hæc, licet ſint præter, vel ſupra naturam humanam, non ſunt tamen ſupra naturam Dæmonis. Non poſſunt autem Dæmones mortuos ſuſcitare, nec cæcis viſum reſtituere, & ſimilia, quia hæc miracula excedunt potẽtiam totius naturæ creatæ, & requirunt potentiam infinitam, quæ ſolius Dei eſt; vt notant Delrius *diſquiſit. magic. lib.* 2. *q.* 7. Binsfeldius *de confeſſ. magor. & ſagar. q.* 1. *concluſ.* 1. Pegna *in direct. inquiſ. par.* 2. *commen.* 68. *lit. R.* Carena *par.* 2. *tit.* 12. §. 2. *n.* 13.

35 Requiritur quoq; ſecunda conditio, nempè, vt opus ſit inſolitum; quæ enim ſolita ſunt fieri, non dicuntur miracula, quãuis mirabilia ſint, & fieri nequeant, niſi à cauſa ſupernaturali, & à ſolo Deo. Quia miraculũ, vt docet D. Thomas *loc. cit.* dicitur, quaſi admiratione plenum: Solita autem fieri non mouẽt admirationem. Vndè D. Auguſtinus *lib.* 10. *de Ciuit. Dei* ait: *Miracula viſibilium naturarum, licet maiora ſint ijs, quæ rarò fiunt, attamen propter illorum aſſiduitatem, non mouent ammirattonem. Indè ſequitur, quod vt miracula, non conſiderantur, nec à multis agnoſcuntur.* Probatur ſecundo, quia iuſtificatio impij, ſiue per Sacramẽtum Baptiſmi, ſiue Pœnitentiæ, eſt ordinis ſupernaturalis, excedentis totam naturæ facultatem; & tamen cùm iuſtificatur homo ſecundùm modum conſuetum Eccleſiæ per dicta Sacramenta, & ſecũdùm legem ordinariam gratiæ, deficit à ratione miraculi. Sed ſi repentè, & modis inſolitis, à peccati ſtatu, ad ſtatum gratiæ quis rapitur, qualis fuit iuſtificatio Pauli Apoſtoli, verè miraculoſa ab Eccleſia æſtimatur. Ergo vt opus dicatur miraculoſum, non ſolùm requiritur, vt excedat vires totius naturæ creatæ, ſed etiam vt ſit inſolitum, & præter legem ordinariam. Confirmatur, quia vt ait D. Thomas 2. 2. *q.* 178. *art.* 2. *Operatur Deus miracula ad hominum vtilitatem dupliciter. Vno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem*: iuxtà illud Matth. 16. *Prædicauerunt vbique, Domino cooperante, ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. Alio modo ad demonſtrationem ſanctitatis alicuius, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis*. Et ità habetur etiã *in c. Nec mirum* 26. *q.* 5. *n.* 10. Certũ autẽ eſt, ad manifeſtãdam alicuius sãctitatẽ, Deum non multiplicare miracula vltra neceſſitatem, ergo de ratione miraculi eſt, vt opus ſit inſolitum.

36 Tertia conditio, quæ requiritur, ad conſtituendum miraculum verum, eſt, quod ſit præter ſpem naturæ: quia ſi adſit ſpes futuri effectus medio aliquo naturali, ſi deinde ſequatur, non poteſt dici miraculum. E. g. ſi ſperetur infirmi ſalus ex applicatis remedijs naturalibus, & poſtea conualuerit; non quia interceſſit inuocatio ſerui Dei, idcirco illius ſalus erit miraculum; quia aderat ſpes etiam illã conſequendi ob remedia naturalia recepta. Tunc enim

eſſet

eſſet miraculum, quando abſque medicamentorum applicatione, per inuocationem ſerui Dei, vel per eius orationem,aut tactum repentè, & ſubitò ſanitatem obtinuiſſet.

Eſt ne de ſubſtantia miraculi,vt fiat in inſtanti, & abſque vllo naturali remedio?

37 RESp. quòd effectus,qui deſideratur,e.g.infirmi ſalus,ſi naturaliter conſequi poteſt progreſſu temporis, eſt de ſubſtantia miraculi, quod fiat ſtatim, & illicò, alias non erit miraculum, quia poteſt eſſe,quòd ſanitas proceſſit ex operatione naturæ, ex qua poſſibilitate excluditur miraculũ, ſaltẽ quoad probationem. Hinc eſt, quod Chriſtus in inſtanti infirmis perfectam ſanitatem conferebat. Vnde ſuper illud *Matth.8. Et ſurrexit, & miniſtrabat illis*, ait Hieronymus: *Sanitas, quæ confertur à Domino tota ſimul redit*.Ità docent D.Thomas *3.par.q.44.ar.3.ad 2*.Genuenſis *in praxi Archiep. c.49. n. 1*. Riccius *in praxi fori Eccleſ. par. 1. reſ.495. n. 7*. Si verò factum, ſeu ſalus non erat talis, vt poſſet naturaliter cõtingere progreſſu temporis, qualis eſt, e.g. illuminatio cæci à natiuitate, vel aliquid ſimile, tunc etiamſi intercedat interuallum temporis, non ceſſat vis miraculi, nec eſt de illius ſubſtãtia, vt fiat in inſtanti. Caietanus *q. 2. ientac. 12.ad 3*.Vaſquez *1.par.to.2. diſp. 214. c.2.n.9*.Maluetius *vbi infra*,Molfeſius *to.2.conſil.46*.Lezana *to. 4. de Canoniz. Sãct.conſ.1.n.194*. qui etiã notat,quòd ſi incontinenti recedat morbus principalis, licet remaneant conſequentia morbi, puta laxitudo,cicatrix,& ſimilia,vtique erit miraculum.Et ità ſignãter ponderatum fuit in relatione Sancti Raymundi *par.2.art.5. verſ. Quod ſi quandoque*.

38 An autem ſit de ſubſtantia miraculi, vt nullum humanum remedium adhibeatur, conſiderandum eſt; an illud remedium ſit aliquo modo proportionatum,ad producendum illum effectũ, & ſi talis ſit non erit miraculum.Secus verò ſi nullam vim habebat,ad producendum effectum, tunc minimè tollit vim miraculi.Sic puluis, qua Chriſtus vſus fuit in illuminatione cæci, *Ioann. 9*. & pallium, quo vſus fuit S. Franciſcus de Paula,& S.Raymundus in trãſitu maris, non ſuſtulerunt vim miraculi, quia nullam habebant proportionem ad illa facta producenda, vt notãt Maluetius *tr.de Canoniz. Sanct.dub.3. n.92*.Lezana *vbi ſup.n.195*.

39 Quando verò apparet, infirmos ſucceſſiuè,& non in totum fuiſſe liberatos ab infirmitatibus, quamuis non ſit miraculum, eſt tamen gratia,quam Deus ſæpè nobis elargitur ob interceſſionẽ, & merita Sanctorum, vt notat Diana *to.8.tr.10.reſ.1.ex par.2.tit.17.miſc.3. reſ. 48*.

In proceſſu Sanctitatis ſerui Dei, pro obſeruantia ſolemnitatum à iure, vel à decretis Summorum Pontificum, & præſertim Vrbani VIII. agitur de his, quæ releuant probationes virtutum, & miraculorum ipſius: Ideò quæritur,quænam ſint huiuſmodi releuantia?

40 RESp. primo, quoad teſtes, quod iſtorum probationes, quæ continentur in proceſſu ſunt releuantes, quando nõ ſunt dubiæ, ſed certæ,quia probationes dubiæ non releuant,quod probare intenditur. *Cap. In præſentia de probat. l. Neque tales, C. de probat*. Ægidius *cent.2.n.37*.Ioannes de Imola *conſ.96*.Hipolytus *conſ. 20. n.8*. Rota coram Seraphino *deciſ.1103. n.2*. Releuant quoque ſi ſint teſtes idonei, & concludentes; quia iſtorum depoſitiones habent eandem vim, ac legitima inſtrumenta, *l.In exercendis, C.de fidei inſtrum*.Alexander *conſil.64. verſ.Corroborantur lib.2*. Maſcardus *de probat. in prohemio q.6.concluſ.1095. n. 3*. Tuſchus *tom.6.lit.P.concluſ. 771*. Item ſi teſtes ſint in numero copioſo; quia integrum eſt iudicium, quod plurimorũ ſen-

ſententijs comprobatur, *Cap. Prudentiam de offic. deleg. Clement.* 1. *de ſent. excomm. cap. De quibus* 20. *diſt.* & per plures homines veritas releuatur, *l. fin.* C. *de fidei comm.* & *Prouerb.* 4. ait Salomon: *Ibi ſalus, vbi multorum conſilia.*

41 Secundo quoad miracula, corroborantur, ſi clarè probentur, eſſe à Deo facta ad interceſſionem ſerui Dei, de cuius ſanctitate in proceſſu agitur, & intuitu bonitatis illius; vt docet D. Thomas 1. *par. q.* 105. *ar.* 8. & facta ſint nedum in vita, ſed poſt ipſius mortem; vt ex Troylo, Hoſtienſi, Ioanne Andrea, & alijs, probat Maſcardus *de probat. concluſ.* 261. *n.* 43. Immò ſufficere ſola miracula poſt mortem, affirmant D. Thomas *vbi ſup.* Caſſaneus *in cathalog. glor. mund. par.* 3. *conſider.* 49. Troylus *de canoniz. Sanct. dub.* 3. *n.* 73. quia miracula poſt mortem ſunt certa, & indubitata ſigna ſanctitatis ſerui Dei. Miracula autẽ in vita hoc non habent; quia potuit, qui illa fecit, mori in peccato, & damnari; vt probant Troylus *loc. cit.* & Contilonus *de canonizat. Sanct. c.* 20. *n.* 8. Caſtellinus *de canoniz. Sanct. q.* 6. *pag.* 134. vbi plures refert Rotę relationes, & Doctores: Et maximè ſi miracula ſint multa; ita vt qui ea fecerit, in multis fuerit glorioſus; tunc enim releuatur cauſa pro ipſius Beatificatione, & Canonizatione: iuxtà illud Eccleſiaſtici 44. *Laudemus viros glorioſos in generatione ſua. Multam gloriã fecit Dominus magnificentia ſua à ſeculo; Homines magni virtute, &c.*

42 Tertio releuantur proceſſus probationes ex publica, & conſtante voce, & fama de ſanctitate, & virtutibus in gradu heroico ſerui Dei, *cap. Si teſtes* 4. *q.* 2. *&* 3. & iuxtà illud *Prouerb.* 10. *Memoria iuſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet*: Ideſt memoria iuſti eſt conſtans, & perpetua, memoria autem peccatoris eſt labilis, & corruptibilis: *et pſal.* 11. Propheta ait: *In memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit*: & de peccatoribus *pſal.* 9. *Periit memoria etiam cum ſonitu*: Ideò vt Eccleſia aliquem ęſtimet iuſtum, neceſsè eſt, vt cognoſcat, an fama illius ſanctitatis ſit immutabilis, & conſtans, an verò deſierit, & perierit. Hoc quidem probãt etiam Fortunatus Scacchus *lib.* 1. *de notis, & ſignis ſanctitatis ſect.* 9. *c.* 5. Crauerus *conſil.* 145. *in fin.* Tuſchus *to.* 3. *lit. F. concl.* 69. *n.* 17. Barboſa *in axiomatib. axiom.* 95. & alij.

43 Quarto corroborãtur probationes ex deuotione populi erga ſerui Dei reliquias, ex lampadibus, & cereis accenſis ad eius ſepulchrum, & ex votis, & tabellis, ex argento, ligno, & cera oblatis; ſeruatis tamen Sedis Apoſtolicæ decretis ſupradictis. Hęc enim, pręſertim in magno numero, arguunt famam ſanctitatis, & miraculorum, ſeu gratiarum illius interceſſione; iuxtà illud Euangelij: *Nemo poteſt hæc ſigna facere, niſi fuerit Deus cum eo*: & *pſal.* 38. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.* Et ità colligitur ex *cap. Audiuimus de reliquijs, & venerat. Sanct. & cap. Non oportet de conſecrat. diſt.* 1. & notant Molfeſius *in addit. ad qq. vſual. to.* 2. *conſil.* 49. *n.* 10. *& ſequ.* Contilonus *de canonizat. Sanct. c.* 22. *n.* 7. Lezana *to.* 4. *de canoniz. Sanct. conſul.* 1. *n.* 123. *&* 124.

Quinam defectus non irritant, nec diminuunt validitatem, & releuantiam proceſſus ſanctitatis ſerui Dei?

44 RESP. non derogare proceſſus validitatem, ſi in eo adſit defectus, quoad res non ſubſtantiales, ſed accidentales, & minimas. Quia minima nõ ſunt in conſideratione, *l. Scio, ff. de in integr. reſtit.* Iaſon *in l. Sciendum n.* 7. *& ſequ. ff. de ſatiſd. cog.* Baldus *in cap. Cum adeò n.* 3. *& ſequ. de reſcript.* Crauerus *conſil.* 182. *n.* 14. *&* 15. Quod militat, etiamſi illa minima ſint data pro forma; quia talis defectus in minimo formæ non vitiat actum, Aretinus *conſil.* 68. *n.* 6. §. *Quinimmò*, Barboſa *in axiomat. iuris axiom.* 150. *n.* 3. Et ſimilitèr quando illud minimum pertinet ad ſolemnitatem, vt ipſimet Doctores Aretinus, & Barboſa, & Lancellottus *lib.* 2.

n. 2.

*n.*2.affirmant. Quia iuxtà regulam iuris, *Modica non nocent*, *cap.Si proponẽte* 42.*vbi Gloſſa* 1. *de reſcriptis*; Tiraquellus *in l.Si vnquam verb. Donatione largitus n.*107. *C.de reuoc.donat.* & *in tr. de iudicio in rebus exig. verſ.* 29. quia de modico non eſt curandum, *l.Si oleum*, §.*fin. cum l.ſeq.ff. de dolo*, *l.in rebus*, §.*poſſunt*,*ff.commodati*. Quod tamen limitant Aloyſius Riccius *in praxi fori Eccleſ.deciſ.*39.*n.*3. *in* 1. *edit.* & *reſ.*36.*in* 2.*edit.* & alij. Niſi modica eſſent eſſentialia.

45 Similiter non derogatur dictæ validitati, vel releuantię, ſi defectus illi circa minima ſuppleantur per æquipollẽtia; quia nihil refert, vt aliquid per æquipollentia fiat, dum adimpletur factum, & conditio.*l.fin. vbi Gloſſa C. de inſtit.Gloſſa in l.Gallus*,§. *Et quid*,*ff. de liber.*& *poſthum.* vbi Bartolus, & alij communiter; & in terminis proceſſus Canonizationis probat Molfeſius *in addit.ad qq.vſual. to.*2.*conſ.*46.*n.* 37.

46 Neque derogatur tali validitati, vel releuantiæ, ſi defectus ſint in rebus minimis, quæ valdè difficilè obſeruari poſſint. Quia, ſecundum iura, valdè difficile æquiparatur impoſſibili, *l. Nepos procul*,*ff.de verb.ſignif.l.Si ſeruus*, *ff.de noual.l.Diuortio*, *ff. de neg.geſt.* Baldus *lib.*1.*conſ.*100.Decianus *cõſ.*39. *n.* 125. & *ſeq.lib.*2.& alij. Impoſſibilium enim, & valdè difficilium, idem eſt iudiciũ, *l.Apud Iulianum*,§.*Conſtat*,*ff. de leg.*1. Lucas Caſtellinus *de dilat. canoniz. Sanct.pag.*50.

47 Nec etiam derogatur dictæ validitati, ſi Ordo præſcriptus in remiſſorialibus non obſeruetur ad vnguem in rebus minimis: Sic colligitur ex Hoſtiẽſi, Ioanne Andrea, Cardinali, & alijs *in cap.*1.*de reliq.*& *vener. Sanct.* & ex Panuino *in relat.Canonizat.*S.*Bonauẽturæ par.*2.*ar.*7.*circa finem.* Vt refert, & ſequitur Molfeſius *loc.cit.n.*21.

48 Neque obſtat dictæ validitati, ſi in proceſſibus ſint adiuncta aliqua ſuperflua, ſeu non acceſſoria in rebus modicis, & non magni momenti. Quia, etſi ſuperfluitas ſemper vitanda ſit, vt ait Tuſchus *to.*7.*lit.S.concluſ.*895.*n.*36. Menochius *conſ.*81.*n.*32. Nihilominus potius toleratur ſuperfluitas, quàm vt quis damnum indebitè patiatur: Tuſchus *ibid.n.*56. Surdus *deciſ.*36. *n.* 19. & 20. Quia vtile per inutile non vitiatur, *l.*1.§.*Item quæritur*,*ff.de aqua quotid.* & *æſtiua.* Et omnium ſupradictorum ratio eſt, quia ad ſerui Dei Beatificationem, vel Canonizationem duo tantum ſunt ſubſtantialiter neceſſaria, ſcilicet vitæ ſanctitas, & miracula patrata, *c.Teneamus* 1. *q.* 1. Troylus *de canoniz. Sanct.dub.*3.*n.* 73. Sæpiſſimè enim Summi Pontifices ad Beatificationem, & Canonizationem proceſſerunt ſine minimis prædictis obſeruatis; vt probat Molfeſius *loc.cit.à n.* 22. in Leone III. quoad Canonizationem S.Guisberti, Gregorio IV. in Canoniz. Solæ Abbatis, Adriano II. in Canoniz. S. Vualbergis, Alexandro III. in Canoniz. S. Eduardi Regis. Et fuit etiam obſeruatum in Canonizat. S.Bonauenturæ, vt ait Panuinus *in relat.de hac rẽ par.*2.& 7.§. *Hic autem ordo.*

In dubio facti, an ſint, vel non ſint obſeruatæ omnes circumſtantiæ, etiam minimæ pro fabricatione proceſſuum, quomodo præſumendum eſt, Commiſſarios benè, vel malè illos fabricaſſe?

49 Reſp. quod in tali dubio præſumẽdum eſt, benè illos fabricaſſe. Tum ob vulgatiſſimũ principium iuris; quod in dubio de validitate actus iudicari debet pro eius validitate. Tũ etiã quia in *cap.Bonæ memoriæ*,*de elect.* expreſsè habetur, quod *Præſumitur pro his, quæ à Iudice ſunt acta.* Vnde pro Iudice ſemper iura præſumunt; vt probant Menochius *conſ.* 100. *n.* 1. & *ſeq.*& *de præſumpt.lib.*2.*præſumpt.* 67. Maranta *de ordin. iudic.*2.*p.c.*6.*tit.*9.*n.* 21. & alij.

Si

Si in formatione proceſſus Sanctitatis, & miraculorum ſerui Dei reperti ſint aliqui defectus, poteſt ne peti, & concedi noua Remiſſoria, pro ſupplendis ipſis defectibus?

50 Reſp. Affirmatiuè; quia Eccleſia in huiuſmodi cauſis procedit ordine iudiciario; vt probat Angelus Rocca *ex ſtylo S. Congregat. Rituum*. Ordo autem iudicialis poſtulat, vt parti concedantur probationes, quando illas petit, & ſunt neceſſariæ, ad oſtenſionem ſuæ iuſtitiæ; vt docet Farinacius *in praxi q.*77.*c.*1. alias veritas occultaretur. Secundo, In cauſa Beatificationis, vel Canonizationis non agitur de alterius perſonæ, vel fidei præiudicio, ſed potius è contrario de augmento deuotionis fidei, Maluetius *de canoniz. dub.* 3. *n.* 68. Contilonus *de canoniz. c.* 18. *n.* 26. Tertio, quia teſtis, qui nulliter eſt examinatus, poteſt repeti; vt docet Felinus *in c. Per tuas* 48. *n.* 2. *in fin. de teſtib.* Imola ibid. *n.* 3. Rota *deciſ.* 720. *n.* 1. *par.* 2. *recent.* Similitèr quando eſt examinatus ſine interrogatorijs, permittitur parti, petere, quod repetatur, vt notant Speculator *de teſtibus* §. 6. *n.* 21. *par.* 1. Innocentius, Bellamera, Francus, & alij apud Contilonum *loc. cit. c.* 25. *n.* 84. Ergo multo magis in cauſa pia, qualis eſt iſta, repeti etiam poſſunt ijdem teſtes, ad ſupplendum defectus, ſi qui fuerunt in primo proceſſu, & dari remiſſoria ad illum de nouo formandum. Quarto, quia cauſæ Beatificationis, & Canonizationis comparantur cauſis ciuilibus, licet in eis cautiſſimè procedatur, Maluetius *ibid. n.* 65. Contilonus *n.* 25. In cauſis autem ciuilibus concedendas eſſe remiſſorias pro examine teſtium, tam abſentium, quàm præſentium, probat latiſſimè Farinacius *in praxi q.* 77. *c.* 1. *n.* 4. *& ſeq.* Ergo etiam concedendæ ſunt in cauſis Beatificationis, & Canonizationis.

CAPVT VII.

De Secunda ſpecie Superſtitionis, quæ dicitur Idololatria.

Quid eſt Idololatria, & quare inter ſpecies ſuperſtitionis numeratur?

1 Reſp. quod Idololatria eſt nomen compoſitum ex Idolo, & latria. Idolum eſt falſum Dei ſimulacrum, vt dicitur *Ierem.* 10. *& Abacuc* 2. Latria eſt cultus vero, & ſoli Deo debitus, vt ait D. Thomas 2. 2. *q.* 94. *ar.* 1. *ad* 2. & alibi. Dicitur ergo Idololatria, quia cultus Deo vero debitus tribuitur Deo falſo, & cui non debetur. Idcirco Idololatria definitur, quod ſit cultus, quo Idolum, ſeu creatura colitur, vt Deus. Vel quod ſit diuinus cultus, erga falſum Deum exhibitus. Ità D. Thomas *ibidem & ar.* 2. *&* 3. Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. c.* 4. Azorius *par.* 1. *lib.* 9. *c.* 11. & alij communiter. Probatur auctoritate D. Apoſtoli *ad Roman.* 1. vbi de Idolatris dicitur: *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quatrupedum, & ſerpentium*; Notant etiam cum D. Thoma cæteri Doctores, quod latria græcè idē eſt, ac ſeruitus; & ſic Idololatria etiam deſcribi poteſt, quod ſit ſeruitus, quæ ſoli Deo debetur alicui creaturæ exhibita. Quapropter idē Apoſtolus *Rom.* 1. Gentiles idolatras damnauit dicens: *Seruierunt creaturæ, potius quàm Creatori*. Ex his patet, quare inter ſpecies ſuperſtitionis, numeratur; quia ſuperſtitio, vt dictum eſt *cap.* 1. *n.* 1. eſt exhibitio cultus diuini, cui non debetur, quod ad idololatriam præcipuè ſpectat.

Quotuplex eſt Idololatria?

2 Reſp. duplex; Alia vera, alia ficta, ſeu alia formalis, alia materialis; Vera, & formalis idololatria eſt, quando quis intendit, ita colere creaturam interius, ſicut exterius oſtendit; & per ali-

aliquod ſignum illam recognoſcit, & confitetur eſſe Deum. Ficta, & materialis eſt, quando quis ficto modo oſtendit exterius, creaturam vt Deum adorare, ſed interius illam non adorat. E.g. Si Catholicus metu mortis ſigna adorationis Idolo exhibeat, non ex affectu honorandi illud, ſed ex deſiderio fugiendi mortem; iſte dicitur materialitèr, & fictè idololatra. Diceretur formalitèr, & verè ſi crederet Idolum eſſe adorandum. Aliquando etiam accipitur idololatria impropriè pro quolibet peccato; quia peccator in eo finem ſuũ ponit, recedendo à Deo, & conuertendo ſe ad creaturam; Et in hoc ſenſu Apoſtolus *ad Epheſ. 5. vocat auaritiam, quod ſit Idolorũ ſeruitus*. Nunc verò loquimur de Idololatria propriè dicta, quæ alicui creaturæ tribuit cultum, ſeu honorem ſoli Deo debitum.

Idololatria eſt ne peccatum aliorum omnium grauiſſimum?

3 RESp. cum D. Thoma 2.2. *q.* 94. *ar.* 3. & cæteris Doctoribus, quòd grauitas peccati poteſt attendi dupliciter; vel ex parte ipſius peccati; vel ex parte peccantis. Primo modo Idololatria eſt omnium peccatorum grauiſſimum. Quia ſicut in humana Republica grauiſſimum delictum æſtimatur, quòd aliquis honorem Regium potius alteri impendat, quàm vero Regi: nam quantùm in ſe eſt, negat ipſi Regi ſingulare ſuum dominium, excellētiam, dignitatem, honorem, & totum Reipublicæ perturbat ordinem. Ità inter maxima peccata, quæ contra Deum committũtur, omnium grauiſſimum eſt idololatria: quia dum quis honorem diuinum creaturæ impendit, quantùm eſt ex ſe, negat ſingulare principatum Deo vero, & facit alium Deum in mũdo, nempè Idolum. Ideò eſt crimen læſæ Maieſtatis diuinæ grauiſſimũ: ſicut illud eſt grauiſſimum delictũ læſę Maieſtatis humanæ. Inſupèr, vt ait Caietan. *loc. cit.* includens, patet clariſſimè, quod maius ſit, quàm incluſum. Peccatum idololatriæ includit grauiora crimina; nam includit infidelitatem, dum negat ſingularem Dei excellentiam, qua ſolus eſt Deus, & veram fidem opere impugnat: includit odium Dei, quia non tribueretur honor diuinus creaturæ, niſi quodammodò odio haberetur Deus: includit pernicioſiſſimum, & maximum mendacium, dum inſinuat, non eſſe Deum, qui Deus eſt, & eſſe Deum, qui Deus non eſt, ſed creatura, & idolum: includit hæreticam blaſphemiam, dum Deo ſubtrahit dominij, & diuinitatis ſingularitatem: & includit peccatum contra naturam, quia non agnoſcit ſuũ creatorem, nec in eo ponit ſpem ſuam, ſed vt ait Apoſtolus *ad Romanos* 1. *Mutauerũt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium*: Ergo inter omnia crimina grauiſſimum eſt idololatria, quia maxima crimina in ſe includit.

4 Sed ſi attendatur grauitas peccati ſecundo modo, & ex parte ipſius peccãtis, nil prohibet, quin aliquis peccator grauius peccet, quàm idololatra. Quia vt idem D. Thomas ait: *Grauius eſt peccatum illius, qui peccat ſcienter, quàm qui ignoranter. Et ideò grauius peccant hæretici, qui ſcienter corrumpunt fidem, quàm idololatræ, qui peccant ignorãter.* Et ſimiliter alia peccata poſſunt eſſe grauiora propter contemptum peccãtis. Et ſic non ſolum apoſtaſia à fide, ſed deſperatio, & odium Dei, quæ ſunt peccata contra virtutes Theologicas *Fidem, Spem, & Charitatem*. grauiora eſſe poſſunt quàm idololatria, vt probant Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. c.* 6. *n.* 2. Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.* 37. *n.* 21. Caſtro Palaus *par.* 3. *de ſuperſt. diſp.* 1. *pun.* 2. *n.* 2. Fagundez *in decal. lib.* 1. *c.* 33. *n.* 4. & alij.

Peccatum Idololatriæ habet ne ſemper annexum peccatum hæreſis?

5 RESp. quod ſicut Latria eſt duplex, vna interna, externa altera. Interna conſiſtit in confeſſione menta-

li, qua creatura rationalis ſe offert Deo ex affectu ſubmiſſionis, & reuerentiæ. Externa conſiſtit in exhibitione ſigni externi, quo quis internam exiſtimationem de Dei excellentia, & ſubmiſſionis affectum Deo offert, & oſtendit. Ex quo ſequitur, quod Dei adoratio, & omnis actus latriæ principaliter conſiſtit in mente; ſecundariò in actione externa; vt docent S. Thomas 2.2.*q*.84. *ar*.1.*ad* 1.*& ar*. 2.*&* 5. *in corp*. Suarez *to*.1.*par*.3. *diſp*.51.*ſect*.2. Bellarminus *lib*.2.*de cultu Sanctorum c*.12. Ità ſimiliter Idololatria, dictũ eſt, quod ſit duplex, interna vna, externa altera. Interna, quando quis interius credit creaturam eſſe Deum, & vt Deum colit; & hæc quia eſt cum mentis errore, ſemper etiam eſt cum hæreſi. Quia dum Idololatra adorat, & credit, creaturã eſſe Deum, eſt manifeſtè Idololatra, & hæreticus. Idololatria autem externa poteſt contingere abſq; mẽtis errore; vt quando quis creaturam, vt *D*eũ colit, ſed ſcit, & credit illam non eſſe Deum, & hæc Idololatria eſt abſq; hæreſi. Ità *D*.Thomas 2.2.*q*.94.*ar*.3.*ad* 1. Valentia 2. 2. *diſp*.6. *q*.11.*pũn*.2.*verſ. Ex aduerſa*,*& pun*.3.*verſ. Neq; obſtat*, Suarez *to*.1. *de relig. lib*.2. *de ſuperſtit. c*.4.*n*.13.*&* 14. Thomas del Bene *de offic. Inquiſ. par*.2.*dub*.220.*ſect*.2. *n*.3.

Qui creaturam, vt Deum colit, ſed credit illam non eſſe Deum, peccat ne tam grauitèr, quàm qui colit, & credit creaturam eſſe Deum?

6 Reſp. Affirmatiuè: quia quamuis hæc Idololatria non habeat annexam hæreſim, habet tamen annexam culpam falſitatis, quę æquiualet infidetati. Ità *D*.Thomas *ibid. art*.2.*in corp. in fine cum D. Auguſtino*, vbi ait: Si quis perſecutionis tẽpore deprehenſus, exteriùs idola colat; & tamen fidem in mẽte ſeruat. Hoc apparet manifeſtè falsũ. Nam cum exterior cultus, ſit ſignum cultus interioris; ſicut eſt perniciosum mendacium, ſi quis verbis aſſerat contrarium eius, quod per veram fidem tenet in corde; ità eſt perniciosa falſitas, ſi quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod ſentit in mẽte. Vndè Auguſtinus dicit contra Senecam *lib*.6.*c*.10.*in fin*.*to*.5.*de Ciuit. Dei*: quod eo damnabilius colebat idola, quo illa, quæ mendaciter agebat, ſic ageret, vt eum populus veraciter agere exiſtimaret. Et Caietanus ibi ait ſi vero ſit exterior tantùm idololatria abſq; interiori infidelitate, additur culpæ falſitas, quaſi culpa falſitatis ęquetur infidelitati interiori. Ergo tam grauiter peccat colens creaturam vt *D*eum, & credens illam non eſſe *D*eum, quam qui credit, & colit illam eſſe Deum.

Metus mortis, vel ignorantia excuſat ne ab hoc peccato?

7 Reſp. Negatiuè, quia tribuere cultũ Dei creaturæ, eſt per ſe, & intrinſecè malum, & ideò neque metus mortis ab hoc peccato excuſat. Neq; excuſat ignorantia; quia recta ratio euidenter dictat; non eſſe colendam creaturã, vt Creatorem: grauius autem peccat, qui ſcienter, quàm qui ignorãter creaturam, vt Deum colit, vt ſupra dictum eſt, & ità communiter omnes, &c.

Qui creaturam, vt Deum colit opere externo, ſed interius credit ei talem cultum non deberi, incurrit ne excommunicationem latam contra hæreticos?

8 Reſp. In foro exteriori haberi, vt excommunicatum: quia eius actio præſumitur cum errore intellectus; Et Eccleſia punit actus externos, non internos, de quibus conſtare non poteſt. In foro vero interiori non eſſe excommunicatum, docent Angelus, *verb. Apoſtata q*.1. Tabiena *verb. Apoſtaſia* q.3. Roſella *n*.1. Armilla *verb. Hæreſis n*.4. Symanchas *de cathol. inſtit. tit*.17. *n*.35. Suarez *to*.1.*de relig. lib*.2.*de ſuperſt. c*.6. *n*.21.*&* 22. Sanchez *lib*.2.*in decal. c*.37. *n*. 21. Bonacina *to*. 2. *in* 1. *decal. præc. diſp*.

diſp.3. pun. 2.*n.* 5. & alij communiter. Quia leges pœnales non ſunt amplian-dæ, ſed reſtringendæ: pœna autem ex-communicationis fertur contra hære-ticos,& apoſtatas à fide,qualis non eſt, qui animo non conſentit idololatriæ; quamuis opere externo illam ſimulet. Ergo quamuis grauiſſimè peccet; pœ-nam tamen excommunicationis non incurrit;quia re vera non eſt hæreticus formalis, nec pœna excommunicatio-nis,lata contra hereticos, extendenda eſt ad idololatras non hæreticos. Vnde ab hac idololatria poteſt abſoluere quilibet confeſſarius, niſi ſit in aliqua diœceſi caſus reſeruatus; vt notant Fa-gundez *lib.*1.*in decal.c.*33. *n.*4. *in fine*, Paulus Maria Quarti *de caſib.reſer. caſ.* 2.*diffic.*2.*circa fin.*& alij.

Qui non exhiberet Dæmoni cultum ſoli Deo, & Sanctis eius debitum, ſed obſequium profanum, ſolitum exhiberi hominibus in dignitate conſtitutis, peccaret ne mortaliter, & incurreret excommunicationē?

9 Reſp. quod peccaret mortaliter: quia Dæmones ſunt Dei rebelles, & inimici,ac noſtri hoſtes,indigni quo-libet honore, & nobis eſt prohibita quælibet cum Dæmonibus ſocietas;ait enim D.Auguſtinus *to.* 3. *lib.* 2. *de do-ctrina chriſt.c.*20.relatus à D.Thoma 2.2. *q.* 95. *ar.* 2. Quicquid procedit ex ſocietate Dęmonũ,& hominum,ſuper-ſtitioſum eſt.Non tamen incurreret ex-communicationem, vt notat Paulus Maria Quarti *de caſibus reſeru. caſu* 2. *diffic.* 2. Quia excommunicatio fertur contra promittentes, vel exhibentes Dæmoni obſequium ſacrum, nempè ſacrificia,incenũs, orationes, & ſimilia.

Sacerdos offerens alicui particulam non conſecratam, vt conſecratam, committeret ne mortale peccatum Idololatriæ?

10 Reſp. Affirmatiuè. Ità D. Thomas *3.par.q.*80.*art.*6. *ad* 2.vbi ait Ho-ſtia non conſecrata nullo modo dari debet loco conſecratæ. Quia Sacerdos hoc faciens,quãtum in ſe eſt, facit ido-lolatrare illos,qui credunt eſſe hoſtiam conſecratam, ſiue præſentes,ſiue ipſam ſumentes. Nam vt ait D.Auguſtinus *in pſal.* 98. *Nemo carnem Chriſti mandu-cat,niſi prius adoret*, & omnis adoratio creaturę, per quam vt Deus colitur, idololatria eſt.

Si Dæmon per imaginem Chriſti ali-quem alloqueretur, & ille putans eſſe Chriſtum,illum adoraret, talis cultus eſſet ne idololatria?

11 Reſp. Negatiuè,quia cultus ille non tenderet in Dæmonem, ibi latētem, & loquentem,ſed in Chri-ſtum verum Deum,nec intenderet, ſe ſubijcere Dæmoni, putans illi ineſſe diuinitatem; ſed Chriſto. Poſſet tamen graue peccatum committere: quia ſi facile poſſet aduertere, vel meritò du-bitare non eſſe Chriſtum, & non adhi-bita rationabili inquiſitione, illum adoraret tanquam Chriſtum, commit-teret idololatriam ſaltem interpretati-uè, & morali æſtimationi, ac proindè peccaret mortaliter. Ità Leſſius *lib.* 2. *c.*43.*de ſuperſt. dub.*4. *n.* 21. Fagundez *in decal. lib.*1.*c.*33.*n.*3.& alij.

Qua pœna peccatum idololatriæ ab Eccleſiaſtico Iudice punitur?

12 Reſp.quod peccatum idololatrię, vel committitur ab infidelibus non baptizatis: & ab Eccleſiaſtico Iu-dice nulla pœna punitur. Quia vt ait Apoſtolus 1. *Cor.*5. Loquens de Idolis ſeruientibus: *Quid mihi de ijs,qui foris ſunt, iudicare*? Vel committitur ab ho-minibus baptizatis: & Eccleſia illos punit omnibus cenſuris, & pœnis,latis contra apoſtatas à fide, & hæreticos: quia tale peccatum,vt notat Caietanus 2.2.*q.*12.habet veram malitiam infide-litatis,& apoſtaſiæ à fide.Qui verò me-tu Paganorum exterius tantum, abſq; interiori infidelitate, hoc peccatum

committit, ſed corde non diſcedit à fide; non punitur pœnis hæreticorũ, ſed alijs, quia non eſt verè apoſtata à fide, peccat tamen mortaliter. Ità Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. c. 6. n. 21.* Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 17. *n.* 35. & alij.

Quare Iudæis permittitur legis Moyſaicæ cultus, qui parum ab idololatria differt, & tamen non permittitur eis vſura, nec aliud crimen?

13 RESp. cultũ legis Moyſaicæ differre ab idololatria, & ab vſura, & alijs criminibus. Quia idololatria, vſura, & alia crimina, directè pugnant cum lege naturali, quæ neceſſariam, & immutabilem habet ueritatem, & complectitur omnia præcepta, ſeu principia moralia, quæ euidentem habent honeſtatem, neceſſariam ad rectitudinem morum; ità vt oppoſita, moralem inordinationem, ſeu malitiam, euidenter contineant, vt ſunt illa principia: Honeſtum eſt faciendum, prauum ſemper vitandum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Iuſtitia eſt ſeruanda: temperatè eſt viuendum: Deus eſt colendus. Hæc enim præcepta ſunt immutabilia, vt per ſe patet, & docent D. Thomas 1. 2. *q.* 91. *art.* 2. *q.* 94. *ar.* 2. *&* 4. *q.* 95. *ar.* 2. *q.* 100. *ar.* 1. 2. *&* 3. & ibi Caietanus, Sotus *lib. 1. de iuſt. q.* 4. *ar.* 2. *& q.* 5. *ar.* 1. *&* 2. Couarruuias *in regula Peccatum 2. par.* §. 11. *n.* 4. Suarez *de legibus lib. 2. c. 7. n.* 4. *&* 5. & alij omnes. Quia ergo lege naturali omnes tenentur vni Deo ſeruire, idololatriam relinquere, & vſuram, & alia crimina fugere: ideò Chriſtiani Principes poſſunt, ac debent ſuos ſubditos ad huius legis naturæ obſeruantiam compellere, & tranſgreſſores punire; vt docent Azorius *to.* 1. *lib. 8. c. 24. q. 6.* D. Antoninus *3. par. tit.* 22. *c.* 5. Syluefter *verb. Papa* §. 7. Fagundez *in decal. lib. 1. c. 33. n.* 16. *&* 17. & alij. Solemnitates autem, cærimoniæ, & omnis cultus legis Moyſaicæ, quamuis nunc ſint peccata grauia, & mortalia, quia cum lege ipſa Moyſis expirarunt; tamen non ſunt contra legem naturalem; immò fuerunt olim à Deo præſcriptæ, pro tempore durationis illius legis. Nec enim credi poteſt, voluiſſe Deum tunc coli, & honorari, per cærimonias contra legem naturæ inductas: Et hac ratione differt cultus legis Moyſaicæ ab idololatria, & alijs criminibus. Et puniuntur Iudæi ob vſuras, & alia crimina, & non ob dictas cærimonias. Quia vſuræ, & alia crimina ſunt contra legem naturalem, & ſunt nociua Chriſtianis, & alijs proximis. Cærimoniæ autem Moyſaicæ, nec ſunt contra legem naturalem, nec ſunt in damnum Chriſtianorum, ſed ſi in cõtemptum noſtræ fidei fierent, vel vt Chriſtianos peruerterent, vel eis nocerent vtique tales Iudæi non permitterentur, ſed punirentur, ſicut ob vſuras, & alia crimina. Inſuper ob hæc crimina puniuntur, quia, vt trãſgreſſores legis naturæ, ſubduntur iuriſdictioni Prælatorum, & Principum. Non puniuntur ob cultus, & cærimonias legis Moyſaicæ, quia non ſunt ſubditi Eccleſiæ, & ſunt extra illam, vt ait Apoſtolus Paulus *vbi ſupra*, & notat Fagundez *in decal. lib. 1. c. 33. n.* 17.

Sunt ne aliqui caſus, in quibus Inquiſitores S. Officij procedere poſſunt contra Iudæos, & alios infideles Idololatras.

14 RESp. Affirmatiuè. Quia Gregorius XIII. *in bulla edita anno* 1581. decreuit: Inquiſitores S. Officij poſſe procedere contra Iudæos, Mauros, & alios infideles non baptizatos; Primo, ſi negent, quæ circa fidem communia habent cum Chriſtianis. Vt ſi negent Deum eſſe vnum, æternum, omnipotentem, creatorem omnium, vel ſi id alicui etiam priuatim inſinuent. Secundo, ſi Dæmonem inuocent, conſulant, immolent, vel tus, & fumigationẽ offerant. Tertio, ſi verbis, vel factis, vel exemplis, vel quouis alio modo, nefaria huiuſmodi facinora Chriſtianis doceant, vel ad ea perpetranda perducere

co-

conentur. Quarto, ſi auxilio, conſilio, opere, fauore Chriſtianum à fide ad impias ſectas, ſuperſtitiones, vel hæreſim ſolicitent. Quinto, ſi Chriſtum eſſe purum hominem, vel peccatorem, aut Mariam Dei Matrem non eſſe Virginem, vel ſimiles blaſphemias hęreticales proferant. Sexto, ſi aliquē nutu, verbo, facto, vel aliquo quocumq; modo, poſt illius declaratam voluntatem, à fidei, vel baptiſmi ſuſceptione retrahant, deortentur, vel quouis modo impediāt. Septimo, ſi hęreticos, vel apoſtatas à fide ſcienter receptent, alant, commeatu iuuent, aſſocient, deducant, vel aſſociādos, & deducendos, curent, defendant, aut quomodolibet ijs auxilium, conſilium, fauorem, deferant, vel ne ab eiſdē perpetrata facinora inueſtigari poſſint, operentur. Octauo, ſi prohibitos libros, deferant, retineant, aut diuulgent, vel ad id operam ſuam conferant. Nono, ſi Chriſtianos in deriſione habeant, Sacram Hoſtiam, Crucem, Chriſtum Dominum conſputent, vel quid ſimile, ouem E. g. agnum, vel aliquid aliud Cruci affigentes, vel appendentes, efficiant. Decimo, ſi Chriſtianas nutrices teneant, vel eas quando communicant vno, aut pluribus diebus lac in cloacas effundere cogant.

Iudæi ſi ad ſectam Paganorum, vel aliorum idolatrantium tranſeant, poſsūt ne ab Inquiſitoribus puniri?

15 RESp. quod Decianus *lib.* 5. *c.* 11. *n.* 14. Souſa *in aphor. Inquiſit. lib.* 1. *c.* 37. & Farinacius *de hæreſi q.* 178. *n.* 132. ſuſtinent non poſſe Iudæi in dicto caſu ab Inquiſitoribus puniri. Sed melius docent alij, quos citat, & ſequitur Campeg. *in addition. ad Zanchimū de hæret. c.* 36. *lit. B. in fine*, ac Thomas del Bene *de Offic. Inquiſ. par.* 2. *dub.* 207. *petit.* 4. poſſe puniri ab Inquiſitoribus. Quia, vt ſupra dictum eſt: in Bulla Gregorij XIII. expreſsè tribuitur Inquiſitoribus poteſtas, procedendi contra Iudæos negantes, quę habent communia circa fidem cum Chriſtianis. Sed Iudæi tranſeuntes ad ſectam Paganorum, neceſſe eſt, quod negēt multa, quę habent communia cum Chriſtianis circa fidem. Ergo ab Inquiſitoribus puniri poſſunt.

Iudæi idololatrātes, vel delinquētes in his, quæ ſunt communia noſtræ, & ipſorum fidei, puniuntur ne ab Inquiſitoribus pœna abiurationis?

16 RESp. Affirmatiuè,ità Eymericus *in direct. inquiſ.* 2. *par. q.* 46. *n.* 16. & ibi Pegna, & Vmbericus *in prax. Inquiſ. verb. Abiurare*, §. *vltimo*, vbi refert: ſic in facti contingentia practicatum fuiſſe Barcinonię anno 1371. Vbi Epiſcopus, & Inquiſitor publicè abiurare fecerunt quendam Iudęum, & per ſententiam ad perpetuum carcerem condemnarunt, conuictum, & confeſſum, quod Dęmonem inuocauerat, eiq; ſacrificauerat. Publicè autem abiurare fecerunt ſub hac forma. *Ego N. ſacroſancta Dei lege poſita coram me, & manibus meis tacta, iuro me credere corde, & profiteor ore, illam veritatem, ac fidem, quam lex Dei ſacroſancta docet; Ac in primis Deum eſſe inuocandum, ſolumq; adorandum. Et per conſequens deteſtor eum errorem, qui dicit: Dæmonem eſſe inuocandum eiq; diuinum honorem tribuendum*. Sub ſimili forma abiurare debebit ſimilis reus, iuxtà qualitatem errorum, quos contra fidem committit. Non enim ſimilis reus iurat ſuper Euāgelia, quibus non credit, neq; abiurat hęreſim, quæ in ipſo locum non habet. Ità Thomas del Bene *de Offic. Inquiſ. par.* 2. *dub.* 107. *petit.* 3.

Quibus pœnis Iudæi, Mauri, & Infideles non baptizati ſupradicta delicta perpetrantes puniri poſſunt ab Inquiſitoribus Sancti Officij?

17 RESp. puniri poſſe priuatione communicationis cum Chriſtianis, ac etiam pœna pecunię, carceris, verberum, exilij, remigandi etiam in perpetuum, & tradi quoque Curię ſęculari

pœna

pœna mortis puniendi. Ità Souſa *in aphor. Inquiſ. lib. 1. c. 37. n. 29. ex conſtitut. Gregorij XIII.* Repertorium Inquiſ. *verb. Iudæus*, §. *Sed circa*, Farinacius *de hæreſi q. 168. n. 146.* & alij. Iiſdemq; pœnis puniuntur eorum fautores, defenſores, & receptatores ab eiſdem Inquiſitoribus ex *Conſtitut. Pij V. de protegendis.*

Fautores, defenſores, & receptatores, idolatrantium, vel hæreticorum, ſi ſint conſanguinei, affines, vel amici, excuſantur ne à ſupradictis pœnis?

18 RESp. non excuſari in totum, ſed ſolùm ex parte pro maiori, vel minori conſaguitatis, & affinitatis gradu, iuxà textum *in l. 2. de receptatoribus.* Et Pegna *in direct. Inquiſ. par. 2. comment. 81. lit. P.* ait: Coniunctorum, & conſanguineorum ratio haberi debet: Quia filius receptans patrem; vxor virum, frater fratrem, leuius puniendi ſunt; quàm ſi remotiores, ſeu alios non adeò coniunctos receptaſſent, vel defendiſſent. Et ità etiam affirmant Graffius *in deciſ. par. 1. lib. 4. c. 18. n. 35.* Zanardus *in direct. Theol. par. 2. præc. 1. c. 5. q. 22. circa finem*, Duardus *in Bulla cœnæ lib. 2. can. 1. q. 29. n. 11.* Souſa *in bulla cœnæ c. 2. diſp. 10. n. 4. & ſequ.* Thomas del Bene *de Offic. Inquiſ. par. 2. dub. 208. coroll. 1. n. 9.*

Eſt ne idem dicendum, ſi dubium ſit, an fauens, vel defendens, vel receptans idololatram, vel hæreticum conſanguineum, vel affinem, vel amicum, id præſtiterit ob conſanguinitatis, affinitatis, & amicitiæ coniunctionem, an ob idololatriæ, vel hæreſis crimen?

19 RESp. Affirmatiuè, tunc enim talis puniendus eſt etiam mitius. Quia negari non poteſt, quòd conſanguinitas, affinitas, vel amicitia, quàm maximè trahant, & moueant ad reum fauendum, defendendum, ac receptandum; & conſequenter præſumptio eſſe debet in mitiorem partem. Præter quã, in dubio ſtandum eſt pro reo, & partes rei ſunt fauorabiliores, & pœne ſunt reſtringendę. Ità Symanchas *tit. 15. n. 20.* Graffius *loc. cit.* Thomas del Bene *ibid. n. 12.* Et ideò huiuſmodi fautores, & cæteri; conſanguineorum, affinium, vel amicorum, præſertim ſi ſint bonæ famæ, abiurant de leui, & leuiter puniuntur, nempè pœna pecuniaria, carceris, vel exilij.

Prædicti delinquentes etiam in dubio, contrahunt ne pœnam excommunicationis latæ in Bulla Cœnæ cõtra fautores, defenſores, & receptatores hæreticorum?

20 RESp. Negatiuè, quia ad incurrẽdam hanc excommunicationẽ, videtur requiri, vt adſit intentio formalis fauendi, defendendi, vel receptãdi idololatram, vel hæreticum, qua idololatra, vel hæreticus eſt; vt colligitur ex *cap. Accuſatus*, §. *Sacerdotes de hæreticis in 6.* Et ità etiam Azorius *1. par. lib. 8. cap. 15. quæſ. 3.* Duardus *in bulla Cœnæ lib. 2. can. 1. q. 29. & 31. n. 21.* Sanchez *lib. 2. in decal. c. 10. n. 5.* Scortia *in bull. Pontif. epit. 9. theor. 27.* Megala *in 3. part. lib. 3. c. 1. q. 2. n. 27.* Peyrinus *in priuil. Minim. to. 2. conſtit. 9. Pauli V. §. 2. n. 7.* Thomas del Bene *vbi ſupra n. 14.*

Quinam dicuntur fautores, vel receptatores hæreticorum, & idololatrantium?

21 RESp. fautores alios eſſe ex omiſſione, & negligẽtia, alios ex cooperatione, & facto, & alios ex verbis, & conſilio: Ità Pegna *par. 2. commen. 78.* Farinacius *de hæreſi q. 182. n. 1.* Duardus *in bulla Cœnæ lib. 2. canone 1. q. 32.* Carena *par. 2. tit. 4. n. 1.* & alij. Fautores ex omiſſione ſunt primo Epiſcopi, Inquiſitores, & eorum miniſtri, qui hæreticos

ticos

ticos non puniunt,nec contra illos procedunt, vt ex textu *in Clement.* 1. *de pœnis, & in cap. Excomm.* 1. §. *Volumus de hæreticis*, & latè dicti Doctores. Et in tali caſu eſſent ſuſpecti vehementer de hæreſi, & poſſent, vt hæretici damnari,vt probant Pegna *loc. cit. verſ. ſi de Epiſcopis*, Farinacius *n.* 26. Carena §. 1. *n.* 4. Hoc tamen eſt intelligendum niſi tales hæreticos,vel idololatras permitterent,ad euitanda maiora ſcaldala,vel ignorarent eſſe tales, vt notant dicti Doctores.

22 Hæreticorum fautores ſunt ſecundo,Domini temporales,Magiſtratus,& alij Iudices,qui,requiſiti, omittunt, inueſtigare, & illos capere; vt ex textu *in cap. Excomm.* §. *Moneantur de hæreticis*. & latè probāt Farinacius *n.* 15. *& ſequ.* Pegna Carena *loc. cit.* & alij apud ipſos. Similiter iſtorum fautores ſunt Reges, Principes, Duces, Marchiones, & alij ſupremi magiſtratus; qui leges cōdunt, vel conditas non reuocant, ſed obſeruari mandant, per quas Officium S. Inquiſitionis impediatur, vel debilitetur, vt notant Bouadillus *in ſua polit. lib.* 2. *c.* 17. *de la iuriſdicion Eccleſiaſtica caſu* 66. *n.* 107. Carena *ibid. n.* 10.

23 Hæreticorum fautores sūt tertio perſonæ priuatæ, quæ omittunt denunciare hæreticos; vel ſi à Magiſtratibus aliquid eis fuerit iniunctum aduerſus hæreticos,& idololatras,& non impeditæ, non obediant,vt latè Farinacius *q.* 182. *n.* 27. *& ſequ.* Pegna Carena *n.* 7. Suarez *de fide diſp.* 24. *ſect.* 1. *n.* 6. & alij.

24 Fautores ex opere ſunt, qui alimenta dictis delinquētibus præſtant, pecunias mutuant,illos in carcere viſitant,venerantur, vel ægris oculis aſpiciunt illos perſequentes, vel procurant ne ad manus Curiæ veniant, aut oſſa hæretici combuſti colligunt, & abſcondunt. Et hi omnes de hæreſi ſuſpecti habentur, vehementer, vel leuiter ſecūdum quod maiora, vel minora adſunt contra eos indicia,vt docent Duardus *loc. cit. n.* 8. Sanctarellus *de hæreſi c.* 11. *dub.* 1. Pegna, Farinacius *vbi ſup.* Carena §. 2. Suarez *ibidem*,& alij.

25 Fautores ex verbis ſunt, qui hæreticos, aut idololatras laudant, & protegunt,vel quod ſint in carcerem detruſi lamentantur, vel dicunt eos iniuſtè dānatos, vel illis conſulunt, vt veritatem celent,cùm interrogantur ab Inquiſitoribus. Et hi etiam de hæreſi ſuſpecti ſunt. Ità dicti Doctores, & alij.

26 Eorum defenſores ſunt; vel qui illorū errores defendunt, & hi dicuntur Hæreſiarchę,quia ſunt verè hęretici. Ità Eymericus *in direct. p.* 2. *q.* 52. *n.* 1. & ibi Pegna *in commen.* 77. *lit. A. & B.* Farinacius *de hæreſi q.* 182. *n.* 63. Duardus *in dicta bulla Cœnæ lib.* 2. *c.* 1. *&* 2. Alij nō eorum errores, ſed perſonas defendunt, viribus, potentia,armis, vel fraude: Et hi propriæ dicunrur eorū defenſores;& ſunt ſuſpecti de hæreſi,vehementer,aut leuiter iuxtà qualitatem defenſionis. Ità Eymericus, Pegna, Farinacius *locis citatis*,& alij communiter.

27 Comprehenduntur etiam ſub nomine defendentium idololatras, & hæreticos, & ſunt etiam de hæreſi ſuſpecti, Aduocati,Procuratores,Notarij;qui in caſibus non permiſſis,enumeratis à Farinacio *q.* 197. *n.* 54. *& ſequ.* & à Sāctarello *de hæreſi c.* 11. *dub.* 2. & abſque Inquiſitoris licentia, quæ omninò requiritur,patrocinium, ac defenſionem illis præſtant. Et contra huiuſmodi defenſores procedere poſſunt Inquiſitores, quia ſunt etiam de hæreſi ſuſpecti, vt ſupradicti Doctores affirmant,& Carena *p.* 2. *tit.* 4. §. 8. *n.* 75. Aduocatus enim nullo modo poteſt accuſato de idololatria, vel hæreſi præbere ſuum patrocinium, niſi de licentia Superiorum. Immò præbens conſilium iuſtum inquiſito, inſcio Inquiſitore, punitur pœna arbitraria à dicto Tribunali S. Officij, vt teſtantur Scortia *in ſelect. conſtit. Theol.* 30. *n.* 1. Carena *ibidem*, & alij.

28 Receptatores verò idololatrorum, & hęreticorum ſunt,qui ſcientes aliquem talem eſſe,illum recipiunt. Ità Duardus *in bull. Cœnæ lib.* 2. *can.* 1. *q.* 28. *n.* 1. Farinacius *de hæreſi q.* 182. *n.* 132. Sanchez *in decal. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 4. Carena *vbi ſup.* §. 5.

§.5.*n.*38. Itē qui idololatrā, vel hereticū, etiāſi ſemel tantùm recipiāt, vt eum ab Inquiſitoribus liberent. Ità Pegna *p.*2.*comm.*76.*lit.B.* Carena *n.*39. Suarez *de fide diſp.*24.*ſect.*1.*n.*24. & alij communiter. Qui verò ignorans aliquem eſſe idololatrā, aut hęreticum illum receptaret, non eſſet verè receptator, nec puniendus pœnis receptantium hæreticos. Ità Eymericus *p.*2. *q.*51.*n.*2. Pegna *comm.*76. Farinacius *loc.cit.n.*163. Duardus *vbi ſup. q.* 28. *n.*7. Carena *n.* 46. & alij. Hęc autem ignorantia pręſumitur in dubio, & per conſequens Fiſco alleganti ſcientiam, incumbit onus illam probandi. Ità Pegna *vbi ſup.verſ. An autem receptator*, Symanchas *de cat.inſtit.tit.*15.*n.*18.*& ſequ.* Farinacius *n.* 164. Duardus *n.*9. Carena *n.* 47. & alij. Si verò notoriè cōſtaret receptatum eſſe idololatram, vel hereticum, vt quia erat denunciatus, vel amicus, vel vicinus receptatoris, Tunc ipſi receptanti incumbit onus probandi ignorantiam; vt docēt ſupradicti Doctores. Qui per vim, & metum idololatram, vel hæreticum receptat, excuſatur à pœnis. Ità Farinacius *in praxi criminali q.* 133.*n.*36. Sanchez *lib.*2.*c.*10. *n.*8. Carena *n.*54. Nautę, Caupones, & Stabularij tunc pro receptatione heretici puniuntur, quando hæreticus, vel idololatra eſt publicè damnatus, vel denunciatus, vt notant Pegna *ibid.verſ.Hinc conſequitur*, Graffiis *in ſuis deciſ. lib.*4. *c.*18.*n.*33.*to.*1. Duardus *q.*29.*n.*11. Farinacius *vbi ſup.n.*42. *& ſeq.* Carena *n.* 50. & alii. Dicti receptatores regulariter ſunt de hereſi vehementer ſuſpecti. Quia omnes excommunicati ex cauſa fidei, ſunt vehementer de hereſi ſuſpecti, vt probāt Eymericus *q.*56.*n.*5.*verſ. Quintus caſus*, *& n.*6. Duard. *q.*33.*cōcl.* 2.*n.*33. Sanctarellus *de hæreſi c.*12.*n.*3. *concluſ.*3. Carena *n.*56. & alij. Conſideranda tamen eſt qualitas perſonarum receptātium, ac etiam modus receptationis. Quia ex horum conſideratione manifeſtè agnoſcetur, aliquando ſuſpitionem hanc eſſe vehementem, aliquādo tantummodò leuem, vt animaduertit Pegna *in direct.p.*2. *q.*51. *comm.* 76. *lit.C.* Carena *n.*57. Tandem ab Inquiſitoribus puniri debent non ſolùm Catholici hęreticorum, & idololatrorum fautores, defenſores, & receptatores, vt ſupra; Sed Iudęi ipſi, ac hęretici alios receptantes, defendentes, ac fauentes; vt docent Marius Mura *in c. Regis Federici* 108. *ampl.*21.*n.*8. Souſa *in aphor. Inquiſ.lib.*1.*c.*23.*n.*23. Carena *n.*61. & & alij.

CAPVT VIII.

De obligatione denunciandi Idololatras Hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos.

1 IDololatras, hęreticos, vel de hæreſi vehementer ſuſpectos eſſe omnino denunciandos, quando eorum delictum probari poteſt, nulli dubium eſt, & omnes Doctores vno ore teſtantur. Sic enim colligitur *ex c.* 13. *Deuteron. n.*6. & pręcipitur *in c. Quapropter* 2.*q.*7. *& in c.*2.*de hæreticis*, ac etiam in Bulla Gregorij IX. quæ incipit *Excommunicamus*, *edita anno* 1232. & in Bulla Innocentij IV. incipiente *Nouerit*, *edita anno* 1254. & in alijs, in quibus Pontifices ſub pœna peccati mortalis, & excommunicationis hoc expreſsè pręcipiunt. Dubitatur verò primo

Si tale delictum ſit adeò occultum, vt nullo modo probari poſſit, teneatur ne qui illud ſecreto nouerit, Sacro Tribunali reuelare, & delinquētem denunciare?

2 REſp. Affirmatiuè cum communi Doctorum ſententia, quam tuentur Cardinalis *in c. Si peccauerit* 2. *q.*2.*n.*29. Sotus *lib.*5.*de iuſt.q.*5. Nauarrus *in c. Inter verba concluſ.*6.*n.*157. *& conſil.*5.*de hæret.* Caſtrus *volum.*1.*conſ.* 23. *colum.* 3. *verſ. Cum igitur*, Aragonius 2.2.*q.*33.*ar.*7.*verſ. Dico* 4. Suarez *de fide diſp.*20.*ſect.*4. *n.*7. & alij, quos citat, & ſequitur Thomas del Bene *de Offic.*

*Offic.S.Inquiſ.par.*1.*dub.*15.*n.*3. Tum quia talis denunciatio eſt Reipublicæ Chriſtianę maximè neceſſaria; ſic enim impeditur, ne idololatria, vel hæreſis ſerpat, & alios inficiat. Tum quia delinquens, ſciens eſſe denunciandum, continebitur à crimine, timens ſupplicium. Et tum etiam, quia Inquiſitor per hanc denunciationem poteſt procedere contra ipſum delinquentem, & recipere denunciantem in teſtem criminis commiſſi; vt notant Farinacius *de hæreſi q.*185.*n.*32.*&* 64. Symanchas *tit.* 19. *n.*17. Suarez *vbi ſup.n.*9. Aliæ rationes videri poſſunt apud dictos Doctores. Qui etiam docent, denunciandum eſſe huiuſmodi delinquentem, etiamſi illius crimen quis ſciat ſub magno ſecreto iurato, vel ſi ille diceret, manifeſto tibi hoc ſub ſigillo confeſſionis. Nam hæc manifeſtatio, nec eſt confeſſio ſacramẽtalis, nec fit animo confitendi; vt notant Nauarrus, Caietanus, Sotus, Suarez allegati, & Carena *par.*2.*tit.*9. §.5. *n.*22. Secus verò ſi quis manifeſtaret ſuum crimen hæreticale in confeſſione ſacramentali, tunc enim non poſſet Confeſſarius illum denũciare, vt omnes Theologi docent, & præcipuè Scotus *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 2. *ad* 2. Verùm ſi accederet ad Confeſſarium, non animo confitendi peccata, ſed peruertendi, & inducendi illum, ad ſimile crimen committendum, teneretur Confeſſarius illam denunciare; quia hęc non eſt confeſſio ſacramentalis, ſed modus occultus dogmatizandi. Ita Genueuſis *in praxi Archiep.Neapol.c.*18.*n.*16. Carena *vbi ſup.n.*21. & alij.

Qui credit idololatram hæreticum iam eſſe emendatum, tenetur ne illum iudicialitèr denunciare?

3 RESp. Affirmatiuè, tum quia Alexander VII. Anno 1660. menſe Auguſti in ſuo decreto, quod incipit *Licet alias*; præcipit eſſe denunciandũ hæreticum occultum, quamuis emendatum, Inquiſitoribus, vt notat Thomas del Bene *de offic.* S.*Inquiſ.par.* 1. *dub.*18.*n.*8. Tum quia idololatra, aut hæreticus facilè ne denuncietur, & puniatur, finget ſe eſſe emendatum, cùm re vera in eadem idololatria, vel hæreſi perſiſtat. Tum quia ſciens eſſe denũciandum, quamuis reſipiſcat, non audeat ſuos errores manifeſtare, & alios ſua peſtifera doctrina inficere. Et tum etiam quia fortaſſe alios infecit, vel ab alijs fuit infectus, & neceſſarium eſt, vt hoc innoteſcat Iudicibus fidei. Et ità etiam docuerunt ante dictum decretũ Alexandri VII. Suarez *de fide diſp.*20. *ſect.*4.*n.*13. Salonius *in* 2.2.*q.*68.*art.* 1. Royas *ſingul.*3.*n.*33.*&* *in tract. de hæreſi par.*3.*q.*54. *&* 55. Symanchas *de Cathol.inſtit.tit.* 19.*n.*12. Farinacius *de hæreſi q.*197.§.2.*n.* 52. Azorius *par.* 1. *lib.*8.*c.*19.*quæſ.* 9. Emmanuel Sa *verbo Denunciatio.* Bonacina *diſp.*6.*pun.* 3. *n.* 9. Diana *to.*5.*tr.*9. *reſ.* 6. *ex par.*1.*tr.*4. *reſ.*3. & alij

4 Nec obſtat, quod D. Thomas *quodlib.* 11.*ar.*13.*ad* 3. D. Antoninus *par.*2.*tit.* 9.*c.*6.§.4. Sotus *de tegen.ſecreto membr.* 2.*q.*4.*dub.*3.*concluſ.*4. Nauarrus *c.*24.*n. vlt.* Syluester *verbo Denunciatio q.*1. & alij doceant hominem emendatum, & qui ex animo pœnituit, non eſſe ſuperiori denunciandum. Nam hi Doctores, vel loquuntur de alijs criminibus, non de idololatria, & hæreſi. Vel loquuntur de denunciatione euangelica, quę ordinatur ad finem emendationis, & vt frater corrigatur. Et ideò quando conſtat, quòd ſit emendatus, non eſt amplius ſuperiori denunciandus. Et inſuper ſcripſerunt ante dictum decretum Alexandri VII. Nos autem loquimur de denunciatione iudiciali, quæ ordinatur non ſolum ad finem emendationis, ſed etiam ad punitionẽ delicti, & vt idololatria, & hæreſis omninò præcaueatur, & veneno ſuo fideles non inficiat.

5 Neque obſtat præcedendam eſſe correctionem quando ſperatur emendatio; quia hoc eſt præceptum naturale, & diuinum. Nam reſpondetur, quod ordo correctionis fraternæ ſeruari debet inter fratres: Dixit enim Chriſtus

H Do-

Dominus Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus.* At Ethnici, & hæretici cũ non ſint filij Dei, ſed demonis verè nõ ſunt fratres. Vndè ait D. Aguſtinus *ſer. 16. de verbis Domini; Ethnicos nõ eſſe vocandos fratres.* Ergo præceptum correctionis fraternæ non extenditur ad ipſos Ethnicos, & hæreticos. Confirmatur, quia Chriſtus Dominus ibidem præcipit, quod qui Eccleſiam non audierit, non amplius corrigatur, ſed *ſicut Ethnicus, & publicanus habeatur.* Idololatra autem, & hereticus non audiunt Eccleſiam; Ergo multò minus audient perſonam eos corrigentem. Immo quò magis hi de ſuo facinore admonẽtur, eò tenacius illud tueri conantur, ſicq; admoniti, & correcti deteriores euadunt. Et quamuis in aliquo caſu ſperari poſſit emendatio ob ſecretam correctionem; regulariter tamen præſumi non poteſt, ſed potius credendum eſt, diſſimulaturos ſe correctos; vt ſic facilius delinquãt, & venenoſam eorum doctrinam diffundant in graue damnum Reipublicæ catholicæ. Et ideò ob hoc periculum boni communis, iuſtè, ac ſanctè præcipit, vt abſq; correctione denũcientur Alexander VII. in ſupradicto ſuo decreto.

Qui ſunt de idololatria, & hæreſi leuiter tantum ſuſpecti ſunt ne etiam abſq; correctione denunciandi?

6 Reſp. Affirmatiuè; ità expreſsè præcipitur in dicto decreto Alexãdri VII. his verbis: *Etiamſi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmiſſa fuerit, omnino teneri, & obligatos eſſe accedere, ad denunciandum Ordinarijs, vel Inquiſitoribus locorum, quoſcumq; etiam Confratres, ac Superiores, etiam primarios, ſuos eiuſdem Ordinis, & Religionis, quos nouerint eſſe de fide quomodolibet, etiam leuiter ſuſpectos.*

Eſt ne aliquis caſus, in quo quis non teneatur Idololatram, vel hæreticum Inquiſitoribus denunciare?

7 Reſp. Affirmatiuè. Et primo non tenetur ipſe Idololatra, vel hæreticus ſe ipſum denunciare: quia nemo tenetur prodere ſe ipſum; vt docent D. Thomas 2.2. *q.* 96. *ar.* 1. Nauarrus *conſil.* 5. *n.* 3. *de hæreticis*, Sotus *de tegen. ſecoet. memb.* 2. *q.* 7. Pegna *in direct. par.* 3. *commen.* 12. Suarez *de fide diſp.* 20. *ſect.* 4. *n.* 18. Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 42. *n.* 13. & alij.

8 Secundo; Socius criminis non tenetur hereticum, ſeu idololatram denunciare, quia manifeſtaret ſeipſum, etiam deliquiſſe. Nam ſi ſocius denunciatus poſtea à Iudice interrogaretur, teneretur manifeſtare denũciatorem ſocium criminis. Quando enim quis iuridicè interrogatur vt reus, tenetur manifeſtare ſe, & criminis ſocios. Et ideò ſocius criminis non tenetur denunciare, quia proderet ſeipſum, quod naturæ valdè aduerſatur. Ità Freitas *tract. de confeſ. ſolicit. q.* 25. *n.* 70. *&* 71. Diana *to.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 24. *ex par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 41. Thomas del Bene *de Offic. S. Inquiſ. par.* 1. *dub.* 19. *petit. vnica n.* 4. Hoc ſolùm fallit in fœmina ſolicitata conſenſiente, quia non tenetur dicere, quod conſenſerit; ſed ſolum quod fuerit ſolicitata, nec debent inquirere, nec ſcribere in actis Inquiſitores eius conſenſum.

9 Tertio; Non tenetur, immo non poteſt Confeſſarius, denunciare aliquem, quem in confeſſione ſacramentali cognouit eſſe idololatram, vel hereticum, quia quæ audiuit in confeſſione, non ſcit vt homo, ſed vt Deus, & vt Dei miniſter. Et ideò in nullo caſu, neq; ob vllum finem, etiam ob Rempublicam à quouis grauiſſimo damno, ſiue temporali, ſiue ſpirituali liberandam, poteſt quis reuelare peccatum auditum in confeſſione ſacramentali, quia alias redderetur cõfeſſio odioſa, & homines retraherentur ab illa facienda, cum ſecurè ad illam accedere non poſſent; quod totum redundaret in irreuerentiam Sacramenti, & ſpirituale damnum fidelium. Ità præcipitur *in cap. Omnis vtriuſque ſexus de poenit. & remiſſ. Et in c. Sacerdos de poenit. diſt.* 6. Et ità confir-

firmant D.Thomas 2.2.*q.*70.*ar.*1.*&* 2. *& in* 4.*diſt.*21.*q.* 3. *ar.*1. D.Bonauentura *in* 4. *diſt.* 21. *ar.* 2.*q.*1. Nauarrus *in c. Sacerdos de poenit. diſt.* 6. *n.* 116. Suarez *de fide diſp.*20.*ſect.*4.*n.*16. Pegna *in direct. par.* 2. *comm.* 19. & alij omnes.

10 Notandum verò eſt cum Caietano 2.2.*q.*70.*ar.*1.*verſ.In reſponſione ad* 3. Quod Confeſſarius diſcernere debet inter illa, quę audiuit in ſacramentali confeſſione, & illa, quæ audiuit ſub ſigillo confeſſionis non verę, ſed ad ſimilitudinem confeſſionis; vt frequenter fit à dicentibus aliquid in ſecreto. E. g. Dico tibi hoc in confeſſione, vel inchoant, Confiteor Deo, & tibi; & tamen re uera non confitentur, ſe peccaſſe; ſed communicant tantùm, quæ in ſecreto ſunt dicturi. Hæc enim ſi ſint in alterius damnum, & multo magis in damnum fidei, tenetur talis Confeſſarius ea reuelare, vel teſtificando, vel denunciando. Et ità etiam docent S.Thomas *ibid.ar.*1.*ad* 2.Suarez *n.*12.Carena *par.*2.*tit.*9.§.5.*n.*22.& alij.

11 Quarto; Non tenetur quis denunciare, quando audiuit aliquem eſſe idololatram, vel hęreticum ab homine fide non digno; quia tunc leue habet fundamentum. Ità Rodericus *de ordin. iudic. c.*4. *concluſ.* 10. *n.*10. Guttierez *lib.* 1. *quæſt.canonic.c.*11.*n.*21.Corduba *lib.*1. *quæſt.q.*43. *dub.*2. §. 6. *& in ſumma q.* 64. *circa finem* §. 6. Petrus Nauarra *de reſtit. lib.*2. *c.*4. *par.*2.*dub.*10.*n.*108.& alij. Secus dicendum, ſi audierit ab homine fide digno, tunc enim illo non reuelante, tenetur ipſe reuelare. Quia ex tali reuelatione poteſt Inquiſitor, citare reũ, à quo reuelator audiuit, & eius teſtimonio vti, ad procedendum contra reum. Ità Nauarrus *in cap.Inter verba coroll.*66.*n.*290. *& in ſumm.c.*25. *n.*46. Rodericus *in ſum.to.*2.*c.*217. *n.*9. *& de ordin.iudic.c.*4.*concluſ.*20. *n.*12. & alij communiter. Similiter qui audiuit aliquem eſſe idololatram, vel hæreticum, & non recordatur, à quo audierit, vel ſi ille, à quo audiuit, nihil certo ſciebat, vel ſuſpicio ſit leuis, & indicia ſint talia, vt facile ipſe falli poſſit, non tenetur illum denunciare. Ità Nauarrus *in cap. Inter verba coroll.*66.*n.*291.*& conſil.*3. *de hæreticis*, Carena *vbi ſup.n.*31.

12 Quinto, Non tenetur quis denunciare ſuſpectum de hæreſi, vel de idololatria ob metum cadentem in conſtãtem virum; ſicut nec fœmina ob metũ cadentem in conſtantem fœminam, vt ſi timeat occidi, vel malè tractari ſi denunciet. Ità docet Pegna *in direct.par.* 2.*q.*53.*commen.*78.*verſ.At non videtur.* Vbi ait. *Si vxor ſciat maritum diebus prohibitis veſci carnibus, aut alia hæreticalia committere, eumq; cognoſcat terribilem, qui facilè eam aut interimeret, aut malè tractaret ſi denunciaretur.Ego planè ratione metus putarem excuſandam. In cæteris idem eſt iudicium.* Ità Pegna. Et idem docent Scaccia *de iudic.cauſ.c.*56.*n.*4. Farinacius *q.*197.§.2. *n.*53. Thomas del Bene *dub.*19.*n.*9.

Si ex omiſſione denunciationis idololatræ, vel hæretici immineret dãnum Reipublicæ, poſſet ne quis illam omittere ob timorem ſuæ grauis iacturæ in vita, vel fama, vel rebus familiaribus?

13 RESP. diſtinguendo: Vel damnum commune eſt graue, quia delinquens dogmatizat, & alios ſeducit, & tunc tenetur iudicialiter denunciare; quia damnum commune longè pręponderat damno proprię vitæ, vel famæ, uel rerum familiarium: Et conſequenter bonum commune æſtimari, & præferri debet priuato; & iudicialis denunciatio omitti non poteſt. Nam conſeruatio vitæ, ac famæ, & cæterorum bonorum eſt quid minus conſeruatione fidei: & bonum maius pręponendum eſt minori, *cap.*18.§.*ſi verò de regul. & cap.*3.*de poſtulat. prælat.* Vel damnum commune Reipublicę eſt leue, aut non eſt ita graue, ut pręponderet damno particulari; & excuſatur à denunciatione iudiciali. Quia præcepta diuina, & eccleſiaſtica nõ obligant cum tanto rigore:

Iugum enim Chriſti ſuaue eſt, & onus eius leue. Ità docent Pegna *vbi ſup.* Bonacina *de cenſuris diſp.2.q.6.pun.1.n.5.* Royas *ſingul.3.n.3.* Scaccia *de iudic. c. 56.n.4.* Farinacius *de hæreſi q.197. §.2. n. 53.* Thomas del Bene *vbi ſup. n. 3.* & alij.

14 Ex qua doctrina ſequitur, quod quãuis quis non teneatur denunciare ſocium ſui criminis, quia manifeſtato ſocio manifeſtaret, & proderet ſe ipſum, vt ſupra dictum eſt: Tamen ſi ſocius dogmatizare conſueuerit in perniciem Reipublicæ, tenetur illum etiam cum periculo propriæ vitæ iudicialiter denunciare; quia bonum commune præponderat priuato, & quilibet pro bono communi propriam vitam ponere tenetur. Ità docẽt Suarez *de fide diſp. 20. ſect.4. n.18.* Portellus *in addit. ad dub. regul. verb. Denunciatio n.10.* Megala 1.*par. lib. 1.c.5. n.30.* & alij.

Tenetur ne quis denunciare ſuo ſanguini coniunctos, etiam fratres ſuſpectos de idololatria, vel hæreſi?

15 RESp. Affirmatiuè. Nam ſi conſanguinei quærunt illum peruertere, nulli dubium eſt, teneri eos denunciare, quia Deus præcipit *Deuteron. 13. Si tibi perſuadere voluerit frater tuus, filius matris tuę, aut filius tuus, vel filia, ſiue vxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis, vt animam tuam, clam dicens: eamus, & ſeruiamus dijs alienis, &c. non miſerearis, vt occultes eum.* id eſt illicò accuſare debes. *Et ſtatim* non priuata quidem auctoritate, ſed crimen ad Iudices deferendo *interficias.* Si verò non quærunt alium peruertere, etiam denunciandi ſunt, quia eadem militat ratio in ſuſpectis de idololatria, & hæreſi, ac in idololatris, & hæreticis. Et ne dum Edicta Inquiſitorum, ſed etiam decretum Alexandri VII. quod incipit; *Licet alias, editum anno 1660.* loquuntur generaliter, & ſine diſtinctione de ſuſpectis de hæreſi, & generaliter, & ſine diſtinctione intelligenda ſunt. Conſequenter obligant etiam conſanguineos ad denunciandos ſuos coniunctos de idololatria, aut hæreſi ſuſpectos. Ità expreſsè docent Carena, alios citans *par.2.tit.9. §. 3. n. 13.* Farinacius *de hæreſi q. 197. n. 40.* Diana *to.5.tr.9.reſ.9.ex par.1.tr.4.reſ. 4.* Suarez *de fide diſp. 20. ſect. 4. n. 21.* Azorius *par.2.lib.2.c.2.q.13.* Comitolus *in reſp. moral. lib.4.q.8.n. 3.* Sanctarellus *in tract. de hæreſi c.9.n. 15.* Bordonus *to.1.c.31.n.13.* Thomas del Bene *par.1.de offic. inquiſ. dub.19.n.6.*

Tenetur ne Filius denunciare patrem idololatram, vel hæreticum, & pater filium; Vxor maritum, & maritus vxorem?

16 RESp. fuiſſe aliquorum opinionẽ; non teneri filium denunciare patrem idololatram, & hæreticum. Quia filius naturali iure tenetur ſemper colere, & reuereri parentes. Ergo non poteſt illos accuſare, vel denunciare: quia hoc cum cultu, & veneratione illis debita pugnat. Etiam feræ ipſæ, & belluæ nunquam ſuis parentibus interitum machinantur, vel afferunt; vt ait Plato *in Euthyfrone.* Nec *in c.13. Deuteron.* vlla fit mentio patris, vel matris; ſed ſolum dicitur: *Si frater tuus, aut filius, aut vxor, aut amicus decipere voluerit te.* Ergo hæc obligatio non eſt extendenda contra patrem, & matrem idololatras, vel de hæreſi infectos. Ità opinari videntur Abulenſis *in dicto c. 13. Deuter.* & Symanchas *de inſtitut. cathol. tit. 29. n.35.*

17 Alij hanc ſententiam limitant, affirmantes; filium tunc teneri patrem idololatram, aut hæreticum occultum denunciare, quando pater alios falſa doctrina corrumpit, aut à vera Dei religione ſtudet auertere; non tamen quãdo ſibi ſoli nocet. Quia ſupradicta lex *Deuteron.13.* conſtituit, vt pater prodat filium impium idololatriam ſuadentem alijs. Ergo eadem ratione filius patrẽ idololatram, ſeu hęreticum debet prodere; quando alios à fide auertit: Nam idem ius eſt filij in patrem, quod eſt pa-

patris in filium. Ità ſentiunt Alexander *par. 3. q. 23. memb. 4. ar. 2. in fin.* Lupus *in c. Per veſtras de donat. inter vir. & vxor. n. 75.* Caſtrus *lib. 2. de iuſt. punit. hæret. c. vlt.*

18 Sed dicendum, teneri filium ſemper denũciare patrẽ idololatram, ſeu hęreticũ. Primo, quia ità colligitur ex dicto *c. Deuteron.* Nam ibi notat Caietanus: quòd non fit mentio de filio in ordine ad patrem: vel quia nõ præſumitur huiuſmodi ſcelus ſuaſionis in patre in ordine ad filium. Vel quia in lege, non miſerendi filio, includitur etiam lex, nõ miſerendi patri; Et quamuis magis ſit obligatus filius patri, quàm pater filio: tamen magis pater diligit filium, quàm filius patrem. Et ideò dum textus ille præcipit, non eſſe miſerendum filio hęretico, ſeu idololatra à patre; ſimiliter non eſt miſerandum in eodem crimine patri, à filio. Et valet conſequentia, dũ plus amat filium pater, quam patrem filius. Probatur ſecundo, Tum ex illo *Matt. 10. verſ. 30.* vbi Chriſtus Dominus ait. *Qui honorat patrem, & matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Tum quia quilibet magis obedire debet Deo, quàm parentibus, *cap. Relatum de ſent. excomm. & c. Quiſquis metu 9. quæſt. 3.* Tum etiam, quia Religio præferenda eſt neceſſitudini patris. Et tum tandem, quia poteſt filius impunè occidere patrem, hoſtem patriæ, vel Reipublicæ: *l. Minimè, ff. de relig. & ſumpt. funer.* Ergo multo magis poterit denũciare patrem idololatram, aut hæreticum hoſtem Dei, fidei Chriſtianæ, boni communis, animarum ſalutis, & omnium bonarum diſciplinarum. Et ex his patet reſponſio ad ſupradicta. Et ità docent Pegna *in direct. par. 2. c. 14. cõm. 15. ſub lit. B.* Ludouicus à Paramo *de orig. S. Officij lib. 3. q. 8. n. 38.* Farinacius *de hæreſi q. 197. n. 40.* Suarez *de fide diſp. 20. ſect. 4. n. 21.* Zechius *de caſibus reſeruatis caſu 2. n. 2.* Sanctarellus *de hæreſi c. 9. n. 14.* Carena *par. 2. tit. 9. §. 3. n. 10.* Diana *to. 5. tr. 9. reſ. 9. ex par. 1. tr. 4. reſ. 4.* & alij.

19 Neque obſtat dicere, quod filius ſi denunciat patrem idololatram, vel hęreticum, bona patris amittit, quia ei confiſcantur, & efficitur infamis. Ergo non tenetur patrem denunciare, quia leges humanę non obligant cum tanto diſcrimine. Quia negatur antecedens; Nam filius patrem denuncians, non punitur pœnis, à iure ſtatutis in filios, & nepotes idololatrorum, & hæreticorũ. Sed in præmium operis, & Religionis, quod exercet, nec bonis paternis priuatur, nec infamiam incurrit; immò potius honore afficitur: Ità Caſtrus *lib. 2. de iuſta hæret. punit. c. 26.* Royas *ſingul. 3. n. 30.* Pegna, & Carena *locis citatis*, & alij.

20 Neque excuſatur filius ab obligatione denunciandi patrem, quia eſt idololatra, vel hæreticus occultus, & ſibi ſoli nocet. Quia tunc etiam præſumere debet, patrem nõn ſolum ſibi, ſed alijs nociturum; quia idololatria, vel hæreſis ſerpit, vt cancer, & eſt peſtiferum venenum, vt notant Azorius *par. 2. lib. 2. in 4. decal. præc. c. 2. q. 13.* & communiter cæteri Doctores.

Ob eaſdem rationes tenetur pater denunciare filium: Lex enim *Deuteronomij 13.* conſtituit, vt pater non occultet filium, veræ fidei contemptorem. Ergo illum denunciare tenetur. Et ità docet Caietanus *in c. 13. Deuteron.* Pegna *in direct. par. 2. commen. 15.* Caſtrus *lib. 2. de iuſta hæret. punit. c. vlt.* Royas *ſingul. 3. n. 29. & ſequ. & ſingul. 12. n. 1.* Zechius *in ſumma par. 1. tit. de fide rubr. de hæresi, c. 9. n. 12.* Suarez *de fide diſp. 20. ſect. 4. n. 21.* Farinacius *de hæresi q. 197. n. 4.* & alij.

21 An autem vxor teneatur denunciare virum idololatram, aut hæreticum, & vir vxorem: aliqui negant; quia ſunt duo in carne vna, & reputantur vna eademque perſona. Ergo ſicut nullus tenetur denunciare ſeipſum, vt ſupra probatum eſt ità neque tenentur vxor, & vir, inter ſe ſic coniuncti, alterutrum denunciare. Ità opinari videntur Cantera *in quæſt. criminal. rub. de hæreticis c. 1. n. 22. verſ. Ex qua quidem*, Riccius *par. 3. decis. 279. n. 8.* Ioannes Valerus

in differen. vtriuſq; fori verb. Hæreſis n. 4. Sed probabilius, ac verius alij docent; ſupradictam doctrinam militare in alijs criminibus, ac delictis, non autē in idololatria; vel hæreſi quæ (vt ait Felix Papa *Epiſt. 1. ad paternū Epiſcopū de hæreſis incommodis*) *Eſt nimis impia, Euangelicæ veritatis inimica, & Chriſtianæ Religionis fundamenta conatur, conuellere, & quoſcumque rapit ad ſe, nō ſolum in hoc vitium, ſed in alia multa ruere facit*. Quapropter etiam ſi maritus non dogmatizaret adhuc eſſet ab vxore denunciandus, & ſimiliter vxor à viro. Ità docent Bonacina *to. 1. tract. de onere denunciandi diſp. 6. pun. 1. §. 3. n. 6.* Farinacius *de hæreſ. q. 197. n. 40.* Maſcardus *de probat. concluſ.* 857. Suarez *de fide diſp. 20. ſect. 4. n. 22.* Sanctarellus *in tr. de hæreſ. c. 9. n. 15.* Diana *to. 5. tr. 9. reſ. 8. ex par. 1. tr. 4. reſ. 5.* Bordonus *to. 1. c. 31. de denunciandis n. 14.* Thomas del Bene *de Offic. Inquiſ. par. 1. dub. 19. n. 17.* Carena *par. 2. tit. 9. §. 3. n. 10.* & alij quos ipſi citant.

Eſt ne idem dicendum de patre, vel marito, aut de filio, vel vxore ſuſpectis tantum de tali crimine?

22 RESp. Carenam *par. 2. tit. 9. §. 3. n. 13.* Zechium *de caſib. reſeru. caſ. 2. n. 2.* Lazarium *q. 12. n. 57.* Comitolum *lib. 4. q. 8.* & alios, opinari filium, & vxorem teneri, denunciare patrem, vel maritum etiam ſuſpectos tātum de idololatria, vel hæreſi; & ſic etiam patrem filium, & maritum vxorem. Tum quia eadem ratio militat in idololatris, & hæreticis, ac in ſuſpectis de huiuſmodi crimine. Tum etiam quia edicta, quæ obligant ad denunciandum, loquuntur generaliter, ac proinde generaliter ſunt intelligenda; itaut comprehendant etiam filium aduerſus patrem, vxorem aduerſus maritum, & è contra.

23 Sed ſecundum humaniorem ſententiam, quam tuentur Nauarrus *conſ. 3. de hæreticis.* Homobonus *par. 2. examinis tr. 7. c. 7. q. 32.* Bordonus *to. 1. c. 31. de hæreticis denunciandis n. 13.* Dicendum eſt filium non teneri denunciare patrē ſuſpectum tantum de idololatria, vel hæreſi, nec vxor, maritum, aut è contra. Primo, ob leuem ſuſpicionem, vel ob leuia indicia, quę facilè fallere poſſunt. Secundo, ob metum notabilis damni, vnde Pegna *in direct. part. 2. comm. 78. verſ. At non videtur*; exiſtimat vxorem excuſandam eſſe, ſi non denunciat maritum ſuum comedentem carnes in diebus prohibitis: ſi eius maritus ſit terribilis, & timeat ab eo, vel interfici, vel male tractari; ſi eum denunciet. Tertio, quia Abbas *c. Inter ſollicitudines de purg. can. n. 6.* docet, quod ſtatutum loquens de hæreticis non habet locum in ſuſpectis de hæreſi; Quæ doctrina eſt communiter approbata, vt teſtantur, Ricciullus *de iure perſon. extra Eccleſiæ gremium exiſt. lib. 5. c. 19. n. 27.* & Sanctarellus *de hæreſi. c. 33. n. 6.* Sed Doctores loquentes de filio, & vxore, obligatis ad denunciandum, loquuntur de Patre, & Viro idololatris, aut hæreticis. Ergo illorum traditio, ſeu doctrina, non debet extendi ad eoſdem tantum tali crimine ſuſpectos. Quæ opinio etiam à Carena ſatis probabilis exiſtimatur.

24 Ad illud autem, quod edicta Inquiſitorum loquuntur generaliter, & proinde ſunt generaliter intelligenda. Reſpondetur, quòd id procedit, quando aliqua ſpecialis ratio contrarium non ſuadet, ex *l. Hæres abſens, ff. de hæred. inſtitut.* Et neque generaliter dictum refertur ad extraordinaria, *l. Scio amico, §. Medico, ff. de ann. legato.*

Non denuncians hæreticum, vel idolotatram, vel ſuſpectum de tali crimine; eſt ne ſuſpectus de hæreſi leuiter, an vehementer?

25 RESp. quod non denunciās idololatram, vel hæreticum, quando tenetur, aliqui opinantur, quòd incurrit ſuſpicionem violentam de hæreſi, vt refert Carena *par. 2. tit. 9. §. 9. n. 43.* quā opinionem nimis rigoroſam ipſe exiſtimat cum Pegna, Symancha, & Royas.

Poſ-

Poſſet tamen locum ſibi vēdicare, quãdo vltra non denunciationem, adeſſet inter idololatram, aut hæreticum, & nõ denunciantem, nimia familiaritas, & amicitia; tunc enim contra non denunciantem, oriri poterit ſuſpicio, ſeu præſumptio violenta; Et ità etiam aſſerunt Alphonſus Aluarez Guttier. *in theſauro chriſtianæ religionis, in tit. de hæret. n. 9.* & Royas alios allegans *ſing. fidei 5. n. 18.*

26 Lelius Zechius *in ſumm. to. 1. tit. de fide, rubrica de hæret. c. 9. n. 5. verſ. Tertia ſuſpicio.* exiſtimat ſuſpicionem hanc eſſe vehementem. Et Pegna *in direct. par. 2. comm. 81. lit. D.* affirmat, tunc locum ſibi hoc vendicare, quando nulla adeſt cauſa non reuelandi; vel in iudicio interrogatus, cum ſcienter cælaret, iuxta doctrinam Zanchini *de hæret. c. 5. num. 4.*

27 Ipſe autem Carena ait *n. 44.* veram eſſe doctrinam Leonardi Duardi *in bull. Cœnæ lib. 2. canon. 1. q. 33. concluſ. 1. n. 17.* qui docet huiuſmodi non denunciantes regulariter eſſe tantum ſuſpectos de leui: quia vt plurimum denunciare omittunt, non in defenſionem idololatriæ, vel hæreſis, ſed ex amicitia, vel alia cauſa. Et ità etiam ait Bordonus *to. 1. de denunciandis c. 31. n. 23.* Qui etiam idem affirmant de filio, & vxore, eò quod terribilitas patris, vel viri à denunciationis obligatione excuſaret. Ità in terminis Pegna *par. 2. comm. 78. verſ. At non videtur*, Scaccia *de Iudic. lib. 1. c. 56. n. 4.* Farinacius *de hæreſ. q. 197. n. 53.* Si verò quis omitteret denunciare ob metum cadentem in conſtantem virum, nullo modo eſſet de hæreſi ſuſpectus. Ità Sanctarellus *de hæreſi c. 9. n. 16. verſ. Tertio non tenetur*, Farinacius *ibid.* Carena *n. 45.*

28 Omittens autem denũciare ſuſpectos de hæreſi, non incurrit hæreſis ſuſpicionem, quamuis puniri poſſit pœnis ſtatutis in edictis Inquiſitorum. Quia præſumptio non oritur ex præſumptione, neque ſuſpicio eſt ſuſpicione. Ità Carena *n. 46. in fin.* Bordonus *vbi ſupra n. 24.*

Tenetur ne quis denunciare huiuſmodi delinquentem ſi poſt perpetratum delictum ſtatim pœnituit?

29 Reſp. Affirmatiuè: Quia huiuſmodi pœnitentia non tollit obligationem ex parte eius, qui denunciare tenetur. Neque in delictis ſpectatur voluntas perſeuerandi in illis, aut ſubita retractatio, ſed ſpectatur voluntas deliberata in illis agendis: Et bulla, & Inquiſitorum edicta ſimpliciter obligant, ad denunciandum, nec excipiunt hunc caſum; alias denunciatio nunquam locum haberet. Quia omnes delinquẽtes poſt crimen commiſſum, pœnitentiæ ſignum darent ſtatim, ad euitandũ periculum denunciationis, & ſequentes pœnas: Ità docent Bonacina *par. 3. de denunciat. n. 9.* Trimanchus *diſp. 12. ſect. 1. n. 28.* Bordonus *tom. 1. c. 31. de denunc. n. 9.* & alij.

Tenetur ne quis denunciare huiuſmodi delinquentem, ſi ſciat fuiſſe ab alio denunciatum?

30 Reſp. ſi delinquens fuit denunciatus ab alio de eodem numero crimine, & pœna debita delicto fuit punitus, non eſt amplius denunciãdus; quia nõ iudicatur quis bis in idipſum, *c. Sunt, 24. diſt. 3. de pœnit.* Si autem denunciatus non fuit, per ſententiam iudicatus; ſciens illius delictum, tenetur, illum denunciare; vt iudicium poſſit ſortiri ſuum effectum. Ità Pegna *in direct. par. 3. comm. 92.* Symanchas *in Cathol. inſtit. tit. 18. n. 12.* & alij. Similiter ſi reus condemnatus fuit in pœnam extraordinariam, ob defectum probationis, ſciens eius delictum, tenetur denunciare, vt iudicium debitum ſortiatur effectum. Nam vt ait Souſa *in aphoriſm. Inquiſ. lib. 2. c. 37. n. 8.* Condemnatus propter hæreſim, aut ob ſuſpicionẽ illius in pœnam extraordinariam ex defectu probationis: ſi plena probatio ſuperuenerit, puniri debet pœna ordinaria; dummodò prima pœna adimpleta

ta non fuerit. Si autem adimpleta ſit, compenſetur in ſecunda:Ità Sauſa. Si autem reus crimen commiſit coram quatuor, vel quinque; & à duobus, vel tribus denunciatus fuit, ſciens eum fuiſſe ab his denunciatum, non tenetur ipſe denunciare; quia talis reus plenè condemnari, & puniri poteſt. Secus verò dicendum de ſolicitantibus in confeſſione. Nam ſingulæ perſonæ ſolicitatæ neceſſariò ſemper tenentur denunciare, non obſtante aliarum denūciatione. Quia ſicut augentur ſolicitationes, ità & pœna ſolicitantium: vt notat Bordonus *vbi ſup. n.* 16. Inſuper non tenetur quis denunciare reum de crimine iam denunciato; quando ille in tortura non confeſſus, fuit abſolutus. Quia tunc ſine dubio indicia per torturam fuerunt purgata, & ſublata, & nullam vim habent, ſed mortua ſunt, & propterea coniungi non poſſunt, cum alijs indicijs, aut probationibus ſuperuenientibus. Vt docet Farinacius *in addit. ad eius opera poſt lib. 3. Conſil. q.* 4. *n.* 26. qui affirmat ſic in facto iudicaſſe, & iudicatum communiter vidiſſe. Secus verò ait, ſi tortura non fuit illata, & reus fuit abſolutus, ex eo quod, quę in iudiciū contra ipſum deducta erant, non ſufficiebant ad condemnandum; tunc imperfecta probatio primæ inſtātiæ, coniungitur cum ſuperueniente probatione, ſecundum veram communem, & vſu receptam ſententiam; ità Farinacius, & conſequenter ſciens illius rei delictum, tenetur illud denunciare.

Ceſſat ne vnquam obligatio denunciandi idololatram, aut hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum?

31 RESp. Negatiuè, ſi loquamur de idololatra, & hæretico. Nam quamuis Farinacius *in ſua praxi q.* 10. Clarus *q.* 51. & alij doceant; delicta commiſſa præſcribi ſpatio viginti annorum, itaut Iudex non poſſit procedere vlterius contra huiuſmodi delinquentes. Hęc tamen doctrina locum nō habet in crimine idololatriæ, vel hæreſis, eò quod nunquam in fauorem delinquentis præſcribitur, itaut contra eū non procedatur. Nam etiam poſt mortem contra ipſum proceditur, & excōmunicatus declaratur, ab Eccleſiæ ſepultura eijcitur, & eius bona confiſcātur; vt ex *cap. Sanè* 6. 24. *q.* 2. & colligitur ex *c. finali de præſcriptionibus.* Et Sāchez *lib.* 2. *c.* 22. *n.* 40. probat filios hæretici, qui putabatur catholicus, non præſcribere bona paterna, niſi ſpatio quadraginta annorum. Quia cum delictum hæreſis ſemper ſerpit contra catholicam fidem, Iuris ratio ſemper viget pr. cedendi contra hæreticum etiā defunctum, Et conſequenter nunquam ceſſat obligatio denunciandi illius delictum.

32 Si verò loquamur de idololatria, vel de hæreſis ſuſpecto, communis opinio eſt, quòd poſt ipſius mortem non ſit amplius denunciandus; quia poſt mortem non eſt inquirendum de ſtatu vitæ illius, dum nec corripi, nec puniri poteſt, nec vt idololatra, vel hæreticus damnari. Ante mortem verò ſemper eſt denunciandus. Quamuis non deſint Doctores affirmantes, quod quando poſt commiſſum delictum longum tēpus præceſſit, præſumendum eſt, delinquentem eſſe correctum, niſi aliunde conſtet de illius reincidentia. Et Ioannes Sancius *in ſelectis diſp.* 11. *n.* 15. loquens de denunciatione ſolicitationis factæ à Confeſſario ait: Si multi ſint anni elapſi poſt factam ſolicitationem; & credatur veriſimiliter emendatum iam eſſe confeſſarium, non erit denunciandus. Hoc enim pia conditio humana pati videtur; vt poſt longum tempus admiſſi criminis, non deferatur ad punitionis Tribunal delinquens; ſed pręſumatur, emendationem iam conſecutam eſſe. Tres verò annos exigit communis Doctorum ſententia, ad emendationem præſumendam in criminoſo: Hæc Sancius. Et ità etiam opinantur alij, quos refert Diana *to.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 7. *ex par.* 4. *tr.* 5. *reſ.* 23. Sed contrarium ipſe ſuſtinet ibidem, & Bonacina *to.* 1.

de

de obligat.denũciandi diſp.6.pun.3. n.9. Thomas del Bene *par.2.de offic.Inquiſ. dub.237.ſect.13.petit.2.n.* 5.& alij. Et ratio eſt, quia denunciatio, & inquiſitio contra ſuſpectos de hæreſi iudicialiter fieri debet, nec ſolum inſtituta eſt ad emendationem delinquentis; ſed etiam ad eius punitionem, vt tam ipſe, quã cæteri metu pœnæ ab huiuſmodi criminibus retrahantur. Et Alexander VII. *in ſua bulla edita anno* 1660.quæ incipit *Licet alias*, abſolutè præcipit: *Omninò teneri, & obligatos eſſe omnes ad denunciandum quoſcumq;* nouerint, eſſe de fide, quomodolibet etiam leuiter ſuſpectos.

Reges, & Cardinales ſunt ne exempti ab obligatione denunciandi idololatras, & hæreticos, vel de idololatria,aut hæreſi ſuſpectos?

33 RESp.Carenã *par.2.tit.9.§.7.n.26* Paramum *de origine S.Inquiſit. lib.3.q.5. n. 23. & ſequ.* exiſtimare Reges exemptos non eſſe ab huiuſmodi obligatione:Et referunt,quod Imperator Carolus V. æternæ memoriæ,iuſſit, Ioannam eius filiam ab Inquiſitoribus vocari,vt coram ipſis de nonnullis fidẽ tangentibus contra quendam, nulla interpoſita mora, deponeret, ne excõmunicationem incurreret.Et ſtatim Sereniſſima Ioanna depoſuit coram Archiepiſcopo Hiſpalenſi,& D.Fernando Valdes tunc generali Inquiſitori. Sed Bordonus *to.1. c.30. de Edictis Inquiſ. q.60.n.13.* ſuſtinet nec Imperatorem, neque Reges, neque Cardinales eſſe edictis Inquiſitorum ſubiectos. Quia habent priuilegia, vt non ſubijciantur bullis Pontificijs, niſi nominatim exprimentur. In bullis ergo ſpectantibus ad hoc Sacrum Tribunal, niſi expreſsè nominentur Reges, & Cardinales, dicendum eos exemptos eſſe ab obligatione, denunciandi etiam idololatras, & hæreticos.Alios verò, Comites,Marchiones,Duces, & Principes, certum eſt, ad denunciandum, teneri, ſicut & omnes alios, tam nobiles,quam ignobiles, ſiue Religioſos, aut Moniales,ſiue laicos,& ſeculares, & ſiue ſubditos, ſiue Superiores.Quia quò perſonę ſunt in altiori gradu dignitatis; eò in illis maior eſt obligatio, tuendi honorem Dei, procurando per denunciationem, vt ſimiles malefactores puniantur. Itã Bordonus *n.12.* Qui etiam ait, pueros non niſi poſt annum decimum quartũ iuriſdictioni Inquiſitorum eſſe ſubiectos.Quia tunc plenum rationis vſum habere poſſunt in hac re magni momenti.

Denunciatio hæc iudicialis quonam modo fieri debet?

34 RESp. quod fieri poteſt verbo, vel ſcripto, prout denuncianti magis placuerit, vt docẽt Eymericus *par. 3. direct.* Pegna *ibi commen.* 15. Iulius Clarus *in pract.crimin.§. fin. q. 7. verſ. Vlterius quæro*, Farinacius *de hæreſi q. 197.§.2. n. 67.* Suarez *de fide diſp. 20. ſect.4,n.* 3. Nec requiritur, vt denunciatio fiat coram teſtibus; ſufficit enim ſi Inquiſitor medio Secretario illam recipiat. Verum ſi denunciatio fiat per epiſtolam,neceſſariò denuncians nomẽ ſuum ſubſcribere debet: alias non poſſet Inquiſitor procedere, ad inquirendum, aut ad examinandum teſtes,etiãſi in ſchedula teſtes aliqui nominati fuerint; quia illa denunciatio eſt nullius effectus, & eſt reputanda, ac ſi facta nõ eſſet.Ne detur improbis occaſio, infamandi Religioſos. Nam ſola examinatio teſtium, & inquiſitio circa talem perſonam, eſt quædam illius infamatio. Itã Farinacius *q.185.* Symanchas *in Enchirid.violatæ religionis tit. 22.rubr. de inquiſ.n.8.* Zechius *in ſum.par.1. tit. de fide,rubr. de hæreſ.c.11. n.* 12. Paramus *de orig.inquiſ.lib.3.q.6.n.* 91. Caſtro Palaus *par.1.tract.4.diſp.3. pun.4. n.3.* & alij.

Non denunciãtes idololatras, aut hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, quã pœnam incurrunt?

35 Reſp. quemlibet teneri ſub mortali iure communi denunciare idololatram, & hæreticum, quia quilibet tenetur non ſolum bono communitatis, ſed etiam priuatorum conſulere. Denunciatio autem idololatræ, & hæretici maximè conducit non ſolum bono communitatis:talis enim morbus eſt peſtilentiſſimus, qui Prouincias, & Regna inficit, & euertit; ſed etiam bono ipſiuſmet criminoſi,quia denũciatus reſipiſcit, & conuertitur. Vt notant Pegna *par.* 1 *commen.* 19. Suarez *tract. de fide diſp.*20.*ſect.*4. *n.* 7. Farinacius *de hæreſi q.*197.§.2.Sanctarellus *de hæreſi c.*9. *n.* 2. Et alij, & colligitur etiam ex *c.*2.*de hæreticis*, *c.Quapropter* 2.*q.*7. *&* *ex bulla Innocentij IV. edita* 17. *Iulij anno* 1254. quæ incipit *Nouerit vniuerſitas*; confirmata, & innouata à *Nicolao IV. ann.*1280. quæ ſimiliter incipit *Nouerit.*

36 Inſuper non denuncians intra tempus ordinatum idololatram,vel hæreticum incurrit pœnam excommunicationis,& quamuis iure communi illam non incurrat ipſo facto:quia Gregorius IX. *in extrauag.*quæ incipit *Excõmunicamus*, & refertur inter literas Apoſtolicas pro officio S. Inquiſitionis, ait: *Si quis hæreticos ſciuerit*, *&c. ſtudeat indicare cõfeſſori ſuo,vel alij,per quem credat ad notitiam ſui Prælati peruenire*; *alioquin excommunicationis ſentẽtia percellatur.* Quæ verba indicant ſententiam ferendam non latam. Tamen ex edictis Sancti Officij nemini eſt dubium, in excõmunicationẽ ipſo facto reſeruatã,incidere non denũciantẽ,qui ab ea abſolui nequit, quouſq; denũciet. Itẽ redditur de hæreſi ſuſpectus;Et ſi veritatẽ, nulla cauſa excusãte, occultauit, vel in iudicio rogatus, ſcienter negauit, redditur de hęreſi ſuſpectus vehemẽter,vt teſtãtur Ioãnes Royas *ſingul.*5. *n.*17.*&* 18. Pegna *par.*2. *direct. q.*56. *commen.* 81. Farinacius *de hæreſi q.* 197. *n.* 58. Decianus *tract.crimin.lib.*5.*c.*30.*n.*7. Caſtro Palaus *tract.*4.*diſp.*2. *pun.*4. *n.* 21. Item ſi à denunciatione nulla probabili cauſa excuſatur, vel ex officio, aut iuramento preſtito,denunciare obligatus ſit, & denunciare omittit, pœna etiam fautoris hęretici damnandus eſt. Ità Decianus *in tract.crim. lib.*5. *c.*11. *n.*35. Toletus *in ſumm. lib.*1. *c.* 16.*n:*6. Vgolinus *de cenſuris Pontifici reſeruatis* 2.*par.in Gloſſa Fautores n.*9. Farinacius *vbi ſup.n.*47.*&* 48. Caſtro Palaus *ibid.*Pegna *q.*53.*comm.*78. *verſ.Poſtremo*, Duardus *in Bulla cœnæ lib.*2.*canon.* 1.*q.*32.*n.*12. Carena *par.*2. *tit.*9.§.9.& alij.

37 Non denuncians eos, qui de idololatria, aut hæreſi ſunt tantùm ſuſpecti, ſiue violenter, ſiue vehementer, ſiue etiã leuiter,certum eſt,non ſolum peccare mortaliter,ſed Alexander VII. *in ſua Bulla edita* 8. *Iulij* 1660. quæ incipit *Licet alias*, declarauit ſubiacere omnibus cenſuris expreſſis in Conſtitutione Pauli V. emanata *ſub die* 1. *Septembris* 1606. quæ incipit *Romanus Pontifex.* Nec non priuationis quarumcunque dignitatum,ſeu Prælaturarum,ſeu officiorum ſuorũ Ordinum, ac vocis actiuæ,& paſſiuæ, perpetuæq; inhabilitatis ad eadem ipſo facto,& abſque alia declaratione incurrendis, alijſque, Sanctitatis ſuæ, ac Succeſſorum arbitrio, infligendis pœnis, quarum relaxationem, ſuſpenſionem, abſolutionem, vel diſpenſationem, Sanctitas Sua,ſibi ipſi, & Succeſſoribus ſuis Romanis Pontificibus tantùm, expreſsè reſeruauit. Quas pœnas,declarauit idem Summus Pontifex, incurrere etiam omnes, & quoſcunq; alios, qui à ſe conſilium petunt, an ad denunciandum teneantur, & illos, à denunciando, ſub dictæ fraternę correctionis, vel alio quouis prętextu,retrahunt, aut retardant. Verùm etſi non denunciantes tanquam ſuſpectos de hæreſi puniri poſſint ſupradictis pœnis, & alijs in edictis Inquiſitorum ſtatutis; tamen ipſi non ideò redduntur de hæreſi ſuſpecti,ſicut dictum eſt, de non denunciantibus hæreticos. Alias contra omnes regulas iuris,præſumptio oriretur ex præſumptione, & ſuſpicio ex ſuſpicione, vt ait Carena *par.*2.*tit.*9.§.9.*n.*46. Bordonus *to.* 1. *c.*

31.de denunciandis n.24.

38 Notandum tamen adeſſe præceptum editum ſub die 3.Ianuarij 1623. à Sacra vniuerſalis Inquiſitionis Congregatione de hæreticis, & de hæreſi ſuſpectis iudicialiter denũciãdi ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ tenoris ſequentis: *Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus vtriuſq; ſexus, cuiuſuis ſtatus, ordinis, gradus, conditionis, & præeminentiæ exiſtentibus, & quacunque dignitate, ac auctoritate etiam maxima fulgentibus, harum ſerie, ac tenore auctoritate noſtra, & huiuſmodi noſtri officij, qua fungimur in hac parte; præcipimus, & mandamus, quatenus infra duodecim dies proximè computandos: quorum primos quatuor, pro primo, & reliquos quatuor, primis quatuor immediatos pro ſecundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica, aſſignamus; omnes, & ſingulos hæreticos, ſeu de hæreſi quomodolibet ſuſpectos, de quibus notitiam habuerint: debeant nobis, vel Reuerendo Commiſſario noſtro, quoad habitantes in Vrbe; quò verò ad alios extra Vrbem, & vbiuis locorum degentes, Inquiſitoribus, vel locorum Ordinarijs, vel eorum Vicarijs generalibus, ſub excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœna, quam in contrarium facientes, ipſo facto incurrant; iudicialiter propalare. Cuius excommunicationis maioris abſolutionem S.D.N.Papæ, & nobis reſeruamus. Certificãtes huiuſmodi conſcientiæ ſuæ immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemnentes, quòd contra ipſos, tanquam contra hæreticorũ fautores, et alios, prout melius viſum, & iuris fuerit, procedetur. Ideo, &c. Datum in noſtra, & Officij S. Romanæ vniuerſalis Inquiſitionis Congregatione die 3.Ianuarij 1623.*

39 Ex quo decreto clarè patet; non denunciantes idololatras, & hæreticos, vel de hęreſi ſuſpectos incurrere in excommunicationem latę ſententiæ. Nec militat, quod aliqui opinati ſunt, ſupradictum pręceptum non fuiſſe perpetuũ, quia proponitur ſub nomine pręcepti, & non ſub nomine decreti. Quia vt notant Peyrinus *to.2. in conſtitut. 9. Pauli V.§.2.n.27.* & Diana *to.5.tr.9.reſ.24.n.3.ex par.4.tr.4.reſ.41.* Præceptum, & decretum ſæpiùs in iure confundũtur; vt ex Tuſcho, *ver. Præceptum, concluſ. 480.n.4.& 11.* & clarius *ex quadam conſtitut. Sixti V. circa agitationes taurorum*, quæ incipit *Nuper ſiquidem*, quã refert Guttierez *lib.1. can.9. c.7. n.36.* Vbi poſtquam retuliſſet Papa conſtitutionem quandam Pij V. & Gregorij XIII. ait: *Nos, vt Romanorum Pontificum præcepta, prout decet inuiolabiliter obſeruentur*: Vbi conſtitutiones Pontificum vocat præcepta. Tum etiam, quia in dicto præcepto nullum apparet ſignum, quare non debeat eſſe perpetuum. Verba enim illa: *Præcipimus, vt infra duodecim dies proximè computandos*: intelligũtur à die notitiæ delicti, nõ à die datę dicti pręcepti. Et colligitur ex eo, quia hoc decretũ obligat vbiq; locorũ; & pœna indefinitè poſita, perpetua eſt; proponitur autem ſub nomine præcepti, fortè quia id eſt familiarius illi Sancto Tribunali. Ità dicti Doctores.

Poteſt ne Confeſſarius abſoluere pœnitentem, qui non denunciauit, ſed promittit, Sacro Tribunali talem delinquentem denunciare?

40 RESp. quòd, vel obligatus ad denunciandum, quia delinquentẽ non denunciauit, incidit in excommunicationem, non ſolùm latam in edictis Inquiſitorum, ſed etiam in Bulla Cœnæ contra fautores hęreticorum. Et Confeſſarius nullo modo poteſt illum abſoluere; quia talis excommunicatio eſt reſeruata, & ſolùm abſolui poteſt ab habentibus facultatem abſoluendi ab excommunicationibus Bullæ Cœnæ. Vt notat Carena *par.2.tit.9.§.10.n.47.* Si verò non incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, ſed in excommunicationem Edicti Inquiſitorum, quia in termino edicti non denunciauit ex negligentia, & abſque legitimo impe-

dimento: & tunc neque abſolui poteſt à quolibet Confeſſario, quia excommunicatio eſt reſeruata. Portellus verò *in dubijs regul. verb. Solicitare n.* 24. Hieronymus Rodriquez *in compend. quæſt. regular. reſolut.* 131. *n.* 16. *verſ. Etiam à Regularibus*, docent, talē non denunciantem poſſe abſolui à Confeſſario regulari (vigore priuilegij Regularibus conceſſi; quod poſſint abſoluere à quacunq; cenſura, etiam Papæ reſeruata) dummodò ipſe ſit paratus ad denunciandum. Sed hoc negat Homobonus de Bonis *de exam. Eccleſiaſt. tr.* 7. *c.* 7. *q.* 35.

41 Si autem non denuncians, in nullam incidit excommunicationem, quia vel tempus denunciandi non eſt elapſum, vel ſi eſt elapſum, ob legitimum impedimētum denunciare non valuit. Tunc ſi ſit homo ordinarius, curandum eſt, vt prius denunciet, & deindè abſoluatur, niſi vrgeat neceſſitas communionis. Ità Auila *de cenſuris par.* 2. *c.* 7. *dub.* 7. *in fine*, Zanardus *in ſumma Diuin. præcept. par.* 2. *præc.* 2. *c.* 11. *in fin. fol.* 184. Carena *vbi ſup.* §. 10. *n.* 42. *in fin.* & alij. Si verò pœnitens ſit timoratæ conſcientiæ, & firmiter promittat, quanto citius denunciare, vel adſit iuxta cauſa, ob quam Confeſſarius prudenter iudicet, denunciationem eſſe differendam poſt abſolutionem, poſſet ante denunciationem illum abſoluere. Ità Zanardus *loc. cit.* Emmanuel Rodriquez *in ſum. to.* 2. *c.* 34. *n.* 6. Peyrinus *to.* 2. *conſtit.* 5. *Greg. XV.* §. 9. *n.* 24. Sanctarellus *de hæreſi c.* 9. *dub. vnic. n.* 16. *in fin.* Diana *to.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 22. *ex par.* 1. *tr.* 4. *reſ.* 27. & alij. Si verò pœnitens aliàs promiſit denunciare, & non denunciauit, non eſt abſoluendus, ſed dimittendus, ad prius denunciandum; obſtat enim ei excommunicatio, quàm incurrit, non denunciando, cum poſſet, & tenebatur. Ità Bordonus *to.* 1. *c.* 31. *de denunc. n.* 20.

Idololatra ſeipſum ſponte denuncians quomodo ab hoc Sancto Tribunali tractatur?

42 Reſp. ſupponendum eſſe primo ſpontè denunciantem, ſeu cōparentem illum eſſe; qui nec accuſatus, nec denunciatus, nec vocatus, aut citatus, voluntariè coram fidei Iudice cōparet, eiq; plenam, ac meram, tàm de ſe, quàm de alijs veritatem de ſuo delicto dicit, & humiliter veniam petit. Ità colligitur ex Bulla 23. Iulij III. quæ incipit *In multis*, *ex l. ſponte de muneribus, & honoribus, l.* 4. §. *fin. Cod. de Sicar.* & ità docent Pegna *in direct. par.* 3. *comm.* 12. Farinacius *de hæreſi q.* 193. *n.* 28. Carena *par.* 2. *tit.* 18. §. 1. *n.* 1. Dixi, Nō accuſatus, nec denūciatus, nec citatus. Quia ſpontè comparens dicitur, qui propria voluntate, & ſine alterius requiſitione comparet, vt ex Gloſſa *in c.* 1. 16. *q.* 6. *verb. Spontè*, & ex Falcodio *q.* 2. Souſa *lib.* 4. *c.* 8. *n.* 5. Qui enim coactus comparet, non dicitur ſpontè venire. Ac propterea non dicitur verè conuerſus, nec meretur gratiam, quæ ab hoc Sancto Tribunali, ſolis ex corde accedentibus, conceditur; vt notant Eymericus *par.* 3. *direct. n.* 56. Pegna ibi *comm.* 12. Farinacius *vbi ſup. n.* 27. Qui autem ſcit, vel ſuſpicatur fuiſſe denunciatum, & metu probationum in S. Officio comparuit, & confeſſus eſt, mitius tractatur, & cum & mitiori abiuratione agendum eſt, quia accedit nō vocatus: ſed gaudere non debet beneficio ſpontè comparentium, quia iam erat præuentus, & denunciatus. Ità dicti Doctores. Si verò talis comparēs ignorat, ſe eſſe præuentum, & Iudex prudenter agnoſcit, verè ignoraſſe ſuam præuentionem, gaudere debet beneficio ſpontè comparentium, vt notāt Farinacius, & Carena *loc. cit.* Qui duobus delictis reus E. g. idololatria, & blaſphemia hereticali: & quoad idololatriam ſcit non eſſe preuentum, ſed dubitat, an quoad blaſphemias ſit preuentus, nam coram pluribus pluries blaſphemauit, haberi nequit pro vtroque delicto ſpontaneus comparens; quia quoad blaſphemias, eius confeſſio cenſetur facta metu probationis. Ità Farinacius *vbi ſup. n.* 37. & Carena *n.* 5. Secus verò ſi ſciret, de blaſ-

blaſphemijs ab alijs denunciari non potuiſſe, quia nullo præſente blaſphemauit; tūc enim habendus eſt pro ſpōte comparente pro vtroque delicto: nā quoad has blaſphemias, nec indicijs præuentus eſt, nec de eis poteſt interrogari iuridicè, vt notant Pegna *par. 3.comm.* 18.*lit.* R. & Carena *n.6.*

43 Dixi: Qui de ſuis delictis plenam, ac meram veritatem, tàm de ſe, quàm de alijs dicit, & veniam petit. Quia hæc confeſſio quamuis ſit iudicialis; comparatur tamen Sacramentali; in qua, ſi vnum omittatur mortale peccatum, committitur ſacrilegium, & peccatorū remiſſio non obtinetur; quia impium eſt dimidiam ſperare veniam. *cap. Sunt plures* 42. *de pœnit.diſt.* 1. Ità neque in Iudiciali coram Inquiſitore conſequitur gratiam, vt ex *Conc. Bitterienſe c.* 2. Pegna *par.2.direct.q.*34.*comm.*39. Carena *n.* 7. quia habetur, vt fictè conuerſus, & diminutus confitens.

44 Spontè igitur comparens, vt ſupra, impunitatem meretur, quæ conſiſtit, vt non puniatur pœnis ordinarijs, etiāſi ſit idololatra, & hæreticus; ſed afficiatur pœnitentijs ſalutaribus, & aliquando etiam pœna pecuniaria: vt ait Bordonus *to.*1.*c.*30. *de denunc.* Pegna *cōm.* 12. & Carena *par.2.tit.*18. *n.*8. Idololatra hæreticus ſpontè comparens, abiurare debet de formali, quia re vera talis eſt, & indiget formali deteſtatione idololatriæ, & hæreſis; ſed non abiurat publicè, ſed ſecretò. Ità Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.*1.*n.*24. Royas *ſingul.* 23.*n.*8. *& tract. de hæret. par.* 2. *n.*272. Farinacius *de hæreſi q.*194.*n.*8. Carena *n.* 6. Bordonus *n.* 26. Idololatra verò ſuſpectus de hæreſi cogēdus eſt ad abiurādum pro modo ſuſpicionis, vt aduertit Pegna *par.2.comm.* 59. *verſ. Sed videam*, Carena *par.2.tit.*18.§. 3.*n.*16. Sed Bordonus *to.*1.*c.*30.*n.*29. affirmat, quod ſuſpectus de hæreſi non videtur cogendus ad abiurationem. Quia illo ſponte cōparente, & interrogatus ſuper intentione, aſſerente, ſe nunquam malè ſenſiſſe de myſterijs fidei, ac de Sacramentis, creditur.

45 Inſuper ſi delictum probari poteſt, Inquiſitor iudicialiter coram ſe, & Notario in ſcriptis recipere debet confeſſionem comparentis ſpontè, qui ſi nollet confiteri delictum in ſcriptis coram Notario, ad id cogendus eſſet: vt notant cum Eymerico, & Pegna, Bariola *in ſuis aphor. verſ. Inquiſitor. & par.*3. *comm.* 12. Bordonus *n.* 30. Excipitur verò caſus, in quo delictum comparentis eſſet omninò occultum; itaut ab aliquo deduci coram hoc Tribunali non poſſit. Quod contingit in idololatria, quæ perpetratur ſine ſocio, & nullis videntibus, vel audientibus. Inquiſitor in huiuſmodi caſu non debet, nec poteſt adhibere Notarium; ſed per ſe ipſum oretenus debet ſine ſcriptis recipere confeſſionem delinquentis; Et cū ſalutaribus pœnitentijs, illum dimittere. Quia in hoc caſu non militant rationes, quibus moueri poſſit Inquiſitor, ad recipiendum in ſcriptis delictum omninò occultum. Ità Bordonus *n.*27.

CAPVT IX.

De Prælatorum, & Principum poteſtate cogendi Idololatras, & Infideles, ac etiam Hæreticos ad Chriſti fidem catholicam ſuſcipiendam.

1 CErtum eſt idololatras baptizatos, & hæreticos omnes ſubditos eſſe Eccleſię. Quamuis enim inter infideles ipſi etiam numerentur, quia re vera catholica fide carent, & vt probat D.Thomas 2.2. *q.*10. *ar.*8. & ſimpliciter loquendo, eorum infidelitas eſt aliorum omnium peſſimá: ratione tamen baptiſmi, & quia profitentur fidem Euangelij, nulli dubium eſt, quòd ſpiritualitèr ſubduntur Eccleſię. Idolis verò ſeruiētibus, qui nō ſunt baptizati, vt Gentiles, Pagani, Iudęi, & cęteri Infideles ſunt in duplici differenta. Alij enim habitant in Chriſtianorum terris; & hi temporaliter ſubduntur Eccleſiæ, & Chriſtiano Principi, quia quoad gubernationem in temporalibus, & in his,

quæ

quæ ſpectant ad bonum fidei Chriſtianæ,& ad fidelium liberam ſecuritatem, quodcunque Eccleſia, vel Chriſtianus Princeps, expedire, iudicauerit,ſeruare tenentur. Alij ſunt extra huiuſmodi ſubiectionem, quia in ipſorum infidelium terris habitant. De omnibus igitur inquirendum eſt: An cogi poſſint ad fidem Chriſtianam catholicam recipiendam.

Idololatra hæreticus poteſt ne ſub graũi pœna cogi, vt ad catholicam fidem redeat?

2 RESp. Affirmatiuè, quia per baptiſmum ſe ſubiecit Eccleſiæ,& proteſtauit ſub illius fide, & obedientia perpetuò manere. Ergo penès Eccleſiam eſſe debet poteſtas corrigendi, & puniendi ſic ſubiectos, qui in tali fide,& promiſſione non perſeuerāt;& illos compellere ad catholicè credendum,& operandum. Hoc idem probāt Auguſtinus *epiſt*.40. *&* 50. Alphonſus de Caſtro *de iuſta hæret.punit.* Symanchas *de cathol. inſtit.* Royas, Pegna, & alij.

Idololatra non baptizatus, ſeu infidelis cogi ne poteſt ad Chriſti fidem ſuſcipiendam?

3 RESp. Negatiuè,quia coactio eſſe non poteſt ſine iuriſdictione. Sed neque Eccleſia, neque Principes ſeculares iuriſdictionem vllam habent erga non baptizatos.Ergo neque poſſunt illos vllo modo ad fidem ſuſcipiēdam cogere.Probatur minor.Et primo de Eccleſia; quia hæc ſolum habet iuriſdictionem ex conceſſione Chriſti: Chriſtus autem Dominus ſolum conceſſit Petro iuriſdictionem circa oues ſuas: *Paſce oues meas.* Ergo ſupponuntur prius eſſe oues Chriſti, vt ſic poſſint à Petro paſci; Idololatræ non baptizati, & infideles non ſunt ex Chriſti ouibus, ſunt enim extra Eccleſiam. Vnde dixit Apoſtolus 1. *Corin.* 5. *Quid enim mihi de his, qui foris ſunt? Dominus iudicabit.* Quaſi diceret Ad me non pertinent:Domino enim reſeruantur. Cõfirmatur ex *Concilio Toletano* 4. *c.* 21. vbi de Iudæis præcipit Sancta Synodus: *Nemini deinceps, ad credendum vim inferri;Cui enim vult,Deus miſeretur, & quem vult indurat. Non enim tales inuiti ſaluandi ſunt, ſed volentes.* Et poſt pauca idem Concilium ſubdit: *Vt conuertantur, ſuadendi ſunt, non compellendi.* Et idem affimatur *in c.Qui ſincera diſt.* 45. Vbi decernitur;infideles non aſperis, ſed blandis verbis, ad fidem eſſe prouocandos: Et D.Thomas 2.2.*q.*16.*ar.*8.etiam ait:*Tales nullo modo ſunt ad fidem compellendi, vt ipſi credant.Quia credere voluntatis eſt.* Quod autem neque Principes ſeculares, quibus ſubijciuntur poſſint illos ad fidem cogere, probatur, quia eorũ iuriſdictio non extenditur ad ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, qualis eſt ſuſceptio fidei, & baptiſmi. Ità cum D. Thoma *loc. cit.* docent Caietanus ibi; Suarez *de Sacramēto baptiſmi diſp.* 24.*ſect.* 1.*&* *diſp.*14.*ſect.*2. Coninch. *diſp.*18.*dub.*14. *concluſ.*4. Azorius *par.* 1.*lib.*2.*c.*24.*q.*2. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.*4.*diſp.*2.*pun.*6.*n.*3. & alij communiter. Conſtat etiam ex *c. Sicut Iudæi de Iudæis, & Saracenis. cap. Qui ſincera, & c. De Iudæis diſt.*45.

Quare igitur Chriſtus Dominus ſub nomine Regis inuitantis ad cænã, dixit, compellendos eſſe intrare ad Eccleſiam eos, qui in vijs, & plateis ſedebant: hoc eſt extra eam?

4 RESp. primo cum Suarez *to.* 3. *in* 3.*par.D.Thomę diſp.*83.*ſect.* 1. *in fine.* Quod quando Chriſtus Dominus dixit: *Exi in vias, & plateas, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Verbum illud, *Compellere* in rigore non ſignificat *Cogere*: ſed magna quadam virtute gratiæ voluntatem *Inducere*,vel *Monere*: Et ex communi modo loquendi, conſtat,dici aliquem compelli,quando importunis precibus ali-

aliquid facit, quamuis voluntariè, & liberè faciat. Sic *Geneſ.* 19. dicitur, quod Lot, (qui duos illos iuuenes obſecrauit, vt declinarent in domum ſuam:) *Compulit illos oppido, vt diuerterent ad eum*: Ideſt *magnis precibus obſecrauit, vt declinarent in domum ſuam*: vt Expoſitores explicant. Sæpè etiam verbum *Compellere*, ſignificat, *Adunare*, vel *Cõducere*: Ità Virgil. *Eclog.* 6. *Compuleruntque greges Corydon, & Tharſis in vnum*. Et Cicero de Iuuen. *Diſperſos homines in agris ratione quadam compulit in vnum locum*: Igitur verba illa Chriſti Domini; *Compelle intrare, vt impleatur domus mea*. Idem ſignificant ac *Magnis precibus obſecra intrare*. Ergo ex iſtis verbis argui non poteſt, infideles eſſe cogendos, ad recipiendam Chriſti fidem.

5 Reſp. ſecundo, quod D. Auguſtinus *epiſt.* 48. & 50. intelligit hęc verba *Compelle intrare* de ſolis hæreticis, qui vt ſuprà dictum eſt, coactione directa cogi poſſunt, vt ad Eccleſiam redeant; cum per baptiſmum ſint eius ſubditi. Immò etiam ſi de infidelibus intelligerentur: ſenſus eſſet; vt docet Chryſoſtomus ibi; Illos compellendos eſſe ad fidem in fine mundi; vt numerus prædeſtinatorum impleatur, non vi, ac potentia, ſed ſignis, & miraculis, & efficacia prædicationis, quomodo vſus fuit Chriſtus in conuerſione D. Pauli. Inſuper poteſt vtique Deus, etiam per metum homines ſibi ſubiectos compellere, eorum corda inclinando, vt fidem, quamuis à metu excitati, liberè ſuſcipiant.

Principes ſeculares poſſunt ne ſuis ſubditis idololatris, & infidelibus negare ius habitandi in ſuis Prouincijs, niſi Chriſti fidem recipiant?

6 Reſp. Affirmatiuè, quia hoc non eſt eis directè, & ſimplicitèr vim inferre. Datur enim eis optio; vt vel Chriſtiani infra certum tempus fiant, vel Chriſtianorum Prouincias deſerant. Nec Principes aliquam habent obligationem retinendi illos in ſuis Prouincijs. Ergo negare eis iſtam habitationem poſſunt ſub hac conditione, niſi chriſtiani efficiantur. Et ità Hiſpaniarum Rex, nunquam ſatis laudabilis, de conſilio Doctiſſimorũ; Iudæos à ſuis Regnis iuſſit expelli, niſi intra quatuor menſes ad Chriſti fidem conuerterentur. Quibus elapſis, quia in ſua perfidia remanſerunt: coacti ſunt, rebus omnibus venditis, abire cum vxoribus, liberis, & familiaribus ſuis; & vetitum fuit eis ſub pœna mortis, & expoliationis omnium bonorum, ne vnquam in Hiſpaniam redirent.

7 Poſſunt etiam Chriſtiani Principes illis imponere maiora tributa, quàm fidelibus; vt hac ratione ad fidem Chriſtianam alliciantur. Vel poſſunt illos a tributis, & vectigalibus liberare, ſi fidem ſuſceperint: Ac etiam poſſunt dãnatis ad mortem vitam concedere ſi baptizentur; quia his, & alijs ſimilibus modis non tollitur libertas, & adhuc actus credendi eſt liber. Solùm indirectè dici poteſt, quòd cogantur ad fidẽ, quia à Principe hæc media ordinantur ad fidei ſuſceptionem, ad quam per ſe ordinata non ſunt, quod licitè fieri poteſt. Ità Molina *to.* 1. *de iuſt. diſp.* 93. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 29. *n.* 2. & 3. Leſſius *lib.* 2. *c.* 35. *dub.* 7. Azorius *par.* 1. *lib.* 8. *c.* 24. *quæſ.* 4. Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 35. *n.* 6. & 7. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 2. *pun.* 6. *n.* 4. Suarez *de fide diſp.* 18. *ſect.* 3. *n.* 8. Bonacina *de fide diſp.* 3. *q.* 2. *pun.* 7. *n.* 3. & alij.

Infidelis, qui coactè fidem Chriſti ſuſcepit, poteſt ne, ad hanc fidem retinendam obligari?

8 Reſp. vel coactio fuit abſoluta, vel conditionata. Si abſoluta; itaut infidelis in ſuſceptione baptiſmi clarè oſtendit, ſe non conſentire: tunc obligari non poteſt, ad retinendam Chriſti fidem, quia deficiente eius cõſenſu, re vera baptiſmum non ſuſcepit.

Si

Si verò coactio fuit conditionata, ideſt non ſuſcepiſſet infidelis baptiſmũ, nec in eius ſuſceptione conſentiret, niſi cogeretur, tamen re vera conſenſit. Tunc ſuſcepit baptiſmum, & characterem; & conſequenter obligandus eſt, ad retinendam fidem. Quia tunc fidei ſuſceptio verè fuit voluntaria, etiamſi non habuiſſet voluntatem, illam retinendi, nec in illa perſeuerandi. Ità definitur in Conc. Tolet. 4. *c. 56.* & habetur *in c. Qui ſincera de Iudæis diſt.* 45. Vbi dicitur. *Qui autem iam pridem ad Chriſtianitatem coacti ſunt, venire, oportet vt fidem, quam etiam vi, vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blaſphemetur, & ne fides quam ſuſceperunt vilis, & contemptibilis habeatur.* Ità etiam docent D. Thomas 2.2.*q.* 10. *ar.* 8. *ad* 2. Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. de Sacram. baptiſ. diſp.* 24. *ſect.* 1. *concluſ.* 1. Azorius *par.* 1. *lib.* 8. *c.* 24. *q.* 2. & alij communiter.

Infideles cogi ne poſſunt à Principe Chriſtiano, cui ſubijciuntur, ad Idolorum cultum abijciendum, ad ritus ſuperſtitioſos reſpuendos, & ad legem naturæ ſeruandam, & vnum Deum colendum?

9 Reſp. Affirmatiuè; quia ſicut cogi poſſunt ab eodem Principe, ad obſeruandas eas leges, quæ ad pacem, & commune bonum Reipublicæ ſpectant: nempè ne furta, adulteria, homicidia, & alia crimina committãt ne frumenta extrahant, ne tributa denegent, ne pacta perfringant, ne promiſſa violent; ne noctu arma deferant, & his ſimilia. Sic etiam, & multò magis cogi poſſunt; vt vnum Deum venerentur, Idolorum cultum abijciant, leges, & iura naturæ cuſtodiant; & nihil denique in contemptum Chriſtianorum, & rerum ſacrarum perpetrare audeant. Ità D. Auguſtinus *epiſt.* 48. D. Ambroſius *epiſt.* 30. Scotus *in* 4. *diſt.* 4. *q. vlt.* Becanus *to.* 2. *q.* 5. *n.* 3. Azorius *par.* 1. *lib.* 8. *c.* 24. *quæſ.* 5. & alij.

10 Immò non ſolum Eccleſia, & Chriſtiani Principes poſſunt, ſed tenentur ex ſuo munere, procurare; vt omnes eorum ſubditi, etiam infideles, ſecundũ rationem viuant. Viuere autem ſecundum rationem non poſſunt, niſi ea, quę rationi naturali obſtant, relinquant. Ergo Eccleſia, & Principes Chriſtiani obligantur, etiam ſubditos infideles, ab erroribus rationi naturali cõtrarijs, & à falſo idolorum cultu, & ſuperſtitione remouere. Poteſtas enim gubernandi à Deo data eſt hominibus, vt finem naturalem conſequantur, qui eſt viuere ſecundum virtutem, & rectam rationem. Ergo ex iſta poteſtate ſequitur poſſe, & teneri dirigere ſubditos, vt ſic viuant, & omnia contraria deuitent. Ità docent D. Thomas 2.2. *q.* 10. *ar.* 10. & 11. & ibi Caietanus, & alij, Coninch. *diſp.* 18. *dub.* 12. *concluſ.* 2. Suarez *de fide diſp.* 18. *ſect.* 4. *n.* 6. Valentia *diſp.* 1. *q.* 10. *pun.* 7. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 2. *pun.* 7. *n.* 1.

Quare ergo Iudæi nõ coguntur Chriſti legem amplectere, & ſeruare; et nolentes, quare à Chriſtianorum prouincijs non expelluntur?

11 Reſp. quia vt ſupra dictum eſt Iudæi cogi non poſſunt Chriſti fidem ſuſcipere; ſed ſolum ſecundum legem naturalem viuere, & quæ legi naturali contraria ſunt deuitare; Cærimoniæ autem Moyſaicæ non ſunt contra legem naturalem. Si enim tales eſſent, noluiſſet olim Deus per illas legi naturæ contrarias coli, & venerari. Quamuis enim poſt prædicationem Euangelij cultus legis Moyſaicæ non videatur differre ab idololatria: tamen ante dictam prædicationẽ licitus erat. Nam differunt huiuſmodi cærimoniæ ab idololatria in hoc, quia idololatria eſt contra legem naturæ; cærimoniæ autem Moyſaicæ non. Inſuper ille cultus non fit à Iudæis in damnum Chriſtianorum, nec in contemptum noſtræ fidei, et ideò eis permittitur. Si verò fieret in contemptum noſtræ fidei, vel

vt

vt Chriſtianos peruerteret, aut eis noceret, vtique Iudæis non permitteretur: ſicut eis non permittuntur alia crimina. Addit etiam D.Thomas 2.2.*q.* 10. *ar.* 15. Quod in ritũ Iudæorum olim præfigurabatur veritas fidei noſtræ. Eſt autem bonum, quod teſtimonium fidei noſtræ habeamus ab hoſtibus, & quaſi in figura nobis præſentetur, quod credimus; et ideò in ſuis ritibus tolerantur. Caietanus etiam ibi ait: Cultus Iudæorum eſt quaſi textus fidei noſtre, ſicut figura veritatis; et ideo meritò tolerãdus. Eymericus *in direct. Inquiſ. par.*2.*q.*64.*n.*13. ſimiliter affirmat: Ritus Iudæorum ab Eccleſia tolerantur; quia in illis habemus teſtimonium fidei Chriſtianæ ab hoſtibus, & ab illis, qui foris ſunt. Hac enim ratione Pontifices prohibent, quòd in eorum celebritatibus, & feſtiuitatibus, à Chriſtianis nullatenus perturbentur: vt patet *in c. Sicut Iudæi extra. de Iudæis, & Saracenis.*

12 Summi autem Pontifices, & alij Principes non expellunt à ſuis prouincijs, Iudæos. Quia vt docet D.Thomas 2.2. *q.*10.*ar.*11. Humanum regimen à diuino regimine deriuatur, & ipſum debet imitari: Deus autem quamuis ſit omnipotens, & ſummè bonus, permittit tamẽ aliqua mala fieri in vniuerſo, quæ prohibere poſſet; nè illis ſublatis, maiora bona tollantur, vel peiora mala ſequantur. Sic ergò, & in regimine humano, illi, qui præſunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur; vel aliqua peiora mala incurrãtur. Igitur Iudæi non eijciuntur à Summis Pontificibus, & ab alijs Principibus, ne impediatur maius bonum, nempè eorum aliquorum conuerſio, quæ ſperari poteſt ſi tolerentur; & ob præſentem aliquam vtilitatem, quæ ex eorum ſeruitute recipitur; & etiam quia charitas, æquitas, & miſericordia petit, vt ſine iuſta cauſa non expellantur. Vt ex *c. Qui ſincera de Iudæis diſt.*45. & probant Oltradus *conſ.*87. *&* 264. Corſetus *de poteſt. Reg. q.* 81. Valentia 2. 2. *diſp.*1.*pun.*7.§. *Ob eandem cauſam*, Becanus *to.*2.*c.*13.*q.*5.*n.*4. & alij.

Poſſunt ne Principes Chriſtiani, infideles, & idololatras cogere, ad audiendam prædicationem Euãgelij?

13 RESP. quod, vel infideles, & idololatri ſunt ſubditi Chriſtianis Principibus, vel non. Si non ſunt eorũ ſubditi: non poſſunt Principes illos cogere ad audiendam prædicationem Euangelij. Quia coactio ſupponit iuriſdictionem in cogente erga illum, qui cogitur. Sed nullus habet iuriſdictionem in non ſubditos. Ergo nullus poteſt cogere tales infideles, & idololatras ad audiendum Euangelium. Ita teſtantur Suarez *de fide diſp.*18.*ſect.*2.*n.*6. Valentia 2.2.*q.*10.*diſp.*1.*pun.* 6. Coninch *diſp.*18.*dub.*14.*n.*225. *concluſ.* 2. Bonacina *to.*2.*tr. de fide diſp.*3.*q.*2.*pun.* 8.*n.*3. Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4. *diſp.*2. *pun.*5.*n.*3. & alij.

14 Si verò infideles, aut idololatri ſint ſubditi, cogi poſſunt ab eorum Principibus Chriſtianis, ad audiendam Euãgelij prædicationem, quia hæc coactio non excedit iuriſdictionem politicam, & temporalem; nam ex hac obligatione ſolum compelluntur, audire prædicationem; non tamen eam ſequi, & poſſunt credere, & non credere, prout voluerint: quilibet enim poſt auditionẽ Euangelij poteſt fidem prædicatam liberè admittere, vel reſpuere. Et ideò poſſunt Chriſtiani Principes cogere ſuos ſubditos infideles ad auditionem Euangelicæ prædicationis. Confirmatur exemplo Iudeorum Romæ, qui certo die coguntur Prædicatorem Chriſtianũ audire. Vt iuſſit Gregorius XIII. *in Conſtitutione*, quę incipit *Sancta Mater Eccleſia*, & ante eum Nicolaus III. & habetur etiam *in Clementina vnica de Iudæis, & Saracenis*, *& in l. Nemo, Cod. de Paganis.* Et ità docent D. Auguſtinus *epiſt.* 48. D. Ambroſius *epiſt.* 30. Azorius *par.*1.*lib.*8.*c.*24.*q.*3. & ſupradicti Doctores locis citatis.

Poſſunt ne Principes Chriſtiani de licentia Summi Pontificis cogere

Infideles, ſeu Idololatras, etiam non ſubditos ad audiendam Euangelij prædicationem?

15 RESP. Affirmatiuè; quia Summus Pontifex ius habet, introducendi Euangelicam legem in totum terrarum Orbem; iuxtà illud *Matth. 26. & Mar. 16. Euntes in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, docentes eos*; Ergo ſicut ad hanc auditionem poteſt Summus Pontifex illos cogere; ſic etiam poteſt alijs hanc executionem committere, & Chriſtianis Principibus hanc facultatem concedere. Ità D. Thomas 2. 2. *q.* 10. *ar.* 8. Sotus *in* 4. *diſt.* 5. *q.* 1. *ar.* 10. Becanus *to.* 2. *c.* 13. *q.* 4. *n.* 11. Azorius *loc. cit. q.* 10. & alij communiter.

Poteſt ne Summus Pontifex Chriſtiano Principi poteſtatem concedere, debellandi, & occupandi Prouincias Paganorum, & Infidelium, ſi non permittant liberam Euangelij prædicationem?

16 RESP. Affirmatiuè, quia vt ſupra dictum eſt, Sūmus Pontifex habet ius introducendi Chriſti fidem in vniuerſum mundū, & poteſt debellare eos, qui hanc introductionem ei impedirēt. Ergo poteſt etiam hanc poteſtatem alicui Chriſtiano Principi concedere, qui hoc diuinum præceptum exequatur, & quod idololatris, & infidelibus Euangelij prædicationem impedientibus, bellum inferat, & Prouincijs, ac Regnis priuet, & occupet. Principes enim Chriſtiani ſunt etiam protectores Eccleſiæ, & legis diuinæ cuſtodes.

17 Nec obſtat dicere; quod nemo poteſt directè infideles ad ſuſcipiendam fidē cogere. Ergo neque cogere poteſt, ad amplectēda media, quæ ad fidei ſuſceptionem ordinātur, qualis eſt Euangelij prædicatio. Nam negatur conſequētia. Non enim eſt eadem ratio de fidei ſuſceptione, ac de medijs ad illam ordinatis. Quia medium, ſeu Euangelij prædicatio, licet ordinetur ad fidei ſuſceptionem, relinquit tamen hominem audientem in ſua libertate, vt ſupra dictum eſt, & ſic ſuſceptio fidei eſt non coacta, ſed omninò libera; nam prædicatio non eſt ità connexa cum fide Euangelica, vt vim faciat libertati. Ità colligitur *ex Clementina vnica de Iudæis, & Saracenis, & ex l. Nemo, Cod. de Paganis.* Et ità docent D. Auguſtinus, & & D. Ambroſius *vbi ſup.* Becanus *dicto to.* 2. *c.* 13. *q.* 4. *n.* 11. Couarruuias *regula peccatum* §. 10. *n.* 3. Victoria *in relectione de India*, Sotus *in* 4. *diſt.* 5. *q.* 1. *ar.* 10. Azorius *par.* 1. *lib.* 8. *c.* 24. *q.* 10. Diana *to.* 7. *tr.* 7. *reſ.* 14. 15. & 16. *ex par.* 6. *tr.* 4. *reſ.* 15. 16. & 17. & alij. Confirmatur, quia Alexander VI. conceſſit Regibus Luſitaniæ, & Caſtellæ Regna Infideliū Orientis, & Occidentis, cum ea conditione, vt in eis fidem catholicam ſuis expenſis introducerent; & mitterent idoneos Prædicatores, ad propagandum Euangelium in illis vaſtiſſimis regionibus, & ſimul eis titulum cōceſſit, debellandi illorum infidelium Regna, ſi iniurioſè fidei Prædicatores reciperēt, & eorum prædicationi impedimento eſſent.

Poſſunt ne Principes Chriſtiani ob ſolam idololatriam bellum infidelibus inferre, & illorum Regna occupare?

18 RESP. Affirmatiuè Hoſtienſis *in c. Super his, extra de Voto*, Panormitanus *ibid.* Aluarus Pelagius *de plātu Eccleſiæ lib.* 1. *ar.* 37. Maior *in* 2. *ſent. diſt.* 44. *q.* 3. Huic ſententiæ adhærent (dummodò adſit facultas Papę, vel Imperatoris) D. Antoninus 3. *par. tit.* 22. *c.* 5. §. 8. Syluester *verb. Papa q.* 7. Caſtro *lib.* 2. *de iuſta hæret. punit. c.* 14. Probatur primo ex S. Scriptura: Nam *Eccleſiaſt. c.* 10. *n.* 8. dicitur: *Regnum à gente in gentem transferetur propter iniuſtitias, & contumelias, & diuerſos dolos.* Et Iſai. 60. *n.* 12. *Regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit.* Quibus verbis (ſupponunt dicti Doctores) Infideles amiſ-

ſiſ-

ſiſſe ſuarum rerum dominium propter infidelitatem ſuam poſt aduentũ Chriſti, & translatum eſſe in Chriſtianos.

19 Secundo probatur auctoritate D. Cypriani *trac. de exhort. Martyrÿ ad Fortunatum c.5.* nam poſtquam recenſuit; Deum in veteri teſtamento præcepiſſe idololatras interfici, ſubdit: *Si ante aduentum Chriſti, circa Deum colendum, & idola ſpernenda, hæc præcepta ſunt, quãto magis poſt aduentum Chriſti ſunt ſeruanda?* Et hac ratione Alexander VI. conceſſit Ferdinando Hiſpaniarũ Regi, & Emanneli Regi Luſitaniæ, vt ille Indias Occidentales, iſte Orientales ſibi occuparent.

20 Secundo, quia Deo iubente, Iſraelitę terras Gentilium propter illorum idololatriam, vi, & armis occuparunt, iuxtà illud Deuter. 12. *n.2. Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt Gentile Deos ſuos, diſſipate aras eorum, & confringite ſtatuas, & Idola comminuite.*

21 Quarto, quia licitum eſt, vi, & armis bellum inferre infidelibus, ad vlciſcẽdam iniuriam, quę Chriſtianis infertur, & ad conſulendum vitæ, & incolumitati proximi innocentis, iuxtà illud *Pſalmi* 81.*n.4. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Ergo multo magis ad vlciſcendam iniuriam, quæ ab eiſdẽ infidelibus infertur Deo per idololatriam, & alia peccata cõtra legem naturalem.

22 His tamen non obſtantibus, verior, ac communior ſententia docet, non eſſe licitum ob ſolam idololatriam, & alia crimina contra legem naturæ, infideles vi, & armis inuadere, & illorum Prouincias, & Regna occupare. Sed tunc ſolum quando, vel prædicationẽ Chriſti fidei impediunt, vel prædicatores Euangelij, ac fideles iniuria afficiunt, vel eos, qui ad fidem conuerti volunt, perſecuntur, & ad immolandum idolis cogunt, vel carnes humanas vorant, & idolis ſacrificant; quia humano generi pernicioſi ſunt; vel accipere velint regiones, quæ iuſtè ad Chriſtianos Principes ſpectãt. Ità colligitur ex *c. Diſpar* 23.*q.*8. & *ex l. Chriſtianis, Cod. de Paganis.* Et ità docent D. Thomas 2.2.*q.* 12.*ar.*2. Victoria *in relect. de Inquiſ. p.* 1. *n.*15. Couarruuias *in regula peccatũ par.*2.§.10. Bannes 2.2.*q.6. ar.*10. Valentia 2.2.*diſp.*1. *q.*10. *pun.*7. Becanus *to.* 2. *c.*13. *n.6. verſ. Secunda concluſio,* Fagundez *in decal. lib.* 1.*c.*33. *n.*29. *& ſeq.* Suarez *de fide diſp.* 18. *ſect.* 1. *n.*7. Molina *to.*1.*diſp.*105. *&* 106. Coninch. *diſp.*31. *de bello dub.*2.*n.*54. Caſtro Palaus *to.*1.*tr.*6.*diſp.*5.*pun.*3.*n.*6. Diana *to.*7.*tr.*7.*reſ.*14. *n.*2. *ex par.*6. *tr.*4. *reſ.* 15.*n.*2. & alij. Probatur, quia nemo puniri poteſt, niſi ſubditus ſit punienti; punitio enim eſt actus iuriſdictionis, & iuſtitiæ vindicatiuæ. Infideles autem non ſubduntur Principibus Chriſtianis, nec ratione perſonæ, nec ratione delicti. Non ratione perſonæ, quia infideles per infidelitatem, & idololatriam non amittunt dominium ſuorum Regnorum; infidelitas enim, vt probat D. Thomas *loc. cit.* non repugnat dominio, quia dominium introductum eſt de iure gẽtium, quod eſt ius humanum. Diſtinctio autem fidelium, & infidelium, eſt ſecundum ius diuinum, per quod non tollitur ius humanum. Ergo infideles ratione perſonæ, & infidelitatis nullo modo ſubduntur Principibus Chriſtianis. Neque ratione delicti idololatriæ, & aliorum criminum contra legem naturæ: quia ad Eccleſiam non pertinet, punire delicta illorum, qui nunquam fidem ſuſceperunt, quia ſunt extra ſuam iuriſdictionem, iuxtà illud Apoſtoli 1. *Corint.*5. *Quid mihi de his, qui foris ſunt iudicare? Dominus iudicabit:* Dum ergo infideles, tam ratione perſonæ, quã ratione idololatriæ, & aliorum criminum contra legem naturæ, non ſubduntur Principibus Chriſtianis, ſequitur neceſſariò, quod ab eis puniri non poſſunt, nec vi, & armis, ſuis terris, ac regnis priuari. Confirmatur ex multis ſcripturæ locis, in quibus Reges, & Domini infideles, veri Reges, & Domini appellantur: ſic Daniel *c.*2. appellauit impium, & infidelem Nabucdonoſor: *Tu Rex Regum es; & Deus Cœli regnum, & fortitudinem, & imperium*

rium dedit tibi: Chriſtus *Matt.* 22. dixit: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*: Et Lucæ 22. *Reges Gentium dominantur eorum*: D. Paulus *ad Roman.* 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal*: D. Petrus 1. *Epiſt. c.* 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue Ducibus, tanquam ab eo miſſis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.* Ex quibus locis clarè patet; infideles ex eo quod ſunt infideles idololatri, & legis naturalis tranſgreſſores, nõ eſſe Chriſtianorum Principum ſubditos, ſed veros Reges, & Dominos, & ſeruare ſuum dominium, & iuriſdictionem, nec licere bello infeſtare, dum nihil mali moliuntur contra Chriſtianos. Et ità *in c. Diſpar.* 23. *q.* 8. Alexander Secundus ait: *Iuſtè bellum geri contra Saracenos ex eo, quod Chriſtianos perſequuntur, non autem contra Iudæos, cum ſint ſeruire parati.* Ergo idem dicendũ eſt, de Infidelibus idololatris.

23 Ad rationes ſupradictas in contrariũ reſpondetur. Ad primam, quod verba illa Eccleſiaſtici *c.* 10. nil aliud probãt, niſi quod ſępè propter iniuſtitias, & peccata transferuntur regna de gente in gentem ex Dei vindicta; quod vtiq; veriſſimum eſt. Et ſimiliter verba illa *Iſaiæ* 60. ſolum ſignificãt illos, qui extra Eccleſiam fuerint, non poſſe ſaluari, quod etiam veriſſimum eſt. Ex his autem ſcripturis non ſequitur, infideles ob infidelitatem amiſiſſe ſuarum rerum dominium.

24 Ad ſecundũ reſp. quod Sanctus Cyprianus loquitur de Idololatris à fide apoſtatatis, qui verè ſubijciuntur iuriſdictioni Eccleſiæ. Et ideò affert præceptum Dei ex veteri teſtamento, quo iubentur interfici Iſraelitæ, quia à fide diſceſſerant, & ad idololatriam ſe conuerterant. Alexander autem VI. conceſſit Regibus Caſtellæ, & Luſitanię, vt introducerent Prædicatores Euangelij in Regna infidelium, qui ſi illos iniuria afficerent, nec legem Euangelicam reciperent, eorum ſubditi fierent, & dominio priuarentur, quod vtiq; licitè fieri poterat, vt ſupra dictum eſt.

25 Ad tertium reſp. cum D. Auguſtino *ſerm.* 6. *de verbis Domini c.* 11. quòd filij Iſrael non propria voluntate, nec poteſtate, ſed ex præcepto Dei Chananeos debellarunt, & Deus ipſe in regiones illas eos introduxit: Dicitur enim *Deuter.* 7. *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam poſſeſſurus ingrederis, & tradiderit tibi gentes, percuties eos, vſque ad internecionem, aras eorum ſubuertite, & ſtatuas confringite.* Notat autem D. Auguſtinus in his verbis: *Cum acceperitis poteſtatem, hoc facite; Vbi nobis non eſt data poteſtas, non facimus: vbi data eſt non prætermittimus.* Et infra. *Modo orandũ eſt pro illis, non iraſcendum contra illos.*

26 Ad quartum reſp. Infideles ex eo pręcisè, quod tales ſunt, nobis nullam offenſionem faciunt: Nec nobis licet eorum peccata contra legem naturę, bellando punire, quia Deum offendunt. Alias quilibet Princeps aduerſus aliũ mouere poſſet bellum ob peccata, quæ ciues committunt; quod eſt omninò abſurdum. Ab ipſo enim Deo ſufficiẽter, vel in hac vita, vel in alia puniũtur. Nec Chriſtiani Principes ſuperiores ordinarij ſunt infidelium, ſed cùm ſit Deus eorum ſupremus Dominus, qui poteſt eos punire, & condonare, vſurpare non debent ipſius Dei ius, niſi eis conſtet de diuina voluntate. Neq; quia idololatria eſt grauiſſimum peccatum, eſt ſufficiens ratio, vt bellum infidelibus non ſubditis inferatur: nam odium Dei eſt omnium peccatorum maximũ; & tamen à non legitimo ſuperiore puniri nequit. Et tandem neq; nobis conſtare poteſt, innocentes in India, & in illis remotiſſimis prouincijs occidi, & iniuſtè vi opprimi à ſuis Principibus. Et etiam ſi conſtaret; nobis non licet omnia peccata, quæ ab illis infidelibus contra innocentes committuntur, vindicare, dum neque expreſsè, neque tacitè ipſi innocentes noſtrum auxilium implorant.

27 Igitur dum infideles Chriſtianos iniu-

iurijs non afficiunt, nec eorum Regiones,& bona ſurripere, quærũt,nec aliquo modo offendunt; nec prædicationem, & ſuſceptionem legis Euangelicæ impediunt,aut oppugnant; nec generi humano pernicioſi ſunt;nec carnes hominum vorantes, vel idolis ſacrificantes, poſſunt à Chriſtianis Principibus debellari, nec eorum prouincijs, ac Regnis priuari, ex eo ſolum, quod ſunt infideles idololatri, & legis naturæ tranſgreſſores; vt ſupradicti Doctores communiter docent.

Infidelibus permitti ne poteſt à Principibus Chriſtianis dominium in Chriſtianos?

28 RESp. quod vel loquimur de dominio antiquo, quod infideles habent in Chriſtianos ſuos ſubditos, vel de dominio nouo, quod ante non habebant. Dominium in Chriſtianos antiquum permitti poteſt Infidelibus. Ità docent D.Thomas 2.2.*q.*10.*ar.*10. Caietanus ibi,Becanus *to.* 2. *c.*13.*q.*7. *n.*1.Valentia 2.2.*diſp.*1.*q.*10.*pun.*8. & alij.Quia Ius dominij introductum eſt iure humano, cuius capaces ſunt infideles;quia non fundatur in fide,nec fides tollit ius humanum,quod ratione naturali nititur: nec fideles iure diuino exemptionem iuris humani habẽt.Immò ex D.Paulo 1. *ad Timotheum 6.* non habere huiuſmodi exemptionem apertè colligitur dum ait. *Quicunque ſunt ſub iugo ſerui, dominos ſuos omni honore dignos arbitrẽtur, ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur. Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant eos,ſed magis ſeruiant, quia fideles ſunt.* Ex quibus verbis patet, Apoſtolum duplex ſeruorum genus ſupponere. Vnum eorum fidelium, qui ſubiecti ſunt infidelibus: Alterum eorum,qui ſubduntur fidelibus.Ergo Infideles non amittunt antiquum dominium ex eo, quod ſerui eorum fiant fideles, & Chriſtiani.

29 Dominium autem nouum infidelibus in Chriſtianos nullo modo permitti poteſt à Chriſtianis Principibus. Ità D.Thomas *loc. cit.* & communiter cæterì Doctores. Quia cederet hoc in ſcandalum,& periculum fidei, fideles enim ſubditi facilè, auctoritate Superiorum infidelium, fidem desererent, & eorum infidelitatem amplecterẽtur. Et ideò D.Paulus 1.*Corin.6*.prohibet, ne fideles in iudicio contendant corã Iudice infideli; & ità etiam decernitur in multis canonibus *in tit.de Iudæis,& Saracenis.*

30 Immò Infideles, Principibus Chriſtianis ſubiecti, ſi Chriſti fidem profitentur,liberi deueniunt, quia Eccleſia priuare poteſt eorum dominos dominio antiquo, quod habent in ſeruos ſuos, ſi iſti Chriſtiani efficiantur. Ità docent D. Thomas, & alij Doctores ſupra citati; Et conſtat ex vſu, & praxi Eccleſiæ, quæ priuat Iudæos, & Saracenos ſeruitute, ſi ad Chriſtianam fidem conuertuntur,ſiue ſint in ſeruitute nati,ſiue in ſeruitute empti. Lex habetur in *c. Fraternitatem diſt.* 54. *& in c. Multorum de Iudæis, & Sarac.* Omnes enim ſerui, qui fiunt Chriſtiani, liberi ſunt à ſeruitute dominorum, vt in *l. Manichæos* 4.*Cod. de hæreticis,& in l. Vnica,Cod.Ne Chriſtianum mancipium,& in c. Vltimo de Iudæis, & Sarac.& in c.Mancipia diſt.* 54.

CAPVT X.

De Tertia ſpecie Superſtitionis, quæ dicitur Diuinatio.

Quidnam eſt huiuſmodi diuinatio, & quare ſpecies Superſtitionis dicitur?

1 RESp. quod hæc diuinatio eſt tertia ſpecies Superſtitionis,quia eſt diuinitatis ęmulatio;ęmulatur enim prophetiam, per quam futura, & occulta (quorum notitia ſolius Dei eſt, & ex ſua diuina reuelatione prænoſcũtur) homo ope Dæmonis, ſibi manifeſtare, quærit. Et inter ſpecies ſuperſtitio-

tionis numeratur, quia vt docent D. Auguſtinus *to.3.lib.2.de doctr.Chriſt.c.* 20. & D.Thomas 2.2.*q.*95.*ar.*2.Quicquid procedit ex ſocietate Dæmonũ, & hominum, ſuperſtitioſum eſt; Ideò ad ſuperſtitionem pertinet, non ſolum cùm per idololatriam Dæmones colũtur, & eis ſacrificium offertur; ſed etiã cum aliquis aſſumit eorum auxilium, ad aliquid faciendum, vel cognoſcendum.

2 Definitur autem hæc ſuperſtitioſa diuinatio, quod ſit prænunciatio futurorum contingentium indebito modo. Ità ex D.Thoma *loc.cit. ar.* 1. Sanchez *lib.2.in decal.c.*38.*n.*1.Suarez *to.*1.*de relig.lib.*2.*de ſuperſtit. c.* 7. *n.*2. Caſtro Palaus *par.3.tr.* 17. *de ſuperſtit.diſp.*1. *pun.3.n.*4.Fagundez *in decal.lib.*1.*c.*35 *n.*1.Layman *lib.* 4.*tr.* 10.*c.3.n.*1. Thomas del Bene *par.2.de officio* S. *Inquiſ. dub.*221.*ſect.*1.*n.*2.& alij.Dicitur prænunciatio; quia verbis, aut ſignis vtitur. Dicitur futurorum, quia præcipuè circa futura verſatur. Dicitur futurorũ contingentium, quia non tantum prænunciat, quæ à cauſa naturali neceſſariò eueniunt, ſed quę contingenter, & nulla humana vì cognoſci poſſunt. Dicitur indebito modo, quia Dæmoni tribuitur quodammodo cultus Deo debitus, dum occultorum cognitio, ſolius Dei propria, ab ipſo Dęmone procuratur. Et etiam quia innititur pacto expreſſo, vel tacito cum Dęmone.

Hoc pactum cum Dæmone, ſeu eius inuocatio quotupliciter fieri poteſt?

3 RESp. dupliciter, nẽpè expreſsè, ſeu explicitè, & implicitè, ſeu tacitè. Et conſequenter duplex eſt diuinatio. Alia quę fit cum expreſſa inuocatione dæmonis, quę verbis, & factis fieri põt. Alia tacita, & implicita, quę fit, quãdo quis dæmonẽ inuocat aliquo ſigno, vel medio vano, & inutili, vt conſequatur alicuius rei notitiam, quæ nullo modo ex illo ſigno, vel medio naturaliter haberi poteſt. Exemplum pacti expreſſi, quod verbis fit, eſt, faciam, vt facias, ideſt inuocabis me ait dæmon, & dabis talem cultum; & ego auxilium tibi dabo: Vel hoc, vel illud facies, & ego hoc, vel illud faciam. Factis autem etiam expreſsè inuocatur dæmon; vt quando quis ſciens illum per aliqua ſigna inuocari, & occulta manifeſtare, illa ſigna facit, vt ſibi aliquod occultũ manifeſtet. Diuinatio in qua inuocatur dæmon non expreſsè, ſed tacitè, contingit, cùm quis vtitur medijs, ad cognoſcendum res occultas, quæ nullam habent virtutem eas indicandi; vt quando quis diuinare vult per taxillos, aut chartas, vel per id, quod primò ei occurrerit, aperiendo librum, vel ex obſeruatione numerorum, vel figuris, & ex ſimilibus. Ità docent cum D.Thoma 2.2.*q.*95.*ar.*2.*&* 3.Azorius *par.*1.*lib.9.c.*13.Leſſius *lib.2.c.*43.*dub.* 5.Sanchez *lib.2.c.*38.*n.* 13. Suarez *de relig.to.*1.*lib.2.de ſuperſtit. c.* 7. Valentia 2.2.*diſp.6.q.*22.*pun.* 2. *&* 3. Clauis regia *lib.*4.*c.*5.Filliucius *tr.*24.*c.3.n.*55 *&* 70.& alij communiter. Quia cum huiuſmodi ſigna ex ſe ſint vana, & inutili ob talem notitiam, & à Deo inſtituta non ſint, cum Deus non ſit auctor ſignorum inutilium, & vanorũ; ſequitur quod à dæmone inſtituta ſint, & qui illis vtitur, à dæmone notitiam illam expectat, & illum tacitè inuocare ſtudet.

Diuinatio per pactum implicitum, ac tacitum, diſtinguitur ne ſpecie ab illa, quæ fit per pactum expreſſum; ità vt hoc pactum expreſſum ſit neceſſariò exprimendum in confeſſione?

4 RESp. rigorosè loquendo, probabile eſſe, non diſtingui ſpecie: ſicut profeſſio tacita, & expreſſa ſunt eiuſdem ſpeciei, quia idem iuris eſt, taciti, & expreſſi, *l. De quibus*, *ff. de legibus*, *& l. Cum quid*, *ff. ſi certum petatur.* Ergo idem dicendum de ſuperſtitioſa diuinatione tacita, & expreſſa; quia

quia etiam in diuinatione tacita adeſt dæmonis inuocatio. Ità Suarez *to.*1.*de relig.c.*10.*n.*1.Diana *to.*1.*tr.*7.*reſol.* 35. *ex par.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 66. Caſtro Palaus *par.*3.*tit.*17.*diſp.*1.*pun.* 3. *n.* 10. Antonius Eſcobar *tom.*4. *lib.* 28. *c.*17. *num.* 168.

5 Verum quamuis Victoria *in ſumma vbi de confeſſ.n.* 176. *in fin.* ac etiam Diana *loc.cit.*opinentur,non teneri delinquentem exprimere in confeſſione pactum expreſſum cum dæmone ; ſed ſatisfacere,ſi dicat,ſe diuinando ſuperſtitiosè mortaliter peccaſſe : quia circumſtantiæ aggrauantes,quæ non mutant ſpeciem, nō ſunt neceſſariò in cōfeſſione aperiendæ . Nihilominus D. Thomas 2.2. *q.* 95. *ar.*3. *ad* 1. Suarez *de relig. to.*1.*lib.*2.*de ſuperſt. c.* 10. *n.*1. Sanchez *lib.*2.*in decal. c.*38.*n.*14. Caſtro Palaus *par.*3.*diſp.*1. *pun.* 3. *n.* 11. Eſcobar *vbi ſup.* Leſſius *lib.* 2. *c.*43. *n.* 28. Layman *lib.*4. *tr.*10.*c.*3.*n.*4.Filliucius *tr.* 23. *n.*72. Reginaldus *lib.*17.*n.* 174.& alij docent: Vbi pactum expreſſum cum dæmone interceſſit, omninò explicandum eſſe in confeſſione.Tum quia longè diuerſum iudicium faciendum eſt de illo peccato à Confeſſario, quàm de diuinatione ex pacto implicito.Tum quia manifeſtanda eſt in cōfeſſione , non ſolum diſtinctio ſpecifica peccatorum, ſed etiam numerica . Sed habere voluntatem expreſſam , inuocandi dæmonem , eſt peccatum diſtinctum ab illo, quod committitur ex tacita inuocatione , quia in tacita inuocatione ſolum adeſt hæc voluntas virtualiter, non formaliter, vt eſt in inuocatione explicita.Voluntas autem formalis à virtuali eſt numero diſtincta. Ergo tenetur quis has voluntates in confeſſione diſtinguere,& aperire : Et tum etiam,quia expreſſa diuinatio ſæpè alia grauiſſima peccata inuoluit,nēpè abnegationem Baptiſmi,apoſtaſiam à fide , idololatriam per ſacrificia, adorationem, & ſimilia: Quæ in diuinatione per pactum implicitum , aut nunquam, aut rarò euenire ſolent.

Diuinatio tacita , ſeu pactum implicitum cum Dæmone eſt ne ſemper mortale peccatum?

6 RESp.Affirmatiuè ,ità communiter Doctores;quia etiam per talem diuinationem , & pactum habetur ſocietas cum dæmone , quæ omni iure diuino , naturali, & humano prohibetur;& homo dæmoni ſubijcitur,ipſumque tacitè honorat,& fædum cum Dei inimico conſtituens, apoſtaſiam quandam incurrit:ſicut miles, qui ad cōtrariam inimicorum factionem declinat. Multo tamen grauius peccat, qui per pactum explicitum dæmonem inuocat, quia quò maior eſt ſocietas cum ipſo, eò maior eſt apoſtaſia à Deo.

Qui ſignis illis ſuperſtitioſis , ſolum propter experientiam fidem adhibet, & expreſsè proteſtatur,nullam cum Dæmone ſocietatem habere velle, neque illius miniſterio cognitionem aliquam conſequi , excuſatur ne à peccato ſuperſtitioſæ diuinationis?

7 RESp. Negatiuè , quia quamuis vtens his ſignis ſuperſtitioſis,explicitè dicat , ſe nolle, pactum habere cum dæmone ; nihilominus proteſtatio eſt contraria facto; operatur enim contra proteſtationem;& licet explicitè dicat, nolle pactum cum dæmone; tamē re vera illud implicitè vult, quia vult vti illis ſignis,& medijs inutilibus, & vanis, ex quibus vtilitatem habere nequit, niſi dæmonis interuentu . Ita docent Leſſius *lib.* 2.*c.*43. *dub.* 8. *n.*52. Layman *lib.*4.*tr.*10.*c.*3. *n.*3. Filliucius *tr.*24.*c.*3.*n.*62.Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.*38.*n.*4. Bonacina *tom.* 2. *in* 1.*præcep. diſp.*3.*q.*5.*pun.*3.*n.*4.& alij.

Si Dæmon nullum pactum cum aliquo inierit , concurrendi cum illo, qui huiuſmodi ſignis vanis vſus fue-

fuerit, & aliquis illis ſignis vtatur, quia per experientiam ita ſucceſſiſſe, conſtet, eſſet ne tacitè inuocator Dæmonis?

33 RESp. Affirmatiuè, quia cum cognitio illa occulta nullo modo naturaliter haberi poſſit per illud ſignũ vanum; neq; haberi poſſit à Deo, quia Deus non vtitur ſignis vanis, & falſis, ad oſtendendam alicuius rei veritatem. Ergo qui illis vtitur dæmonem tacitè inuocat, qui libenter ſe immiſcet vanis, & inutilibus ſignis; vt homines decipiat, & ſuadeat, in illis fiduciam eſſe collocãdam. Vt tradunt D. Auguſtinus *lib. 2. ſuper Geneſ. ad litterã*, D. Thomas *2. 2. q. 95. ar. 5. ad 2.* Caietanus *in ſum. verb. Incantatio*, Victoria *relect. de magia q. 6. n. 28.* Et non obſtat; hos diuinatores non intẽdere opem dæmonis implorare, aut in ea ſperare. Quia ſatis eſt ad hanc tacitam inuocationem, his vanis vti, ad ea cognoſcẽda, quæ vim humanam ſuperant, & vtilitatem habere nequeunt, niſi dæmonis interuẽtu. Nec refert, ſi illa vtilia credat ob experientiam. Nam hoc ipſum ſimiliter eſt credere, ex demonis interuentu, & auxilio habere vtilitatem; quia dæmon eas experientias procurat; vt eis homines decepti, credant, ea eſſe vtilia, & eis vtantur ad ſimiles effectus comparandos. Ità docent Valentia *2. 2. diſp. 6. q. 22. pun. 2. & 3.* Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſt. c. 9. n. 17.* Bonacina *loc. cit.* & alij.

Qui ex ignorantia vtitur diuinatione ſuperſtitioſa, poteſt ne excuſari à culpa mortali?

9 RESp. Vel loquitur de diuinatione cum expreſſa inuocatione dæmonis, vel de diuinatione cum tacita dæmonis inuocatione. Si primo modo, nunquã quis excuſatur à peccato mortali; quia ipſa inuocatio dæmonis expreſſa clariſſimè oſtendit ſuam grauem malitiam: Et ideò tali inuocatione vti, ad agnoſcendum occulta, ſemper eſt peccatum mortale. Si ſecundo modo, vel ignorantia eſt affectata, vel craſſa, aut ſupina, & neq; excuſat à mortali. E. g. Qui vtitur quodam Pſalmi verſiculo, ad hoc vt annulus ſuper extenſo filo moueatur, non excuſatur à mortali ob ignorantiam. Satis enim apertè conſtat, à Deo non eſſe inditam virtutem ſacris verbis, ad huiuſmodi leuitates; nec naturaliter ineſſe verbis illis hanc virtutem: ergo clariſſimè ille motus eſt à dæmone. Similiter qui ignoranter, & non ex animo inuocandi dæmonem, in ſecreto loco cum homine peruerſo accedit, ad inſpectionẽ aſtrolabij propter furtum, vel theſaurum inueniendum; cuius ignorãtia à mortali non excuſat; quia dum cum peruerſo homine in loco priuato acceſſit, tacitè dæmonem inuocauit, & grauem peccati maculam contraxit; vt habetur *in c. Ex tuarum. extra de ſortilegijs.* Ità Caietanus *2. 2. q. 95. ar. 2. §. Ad euidẽtiam.* Si verò ignorantia, nec eſt affectata, neq; craſſa, tunc excuſat à mortali, ſi interuenit tacita dæmonis inuocatio; dummodò, ſi ille ſciuiſſet, ineſſe tacitam dæmonis inuocationem, illud non feciſſet. Quia propriè loquendo, talis non inuocat tacitè dæmonem, niſi materialiter, & inuoluntariè, quod non facit hominem ſocium dæmoniorum. Et ideò non peccat mortaliter. Ità Caietanus *ibid. & in ſumm. verb. Diuinatio n. 2.* Valentia *2. 2. diſp. 6. q. 12. pun. 1.* Sayrus *in claui regia lib. 4. c. 5. n. vlt.* Martinus del Rio *lib. 4. diſquiſ. magic. c. 2. q. 4. n. 17.* Leſſius *lib. 2. c. 43. dub. 10. n. 64.* Thomas del Bene *vbi ſup. ſect. 4. n. 4.*

Qui vtitur huiuſmodi ſignis vanis, vt vanis, ad cognitionem occultorum, non expectans certam notitiam ex ipſis, ſed cauſa recreationis, & ioci; excuſatur ne à mortali?

10 RESp. Affirmatiuè, quia dum illis vtitur, vt vanis, vtitur illis, vt in veritate ſunt; & conſequenter ea diuinatio non eſt ſuperſtitioſa, nec verè inclu-

cludit tacitam dæmonis inuocationẽ. Itá etiam ſupradicti Doctores, & Sanchez *lib.2.in decal. c.38.n.* 20. Suarez *to.1.de relig.lib.2.de ſuperſtit.c.9. n.* 11. & alij. Eſſet tamen veniale peccatum ait Caietanus. Venialis quoque vanitas eſt, quando obſeruantur ſomnia, auguria, ſortes, & reliqua, per quæ diuinatur, non habendo illis fidem, tanquam certis, ſed ſolum timorem quẽdam concipiendo; quia deficit à ratione perfecta ſuperſtitionis. Itá Sanchez *n.*21.Caietanus *2.2.q.96.ar.3.*Nauarrus *in ſum.c.*11. *n.* 37. Alcozer *in ſum. c.14.fol.46.* Leſſius *lib.2.c.43.dub.* 8.*n.* 53. Delrius *lib.4.c.2.q.7.ſect.4.* Sayrus *lib.4.c.7.n.5.*Suarez *vbi ſup.c.*10. *n.* 6. *& c.*13.*n.*25.

Quonam modo dari poteſt pactum inter homines,& Dæmones?

11 Reſp. dari poſſe, eſt certum de fide: nam *Matth.*4. legimus, dæmonem obtuliſſe pactum Chriſto Domino: *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me:* Ergo ſimile pactum offerre poteſt homini; faciam hoc, vel illud ſi me colueris. Dæmoni enim non deeſt poteſtas, loquendi cum homine, nec poteſtas ad faciendum multa, quibus homines decipiãtur. Ergo poſſunt cum hominibus pactum inire. Vnde appetitu cognoſcendi futura, ſępè homines cum dæmonibus hoc modo paciſcuntur, & è conuerſo dæmones ſeſe offerunt, per falſas, & ſacrilegas diuinationes ad homines decipiendos. Itá docet Suarez *to.1.de relig.lib. 2. de ſuperſtit. c.14.n.6.*Bordonus *to. 1.c.17.n.* 17.Initur etiam pactum implicitum inter homines,& Dæmonem;non quaſi per mutuam promiſſionem, & obligationem; ſed per quamcumque deprecationem, vel petitionem auxilij, aut inſtructionis, ad aliquid occultũ cognoſcendum.Hoc enim eſt operari ex pacto tacito cum dæmone. Nam quando homo vanis inquiſitionibus intendit,occulta cognoſcere, tacitè intendit doceri à dæmone, & ſtatim dæmon ſe ingerit ad id,quod homo affectat. Et hoc eſt inire pactum implicitum, ſeu tacitum cum dæmone; vt docet Suarez *c. 9.n.*13,& 14.

Eſt ne omnis inuocatio Dæmonis actus ſuperſtitioſus, & hæreticalis, ſubiectus Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis?

12 Reſp.quod dæmon tripliciter inuocari poteſt. Primo per modum indignationis, & iræ, vel deſperationis; cùm quis illum inuocat in ſuũ, vel alterius damnum. Vel cùm alteri dicit:Si hoc non vis facere amore Dei, vel alicuius Sancti, fac illud amore diaboli. Et hæc inuocatio eſt quidem peccatum mortale: ſed non eſt actus ſuperſtitioſus hæreticalis, neque caſus Inquiſitionis. Quia in tali inuocatione nulla apparet hæreſis, aut hæreſis ſuſpicio, neque cultum, & honorem erga dæmonem importat: Neque ex illis verbis: Si non vis facere amore Dei, fac amore diaboli; aliquis cultus, aut reuerentia dæmoni exhibetur,cùm ſint verba indignationis,& per iram,& exagerationem dicta.

13 Secũdo modo inuocatur dæmon per adiurationem, quando Exorciſta illi imperat, vt exeat è corpore obſeſſi;vel non damnificet hominum bona.Et hęc inuocatio eſt licita, & iuſta, & à Deo inſtituta. Verum ſi fieret, non imperatiuè,ſed deprecatiuè, dæmonem rogãdo,vt è corpore obſeſſi exeat, vel aliquá hominum bona non damnificet; tunc eſſet ſuperſtitioſa, & hæreticalis. Quia talis deprecatio, ex natura rei includit cultum,& honorem dęmoni,per propriam ſubiectionẽ deprecãtis. Dęmon enim ſubditus eſt homini, non autem homo dæmoni. Ideò homo debet imperare non rogare dęmonem. Eſſet igitur hoc peccatũ mortale ſuperſtitionis,& Inquiſitionis caſus.

14 Tertio modo dęmon inuocatur, per modum adiutorij, ad finem conſequẽdi aliquid,ſiue bonum,ſiue malum. Vt

L ſi

ſi quis petat theſaurum, ſcientiam, ſanitatem, cognitionem rerum occultarum, mortem proximi, amorem carnalem, & ſimilia. Et tunc ſiue talis inuocatio fiat imperatiuè, ſiue deprecatiuè ſemper eſt actus ſuperſtitioſus, ſacrilegus, & hæreticalis, de quo Inquiſitores cognoſcunt, quia importat amicitiam, & ſocietatem cum dæmone, quæ contingere non poteſt, niſi cum cultu, & reuerentia ſacrilega dæmonis. Ità Sanchez *lib.2. in decal.c.42. à n.19.* Carena *par.2. tit.11.§.13.* Bordonus *to.1. c. 17. à num.* 8. *vſque ad* 16. & alij communiter.

Inuocans Dęmonem per modum adiutorij, eſt ne ſemper hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus?

15 RESp. Affirmatiuè, vt ſupra dictum eſt, quia vel quis inuocãdo dæmonem illum adorat, ſiue adoratione latriæ, quæ ſoli Deo debetur; ſiue adoratione duliæ, qua Angeli, Sancti, & Beati adorantur; & certum eſt, vel eſſe hæreticum, vel de hæreſi vehementer ſuſpectum, vt per ſe patet, & latiſſimè probant Eymericus *in direct. Inquiſit. par.2.q.43.n.* 5. *& ſeq.* & alij quos citat, & ſequitur Carena *par.2. tit.* 12. §. 10.*n.*56. Vel dæmonem inuocat, ab eo petendo, quæ ſolus Deus operari poteſt; vt notitiam futurorum, quę naturaliter ſciri non poſſunt, vel quæ pendent à libera hominum voluntate, & arbitrio, vel ea, quæ determinatam non habent cauſam; & ſimiliter ſortilegiũ committit hæreticale. Ità Pegna *par.2. direct. Inquiſ. commen.68. verſ. An inquirere futura*, Delrius *lib.4. diſquiſ. magic.c.2.q.2. verſ. Primo nequit*, Azorius *par.1. lib.9.c.* 24. *q.* 1. *&* 2. & alij communiter.

Inuocatio Dæmonis deprecatiua, ad ſciendum, vel faciendum ea, quæ non excedunt naturalem eius facultatem, eſt ne hæreticalis?

16 RESp. Affirmatiuè; quia deprecatio, ſeu oratio pertinet ad cultũ latriæ, qui ſoli Deo tribuendus eſt. Eſt enim deprecatio actus religionis, per quem Deo reuerentiam, & honorem exhibetur, & homo ei ſubijcitur, & profitetur, orando, ſe eo indigere, ſicut auctore ſuorum bonorum, vt docet D. Thomas 2.2.*q.*83.*ar.*3. Ideò oratio ad ſolum Deum dirigi poteſt, iuxtà illud *pſal.83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus, & pſal.98. Inuocabis me, & ego exaudiam, & pſal.49. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Porrigimus autem orationes, ſeu deprecationes Angelis, & Beatis, ac etiam hominibus, vt ait idem D. Thomas *ar.*4. non vt per eos Deus noſtras petitiones cognoſcat; ſed vt eorũ precibus, & meritis orationes noſtræ ſortiantur effectum. Inuocans ergo, & deprecans dæmonem, ad ſciendum, vel faciendum, quę naturaliter ipſe demon ſcire, & facere poteſt, illi præſtat obſequium, & honorem, ſoli Deo debitum, quia verba deprecatiua adorationem includunt. Et ideò dæmonis inuocatio deprecatiua, eſt ſacrilega, & hæreticalis. Ità docent Eymericus *vbi ſup.* Pegna *ibid. verſ. Verum plurimum*, Carena *etiam ibid.n.* 60. Auctor *repert. Inquiſit. verb. Dæmon, §. ſi enim*, Locatus *in opere iudiciali verb. Apoſtaſia n.* 7. §. *ſi verò dæmones*, & alij.

Inuocans Dæmonem non verbis deprecatiuis, ſed imperatiuis, ad faciendum, vel ſciendum ea, quæ naturaliter ipſe Dęmon ſcire, vel facere poteſt, committit ne ſortilegium hæreticale?

17 RESp. Eymericum, Pegnã, Carenã locis citatis, Suárez *to.1. de relig. lib.2. de ſuperſtit. c.* 19.*n.*10. exiſtimare; imperatiuè inuocantem dæmonẽ peccare quidem mortaliter, ſed non committere ſortilegium hæreticale; dummodò in tali inuocatione non miſceãtur res ſacræ, neque aliquis cultus re-

reuerentialis,neq; dęmon inuocetur, vt Dei amicus, vel ad faciendum, quę facere nequit,neque exiſtimet,hoc non eſſe peccatum,vel dęmonem poſſe operari, etiam Deo non permittente. Sed Farinacius *q.*181.*n.*88. Symanchas *tit.* 30. *n.*17. Homobonus *in exam. Eccleſ. par.*1.*tr.*7.*c.*3.*q.*16.Bordonus*to.*1.*c.*17. *q.*5.*n.*16. Diana *to,*5.*tr.* 12. *reſ.* 10. *ex par.*4. *tr.*7. *reſ.*10. & alij docēt dæmonis inuocationem,etiam per modū imperij ſapere hęreſim manifeſtam; quia D.Auguſtinus *lib.*10.*de Ciuit.Dei c.*11. ait. Ridiculum eſſe inuocare dęmones per modum imperij,aut eis comminando pręcipere, quia *Non eſt poteſtas in terra, quæ comparetur eis*, vt ait Iob *c.* 41. Cum ergo imperium hominis nil poſſit in dęmonem, conſequenter dicta inuocatio coincidit cum inuocatione deprecatiua,& eſt deprecatiua inuocatio palliata,& proindè includit cultum, & honorem.Quia cum dęmon, ad huiuſmodi imperium, nullatenus ab homine cogi poſſit; ſaltem ex pacto tacito, hominis voluntati ſe accomodat, quia etiam ex hac inuocatione imperatiua cultum, & honorem recipit, & inuocantem lucratur,& magis decipit. Confirmatur,quia imperare,& pręcipere ei,qui non tenetur iuſſis obtemperare, arguit intrinſecam amicitiam inter imperantem, & imperatum. Ergo qui imperat dęmoni,oſtendit magnam cum eo habere familiaritatem, & maiorem, quam ille, qui tantum deprecatur. Ità ſupradicti Doctores.

18 Vndè dicendum ad hęreſim pertinere,ſi quis ſiue deprecando,ſiue imperādo dęmonem inuocaret,vt mulieris pudicitiam tentaret, vt theſaurum oſtenderet inueniendum, vt partus futurus in vtero matris formatus,ſignificet, an ſit naſciturus maſculus, vel fœmina; vt notificet dictum,vel factum pręteritum occultum, vt res in ignem proiecta non comburatur, vt hominem de loco ad locum tranſportet, vt ſponſos liget, vt ægritudines inferat; vt corpus mortuum tanquam viuum per aliquod tempus apparere faciat; vt cæcum non à natura, ſed ob aliquod impedimentum illuminet, vt nebulas, & tempeſtates inducat,& ſimilia ſcelera. Et vt notat Symanchas *de cathol. inſtitut.tit.*21.*n.*13.*& tit.*30.*n.* 13. aduerſus tales inuocatores inquiri poteſt à Tribunali Sanctæ Inquiſit. tanquam vehementer de hæreſi ſuſpectos.Et idē ſentiunt Diana *to.*5.*tr.*12.*reſ.* 10. *n.* 7. *ex par.*4.*tr.* 7. *reſ.* 10. Raphael de la Torre *in* 2.2.*D.Thom.q.*95.*art.*4. *diſp.* 1.*aſſer.* 4. Bartholomeus Spina *apolog.* 4. *contra Ponſinibium.* Zanardus *in ſuo direct.c.*64. Bordonus *to.*1.*c.* 17.*q.*5.*n.* 16. & alij.

Inuocatio Dæmonis non ad malum finem, ſed ad finem bonum aſſequēdum, eſt ne mortale peccatum,hæreſim ſapiens?

19 RESP.Affirmatiuè;quia etiam huiuſmodi inuocatio non fit ſine amicitia dæmonis,& ſine illius ſeruitute,& ſubiectione,quæ directè, & immediatè opponitur ſeruituti, & reuerentiæ Deo debitę.Itaut qui dęmoni ſubijciatur per illius inuocationem, neceſſariò ſit manifeſtus Dei inimicus:iuxtà illud Matt. 6. *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Aut enim vnum odio habebit,& alterum diliget, aut vnum ſuſtinebit,& alterum contemnet.* Apoſtolus etiam 1.*Corin. c.* 10. expreſsè prohibet. *Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum.*Quia impoſſibile eſt, habere amicitiam ſimul & ſeruitutem duorū ad inuicē inimicorū.Siue ergo quis inuocet dæmonem ad bonū finem,ſiue ad malum, ſemper illi ſubijcitur,& reueretur, & ideò ſemper peccat mortaliter, & grauiſſimum ſacrilegium committit; Et vt ſupra dictum eſt, et notat Bordonus *vbi ſup. n.* 16. eſt ſuſpectus de hæreſi, quia inuocatio ſimpliciter eſt cultus latriæ.

Dæmones,expreſsè inuocati, quonam modo ſolent futura prænunciare?

20 Reſp. multipliciter, vt notat Diuus

Thomas 2. 2. *q. 95. ar. 3.* Videlicet vel fictis apparitionibus aſpectui, vel auditui hominum, ſe ingerentes; et hìc prænunciationis modus vocatur Præſtrigium, quia tunc oculi hominum perſtringuntur. Vel per ſomnia, et vocatur diuinatio ſomniorum. Vel per mortuorum apparitionem, vel locutionem, et vocatur Nigromãtia; quia vt ait D. Iſidorus *in lib. 8. ethymol. c. 9.* Nigrum grecè mortuus dicitur, Montia diuinatio nuncupatur; quia quibuſdam precationibus adhibito ſanguine, videntur reſuſcitati mortui, diuinare, & ad interrogata reſpondère. Vel futura prænunciant per homines viuos, ſicut in arreptitijs patet. Et hæc eſt diuinatio per Pytones. Vel per aliquas figuras, & ſigna, quæ in rebus inanimatis apparent. Quæ quidem ſi appareãt in aliquo corpore terreſtri, vt in ligno, vel ferro, vel lapide polito vocatur Geomantia. Si autem in aqua Hydromantia, ſi autem in aere, Areomãtia; ſi autem in igne Pyromantia; ſi autem in viſceribus animalium immolatorum in aris dæmonum, vocatur Aruſpiciũ. Ità D. Thomas. Diuinatio enim ex diuerſitate ſignorum, & mediorum diuerſa ſortitur nomina.

Qui reſponſum Dæmonis credit, eſſe certũ, & infallibile, quodnam peccatum committit.

21 RESp. committere peccatum idololatriæ, & hæreſis. Quia ſic credẽdo, dæmonem apprehendit, vt Numen infallibile, in cuius obſequium intellectum captiuat, vel ſubmittit, quod ad idololatriam ſpectat. Item ſic credens ſupponitur, credere dęmonem non eſſe malum, nec fallacem, nec talẽ, qui falli poſſit. Vtrumq; autem eſt contra fidem, ergo eſt hæreſis. Et ſi ex hac credulitate ſequatur exterior diuinatio, & prædictio alicuius rei, cũ inductione aliorum ad illam credẽdam, vel ad aliquid agendum, ratione illius cognitionis; tunc adiungitur etiam malitia ſcandali, iuxtà materiæ proportionem. Verum ſi quis crederet, aſſertionem dęmonis eſſe tantùm valdè probabilem, & magnæ auctoritatis, ſed fallibilem, non committeret peccatum hæreſis, dummodò materia diabolici oraculi non contineret errorem contra catholicam fidem. Ità docet Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſt. c. 8. n. 23.*

Dæmones in eorum apparitionibus, bona conſulentes ſunt ne audiendi?

22 RESp. Negatiuè; quia id malitiosè efficiunt, & transfigurat ſe in Angelos lucis, vt poſtea facilius homines decipiant. Quandoq; enim dęmones apparent, fingentes, ſe eſſe animas defunctorum, & petunt ſuffragia ſibi fieri, bona mala acquiſita reſtitui, vt poſtea ipſos videntes, ſic poſtulantes, in aliquem errorem inducant, vel mortuos infament. Vt docent D. Auguſtinus *lib. 10. de Ciuit. Dei c. 11.* D. Chryſoſtomus *hom. 29. in Matth.* D. Thomas *1. par. q. 117. ar. 4. ad 2.* Syluester *verb. Maleficium q. 4. dict. 2.* Victoria *de magia q. 4. n. 17.* Sotus *lib. 8. de iuſt. q. 3. ar. 2. col. 4.* Sanchez *lib. 2. in decal. c. 38. n. 23. & 24.* & alij. Vndè Martinus del Rio poſt *lib. 6. diſquiſ. magic. in anacephali monitione 10.* benè aduertit: non eſſe faciendum, quod dęmon faciendum pręſcribit. Sed ſi id ſuadeat, quod ex aliquo pręcepto Dei, vel Eccleſię ſit ſeruandum; faciendum eſt ratione pręcepti obligantis: ſi verò ſit ſub conſilio; licere exequi; non quia dęmon dixit; ſed quia eſt in ſe bonum. At tutius eſſe aliquando illud cõſilium prętermittere, aut in aliud commutare, ne quid fraudis eo conſilio dęmon moliatur; Et Tyreus ait *de apparit. ſpirit. c. 15. n. 20.* dęmonibus nec bona conſulentibus eſſe audiendum; quia omnia bona, quæ conſulunt, tendunt ad noſtram perniciem. Quod confirmant Sanchez *loc. cit.* Fagundez *in 1. præc. decal. c. 36. n. 9. & 13.* & alij communiter.

Quonam modò diſcernere poſſumus; an huiuſmodi apparitiones ſint illu-

luſiones Dæmonum, an verò apparitiones bonorum Angelorum, vel animarum?

23 RESp. certum eſſe, Angelos, & animas beatas, vel in purgatorio, aut in inferno detentas, Deo permittẽte, ob iuſtas cauſas, hominibus aliquãdo apparere. At facile diſcerni poteſt, an ſint apparitiones Angelorum, & animarum, an illuſiones dęmonum. Quia ſi ad ſignum Sanctę Crucis, vel ad Sanctiſſimum nomen Ieſu, vel Mariæ, vel ad aſperſionem aquæ benedictę, aut ad venerationem reliquiarum Sanctorum, vel cerei ſacri dicti Agnus Dei, effugiant, vel diſpareant, fictæ viſiones dæmonum ſunt, qui in Angelos lucis, bona conſulendo, ſe transfigurant; vt grauiter decipiant. Si verò Sanctam Crucem, nomen Ieſu, & Mariæ, & reliquias Sanctorum, & Agnos Dei venerantur, apparitiones ſunt Angelorum, vel animarum. Ita Thyreus vbi ſupra, *c. 16.* Delrius *lib.2.diſquiſ.magic.q.26.ſect.3.* Fagundez *loc.cit. n.12.* & alij communiter.

Eſt ne imitandum pactum illud, quod à nonnullis factum, legimus, vt pręmoriens, ſuperſtiti apparere debeat, eumq; de ſuo ſtatu certiorem faciat?

24 RESp. Negatiuè, quia quamuis ſecundum ſe conſideratum, culpa careat; tamen res eſt periculoſa, & valdè obnoxia dęmonum illuſionibus; & ideò huiuſmodi promiſſio, ſeu pactum reprehenditur à Ciruelo *de ſuperſtit. par.3.c.11.* à Delrio *vbi ſup.ſect.7.* Sanchez *lib.2.in decal.c.38.n.25.* Fagũdez *in 1.præc.c.36.n.14.* & alijs. Tales namque apparitiones non eſſe laudabiles, & neceſſarias. Conſtat etiam ex Euangelio *Luc.16.* Vbi Diuiti auaro cupiẽti, vt Lazarus poſt mortem ſuis hęredibus appareret, reſponſum fuit ab Abraham: *Habent Moyſem, & Prophetas audiant eos.* Quod perindè fuit, ac ſi diceret; Sufficit illis doctrina ſacræ ſcripturæ: nec petant apparitiones, in quibus plus periculi, quàm vtilitatis eſſe poteſt.

Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius cum pœnitente, qui cum pacto expreſſo Dæmonem inuocauit?

25 RESp. debere attendere, ſi pœnitens in ipſo pacto promiſit dæmoni, ſe Chriſti fidem negare, vel credidit, dæmonem eſſe honore dignum, vel habere aliquam diuinitatem, vel poteſtatem habere ſupra hominum voluntatem, vel poſſe prænunciare hominum cogitationes, & futuros euentus, qui à libera hominum pendent voluntate. Nam ſi iſta credidit, commiſit, non ſolùm peccatum mortale ob dęmonis inuocationem; ſed etiam peccatum hæreſis. Similitèr debet pœnitentem interrogare, an orationibus ſacris dęmonem inuocauit, uel adorauit, uel ſacrificium obtulit, quia tunc fuit etiam idololatra. Vel ſi à dęmone petijt, ut aliquo modo damnum proximo inferret, & ſi in maleficio res ſacras immiſcuit, nempè Oleum ſanctum, Aquam baptiſmalem, uel benedictam, corporalia, ceram benedictam, petram aræ, & his ſimilia, et ſi crediderit, dęmonem ſine permiſſione Dei habere uirtutem, ad faciendos illos nefarios effectus. Nam ſi hoc credidit, fuit etiam hereticus; & ſi proximum damnificauit, tenetur, illum obligare ad damni reſtitutionem.Ità communiter Doctores.

Superſtitioſi diuinatores incurrunt ne excommunicationem ipſo facto?

26 RESp. uel diuinationem, ſeu dæmonis inuocationem exercent cum hæreſi, & nulli dubium eſt, quod ratione hæreſis, ipſo facto incurrunt excommunicationem Bullę cœnæ, etiamſi interna hereſis occultiſſimè manifeſtetur exterius, & ſufficit ipſa inuocatio dęmonis cum falſa credulitate. Vel exercent diuinationem exterius, ſine animo heretico; ſed expreſsè inuocant dæmo-

nem, poſtulando aliquid, quod à ſolo Deo cognoſci, reuelari, & fieri poteſt. Et tunc aut in inuocatione dęmonis interuenit eius adoratio, aut exterior fidei abnegatio, vel renunciatio Chriſti, & Sacramentorum, aut in vſu diuinationis miſcentur abuſus Sacramentorum, vel rerum ſacrarum; Et in foro exteriori ipſo facto pręſumitur hæreticus, & excõmunicatus in bulla cœnæ; quãuis in foro interiori non ſit excommunicatus; quia interius, nec dæmoni, nec diuinationi credidit. Quando verò nihil ſupradictarum rerum interuenit, & pactum cum dæmone non eſt expreſſum, ſed tacitum tantum; ceſſat ſuſpicio hæreſis, & ille non incurrit ipſo facto excommunicationem. Ità Eymericus *in direct. inquiſ. p.* 2. *q.* 42. *&* 43. & ibi Pegna *commen.* 67. *&* 68. Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 21. *n.* 10. *& tit.* 62. *n.* 2. *&* 3. *& tit.* 63. *n.* 29. *&* 34. Iulius Clarus *lib.* 5. *verb.* Hæreſis *n.* 24. *&* 25. Filliucius *to.* 2. *tr.* 24. *c.* 8. *n.* 197. *&* 198. & alij.

Diuinatio ſuperſtitioſa ſpectat ne ad Tribunal S. Inquiſitionis, vel aliquando eſt mixti fori?

27 RESp. ſi diuinatio inuoluat ſuſpicionem hæreſis, pertinet tantum ad Tribunal S. Inquiſitionis, vt conſtat ex *c. Cauſam, de hæreticis in* 6. & communiter omnes Doctores affirmant. Si verò ſit abſq; ſuſpicione hæreſis, eſt mixti fori, & à Iudice præoccupante, ſiue Eccleſiaſtico, ſiue laico iudicatur, vt in dicto c. Ordinatur: Niſi dilinquens ſit Clericus; tunc enim ratione perſonæ ad Iudicem Eccleſiaſticum tantùm pertinet. Ità Abbas *in c.* 1. *de ſortileg. n.* 3. *&* 4. Aldericus *in rubrica de hæreticis n.* 13. Iulius Clarus *lib.* 5. *verb. Hæreſis n.* 25. Suarez *lib.* 2. *de ſuperſtit. c. vlt. n.* 11. Thomas del Bene *par.* 2. *dub.* 195. *ſect.* 70. *n.* 4.

Diuinatio, quæ continet pactum implicitum, ſeu tacitum cum Dęmone diuiditur ne in plures ſpecies?

28 RESp. Affirmatiuè, & numerantur hæ ſpecies à D. Thoma 2. 2. *q.* 95. *ar.* 3. quarum prima eſt diuinatio per aſtra, ſeu Aſtrologia iudiciaria, quæ conatur futura prænoſcere ex conſideratione ſitus, & motus ſyderũ. Secũda eſt Augurium, quando procuratur cognitio futurorum ex animalium vocibus, vel ex hominum ſternutatione. Tertia Auſpicium, quando arguitur dicta cognitio à volatu auium, vel ab auium inſpectione, vel à quocunq; animalium motu. Quarta dicitur Omen, quando cõſideratur ex hominum vocibus, præter illam intentionem prolatis. Quinta Onitocritica cùm procuratur ex ſomnijs. Sexta Phiſiognomia, quæ ex ſignis humani corporis, pręſertim faciei, futura prædicit. Septima Chiromantia, quæ eſt diuinatio futuri euentus ex viſione linearum manus. Octaua Metropoſcopia, quæ eſt diuinatio ex fronte, & eius lineis. Nona Spatulamanthia, quæ ex dorſo, ſeu ex ſpatulis diuinat. Eſt & alia diuinatio, quæ dicitur per ſortes, cum cognitio futurorum arguitur ex ſignis reſultantibus ex plumbo liquefacto, & in aquam proiecto, vel ex proiectione taxillorum, vel ex conſideratione illius rei, quæ alicui, aperienti librum, occurrit, &c. De quibus omnibus aliqua dicemus in ſequentibus.

In confeſſione eſt ne explicanda ſpecies dictarum diuinationum?

29 RESp. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 31. *n.* 39. Valentiam *to.* 3. *diſp.* 1. *q.* 10. *pun.* 3. & alios opinari huiuſmodi diuinationis, & ſuperſtitionis ſpecies eſſe in confeſſione exprimendas. Sed Reginaldus *in praxi to.* 1. *lib.* 6. *c.* 4. *n.* 214. Sotus *in* 4. *ſent. diſp.* 18. *q.* 2. *ar.* 4. *concluſ.* 6. Diana *to.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 34. *&* 35. *ex par.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 46. *&* 66. docent nõ eſſe in confeſſione neceſſariò exprimẽdas; quia non ſunt ſpecies omninò diuerſæ in genere moris. Moralis enim malitia in illis eſt eiuſdem ſpeciei. Et ideò ſatis eſt, ſi quis confiteatur: Toties peccaui peccato diuinationis, neque neceſſe eſt, addere ſemel per

Aſtro-

Aſtrologiam, iterum per chiromantiã, aut per negromantiam. Ità dicti Doctores; & Thomas del Bene *to.2.de offic.Inquiſ. dub.* 221. *ſect. 3.n.5.* & alij quos ipſe citat.

CAPVT XI.

De Diuinatione per Aſtra, ſeu per Aſtrologiam.

Quid, & quotuplex eſt Aſtrologia?

1 Reſp. quod Aſtrologia eſt diuinatio, ſeu prænũciatio futurorum euentuum ex cõſideratione ſtellarum. Ità D.Thomas 2.2.*q.95.ar.5.* Aſtrologi enim ex aſpectibus, conſtellationibus, ſplendoribus, & ſitu ſtellarum, futura prænunciant, ac diuinãt. Eſt autem aſtrologia duplex, altera naturalis & vera, altera iudicialis & falſa. Naturalis & vera eſt, quæ prædicit effectus naturales ex cauſis naturalibus, & ex aſpectu, & motu ſtellarum; nempè futuras eclypſes, pluuias, ſiccitatem, ventos, morbos, ſanitatem, & his ſimilia. Quia Cœlum, & ſydera habent naturalem virtutem, producendi hos naturales effectus. Hæc autem aſtrologia dicitur ſcientia vera: quia vtitur cauſis naturalibus certis, & ſtabilibus, & in iudicijs futuræ ſerenitatis, humiditatis, ſiccitatis, ſanitatis, morborum, vẽtorum, pluuiarum, & ſimilium, nulla interuenit falſitas, & nulla reperitur ſuperſtitio. Et quamuis aliquando Aſtrologi in his prædictionibus errent. Hoc accidit, vel quia talis ſciẽtia eſt in ſe difficillimæ agnitionis: vel quia aliqui profitentur, hanc ſcientiam habere, quam re vera ignorant. Aſtrologia verò iudicialis eſt, quæ certò prædicit caſus fortuitos, & contingentes, & ea, quæ pendent ex libera hominum voluntate. Hæc autem dicitur falſa: quia ſi prædicit caſus fortuitos, iſti ſunt incerti: nam de futuris contingentibus nulla eſt determinata veritas: & ſi prænunciat ea, quæ pendent ex libera hominum voluntate: hæc voluntas eſt imperſcrutabilis, & ſoli Deo nota, & eſt mutabilis, ità vt ſæpè ſæpius, quod modo ei placet, poſt parum temporis diſplicet, & quod nunc appetit, poſtea recuſat. Ità communiter Doctores cũ D.Thoma 2.2.*q.95.art.5.*

Eſt ne malum, aut prohibitum prædicere ex aſtris effectus naturales, qui proueniunt ex influentijs cœleſtibus?

2 Reſp. Negatiuè; ità cum D. Thoma Caietanus 22. *q.* 95. *art.* 5. Suarez *to.1.de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c.11.n.5.* Sanchez *lib.2.in decal.c.38.n.* 28. Salas 1.2.*q.9.art.5.tr.5. diſp.2.ſect.* 8.*n.79.* Manuel *to.1.ſum.c.7.n.3.* & alij communiter. Quia hi effectus non sũt occulti, ſed verè iudicari poſſunt ab ipſius cauſis, & influentijs cœleſtibus. Ergo non eſt per ſe malum, illos per tales cauſas inueſtigare. Quod etiam non ſit prohibitum, patet: Nam Sixtus V. *in motu proprio* contra iudiciariam aſtrologiã *Cœli, & terræ Creator Deus*: damnans artes inuentas, ad prægnoſcendos futuros, & fortuitos euentus, expreſſit: (*Exceptis dumtaxat futuris euentibus ex naturalibus cauſis, neceſſariò, vel frequenter, prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent.*) & D. Hieronymus *in epiſt.* 130.*ad Paulinum*, inter artes humano generi vtiles, poſuit Aſtrologiam naturalem; quæ vtitur obſeruationibus aſtrorũ, ad agnoſcendum futuram ſerenitatem, pluuias, tempeſtates, frigus, æſtus, & ſimilia.

Naturalis prædictio ex aſtris, eſt ne certa, & infallibilis.

3 Reſp. Negatiuè, tum quia pauca poteſt homo naturaliter, certò cognoſcere de virtutibus, ac proprietatibus ſtellarum. Tum quia effectus non pendet ex vna tantum ſtella, ſed ex multis; & ſæpè ſtellæ fixæ poſſunt impedire actiones planetarum, & & è conuersò. Et licet concurſus plane-

netarum inter ſe facilius cognoſcatur; non tamen concurſus eorum cum ſtellis fixis, qui ſemper varius eſt, propter motus octauæ,& nonæ ſphæræ. Et tum etiam, quia huiuſmodi effectus, non ſolum pendent à planetis, & ſtellis;ſed etiam à cauſis inferioribus, nempè à diſpoſitione aeris, aquæ, & terræ;non ſolum prout ſe habent in vno loco,ſed etiam in diuerſis. Et ideò, quamuis ipſa ars,ſeu ſcientia in ſe certa ſit,& poſſibilis; reſpectu tamen hominum, illa cognitio eſt valdè difficilis, & incerta. Ità Suarez *loc.cit. n. 6.* Fagundez *in 1. præc.decal.c.38.n. 6.* Filliucius *tr.24.c. 4. n.79.* Thomas del Bene *to.2. de offic. inquiſ.dub.222.ſect.2.coroll.n.2.* & alij.

Certo prædicere, vel credere, futuros dictos effectus naturales, eſt ne ſuperſtitionis peccatum?

4 RESp.eſſe peccatum,quia eſt temeraria prædictio, & imprudens credulitas; ſed per ſe loquendo, non pertinere ad ſuperſtitionem. Quia nullum pactum implicitum cum dæmone interuenit; ſed leuitas, & inconſideratio, adhibendo certam fidem futuri euentus, abſque conſideratione impedimentorum, quæ occurrere poſſunt, & frequenter accidunt, vt ipſa experientia teſtatur. Eſt enim quodam genus mendacij, prædicere, vel credere incerta pro certis, vel futura ſub conditione,tanquam abſolutè futura.Hoc autem mendacium eſt tantum peccatũ veniale;niſi ex ipſa prædictione ſequatur nocumentum alterius; vel niſi ipſa fieret ex nimia arrogantia, vel immoderata lucri cupiditate.Ità docent Suarez *to.1.de relig.lib.2. de ſuperſtit.c.11. n.7.* Martinus del Rio *lib.4.c.3.q.1.circa finem*, & alij.

Aſtrologia iudiciaria prænuncians ea, quæ pẽdent ex libero hominis arbitrio, eſt ne ſuperſtitioſa, & de ſe mala, omni iure prohibita, & hæreſim ſapiens?

5 RESp. Affirmatiuè. Et quod ſit per ſe mala,ſuperſtitioſa,& mortale peccatum, ac hæreſim ſapiẽs probatur, quia tollit liberũ arbitriũ, & libertatẽ,& reducit effectus, & actiones liberas ad cauſas phyſicas, & naturales, & ad influſſus aſtrorum, quod eſt de ſe malum, impium, & hæreticum. Ex hoc enim ſequitur hominum peccata non pendere ex hominum libertate, ſed ex cęleſtibus influentijs,& cauſis naturalibus; & ſic furta,homicidia, adulteria, & ſimilia non eſſe peccata, cùm naturaliter,& ex neceſſitate fierẽt. Inſuper corpora cæleſtia non poſſunt influere in hominis intellectum, & voluntatem. Corpus enim non poteſt influere niſi in res corporeas; Intellectus autem,nec eſt corpus, nec actus organi corporei, & conſequenter nec volũtas,in qua formaliter conſiſtit libertas. Et ideò cum nullum corpus poſſit, aliquid imprimere, niſi in rem corporeã; impoſſibile eſt,quod corpora cæleſtia directè imprimant in intellectum ac volũtatem; hoc namque perinde eſſet, ac dicere; intellectum non differre à ſenſu. Ergo Cælum,ſol,luna,aſtra,planetæ, & corpora cæleſtia non poſſunt, eſſe cauſa operationum liberi arbitrij; nec ab Aſtrologis abſque dæmonis inſtructione certò prænunciari. Ità docẽt D. Thomas 2.2.*q.95. ar.5.* Caietanus ibi,Suarez *to.1.de relig. lib.2. de ſuperſtit. c.11.n.17.* Sanchez *lib.2. in decal. c.38.n.30.* Nauarra *de reſtitut. lib. 2.c. 2.dub.2.n.110. & ſequ.* Salas *p. 2. q.9. & 5.tr.5.diſp. 2.ſect.5. à n. 16.* Caſtro Palaus *par.3.tr.17.de Superſtit.diſp. 1. pun. 4. n. 4.* Thomas del Bene *de Offic. Inquiſ. par.2. dub. 222.ſect.1. n.5.* & alij communiter.

6 Quod ſit etiam aſtrologia iudiciaria omni iure prohibita,probatur; eſt enim prohibita iure diuino *Deuter.* 18. *Gentes iſtæ augures,& diuinos conſulunt, tu autem aliter à Domino Deo tuo inſtitutus es. Et Ierem.*10. *A ſignis Cæli nolite metuere,quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt*. Iure etiam Canonico *ex c. Illos 26.q.2.c.Igitur 26.q.*

3.c.

3. c. Non liceat 26. q. 5. & alij, *& ex bulla Sixti V. & Vrbani VIII. contra Aſtrologos.* Et iure Ciuili *ex l. Nemo, & l. Etſi, Cod. de malef. & mathem. & l. Mathematicos, C. de Epiſc. audient.* Cõſtat igitur iudiciariam Aſtrologiam eſſe per ſe malam, ſuperſtitioſam, & grauiſſimam culpam, & omni iure prohibitam, & hæreſim ſapiens.

7 Vnde libri, qui de hac Aſtrologia loquuntur, à dæmone per aliquem miniſtrum ſuum ſcripti ſunt, & qui eorũ doctrinam addiſcunt, à dæmone tacitè docentur. Sicut qui ſtudet libros D. Thomæ, à D. Thoma dicitur edoceri, & qui legit, & credit Sacræ Scripturæ, docetur à Deo. Et hoc modo interuenit ibi pactum implicitum cum Dæmone, vt docet Suarez *ibid. c. 9. n. 25.*

Eſt ne per ſe malum, vel prohibitum, ex ſtellarum conſtellatione, obſeruare pueri natiuitatem, & coniectare eius temperamentum, & naturalem inclinationem?

8 RESP. ſi hæc prædictio non extendatur ad futuros caſus fortuitos, nec ad ea, quæ à libera hominis voluntate pendent; ſed ſiſtat tantum in naturalibus effectibus, & inclinationibus, ac temperamento corporis, non eſt per ſe mala. Quia temperamentum corporis humani procedit à cauſis naturalibus. Ergo veriſimiliter credi poteſt, magnam vim in eo habere cæleſtes influentias, & conſequenter poſſunt Aſtrologi prædicere futuras pueri infirmitates, & illarum tempus, & ſimiliter naturalem inclinationem, ad iram, vel ad hæc, aut illa ſtudia, ad timiditatem, vel audaciam, ad venerea, vel cõtinentiam, quæ ex corporis temperamento coniectare poſſunt. Ergo talis prædictio non eſt per ſe mala: quia nec pactum implicitum cum dæmone continet; nec fundatur in aſtris, vt in puris ſignis, ſed vt in cauſis naturalibus, nec de ſe eſt alicui noxia. Nec etiam eſt prohibita, quia nec damnatur per Canones, aut leges, aut per bullam Sixti V. in qua tantùm prohibetur iudiciũ, & prædictio alicuius caſus fortuiti, vel pendentis à libero arbitrio. Ità docet Caietanus *in 2. 2. q. 95. ar. 5.* Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 11. n. 8.* Sanchez *in decal. lib. 2. c. 38. n. 28.* Leſſius *lib. 2. c. 11. n. 34.* Fagundez *in decal. lib. 1. c. 38. n. 5.* Thomas del Bene *de Offic. inquiſ. par. 2. dub. 222. ſect. 2. coroll. n. 1.* Carena *par. 2. tit. 12. §. 12. n. 79. & 86.*

Inueſtigatio temperamenti, & inclinationum pueri, ſpectato natiuitatis puncto, ex aſtrorum aſpectũ, habet ne certitudinem?

9 RESP. Negatiuè cum dictis Doctoribus, & alijs communiter: quia talis certitudo non ſolum pendet ex aſtris, vt ſupra dictũ eſt, ſed ex multis alijs cauſis, & multipliciter impediri poteſt. Vnde Caietanus, & Suarez *vbi ſup.* affirmant, vix coniecturam, & ſuſpicionem, dici poſſe. Primo quia aſpectus aſtrorum, exiſtens in illo momento natiuitatis, vix poteſt ſine vllo errore agnoſci. Et Aſtrologi, punctum illum, exactiſſimè ſpectandum eſſe, docent, ad hoc iudicium ferendum. Nam rapidiſſimus Cœli motus efficit, vt conſtellatio prius prætereat, quã ab Aſtrologis notari valeat; per ſingula enim momenta variatur Cœli ſitus, & aſpectus. Secundo quia ad hoc iudicium ferendum, potius ſpectandũ eſſet momentum animationis, vel conceptionis fœtus in vtero matris. Si enim vis aſtrorum penetrat profunda terræ, multo magis penetrat vterum maternum, & tunc in fœtum plus aſtra influunt. Hoc autem momẽtum eſt ſcitu impoſſibile. Tertio quia, vt benè ex D. Auguſtino *lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 2.* notat Suarez *loc. cit. n. 9.* qualitates, & conditiones rei generandæ, magis pendent ex diſpoſitione materiæ, ex qua generanda eſt, & ex efficacia proximæ virtutis actiuæ; quàm ex influentia Cæ-

lorum. Et conſequenter ex ſolo ſyderum aſpectu, qui in hora natiuitatis concurrit, non poteſt ſatis colligi futura complexio, temperamentum, & inclinatio prolis genitæ. Quod confirmatur exemplo. Nam ſi duæ partes terrę ſint diuerſę virtutis, qualitatis, & diſpoſitionis, ſimul eodem tempore ſeminentur tritico diuerſæ qualitatis; etiamſi eodem tempore germinare incipient; nihilominus meliorem, & vberiorem triticum, producet terra bona, quam mala: Et ſi terra bona, melius etiã triticum recipiat, multò etiam melius illud reddet. Et ſi vltra qualitatem meliorem, terræ, & ſeminis, accedat melior cultura, magis creſcet perfectio tritici; etiamſi influentia ſtellarum ex ſe ſit æqualis. Ità ergo eſt in generationibus hominum. Licet enim duo infantes, ſub eadem conſtellatione naſcantur; tamen ſi mater alterius ſit melioris complexionis, & meliorem materiam conceptioni filij miniſtret, multum conferet ad meliorem fœtus complexionem: Et ſi accedat paterna virtus, fortior, calidior, &c. ſine dubio multum iuuabit ad meliorem filij temperamẽtum: Et multum etiam proficiet ex ſanitate, temperantia, alimẽtis, & alijs exercitijs ipſius matris, dum prolem geſtat in vtero. Ergo cum hęc omnia nec conſiderentur, nec conſiderari poſſunt ab Aſtrologis, non poteſt, non eſſe eorum iudicium valdè infirmum, & incertum. Et ità affirmant Suarez, Caietanus, Sanchez, Fagundez locis citatis, & alij communiter. Inſuper videmus aliquando, gemellos, vnum benè complexionatũ, & robuſtum; alterum debilem, & infirmum; vnum manſuetum, & pium; alterum iracundum, & impium. Exemplum eſt in Eſau, & Iacob; Ille guloſus, & inuidus, iſte temperatus, & manſuetus; Ille odioſus, & peruerſus, iſte dilectus, & iuſtus. Et tamen ſub eadem conſtellatione gemelli nati ſunt, & ex eiſdem parentibus. Ex quo infertur nullam præcognitionem certam temperamenti, & inclinationis pueri naſcentis, haberi poſſe ex aſtrorum aſpectu, & natiuitatis puncto; conſiderato.

Prædictio, ſiue diuinatio caſus fortuiti tanquam certò futuri; eſt ne ſuperſtitio, & mortale peccatum?

10 RESp. Affirmatiuè: quia cùm de futuris contingentibus non ſit determinata veritas, ſi ut certi pręnunciẽtur, non uirtute aſtrorum, ſed ope dæmonum, certò futuros eſſe, dicuntur. Et ideò talis prædictio, ſeu diuinatio, ſemper eſt execranda ſuperſtitio, & mortale peccatum. Ità docẽt D. Thomas 2.2. *q.95.ar.5.* Caietanus ibi, Suarez *to.1. de relig. lib.2. de ſuperſtit. c.11 n.12.* & cõmuniter alij Doctores. Adeſt etiam prohibitio Sixti V. illis uerbis expreſſa: *Aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, &c. aliquid affirmare, audẽt; etiamſi non certò, ſe id affirmare, aſſerant, aut proteſtentur.* Igitur non poſſunt, abſque mortali peccato, certò prędicere, & diuinare futura contingẽtia, & caſus fortuitos. E. g. quod homini per uiam eunti, tegula è tecto cadens, eius caput obrumpet: Vel quod ſacculum, nummis plenum, ab alio amiſſum, reperiet; Vel quod iter faciens, inimicus ei obuiam futurus ſit. Vel quod, fodiendo terram, theſaurum inueniet: Vel quod nauigans, hoſtiles naues eius nauigationem impedient; Vel cum eo bellabunt, & eius nauis peribit; Vel de alijs ſimilibus caſibus incertis, & fortuitis. Quia licet caſus iſti, & ſimiles ſint euentus naturales; tamen cùm non habeant cauſas naturales certas, & permanentes, ſed ex accidenti contingant, nullam etiam cauſam certam in aſtris habere poſsũt. Et hac ratione ex aſtris, hos effectus, vt certos, prædicere, ſuperſtitioſa diuinatio eſt, ac vana, & illicita, & mortale peccatum. Solus enim Deus ſua infinita ſcientia, & prouidentia, illos comprehendit, & videt. Ità S. Thomas, Caietanus, Suarez, Sanchez, Leſſius, locis citatis, & alij.

Poſſunt ne Aſtrologi abſque peccato prædicere, ex aſtrorum aſpectu, actio-

ctiones ex hominum voluntate pẽdentes; non vt certò futuras, ſed vt futuras probabilitèr?

11 Reſp. Negatiuè: ſed ſuperſtitiosè agunt, & grauiter peccant. Quia illud dicitur eſſe probabile, quod firma ratione fulcitur, nec habet contra ſe rationem conuincentem, quæ ſolui non poſſit; vt docent Sanchez *lib. 1. in decal. c.9.n.6.* Valentia *p.2. diſp.2.q.12.pun.4. q.1.* Vaſquez *1.2.q.19.diſp.62. c.4.n.8.* Azorius *par.1.lib.2.c.9.* Sayrus *lib.1.c. 6.n.7.* Filliucius *tr. 21. c.4.n.133.* Diana *to.8.tr.1.reſ.1.ex par.2. tr.13. reſ.1.* Thomas del Bene *trac.moral. tr.2.dub. 1.n.1.* & alij. Aſtrologorum autẽ prædictio actionum, ex hominum voluntate pendentium, ſub ſpecie probabilitatis, ſolum fundatur in regulis aſtrologiæ iudiciariæ; quæ ex ſolis aſtris imperfectiſſimè, & difficillimè cognoſcuntur, nec certa, & firma ratione fulciũtur; ità vt non habeant contra ſe rationes conuincentes. Ergo huiuſmodi actiones, neque vt probabiles, ab Aſtrologis, ex ſolis aſtris, prænunciari poſſunt; & ſi vt tales prænunciantur; ex induſtria, & diſciplina dæmonis prædicuntur. Et conſequenter eſt prædictio, ſeu diuinatio ſuperſtitioſa, & mortale peccatum. Ità docent Suarez *to.1.de relig.lib.2.de ſuperſtit.c.11.n. 31.* Sanchez *lib. 2. in decal.c.38.n.33.* Valentia *2.2.diſp.6.q.12. pun. 3. col. 4. verſ. Si autem huiuſmodi,* Leſſius *lib.2.c.43.dub.6.n.42.* Martinus del Rio *lib.4.diſquiſ.magic.c.2.q.3.* Filliucius *tr.24.c.4.n.82.* Diana *to.5.trac. 12.reſ.17.ex par.4. tr.7. reſ.17.* & alij communiter. Vndè ſi prędicunt Aſtrologi; aliquem tali morte, vel tempore moriturum, vel futurum Epiſcopum, furem; & ſimilia, grauiter peccant, & ſunt puniendi, etiam ſi dicant, ſe non certò affirmare, ſed ſolùm eſſe probabile; vt notant Leſſius, & Diana.

12 Secus verò quando non ex aſtris Solis, ſed ex alijs circumſtantijs, & cauſis particularibus, ſumeretur dicta coniectura probabilis; vt ex temperamento perſonæ, & ex alijs eius actibus, & ſimilibus circumſtantijs. Nam talis obſeruatio, non eſt diuinatio, ſed prouidẽtia. Ideò ſi, inter alias coniecturas, conſideretur etiam aſpectus aſtrorum, tanquam ad aliquid conducens, hoc non pertinet ad ſuperſtitionem, ſed ad naturalem aſtrologiam; quæ illicita non eſt. Ità Suarez, Sanchez, Leſſius, Diana locis citatis.

Poſſunt ne Aſtrologi, abſque mortali, inquirere, & denunciare res præteritas, vel præſentes occultas per aſtra?

13 Reſp. Negatiuè: quia talis inquiſitio pactum implicitum cum dæmone inuoluit: ſupponit enim, vel aliquam artem diuinandi à dæmone traditam; vel eò tẽdit, vt dæmon, quod deſideratur, oſtendat. Nam ex aſtris, homines cognoſcere, non poſſunt res occultas, quæ humano modo ſciri non poſſunt. Quare mortale peccatum eſt, inueſtigare, & inquirere, per aſtrorum iudicia, theſauros abſconditos, occulta furta, homicidia, adulteria, & ſimilia delicta. Vt conſtat *ex c. 1. de de ſortilegijs*: vbi generaliter prohibetur, de furtis per diuinationem inquirere. Et in *c.Ex tuarum, eod.tit.* habetur, quod Sacerdos quidam, qui cùm quodam infami, ad priuatum locum, acceſſit, vt per inſpectionem aſtrolabij, furtum Eccleſiæ poſſet, recuperare; licet ſine pacto expreſſo cum dęmone, ſed ex zelo, & ſimplicitate id feciſſet; tamen grauiſſimè peccaſſe, dicitur. Ex quo textu colligit Caietanus *2.2.q.95.ar.2.* ignorãtiam rarò excuſare huius delicti grauitatem. Et ità etiam Alexander Ales *2.par.q.164. membr. 6. n. 3.* Turrecremata *in cap. Illos 26.q.2. ar. 4.* Suarez *to. 1.de relig.lib.2.de ſuperſt. c.11. n.27.* Sanchez *lib.2.in decal.c.38.n.36.* Salas *1.2. q. 9. ar.5. tr.5. diſp.2.ſect.8.n.79.* Sotus *lib.8.de iuſt.q.3. ar. 2. ad 3.* Nauarrus *in ſum.c.11.n.30.*

Si re vera ex aſtris nihil occultum, aut

dependens à voluntate hominum, aut à caſibus fortuitis, agnoſci poteſt; quare aliquando Aſtrologi vera prædicunt, & diuinant?

14 RESp. primo, cum D. Auguſtino *de Ciuit. Dei c. 3. & lib. 2. de geneſ. ad liter. c. 17.* & refertur *in c. Sciēdū 26. q. 4.* id euenire; vel quia dæmon ſæpè procurat, vt illud eueniat, quod prædictum eſt; vt peſtiferam ſuam artem commendet. Propterea illi Aſtrologi, cauendi maximè ſunt, qui ſæpius vera prænunciant: quia certius cum dęmone commercium habent. Vel quia, vt idem D. Auguſtinus docet, *lib. Confeſſ. c. 6.* caſualiter ità interdum accidit. Secundo quia animus hominis, cui aliquod bonum prænunciatur, excitatur ad tenenda omnia media, vt illud aſſequatur, ſibi perſuadens fauorem Celi, & ſtellarum habere. Et è conuerſo ille, cui mala prædicuntur, deijcitur in deſperationem, putans, Numen eſſe ſibi aduerſum. Et ideò mirum non eſt, ſi vtrique, quod prędictum eſt, eueniat. Tertio quia ſæpè, ex alijs circumſtantijs, ſagaces ingenio, res occultas, vel futuras preuidere poſſunt. Et ſępè etiā demon ſuggerit ſibi nota, vt homines facilius cum illo pactum ineant, & cōmercium habeant. Quarto quia multo ſæpiùs Aſtrologi, falſa prędicunt, quam vera; ſed illa non notantur. Vnde vt ait Leſſius *lib. 2. c. 43. dub. 6. num. 43. ex Gellio lib. 14. c. 1.* partem milleſimam eorum, quę prædicunt, veram non eſſe. Et Cicero *lib. 2. de diuinatione refert: Promiſerunt Aſtrologi Pompeo, Craſſo, & Cæſari, Lætiſſima omnia; & non niſi iam ſenes, domi cum ſumma gloria, morituros. At quiſq; eorum infeliciter, & immaturè perijt.*

Quænam futura ergò poſſunt Aſtrologi abſque peccato prænunciare?

15 RESp. poſſe, vt dubia, abſque peccato pręnunciare ea, quæ pertinent ad artem medicinam, ad agriculturā, & ad nauigationem; poſſunt prædicere viciſſitudines belli, vel pacis, aeris ſerenitatem, ac ſalubritatem, vel infectionem, abundantiam, vel ſterilitatem, morbos, vel mortem animaliū, & ſimilia. Poſſunt prænunciare in genere talem hominem inclinatum eſſe ad iram, vel manſuetudinem, ad auaritiam, vel liberalitatem, ad luxuriam, vel continentiam, &c. quia huiuſmodi paſſiones, quæ ſunt motus ſenſitiui appetitus, cognoſcuntur ex temperamēto quatuor qualitatum, inducente huiuſmodi paſſiones; & Aſtrologi per aſtra cognoſcere poſſunt temperamentum hominis. Hæc, & ſimilia tenuiſſima coniectura, & ſuſpicione, prædicere abſque ſuperſtitione, & peccato per aſtra poſſunt Aſtrologi. Ità docet Manuel *to. 1. ſummæ c. 7. n. 3.* Sayrus *in Claui regia lib. 4. c. 7. n. 4.* Valentia *2. 2. diſp. 6. q. 12. pun. 3.* Martinus del Rio *lib. 4. diſquiſ. magic. c. 3. q. 1. concluſ. 2.* Toletus *lib. 4. c. 15. n. 6.* Molfeſius *in ſum. q. 1. tr. 11. c. 8. n. 140.* Thomas del Bene *de offic. inquiſ. par. 2. dub. 222. ſect. 2. n. 5.* Sāchez *lib. 2. in decal. c. 38. n. 34.* & alij.

Coniecturaliter tantum prædicere; nō ſolum ex aſtris, ſed ex temperamēto, & naturali propenſione hominis ea, quæ pendent ex libero arbitrio, eſt ne mortale peccatum?

16 RESp. Negatiuè: quia cognitio cōiecturalis eorum, quæ pendent ex libero arbitrio, ex aſtris quodammodò haberi poteſt. Ait enim D. Thomas *2. 2. q. 95. ar. 5.* Corpora cæleſtia, non poſſunt eſſe per ſe cauſa operationum liberi arbitrij: poſſunt tamen ad hoc diſpoſitiuè inclinare, in quantum imprimunt in corpus humanum; & per conſequens in vires ſenſitiuas, quæ sūt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus; & nulla neceſſitas ex hoc, libero arbitrio imponitur, & ità docent Caietanus *ibi verſ. In art. eod. repete primo*, Valentia *2. 2. diſp. 6. q. 12. pun. 3. verſ. Iam verò*, Marti-

tinus del Rio *c.2.q.3.* Molfeſius *in ſum. par.1.tr.11. c.8. n.120.* Raphael de la Torre *in 2.2.q.95.ar.5.diſp.2.* Sanchez *loc.cit.n.32.* Naldus *in ſum. verb. Aſtrologus n.4.* Thomas del Bene vbi ſup. & alij. Diſſentire tamen ab hac ſententia videntur Salas 1.2.*q.9.art.5. tr.5. diſp. 2.ſect.8.n.80.& ſect.3.n.36.* Homobonus *de examin.Eccl.par.1.tr.6.c.5.q.22.* Farinacius *de hæreſi q.181.§.1.n.59.* & alij, quos ipſe citat Bordonus *to.1.c.21. n.* 10.

Quare Aſtrologi, abſque mortali culpa, poſſunt præuunciare futura coniecturaliter, & non probabiliter.

17 RESp. quia aliud eſt affirmare aliquid, vt probabile, & aliud vt coniectura. Quod enim probabile dicitur eſſe, rationi alicuius momenti innititur, ita ut, pro oppoſita parte, nihil ſit conuincens; vt ſupra cum Sanchez *lib. 1.in decal.c.9.n.6.* Valentia 1.2. *diſp.* 2. *q.* 12. *pun.* 4. *q.* 1. Vaſquez *p.* 2. *q.* 19. *diſp.62.c.4.n.8.* & alijs dictum eſt. Cõiectura autem eſt cognitio imperfecta, quæ leui innititur fundamento; vt docent D.Thomas 1.2.*q.112.ar.5.* Caietanus 2.2.*q.95.ar.5.* Suarez *to.1.de relig.lib.2. de ſuperſt. c.11. n.9.* & alij. Et ideò prædicere res futuras, quę pendẽt ex libero arbitrio, vel caſus fortuitos, vt probabiles, fieri nequit: quia huiuſmodi prędictio nulla momenti ratione fundatur, & propterea ſub mortali eſt prohibita, non autem prædictio coniecturalis, quæ leuem habet fundamentũ. Ità etiam Raphael de la Torre *in* 2. 2. *to.2.q.95.ar.5. diſp.2. & 3.* Caſtro Palaus *par.3.de ſuperſtit.diſp.1.pun.4.n.8.* Thomas del Bene *de Offic.Inquiſ.par.2. dub.222.ſect.3. n.9.*

Quare Aſtrologi iudiciarij, qui res occultas, vel pendentes à voluntate hominum, vel contingentes, vt certas; vel ut probabiles, futuras eſſe prænunciant, poſſunt puniri à Tribunali S. Officij?

18 RESp. quia ità ſtatuitur in Bulla Sixti V. quę incipit *Cœli, & Terræ Creator*, ibi enim de Aſtrologis, & alijs diuinationibus dicitur, quod: *Tam Epiſcopi, & Prælati ſuperiores, & alij locorũ Ordinarij, quàm Inquiſitores hæreticæ prauitatis, vbiq; gentium deputati, diligentius inquirant, & procedant; atque in eos ſeuerius canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.* Et ratione etiã probatur. Quia affirmare, quod actiones humanę pendent à ſtellis, eſt grauis error in fide: nam tollit liberum arbitrium, & ſubdit voluntates noſtras ex neceſſitate influxibus cœleſtibus; & conſequenter vitia omnia, & peccata, non homini, ſed Cœlo, eiuſque auctori erunt tribuenda; quod eſt hęreticum, dicere. Ità docent Suarez *to.1. de relig. c.11.n.17.& ſeq.* Peyrinus *to.* 2. *in conſtit.9.Pauli V.§.2.n.23.* Sanchez *lib.2.in decal. c.38. n.92.* Diana *to.5.tr.12.reſ. 17.ex par.4.tr.7. reſ.17.* Carena *par.2. tit.12.§.12.n.89.* & alij.

Quid ſtatuit Sixtus V. contra Aſtrologos, & alios diuinatores, aut libros de Aſtrologia, & ſimilibus materijs legentes, vel retinentes?

19 RESp. quod ſubiecit eos Sacro Tribunali Inquiſitionis, & grauibus pœnis puniendos eſſe, vt patet ex ſequentibus verbis ipſius Summi Pontificis Bullę, quę incipit *Cœli, & Terræ Creator.*

Nos igitur, qui pro noſtro Paſtoralis officij munere, fidei integritatem inuiolatam, conſeruare debemus, et animarum ſaluti proſpicere, quantum diuina gratia adiutrice poſſumus, ex paternæ charitatis viſceribus optamus, damnantes, & reprobantes omne genus diuinationum, quæ Diabolo auctore ad fidelium deceptionem à prædictis curioſis, vel perditis hominibus fieri ſolent. Cupientes præterea illam ſanctam chriſtianæ religionis ſimplicitatẽ, præſertim vbi agitur de ſumma Creatoris Dei poteſtate, ſapientia, & prouidentia, ab omni erroris labe, integram, atque in-

incorruptam, vt par eſt, retineri: Volentes quoque prædictæ falſæ credulitati, ac huiuſmodi illicitarum diuinationum, & ſuperſtitionum deteſtabili ſtudio, & execrãdis flagitijs, atque impuritatibus occurrere, vt de chriſtiano populo meritò dici poſſit, quod de antiquo Dei populo ſcriptũ eſt; Non eſt Augurium in Iacob, neq; diuinatio in Iſrael. Hac perpetuò valitura conſtitutione, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, & mandamus, vt tam contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcumq; dictæ Iudiciariæ Aſtrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam in poſterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſq; caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmare audent, etiam ſi id ſe nõ certò affirmare aſſerant, & proteſtentur, quàm contrà alios vtriuſq; ſexus, qui ſupradictas dãnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas diuinandi artes, ſiue ſcientiã exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt, quiuè huiuſmodi illicitas diuinationes, ſortilegiã, ſuperſtitiones, veneficia, incantationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera, & delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt, cuiuſcumq; dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, tam Epiſcopi, & Prælati ſuperiores, ac alij ordinarij locorum, quàm Inquiſitorès hæreticæ prauitatis vbiq; gentium deputati, etiamſi in pleriſque ex his caſibus anteà non procedebant, aut procedere nõ valebant, diligentiùs inquirant, & procedant, atque in eos ſeuerius canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant, &c.

Prohibentes omnes, & ſingulos libros, opera, & tractatus huiuſmodi iudiciariæ Aſtrologiæ, & Geomantiæ, Hydromantiæ, *Pyromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Negromantiæ, Artis Magicæ, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, & ſuperſtitiones continentur, aut vt ſupra in memorato indice interdictos ſub cenſuris, et pœnis in eo contentis à quibuſcumq; Chriſti fidelibus legi, aut quomodolibet retineri; ſed illos Epiſcopis, & Ordinarijs locorum, vel Inquiſitoribus prædictis præſentari, & conſignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate ſtatuimus, & mãdamus, vt contra ſcienter legẽtes, aut retinentes libros, & ſcripta huiuſmodi, ſeu in quibus talia continentur; ſimiliter ijdẽ Inquiſitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coercere poſſint, &c.*

Comprehenduntur ne in dicta Bulla tantùm Aſtrologiam pluries exercentes, vel etiam qui ſemel diuinauit alicui futura contingentia, vel ſuam natiuitatem?

20 Reſp. quod quamuis verba illa Bullæ: *Iudiciariæ aſtrologiæ artem exercẽtes* videantur ſignificare eos, qui per iteratos actus Aſtrologiæ artẽ exercent. Nam in iure illi dicuntur aliquid exercere, qui frequenter illud agunt, non autem qui ſemel, aut bis. Sicut non dicitur artifex, vel mercator, qui ſemel, aut iterum artem, vel mercaturam exercet; ſed qui toties, vt vulgi opinione pro artifice, vel mercatore habeatur: ità docent in caſu ſimili Panormitanus *in c. 1. n. 24. de iudic.* Floronus *de caſibus reſeruatis par. 2. caſ. 2. n. 1. & ſequ.* Genuenſis *in praxi Archiepiſcop. c. 18. n. 15.* Henriquez *in ſum. lib. 14. c. 5. n. 1. in gloſſa,* Diana *to. 1. tr. 5. reſ. 61. ex par. 2. tr. 17. miſc. 3. reſ. 65.* Nauarrus *c. 27. n. 250,* & alij. Tamen in caſu noſtro etiam qui ſemel Aſtrologiæ artem futura contingentia prædixerit, vel ſuperſtitionis actum exercuerit, ſubditur Inquiſitorum iuriſdictioni, & pœnis in eadem Bulla contenctis. Nam ibi non ſolum nominantur *Exercentes,* ſed etiã *Faciẽtes;* dicitur enim: *In poſterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum:* & infra. *Quiue huiuſmodi illicitas diuinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, &c. faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt.* Ex quibus verbis clarè colligitur Bullam comprehendere

re non ſolum *Exercentes*,ſed etiam *Facientes*, *& quomodolibet intromittentes*; facit autem, et ſe intromittit quicumq; ſemel aliquid agit. Ergo etiam qui ſemel tales diuinationes facit, in dictas pœnas incurrit; & ità etiam ſuſtinet Bordonus *tõ*.1.*c*.21.*q*.6.*n*.8.

Per illa verba: *Se quomodolibet intromittunt*, quinam comprehenduntur?

21 Reſp. comprehendi, conſulentes, mandantes,conſentientes, auxiliantes,docentes,addiſcentes,inſtruentes, & quomodolibet cooperantes, in huiuſmodi illicitas diuinationes, ſortilegia,ſuperſtitiones, veneficia, incantationes,& ſimilia. Hi omnes comprehēduntur in dicta Bulla, & ſubijciuntur Sacro Inquiſitionis Tribunali,& ſupradictis pœnis, vt etiam notat Bordonus *loc.cit. n.9.*

Hæ Bullæ obligant ne tantùm in foro externo, & iudiciali, an etiam in foro conſcientiæ?

22 Reſp. nonnullos Doctores opinari, dictam Bullam, & motum proprium Sixti V. procedere tantùm in foro externo; quia Summus Pontifex vtitur illis verbis, *Inquirant*, *Poſtulent*, *& in eos ſeuerius canonicis pœnis animaduertant*. Ex quibus verbis colligũt, quod etſi in dictis prædictionibus Aſtrologi expreſsè dicant;ſe non affirmare id tanquam certum,nihilominus, nõ ſunt excuſandi, ſed puniendi canonicis pœnis. Ergo hæc Bulla obligat tantùm in foro externo, non autem interno; dum leges pœnales ſunt potius reſtringendæ,quàm ampliandæ. Ità videntur docere Valentia vbi ſup. *diſp*. 6. *q*. 12. *pun*.3.*col*.3.*verſ*.*Si autem*, Martinus del Rio *lib*. 4. *c*.2. *q*.3. *verſ*. *Secundo quoad ipſam*, Naldus *in ſumm.verb.Aſtrologus n*.4. Thómas del Bene *loc.cit.n*.7.

23 Sed tutius, ac probabilius docent Suarez *lib*.2.*de ſuperſt.c*.11. *n*.30. Sanchez *lib*.2.*in decal.c*.38.*n*.34.Farinacius *de hæret.q*.181.§.1.*n*.59. Salas *p*.2.*q*.9. *ar*.5.*tr*.5. *diſp*.2.*ſect*.3. *n*.36. Peyrinus *to*.2.*in conſtit*.9. *Pauli V*. §.2. *n*.24. Supradictum motum proprium Sixti V. obligare in foro externo, & interno, etiamſi Aſtrologi aſſerant,ſe quod prędicunt non affirmare certò, quia Summus Pontifex vſus fuit verbis præceptiuis;nempè *Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, & mandamus*, vocat huiuſmodi diuinationes *Deteſtanda ſcelera*, *& delicta*, declarat *inuentas fuiſſe à Diabolo ad infidelium deceptionem*, *& ad Reipublicæ perniciem*, *& eſſe multis ſuperſtitionis periculis expoſitas*. Ergò illas prohibet nedum ſub pœnis fori externi, ſed etiam ſub pœna peccati mortalis.

24 Neq; obſtat dicere,vt aliqui Doctores affirmant, & refert Thomas del Bene *par*.2.*de offic. Inquiſit. dub*.222. *ſeſſ*. 2. *n*. 7. Hanc Conſtitutionem Sixti V. vel non eſſe in vſu receptam; vel ob conſuetudinem in contrarium eſſe abrogatam. Quia Vrbanus VIII. eandem Conſtitutionem perpetuò approbauit, confirmauit,& innouauit in ſua Bulla, *Inſcrutabilis*, edita ann. 1631. §. 2. his verbis. *Motu proprio*, *& ex certa ſcientia*, *ac matura deliberatione noſtra*, *deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine*, *Conſtitutionẽ per præfatum Sixtum prædeceſſorem deſuper*,*vt præfertur editam*, *Apoſtolica auctoritate*, *tenore præſentiũ perpetuò approbamus*, *confirmamus*, *& innouamus*.

Quare Aſtrologi,& alij diuinatores nõ excusãtur à peccato, & à dictis pœnis, etiam quando proteſtantur *Se non affirmare certò*, *quod prænunciant*?

25 Reſp. quia his verbis malitiosè vtuntur ad occultandam eorum ſuperſtitioſam diuinationem. Solent enim abſolutis verbis futura in particulari prædicere. E. g. talem futurum eſſe Prælatũ,Ducẽ,&c. vel occulta expreſsè reuelare; & poſtea ſubdere *ſe id*

non

non affirmare certò.. Quibus verbis ſi daretur locus, nullus conuinci poſſet ſe eſſe ſuperſtitioſum diuinatorem, nec ſupradictæ Bullæ transgreſſorem: quia ipſi nunquam dicerēt; hoc vel illud infallibiliter, & certè euenturum, ad occultandam eorum malitiam. Et ideò in eorum prædictione etiam cū tali proteſtatione, non deeſt grauis culpa, nec excuſantur à pœnis; vt notant Suarez, Sanchez, Salas, Peyrinus, & Farinacius locis citatis.

Vltra prohibitiones contentas in dicta Bulla Sixti V. quid amplius prohibuit Vrbanus VIII. & ſub quibus pœnis?

26 RESp. prohibuiſſe Vrbanū VIII. in Bulla, quæ incipit *Inſcrutabilis*, edita 1631. prædictiones de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ac de vita, & morte Romani Pontificis, & eius conſanguineorum vſq; ad tertium gradum incluſiuè ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, ac vltimi ſupplicij, & confiſcationis omnium bonorum. Vt patet ex ſequentibus verbis ipſius *Bullæ* §. 3.

Et inſuper omnibus, & quibuſcumque laicis cuiuſcumque ſexus, & conditionis, ſtatus, gradus, qualitatis, & dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis exiſtentibus; qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſiue de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, eiuſque vſque ad tertium gradum incluſiuè conſanguineorum; Mathematicos, Ariolos, Aroſpices, Vaticinatoreſue nūcupatos, vel alios Aſtrologiam iudiciariam exercentes, ſeu alias quomodolibet profitentes, de cætero conſuluerint, ſiue deſuper eorum iudicia, prognoſtica, prædictiones, ſeu præcognitiones, etiam ſibi oblatas receperint, illiuſue quomodolibet vſi fuerint, vel illas penès ſe ſcienter retinuerint, aut alicui oſtenderint, necnon iiſdem Mathematicis, Ariolis, Aroſpicibus, Vaticinatoribus, ſiue alijs Aſtrologiam iudiciariam, ſeu quamlibet artem diuinatoriam, quomodolibet profitentibus, qui iudicia, prognoſtica, ſeu præcognitiones, & prædictiones ſuper præmiſſis, etiamſi id non certò ſe affirmare, proteſtentur, fecerint, ſiue à ſe, vel ab alio iam facta, ſeu factas in poſterū penès ſe ſimiliter retinuerint, vel alicui dederint, ſeu oſtenderint, aut de eis quouis modo, etiam improbando, ſcripto, vel verbis tractauerint, nedum excommunicationis maioris latæ ſententiæ, ſed etiam vti læſæ Maieſtatis reis, vltimi ſupplicij, ac confiſcationis omniū bonorum ſuorum, etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac deuolutionis quarumcumque Ciuitatum, Caſtrorum, & locorum iuriſdictionalium, & feudalium.

§. 4. *Clericis quoque, & Presbyteris, alijſque perſonis Eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quàm cuiuſuis ordinis, Congregationis, ſocietatis, ſeu inſtituti, vel militiarum quarumcumque, etiam hoſpitalis Sancti Ioannis Ieroſolymitani, alijſque quomodolibet exemptis, ac Nobis, & Apoſtolicę Sedis immediatè ſubiectis; Regularibus vtriuſque ſexus, vltra prædictas, etiam priuationes beneficiorum, & dignitatum, ac Officiorum Eccleſiaſticorum, etiam Monaſteriorum, Prioratuum, & Præceptoriarum, ac aliorum quorumcumque, & inhabilitatis perpetuæ ad illa in poſterum obtinenda; Ita quod perſonæ Eccleſiaſticæ præuia illarū degradatione, curiæ ſeculari tradantur puniendæ. In Epiſcopali Archiepiſcopali, Metropolitana, Primatiali, aut quacūque alia, etiam Superiori Eccleſiaſtica; vel mundana quantumuis ſublimi excellenti, & ſpeciali nota digna, etiam ſuprema conſtitutis dignitate, eaſdem excommunicationis, ac priuationis etiam regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, & dignitatum, quantumuis ampliſſimarum, Patriarchali maiorum, ac officiorum ſuorum, & inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrendas, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, infligimus, & impartimus, &c.*

Quænam actiones in dicta Bulla prohi-

hibėtur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, confiſcationis bonorum omnium, & vltimi ſupplicij?

27 RESp. prohiberi ex parte quærentium de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel de vita, aut morte Summi Pontificis, aut eius conſanguineorum, vſque ad tertium gradum incluſiuè: Primo conſulentes fieri huiuſmodi diuinationes. Secundo illas petentes; Tertio illas recipientes, vel retinentes; & Quarto illas ad alios oſtendentes. Ex parte autem Aſtrologi, ſeu diuinatoris prohibetur. Primo conſtructio, ſeu compoſitio ipſius prognoſtici; Secundo illius retenſio; Tertio illius alteri datio; Quarto illius oſtenſio. Quinto de eadem prædictione tractatio, ſiue verbo, ſiue ſcripto, etiam per modū improbationis, ac etiam ſi Aſtrologus, ſeu diuinator proteſtetur, ſe non certò affirmare quod prædicit; vt patet ex verbis ipſius Bullæ. Quoad ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ prohibetur prædictio reuolutionis, deſtructionis, deceptionis, vel Sedis Apoſtolicæ mutationis, vel incurſionis inimicorum contra illam, vel depreſſionis, vel belli, vel futuri conſilij. Et quoad vitam, & mortem Romani Pōtificis, prohibetur prędictio omnium ſpectantium ad ipſius perſonam, præſcindendo à ratione Pōtificatus; alias quilibet excuſari poſſet; ſe diuinaſſe de perſona, vt talis perſona priuata; non vt Pontifex, quod eſſet Bullam negligere.

Huiuſmodi prohibitio reſtringitur ne ad Summum Pontificem, actu viuentem, vel extenditur etiam ad futurum Sede vacante?

28 RESp. non extendi ad futurum Pōtificem, quia Bulla ſolum loquitur de Pontifice pro tempore viuente: in ea enim dicitur §. 1. *Qui de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, eiuſque vſq; ad tertium gradum incluſiuè conſanguineorum*. Hæc autem prohibitio cum ſit pœnalis, non eſt extendenda pluſquam verba ſonāt. Et ità ſuſtinet etiam Bordonus *to.* 1. *c.* 21. *n.* 11.

Includuntur ne in dicta prohibitione, & ſub dictis pœnis non ſolum omnes Eccleſiaſtici, ſed Magni Principes, & Duces, ac mulieres?

29 RESp. Affirmatiuè patet ex illis verbis §. 1. *Inſuper omnibus, & quibuſcunque laicis cuiuſcunque ſexus, conditionis, ſtatus, gradus, qualitatis, & dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis exiſtentibus, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſiue de vita, & morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, eiuſque vſque ad tertium gradum conſanguineorum, &c.* Ergo omnes indiſtinctę hę perſonæ ſi fecerint vnam ex dictis expreſſis actionibus, incurrunt pœnas excommunicationis, confiſcationis bonorum, & vltimi ſupplicij. Quia hoc non eſt leue, ſed grauiſſimum delictum: cùm huiuſmodi prædictiones afferre poſſint damnū notabiliſſimum Reipublicæ Chriſtianæ.

Ad quos Iudices ſpectat punire huius Bullæ tranſgreſſores?

30 RESp. hos Iudices eſſe expreſſos in eadem Bullæ §. 3. his verbis. *Cognitionem autem cauſarum huiuſmodi, quoad perſonas Eccleſiaſticas, tam ſeculares, quàm regulares in Vrbe noſtra, & illius diſtrictu, ad dilectos filios, Noſtrum eius Vicarium in ſpiritualibus Generalem, nec non eiuſdem Vrbis Gubernatorem, ac cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Auditorem Generalem, & eorum quemlibet in ſolidum. Extra verò Vrbem, & diſtrictum prædictum in Prouincijs nobis ex Apoſtolicæ Sedis ſubiectis, ad S. R. E. Cardinales in eiſdem Prouincijs de Latere Legatos, & Prolega-*

tos, ac Præſides in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos, pro tempore exiſtentes. In alijs verò omnibus, & ſingulis Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, oppidis, caſtris, & locis, tam ſub noſtra, & dictæ Sedis, quàm cuiuſuis alterius Principis iuriſdictione cōprehenſis, priuatiuè quoad omnes etiam Superiores Religioſorum, ipſiſq; Superioribus penitus excluſis, ad Ordinarios locorum. Vbilibet verò locorum etiam ad hæreticæ prauitatis Inquiſitores ſpectare volumus.

Secluſis perſonis expreſſis in dicta Bulla Vrbani VIII. poſsunt ne Aſtrologi alijs prędicere aliqua futura conie&turalitèr?

31 RESp. Affirmatiuè: quia prohibitio, & pœnæ ſupradictæ Bullæ nō extenduntur ad prędictiones aliarum perſonarum. Pœnæ enim non ſunt ampliādæ. Et ideò quātùm ad alias prædictiones coniecturales, ſtandum eſt, etiam poſt dictam Bullam, prout de iure cōmuni, & ſtatuitur in Bulla Sixti V. vt notat Thomas del Bene *loc. cit. ſect.* 2. *n.* 10.

Poteſt ne Aſtrologus abſq; ſuperſtitionis peccato prædicere ſano, ei imminere periculum infirmitatis, & mortis tali tempore ex aſtris?

32 RESp. Affirmatiuè: quia ex puncto natiuitatis poteſt Aſtrologus cōiectare, hominem ſortitum eſſe ex aſtris tale temperamentum, cui adueniente directione oppoſita, poterit ipſe prædicere tali tempore ei imminere periculum infirmitatis, & mortis. Per aſtrologiam enim agnoſci poteſt tempus illius directionis, & conſequēter etiam tempus, in quo erit pertimeſcendam infirmitatem, & mortem. Sed non poteſt Aſtrologus prædicere infirmitatem, & mortem, ex aliquo accidenti oriundam, vt ex crapula, vel inordinatè viuendo, quia hoc non pendet ex aſtris, ſed ex voluntate ipſius hominis. Similitèr pręnunciare non poteſt diem, vltra quem quis viuere non poſſit, quia vita hominis non pendet à ſolis aſtris, ſed ex alijs cauſis, & accidentibus. Et etiamſi dies illa agnoſci poſſit per aſtrologiam, tamen nullo modo certò prædici poteſt, quia aſtrologia, vt in nobis eſt, incertiſſima eſt; & incertiſſimis innititur fundamentis, vt ſupra probatum eſt. Et ità etiam docent Sanchez *lib. 2. in decal. c.* 38. *n.* 33. Arriaga *in curſu philoſophico de Cœlo diſp. vnica ſect. 6. n. 66. & ſequ.* Carena *par. 2. tit.* 12. §. 12. *n.* 76. *& ſequ.* & alij.

Qui dicunt ſe videre in terræ viſceribus venas aquarum, & metallorū, theſauros abſconditos cadauera ibi abdita, & apoſthemata, vel alia humorum genera intra humanū corpus latentia. Sunt ne vt ſuperſtitioſi damnandi?

33 RESp. Cælium Rhodiginum *lib.* 16. *antiq. lect. c.* 2. & Varrum *lib.* 2. *de faſcinio c.* 4. opinari, poſſe naturaliter ſupradicta agnoſci: quia ex humore malinconico, & ex quadam vehemētia conſurgentium ſpirituū, homines hanc virtutē habere poſſe dicūt. Sed omninò dicēdū huiuſmodi homines, vel imaginari ſe videre, quę re vera nō vident, vel à dæmone illuſos eſſe. Nam quamuis venę aquarum agnoſci poſſint ex terræ vaporibus, ibi expirantibus, & metalla abſcondita, ex quadam herba ibi naſci ſolita, vt affirmant Martinus del Rio *lib. 1. diſquiſ. magic. c. 3. q. 4. lit. C. & in commentarijs ad Medeam verſ.* 231. Sanchez *lib. 2. in decal. c. 38. n.* 37. Thomas del Bene *de Off. Inquiſi. dub.* 222. *ſect. 4. n.* 1. impoſſibile tamen eſt, illos videre reliqua, quæ ſe videre aſſerunt, niſi dæmone illos docente, & illa manifeſtante. Impoſſibile enim eſt, aciem viſus, corpus denſum, & opacum penetrare naturaliter. Præterea hi uim hanc certis diebus, nēpè feria tertia, & ſexta, dicunt habere; quod uanæ ſuperſtitionis, & cum dæmone latentis pacti manifeſtum eſt indicium, & ideò dicendū

reos

reos eſſe culpę mortalis.Ità dicti Doctores.

Si quis à Dæmone didiciſſet verã Philoſophiam, poſſet abſq; peccato vti tali ſcientia. Quare ergo non poteſt quis vti etiam Aſtrologiæ ſcientia à Dæmone accepta?

34 RESp. Quia ſi quis didiciſſet ope dęmonis veram philoſophiam, cum illam acquiſiuiſſet, iam non penderet in illius doctrina ex teſtimonio dæmonis, ſed ex principijs certis ipſiuſmet philoſophię. Et ideò tunc licitum eſſet, indè diſcere naturalem veritatem; quia iam tunc nullum eſſet amplius cum dęmone commercium. Non eſt autem ſic in Aſtrologia; quia credulitas prædictionis rei futuræ ſemper nititur in dæmonis auctoritate; qui hominibus perſuaſit, talia aſtra eſſe ſigna talium effectuum futurorum, & vera ſignificare. Inſuper falsò ſupponitur in tali prædictione, veritatem inueniri; et qui hoc ſupponit, iam dęmoni fidem adhibet, & cum illo pactum init. Nec refert, quod interdum eueniant, quæ ſic prædicuntur, quia vt ſupra dictum eſt cum D. Auguſtino *de diuinat. dæmon. c.* 5. & alijs hoc vel eſt rarum, & caſuale, vel ab ipſo dęmone procuratũ, ad homines decipiendos. Vndè fit, vt per talem artem quaſi obligentur dæmones, ad procurãdum, vt eueniant ea, quę per aſtra iuxtà ſuas inſtitutiones prædicuntur; Et conſequenter, vt homines, illis vtendo, tacitè implorent eorum auxilium ad hoc, vt eueniant ea, quę prędixerunt. Ità docet Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. c.* 15. *n.* 22.

Aſtrologi, & cæteri diuinatores, tenentur ne reſtituere pretium receptum pro eorum diuinatione, vel poſſunt illud iuſtè ſibi retinere?

35 RESp. ſi prædixerunt, quæ licitè prædicere poſſunt, nempè Eclypſes, pluuias, ſerenitatem, ſiccitatem, & ſimiles effectus naturales: Vel in puerorum natiuitatibus, temperamentum corporis, & naturales inclinationes, ad quæ ipſorum ſcientia ſe extendit: non tenẽtur ad reſtitutionẽ pretij accepti: etiãſi poſtea eorum prædictio nõ verificetur, nec ſequatur effectus ille prænũciatus. Quia bona fide, & ſecundùm ſcientiam ſuæ artis prædixerunt. Sicut non tenẽtur Medici reſtituere ſtipendium curationis infirmi, ſi ſecundùm regulas medicinę illum curarunt; etiamſi poſtea ille moriatur. Nec tenetur Aduocatus, vel Procurator mercedem reſtituere, eò quod lis deperdatur, dum per ipſos non ſtetit.

36 Si verò pręnunciant, quæ ex libera hominum voluntate pendent, vel futura contingentia, vt certa, vel prętenta, aut preſentia occulta, quę naturaliter agnoſci nequeũt, ſed arte dęmonis pręnunciantur. Tunc vel adhibuerunt diligentiam, vt ope dęmonis id ſcirent; vel non. Si primo modo neq; tenentur ad reſtitutionem; quia illa eorum operatio, & diligẽtia, quamuis illicita, & peccaminoſa, eſt pretio æſtimabilis, etiam ſi poſtea effectus non ſequatur, dum per ipſos non ſtetit, quin ſequutus ſit. Nec militat, quod ſit opus illicitum: nam acceptum pro fornicatione, vel adulterio, vel homicidio, etiam eſt pro opere illicito; & nihilominus non eſt reſtitutioni obnoxium. Ità docent Sanchez *in decal. c.* 38. *n.* 94. *& ſequ.* Bonacina *to.* 2. *tr. de reſtit. diſp.* 1. *q.* 3. *pun.* 3. *n.* 10. Layman. *lib.* 4. *tr.* 10. *c.* 4. *n.* 8. Thomas del Bene *de offic. Inquiſ. par.* 2. *dub.* 128. *ſect.* 4. & alij.

37 Si autem ſecundo modo, & Aſtrologus, vel diuinator ignarus huius artis diabolicę, nũllam adhibuit operam, ad ſciẽdum id, quod diuinauit, & ob illud pecuniam recepit; tenetur ad reſtitutionem, etiamſi effectus pręnunciatus ſequutus ſit. Quia per accidens eius prędictio verificatur; & ipſe decepit tradentem ſibi pecuniam; & conſequẽter peccauit contra iuſtitiam, pecuniam illam accipiendo. Et ideò non ſolum te-

netur illam reſtituere, verùm etiam alias expenſas, & damna, quę alter lęſus ſpe illius diuinationis paſſus eſt. Quia ipſe Aſtrologus, & diuinator cenſetur cauſa iniuſta huiuſmodi expenſarum, & damnorum. Ità ſupradicti Doctores, & Petrus Nauarra *lib.* 2. *par.* 1. *n.*117.

In hoc caſu cui facienda eſt reſtitutio?

38 Reſp. Medinam *de reſtit. q.*3. *ar.*3. *concluſ.*3. Gratianum *c. Qui habetis* 14. *q.*5. & alios, quos citat Vaſquez *de reſtit. c.*7. *dub.*9. *n.*77. ſuſtinere, hanc reſtitutionem pauperibus eſſe faciendam. Quia eſt turpe lucrum, & tradens illud, fecit quantùm in ſe erat, vt rem ſuam à ſe abdicaret, & illam in dominium accipientis tranſtulit. Ergo non tradenti, ſed pauperibus eſt reſtituēda. Sed Sanchez *loc. cit. n.*96. Bonacina *ibidem n.*13. Petrus Nauarra *lib.*4. *c.*2. *n.* 146. Vaſquez *loc. cit.* Sotus *de iuſt. q.*7. *ar.* 1. *ad* 2. Reginaldus *lib.* 10. *n.* 170. Thomas del Bene *de off. Inquiſ. par.*2. *dub.* 128. *ſect.*4. *n.*4. & alij docent: reſtitutionem eſſe faciendam ipſi tradenti pecuniam. Quia accepta ob turpem cauſam illi reſtituenda ſunt, à quo fuerunt recepta, quando lex reddit accipientem inhabilem, ad acquirendum dominium; vt eſt in caſu prædicto. Quia tùnc qui tradit, non transfert rei dominium in accipientem. Ergo qui illam accepit, tenetur ſibi tradenti reſtituere; cùm res proprio Domino reſtituenda ſit, niſi aliter in pœnam ipſius à lege determinetur.

CAPVT XII.

De diuinatione per ſomnia.

Quid eſt ſomnium, & quot ſunt genera ſomniorum?

1 Reſp. quòd ſomnium definitur ab Ariſtotele *in lib. de ſomnijs*, vt notat Suarez *to.*1. *de relig. lib.*2. *de ſuperſtit. c.*13. *n.*1. eſſe imaginariam viſionem, ſeu apprehenſionem, quæ fit in ſenſu interiori, quando ſenſus exteriores à ſomno ſopiti ſunt. Genera autem ſomniorum ſunt quinque, ſcilicet Oraculum, viſio, ſomnium, inſomnium, & phantaſma. Ità docēt D. Aguſtinus *lib. de ſpiritu, & anima c.* 35. Menochius *lib.*1. *de ſomno Scipionis*, Leſſius *lib.* 2. *c.* 43. *dub.*8. *n.*56. *in fin.* Azorius *par.*1. *lib.* 9. *c.*17. *verſ. Porro ſomniorū genus*, Torreblanca *lib.*8. *ſpirit. iur. c.*6. *n.*3. Leāder *to.*6. *tr.*9. §.4. *q.*55. & alij.

2 Oraculum eſt, quando Deus per Angelum, vel per Sanctum aliquem, in ſomnis alicui denunciat, quod futurū, vel non futurum, aut quod faciendum, vel non faciendum ſit. Tale fuit ſomnium Abimelech; *Geneſ.* 20. quando *Venit Deus ad Abimelech per ſomnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tuliſti: habet enim virum.* Tale etiam ſomnium Iacob. *Geneſ.* 28. quando *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens Cœlum; Angelos quoq; Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ, dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Abraham patris tui, & Deus Iſaac: terram, in qua dormis tibi dabo et ſemini tuo, & benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ Tribus terræ.* Tale etiā fuit ſomnium Samuelis 1. *Reg. c.*3. quādo *Dormiuit in loco ſuo, & venit Dominus, & vocauit Samuel, Samuel: Et dixit Dominus ad Samuelem, &c.* Similiter tale fuit ſomnium Ioſeph Mariæ Virginis Sponſi; quando *Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam cōiugem tuam, &c.* Et quando *apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Et quando *apparuit in ſomnis in Aegypto dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem eius, & vade in terram Iſrael, Matth. c.*1. *&* 2. Et ſimiliter etiā Magi, quando *Reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Hæc enim apparitiones, ſeu denuncia-

tio-

tiones à Deo in ſomnis ordinatæ, Oracula dicuntur, in quibus ſumma veritas continetur, omninò exequenda, vt per ſe patet.

3 Viſio dicitur illud ſomnium, in quo quis dormiendo id quod videt, eodem modo poſtea euenit. Huiuſmodi fuerũt ſomnia Ioſeph *Geneſ.c.37. Audite ſomnium meum: putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, veſtroſq; manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* Et illud aliud ſomnium: *Vidi quaſi Solem, & Lunam, & Stellas vndecim adorare me.* Quæ ſomnia indicabant; patrem, & matrem, ac fratres, ipſum eſſe veneraturos, tempore ſuæ exaltationis in Aegypto. Itidem fuit ſomnium Iacob, *Geneſ.42. Audiuit enim per viſionem noctis vocantem ſe;* Iacob, Iacob; *cui reſpondit, ecce adſum: Ait illi Deus: Noli timere, deſcende in Aegyptum; quia in gentem magnam faciam te ibi.* Simile etiam fuit ſomnium Gedeonis Iudic.c.7. *Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere, &c.* Viſiones, hæc ſomnia dicuntur, quia ſicut quæ videntur, clarè agnoſcuntur, ità quæ ſomniantur clarè oſtendunt, & abſq; interpretatione indicant, quæ euenienda ſunt.

4 Somnium dicitur illud, quod non clarè indicat aliquid futurum, ſed ſub abſconditis figuris; & non notis enigmatibus, nec intelligi poteſt abſq; interpretatione. Quale fuit ſõniũ Nabuchodonoſor illius magnæ ſtatuæ, cuius *Caput erat ex auro optimo, pectus, et brachia ex argẽto, venter, & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea quædam autem fictilis, &c. Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius, & contrita eſt, & redacta in fauillam, &c.* Daniel. 2. Cuius ſomnij euentus, niſi Daniel interpretatus fuiſſet, intelligi non poſſet. Similia fuerunt ſomnia Pincernæ, & Piſtoris Regis Aegypti *Geneſ.* 40. & Pharaonis *Geneſ.* 41. quæ id quod indicabant, nullo modo agnoſcebatur, niſi Ioſeph interpretatus fuiſſet. Qui interpretationem iſtam perentibus, reſpondit: *Nunquid non eſt Dei interpretatio?* Quaſi diceret quomodo poteratis interpretationem ab hominibus agnoſcere, cùm illa pertineat ad Deum? Addit tamen Abulenſis ibi, quod *Non tollitur ex hoc quin aliqua ſomnia interpretationem recipiant ab hominibus, quoniam aliqua ſunt ſomnia, quæ naturalem cauſam habent, & ſunt homini cognita.* Et *quæſt.2.in dicto c.40. Geneſ.* notat. *Conſiderandum eſſe, quod illa ſomnia interpretari licet, quæ habent aliquam cauſam, ad quam habeant neceſſariam, vel quaſi neceſſariam connexionem naturalem, vel voluntariam potentem, res ad eſſe, vel non eſſe neceſſitare, quæ connexio aliquo modo poſſit eſſe nobis nota. Si autem aliqua ſomnia ſint, quæ ſic non habeant, nec interpretari, nec aſſentiri res licet.*

5 Inſomnium dicitur, quando quis dormiens, quæ vigilans cogitauerat, vel operatus erat, ſibi repræſentantur; iuxtà illud Eccleſ. c. 5. *Multas curas ſequuntur ſomnia.* Et D. Auguſtinus ait *lib. de ſpiritu, & anima c.25. Secundum namq; ſtudium, quæ quiſq; exercuit, ſomniat, & ſolitarum artium ſimulacra in præſentia mentis impreſſa, apparent in somnis.* Quod probat Abulenſis *in expoſit.* 40. *Genes.* exemplo Pincernæ, & Piſtoris Regis Aegypti. Quilibet enim ſomniabat ſecundum officium ſuum, ſcil. Pincerna circa vinum, & Piſtor circa panem. Sic enim euenire ſolet mentibus occupatis, vt circa ea, quæ in die tractauerint, nocturna cogitatione laborent. Verum quando ſomnia proueniunt ex prȩuijs curis, vel cogitationibus, nihil de futuris ſignificant; ſed ſolum inſinuant ſuam cauſam; vt notat Leſſius *lib2. c.43. dub. 8. n. 56.* & hæc propriè vocantur Inſomnia.

6 Quintum genus ſomniorum vocatur phantaſma, quod eſt, vt aiunt D. Auguſtinus *loc. cit.* Macrobius *lib.1. de somno Scipionis*, quando quis dormiens, ſe vigilare exiſtimat, & aſpicere videtur, vel irruentes ad ſe, vel paſſim vagantes, vel for-

formas diſcrepantes, & varias, vel res lætas, aut turbulentas, & ſimilia. Quod aliud non eſt, niſi quædam fumoſitas à ſtomaco, vel à corde aſcendens ad cerebrum, & ibi vim animalem comprimens. Hijs ergo ſomnijs credere, & diuinare, ſuperſtitioſum eſſe perſpicuum eſt: Expreſsè enim hoc à Deo prohibetur *Leuit.25. Non auguramini, neque obſeruabitis ſomnia*: & *Eccleſ. 34. Vana ſpes, & mendacium viro inſenſato; & ſomnia extollunt imprudentes. Multos enim errare fecerunt ſomnia.*

Ex quibus cauſis ſomnia prouenire ſolent?

7 RESp. ex quinque cauſis, & Primo, vt ſupra dictum eſt, ex Dei prouidentia, Secundo ex dæmonum procuratione, Tertio ex conſtitutione Celi, vel aeris, Quarto ex diſpoſitione corporis humani, Quinto ex preuijs cogitationibus. Ità D. Thomas 2.2. *q. 95. ar. 6.* Leſſius *lib. 2. c. 43. dub. 8. n. 1.* Caſtro Palaus *par. 3. tr. 17. de ſuperſtit. diſp. 1. pun. 5. n. 1.* Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 13. n. 4.* & alij communiter.

Quare Dei oracula potius in ſomnis, quàm in vigilia reuelantur?

8 RESp. quia anima in vigilia reperitur curis humanis diſtracta, & circa exteriora occupata, & conſequẽter oraculis, & reuelationibus diuinis eſt minus apta. Econtra verò in ſomni quiete, vires ſuas collectas habens, & ab exterioribus curis minimè diſtracta, eſt ſibi tota præſens; & ideò aptior, ad viſiones, & loquutiones Dei capiendas. Et hac ratione Deus *in lib. Numer. c. 12.* dixit: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, aut per ſomnium loquar ad eum*; & Iob. 33. ait: *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, ingerit diſciplina.* Cuius rei D. Thomas rationem reddit ibi dicens. In ſomnis aliquando Deus ventura oſtendit; quia debilitatis exterioribus ſenſibus per ſoporem in homine in lectulo quieſcẽte datur diuinitus facultas quædam percipiendi diuinam inſtructionem; cò quod eius anima circa exteriora non occupatur. Vnde ſubdit textus: *Tunc aperit aures virorum erudiens eos*: Ità D. Thomas. Et ità etiam docent D. Bonauentura *in 2. diſt. 25. q. vlt.* Torreblanca *lib. 15. c. 6. n. 70.* Lupus *in edict. S. Inquiſ. par. 3. lib. 17. diſt. 3. ar. 2. diffic. 3.* Leander *to. 6. tr. 3. diſp. 2. q. 60.* & alij.

Qui ſine prudenti iudicio facilè credit ſomnium eſſe à Deo, vel temerè dat illi creditũ, excuſatur ne à peccato mortali?

9 RESp. Negatiuè, quia exponit ſe euidenti periculo dæmoniacæ deceptionis, & quantum eſt ex ſe vult illud credere etiamſi ſomnium ſit à dæmone, nec vult diſcernere inter sõnium diuinum, & demoniacum. Et maius peccatum erit, ſi iam alias expertus ſit in caſu ſimili ſe fuiſſe deceptum, & tale ſomnium falſum inueniſſe. Hoc enim eſt maximum ſignum illuſionis demonis. Vt notat cum D. Thoma 2.2. *q. 172. ar. 5. ad 3.* Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 13. n. 25.* Caietanus *in ſum. verb. Somniorum obſeruatio*, Nauarrus *c. 11. n. 33.*

Quomodo diſcerni poteſt, an ſomniũ ſit à Deo, vel à Dæmone?

10 RESp. certum eſſe, quod ſi ſomniũ ad aliquam nequitiam, vel imprudentiam moueat, vel cauſet quandam animi tepiditatem ad opera bona, vel tedium ſpiritualium rerum, ſignum eſt, eſſe à dæmone; Si verò ad aliquod bonum, vel ratiohabile inclinat, aut impellat, poteſt ſomniator, nõ temerè ſuſpicari, eſſe à Deo. Ità Martinus del Rio *lib. 4. diſquiſ. magic. c. 3. q. 6. concluſ. 5.* Suarez *loc. cit. n. 6.* Sãchez *lib.*

lib.2.in decal.c.38.n. 52. Valentia 2. 2. *diſp.6.q.* 12.*pun.* 3. & alij. Sed quia ſæpè dæmon transfigurat ſe in Angelum lucis; & ſub ſpecie bonitatis, & veritatis,ſuadet malitiam, & falſitatem: nè quis decipiatur, prudentem Confeſſarium conſulere debet, & iuxtà illius conſilium, & determinationem,credere, & iudicare, vt docent dicti Doctores, & Fagundez *in decal.lib.*1.*c.*31. *n.* 16.Leſſius *lib.*2.*c.*43.*dub.*8.*n.*52.In dubio autem an ſomnium ſit à Deo,vel à dæmone, tutius eſt credere non eſſe à Deo,ſed à dæmone,quia Deus ſomnium immittens, ſolet hominem certũ reddere, ab ipſo eſſe immiſſum, iuxtà illud Eccleſiaſtici *c.* 34. *Niſi ab Altiſſimo fuerit immiſſa viſitatio, ne des in ſomnijs cor tuum*; ità docent Suarez *nu.* 22.Valentia,& Sanchez *loc.cit.* Fillincius *to.*2.*tr.*24.*c.*5.*n.*124.*in fine.*

Eſt ne licitum futurorum, & occultorum cognitionem deſiderare, vel petere à Deo,per ſomnia?

11 RESp. Negatiuè, quia huiuſmodi petitio, vel deſiderium pertinet ad tentationẽ Dei,& ad ſuperbã curioſitatẽ ſciendi futura, & occulta, & ex tali immoderato affectu homo ſe exponit morali periculo,vt dæmon ſe ingerat, & transfiguret in Angelum lucis ad illius rei reuelationem, vt illum in ſuam ſocietatem inducat, & decipiat. Ità docent Suarez *n.* 19.Sanchez *n.*26.*loc.cit.*Martinus del Rio *lib.*2.*diſquiſ.magic. q.*26.*ſect.*7.

Somnia poſſunt ne cauſare effectus, quos repreſentant?

12 RESp.Negatiuè,niſi adiunctis alijs ſuperſtitionibus; quia ſomnium præter ſpeciem, & memoriam ſui, quã relinquit,non poteſt in homine aliquẽ effectum habere, qui ex illo ſit poſtea neceſſariò euenturus. Sed ſolum mediante illius apprehenſione, ſeu recordatione, quæ fit in vigilia, poteſt eſſe occaſio, vel ratio, operandi aliquid, quod ab homine nõ ex neceſſitate,ſed liberè fit,vt per ſe conſtat. Ità docent D. Thomas 2.2.*q.*95.*art.*6.Suarez *loc. cit. n.*2.

Eſt ne licitum obſeruare ſomnia,quatenus indicant morbos, vel humores corporis prædominantes?

13 RESp. Affirmatiuè, quia ſomnia habent naturalem virtutem, ad iſta indicanda; & Medici rectè ſomnia infirmorum obſeruant; vt notant Nauarrus *in ſum.c.*11.*n.* 33. Azorius *par.* 1.*lib.*9.*c.*17. *columm.* 2.*verſ. Eſt igitur*, Leſſius *lib.*2.*c.*43. *dub.*8. *nu.* 55. *&* 56. Suarez *to.*1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. c.*13.*n.*6.Sanchez *lib.*2.*in decal.c.* 38.*n.* 49. Quia ſi quis incendia in ſomno videat probabiliter coniectari poteſt,humorem bilioſum in eo prędominare: ſi videat gladiatores, & homines vulneratos,ſignum eſt abundantiæ ſanguinis in corpore: ſi videat res fumoſas, tenebras, mortuos,funeralia, & his ſimilia, ſignum eſt terrei humoris,& malanconiæ: si niuem, glaciem,& pluuiam, ſignum eſt pituitæ:si videat ſe, vel alios volare per aerem,ſignum eſt lenis, & temperatę complexionis:si montes aureos, aut ſe inuenire ſacculum auro plenum, ſignum eſt deſiderij habendi, & maximæ auaritię, aut egeſtatis.Item ſi corpus abundat ſanguine, ſomnia contingent læta: ſi bili flaua, ſomnia erunt pugnæ, rixæ, lites, & ſimilium: ſi abundat phlegma, erunt ſomnia fontium,fluminum, imbrium,& pratorum virentium: ſi laborat ſiti,& famæ,ſe bibere, vel epulari ſomniabit. Hæc obſeruare in ſomnijs,nullum eſt peccatũ, nulla ſuperſtitio, quia ea ſignificant. Ità ſupradicti Doctores.

Eſt ne licitum inueſtigare, an ſomnia proueniant ex conſtellatione Cæli, vel aeris impreſſione, ac etiam ex præteritis cogitationibus?

14 RESp. Affirmatiuè,quia Cæli cõſtellationes, & aeris impreſſiones,

nes,commouent in corporibus hominũ humores,& phantaſmata, vndè oriuntur ſomnia. Quæ etiam oriri ſolent ex præteritis negotijs,& frequentibus cogitationibus; de illis enim rebus frequenter ſomniamus,de quibus frequẽter tractamus, vt ſupra probatum eſt, cum D. Auguſtino *lib. de ſpiritu,& anima c.* 25. & alijs, & latè proſequitur Gregorius Nyſſenus *lib. de hominis opificio c.* 13. & Gregorius Papa *lib.* 4. *dial. c.* 48. Sed ex huiuſmodi ſomnijs nihil de futuro certò coniectari poteſt, quia ſolum ſuas cauſas præteritas indicant, vt patet.

Eſt ne licitum,obſeruare, ex qua cauſa ſomnia proueniant, & ex illis coniectare futura?

15 RESp. Affirmatiuè aliquando,nempè quando verè probabile eſt, ſomnium eſſe à Deo immiſſum, tunc certum eſt, licere ex illo prænunciare futura. Quia Deus ſæpè ſomnia immittit, vt ſuam manifeſtet voluntatem, & quid à nobis faciẽdum ſit. Ità fuit ſomnium Ioſeph Patriarchæ,quando in viſione manipulorum, & ſtellarum ſignificauit Deus,illũ eſſe futurum ſuperiorẽ parentibus, & fratribus eius; *Geneſ.* 37. Ità etiam fuerunt ſomnia Ioſeph, Beatiſſimæ Virginis Sponſi,de ipſa Virgine non deſerenda,de fuga in Aegyptum, & de reditu de Aegypto. *Matth.* 2. Et tale fuit ſomnium Magorum *Ne redirent ad Herodem* inuento Ieſu. Similiter licitum eſt obſeruare ſomnia, quæ nobis prauam aliquam affectionem indicant,& quæ nos infeſtant, terrent,conturbant, vt ab illa moleſtia aliquo modo liberare poſſimus. Conſtat ex Caſſiano *collat.* 22. vbi refert: veteres illos Monachos, & rerum ſpiritualium magiſtros,in inquirendis ſomniorum cauſis diligenter fuiſſe verſatos. Ita Sanchez *lib.* 1. *in decal. c.* 38. *n.* 50. Delrius *lib.* 4. *diſquiſ. magic. cap.* 3. *q.* 6. *concluſ.* 3. Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. c.* 13. *n.* 6.

16 Futurum verò euentum ex ſomnijs nunquam licitum eſt,coniectare, quando ſomnia non ſunt à Deo, quia cum ſomnia per ſe ipſa non producant effectus illos futuros,ſiue contingentes, ſiue liberos, nequit ex illis aliquid certum,aut probabile conijci. Vt enim ex ſomnijs aliquid probabile conijciatur, opus eſt, vt illorum cauſæ cognoſcantur, quæ tamen ſunt cognitu difficillimæ,cùm nullum ſomnium ab vna cauſa ità certò oriatur, quòd ab alijs etiã cauſis proficiſci nõ poſſit. Deinde quia ſomnia ex ſui natura non poſſunt, niſi ex directione Dei, aliquid futurum ſignificare,& quando probabile eſt, non eſſe à Deo; qui ex illis vult certò, aut probabilitèr arguere aliquid futurum, ſe ſubijcit dæmoni, cui tacitè tribuit eã cognitionem. Et ideò hæc diuinatio eſt ſuperſtitioſa, & peccatum mortale,& à Deo prohibita *Leuit.* 21. *Non augurabimini,neq; obſeruabitis ſomnia.* Et Eccl. 34. *Multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.*

Qui propter ſomnia timet aliquod malum,ſibi futurum, vel ſperat aliquod bonum, & ad vitandum illud malum,vel ad conſequendum illud bonum,aliqua operatur, committit ne peccatum?

17 RESp. quod talis ſomniator ſi non omninò certè credit illud ſibi malum,vel bonum futurum,ſed tantùm ex ſomnio concepit aliquem timorem futuri mali, vel aliquã ſpem futuri boni,& ideò operatur aliquid,quod non eſt contra Dei,vel Eccleſiæ præcepta, ad vitandum malum, vel ad obtinendũ bonum illud; quamuis oſtendat quandam animi leuitatem, vel ſimplicitatẽ, vel ineptiam, non tamen operatur ex malitia,nec contra aliquod preceptum; quia non credit, ſomnium eſſe verum, ſed pauet,ne verificetur;nõ peccat mortalitèr, ſed tantùm venialiter. Ità docẽt Caietanus *in ſumma verb. Somniorum obſeruatio*, Nauarrus *c.* 11. *n.* 33. Suarez *loc. cit.* Fagundez *lib.* 1. *c.* 31. *in decal. nu.* 13. Leſſius *lib.* 2. *c.* 43. *dub.* 8. *n.* 52. Quia ex ſomnijs concipere ſolum coniecturam

ram de futuris contingentibus nõ excedit ſuſpicionis limites,& conſequenter neq; peccatum veniale. Secus verò ſi quis eſſet,itá ſomniorum obſeruator, vt ordinariè per illa dirigeret ſuas actiones, non excuſaretur à ſuperſtitione,& à peccato mortali.Vndè peccaret mortaliter,qui per ſomnia certò crederet,ſe non eſſe in duello interfecturum, vel vxorem ducturũ, vel quod theſaurum inueniet, vel officium,aut dignitatem obtinebit:vel omitteret facere aliquid ad ſalutem animę neceſſarium,vel operaretur aliquid eiuſdem ſaluti contrarium; quia ex ſomnijs nulla haberi poteſt notitia futurorum contingentium.

Si alicui euenirent, quæ ſibi in ſomnijs repræſentantur, poſſet ne abſq;peccato, fidem ſomnijs præſtare?

18 Reſp. Negatiuè, quia vel caſu aliquando, quod in ſomnio repræſentatur euenit;vel ſæpè dæmon procurat, vt ſic eueniat; vt facilius poſſit hominem decipere. Et *Deuteron. cap.* 13. Deus præcipit: *Si ſurrexerit in medio tui,qui ſomnium vidiſſe dicat, & prædixerit ſignum,atq; portentum,& euenerit, quod loquutus eſt; non audies verba ſomniatoris illius.* Et ità cum D.Auguſtino *lib.*2. *de doctr.chriſtia.cap.*20. docet D. Thomas 2.2.*q.*96.*ar.*3.*ad* 2. D. Antoninus 2.*par.tit.*12.*c.*1. §.11. Suarez *to.* 1.*de relig.lib.*2.*de ſuperſt.c.*9. *n.*17. Caſtro Palaus *par.* 3. *de ſuperſtit. diſp.* 1. *pun.* 6.

Eſt ne ſuperſtitio, & mortale peccatũ, ad captandum ſomnium, & per illud futura cognoſcere, aliquod ſecretum adhibere?

19 Reſp. Affirmatiuè, quia hoc eſt inuocare dæmonem his medijs cùm iſta nullam habeãt virtutem naturalẽ, ad captandum ſomnium, & ad futura per ipſum agnoſcenda, & dum illam non habent à Deo, ſequitur, quod illã habeant à dæmone,qui illis medijs excitat humores in corpore dormientis, ad ſic ſomniandum. Et olim Ethnici, præmiſſo ieiunio, ſuper pellibus animalium dormire,ſolebant; vt reſponsũ in ſomnis ab eorum Dijs acciperent. Vndè Virgilius *Aeneid.* 7. ait: *Pellibus incubuit ſtratis,ſomnioſq;petiuit.*Ideò ſuperſtitioſum eſt,ad captandum ſomniũ, ſubijcere puluinaribus aliquod ſecretum, vel certo ſitu, & modo in lecto ſe componere, vel ponere ſubtus lectum aliqua inſtrumenta, quæ nullam habẽt virtutem naturalem, ad ſomnium captandum, ut eos quietè, & pacatè dormire faciat; ibi enim quaſi expreſſum pactum cum dęmone cernitur,cui facilè eſt, qualia vult ſomnia immittere. Ità Sanchez *lib.* 2.*in decal.cap.*38. *n.*53. Fagundez *lib.*1. *in decal. cap.* 31. *n.*14. & 15.

Quando in ſomnijs videtur vſus rationis liber,& expeditus, poteſt ne ſõniator tunc mereri, vel demereri?

20 Reſp. Negatiuè, quia ad merendũ, vel demerendum requiritur perfectus rationis vſus, & perfecta hominis libertas, ita ut ſit ipſe homo, qui agat, & non aliundè agatur, & ipſe ſit ſuarum actionum dominus, & in eius poteſtate ſit agere hoc, vel illud,hoc, vel illo modo, & agere, & non agere: quod in ſomnijs minimè contigit.Ideò quamuis experientia compertum ſit, aliquem in ſomnijs rationis vſum liberũ habere, & res cognoſcere,atq;eas inuicem componere,vel diſiungere, ratiocinari, iudicare, mirari,noua quædã inuenire,ad ſuas actiones reflectere, illas conſiderare;ita vt neſciat, dijudicare,dormiat, an vigilet. Is tamen neque tunc meretur,neque demeretur: quia talis vſus rationis non eſt perfectus, nec plenè liber. Ità docent Sanchez *lib.*2.*in decal.c.*38. *n.*55. Pereida *lib.* 1. *in Danielem q.* 6. & *lib.* 2. *de magia quæſt.*9.

CAPVT XIII.

De diuinatione per Augurium, & per omen.

Quid eſt Augurium?

1 Reſp. quod eſt diuinatio futuri euentus per auium, piſciũ, aliorumque animalium motum, vocem, cantum, & volatum. Hoc diuinandi genus erat antiquitus, teſte Cicerone *lib. 1. de diuinatione* apud Cilices, Pamphilios, Piſydas, Lycios, & Phryges, poſtea viguit apud Hetroceos, Vmbros, & Romanos. Et multa exempla de eorum Augurijs refert Valerius *lib. 1. c. 4. 5. & 6.* & inter cætera, quod Platoni in cunis paruulo dormienti, cùm examen apum conſediſſet in labijs, augurarunt, fore illum ſuauitate ſingulari dicendi, prædituum; quod etiam ſcripſerunt Cicero *lib. 2. de diuinat.* Plinius *lib. 11. c.* 17. Item Midæ Phrygio, cùm puer eſſet, dormienti, formicæ in eius ora tritici grana congregauerunt, et eum ditiſſimum futurum, augures prædixerũt: et ſimiliter referũt Cicero, & Valerius *loc. cit.* quòd Aquila capiti alicuius inſidens, ſecundum augures, ſignificabat eum regnaturũ. Galli gallinacij in oppido ſi ita canant, vt nihil intermittant, dicebant augures ſignificare, illius oppidi exercitum cum hoſte pugnãtem victorem futurum; eò quòd auis illa, victa, ſileat, cõtra verò ſi vincat. Et ex his exemplis multa ſcripſerunt dicti Doctores.

Diuinare futura per auguria eſt ne illicitum, & ſuperſtitioſum?

2 Reſp. cum D. Thoma *2. 2. q. 95. ar. 7.* quod omnis diuinatio per augurium, ſi extendatur vltra illud, ad quod poteſt pertingere ſecũdum ordinem naturæ, vel diuinæ prouidentiæ eſt ſuperſtitioſa, & illicita. Præcepit namque Deus Deuter. 18. *Non inueniatur in te, qui obſeruat auguria*; & Leuit. 19. *Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia*. Vnde in laudem filiorum Iſrael dicitur Numer. 23. *Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael.* Quia vt ait Eccleſiaſticus *c. 34. Diuinatio erroris, & auguria mendacia, vanitas eſt.* Diuinator enim ſi per auguria aliquid certum, circa humanos actus conijciatur, ſine dubio dæmonis diſcipulus eſt. Ideò D. Auguſtinus *ſerm. 241. de tempore,* admonet omnes: *Nolite auguria obſeruare, nec aliquas auiculas cantantes attendite, nec ex illarum cantu diabolicas diuinationes annũciare præſumite.*

Si licitum non eſt per auguria diuinare, quare Ioſeph Patriarcha fratribus ſuis dixi: *An ignoratis, quod nõ ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia*? Geneſ. 44.

3 Reſp. quod Ioſeph nunquam arte, ſeu ſcientia augurandi vſus fuit: quia eſt intrinſecè mala, & ſuperſtitioſa, & à Deo prohibita; & quando alterius ſomnia interpretabatur, id ſpiritu diuino faciebat, vt ipſemet dixit. *Geneſ. 40. Nunquid Dei non eſt interpretatio?* & *Geneſ. 41. Abſque me Deus reſpõdebit proſpera Pharaoni.* Sed verba illa: *Nõ ſit ſimilis mei in augurandi ſciẽtia*: vel dixit ioco, aut quia vulgi opinione augur æſtimabatur, vt ſentiũt D. Auguſtinus *quæſt. 145. in geneſ.* & D. Thomas *2. 2. q. 95. ar. 7. ad* 1. & ſenſus fuit: An ignoratis, quod nullus reputatur, & æſtimatur mei ſimiſis, in augurandi ſcientia. Vel in dictis verbis Ioſeph vſus fuit quadam amphibologia, quia verbum augurandi idem ſignificat, ac verbum diuinandi, vtrumque enim præcognitionem futurorum occultorum indicat, vt ex Cicerone Plinio, & Ariſtotele oſtendit Pererius *cap. 44. Geneſ. diſp. 2.* Dixit ergo: *Non eſt mei ſimilis in ſcientia augurãdi*, ideſt diuinandi: quia nullus erat in terra Ægypti, in ſcientia diuinandi ſicut Ioſeph, nam cæteri Augures inquirebãt re-

reſpōſa à dæmonibus: ipſe verò occulta ſciebat per Dei reuelationem. Et quamuis audientes poſſent, ſenſum augurandi, concipere; tamen ipſe hoc non intendebat, & poterat ſuo iure vti, ambiguè, & amphibologicè loquendo; et velle dicere: alij Augures fallaces ſunt, quia ope dæmonis occulta diuinant: diuinationes autem meæ fallaces eſſe, non poſſunt; quia diuino auxilio, & reuelatione futura prędico, & occulta detego. Ità etiam docent Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 10. n. 12.* Caſtro Palaus *par. 3. de ſuperſtit. diſput. 1. par. 7. n. 3.* Fagundez *lib. 1. in decal. c. 39. n. 10.* Azorius *par. 1. lib. 9. cap. 15. verſ. Sed notandum in fine.* & alij.

Augurium per auium, piſcium, aliorumque animalium motus, volatus, voces, & cantus, eſt ne ſemper ſuperſtitioſum, vel aliquando licitum?

4 RESP. quod non eſt ſemper ſuperſtitioſum, ſed aliquando eſt licitum; quia dictorum animalium voces, garritus, volatus, & motus, ſæpè ſunt ſigna naturalia pluuiæ, tempeſtatis, vēti, & ſerenitatis; & hæc ex illis prænunciare, licet. Nam animalia, cum nullum habeant dominium liberum ſuarum actionum mouentur inſtinctu naturali, & eorum anima, cùm ſit tantum ſenſitiua, ſubiacet impreſſionibus corporum cæleſtium. Ideò aliquæ eorum operationes, diligenter obſeruatæ, poſſunt eſſe ſigna naturalia pluuiæ, tempeſtatis, & his ſimilium, & conſequenter illa eſſe futura, augurare ex dictis eorum ſignis, non eſt ſuperſtitioſum, ſed licitum; quia re vera illorum ſigna ſunt; vt docent D. Thomas 2. 2. *q. 95. art. 7.* Caietanus *ibi* Sanchez *in decal. lib. 2. c. 38. n. 38.* Leſſius *lib. 2. c. 43. dub. 7. n. 49* Fagundez *vbi ſup.* & alij.

Ex his auium, & animalium vocibus, & ſignis, poſſunt ne coniectari aliqua proſpera, vel aduerſa hominibus eſſe futura?

5 RESP. poſſe coniectari ex morbis, & peſte animalium, eadem mala futura hominibus, quia vna eademque cęleſtis cauſa, ſeu conſtellatio influit animalibus, & hominibus; An verò ob hanc eandem rationem cōiectari poſſint futuræ rixę, diſcordię, & bella; Caietanus *loc. cit.* Valentia 2. 2. *diſp. 6. q. 12. pun. 3.* Sanchez, & Fagundez *vbi ſup.* Filliucius *to. 2. tr. 24. c. 5. n. 128.* Affirmant, quia conſtellationes, quę imprimūt animalibus quaſdam diſpoſitiones cholericas, ex quibus procedunt illorum triſtes voces, mugitus, & motus, inclinant etiam homines ad rixas, diſcordias, & bella. Verum hi Doctores, & alij omnes affirmant, hanc coniecturam eſſe tenuiſſimam; & parū probabilem, quia effectus belli, & diſcordiæ non procedunt neceſſariò ab eadem cum animalibus communi cauſa; ſed à libera hominum voluntate. Ideoque ſi aliquis, ex his animalium ſignis certò aliquid prædiceret, circa actus humanos, eius prædictio eſſet ſuperſtitioſa, & peccatum mortale, niſi maxima ſit ignorantia, & ruditas perſonę diuinantis; vt docent Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 10. n. 6.* Valentia, & Sanchez *n. 41. loc. cit.* Fagundez *in 1. decal. præc. c. 39. n. 9.*

Excuſatur ne à peccato mortali, qui obſeruando auguria, non habet in illis fidem certam, ſed ex illis quēdam timorem concipit?

6 RESP. Affirmatiuè; quia dum in illis augurijs fides certa non habetur, deficit ratio perfectæ ſuperſtitionis, & conſequenter non interuenit mortale peccatum. Ità Caietanus 2. 2. *q. 95. ar. 6. & q. 96. ar. 3.* Nauarrus *c. 11. n. 37.* Leſſius *lib. 2. cap. 43. dub. 8. n. 53.* Martinus del Rio *c. 7. q. 7. ſect. 4.* Suarez *ibid. loc. cit.*

Quid eſt diuinatio per Omen, & an ſit ſuperſtitioſa?

 7 Reſp.

7 RESp. quòd eſt prænunciatio futuri euentus proſperi, vel aduerſi, per hominum motum, vel verba, præter intentionem prolata. Hæc autem diuinatio eſt ſuperſtitioſa, ſiue coniectetur, ex hominis motu, ſiue verbis, aut vocibus. E.g. ſi aliquis ſummo manè domo egreſſus pedem in limine offenderit, vel ſi in pariete caput dederit, vel cum primum domum exierit ſternutauerit, vel Æthiopem, aut pauperem miſerabilem, obuiam ei fuerit, vel mortuum viderit, vel aliquid ſimile; putat nihil proſperum eo die euenturum: vana, & ſuperſtitioſa eſt hęc diuinatio. Similiter qui certos hebdomadę dies eſſe ſibi fauſtos, alios verò infauſtos; aduerſum ſibi putat diem martis, vel veneris, è contra felicem, & proſperum diem iouis, & lunæ, & nihil quod ſit alicuius momenti aggreditur, niſi certis quibuſdam diebus; Hæc, & his ſimilia ſuperſtitioſa, & vana ſunt, & damnantur in *cap. Illud 26. q. 2.* Idem eſt ex vocibus, ſeu verbis hominũ inaduertẽter prolatis, aliquid futurum diuinare; vt fieri ſolent mulierculæ, adueniente die feſti S. Ioannis Baptiſtæ, quæ ſurgentes è lecto, feneſtras occupare ſolent; & primam vocem tranſeũtis hominis, attentis auribus expectant; & ſi lætũ aliquod verbum audierint, læta omnia eo anno, ſibi futura præſagiunt. Aliæ fauſtas, vel infauſtas nuptias futuras coniectant, ex prima voce aliqua humana audita: vel futuri mariti nomen diuinant; nam ſi prima vox, quæ audiunt, Petrus fuerit E. g. virum ſibi futurum, Petri nomine, certò credunt: idemque de cæteris nominibus credere ſolẽt. Quę omnia ſuperſtitioſa, & vana ſunt, quia eò ipſo, quod fortuitò accidunt, non poteſt ex illis, probabili fundamento aliquid colligi; neque hominũ voces ex ſyderum motibus, aut ex cæli conſtellationibus, ſed ex eorum voluntate, & beneplacito procedunt. Ideò huiuſmodi, & ſimiles diuinationes in dicto *cap. 26. q. 2.* damnantur, vt docent D. Thomas 2. 2. *q. 95. ar.* 7. Sanchez *in decal. lib. 2. c. 38. n. 43.* Fagundez *in decal. lib. 1. c. 39. n. 8.* Azorius *par. 1. lib. 9. c. 22.* Filliucius *to. 2. tr. 24. c. 5. n.* 132. & alij.

Hę ſuperſtitioſę diuinationes per omina quodnam peccatum ſunt?

8 RESp. Caietanum *in ſumm. verb. Superſtitio n.* 8. Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 10. n. 6.* & alios docere eſſe veniale peccatum, quia ex quadam ſimplicitate, vel ignorantia; & abſque malitia, aut pacto, neque expreſſo, neque tacito cum dæmone huiuſmodi ſuperſtitiones fiunt; Quod verum eſt, non ſolum de dictis mulierculis; ſed de his etiam, qui ex vano quodam timore concepto de futuro effectu ominato, ceſſant ab actione, quam inchoauerant: ſecluſo tamen ſcandalo, alijſque circumſtantijs. At ſi quis definitè crederet futurum euentum triſtẽ, quem præſagit, ſolum propter vanam obſeruantiam illius audientis, non excuſaretur à mortali peccato, niſi eſſet aliquis valde ignarus, & rudis; vt docet Suarez.

Si diuinationes per omina ſunt illicitę, ſuperſtitioſę, & à Deo prohibitę, quare in Sacra Scriptura tanquam licitæ approbatæ ſunt diuinationes per omina Eliezer ſerui Abrahæ, *Geneſ.* 24. Gedeonis *Iudic.* 7. Ionathæ 1. *Reg.* 14. & Dauid 1. *Reg.* 20?

9 RESp. ad huiuſmodi diuinationes ſingulas. Et 1. ad illam Eliezer ſerui Abrahæ, quod quando ipſe dixit *Geneſ.* 24. *Puella cui dixero; inclina hydriam tuam, vt bibam, et illa reſponderit: Bibe domine, quin et camelis tuis potum tribuam, ipſa eſt mulier, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac; & per hoc intelligam, quod feceris miſericordiam, cũ Domino meo:* hæc verba protulit non augurando, ſed ex magna fiducia Deũ deprecando, ſperans peculiare patrociniũ Spiritus Sancti, ad eligendam Spõſam futurã Iſaac: Orauit enim ad Domi-

minum dicens: *Domine Deus domini mei; Abraham occurre, obſecro, mihi hodie,& fac miſericordiam cum domino meo Abraham*, & poſtea ſubdit. *Puella, cui dixero, &c.* Deus exaudiuit orationem eius: Nam Rebecca ei potum aquę petenti, reſpondit *Bibe Domine mi,& Camelis tuis hauriam aquam,donec cuncti bibant*. Hoc ſignum futuræ ſponſę Iſaac petijt Eliezer à Deo;quia licitum eſt à Deo petere cognitionem futuri euentus per aliquod ſignum; vt probat D.Thomas 2.2.*q*.95. *art*.3. qui *in reſponſ. ad* 3. notat *Eliezer attendit verba puellæ,oratione præmiſſa ad Deũ.* Et idem etiam affirmant Suarez *to.* 1. *de relig.lib.*2.*de ſuperſtit.c.*10.*n.* 9. Valentia 2. 2. *diſput. 6. q.*12.*pun.3. col.*4. Azorius *par.*1.*lib.9.c.*12.*in fin.*Fagundez *lib.*1.*in decal.c.*39.*n.*8.& alij. Et abſque temeritate potuit hoc ſignum futurę ſponſę Iſaac, à Deo Eliezer petere.Quia,vt obſeruant D.Auguſtinus *lib.*1.*quæſt.in Geneſ. q.* 63. Chryſoſtomus *hom.*48.*in Gen.* Abulẽſis *in expoſ. cap.*24.*Gen.* cõiecturam quęrebat probabilem,candoris, & probitatis animę illius Virginis:Et vt ait Chryſoſtomus; *Quia ſciuit Patriarchæ hoſpitalitatem, Virginem inde ducendam congruebat ijſdem moribus præditam*:Et ideò Eliezer omen,nec vanum, nec ſuperſtitioſũ fuit,ſed licitum, & iuſtum.

10 Similiter Gedeon vſus fuit omine, *Iudic.* 7. *Cumque audiſſet Gedeon ſomnium, & interpretationem eius, Adorauit; & ait: Surgite: Tradidit enim Dominus in manus noſtras caſtra Madiam*. Coniectauit ex illo alterius hominis ſomnio ſuam victoriam contra Madianitas; quia cum eſſet iuſtus, & Sanctus,vt teſtatur D.Paulus *ad Hæbr.* 11.intellexit,ſomnium illud immiſſum fuiſſe à Deo ad ſui inſtructionem, vt affirmant D.Thomas *loc.cit.* Abulenſis ibi,& cæteri expoſitores. Nam Deus ſeruis ſuis, per ſomnia reuelat veritates futuras,iuxta illud *Num.* 12.*Si fuerit inter vos propheta, in viſione apparebo ei,& per ſomnium loquar ad illum.* Ergo rectè potuit Gedeon ex illo omine ſuam victoriam coniectare.

11 Ionathas etiã vſus fuit omine,& quęſiuit ſignũ ſuæ victoriæ contra Philiſthæos,& dixit ad armigerum ſuum: *Si dixerint, Aſcendite ad nos; aſcendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus noſtris: hoc erit nobis ſignum, &c.* Hoc ipſe petijt à Deo,vt ei daret certitudinẽ,an vellet, vt inuaderet Philiſthæos, vel non. Ait enim Abulenſis *in cap.*14. *lib.*1.*Reg.q.*5.*in reſp.ad* 2. Ionathas nõ adhibuit fidem aliquam iſtis verbis, quaſi illa ex ſe haberent aliquam vim futura monſtrandi: ſed à Deo inſpiratus, accepit iſta quaſi ſigna diuinæ voluntatis; & non adhibuit illis fidem, quia talia verba erant, ſed quia à Deo data erant in ſignum. Hoc autem non eſt augurium,nec aliqua ſpecies ſuperſtitionis, dum Ionathas à Deo inſpiratus, & præmiſſa oratione poſuit ſibi illud ſignum. Et Deus approbauit intẽtionem, & actum eius, victoriam illi præbendo,etiã miraculoſo ſigno.Quod etiam notauit Suarez *to.* 1.*de relig. lib.* 2.*de ſuperſtit. c.*10.*n.*10.

12 Signũ autem, quod dedit Dauid Ionathæ ad agnoſcendam ſententiam Saul contra vitam ſuam 1.*Reg.*20.non fuit omen,nec augurium,ſed probabilis, & prudens coniectura. Quia vt ait etiam Abulenſis ibi *q.* 13. ex vultu, & verbis alicuius coniectari licet affectũ odij,& praui eius animi. Tale autẽ fuit ſignũ datũ à Dauid Ionathæ. Ex dictis igitur ſcripturis argui non poteſt licitas eſſe diuinationes effectuum contingentium futurorum per omen, ſeu per hominum voces verba, & motus, ſed ſemper eſſe ſuperſtitioſas, & vanas, niſi cognitio euentus futuri expectetur à Deo,vt ſupradicti Doctores,& alij cõmuniter, docent.

CAPVT XIV.

De diuinatione per Phyſiognomiam,vel Chyromantiam,vel Metroſcopiam, vel Spatulantiam, vel Pedomantiam, vel Onychomantiam.

Quæ-

Quænam diuinatio per hæc nomina ſignificatur?

1 RESp. quod per Phyſiognomiam ſignificatur diuinatio per humani corporis membra, & eorum habitudinem, & proportionem; nempè per faciem, frontem, caput, naſum, oculos, ſupercilia, aures, pectus, &c. Chyromãtia eſt, qua quis certis quibuſdam lineis, in manibus hominis inſpectis, ſtatus vitæ cõditionem, & futuros euentus prænunciat. Metroſcopia eſt, qua quis notatis frontis lineamentis, & ſignis, hominis futuros caſus prædicit. Spatulantia eſt, qua quis ex ſignis ſpatulæ, ſeu dorſi, euentus hominis diuinat. Pedomantia eſt; qua quis pedum ſigna obſeruat, & futura hominis prædicit. Et Onychomantia eſt, qua quis ex vnguiũ figura, & eorum ſignis aliqua futura, vel occulta vaticinatur. Ità Azorius *par.* 1. *lib.* 9. *c.* 16. Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. c.* 9. *n.* 5. & communitèr alij Doctores.

Quidnam per omnes, & ſingulas huiuſmodi inſpectiones, licitè prænunciari, ſeu coniectari poteſt?

2 RESp. coniectari, & prænunciari poſſe naturalem propenſionem corporis, eiuſq; diſpoſitionem, temperamentum, bonam, aut malam valetudinem, animi affectus, acutum, vel tardum ingenium, & ſimilia, quæ non excedunt ordinem naturæ. Hæc enim poſſunt probabiliter per coniecturam, nõ autem certò ex dictis ſignis agnoſci: quia huiuſmodi diuinatio non ſe extẽdit vltra illud, ad quod pertingere poteſt naturalis ordo. Ità docent Sanchez *in decal. lib.* 2. *c.* 38. *n.* 44. Fagundez *in decal. lib.* 1. *c.* 39. *n.* 3. Leſſius *lib.* 2. *c.* 43. *n.* 48. Martinus del Rio *lib.* 4. *cap.* 3. *q.* 4. Thomas del Bene *de offic. inquiſ. par.* 2. *dub.* 223. *ſect.* 2. *n.* 1. & alij.

Quidnam diuinare ex dictis inſpectionibus eſt illicitum, & mortale peccatum?

3 RESp. eſſe illicitum, & mortale peccatum, certò, vel probabiliter prædicere futuros euentus hominis proſperos, vel aduerſos contingentes, vel pendentes ex libera hominis voluntate. E.g. An quis religioſus, vel vxoratus futurus ſit, & ſi vxoratus, an filios habebit, & an maſculos, vel fœminas, & eorum numerum, & qualitatem; an vxor illius ſit ei fidem coniugalem ſeruatura; an amicos fideles, vel inimicos ſit habiturus; an in caſibus fortuitis ſit feliciter, vel infeliciter euaſurus; an ſit conſecuturus honores, dignitates, diuitias, & alia bona fortunæ, & ſimilia. Quia cùm nihil iſtorum ex habitu, & diſpoſitione corporis pẽdeãt; ſed vel ex libero hominis arbitrio, vel ex gratia, aut flagello Dei: Ideò certò, vel probabiliter huiuſmodi res diuinare ex dictis inſpectionibus, eſt ſuperſtitioſa diuinatio, & peccatum mortale; ſicut ſupra dictum eſt de Aſtrologia, & alijs diuinationibus. Verùm talia prænunciare coniecturaliter tãtùm, & cum dubio, & formidine, attenta hominis propenſione, & naturali inclinatione, non erit mortale peccatum; Ità docent ibidem Sanchez *n.* 21. & 46. Fagũdez *n.* 3. 4. & 5. Delrius *q.* 4. Thomas del Bene *n.* 2. & 3. & alij.

Si per Chyromantiam licitum non eſt omnia diuinare: Quare *in cap.* 37. *Iob* dicitur de Deo: *Qui in manu omnium ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua*?

4 RESp. quod Chyromantici, & manus linearum obſeruatores ex his verbis probare nituntur, licitum eſſe ex ipſis manuum lineis diuinare omnia homini futura, etiam contingẽtia, & quæ ex libera pendent voluntate. Sed grauiſſimè errant; & vano, ac planè impio fundamento, ſuperſtitioſam doctrinã Spiritui Sancto attribuere, audent. Nam reſpondetur primo, quod per manus in dictis verbis non intelligitur manus materialis, ſed po-

te-

teſtas operandi, vt ſæpè in Sacra Scriptura ſumitur; iuxtà illud *pſal.* 18. *Opera manuum eius annunciat firmamentum, & pſal.* 94. *In manu Domini omnes fines terræ*: et ſic ſæpiſſimè alibi. Solet etiam manus ſignificare liberam agendi facultatem. Sic Deus ad Sathan dixit *Iob* 1. *Ecce vniuerſa, quæ habet in manu tua ſunt*: id eſt, *In tua libera poteſtate ſunt; & pſal.* 77. *Redemit eos de manu tribulantis*; id eſt, *De libera poteſtate tribulantis*. Dicitur ergo. *Qui in manu hominum ſignat; vt nouerint ſinguli opera ſua*: id eſt iuxtà Hieronymi expoſitionem: Deus poſuit in libera hominũ poteſtate ad agendum; vt vnuſquiſque attentè diſcernat, quid operandum ſibi ſit: Et vt ſinguli curam habeant ſuorũ operum, nec opportunum tempus laborandi amittant. Vel vt explicat D. Gregorius *lib.* 27. *moral. c.* 16. *Deus in manu hominum ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua: id eſt Deus in manu hominum ſignat eorum opera, quia mala, quæ agunt homines penſare contemnunt: Sed cum virtutem ſupernæ diſtrictionis audiunt, prauorum operum pondus agnoſcunt: Vt nouerint ſinguli opera ſua*, ac ſi diceret: *Vt penſent ad quæ ſupplicia ſeſe antiquæ actionis meritum trahat*. Quod etiam confirmat D. Thomas ibi dicẽs: *Hoc eſt ſignum, quod Deus poſuit in manu, id eſt in operatiua virtute omnium hominum, vt ſciant congruè diſtribuere opera ſua*. Ergò malè, & falsò ex dictis verbis arguunt Chyromantici licere ex manuum lineis, & ſignis prædicere futura, vt certa, vel probabiliter futura, ſiue proſpera, ſiue aduerſa contingentia, & quæ ex hominum libera voluntate pendent.

5 Inſuper reſpondetur ſecundo: Duplicem eſſe Chyromantiam, ſicut & Phyſiognomiam, aliam naturalem, & aliam Aſtronomicam, prior, vt ſupra dictum eſt, non eſt omninò ſuperſtitioſa, & reprobanda, ſi intra debitos limites ſe contineat, vtendo ſignis, quæ ſunt in manu, tanquam ex effectibus, ex quibus aliquo modo colligi poteſt corporis diſpoſitio, & temperamentum, cui ſolent animi inclinationes accomodari. Altera eſt omninò vana, & ſuperſtitioſa: quia nullum habet fundamentum in natura; ſed in figmentis Aſtrologiæ; vt latè oſtendit, Valles *de ſacra Philoſophia c.* 32. Martinus del Rio *lib.* 4. *diſquiſ. magic. c.* 3. *q.* 5. Qui ergo contendere vellet verba Iob. eſſe intelligenda de Chyromantia; eſſet ei reſpõdendum; eſſe illa intelligenda de Chyromantia naturali, non autem Aſtronomica, & poſſe ex manus lineis, & ſignis conicctari ea tantùm, quæ ad temperamentum corporis pertinent non ea, quæ ex futuris contingentibus, aut ex libera hominis voluntate deriuant. Hęc enim omninò prohibita eſt, vt ſuperſtitioſa, & diabolica.

Interrogare Aegyptianam de bona, vel mala fortuna per manus lineas eſt ne peccatum?

6 RESp. ſi interrogaretur Aegyptiaca, animo firmiter credendo eius dictis, vel à perſona magnæ auctoritatis, ita vt aſtantes graue ſcandalũ conciperent, vtiq; in his duobus caſibus eſſet peccatum mortale ob ſupradictas rationes. Secùs autem ſi animo ridẽdi, & iocandi, & ex vana curioſitate, vt communiter fit, tunc non excederet veniale peccatum. Ità docẽt Nauarrus *c.* 11. *n.* 31. Alcozer *in ſum. c.* 14. *fo.* 46. Ludouicus Lopez *par.* 1. *inſtruct. c.* 41. Sanchez *in decal. lib.* 2. *c.* 38. *n.* 47. Fagũdez *lib.* 1. *in decal. c.* 39. *n.* 4. & alij.

Phyſiognomici Chyromantici, & alij ſupradicti ſi certò prænuncient occulta, vel futura contingentia, vel pendentia ex hominis libera voluntate, ſunt ne S. Officio denunciandi?

7 RESp. Affirmatiuè; tum quia ſic pręcipitur in Bulla Sixti V. quæ incipit *Cæli, & Terræ Creator*. Et tum etiam quia iudicium diſcernendi circa ſuſpicionem de Religione, & fide

non

non relinquitur Confeſſario, vel alteri perſonæ, ſed ſolis Epiſcopis, & Inquiſitoribus. Ergo iudicare an dicti diuinatores habeant in dictis prænunciationibus pactum explicitum, vel implicitum cum dæmone, & an eorum diuinatio ſit ſuperſtitioſa, ad eoſdem Epiſcopos & Inquiſitores pertinet. Et conſequenter S. Officio, ob bonum Religionis, & fidei, ſunt denunciandi; vt in dicta Bulla præcipitur.

Inquiſitores S. Officij poſſunt ne procedere cõtra Aegyptianas, bonam, vel malam fortunam diuinantes?

7 RESp. Villadiégum *in politica c.* 5. §. 20. *n.* 30. Dianam *to.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 112. *ex par.* 4. *tr.* 8. *reſ.* 128. Thomas del Bene *par.* 2. *dub.* 195. *ſect.* 78. docere: poſſe Inquiſitores S. Officij contra Aegyptianas procedere, quæ bonam, vel malam fortunam diuinant. Quia dum ſine fundamẽto loquuntur ſuſpectæ redduntur. Sed Carena *par.* 2. *tit.* 12. §. 17. *n.* 162. Torreblanca *de Magia lib.* 1. *c.* 10. *n.* 2. *& ſeq.* & alij diſtingunt. Vel enim Aegyptianæ prędicunt futuros euentus contingentes, vel liberos, tanquam certos. Et vtiq; ſubduntur foro, & iudicio Inquiſitorum S. Officij: quia vtuntur Chyromãtia, vel Phyſiognomia vetita, & ſuſpecta de pacto cũ dæmone. Vel tantummodò vtuntur Chyromantia, vel Phyſiognomia naturali, circa corporis temperamentum, & naturales inclinationes: vel ob facetiã, & iocum, & quid ridiculum; & non poſſunt ab Inquiſitoribus, nec ab alio Iudice puniri. Et ſubdit etiam Carena *n.* 164. ſe nunquam vidiſſe, Inquiſitores contra Aegyptianas procedere: quia earum diuinatio eſt ſemper cum riſu, & ioci cauſa, & nullus eis fidem præſtat.

CAPVT XV.

De diuinatione per Geomãtiam, Hydromantiam, Aeromãtiam, Pyromantiam, & Artumantiam.

Quænam ſunt huiuſmodi diuinationes?

1 RESp. quod Geomantia, vt notat Ciruelo *de ſuperſtit. par.* 1. *c.* 4. eſt diuinatio, quæ fit cum certis ſignis, punctis, & figuris in terra, vel in puluere, vel in papyro, vel in quocunque alio corpore, è terrena ſubſtantia compacto. Hydromantia eſt diuinatio, quę fit per aquam; contemplatur enim in aqua illius motus, vel in vaſe aqua pleno infunditur cera, vel reſina, aut plumbum liquefactum, & ex figuris, quæ inibi fiunt, & apparent, cum prolatione certorum verborum, futura vaticinantur. Aeromantia eſt diuinatio, quæ per aerem, & ventos fit, obſeruando aeris mutationem, & ſonitum ventorum, per arbores, per angulos domorum, per ianuas, aut feneſtras; & ex his futura prædicuntur. Pyromantia eſt diuinatio per ignem; conſideratur enim in igne, an cõglobinatim flammæ emittantur, an ſint ſplendidę, an celeriter in altum aſcendãt, an ſint tenues, vel craſſæ, an in modum pyramidis euolent, an ab igne ſeparentur, & quem colorem, ac ſonitum efficiant; & ex his prænunciantur euenienda. Artumantia eſt diuinatio per oſſa mortuorum animaliũ, vel hominum; quæ in ignem iniecta obſeruatur in eis calor ignis, vel an crepitent, an ſcindantur, & ex eorum calore, ſonitu, ac modo fiſſuræ, futura arguuntur. Ità notant etiam Fagundez *lib.* 1. *in decal. c.* 39. *n.* 2. Thomas del Bene *de offic. inquiſ. par.* 2. *dub.* 221. *ſect.* 2. *n.* 27. *& ſequ.*

Huiuſmodi diuinationes ſunt ne omnes ſuperſtitioſæ, & peccatum mortale?

2 RESp. diuinationem per Geomantiam ſemper eſſe ſuperſtioſam, & grauiſſimum peccatum: quia nullo modo fieri poteſt ſine inuocatione, & pacto dęmonis expreſſo. Idcircò ſuperſtitio hæreticalis committitur ab eo, qui fa-

faciendo circulos in terra cum aliquibus ſignis, & in medio ponendo puerũ, dæmonem inuocat. Quia ſic honorem dæmoni tribuit. Nam circuli ſigna ſunt diuinitatis, vt ait Zechius *in ſumm. par. 1. tit. de fide c. 15. de ſuperſtit. c. 5.* Carena *par. 2. tit. 12.* §. 10. *n. 56.* Farinacius *de hæreſi q.* 181. *n. 7.* Similiter ſuperſtitio hæreticalis eſt, cartam cum nominibus incognitis, vt *Gibet, Gabit, Gadebrũ*, & ſimilibus, portare appenſam in collo; quia ſunt nomina dęmonum; & delatio illa ad collum, eſt ſignum reuerentię, & cuiuſdam adorationis exhibitæ dæmoni: ſicuti ſignum eſt reuerentię, & deuotionis erga Sãctos, eorum reliquias in collo geſtare. Ità Carena *n. 57. & n. 302.* Qui addit ſuperſtitioſam omninò eſſe cartulam, quam nonnulli pro doloribus viſcerum portare ſolent, in qua eſt ſcriptum nomen, *Pater*, & ſtatim *Balthaſſar. Filius*, & ſtatim *Gaſpar*, & *Spiritus Sanctus*, & illicò *Melchior*, vel nomen ſimile.

3 Diuinationes autem, quę fiunt per Hydromantiam, vel per Aeromantiam, vel per Pyromantiam, aut per Artumãtiam; quãdo certo, vel probabiliter pręnunciant futura contingentia, vel quæ pendent ex hominum voluntate, vel ſunt omninò occulta; ſunt etiam ſuperſtitioſæ, & mortales culpæ, hæreſim ſapientes; quia in his cognitionibus pactum dæmonis continetur. Scire enim iſta ſine eius inuocatione, vel pacto nõ poſſunt. Dæmon autem probabiliter futura prędicere, & occulta manifeſtare poteſt ob ſui ingenij acumen, & lõgam experientiam: & his ſuperſtitionibus vtitur, vt homines vanos, & curioſos illudat, & promittens illis futurorũ, & occultorum cognitionem, illos ad inferos trahere, ſtudet. Vndè D. Thomas 2. 2. *q. 95. ar. 2.* docet, quod omnis diuinatio ex operatione dæmonũ prouenit; vel quia expreſsè dæmones inuocantur, vel tacitè, ad futura manifeſtanda. Manifeſtum eſt igitur huiuſmodi diuinationes ſuperſtitiones eſſe, & grauiſſimum peccatum hereſim ſapiẽs. Secus verò ſi tãtùm ioco, & cauſa ridẽdi, vel ex leui quadã coniectura, ex his ſignis futura prænunciantur.

Dæmones poſſunt ne ab hominibus alligari, in annulis, in ſpeculis, in phialis, & ſimilibus?

4 Reſp. Dæmones ab hominibus cõpelli, & alligari in his vaſculis nõ poſſe; quia vt ait *Iob. 41. Non eſt poteſtas in terra, quæ comparetur ei.* Sed vel cõpelluntur à dæmonibus potentioribus, & ſuperioribus; vel fingunt ſe compelli, vt homines decipiant; Vt optimè his verbis affirmat Henricus de Aſia *ſuper Geneſ. Hoc certum habe, quod ipſe dæmon ſimulat, ſe captum, vt te capiat, ſe vinctum, vt te vinciat, ſe tuo imperio ſubditum, vt te ſibi ſubdat, à te incluſum, vt te finaliter includat; fingit ſe tua arte lapidi, vel imagini alligatum, vt te funibus peccatorum alligatum ad Infernum perducat.* Et idem docent D. Auguſtinus *lib. 21. de Ciuit. Dei c. 6.* Pegna *in 2. par. direct. Inquiſ. commen. 68.* & alij Doctores communiter.

CAPVT XVI.

De diuinatione per Cabalam, vel per Rotam, quæ dicitur Bedæ, aut characteres manuſcriptos.

Quid eſt Cabala?

1 Reſp. quod Cabala eſt ars diuinãdi futura, & cognoſcendi occulta, tàm præſentia, quàm præterita, per nominum characteres, ſeu literas, & numeros. Fuit namq; vetuſtiſſima Magorũ traditio apud Rabinos hębreos, nominis literas ſuos habere numeros determinatos, indicantes multa, quę per occultam intelligentiam, calculando, & ſubtrahendo, nonnulli improbi homines occulta, vel futura ſe manifeſtare, exiſtimant.

Cabalæ ars diuinandi, à quo originem traxit, & eſt ne illicita, & ſuperſtitioſa?

2 RESp. quod Bulgerus *to.* 1. *de Magia c.*11. refert: aliquos ſcripſiſſe, cabaliſticam artem, à Deo traditam fuiſſe Moyſi in monte Sinai, in qua ſingulę literę, figurę, nomina, lineę, apices, puncta, accentus, additiſſimam doctrinam oſtendunt, & omnem diuinam, & humanam philoſophiam continent. Et qui illam tenent, omnia ei obediunt, ſicuti obediebant Moyſi, Eliæ, & Eliſeo. Aſſerunt etiam Cabaliſtæ, vt refert idē Bulgerus *to.*1. *lib.*2. *de ratione diuinat. c.*32. Stellas in Cœlo eſſe quaſi literas, in quibus Angeli futura legunt, & ſciunt.

3 Sed quid incedibilius, aut ineptius excogitari poteſt; quàm quod ijs literis, & numeris rerum omnium qualitates, & proprietates exprimantur, & omnia homini oſtendant, & obediant? Si à Deo Cabaliſtica ars tradita eſt, quare in Sacra Scriptura nulla fit illius mentio; ſicut in Euangelio legimus virtutē datam fuiſſe vócibus Sacramentorum? Quare Moyſes, Elias, & Eliſeus de illa nihil ſcripſerunt, nec talem doctrinam unquam docuerunt, dum tam ſingularis virtutis, & Deo grata, & hominibus vtilis fuiſſet? Certè ſi à Deo Cabaliſticam artem ortum habuiſſet: hi Sancti homines nedum illam ſilētio non præterijſſent, ſed publicè prædicaſſent, & docuiſſent. Ergo dum hoc non fecerunt, non à Deo, ſed à dæmone inuenta, & ordinata fuit, nō ad hominum vtilitatem, & fructum; ſed ad illos fallendos, & damnandos. Literę, characteres, & numeri, quibus Cabaliſtæ vtuntur, vel ſunt in ſcriptis, vel ore proferūtur. Si in ſcriptis, ſunt quid mortuum, nec aliquid propria virtute operari poſſunt. Si ore proferuntur, aliam vim non habēt, quàm aerē verberādi. Ergò omninò dicendum, illius doctrinam, & occultorum manifeſtationem; non à Deo, ſed à dæmone originem traxiſſe. Effectus, & operationes Cabaliſticę artis, ad cauſas naturales reduci non poſſunt, vt patet, ideoq; ad ſupernaturales cauſas referenda ſunt; non ad Deum, quia Deus non dedit huiuſmodi ſigna hominibus ad indaganda futura, & occulta; ergo ad dæmonem; dum characteres, numeri, & verba ſunt ignota, & inepta ad illum effectum. Ergo talis cognitio dæmoniaca eſt, & ex pacto explicito, vel implicito cum ipſo dęmone; qui ſe illis ſignis immiſcet, vt mentes hominum ad ſuperſtitionem inuoluat, & ad grauiter peccandum inducat. Ità etiam docent Valentia 2.2.*diſp.*6.*q.*12. *pun.*2. Martinus del Rio *diſquiſ. magic. c.*9.*col.*2. Thomas del Bene *tr.*2. *de offic. Inquiſ. dub.*228.*ſect.*23. & alij.

Cabalam exercens, vel ad illam cooperans, eſt ne de hæreſi ſuſpectus?

4 RESp. Affirmatiuè, tum ob dictam rationem, & tum etiam, quia Cabala verſatur circa diuinationem futurorum, & cognitionem rerum occultarum, & ſecretorum cordis, quod eſt proprium Dei. Ait enim D. Thomas 2.2.*q.*95. *ar.*1. Si quis futura prænunciare, aut prænoſcere quocumq; modo pręſumpſerit, niſi Deo reuelante, manifeſtè vſurpat ſibi, quod proprium Dei eſt. Et *ar.* 2. etiam docet; quod omnis diuinatio ex operatione dæmonū prouenit, vel expreſsè, vel tacitè. Ergo qui Cabalam exercet, vel ad illam cooperatur, eſt de hęreſi ſuſpectus. Et ità colligitur, *ex c. Non obſeruetis* 26. *q.*7. & ità Farinacius *de delictis, & pœnis q.*20. *n.*97. *& ſequ. & de hæreſi q.*181.*n.*3. Carena *par.*2. *de ſortil. tit.*12.§.9.*n.*55. Vndè tàm Cabalam exercentes, quàm illam fieri petētes, & cooperantes, ſubiacent iudicio Inquiſitorum, & illis denunciandi ſunt.

Cabalam exercentes, vel cooperantes, quibus pœnis puniendi ſunt?

5 RESp. quod ſi fuerint Clerici, ſunt ab ordine deponendi, & in Monaſterium, vel carcerem, per omne tempus detrudendi, tanquam diabolicam artem profitentes; vt *in cap. Si quis Epiſcopus* 26.*q.*2. Si fuerint Regulares puniendi ſunt pœnis priuationis officio-

rum

rum dignitatum, ac vocis actiuę, & paſſiuæ, & alijs contenctis in Bulla Sixti V. *Cœli*, *& terræ*, & Vrbani VIII. *Inſcrutabili*. Et laici pœna excommunicationis, & alijs pœnis tanquam ſortilegi;& magiam exercentes, in *cap. Aliquanti 26. q. 2.* de quibus videri poſſunt præter alios Bernardus Diaz, & Salzedus *in pract. crimin. Canon. c.* 107. *&* 108.

Inuentor diuinationis per Rotam,quę dicitur Bedæ fuit ne ipſe Venerabilis Beda, an aliquis ſuperſtitioſus ſortilegus?

6 RESp. inuentorem huius Rotæ, nō fuiſſe Venerabilem Bedam, ſed vt nonnulli Doctores teſtantur, quos refert Martinus del Rio *lib. 2. diſquiſ. magi. c. 9. col. 2.* fuit Apuleus Platonicus, qui vt ait D. Auguſtinus *Epiſt. 5. ad Marcellinū* tēporibus ſuis fuit de magia, & necromātia grauiter accuſatus. Si enim Beda illius inuentor fuiſſet, Trithemius, qui *lib. 2. de viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti*, accuratè ſcripſit *de ipſo venerabili Beda*, *&* *de eius operibus*; non reliquiſſet menſionem facere iſtius Rotæ. Tribuitur autem ipſi Bedæ, ex induſtria ſortilegorum, & hęreticorum: vt fideles, auctoritate tanti viri, facilius ad illius vſum inducerentur, & fidem præſtarent. Et hac ratione inter eius Bedæ opera fuit tomo ſecundo inſerta, & Baſileæ typis mandata; vt cum Martino del Rio *loc. cit.* notat Thomas del Bene *de offic. Inquiſit. par. 2. dub. 228. ſect. 24.*

Huius Rotæ diuinatio eſt ne illicita, & ſuperſtitioſa?

7 RESp. Affirmatiuè, quia in ipſa quęritur de occultis futuris cōtingentibus per dies, per nomina, literas, & numeros: nempè, an infirmus ſit moriturus; an fugitiuus ſit reuerſurus; an gladiator ſit victurus; an res aliqua felicem exitum ſit habitura, & his ſimilia. Quæ quidem diuinatio minimè inferri poteſt ex ipſis diebus, nominibus, & numeris. Quia, vt ſupra dictum eſt de Cabala, ad eam cognitionē inferendam nullam vim habent, neć ex eorum natura, vt per ſe patet; neque à Deo, quia nullibi legitur in ſacris literis talem virtutem à Deo diebus, nominibus, & numeris, datam fuiſſe. Ergo talis diuinatio à Dæmone efficaciā recipit, vel per pactum axpreſſum, vel tacitum. Ergo eſt illicita, & ſuperſtitioſa. Confirmatur, quia in *cap. Non obſeruetis 26. q. 7.* ex D. Auguſtino, omnia, quæ in dicta Rota fiunt, expreſsè his verbis prohibentur: *Non obſeruetis tempora, aut dies, & annos, aut lunæ ſoliſque curſum. Quia qui has, & quaſcūque diuinationes, aut fata, aut auguria obſeruat, aut attendit, aut conſentit, magis ad ſuam damnationem, quam ad ſalutem tendit: ſiuè per quoſdam numeros literarum, & lunæ per Pyttagoricam necromantiam, ægrotantium vitam, vel mortem, vel proſpera, vel aduerſa futura inquirat.* Et poſt pauca. *Qui autem talibus credunt, ſciant, ſe fidem Chriſtianam, & baptiſmum præuaricaſſe; & vt paganū, & apoſtatàm, & Dei inimicū, iram Dei grauiter, & in æternum incurriſſe: niſi Eccleſiaſtica pœnitentia emendatus, Deo reconcilietur.*

8 Ex quibus verbis clariſſimè patet, quod tam ſupradictam Cabalam, quā huiuſmodi Rotam exercentes, vel ab exercentibus illam, quærentes ſcire futura, vel occulta, ſuperſtitionis reos eſſe, grauiter peccare, & ſubiacere iudicio Inquiſitorum, & eis eſſe denunciandos, & tanquam ſortilegos puniēdos; vt docent etiam Doctores, & alij communiter, quos citat, & ſequitur Diaz cum Salzedo *in pract. crimin. Canon. c.* 107. *&* 108.

Diuinatio per characteres manuſcriptos, eſt ne etiam illicita, & ſuperſtitioſa?

9 RESp. quod diuinare per characteres manuſcriptos proſperam, vel

aduerſam fortunam, aut futura contingentia, vel quæ pendent ex libera hominis voluntate, & ſimilia vtique eſt illicitum, & ſuperſtitioſum, & qui ex his caracteribus hęc certò prędiceret, mortaliter peccaret, & præſumendus eſſet, quod ſocietatem, ſeu pactum expreſsū, vel tacitum cum dæmone habeat, quia huiuſmodi diuinationes ſicuti neq; ex aſtris, neque ex alijs ſignis naturaliter argui poſſunt; ità neque ex dictis manuſcriptis characteribus. Quoad corporis verò temperamẽtum, & alia, quæ ex corporis temperamento coniectari poſſunt, qui ex ipſis manuſcriptis tanquam ex leuiſſima coniectura prædiceret, nec mortaliter peccaret, neq; ſuperſtitioſus eſſet. Ità Thomas del Bene *de offic. Inquiſ. par. 2. dub. 223. ſect. 1. n. 1. & 2.* Hæc enim coniectatio licitè fieri poteſt; vt affirmant Martinus del Rio *lib. 4. diſquiſ. magic. c. 3. q. 4.* Leſſius *lib. 2. c. 43. dub. 7. n. 45.* Sanchez *lib. 2. in decal. c. 38. n. 44.* & alij.

CAPVT XVII.

De diuinatione per Sortes.

Quid, & quotuplex ſit Sors.

1 RESP. quod ſors eſt quędam actio fortuita, qua aliquid occultum inquiritur, vt innoteſcat. Ità D. Thomas *2. 2. q. 95. ar. 8.* Caietanus ibi, Angelus, & Armilla, *verb. Sors*, Sanchez *lib. 2. in decal. c. 38. n. 56.* & alij communiter. Eſt autem Sors triplex, nempè *Diuiſoria, Conſultoria, & Diuinatoria.* Diuiſoria eſt cùm aliquid fit, vt ex ſortis euentu ſciant ſortientes, quid in electionibus, vel controuerſijs vnicuique ipſorum tribuendum ſit. Supponit autem quendam contractum, ſeu pactum conuentionis inter ſortientes; vt transferatur dominium illius rei, quæ in ſortem mittitur ei, cui ſors ceciderit. Hoc enim pactum includit voluntatem, quaſi cōditionatam ſortientium, ad talem effectum faciendum, quæ voluntas tranſit in abſolutam, impleta per ſortem conditione. Nam licet conditio illa caſu impleatur; tamen ita, & non aliter poſita erat in pacto; & in vi illius pacti, & prętię conuentionis transfertur dominium rei, vel officij, aut beneficij in ſortem miſſi. Et ità pro diuerſitate huius pacti varię poſſunt eſſe iſtę ſortes. Alię enim ſunt luſorię, quia eueniunt in omni ludo, cuius euentus pendet ex pura fortuna. Et aliæ ſunt electoriæ, quia ad aliquam electionem faciendam ordinātur: vt docet Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 12. n. 2.*

2 Quando verò ſortes mittuntur, ad cognoſcendum aliquid occultum, tunc dicuntur conſultoriæ, & diuinatoriæ, quia omnis inquiſitio veritatis occultæ, eſt quædam conſultatio; & omnis prædictio, vel præcognitio illius, generaliter loquendo, dicitur diuinatio. Verùm quādo in ſortibus cōſulitur Deus, vt ſciatur eius voluntas in aliquo negotio dubio, quid agendum, vel cauendum ſit, ſortes dicuntur conſultoriæ. Quando autem per illas tacitè, vel expreſsè conſulitur dæmon, ad inueſtigādam cognitionem futuri euentus, vel alicuius rei occultæ, tunc dicuntur diuinatoriæ, quia diuinatio in malā partem ſumitur, vt docet D. Thomas *2. 2. q. 95. ar. 1.* Nam cognitio futurorum, & rerum occultarum ex Dei reuelatione dicitur prophetia, vel ſciētia infuſa non diuinatio. Ità cōmuniter DD., Suarez *loc. cit.* Sāchez *lib. 2. in decal. c. 38. n. 56. et ſeq.* Fagūd. *lib. 1. in decal. c. 40. n. 3.* Trullenchus *lib. 1. in decal. c. 10. dub. 9.* Caſtro Palaus *par. 3. tr. 17. pun. 6. n. 1.* & alij.

Sortes diuiſoriæ, quæ fiunt præuio cōtractu, vel pacto ſunt ne licitæ?

3 RESP. nonnullas eſſe licitas, aliquas verò prohibitas. Prima pars cōſtat, quia in multis ſortibus nulla ſuperſtitio inuenitur: non enim continēt, nec expreſsè, nec tacitè, aliquā dæmonis inuocationem, nec in vſu iſtarum ſortium imploratur dæmonis auxiliū, ad aliquid diuidendum, vel conferendum

dum per ſe. Nec etiam talis vſus habet malitiam iniuſtitiæ, niſi aliundè ex aliqua deceptione illi adiungatur. Quia in ſortibus eſt voluntaria pactio, vt ſupra dictum eſt, quæ poteſt eſſe cum æqualitate vtriuſque partis. Ergo ſortes ex ſui natura non ſunt intrinſecæ malę. Nec etiam ſunt generaliter prohibitæ. Immò potius iure ciuili in multis caſibus approbantur, vt patet *in l. Si duobus, Cod. Communia de legatis*.

4 Probatur ſecunda pars, quod ſcilicet aliquæ ſortes prohibitæ ſunt. Quia in iure Canonico prohibentur ſortes in electionibus eccleſiaſticis faciendis, vt ex *c. Eccleſia, extra de ſortilegijs*, vbi dicitur: *Sortis vſum in electionibus perpetua prohibitione damnãtes*. Ex quibus verbis colligunt Doctores prohibitionem iſtam extẽdi ad omnem Eccleſiaſticam electionem; quia abſolutè, & ſine reſtrictione fit, & in talibus locutionibus, indefinita locutio ęquiualet vniuerſali, vt probat Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 12. n. 5.*

Quando Sortes diuiſoriæ licitæ fieri poſſunt?

5 Reſp. eſſe licitas primò ad dirimẽdas lites de rebus ſecularibus ex mutuo litigantium conſenſu: quia eſt contractus ęqualis, in quo vnuſquiſque cedit iuri prætenſo, ſi ſors alteri contigerit. Ità Leſſius *lib. 2. c. 43. dub. 9. n. 58.* Suarez *loc. cit. n. 4. & 11.* Caſtro Palaus *par. 3. tr. 17. diſp. 1. pun. 6. n. 3.* & alij. Secundo auctoritate Iudicis in diuiſione rerum, quæ aliter diuidi non poſſunt, nec apparet quis in iure maiorem in illis habeat rationem; tunc Iudex, etiamſi litigantes renuant, ſortes mitti, pręcipere poteſt, vt *ex l. Si duobus, Cod. Controuerſia de legatis*. Vbi dicitur. Sancimus in huiuſmodi caſibus; rei Iudicem eſſe fortunam, & ſortem inter altercantes adhibendam, vt quem ſors prætulerit, is quidem habeat poteſtatẽ eligendi. Et ratio eſt, quia Iudex ex officio compellere poteſt; vt in illo contractu conſentiant, dum alia via non adeſt ad controuerſiam dirimendam. Ità docent Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 12. n. 4.* Sanchez *lib. 2. in decal. c. 38. n. 57.* Caſtro Palaus *vbi ſup. n. 3.* Tertio, quando inter milites diuerſarum nationum eſt contentio circa periculum inuadendi oppidum; ſorte decidi ſolet, quæ natio prior inuadere debeat. Ità Leſſius *lib. 2. c. 43. n. 58.* Fagundez *in decal. lib. 1. c. 40. n. 3.* & alij. Quarto, quando tempore peſtis, eſt diſceptatio, quinam Parochi, vel Religioſi, vel Medici, attendere debeant animabus, corporibuſq; curandis, vel quis recedere poſſit, licet ſortibus electionẽ committere. Ità D. Auguſtinus *epiſt. 180.* Sanchez *n. 59.* Caſtro Palaus *loc. cit.* Quinto, quando plures rei, digni sũt morte, & non expedit omnes punire, licitum eſt ſorte determinare, quinam ſint necandi, quia in hac ſortitione nemini fit iniuria, ſed potius, ſingulis fit fauor, dum eis ſpes datur, euadendi mortem promeritam. Ità Sãchez *n. 60.* Leſſius *n. 58.* Caſtro Palaus *ibid.* Sexto, quando eleemoſyna vni ex pluribus pauperibus, vel locis pijs eſt applicãda, licet ſortibus determinare, cui applicãda ſit: quia nulli fit iniuria, cum æquale ius omnibus cõcedatur; Singulis enim conceditur poteſtas, integrè eleemoſynam accipiendi. Ità Sanchez *n. 59.* Suarez *n. 17.* Azorius *lib. 9. c. 21. q. vnica*. Eſtq; ſententia D. Auguſtini *lib. 1. de doctr. Chriſt. c. 28.* Septimo, quãdo tempore tẽpeſtatis ne ſequatur nauis naufragium, & omnium nauigantium mors, neceſſe ſit ipſorũ aliquos in mare proijci; licitum eſt, inter ſe ſortibus determinare, quinam ſint proijciendi: quia hoc modo ſperare poteſt vnuſquiſque, vitam conſequi, alias miſerè periret. Immò ſi inter ſe non conſentirent, poteſt Dux nauis, etiam ſortes mittere: quia in eis, omnium periculum vitarè intendit, morte aliquorum: quod pro communi bono expedit. Ità Martinus del Rio *lib. 4. diſquiſ. magic. c. 4. q. 1.* Sanchez *n. 62.* Caſtro Palaus *vbi ſup.* Addit quoque Thomas del Bene *de offic. inquiſ. par. 2. dub. 225. ſect. 1. n. 7.*

*n.*7. cum Maiore *in* 4.*diſt.* 15.*q.* 22. *&* *q.*50. Si aliqui ſortitionem impedirent poſſent reliqui,in mari illos proijcere: quia ſortes impediendo, vim iniuſtam inferrent: contra quam alij licitè, vitæ plurium ſeruandæ cauſa, ſe defendere poterunt. Octauo, quotieſcunque res exteriores commodè diuidi, vel diſtribui non poſſunt; vel non apparet ratio, cur alter alteri in aliquo cõmodo, vel incommodo præferri debeat,ſortes diuiſoriæ licitæ ſunt. Vt ex D. Auguſtino *lib.*2.*de doctr.Chriſt. c.*28. Thomas del Bene *loc.cit.ſect.*7.*n.*7.

Inter Clericos eſt ne licitum ſorte dirimere,& componere lites,non ſolum in cauſis,& litibus de rebus ſecularibus, ſed etiam de beneficijs Eccleſiaſticis?

6 RESP. Affirmatiuè, dummodò id fiat auctoritate Iudicis Eccleſiaſtici. Quia in *cap. Eccleſia extra de ſortilegijs*, ſolum prohibetur vſus ſortium in electionibus ad beneficia; vt patet ex illis verbis: *Sortis vſum in electionibus perpetua prohibitione damnamus*: Non ergo prohibetur vſus ſortium, in dirimendis litibus beneficialibus, & Eccleſiaſticis. Qui enim huiuſmodi lites componunt per ſortes, non eligunt. Et aliud eſt eligere ad beneficium; aliud componere litem beneficij. Neque mens Eccleſiæ eſt; vt lites etiam beneficiorum diu protrahantur: neque ille, cui ſors tetigit, accipit beneficium ex vì ſortis,ſed ex vì tituli, aut ex vì iuris, pro quo lis pendebat:per ſortem autem ſolum fuit ablatum impedimentum. Cum igitur hoc, malum non ſit de ſe, nec prohibitum, ſequitur quod ſit licitum.

7 Requiritur verò auctoritas Iudicis Eccleſiaſtici; Tum quia ſi ſortes iſtæ fieri poſſent auctoritate priuata ipſorum litigantium; fieri etiam poſſet, vt per talem ſortem obtineret quis beneficiũ, non habens titulum iuſtum. Nec eſt in poteſtate collitigantis ius beneficiale in alium propria auctoritate transferre. Tum etiam ad euitãdam ſimoniam; quia omne pactum propria auctoritate factum, quo paratur via ad beneficiũ, ſimoniacum eſt, *cap. fin. de pact. & c. Quam pio* 1.*q.* 1. At ſi ſupra beneficiũ litigioſum partes paciſcantur in manibus Iudicis; vt ipſe proferat iuxta pactum ſententiam,& admittat ad beneficium, tenet ſententia, & nulla interuenit ſimonia, nec ſacrilegium. Ergo idem erit ſi pactũ ſit de ſortibus emiſſis auctoritate Iudicis. Ità docent Suarez *to.*1.*de relig.lib.*2.*de ſuperſtit. c.* 12. *n.*12.*& ſequ.* Sanchez *lib.* 2.*in decal.c.* 38.*n.*79.Fagundez *in decal.lib.*1.*c.* 40. *n.*7.*&* 8. Caſtro Palaus *par.*3.*tr.*17.*de ſuperſtit.diſp.*1.*pun.*6.*n.*7.& alij.

Prohibitio *cap. Eccleſia de ſortilegijs* extenditur ne ad electiones ciuiles, & ſeculares?

8 RESP. Negatiuè; quia quamuis textus abſolutè loquatur de electionibus: tamen quia ius canonicũ non diſponit, niſi in propria materia; ideò illa prohibitio de his, quæ ad beneficia pertinent, intelligitur. Et cum ſit pœnalis, non extenditur ad alia. Et conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, non obſtante illo iure,in ciuilibus electionibus frequenter vtitur ſortibus. Sic ſorte eliguntur Virgines pauperes, quæ dotis eleemoſynam recepturæ ſunt, ex multis habilibus. Sic etiam in Conclaui ſorte eligũtur Cardinales, in quo loco collocari debeãt, & idem de ſimilibus ità docent Suarez *vbi ſup. c.*12. *n.*15. Leſſius *lib.*2. *c.*43. *dib.*9.*n.*58. Azorius *par.* 1. *lib.* 9. *c.*21. *quæſ. vnic.* §. *At verò.* Sanchez *dict. c.* 38.*n.*58.

Eſt ne aliquando illicita in ciuilibus electio per ſortes?

9 RESP. Affirmatiuè; quia ſors eſt illicita in publicis officijs conferendis, non quia eſſet ſuperſtitioſa, & con-

contrà Religionem; ſed quia eſſet contra iuſtitiam diſtributiuam, cui repugnat, vt id, quod ſecundum merita cõferendum eſt, detur per ſortem. Et eſſet etiam contra iuſtitiam commutatiuam; quia hoc repugnat debitæ adminiſtrationi Reipublicæ, & eius communi bono. Eſſent autem huiuſmodi ſortes licitæ in dictis electionibus; ſi mitterentur inter eos, qui ità eſſent illo officio digni, vt vix poſſet inter eos exceſſus iudicari. Ità docent Suarez, Leſſius, Azorius locis citatis.

Sortes diuiſoriæ, quæ ex ſe licitæ ſunt, poſſunt ne ob aliquam circumſtantiam vitiari?

10 RESp. Affirmatiuè; & primo vitiantur ratione falſæ æſtimationis, & intentionis: Vt ſi quis expectaret ſortem ſibi felicem, ex aſtrorum influxu, quia aſtra in ſortibus nihil poſsũt operari. Ità D. Thomas 2.2.*q.*95.*ar.*8. Suarez *vbi ſup. n.* 16. Sanchez *ibid. n.* 64. Martinus del Rio *lib.* 4. *c.* 4. *q.* 1. qui etiam ſuſtinet: eſſe mortale peccatum ſi id eſpectetur certè ab aſtris euenturum fore. Secundo vitiari poſſunt, ſi expectetur euentus non à Deo, ſed à fortuna: vt ſi quis ſortem non agnoſceret à Diuina prouidẽtia, peccaret mortaliter: dicitur enim Prou. 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*: Verùm ſi quis ità ſe fortunæ cõmittit, vt non excludat diuinam prouidentiam, ſortes dirigens, tantum venialiter peccaret. Ità ſupradicti Doctores. Tertiò, vitiari poſſunt ſi à Dæmone expectetur euentus, vel ſi ſortes, eo inuocato, mittantur; tunc etiam eſt grauiſſimum peccatum. Et vt optimè notat Sanchez *n.* 66. quando quis auxilio Dæmonis facit, ſibi ſortes eſſe felices, tenetur reſtituere id, quod ſortibus acquiſiuit: quia decipit alterum ſortientem. Quartò, ſi res, in ſortem expoſita, non ſit ſortientium, ſed aliena, nec adeſſet Domini conſenſus: vel ſortes mitterentur inter eos, qui non haberent par ius ad illam rem. Ità ſupradicti Doctores Suarez *n.* 16. Sanchez *n.* 68. Quinto, ſi quis in ſortibus vteretur aliqua fraude, vt in ludo; tũc enim adeſſet iniuſtitia, & non poſſet quis rem obtentam retinere: quia in hoc caſu ceſſat æqualitas in contractu, & voluntas contrahentis: & conſequẽter reſtituere debet, quidquid fuerit conſecutus. Ità Sanchez *n.* 66. Caſtro Palaus *par.* 3. *tr.* 17. *diſp.* 1. *pun.* 6. *n.* 4. & alij. Sexto, fiunt illicitæ ſortes, ſi in ipſis, quis vtatur libris Euangeliorum, aut rebus ſacris: quæ non ſunt ad hũc vſum deſtinatæ: ſed non eſſet mortale peccatum, niſi in aliquo caſu magna irreuerẽtia interuenire. Ità Suarez *ibid.* Sanchez *n.* 69. Martinus del Rio *lib.* 4. *diſquiſ. mag. c.* 4. *q.* 1. & alij.

Contractus Sortium, qui dicitur (il lotto) eſt ne licitus, & iuſtus?

11 RESp. Affirmatiuè, dummodò fiat cum aliquibus conditionibus. Quarum prima eſt, vt res, quæ ſortibus exponuntur, non vendantur plus, quàm iuſto pretio. Secunda, vt ſtipẽdium miniſtri non excedat rigoroſum iuſtum, nec adſint plures miniſtri, quàm neceſſarij, nec plus temporis in eo negotio inſumant, quàm oportet. Tertia, vt hoc ſtipendium ſoluatur potius à contributoribus ad ſortes, quàm à rerum vẽditoribus. Quia huiuſmodi miniſterium eſt potius in bonum contribuentium, quàm venditorum. Verùm ſi res fuerũt venditæ pretio rigoroſo, debent etiam venditores pro eorum parte tali ſtipẽdio concurrere. Quarta, vt nulla interueniat fraus. His poſitis conditionibus, ille, cui ſors beneficiata cadit, licitè rẽ illam lucratur: quia omnes contributores ſunt æqualiter expoſiti lucro, & periculo, & omnes liberè conſenſerunt, vt is, in quem ſors caderet, poſſet licitè, rem illam habere.

Si in electione ſuffragia ſint paria, duo, E. g. habuerunt, in electione ſemel, bis, aut pluries facta, paria ſuffragia.

Eſt

Eſt ne licitum inter illos duos ſortes mittere?

12 RESp. quod aliquis dicet; eſſe licitum. Primo, quia talis fuiſſe videtur electio Matthiæ in Apoſtolatum. Conſtituerũt enim duos, Apoſtoli ab ipſis electos, & approbatos, vt idoneos ad Apoſtolatum; & poſtea inter illos duos tantùm miſerunt ſortem; *Et cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis Act.* 1. Secundo, quia in dicto caſu vterque illorũm ſufficienter iudicatur idoneus per ſuffragiorum multitudinẽ; & ità ceſſat periculum, vt eligatur indignus. Tertio, quia tunc non videtur ſors fieri in electione ſimpliciter, quod eſt prohibitum; nam illi duo præ alijs electi ſunt, vt æquales inter ſe, & vt alter illorum dignitatem, aut officiũ habeat, & ſolum mittitur ſors, vt electio facta, ſuum habeat effectum, in vno illorum potius, quàm in alio. Et quarto denique, quia vix ſupereſt aliud remedium, vt electio non prætermittatur.

13 His non obſtantibus dicendum eſt: Ex vi iuris communis non eſſe licitũ, per ſortem determinare talem electionem: quia re uera illa eſſet electio per ſortem, quæ omninò prohibita eſt de iure Canonico. Nam *in c. Eccleſia extra de ſortilegijs* prius dicitur: *Multa reprehenſione dignum eſt, quòd ſors in talibus interueniat.* Et poſteà concluditur: *Sortis vſum in electionibus perpetua prohibitione damnamus.* Et ità etiam docent Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. c.* 12. *n.* 7. Sãchez *lib.* 2. *in decal. c.* 38. *n.* 73. *&* 74. Caſtro Palaus *par.* 3. *tr.* 17. *de ſuperſtit. diſp.* 1. *pun.* 6. *n.* 6. Filliucius *to.* 2. *tr.* 24. *c.* 4. *n.* 99. Azorius *par.* 1. *lib.* 9. *c.* 21. *verſ. At verò*, Fagũndez *in decal. lib.* 1. *c.* 40. *n.* 9. *& ſequ.* & alij communiter.

14 Nec obſtant ſupradictæ rationes in contrarium. Et ad primam reſp. quod electio D. Matthiæ per ſortem fuit ordinata, vt cum Beda notat D. Thomas 2. 2. *q.* 95. *ar.* 8. ante Pentecoſtem, & quando nondùm erat plenitudo Spiritus Sancti in Eccleſia effuſa, & conſequenter vt ait Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſt. c.* 12. *n.* 22. Non erat Eccleſia ſatis inſtructa de his myſterijs. Et inſuper nullo iure erat prohibitus ſortiũ vſus in electione inter æqualiter dignos: nam huius rei prohibitio non eſt iuris naturalis, aut diuini, ſed iuris Canonici *ex c. Eccleſia* ſupradicto. Et etiã ſi tunc fuiſſet talis prohibitio: Petrus, & Apoſtoli potuiſſent in illa diſpenſare; ſicut nunc poteſt Summus Pontifex. Petrus igitur propoſuit, prouidendum eſſe de ſucceſſore in Apoſtolatum loco Iudæ, & quod electio humano modo facięda erat. Et quia illi duo Matthias, & Ioſeph Barſabas reputati fuerũt cæteris digniores; & inter eos iudicari humano modo non potuit, quis eſſet dignior: facta iam prius amborum electione, cum cognoſci non poſſet, cuius electio futura eſſet, magis iuxtà Dei beneplacitum; & ad oſtendendam ſinceritatem intentionis, & deſiderij procedẽdi ſine vlla priuata affectione; nullus perfectior modus eligendi, excogitari potuit, quàm committere prouidẽtiæ diuinæ electionem per ſortem. *Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus, vnum accipere locum miniſterij huius, & Apoſtolatus. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiã.* Itẽ D. Dionyſius *de Eccleſ. Hierar. c.* 5. affirmat: ſortem fuiſſe aliquod ſignum diuinum, quo omnibus conſtitit, Deum elegiſſe Matthiam. Ait enim: *Ob reuerentiam tantæ dignitatis, Apoſtolos Deo electionem commiſiſſe; vt non ab hominibus, neque per homines; ſed à Deo ipſo immediatè tribueretur. Et ideo Deum, exhibito aliquo mirabili ſigno ſenſibili, quem eligeret, declaraſſe.* Et ità etiam ſentiunt D. Hieronymus *Ionæ* 1. Origenes *hom.* 13. *in Ioſue*, D. Auguſtinus *concione* 2. *in pſal.* 30. Quale autem fuerit illud ſignum, à Luca declaratum non eſt: quia nobis id ſcire neceſſarium non erat; fortaſſe tamen fuit aliquis cœleſtis radius, vel aliquid ſimile. Igitur ex electione D. Matthiæ in Apoſtolatum per ſor-

ſortem argui nõ poteſt: Electiones Eccleſiaſticas fieri poſſe per ſortes; Iure enim Canonico expreſsè prohibentur, vt docent communiter Doctores, Caietanus *in ſumm. verb. Sors*, Suarez *vbi ſup.n.23.& 24.*Valentia 2. 2. *diſp.6. q. 12.pun.3.col.2.* Azorius *par.1. lib.9. c. 21.§.At verò*, Thomas del Bene *de offic.Inquiſ.par.2.dub.225.ſect.7. n.9. & ſequ.*

15 Ad ſecundum reſp. quod etiamſi in dicto caſu ceſſet periculum, eligendi indignum; Tamen non ea de cauſa ceſſat prohibitio Canonis. Immò quouſq; à maiori parte Capituli, quis electus non fuerit, non dicitur declaratus dignus: vt docent Caſtro Palaus *par.3.tr. 17.de ſuperſtit.diſp.1.pun.6.n.6.*Fagundez *in decal. lib.1. c.40. n. 12.* Sanchez *lib.2.in decal.c.38. n.73.*

16 Ad tertium reſp. negando in dicto caſu non aſſumi ſortes ad electionem: nam illa determinatio eſt vera electio, & per illam beneficium, vel dignitas confertur. Et ad quartum ſimiliter negatur: non ſupereſſe aliud remedium, vt electio non prætermittatur. Quia proprium remedium eſt: vt Superior electores compellat; vt intra certum tempus ſe conforment, & eligant vnum ex illis, ſin minus, electionem ad ſe aduocet; vt tradit Gloſa *in c. Duobus penult.de reſcriptis in 6. verb. Teneantur.* Ità etiam ſupradicti Doctores.

Quare ergo in aliqua congregatione eſt licitus, huiuſmodi eligendi modus per ſortem?

17 RESP. hoc eſſe ex ſpeciali priuilegio Sũmi Põtificis; quia cum talis prohibitio ſit tantùm de iure poſitiuo, cui poteſt Summus Pontifex diſpẽſare; nil mirum, ſi in aliqua communitate fuit diſpenſatum, poſſe validè, & licitè per ſortem eligere. Ità docent Suarez *vbi ſup.n.8.* Sanchez *n.74.* Caſtro Palaus *n.6.* & alij.

Electio ad Eccleſiaſticum beneficium facta per ſortes diuiſorias eſt ne ipſo iure irrita, vel irritanda?

18 RESP. non eſſe irritam, ſed irritandam; quia in *c. Eccleſia extra de ſortilegijs*, nullum eſt verbum irritans, ſed tantùm prohibens ipſam electionẽ per ſortes: Lex autem prohibens non irritat, niſi addat verbum, declarans nullitatem actus, quia cum ſit pœnalis, non extenditur, niſi quantum verba ſonant. Et quamuis *in c. Quapropter de electione* expreſsè dicatur: (Aliter electio facta non valeat) Ibi tamen loquitur de electione ad Eccleſiam ſortibus factam, non autem de electione ad beneficium. Ità Suarez *vbi ſup.n.9.& 10.* Sanchez *n. 83. & 84.* Filliucius *tract. 24.c.5.n.200.*& alij.

Sortes conſultoriæ, ad cognoſcendam in rebus dubijs diuinam voluntatem, & illam à Deo expectandam, ſunt ne licitæ?

19 RESP. regularitèr eſſe illicitas, verũ aliquando licitas eſſe, & primo quando vrget neceſſitas, nec ſuppetit aliud humanum conſilium. Quia velle ſine neceſſitate, vt Deus peculiari modo ſuam voluntatem manifeſtet, eſt Deum tentare, nec Deus vnquam promiſit, ſe directuram has ſortes. Ergo vanum eſt credere, illam fuiſſe Dei voluntatem, quam ſortes indicant. Secũdo, quando Deus alicui inſpirat, vt ad agnoſcendam rei veritatem, ſortibus vtatur, & prudenter credi poteſt, quod ſit diuina inſpiratio. Sic ex inſpiratione diuina Ioſue ſortibus vſus eſt, ad cognoſcendum malefactorem occultum *Ioſue 7.* Electio Saulis ad regimen Regni Iſrael à Samuele ſortibus facta eſt *1.Reg. 10.* Et ſimiliter electio Matthiæ ad Apoſtolatum *act. 1.* Tertio, quando ſortes fiunt cum debita reuerentia, & præmiſſis precibus; vt Deus eas regere dignetur; iuxta illud Prou. 16. *Sortes mittuntur in ſinum, & à Domino temperantur.* Quarto, quando non fiunt circa electiones eccleſiaſticas; quia hoc ſpecialiter eſt prohibitum; vt ſupra dictum

ctum eſt. Si verò aliter fiant ſortes cõſultoriæ eſt graue peccatum. Ità ex D. Thoma dicta *q.95.ar.8.* Suarez *to.1.de relig. lib.2.de ſuperſtit. c. 12. n. 18. & 25.* Sanchez *lib.2. in decal. c.38 n.87.* Leſſius *lib.2. c.43. dub.9.n.60.* & alij. Raro tamen ſunt huiuſmodi ſortes faciendæ; quia Deus non vult ſuam voluntatem ſortibus indagari; ſed Eccleſiæ, & Sanctorum doctrina, & conſilio prudentum virorum. Et ideò interdicuntur ſub anathemate in *cap. Sortes 26. q.5.* Ita Torreblanca *lib.8. iur. ſpirit. c.7. n.44.* Martinus del Rio *lib. 4. diſquiſ.magic.c.4.* Fagundez *lib. 1. in decal.c.40.n.16.* & alij.

Sortes conſultoriæ miſſionis poſſunt ne licitè fieri, ſi ſtãte æqualitate miniſtrorum mittendorum ad Indos, E.g. dubium eſſet, quis eorum eſſet ibi mittendus?

20 Reſp. Affirmatiuè, quia etiã Apoſtoli ſortibus diuiſerunt inter ſe miſſiones ſuas per totum orbem; vt notat D.Cyrillus *lib.5. in Iſaiam c.81.* Et ità in tali caſu ſortes eſſe licitè mittendas; docent Turrianus *lib.8.conſtit.Clement.c.5.* Suarez *vbi ſup. n. 17.* Fagundez *ibid.n.17.* & alij.

Sortes conſultoriæ mitti ne poſſunt, ad agnoſcendum quiſnam Sanctus ſit ſuſcipiendus in Patronum Ciuitatis, vel in deuotum alicuius particularis?

21 Reſp. Affirmatiuè, dummodò ſortes eo fine mittantur, vt diuina voluntas exquiratur, non autem, vt merus caſus expectetur. Nemo enim caſum licitè poteſt cõſulere; ſed Chriſtianæ pietati non repugnat, nec ſuperſtitionem ſapit, vt Ciuitas per ſortes aliquem Sanctum in patronum ſuſcipiat, & vt aliquis in deuotum ſui protectorem, ſiue per totum vitæ curſum, ſiue per annum, aut menſem eligat. Sic enim practicatur à pluribus religioſis perſonis. Et ità docent Martinus del Rio *lib.4.diſquiſ.magic.c.2.q.7.ſect. 3.* Lupus *in edict. S. Inquiſ. par. 3. lib. 17.diſt.4.ar.3.* Leander *to.6. tr.9. diſp. 2.q. 89. & 90.* Torreblanca *lib. 8. iur. ſpirit. c.7.n.60. & 61.* & alij.

Sortes diuinatoriæ, per quas inquirũtur futuri euentus, vel manifeſtatio rei occultæ, ſunt ne ſemper illicitæ?

22 Reſp. ſemper eſſe omninò illicitas, & illis vti, ſemper eſſe peccatum mortale, niſi magna ignorantia excuſet. Quia vel expectatur ſortium diuinatio à Deo, vel à Cœlo, vel à caſu, vel à Dæmone. Expectari non poteſt à Deo; quia Deus nunquam promiſit, ſe temperaturum ſortes, quæ ordinantur, ad excogitanda futura, vel aperienda occulta; & euentus ſæpè cõtrarium oſtendit. Nec à Cœlo, quia hoc eſſet; actiones liberas hominum pendere à Cœlo, & fato ſubijcere; nec ſortes vi Cælorum, & aſtrorum temperari poſſunt. Neque à caſu, quia ſortes caſuales nihil certum præſignare, poſſunt. Ergo temperantur à Dæmone, qui tacito quodam pacto inuocatur, vt ſortes regat, & effectum præſignatũ procuret. Idcircò huiuſmodi ſortes diuinatoriæ expreſsè prohibentur in *c.1. de ſortilegijs, 26. q. 1. c.Sortes, c. Peruenit, c.Si quis Clericus, 32. & in c. Aliquanti; & in Concilijs Toletano 4.c.28. & Agatenſi c.42.* & à D. Gregorio *lib. 9. epiſt. 47. & lib.7. epiſt. 66. à Leone Papa ad Epiſcopos Brit. c.4.* vt referunt Suarez *vbi ſup. n.* 28. Fagundez *lib. 1. in decal.c.40.n.* 19. Thomas del Bene *de offic.inquiſ.par.2.dub.225.ſect. 8.n.7. & ſequ.*

Sortes diuinatoriæ continent ne ſolum malitiam ſuperſtitionis, vel etiam iniuſtitiæ?

23 Reſp. ſortes diuinatorias, aliquando eſſe, quaſi ſpeculatiuas, ordi-

dinatas,ad cognoſcenda futura,vel occulta, ſolum ob curioſitatem,& ſiſtendo in illa cognitione, nõ autem ad aliquid operandum. Vt e.g.cùm quis per ſortes inquirat; quiſnam obtinebit officium, vel dignitatem,aut victoriam, & ſimilia: & huiuſmodi ſortes tantùm habent malitiam ſuperſtitionis; ſicut ſi quis futura, vel occulta cognoſcere vellet per aſtra, vel auguria. Aliquando verò ſunt practicæ,quia ordinantur ad aliquid agendum ex tali cognitione. Vt quando per ſortem quis inquirit, e.g. an Titius furatus fuerit, vel an ſit malefactor occultus, ad illum infamandum, vel puniendum, vel quid ſimile. Tunc præter malitiam ſuperſtitionis interueniri ſolet malitia iniuſtitiæ, infamando proximum; vel innocentem, vel nocentem occultum: & exponendo innocentem periculo pœnæ,quam non meretur, ſi ſors ſuper illum cadat.Et ſi cadat ſuper nocentem, etiam grauis iniuſtitia eſt, illum manifeſtare talem,& illum punire,non probato delicto, quod re vera non probatur per ſortes, quia ſortes per ſe nullã probationem faciunt, cùm ſint merè caſuales;& tam ſuper nocentem,quàm ſuper innocentem cadere poſſint. Ideò in tali caſu committeret non ſolũ peccatum mortale ſuperſtitionis,ſed etiam iniuſtitiæ. Ità Suarez *ibid.n.*29. Fagundez *n.*20.Sanchez *lib.*2.*in decal.c.*38.*n.*89.& alij.

Quare ergo Ioſue iudicio ſortium puniuit Achan, qui erat delinquens occultus: nam occultè ſurripcrat de anathemate *Ioſue* 7.?

24 RESp. Quod Ioſue ex præcepto Dei ſortibus vſus fuit,ad agnoſcendum occultum delinquentem, vt patet ex *d. c.* 7. & notauit D. Thomas 2.2.*q.*95.*ar.*8.Vnde nullum aderat periculum cadendi ſortem, niſi ſuper delinquentem Achan; Cui poſtea cum dixit Ioſue: *Fili mi da gloriam Deo, & confitere, atque indica mihi quid feciſti:* reſpõdit:*Verè ego peccaui Domino Deo, & ſic feci Ioſue* 7.

Sortes diuinatoriæ ſunt ne ſub pœna excommunicationis prohibitæ?

25 RESp.Affirmatiuè, nam ſub pœna excommunicationis prohibitæ fuerunt, à Leone IV.*in c.Sortes* 26.*q.*5. his verbis: *Sortes, quas Patres damnarunt, nihil aliud,quàm diuinationes, & maleficia eſſe decernimus. Quamobrem volumus omninò illas damnari;& vltra inter Chriſtianos nolumus nominari. Et ne exerceantur anathematis interdicto prohibemus.*

CAPVT XVIII.

De Diuinatione per Duellum.

Quid eſt Duellum?

1 RESp. quod eſt duorum bellum ex vtraque parte, ex condicto, & ſtatuto loco, & tempore deliberatè ſuſceptum, cum periculo occiſionis, aut vulneris, ad indagandam alicuius rei veritatẽ,vel ad aliquam purgationẽ inducendam: Non enim duellum propriè eſt quodlibet duorum bellum,ſed illud quod ſuſcipitur ad veritatis indaginem,& vt victoria teſtetur, victorẽ eſſe innocentem, vel qui obtulerit ſe aliquid purgaturum,purgatus eſſe credatur,ſi vicerit.Ità docent Nicolaus de Lyra *in* 1.*Reg.*17. Henricus *quodlib.* 9. *q.*13. Caietanus 2.2.*q.* 95.*ar.*8. *ad* 3. *verſic. Ad euidentiam*, Sylueſter *verb. Duellum*, Martinus del Rio *lib.*3. *diſq. magic.c.*4.*q.*4.*ſect.*4.Sanchez *lib.*2. *in decal. c.*39.*n.*1. Filliucius *tr.* 29. *c.* 8.*n.* 135. & alij communiter

Duellum eſt ne ſuperſtitioſum?

2 RESp. Affirmatiuè, ità D.Thomas 2.2.*q.*95.*art.*8.*ad* 3. Caietanus ibi,qui ait: Huiuſmodi duellum ex ſuo genere malum eſt, & ſortilegium;quia in propria ratione claudit repugnantiã ad rectam rationem. Inducit enim in teſtimonium:quoniam conſtat, haben-

tes ius, ſuccumbere quandoque in duello, vt patet in *c. Significantibus extra de purgatione vulgari.* (Et paulò inferius) contra rectam rationem vitæ vtriuſque ex propoſito exponitur mortis, & vulnerum periculo cum Dei tẽtatione, & diuini eſt vſurpatio iudicij, & diabolica inuentio adimpletur. Ità Caietanus; & idem docent Valentia 2.2. *diſp.* 3. *q.* 17. *pun.* 1. Coninch. *diſp.* 32. *dub.* 2. *n.* 13. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 6. *diſp.* 5. *pun.* 7. *n.* 6. Et ideò Sanchez *in tract. de ſuperſtit.* agit etiam *loc. cit. de diuinat. per duellum.*

Duellum ad indagandam veritatem, vel iuſtitiam alterius partis, eſt ne ſemper illicitum?

3 RESP. Affirmatiuè, quia vt ſupra dictum eſt includit repugnantiã rectæ rationis; aſſumitur enim in duello teſtimonium proprij iuris, aut innocẽtiæ, id quod nullo modo eſt aptum ad illum finem. Et ideò damnatur tanquã ſuperſtitioſum. Et expreſsè prohibetur *in Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 19. à Gregorio XIII. *in motu proprio edito* 9. *Decembris* 1582. qui incipit: *Ad tollendam deteſtabilem*, & à Clemente VIII. *in ſuo motu proprio edito anno* 1592. qui incipit *Illius vices*. Et communiter Doctores docent: duellum acceptare, vel ad illud prouocare, ad veritatem indagandam, vel ad calumniam impetitam purgandam, eſſe ex genere ſuo intrinſecè malum, inſtar mendacij. Ideò eſſe ſemper illicitum, etiamſi quis expectaret; vt Deus per duellum manifeſtaret veritatem. Quia hoc eſt tentare Deum, & miraculum fruſtra expectare: cum periculum adſit, vt innocens pereat: & ſæpè iuſtiſſimam cauſam habens in duello, ſuccumbit: vt dicitur in *c.* 2. *de pungat. vulgari, & ex c. Monomachiam* 2. *q.* 5. Ità ſuſtinent Petrus Nauarra *lib.* 2. *de reſtit. c.* 3. *n.* 28. *&* 29. Caietanus 2. 2. *q.* 95. *ar.* 8. *dub. vlt. cauſa* 3. Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.* 39. *n.* 3. Fagundez *lib.* 5. *in decal. c.* 8. *n.* 47.

Datur ne aliquis caſus, in quo licitum ſit duellum acceptare, vel offerre?

4 RESP. Affirmatiuè. Et Primo quãdo ad vitæ defenſionem alia nõ eſt via euadendi iniuſtum inuaſorem, niſi acceptãdo, vel illi offerendo duellum. E. g. Inimicus armatus te inermẽ inueniens, ſi permittat tibi arma ſuſcipere, vt militariter te occidat; vel ſi tu roges, vt arma tibi permittat; tunc tale duellum, ſiue acceptetur, ſiue offeratur, non eſt illicitum, quia non eſt duellum ad indagandam veritatem, ſed eſt vera defenſio. Ità Caietanus 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *ad* 3. Nauarrus *c.* 11. *n.* 39. *& c.* 15. *n.* 9. Angelus *verb. Duellum n.* 2. Lyranus *in c.* 17. *lib.* 1. *Reg.* Leſſius *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 8. *n.* 49. & alij.

5 Neque obſtat dicere, quod Chriſtus reprehendit Petrum volentem ipſum defendere, dicens: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quia defenſio illa habebat potius ſpeciem vindictæ, quam defenſionis. Non enim probabile erat tantam turbam tali modo poſſe repelli. Erat etiã contra Chriſti voluntatem, & dum Petrus petierat *Domine ſi percutimus in gladio?* Expectare debebat Chriſti reſponſum. Nec ipſe Chriſtus opus habebat tali defenſione: nam dixit: *Nonne poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Erat etiam illa defenſio contra Dei Patris voluntatem. Vnde Chriſtus dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pater non vis vt bibam illum?*

6 Neque obſtat dicere: Plus tenemur diligere ſalutem animæ proximi, quàm noſtram vitam corporalem, & conſequenter ad animæ inuaſoris ſalutem ſeruandam; ſicut non licet illum occidere, ità nec duellum illi offerre, aut ab illo prouocatum, acceptare, quia ſi occidatur, anima illius peribit. Reſp. namque negando conſequentiam. Quia nõ tenemur lege charitatis, exponere propriam vitam pro ſalute alterius animę, quando inuaſor ſpontè, & ex mera malitia

litia

litia conijcit ſe in tali periculo, & poteſt ſe liberrimè à diſcrimine ſalutis ſuæ animæ eximere. Deindè qui inuaditur, non eſt certus ſuæ ſalutis, ſi ſe permittat occidi;& ipſe inuaſor vulneratus poteſt, ſe pœnitere,& ſaluari. Ità Leſſius *n.* 51.

7 Secundo, non ſolùm ſi quis minatur tibi mortem, ſed etiam ſi tibi minatur falſum teſtimonium,aut grauem iacturam diuitiarum, niſi duellum cum illo acceptes; & credis ſine dubio,tibi illud malum inferendum eſſe,recuſato duello;tibi licitum eſt duellum acceptare,et ad illud etiam inuitare; quia non inuitas ad malum, ſed ad minus malum; neq; eligis periculum mortis abſolutè: ſed certum periculum mortis, infamiæ, amiſſioniſq;bonorum commutas,in periculum dubium, & incertum. Ità docent Caſtro Palaus *par.1.tr.6.de charitate diſp.5.pun.7.n.9.* Sanchez *lib.2. in decal.c.39.n.8.* Valentia 2.2. *diſp. 3. q. 17.pun.1. verſ.Talis autem caſus,* Diana *to.5.tr.1.reſ.59.ex par.5.to.13. miſc. 1.reſ.27.* Coninchus *diſp.32.dub.2.n.4. caſ.7.& n.17.*Leſſius *lib.2.c.9.dub.8. n. 47.* Cum quo tamen notãdũ,quod hæc ſentẽtia etſi ſpeculatiuè probabilis videri queat: in praxi verò non eſt admittenda ob incommoda, quæ ex ea ſequi poſſunt. Facile enim homines ſibi perſuadent, ſe per calumniam accuſari;& non eſſe effugium,niſi morte accuſatoris;ſicq; multæ cædes iniuſtæ patrarentur;denique talis, in Republica benè conſtituta, vt homicida plecteretur.

8 Si autem iniuſtus,aggreſſor tuæ vitæ, vel honoris, vel diuitiarum, vellet vt duellum inires non ſecum, ſed cũ alio tertio innocente. Maior eſt difficultas, an poſſis cum illo tertio pugnare; vt ab iniuſta vexatione te liberes. Et ſententiam affirmatiuam eſſe probabilem, ſentiunt Valentia 2.2.*diſp.3.q.17. pun. 1. verſ. Ponunt etiam* Caietanus 2.2. *q. 95.ar.8.ad 3.* Sanchez *lib.2.in decal. c. 39.n.4.*Petrus Nauarra *lib.2.de reſtit.c. 3.in 2.par. dub.13. n.295.* Toletus *in ſum.lib.5.c.6.n.31.*quia tibi conceſſum eſt prouidere vitę tuæ cum proximi iactura, præcipuè cùm talis iactura non ſit intenta, ſed permiſſa.

9 Sed dicendũ cum D.Antonino *3.par. tit.4.c.vlt. §.vlt.* Tabiena *verb.Duellũ q. 3. n.4.* Armilla *ibi n. 5.* Syluestro, & alijs,quos ipſe citat *verb. Duellum q.2.* Henriquez *quodlib.5. q.32.* Abulen. 1. *reg.c.17.q.vlt.*Caſtro Palao *par.1.tr.6. diſp.5.pun.7.n.10.* Nõ licere in tali caſu duellum acceptare,quia non licet tibi directè interimere innocentem, vt vitam conſerues. Ergo ſi ille tertius te non aggreditur, nõ licet tibi, illum impetere,eiuſq; mortem procurare. Neq; te excuſare potes, affirmans, aggreſſorem,medio illo tertio innocente,te impetere: quia ille tertius te non impetit, ſed potius tu illum impetis, & aggrederis.Ergo nequis id præſtare,vt damnum euites.

10 Tertio licitum etiam eſt duellum acceptare, ſi illud tibi oblatum ſit ab accuſatore iniuſto, & promittit, ſe ceſſaturum ab iniqua accuſatione,ſi duellum admittis,ſecus ſi reſpuis. Quia neque ipſi irrogas iniuriam eum occidendo; cum ipſe ſe tali periculo expoſuerit; neq; tu male facis, periculum tale ſuſcipiens, illiuſq; occiſionem procurãs, cum in defenſionem propriam, & ad vitandam iniuriam id facias. Confirmatur, quia ſi aliquis iniuſtè aggrederetur, ad te infamandum in platea de graui crimine, neque vellet deſiſtere,niſi tu duellum admitteres,vel offerres. Poſſes quidem illud admittere, & offerre, vt honorem tuum defenderes, & à calumnia te liberares.Ergo à fortiori poteris, cum apud Iudicem te infamare intendit; cum hæc infamatio magis publica ſit, & grauioris damni periculo expoſita. Ità cum alijs Caſtro Palaus *vbi ſup.n.13.*

11 Quarto licitum eſt duellum acceptare à militibus,quando prouocantur ab hoſtibus,ad ſingularia certamina,vnius contra vnum,duorum contra duos,decem contra decem, &c. quia videtur neceſſarium illud acceptare,ne exercitus prouocantium animoſior fieret, ſi

pro-

prouocati non acceptarent, cuius rei exemplum habemus in Dauide contra Philiſteum 1. *reg.* 17. Ac etiam licitum eſt ad euertẽdam ignominiam exercitus prouocati; quia milites debent eius honori conſulere, iuxtà ea, quæ tradunt Panormitanus, & alij *in cap. Olim de reſtit.* Item ad animos hoſtium debilitandos, ſuorũq; confirmandos. Et tandem vt victoriæ facilius, & commodius in bello iuſto obtineantur. Ità docent Nauarrus *in ſum. c.* 15. *n.* 28. Azorius *par.* 3. *lib.* 1. *c.* 5. *quæſ.* 4. Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *par.* 3. *c.* 5. *n.* 3. Valentia 2. 2. *diſp.* 3. *q.* 17. *pun.* 1. *cauſa* 5. & 6. Manual. *to.* 1. *ſum. in* 2. *edit. c.* 73. *n.* 2. Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.* 39. *n.* 14. Filliucius *tr.* 29. *c.* 8. *n.* 142. & alij. Secùs verò dicendum: ſi hoc duellum ob curioſitatẽ, vel vanam fortitudinis oſtentationem diceretur: vt notant Caietanus *in ſum. verb. Duellum*, Sanchez, Nauarrus, & alij locis citatis. Quia nefas eſt, mediũ tam periculoſum, & atrox ob tam vanũ finem ſuſcipere. Et ſicut pro huiuſmodi ſolis cauſis non licet bellum ſuſcipere, ità nec duellum.

12 Quinto licitum eſt reſoluere bellum iuſtum in duellum: poteſt enim vtraq; factio, ſeu vterq; Dux exercitus inire pactum, vt cauſa per prælium decidenda, paucis ex vtraq; parte pugnaturis, decidẽda committatur, ità vt eius partis ſit victoria, cuius milites vicerint. Quia ſic vitantur plures cædes, pluraq; damna vtriq; parti contingentia in bello, & omnia reducuntur ad paucos. Requiritur verò, vt ſpes victoriæ non reddatur per duellum magis dubia, quàm per bellum. Grauiſſimè enim peccaret Princeps aduerſus ſuam Rempublicã, ſi certam victoriam, quam per bellum habere poſſet, in incertam duelli commutaret: peccaret etiam aduerſus duellantes, cum eos periculo interitus exponeret abſq; cauſa legitima. Secùs autem dicendum ſi Princeps bellum iuſtum gerens, videt ſe viribus deſtitutũ ad bellum, & ſi duello bellum terminandum committat, ſpes eſt eius victoriæ. Quia tunc prudenter agit transferens ruinam quaſi certam, in victoriæ ſpem. Ità docent Caietanus 2. 2. *q.* 95. *ar.* 8. *ad* 3. *in* 5. *cauſa*, & *in ſumm. verb. Duellum*, Armilla *verb. eod. n.* 1. Emmanuel Sà *n.* 1 Nauarrus *ſum. c.* 11. *n.* 39. *et c.* 15. *n.* 9. Martinus Delrius *lib.* 4. *diſquiſ. magic. c.* 4. *q.* 4. *ſect.* 2. Valentia *vbi ſup. pun.* 1. *col.* 3. *verſ. Talis autem*, Sanchez *loc. cit. n.* 16. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 6. *diſp.* 5. *pun.* 7. *n.* 15.

In dictis caſibus, in quibus duella licet eſt ne licitum conditionem apponere; vt nullus ex circumſtantibus opem alicui ferat?

13 Reſp. Affirmatiuè, quia quamuis videatur, eſſe contra charitatẽ, ſuccumbenti nõ ſubuenire, vtpotè qui in extremo vitę periculo eſt, niſi illi ſuccurratur: Tamen Sanchez exiſtimat *n.* 17. quod etiam ea conditione non expreſſa, ſemper in eo pacto includitur tacitè; neutrius factionis militi ſuccumbenti circumſtantes teneri ſuccurrere; immò teneri non ſuccurrere. Quia etſi ex parte bellantium iniuſtè ea cõditio iniqua ſit: at bonum commune, quod in omnibus præferendum eſt, poſtulat fidem hoſtibus ſeruari, & maximè in rebus ad bellum ſpectantibus. Ità Sanchez. Petrus autem Nauarra *lib.* 2. *de reſtit. lib.* 13. *dubit.* 13. in noua edit. *n. vlt.* quæſtionem hanc ſic reſoluit: Si duellum ſit ob defenſionem vitæ, vel rerum innocentis; & adhuc volens iniuſtè vexare, nolit deſiſtere, licitum eſt eam conditionẽ acceptare, & circumſtantes tenẽtur illi ſuccumbenti, non opem ferre. Quia ex parte illius duellũ eſt iniuſtum, eſſetq; peccato iniuſtitiæ cooperari. Quod ſi innocens ſuccumbat, tenẽtur circumſtantes illi ſubuenire: quia ex parte illius eſt iniuſta conditio. Quando verò duellum eſt illicitum, illicita quoque eſt conditio; cùm potius impedire vtramque partẽ oporteat. Hactenus Nauarra.

Si quis innocens ab impio Iudice dãnaretur, vel ad ſubeũdam mortem,

vel

vel ad pugnandum in duello, vt ſe ab impoſito crimine purgaret, eſſet ne ei licitum acceptare duellum?

14 RESp. non licere docent D. Antoninus *3.par.tit.4.c.vlt.§.vlt.* Tabiena *verb.Duellum q.3. n.4.* Armilla *verbo eod.n.5.* Syueſter *verb.eodem q.2.* Henricus *quodlib.5.q.32.* & alij. Tum quia duellum, cauſa indagandæ veritatis, eſt intrinſecè malum, vt ſupra dictũ eſt. Tum etiam, quia talis innocens non patitur iniuriam ab eo, cum quo pugnaturus eſt; ſed à Iudice. Ergo ei non licet acceptare duellum cum illo tertio verè innocente, & eius vitam periculo exponere.

15 His tamen non obſtantibus, in tali caſu eſſe licitum duellum acceptare, ſuſtinent Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtit.c.3.in 2.par.dub.13.* in noua edit. *n.295.* Angelus *verb.Duellum n.2.* Toletus *lib.5.ſum.c.6.n.32.* Sanchez *lib.2.in decal.c.39.n.4.* & alij. Quia talis innocens non acceptat duellum ex praua intentione Iudicis, ad indagandam veritatem, quod eſt intrinſecè malum; ſed ſolum intentione ſe defendendi, & vt mortem certam periculoſo duello euadat. Et videtur habere ius contra Iudicis iniuriam, etiam cum tertij detrimẽto, vt ſe defendat. Quia plus ſe ipſum in eo caſu diligere poteſt, quàm illum tertium, qui eſt veluti inſtrumentum ſententiæ iniuſtæ iniqui Iudicis?

Si duo ſint Iudicis ſententia damnati ad mortem, eſt ne licitum Principi pugnam ipſis concedere; Vt qui victor occidendo alterum euaſerit, vitam, & libertatem habeat?

16 RESp. Negatiuè, quia, quamuis hoc nil aliud ſit, quàm conſtituere, vt alter ſit miniſter iuſtitiæ ad occidendũ alterum, & vt vtriq; facultas detur ſe tuendi contra alterum. Tamen hic modus dandi mortẽ delinquenti, videtur in Conc.Trid. *ſeſſ.25. c.19.* prohibitus ſaltem ex parte Principis, vel Iudicis conſtituentis, & offerentis; quia habet quandam ſpeciem crudelitatis; vt notat Maior *4.diſt.15.q.23.* Filliucius *to.2.tr.29.c.8.n.159.* Azorius *par.3. lib.1. c.5. quæſ.8.* Ex parte verò condemnatorum talis pugna non eſſet illicita, ſi aliud remedium non ſuppeteret, vt ſe à morte liberarent. Quia non aliud eſſet, quã tueri vitam propriam, & vterque eſſet conſtitutus miniſter iuſtitiæ ad occidẽdum alterum.

Eſt ne licitum acceptare duellum, ad terminandam litem criminalem; aut ciuilem?

17 RESp. Negatiuè, quia duellum non eſt medium aptum ad terminãdas lites; exponitur enim periculo necis vita innocentis; cùm accidere poteſt, vt innocens vincatur, & pereat occiſus. Ità Sanchez *lib.2.in decal. c.39.n.6.* Azorius *vbi ſup. quæſ.5.* & alij communiter. Si verò innocens certus eſſet ob fraudes, & calumnias iniuſti actoris fore, in iudicio condemnãdus ad mortem, vel ad mutilationem, vel ad amiſſionem notabilis quantitatis rerum familiarium, & non poſſet Iudicis iniuſtitiam impedire, tũc poſſet, ne dum duellum acceptare, ſed offerre, quia vt docet Valentia *2.2.diſp.3.q.17.pun.1. col. 5. verſ. Nec ſecundo:* eiuſdem rationis ſunt, ad duellum prouocare; & illud acceptare; quoties cauſa neceſſariæ defẽſionis vtrumq; fit. Et in caſu prædicto id eſt ſubire minus malum, nempè dubiæ mortis, aut mutilationis, vel amiſſionis bonorum periculum, ad euitandum maius malum, certę mortis ſubeũdæ ob aduerſarij calumnias, & fraudes. Nec reuera eſſet duellum, ſed defenſio contra inuadentem, quæ iure naturali conceditur. Ità ſuſtinent Bannes *2.2.q.64.ar.7.dub.4.in corp.& in ſolut. ad ſecũdum* Manuel. *to.1.ſum.in 2.edit. c.73. n.1.* Petrus Nauarra *lib.2. de reſtit. c.3. in 2.par.dub.13.* in noua edit. *n.289. & 290.* Sanchez *loc.cit.n.7.* Caietanus *2.2. q.95. ar.8. circa ſolutionem ad 3. in 4. cauſa, & in ſumma verb. Duellum n.3.*

Vbi

Vbi quãuis dicat licitum eſſe ſuſcipere duellum auctoritate Principis: Tamen Sanchez *ibid.* ait: Melius alij dicunt licere huic innocenti duellum, ad vitam, honorem, & res familiares in notabili quantitate tuenda; quando cõſtat omninò, iniuſtè, & per calũmniam actorem procedere; & certum omninò eſt, fore, vt innocens hæc amittat, nec aliud ſibi euadendi remedium ſuppetat. Et ità etiam docet Diana *to.5.tr.1.reſ.59.n.2. ex par.5.tr.13.reſ.*27. contra Leſſium, Suarez, & Petrum de Aragonia, quos ipſe citat *n.*1.

Eſt ne licitum acceptare duellum ob defenſionem proprij honoris?

18 RESp. Negatiuè, quia etſi liceat inuaſo, ad tuendum ſuum honorem, occidere inuaſorem, quando honori aliter conſulere nequit. Tamen nemini licet, ad vindicandam iniuriam receptam, alterum occidere; quia non datur defenſio, vbi non eſt aggreſſio. Inuitans autem ad duellum, ad vindicandam iniuriam, non eſt in illo tunc aggreſſus, ſed aggreditur inimicum. Ergo nullo modo ei licet alterum, ad duellum prouocare: quia talis prouocatio eſt inuaſio, ſeu aggreſſio, non defenſio. Neque licet prouocato acceptare duellum, ob defenſionem proprij honoris, ne illud reſpuens videatur ignauus, & timidus, non enim crederetur, reſpuiſſe duellum, ob vitandã Dei offenſam, ſed ob timorem. Quia illicitum eſt, & mortale peccatum, mortem alteri procurare, niſi in ſui defenſionem. Acceptatio autem duelli nõ eſt defenſio. Non enim datur defenſio, vbi non eſt aggreſſio. Neque inuitans ad duellum, cogit ad pugnam, ſed ſolum ſuadet. Dum ergo nulla vis prouocato infertur, quam non poſſit repellere, neque ipſe duellum acceptare poteſt ob ſui honoris defenſionem. Nõ enim in hoc caſu militat ratio de viro nobili, quem alius aggreditur; quia iſte aggreſſione patitur vim, quam non tenetur fuga ſibi ignominioſa declinare, ſed occiſione poterit auertere. Inſuper etſi apud vulgares, & improbos, duellũ reſpuere, ignominiæ tribuatur; apud ſapientes tamen, & probos, id honori aſcribitur; dum ob ſeruandam diuinam legem reſpuitur; quod falſæ vulgi opinioni præponderat. Nec etiam eſt ſimile de fuga, dum nobilis inuaditur, quia viro nobili, militiam profitenti, talis fuga reputatur ignominioſa, etiam apud probos, & ſapientes. Tandem etiã apud mundanos prouocatus ad duellum, ſatis conſulet ſuo honori, prouocanti reſpondendo; Paratus ſum ad mei defenſionem, quandocunque inuaſus fuero. Sed duellũ acceptare nolo; quia legi diuinæ aduerſatur. Eſſe namque paratum, ad ſe defendendum, non eſt peccatum. Ità docent Caietanus 2.2.*q.* 95.*art.*8.*circa ſolut. ad 3.in caſu* 3. Armilla *verb.Duellum n.*1. Sotus *lib.*5. *de iuſt.q.*1.*ar.*8. Petrus Nauarra *lib.*2. *de reſtit.c.*3.*in* 2.*par.dub.*13. *in noua edit. n.*286. Bannes 2.2.*q.*40.*ar.*1.*& q.* 64. *ar.*7.*dub.*3.*ad* 3. Valentia 2.2. *diſp.*3.*q.* 17.*pun.*1.*in* 2.*cauſa*, Sanchez *lib.*2. *in decal. c.*39.*n.*9. & alij communiter.

Duelli vſus, quibus pœnis iure Canonico punitur?

19 RESp. quod huiuſmodi pœnæ determinantur in *Conc.Trid.ſeſſ.* 25.*de refor.c.*19. his verbis: *Deteſtabilis duellorum vſus, fabricante Diabolo, introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur; ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur: Imperator, Reges, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales; qui locum ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint; eo ipſo ſint excommunicati, ac iuriſdictione, & dominio Ciuitatis, Caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, priuati intelligantur; & ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur. Qui verò pugnam cõmiſerint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bo-*

no-

norũ ſuorum proſcriptionibus , ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant,& vt homicidæ iuxta Sacros Canones puniri debeant , & ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam qui conſilium in cauſa duelli, tam in iure,quam in facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquã ſuaſerint,nec non ſpectatores, excommunicationis , ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur : Non obſtante quocũque priuilegio , ſeu praua conſuetudine, etiam immemorabili. Hæc Concilium.

20 Notant autem Martinus del Rio *lib.4.diſquiſ.magic. c.4.q.4.ſect.2.* Sanchez *lib.2.in decal.c.39.n.22.*Nauarrus *lib.5.conſil. conſ.2. circa finem*, Suarez *to.5. de cenſur.diſp.23.ſect.vlt. n.9.* ſupradictum Concilium loquutum fuiſſe tãtum de duellis ſolemnibus, & publicis:qualia olim fieri ſolebant auctoritate Principum , vel ad purgandam infamiam , vel ad veritatem indagandam. Sed Gregorius XIII. *in ſuo motu proprio*, incipiente : *Ad tollendam deteſtabilem, edito anno* 1582. non ſolum confirmauit, & innouauit,quæ in dicto decreto ſtatuit Concil. Tridentinum. Sed illa ampliauit ad duella priuata, & ad omnes illos,*Qui ex condicto ſtatuto tempore,& in loco conuento monomachiã commiſerint, etiamſi nulli patroni, ſocijue, ad id vocati fuerint,nec loci ſecuritas habita , nullæque prouocatoriæ litteræ, aut denunciationis chartulæ præceſſerint. Omneſque duellum fieri mandantes , inſtigantes, auxilium,conſilium , vel fauorem dantes, equos,arma, pecunias, commeatũ,& alia ſubſidia,ſcienter ſubminiſtrantes:aut ex compoſito ſpectatores,vel ſocios quouis modo ſeſe præbentes,eiſdem cenſuris, & pœnis , ſubiacere; etiamſi illi , qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerint, impediti , pugnam non commiſerint,ſi per ipſos non ſteterit , quominus illa committeretur.*

21 Inſuper Clemens VIII. in ſua conſtitutione,quæ incipit:*Illius vices,edita 2.Septembris* 1592. confirmat , & declarat ſupradictam conſtitutionem , & decretum Concilij Tridentini, ac inſuper decernit eandem conſtitutionem, ac decretum , locum habere vbique gentium,& terrarum inter quaſcunque perſonas, etiam vbi catholicę fidei hoſtium furor impunè graſſatur.Nec non ijſdem pœnis teneri eos,inter quos pactiones initæ ſunt de dirimendo certamine , cum primum alteruter vulneratus fuerit, ſeu ſanguinem effuderit; aut certus ictuum numerus vtrinque illatus fuerit. Vel ſi conuenerint, vt non ſinguli cum ſingulis,ſed bini, terni,aut plures hinc inde pugnent. Et excõmunicationis abſolutionem etiam priuati duelli , ſibi & ſucceſſoribus ſuis reſeruauit.

Ad excommunicationem, & alias ſupradictas pœnas incurrendas quid requiritur?

22 Reſp. requiri primo , vt *Ex condicto*,ideſt *Ex pacto*,ſeu *Ex conuẽtione* fiat duellum , vt patet ex verbis Bullæ Gregorij XIII. *Auctoritate Apoſtolica ſtatuimus primo: illos qui ex condicto ſtatuto tempore , & in loco conuento monomachiam commiſerint.* Vnde pugna, quæ oritur ex rixa , & ex repentino furore non dicitur duellum,etiamſi aggrediens dicat euagina gladium,volo tecum duello decertare : quia non fit ex condicto. Ità Tuſcus *to.2.concluſ.* 805. Sanchez *lib.2.in decal. c.39. n.*28. Filliucius *tr.*15.*c.* 5.*q.* 5.*n.* 107. Peregrinus *de duello q.*16.*n.*9. Bonacina *to.* 1.*de excommunicat.diſp.2.q.6.pun.*1.*n.* 5. & alij. Similiter qui pugnam in Eccleſia inchoarunt , & ob loci reuerentiam foras egrediuntur , & ibi pugnæ finem imponunt.Hæc enim non eſt pugna ex condicto, ſed ex rixa: principiũ enim huius actionis inſpiciendum eſt; & ideò non eſt propriè duellum. Neq; qui eodem tempore, quo offert duellũ gladio aggreditur , & alter cogitur, ſtatim pugnare , eſt duellum , quia ex parte vnius dicitur potius aggreſſio, & ex parte alterius defenſio; coactè enim pugnam ſuſcepit non ex condicto . Ità ſupradicti Doctores , & Diana *to.* 5.*tr.*

1. *reſ.*58.*n.*2. *ex par.*6. *tr.*6. *miſc.* 1. *reſ.* 21.

23 Secundo requiritur, vt fiat: *Statuto loco, & tempore*, vt ex definitione duelli, & *ex dictis verbis Gregorij XIII*. Ideò qui ob priuatas inimicitias, ſe ipſos ad pugnandum inuitant, & alter alterum occidit; non dicitur propriè commiſiſſe duellum, neque incidiſſe in pœnas pugnantium in duello; quia in eo requiritur aſſignatio loci, & temporis determinati. Item ſi alicui relatum fuit; Petrum e. g. de ipſo male loquutum fuiſſe, & Petrum aggreditur, coarguēdo illum, mentitum fuiſſe, & ſi ſuſtinere voluerit, quod dixit, ad pugnam illū prouocat, & ſtatim manum enſi apponit. Hæc pugna non eſt prouocatio ad duellum, quia non fit ſtatuto loco, & tempore; ſed potius eſt iniuſta aggreſſio; vt ait Bonacina *to.* 1. *de excommun. diſp.*2. *q.*6. *pun.*1. *n.*14. contra Peregrinum *de duello q.*25. *n.*2. Neque dicitur duellum quando quis prouocat inimicum, ad pugnandum, ante illum deambulās torua facie, aut verbis cōtumelioſis afficiens: quia nō ſtatuitur locus, nec tempus ad duellum: ſed potius eſt prouocatio ad rixam, & altercationē. Et conſequenter iſti, nec excommunicationem, neque alias duellātium pœnas incurrunt; vt affirmat Bonacina *ibid. n.*16. Nec etiam eſt duellū, quando quis armis deſtitutus, cum altero contendens, adit domum, ad capiendū enſem, & rediens inimicum diffidat, & ſtatim certamen aggreditur; quia ſimiliter non eſt certamen ex condicto ſtatuto loco, & tempore; ſed potius ex rixa, vt ait Filliucius *tr.*15. *c.*5. *n.*112.

24 Secus verò dicendum, ſi quis alteri diceret: Vade ad capiendum enſem hic te expecto; vel veni ad talem locū; ibi te expecto, vel inuito ad duellum: iſti vtique incurrerent duellantium pœnas; quia initur pugna ex præuia conuentione, & ſtatuto loco, & tempore. Ità Bonacina *loc. cit. n.*7. Barboſa *in Concil. Trident. ſeſſ.*25. *de reform. c.* 19. *n.*10. Peregrinus *de duello q.*15. *n.*3. & alij. Item ſi quis inimico diceret: cùm prima vice mihi occurreris in vrbe, te inuoco ad pugnam, incurreret in pœnas duelli, quia adeſt aſſignatio loci, nempè in vrbe, & temporis nempè prima vice mihi occurreris. Ità Bonacina *loc. cit.* Sed in hoc caſu contrariū ſuſtinent Diana *to.*5. *tr.*1. *reſol.* 60. *ex par.* 5. *tr.* 13. *miſc.*1. *reſol.* 59. Iacobus Martinus *in practica viſitandi infirmos pract.* 4. *n.* 16. *dub.* 9. Quia tota Vrbs non eſt propria loci aſſignatio, non enim locus eſt certus. Nec eſt propria aſſignatio temporis, quia illud (*Cum ſeſe obuiam habuerint*) eſt tempus incertum, nec dici poteſt aſſignatio temporis determinati. Rurſus ſi quis diceret inimico exiſtenti in platea, E. g. vt inde exeat, ne pugna ab ibi exiſtentibus impediatur, eamus ad talem locum: committeret duellum; quia ſtatuiſſet locum, & tempus, ſcilicet præſens; dummodò hoc faceret præmeditatè, & non ex repentina rixa, & calore iracundiæ: ſi enim prouocatio fieret, ex rixa non eſſet pugna ex condicto, neque propriè duellum. Ità Sāchez *vbi ſup. n.*28. Peregrinus *q.*18. Filliucius *loc. cit. n.*3. Bonacina *n.* 7. Floronus *de duello cap.*1. & alij. Similiter ſi quis ſignis proponat duellum, & nutibus indicat locum ad pugnandum, incurrit dictas duelli pœnas; quia nutus & ſigna vicem verborum ſuſtinent. Ità Peregrinus *q.*2. *n.*2. Bonacina *n.*16.

25 Tertio requiritur, vt duellum fiat cū periculo occiſionis, vel vulneris, vt patet ex eius definitione. Et duellum ſub cenſuris prohibetur, ob graue periculum occiſionis, vel mutilationis, aut vulneris, vt notant Filliucius *tr.* 15. *c.* 5. *n.*113. Floronus *de duello c.*6. §.2. Bonacina *de excommunicat. diſput.*2. *q.*6. *pun.*1. *n.*14. Vnde qui alterum inuitat ad duellum, non animo offendendi, ſed tātummodò cauſa honoris proprij defendendi, etiam ſi *Ex condicto*, & *Statuto loco, & tempore* accedant ad pugnā cum morali tamen ſecuritate, quòd nullam offenſam vterque ſuſtinebit, ſed tantummodò inferendo aliquos ictus, vt poſtea pax ſequutura ſit, non in-

incurrunt in foro conſcientiæ excommunicationem,quia non eſt *pugna cum periculo læſionis.* Duellum enim prohibetur ob periculum grauis læſionis.Ità ſupradicti Doctores locis citatis , & Diana *to.5.tr.1.reſol.52.n.1.& reſ. 64. n.8.ex par.3.tr.6.miſc.2. reſ. 1.& par. 7.tr.11.miſc.2.reſ.44.n.8.* Trullenchus *in decal. tom.2. lib. 5. c.2. dub.13.n.22.* Barboſa *in Trident.ſeſſ.25.c. 19.n. 13. verſ. Nono quæritur.*Contrarium ſuſtinet Peregrinus *de duello q.* 24. ſed prima ſententia probabilior eſt, & tuta quamuis in foro externo præſumatur talis pugna verum duellum;quia forus externus ſolum intuetur actum externum ; non verò internas animi cogitationes.Ità Bonacina, & alij.Excluditur etiam à cenſuris concertatio, quæ vel inter mulieres fieret euulſione capillorum , vel inter viros pugnis ſolummodò, aut alio inſtrumento non periculoſo,quia huiuſmodi concertamẽ eſt ſine periculo occiſionis, vel mutilationis. Ità Filliucius *to.1.tr.15.c.5.n.107.*

26 Secus autem dicendum, quando initur in duello pactum , vt pugna terminetur, cum primum alteruter vulneratus fuerit,ſeu ſanguinem effuderit, vel certus numerus ictuum abſq; ſecuritate non ſe offendendi,vtrinq; illatus fuerit. Quia in his caſibus Clemens VIII. vt ſupra notatum eſt expreſsè decreuit, *incurri omnes duellantium pœnas,etiam ſi non adſit certum occiſionis periculum, ſed tantum dubium.*

Vir equeſtris ad duellum prouocatus, poteſt ne illud acceptare , ne timiditatis notam apud alios incurrat?

27 RESp. fuiſſe olim aliquorum Doctorum opinionem affirmãtium, poſſe illud acceptare;quia duellum nõ acceptãdo,æſtimabitur timidus,& apud alios erit ſemper inglorius ; & ſicut licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ,occidere aggreſſorem, inuadentem bona temporalia magni momenti : ità licitum eſſe honorẽ per duellum tueri. Hæc autem opinio nullo modo ſuſtineri poteſt. Tum quia falſum eſt reputari timidũ,& inglorium,non acceptãtem duellum,ne tam graue crimen cõmittat apud prudentes,& fideles Chriſtianos: cùm , vt ſupra dictum eſt , ſe honori,& ne videatur timidus,alio modo prouideri poteſt. Tum etiam quia Alexander VII. *die 24. Septemb. 1665. in ſua Conſtit.* quæ incipit *Sanctiſſimus Dominus noſter* , inter alias propoſitiones,quas ſtatuit, & decreuit , tanquam ſcandaloſas, eſſe damnandas, & prohibendas, & eas damnauit, & prohibuit ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda,à qua non poſſit,præter quàm in articulo mortis ab alio abſolui,niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice:nec quis illas doceat , defendat,aut de eis etiam diſputatiuè publicè , aut priuatim tractet, niſi impugnando , numeratur hæc propoſitio ſecũda in ordine(*Vir equeſtris ad duellum prouocatus, poteſt illud acceptare,ne timiditatis notam apud alios incurrat.*) Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedictiæ, & ſub interminatione diuini iudicij, prohibet omnibus Chriſtifidelib. cuiuſumq;dignitatis,cõditionis, ac ſtatus,etiã ſpecialis,ſpecialisſima nota dignis, *Ne prædictas opiniones,aut aliquã ipſarum ad praxim deducant.*Hæc Alexander VII.

Eſt ne ſaltem licitum , prouocato ad duellum,illud acceptare, & exire in locum condictum , nõ cum abſoluta voluntate pugnandi , ſed conditionata ſi ibi iniuſtè prouocetur?

18 RESp. Negatiuè, quia non ſolum in dicta Conſtitut. Alexandri VII. prohibetur duelli pugna,ſed ipſa duelli acceptatio , vt patet ex ſupradictis verbis : Neque obſtat in contrarium , quod acceptatio duelli, eſt volũtas deliberata , ſeu abſoluta pugnandi, qua iſte caret.Neque quia media, quæ elegit ad finem tuendi ſuum honorem sũt indifferentia ad bonum, & malum, nẽpè egredi in talem locum,& ibi deambu-

bulare abſque voluntate pugnandi, niſi prouocatus, aut coactus, quæ omnia videntur honeſta, dum ordinantur ſub conditione defenſionis, ab iniuſto aggreſſore. Nam reſpondetur, negando, licitum eſſe acceptare duellum abſque voluntate deliberata pugnandi. Caſus enim iſte eſt merè chimericus; quia prouocatus eo ipſo, quod acceptat duellum, acceptat pugnam, quæ eſt ex ſe, & intrinſecè mala. Et ideò ipſa acceptatio duelli eſt Eccleſiaſtico iure prohibita: quia in illa acceptatione vterq; prouocatur ad pugnam, & duellum acceptans videtur etiam cauſa ruinę prouocantis. Neque acceſſus ad locum, & ibi deambulare, dici poteſt quid indifferens; dum ordinantur ad expectandũ alterum duellãtem: quia hoc idem eſt, ac expectare pugnam: & conſequenter per ſe eſt intrinſecè malum, ſicut & ipſa pugna. Neque dici poteſt, quod hæc ordinantur ſub conditione defenſionis ab iniuſto aggreſſore. Nam quis vnquã dicet, eſſe defenſionem, periculo ſe exponere occiſionis? Vera defenſio eſt nõ aceptare duellum, nec in locum condictum accedere.

Qui ob præmiſſam prouocationem ad duellum ſe confert ſtatuto tempore ad locum præfixum, & ibi expectato inimico, ſed non comparente diſceſſit, incurrit ne excommunicationem, & alias duellantium pœnas?

29 RESp. Filliuciũ *tr. 29. c. 8. n. 170. & 176.* Peregrinum *tr. de duello q. 4. n. 5. & 7. & q. 41. n. 2. & 4.* Lucã Floronum *in tr. de duello c. 1. §. 1. n. 3. & c. 3. §. 1. n. 14.* ſuſtinere; tàm prouocãtem, quàm duellum acceptantem, incurrere excommunicationem, etiam effectu nõ ſecuto. Tum quia praxis in ſacra pœnitentiaria eſt, vt etiam effectu non ſecuto cenſeantur excommunicati; & hic eſt ſtylus Curiæ Romanæ, qui facit legem. Tum etiam, quia ſi mandantes, conſulentes, inſtigantes, & alij auxiliũ, & fauorem præſtantes, vel aliquo modo ad duellum cooperantes, incurrunt excommunicationem, vt expreſsè ſtatuerunt Gregòrius XIII. & Clemens VII. *locis citatis*, etiam ſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerint, impediti, pugnam nõ commiſerint. Ergo illam etiam incurrunt ſe diffidãtes, quamuis pugna non ſequatur.

30 Sed contrarium docent Sanchez *lib. 2. in decal. c. 39. n. 28.* Scortia *in bull. Pontif. epitome 155. theoram. 392.* Megala *3. par. lib. 4. c. 4. quæſ. 2. n. 11.* Ioannes Franciſcus Suarez *in Enchiridio caſuum conſcientiæ lib. 7. verb. Duellum*, Naldus *verb. Duellum n. 6.* Riccius *in praxi to. 3. reſ. 52.* Diana *tom. 5. tr. 1. reſ. 52. n. 8. & reſ. 53. & 54. ex par. 2. tr. 16. miſc. 2. reſ. 53. alias 55. & ex par. 3. tr. 6. miſc. 2. reſ. 1. n. 8. & ex par. 5. tr. 14. miſc. 2. reſ. 102.* Hurtadus de Mendoza *in 2. 2. diſput. 170. ſect. 21. §. 190.* Bonacina *to. 1. de excomm. diſp. 2. q. 6. pun. 1. n. 41.* Fagundez *in decal. lib. 5. c. 8. n. 29.* & alij. Hi omnes ſuſtinent non incidiſſe in excommunicationem, prouocantem, vel acceptantem duellum, niſi ſecuta ſit pugna, etiamſi alteruter, tempore præfixo, ſe ad locum conſtitutum contulit, & ibi inimicum ad pugnam expectauit; ſed quia non comparuit intra terminum diſceſſit. Quia ad incurrendam excommunicationẽ Gregorius XIII. requirit, vt ſequatur pugna, vt patet ex illis verbis: *Qui ex cõdicto ſtatuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiſerint.* Non dicitur autem monomachiam, ſeu duellũ commiſſum, quando pugna non ſequitur, ſed tantum voluiſſe duellum committere. Ergo effectu nõ ſecuto non incurritur excommunicatio. Confirmatur quia, quando pœna infligitur propter delictum, non contrahitur delicto non conſumato, niſi exprimatur à Legislatore. Vnde qui homicidium imperat, non ſit irregularis, niſi ſequatur homicidium. Ergò ſimiliter excommunicatio hęc non incurritur, niſi ſecuta pugna, & conſummato delicto. Immò nec etiam incurritur, ait Fagundez, ſi

in

in via aliqua impediatur duellum, vel impediatur in loco, ad quem ex condicto conuenerunt ob dictas rationes.

31 Ad ſupradictas autem rationes in contrarium reſpondetur. Ad primam, quod praxis Sacræ Pœnitentiariæ; vel ſtylus Curiæ Romanæ, vt ait Hurtadus facit legem, quando habet, aut formale, aut virtuale præceptum Pontificis, non verò quando illud non habet. De præcepto autem in dicto caſu nihil nobis conſtat. Ad ſecundam reſpondetur, negando conſequentiam: Nam in pœnis non valet argumentum à maiori ad minus: ſed ſtandum eſt verbis conſtitutionis: & pœna excommunicationis nō incurritur, niſi ſit in iure expreſſa, vt omnes fatentur. Ex verbis autem conſtitutionis non colligitur, prouocātes ad duellum eſſe excommunicatos, niſi ſecutus ſit effectus, & monomachiam commiſerint. Secus, aut colligitur, de ſocijs, de mandantibus, cōſulentibus,, & cæteris alijs. Nam de iſtis expreſsè dicitur: cenſuris, & pœnis ſubiacere; etiamſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerint, impediti pugnam non commiſerint. Et ratio huius diſparitatis eſt, quia tam ſocij, quàm mandantes, conſulentes, & cæteri præſtito comitatu, mandato, concilio, & cæt. quantùm eſt ex ſe, cōſummarunt delictum, & per ipſos non ſtetit, quin duellum committeretur: Et ideò etiamſi poſteà non ſequatur, iam excommunicationem contraxerunt.

Contra quas perſonas, vltra duellantes, lata eſt excommunicatio huiuſmodi?

32 Reſp. contra omnes illos, qui exprimuntur in Conſtitut. Gregorij XIII. his verbis: *Volumus autem locorum dominos, ſi certamen ex condicto huiuſmodi permiſerint, aut quantum in ſe fuerit, non prohibuerint, omneſque illud fieri mandantes, inſtigantes, conſilium, vel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia huiuſmodi ſubſidia ſcienter miniſtrantes, & ex compoſito ſpectatores, vel ſocios, vel patrinos, quouis modo ſe præbentes, cenſuris, & pœnis ſubiacere; etiam ſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerint, impediti, pugnam non commiſerint, & per illos non ſtetit, quominus illa committatur. Hæc Gregorius.* Quæ etiam confirmata fuerunt à Clemente VIII. in ſuo motu proprio, qui incipit: *Illius vices*, edita 2. Septembris 1592. illis verbis: *Qui ſuaſerint, mandauerint, &c. quiue in præmiſſis; vel eorum aliquo ſe quomodolibet intermiſcuerit, etiam ſi pugna nec certamen fuerit ſecutum.*

Prouocatus ad duellum poteſt ne, ad ſua negotia peragenda, armatus incedere, ac ſi eſſet cum inimico pugnaturus, vel tenetur è domo non exire?

33 Reſp. Poſſe è domo ad ſua negotia peragenda exire, & armatus, & ad pugnam paratus, incedere, dummodò non accedat ad locum duelli condictum, neque per loca, in quibus certò ſciat inimico obuiam ire. Quia non tenetur relinquere illas actiones, quas ſine ſuo notabili damno præterire non valet; quamuis ex illis alius occaſionem ſuæ ruinæ ſit accepturus. Et poteſt, ac debet benè armatus ambulare, dum non ſine periculo pugnandi, incedit. Sic enim armare, non eſt peccatum; & in ea occaſione prudentis eſt pericula timere, & contra illa ſe præparare. Nec inde prouocator ſcandalū patitur; quia ipſe ſua prouocatione illum coegit, vt ad ſui defenſionem ſe armaret. Igitur poteſt prouocatus è ſua domo exire, cum voluntate non abſoluta pugnandi, ſed conditionata, ſi aliter ſe honeſtè tueri, non poterit, & prouocator pugnare coegerit. Quia hæc voluntas non eſt mala, ſed de obiecto bono, & eſt neceſſaria defenſio ab iniuſto aggreſſore. Ità docent Bannes *in 2. 2. q. 64. ar. 7. dub. 3. in fin.* Sanchez *lib. 2. in decal. c. 39. n. 11.* Hurtadus de Men-

Mendoza *in 2.2.diſp.170.ſect.12.§.96.* *&* 97. Diana *to.5.tr.1.reſ.57.ex par.5.* *tr.13. miſc.1.reſ.25.*

Conſulens duellum, ſi fecit quantum potuit, reuocando conſilium, ſed nihil profecit, incurrit ne excommunicationem?

34 RESp. quod vel conſulẽs duellum, reuocauit efficaciter ſuum conſilium ante prouocationem ad pugnã, ne ipſa prouocatio ſequeretur: & non incurrit excommunicationem: quia per ipſum ſtetit ne haberet effectum, ſuum conſilium. Quod autẽ nihil profecit; ipſe nõ amplius eſt in cauſa duelli. Quod ſi ſequatur, eſt ex praua volũtate duellantis, qui voluit inimicum diffidare. Ità Bonacina *to. 1. tr. de excomm. diſp. 2. q. 6. pun. 1. n. 35.* Peregrinus *de duello q. 29.* Celeſtinus *in compend. Theolog. moral. tr. 3. c. 10.* Hurtadus *in 2.2. de fide, ſpe. & charit. vol. 21. diſp. 170. ſect. 21. §. 189.* Diana *to. 5. tr. 1. reſ. 58. n. 4. ex par. 6. tr. 6. miſc. 1. reſ. 21. n. 4.* Si autẽ non reuocauit conſilium ante prouocationem, ſed tantùm poſt prouocationem ne ſequeretur pugna: tunc incurrit excommunicationem, quia cẽſetur ſuum conſilium influxiſſe, ad duellum prouocandum; & Clemens VIII. *in ſua conſtit.* ait: *Excommunicamus, & anathematizamus omnes id ſcelus ſuadentes, aut prouocantes, opem, conſilium, vel fauorem præſtantes.* Ità ſuſtinet Bonacina *n. 36.* Contrarium verò docẽt alij ſupradicti Doctores. Qui nulla facta diſtinctione, an conſilij reuocatio facta ſit ante, vel poſt prouocationem ſimplicitèr affirmant: *Conſulentem duellum non incurrere excommunicationem ſi fecit quantum potuit reuocando conſilium*; licet nihil profecerit, quia quantum eſt ex ſe, effecit, vt per illũ ceſſaret duellum; quod ſi non ceſſauit, ipſe iam non eſt in cauſa: quia nouum conſilium dedit, de ſe efficacius, ad reuocandum duellatorem, qui ſi non reuocetur, eſt propter eius prauitatem; iamque non mouetur ex eius cõſilio formaliter, ſed materialitè. Et Gregorius XIII. expreſsè dixit: *Conſulentes eiſdem cenſuris, & pœnis ſubiacere, ſi per ipſos non ſtetit, ne pugna ſequatur*: Non dixit ne prouocatio ſequatur. Et Clemens VIII. per verbum illud: *Prouocantes*, intellexit ſcilicet *Ad duellum, & ad pugnam.* Ergò cùm quis efficacitèr reuocat ſuum conſilium, etiam poſt prouocationem, & ante executionem duelli, ne ſequatur ipſa pugna, non contrahit excommunicationem.

Conſulens duellum alicui, qui ante ſuum conſilium erat determinatus, illud committere, ligatur ne excõmunicatione?

35 RESp. Negatiuè, quia conſulens non ligatur cenſura, niſi verè influat in effectum prohibitum, ſub cenſura: vt docent Nauarrus *cap. 27. n. 51. circa fin. ex c. Felicis, §. illud de pœnis in 6.* & ibi Gloſſa *verb. Simplici*, Auila *2. par. c. 5. diſp. 3. dub. 3.* Bonacina *to. 1. tr. de cenſur. diſp. 1. q. 1. pun. 6. n. 2.* & alij communiter. Sed quando quis eſt determinatus committere duellum, conſilium alterius, ad illud non influit. Ergò talis conſulens non ligatur excommunicatione. Secus verò ſi conſulens augeret illius voluntatẽ, vel magis cõfirmaret, ad faciendum duellum, vel vt liberius, ac libentius illud committeret, tunc enim ſuo conſilio influeret ad illud, & conſequenter excommunicationem incurreret, vt notat Bonacina *loc. cit. n. 3. & 4. & to. 2. de reſtitut. diſp. 1. q. 2. pun. 7. n. 4.* Vaſquez *de reſtit. c. 9. §. 1. dub. 1. n. 6.* & alij.

Quomodo quis cognoſcere poteſt, an ſuum conſilium influxerit in duellum?

36 RESp. poſſe primo cognoſcere ex dicto ipſius duellantis, cui datum eſt conſilium, ſi eſt fide dignus. Vnde ſi afferat, ſe nullo modò motum fuiſſe ſuo conſilio, ad duellandum, poteſt illi credere, & exiſtimare, ſe ad il-

illud duellum non influxiſſe. Secundo ex coniecturis. Vt ſi maiori cum ardore duellum prouocet, vel acceptet, vel ſi poſt eius conſilium neceſſaria, ad duellandum cum ſollicitudine præparet, & ex ſimilibus. Ità docent Auila *vbi ſup.* Sayrus *lib. 7. c.3. n.2.* Henriquez *lib. 14.c.16.n.3.* Sanchez *in decal. lib.1.c.10.n.44.* Bonacina *loc.cit.n.8.*

Si conſulens, adhibita diligentia, adhuc dubitat: an per ſuum conſilium influxerit, ad prouocandum, vel acceptandum duellum, ligatur ne excommunicatione?

37 R Eſp. Affirmatiuè; quia poſſeſſio non ſtat pro conſulente, dubitante, ſed contra ipſum. Nam poſſeſſio ſtat, pro quo ſtat iuris præſumptio; ſed præſumptio iuris ſtat contra conſulentes. Ius enim iudicat; conſulentem eſſe excommunicatum, eò quod exiſtimatur, duellantem non commiſiſſe duellum abſque conſilio: vt colligitur ex *l. Merito, ff. Pro ſocio*. Et docent Maſcardus *de probationibus to.1. concl.419 n.9.* Auila *2.par.n. 3.dub.3.* Sayrus *lib. 7.c.3.n.2.* Sanchez *in decal. lib.1.c.1.n. 44.* Henriquez *lib.13.c. 16. n. 3. lit. D.* Bonacina *to.1. de cenſuris diſp. 1. q. 1. pun.6.n.8.* & alij.

Conſulens duellum, quod ſi non conſuluiſſet ipſe, certè cõſuluiſſet alter, incurrit ne excommunicationem?

38 R Eſp. Affirmatiuè; quia re vera ſuo conſilio influxit in duellũ, & illius cauſa fuit. Nec obſtat, quod alter certò idem conſilium dediſſet: nã ſicut ille cõtraxiſſet excommunicationem: ità eandem contraxit ipſe præueniendo ſuo conſilio. Sicut conſulens furtum, vel aliud damnum, quod alter etiam conſuluiſſet, tenetur ad reſtitutionem; quia fuit cauſa illius furti, vel damni; & eadem obligatio, quam alter ſubijſſet, transfunditur in ipſum ratione damni, quod ex ipſius conſilio ſequitur. Ità Rebellius *lib. 3. q. 14. ſect.2.n.5.* Leſſius *lib.2.c.13. dub. 2. n. 2.* Reginaldus *lib.10. n. 109.* Vaſquez *de reſtitut. c.7.§.1.dub.1.* & alij.

Qui non conſulit duellum, ſed narrat aliquod factum, ex quo, illud audiens, ſumit occaſionem, prouocandi, vel acceptandi duellum; incurrit ne excommunicationem?

39 R Eſp. Peregrinum *de duello q. 27.* operari, quod contrahit excommunicationem. Sed probabilius docent Bonacina *to.1.de excommun. diſp. 2. q.6.pun.1.n.32.* Diana *to.5. tr. 1. reſ. 52.n.5. ex par.3.tr.6.miſc.2. reſ. 1.* eſſe diſtinguendum, vel iſte, factum illud narrat, vt audientem ad duellum prouocet: & dicendum eſt, incidere in excommunicationem, quia lata eſt, etiam contra inſtigantes, & prouocantes ad duellũ, dum ex ipſius narratione illud ſequitur. Si verò factum narratur, non ex animo incitandi audientẽ ad duellum, non incurritur excommunicatio: quia talis narratio nõ exprimitur prohibita in bulla Gregorij XIII. vel Clementis Octaui, & pœnæ non ſunt extendendæ vltra verborum ſignificationem.

Conſulens, parato non terminare duellum, niſi cum alterutrius morte, vt ſolum pugnent, vſque ad primum ſanguinem, contrahit ne excommunicationem?

40 R Eſp. ſi talis conſulens non poteſt ſuo conſilio, vel auctoritate impedire, ne ſequatur duellum, & iam duellator eſt determinatus pugnare vſque ad mortem: vtique non contrahit excommunicationem conſulendo, vt pugnet vſque ad primum ſanguinẽ; quia hoc eſt minus malum conſulere. Et ſicut quis non peccat, conſulendo minus malum parato maius cõmittere; vt qui parato furari centum ſuadet

det furari quinquaginta,& parato occidere conſulit tantum, percutere, vel parato adulterare,ſuadet,vt potius fornicetur,quando ſcilicet alia ratione nō poterat delinquentem retrahere ab illo malo patrando: Vt docent Valentia *to.3.diſp.5.q.21. pun.4.*Aragonius 2.2. *q.62.ar.7.*Sanchez *lib.7.de matrim.diſp.11.n.5.* Leſſius *lib.2.c. 13.dub. 3. n. 19.Vaſquez de reſtitut.c.9.* §.1. *diſp.* 1. *n.13.* & alij communiter. Ità etiam nō peccat,& conſequenter neque excommunicationem contrahit, qui, parato pugnare in duello vſque ad mortem, ſuadet, vt tantum pugnet vſque ad primum ſanguinem; dum aliter à duello illum retrahere non valet. Quia non peccat contra eum cui conſulit, cum iam ſit paratus committere maius malum: neque peccat contra eum cui damnum infertur, cum potius beneficium illi conferat, & vtiliter eius negotium gerat, curando vt minus malum ei inferatur.

Qui eſt paratus committere duellum, ſed nulla determinatione facta, an vſque ad mortem, an verò vſque ad primum ſanguinem, poteſt ne conſulens illi ſuadere, vt pugnet vſque ad primum ſanguinem?

41 RESp. Negatiuè, quia tunc ſolum licet minus malum alteri conſulere, quando ille eſt omninò paratus, committere maius;& à maiori minimè ſe abſtinere vult, nec impediri poteſt. In dicto autem caſu duellator nō eſt determinatus omninò ad maius malum, & pugnare vſque ad alterutrius mortem. Ergo ſuadens illum, vt pugnet vſque ad primum ſanguinem, verè ad malum conſulit, & illum ad malum ſe determinare inducit; & conſequenter excommunicationē contrahit. Sicut mortaliter vtique peccaret, qui alicui non determinato committere adulterium, ſuaderet, vt eius calorē libidinis temperaret, ſimplicem fornicationem committendo. Vel ſi videret aliquem propenſum ad vitium nefandum,illi conſuleret acceſſum ad fœminas. Quia re vera talis conſulens ad malum ſuo conſilio alium determinaret. Tunc enim ſolum licet minus malum conſulere alicui, quando ille eſt omninò ad maius malum determinatus, à quo aliter auelli nequit. Ità docent Sotus *lib.6.de iuſtit.q.1. ar. 5. col. 5. verſ.His tamen non obſtantibus,* Molina *tom.2.de iuſtit.tr.2.diſt.335.* §.*Nec tamen concluſione,* Salonius 2. 2. *q.* 78. *ar.4.controu.* 1.*col.*4. §. *Prius eſt*, Sanchez *de matrim.lib.7.diſp.*11.*n.*21.Vega *to.1.ſummæ c.9. caſu vnico,* Bonacina *to.2.de reſtitut.diſput.1.q.2. pun.7.n. 11.* & alij.

Si parato ad prouocandum omninò Petrum, ad duellum non terminādum, niſi alterutrius morte, conſulens ſuaderet, vt non diffidaret Petrum, ſed Ioannem non vſque ad mortem, ſed vſque ad primum ſanguinem tantùm, incideret ne in excommunicationem, & pœnas duelli?

42 RESp. Affirmatiuè;quia quamuis eius conſilium eſſet, de minori malo inferendo; tamen iniuriam faceret Ioanni,& eſſet cauſa efficax damni illius; cui damnum non fuiſſet illatum, ſi ipſe conſulens non inclinaſſet ſuis ſuaſionibus voluntatem duellatoris, ad illum prouocandum ad duellū. Si verò duellator cogitauerat, vtrumque ad duellum prouocare, & firmiter ſtatuerat, vni eorum mortem inferre; ſed verſabatur in ancipiti, cui nam illorum, mortem potius eſſet illaturus. Tunc ſuadens in genere minus malum, non peccaret, nec excommunicationē, aut aliam pœnam incurreret.Quia non induceret duellatorem, ad inferendum damnum huic potius, quam alteri, ſed in genere ſuaderet minus malum potius, quam maius. Ità in ſimili docent Vaſquez *de reſtit.c.*8.§.1. *dub.2.nu.27.*

Pe-

Petrus Nauarra *lib.3.c.4. n. 29.* Filliucius *tr. 32.c.3.q.7. n. 43.* Bonacina *to. 2.tr.de reſtit.diſp.1.q.2.pun.7.n.* 14. & alij.

Perſonæ Eccleſiaſticæ duellum, ſiue conſulentes, ſiue quomodolibet ad illud ſe intromittentes, quas pœnas incurrunt?

43 Reſp. quod Pius IV. poſt Concil. Tridentinũ in ſuo motu proprio edito anno 1560. contra duellantes ſtatuit: perſonas Eccleſiaſticas diffidationes ad duellum facientes, inuitantes, prouocantes, auxilium, vel fauorẽ dantes, intereſſentes à conſilio, chartas ſcribentes, publicantes, & de illis ſe intromittentes, ipſo facto eſſe excõmunicatos, ac etiam priuatos omnibus beneficijs, & officijs Eccleſiaſticis, quæ iam obtinuerunt, & inhabiles ad alia, de nouo obtinenda. Et reſeruat ſibi, & Sedi Apoſtolicæ prædictam excommunicationem: et omnes alias pœnas, quæ in Conc. Trid. continentur, innouat, & confirmat: vt refert Fagundez *in decal. lib.5.c.8.n.*10.

Perſonę Eccleſiaſticę in duello aliquo modo delinquentes, vt priuentur beneficijs obtentis, & ſint inhabiles, ad alia obtinenda, requiritur ne Iudicis ſententia?

44 Reſp. ꝙ pœna priuationis officiorũ, & beneficiorũ Eccleſiaſticorũ, quamuis imponatur ipſo facto, & ipſo iure; requiritur tamen Iudicis ſententia declaratoria, qua declaretur, beneficiatum commiſiſſe crimen illud, ob quod priuatur officio, vel beneficio; & non poſſit retinere fructus illius. Et dũ talis ſententia declaratoria non datur, iuſtè illa retinet, & poſſidet. Quia lex ſeu canon, qui eam pœnam ipſo facto impoſuit, cum ſit grauis, & pœnalis, non tam ſeuerè obligat, vt aſtringat delinquentem in conſcientia, vt ipſe in ſeipſum pœnam exequatur. Ità expreſsè docet Sylueſter *verb. Aſſaſſinus nu.* 4. vbi ait: Omnia iura mundi, quæ dicũt ipſo facto, vel ipſo iure pœnam imponi; debent intelligi, dummodò ſecuta ſit ſententia declaratoria, per quam declaratum ſit, fuiſſe commiſſum crimen, propter quod pœna illa ipſo facto imponitur. Et ità etiam docent Suarez *to.5. de cenſuris diſp.* 30. *ſect.*1. *n.*15 *in fine, & lib.5. de legibus c.8.n.*15. Felinus *in c.2. de fide inſtrum.n.9.* Farinacius *to.4.q.*119. *de homicid.tit.*14.*fol.* 112.*n.*68. Fagundez *in decal.lib.5. c.2. n.6. & c.8.n.*12. & alij.

45 Pœna autem inhabilitatis ad officia, & beneficia obtinenda, an incurratur ipſo facto, vel ad illam incurrendam, requiratur Iudicis ſententia, duplex eſt opinio. Prima docet, quod incurritur ipſo facto abſque Iudicis ſententia. Quia pœna inhabilitatis non priuat aliquo iure acquiſito, ſed ſolum inhabilitat delinquentem, ad acquirẽdum. Ergo nullam requirit Iudicis ſententiam, quæ ſit commiſſi criminis declaratoria; ſed inſtar pœnæ excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ipſo facto ſtatim incurritur. Confirmatur; quia Pius Quartus in dicto ſuo motu proprio ait: *Eo ipſo incurrant inhabilitatis pœnam: Eo ipſo ſint inhabiles ad alia obtinenda.* Quæ verba eſſent ſuperuacanea, ſi adhuc ſententia Iudicis requireretur, vt incurratur. Ità ſuſtinent Sotus *lib.1. de iuſt. q.6. art.6. poſt* 4. *concluſ.* Corduba *lib.1.q.* 36. Medina *p.2.q.96. art.4. ad* 4. Rodriquez *to.1.ſum.in 2.edit.c.*195. *n.*2. Aragonius 2.2. *q.11.ar.3. concluſ.* 2. Salonius 2.2. *q.63.art.4.in fin.* Sanchez *in decal.lib.2.c.39.n.32*

46 Secunda Opinio docet, requiri Iudicis ſententiam, vt dicta inhabilitas incurratur. Quia licet hæc pœna conſiſtat in mera inhabilitate, ad futurum acquirendum, & non priuet iure acquiſito; Eſt tamen pœna valdè grauis, & ob eius grauitatem requirit Iudicis ſententiã. Et verba illa: *Ipſo facto,* vel *ipſo iure ſit inhabilis ad alia officia, vel beneficia de nouo obtinenda*: Id tantum important, quod non requiratur, vt Iudex

S

dex declaret illum incurriſſe in pœnã inhabilitatis; ſed ſufficiat ſola ſententia, qua declaret, illum commiſiſſe, vel conſuluiſſe, aut ſuaſiſſe duellum. Sola enim pęna excommunicationis, ſuſpẽſionis, & interdicti, ac etiam irregularitatis, non requirit Iudicis ſentẽtiam, vt incurratur. Ergò non eſt extendenda, ad pœnam inhabilitatis ad officia, & beneficia obtinenda. Ità docẽt Nauarrus *de datis, & promiſſis pro iuſtitia, vel gratia n.*44. Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 66. *pag.*590. Filliucius *tr.*29. *c.*8. *n.*178. Syluester *verb. Aſſaſſinus n.* 4. & alij.

Conſulẽs alicui duellum, vt inimicum occidat, ſi ille, qui conſilium accepit, in duello occidatur, incurrit ne conſulens irregularitatem?

47 RESp. eſſe probabile, non incurrere irregularitatem, docent Turrianus *de cenſuris lib.*9. *diſp.* 63. *dub.*4. Hurtadus *de irregularitate diſp.* 2. *difficul.*6. *n.*22. Vaſquez *to.*1. *in* 1. 2. *diſp.* 100. *q.*73. *ar.*9. *dub.*3. *n.*45. Henriquez *lib.*14. *c.*16. *n.*1. Diana *to.*5. *tr.*5. *reſ.*61. *n.*2. *& ſeq. ex par.*11. *tr.*6. *miſc.* 2. *reſ.* 43. Quia nullibi imponitur irregularitas ob mandatum, vel conſilium, niſi quo quis mandat, vel conſulit alicui, vt ſeipſum, vel alium occidat, ſequuto effectu. In præſenti autem caſu mandans, aut conſulens, non mandat, aut conſulit, vt mandatarius; vel conſultarius, ſeipſum occidat, qui neque ſeipſum occidit, quamuis conſtituatur in periculo, vt ab altero occidatur. Ergò etiamſi re vera, dum mandatum, vel conſilium exequitur, occidatur, non idcircò mandans, aut conſulens, erit irregularis, quia nõ eſt cauſa proſſima, tendens ex ſe ad ſui occiſionem, independenter ab aliena voluntate; quod neceſſariũ eſſet, vt diceretur ſeipsũ occidere. Sicuti miles, qui ſe offert morti, ab alio inferendæ, non occidit ſeipſum. Ergò neque qui mandat, vel conſulit occiſionem alterius. Ità ſupradicti Doctores.

48 Sed probabilius Suarez *de cenſuris diſp.* 44. *ſect.* 3. *n.* 18. Couarruuias 2. *par.* §. 2. *n.* 1. *verſ. Quod ſi ex prauo*, Auila 7. *par. diſp.* 6. *ſect.* 2. *dub.*5. *concl.*4. Sayrus *lib.*7. *c.*3. *n.*3. Vgolinus *c.* 16. §. 8. Molina *tr.*3. *diſp.* 32. *n.*2. Villalobos *in ſum. to.* 1. *tr.*21. *difficult.* 20. *n.*10. Petrus Corneyo *in* 3. *par. D. Thomæ tr.* 5. *de irregul. diſp.*1. *dub.*2. *q.* 2. *n.* 3. & alij Aſſerentes huiuſmodi conſulentem, ſiue mandantem, incurrerę irregularitatem: quia ipſe verè eſt cauſa moralis occiſionis mandatarij, vel conſultarij: quamuis enim ſuo conſilio, vel mandato, non intenderit eius mortem, eam tamen indirectè voluit, dum eius periculo illum voluit exponere. Quare illud homicidium non erit reſpectu mãdantis, vel conſulentis prorſus caſuale, ſed indirectè voluntarium: nam præuidere debebat periculum illius occiſionis. Confirmatur, quia qui ſe exponit periculo mortis abſque rationabili cauſa, ſi occidatur, eſt verè ſui ipſius homicida. Ergò qui mandat, vel conſulit, vt quis in duello eiuſmodi periculo, ſe exponat; ſi contingat occidi, verè illius homicida fuit, atque irregularis. Confirmatur ſecundo, quia in moralibus idem eſt facere, ac ſe exponere morali periculo faciendi. Ergò ille ſic occiſus verè dicitur, ſui homicida, & verè peccauit contra iuſtitiam, & contra charitatem, ſic abutendo ſua vita. Ergò etiam conſulens, vel mandans, eſt homicida, & irregularis, dum illum conſtituit, in proxima occaſione mortis temerariæ. Et quamuis ille ſic occiſus, voluntariè ſe illi periculo expoſuit; conſulens tamen fuit cauſa talis voluntatis per ſuum conſilium. Preuidere enim debebat, quod valdè difficile eſt, proprium periculum cauere, qui alteri machinatur mortem. Et ex his patet reſponſio ad rationes in contrarium ſupradictas.

Conſulens duellum, in quibus alijs caſibus irregularitatem contrahit?

49 Reſp. quod irregularitatem contrahit

hit. Primò quando in duello ſequutus eſt effectus occiſionis, vel mutilationis: ſic enim definitum eſt, *in cap. Sicut dignum,§.Clericos de homicidio.* Quia conſilium ſe habet vt cauſa efficiens moralis, homicidij ſequuti, vt notant D.Antoninus *3.par.tit.29. c.2.§.2*, Syluester, *verb.Homicidium 1.q.8.* Viualdus *tr.de irregular.n.257.*& alij. Secundò conſulens duellum, etiamſi alter illud conſuluiſſet, fit irregularis, quia efficaciter influit ſuo conſilio in homicidium, vel mutilationem ſequutam; & verè ipſe duello cooperatus eſt. Tertiò, qui auget, vel magis accendit, vel confirmat voluntatem duellatoris, vel illum ad duellum accelerat, ſequuto homicidio, vel mutilatione, irregularis efficitur, etiamſi ille omninò duellum commiſſurus erat. Quia conſultus licet ſit omninò paratus ad duellum, tamen quia citius, & libentius illud aggreditur ob præſtitum conſilium; ſequitur, conſulentem in illud influxiſſe, & cooperaſſe. Si verò conſultus, erat omninò paratus, & citò aggreſſurus duellum: conſulens etſi peccaret, conſulendo, non tamen ſequuto homicidio, incurreret irregularitatem: quia non cenſetur cauſa efficax illius. Ità colligitur ex Syluestro, *verb.Homicidium 3.q.5.verſ.Quartum*, Tabiena *verb. Irregularitas 2.§.Quarto in fin.* Sayrus *lib.7. de cenſuris c.2. n.11.*& alij. Quartò conſulens duellum ſi dubitat, an ſuo conſilio illud ſequutum ſit cum alterius morte, eſt irregularis; quia cum conſtet de iniuſto eius conſilio, quod aptum eſt, ad homicidiũ producẽdum, poſſeſſio ſtat pro actione illa iniuſta ſui conſilij: & conſequenter præſumitur, ſuo conſilio opem tuliſſe, ad homicidium iam patratum in duello. Ergo cenſendus eſt irregularis. Ità Sayrus *loc.cit.c.3.n.2.* Sanchez *in decal. lib.1.c.10.n.44.*& alij. Si verò conſuluit minorem vindictam, ad vitandũ maius malum homicidij, nullam contraxit irregularitatem, etiam ſequuto homicidio; quia tunc nulla fuit culpa in conſulente: nam vt ſupra dictum eſt: Conſulere minus malum, parato committere maius, licitum eſt: Et hæc irregularitas non contrahitur ſine culpa. Dum ergo ſic conſulens non peccauit: neque irregularitatem incurrit. Ità Suarez *de cenſuris diſp.45. ſect.3.n.2.* & alij.

Mandans alicui, vt duellum aggrediatur, ſi poſtea reuocet mandatum, & mandatarius duellum aggrediatur; ipſe mandans contrahit ne excommunicationem?

50 RESp. quod vel mandatarius aggreditur duellum, antequam ei nota fiat mãdati reuocatio: & mandãs incurrit excommunicationem: quia mandatarius virtute mandati ſibi dati fecit duellum: & conſequenter mandans eſt in culpa, & meretur pœnam duelli. Si verò reuocatio mãdati peruenit ad aures mandatarij ante prouocationem ad duellum: & nihilominus ipſe mandatarius voluit duellum aggredi; tunc mandans excuſatur ab excommunicatione: quia dum reuocauit mandatum, ante cõmiſſum duellum, debebat mãdatarius illud non aggredi, & dum voluit nihilominus illud committere, ſibi imputandum eſt, non autem mandanti, qui nullo pacto videtur cauſa ſequuti duelli. Ità Syluester *verb. Homicidium, q.1.verſ.Tertiũ*, Lopez *p.1.c.63.§.Secũdum Innocẽtium*, Nauarrus *c.27.n.233.* D.Antoninus *3.par.tit.29.c.2.* & alij.

Si mandatario non conſtet expreſsè de mandati reuocatione, ſed tantùm tacitè, & implicitè; nempè quia ad eius notitiam venit, quod mandans iniuit pacem, vel parentelam cum inimico: & tamen mandatum exequitur, & duellum aggreditur, mandans eſt ne excommunicatus?

51 RESp. Negatiuè, quia mandatarius habita notitia pacis, vel parentelę initæ inter mandantem, & inimicum, debebat à duello deſiſtere: notitia enim pacis fuit tacita reuocatio prioris mandati. Et ideò mandans excuſatur ab ex-

cõmunicatione. Quia qui agit pro mandante, ſufficit, vt ei conſtet de contraria voluntate mãdantis, non ſolùm expreſsè, ſed etiam tacitè. Ità Syluester *loc. cit.* Henriquez *lib.* 14. *c.* 16. §. 2. Lopez *vbi ſup.* & alij.

Si mandans impoſuit mandatario, vt iniret duellum non ad mortem, neque ad primum ſanguinem, ſed ad aliquos ictus tantùm cauſa honoris, & mandatarius duellantem vulnerauit, vel occidit; eſt ne ipſe mãdans excommunicatus?

52 Reſp. Affirmatiuè, tum quia verè fuit in culpa, & cogitare debuit; in duello euenire poſſe, vt pugnando, alter illorum, vel vulneraretur, vel occideretur; tum etiam quia ipſa duelli aggreſſio eſt ſub pœna excommonicationis prohibita. Ità colligitur ex Syluestro *ibid. verſ. Quartum ſi quis.*

Mandans duellum ſi mandatarius tũc noluit illud acceptare. Sed poſtea mutauit ſententiam, & abſque vllo alio mandato, duellum exequutus fuit, eſt ne ipſe mandans excommunicatus?

53 Reſp. Affirmatiuè ſi mandatum non fuit à mandante reuocatũ; quia primum crimen, quod in ſe commiſerat, adhuc cenſetur in ſe perſeuerare, ſi nulla fuit facta reuocatio. Ergò verè excommunicatione ligatur. Ità Viualdus *tr. de irregularitate n.* 253.

Mandans nõ expreſsè, ſed tacitè duellum, vt ſi conſanguineo iniuria leſo quis dicat: Ne reuertaris domũ meã, donec aliquid noui de te audiam; Si poſteà ſequitur duellum, eſt ne talis mandans excommunicatus?

54 Reſp. Affirmatiuè, quia tacitè fuit illius duelli cauſa, vel ſaltẽ conſanguineum ad duellum magis excitauit; Actio enim ſpecificatur à fine, & illius qualitatem participat, ad quam finis dirigitur. Verba illa vindictam, & duellum tacitè indicabãt. Ergò, &c.

Mandatũ requiritur ne, vt ſit efficax, ità vt duellum ex ipſo ſequatur?

55 Reſp. Affirmatiuè, quia ſi mandatum ſit inefficax, ità vt nihil omninò in duellum influat, non habet rationem mandati, & cooperationis prohibitæ: Põtifex enim prohibuit ſub pœna excommunicationis mandatum, quod rationem mandati habet; etiamſi poſteà prouocatio, pugna, acceſſus, vel actus ad pugnam proximus, ob aliquod impedimentum ſequutus non fuerit. Ità Bonacina *to.* 1. *tr. de excommunicat. diſp.* 2. *q.* 6. *pun.* 1. *n.* 28. Cõtrarium ſuſtinet Peregrinus *de duello q.* 33. *n.* 2. *& ſequ.* In dubio tamen iudicandum eſt, maudatum influxiſſe, & fuiſſe efficax, quia poſſeſſio non ſtat pro mandante, ſed pro mandato, vt notat idem Bonacina.

Spectatores duelli, incidunt ne in excommunicationem?

56 Reſp. Affirmatiuè; dummodò ſint ſpectatores ex condicto, ſeu ex propoſito, & induſtria. Quia non dicuntur propriè ſpectatores duelli, qui tranſeuntes obiter aſpicerent duelli pugnã. Et Gregorius XIII. in ſuo motu proprio addidit: *Spectatores ex propoſito.* Quia iſti duellum promouent, & duellatores coram eis multum concitantur ad certamen ſpe victoriæ: & ideò excõmunicationem incurrunt. Ità Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.* 39. *n.* 31. Martinus del Rio *lib.* 4. *diſq. magic. c.* 4. *q.* 4. *ſect.* 2. *nu.* 26. Bonacina *to.* 1. *de excommunicat. diſp.* 2. *q.* 6. *pun.* 1. *n.* 30. & alij. Secus autem ſpectatores, qui duellum aſpiciunt, non publicè, ſed occultè, vel per cancellos, aut ità diſtantes, vt non cenſeantur adeſſe præſentes. Iſti enim non cõtrahunt excommunicationem: quia eorum aſpectu non fouent duellum. Ità Leſ-

Leſſius *lib.4.cap.4.dub.9. n.* 83. Hurtadus *in 2.2.to.2.diſp.*170.*ſect.*21. §.179. Diana *to.5.tr.1.reſol.62.ex par.5.tr.14. miſc.2.reſ.*100. Neque excommunicationem incurrit, qui duelli conſcius tẽdit in eum locum, videndi cauſa. quæ illic geruntur: quia illa curioſitas non eſt damnata; & ij ſpectatores non ſunt ex induſtria, ſed per accidens, neque propter illos promouetur duellum. Ità Hurtadus, & Diana *vbi ſup.* Neq; ſpectatores, qui ſubſiſterent ad dirimendũ duellum, quia opus licitum, & chriſtianæ pietatis plenum facerent. Ità Sanchez *loc.cit.* Filliucius *tr.29.c.8. n.*177. Neq; aliquis famulus, aut amicus aſſiſtens, vt vocet Confeſſarium, qui conſiteri poſſit vulneratum moribundum, aut chirurgum, qui illum medeatur, vt dicti Doctores affirmant.

Spectatores ex compoſito, ſi ignorent eſſe ab Eccleſia prohibitum, aſpicere duellatorum certamen, incurrunt ne in dictam excommunicationem?

57 RESp. ſi ignorantia talis ſit, vt eſſent parati, ſi ſciuiſſent Eccleſiæ prohibitionem, ipſos pugnantes non aſpicere, non incurrerent excommunicationem in foro interiori: quia non eſſent contumaces. Contumacia autem, ad incurrendam excommunicationem, eſt neceſſaria: quia lex excommunicat eos, qui ſcienter aliquid contra prohibitionem faciunt, vel facere præſumũt. Ignorans autem non dicitur verè præſumens. Preſumptio enim importat dolum, & temeritatem, quod procedit cõtra facientes aliquid ſcientes, vel facere præſumentes. Non ergo ligatur excõmunicatione, qui ex ignorantia etiam vincibili, ſiue iuris, ſiue facti, modo non ſit craſſa violat legem: vt probat cum nonnullis alijs Diana *to.5. tr.1. reſ.33. & 34.ex par.3.tr.5.miſc.1.reſ.13.& ex par.5.tr.9.reſ.*17. Et conſequẽter ſpectatores duelli ex condicto; & ex compoſito ignorantes hanc excommunicationem latam eſſe contra eos, illam non incurrerent. Et ità docent Diana etiam *to.5.tr.1.reſ.61. ex par.11. tr.6. miſc.6. reſ.*27. & alij, quos ipſe citat.

Socij, qui comitantur duellatorem, ſunt ne omnes excommunicati?

58 RESp. ſocios, qui comitantur aggredientem ad duellum, cauſa iuuãdi illum, eſſe excommunicatos, quamuis poſteà pugna non ſequatur, quando conati sũt, efficere, vt pugnetur, vel ſaltem ſi poterant, non impedierunt, ſed maluiſſent pugnam ſequi. Quia Gregorius XIII. expreſsè in ſuo motu proprio hos excommunicauit: *Etiamſi duellatores ad pugnam non veniant, quando per ipſos non ſtetit quominus veniretur.* Secus verò ſi comitentur duellatores, ad dirimendum duellum; quia id eſt opus virtutis, & ſub præcepto, ſi commodè dirimere poſſunt. Ideò excommunicationem non incurrerent, etiamſi ex condicto, & ex inſtituto comitarẽtur duellatores; cauſa duelli impediendi. Ità Martinus del Rio, & Sanchez *loc. cit.* Nec etiam excõmunicationem incurreret famulus aſſocians, & deferens arma, & equum ſui heri, & illum expectans, donec terminetur duellum, quãdo id nõ poteſt omittere ſine graui incommodo: vt affirmãt Hurtadus *in 2.2. tr:2.diſp.*170.*ſect.*21.§.179. Diana *to.5. tr.1. reſ.62. ex par.5. tr.14. miſc.2. reſ.* 100.

Qui commodat amico, volenti duellare, arma, incidit ne in excommunicationem?

59 RESp. ſi duellator non eſſet pugnaturus abſque amici arma, & ille ei ſumminiſtraret: vtique incideret in excommunicationem, quia eſſet ſubminiſtratio illicita, & aliquo modo cauſa, vt ſequeretur duellum, & expreſsè à Gregorio XIII. prohibita. Sed ſi duellator eſt certè pugnaturus, etiam ſuis armis, bonitate inferioribus: tunc qui præbet illi arma ſecuriora, vt ſit minus diſcrimen

men ſuæ vitæ, dummodò in eadem ſpecie paria ſint, non incidit in excommunicationē. Tum quia talis ſubminiſtratio nullo modo eſt cauſa duelli. Tum etiam quia ſicut ille habet ius, tuendi propriam vitam; ità & alter poteſt, illi auxilium præbere in ſui defenſionem. Ità docēt Hurtadus *loc.cit.ſect.3.n.*185. Floronus *tr. de duello c.*15.*n.*4.*&* 5. Peregrinus *de duello q.*25.*n.*1. Diana *to.*5. *tr.*1.*reſol.*63.*ex par.*5. *tr.*14. *miſc.*2.*reſ.* 101.

Ob libellos, & ſcripta prouocantia ad duellum; quinam incidunt in excommunicationem?

60 RESp. Clementem VIII. in ſua conſtitutione edita 1592. quæ incipit *Illius vices*, eos apertis verbis expreſiſſe, dum inter alia decreuit. *Eos omnes, & ſingulos, qui ſuo, vel alieno nomine ad effectum, de quo ſuperius dictum eſt, prædicta, vel his ſimilia, multoq; magis ad certandum prouocatoria, ſcripta, libellos, epiſtolas earumue exempla dictauerint, compoſuerint, ſcripſerint, miſerint, detulerint, deuulgauerint, affixerint exēplauerint, typis imprexerint, ſubſcripſerint, intimauerint, vel etiam verbo denunciauerint, ſiue atteſtati fuerint, quiue alios ad ſingulare certamen publicè, vel occultè ineundum, vel ad prouocandum aliquem ad pugnam, ſiue ad huius generis ſcripta, quæ Manifeſta, quæque cartulæ prouocatoriæ appellantur, ſcribenda, dictanda, mittenda, deferēda, diuulganda, auxilium, conſilium, operam, vel fauorem præſtiterint, vel eorum aliquo ſe quomodolibet immiſcuerint, etiamſi neq; pugna, neque certamen, aut effectus, nec acceſſus, aut actus ad pugnam proximus, neque expreſſa, et aperta prouocatio ſubſecuta fuerit, neque ſcriptiones prædictæ, quæ manifeſta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimatę extiterint, ſi per eos non ſteterit, quominus publicatio, aut denunciatio fieret, &c. excommunicamus, & anathematizamus.*

Qui libellum prouocatorium compoſuit, vel ſcripſit, ſed per ipſum ſtetit ne affigeretur, neq; intimaretur, afficitur ne excommunicatione?

61 RESp. Negatiuè, quia per ipſum ſtetit, ne publicatio, vel intimatio, aut prouocatio ſequeretur. Secus autem ſi affixit, vel publicauit, aut intimauit, etiamſi poſtea ſtatim libellum dilacerauit, vel impediuit prouocātes ad duellum, ne illud committerent; quia illa affixio, vel publicatio, aut intimatio libelli, verè eſt prouocatio ad duellum, & ad pugnam, & actio ſimpliciter, & abſolutè in dicta conſtitutione prohibita; qua poſita, excommunicatio ſtatim incurritur. Ità Peregrinus *q.* 5. *de duello n.* 3. *&* 8. Bonacina *de excommunicat. diſp.*2.*q.*6.*pun.*1.*n.*34.

Qui audiunt, vel legūt prouocationes ad duellum, incidunt ne in excommunicationem?

62 RESp. ſi illas audiunt, vel legunt ob ſimplicem curioſitatem; non incidunt in excommunicationem; quia hæc actio non exprimitur in motu proprio Clementis VIII. & in pœnis non eſt facienda extenſio vltra verborum ſignificationem, nec odioſa ſunt amplianda c. *Odia de regulis iuris in 6.* Si autem audiunt, vel legunt dictas prouocationes, ad finem conſulendi, an ſint iuxtà iniquas leges duelli; vtique incidunt in excommunicationem; quia sūt conſulentes, cooperantes, & prouocantes ad pugnam contra dictas prohibitiones.

Excommunicatio incurritur ne ſemper, ſtatim ac præſtitæ ſint prædictæ actiones?

63 RESp. prædictas actiones duplici modo prohiberi. Aliæ enim prohibentur abſolutè, & abſq; vlla cōditione: Aliæ verò ſub conditione: Si per ipſos non ſtet, quin duellum ſequatur. Quæ prohibentur primo modo, ſtatim ac præſtitæ ſunt, incurritur ex-

excommunicatio: hæ autem ſunt, prouocare ad duellum, publicare, affigere, intimare duelli libellum, accedere ad locum duelli, acceptare duellum; pugnare in duello, & ſimiles. Ob quamlibet harum actionum ſtatim quis in excommunicationem incidit, quia ſine vlla conditione prohibentur. Sunt & aliæ actiones, quæ ſub conditione prohibentur: vt conſulere duellum, componere libellos, mandare, vt huiuſmodi libelli deferantur, affigentur, publicentur, commodare arma, & aliæ actiones, quæ exprimuntur à Clemente Octauo in illis ſupradictis verbis: *Volentes eos omnes*, cum ſequentibus ſupradictis. Per quas actiones non incurritur excommunicatio ſtatim, ſed quãdo impletur conditio; Si per eos, qui eas præſtant, non ſteterit, quin ſequatur duellum, vel illius prouocatio: vt notat Bonacina *to.*1. *de excommunicat. diſp.*2.*q.*6.*pun.*1.*n.*33.

64 Ex his dictis ſequitur primo conſulentem, ad prouocandum duellum, incurrere excommunicationem ſtatim, ac ipſa prouocatio ſequitur, vel ſequi debuiſſet, ſi aliunde impedimentum non adfuiſſet. Secundo, qui libellum prouocatorium compoſuit, vel ſcripſit, afficitur excommunicatione ſtatim, ac prouocatio, vel duelli publicatio ſequitur. Tertio, commodantem arma in excommunicationem incidere quando cum illis decertandum erat, vel accedendum ad locum duelli, etiamſi pugna impedita fuerit. Quarto, qui auxilium, vel conſilium, vel mandatum dedit ad pugnandum, vel ad prouocandum duellum, non ligatur excommunicatione, ſi ante prouocationem, vel pugnam, influxum ſui conſilij, mandati, vel auxilij, reuocauit; Quia per ipſum ſtetit ne prouocatio, vel pugna ſequeretur. Secùs autem ſi procurauit duelli prouocationem, & ſolum impediuit, ne ſequeretur pugna: quia per ipſum non ſtetit, ne ſequeretur prouocatio. Ità Bonacina *loc.cit.*

Vltra excommunicationem, quas alias pœnas incurrunt pugnantes in duello?

65 RESp. decreuiſſe illas Conc. Tridẽtinum *ſeſſ.*25. *de reform.c.*19. ſequentibus verbis, *Qui pugnam commiſerint, & qui patrini vocantur excommunicationis, ac omnium bonorum proſcriptioni, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ iuxtà ſacros canones puniri debeant, & ſi in ipſo conflictu deceſſierint perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura*. Has autem pœnas à dicto Concilio impoſitas in caſu duelli publici, vel ſolemni Gregorius XIII. extendit etiam ad duella priuata ex quauis cauſa inita, & ad mandãtes, inſtigantes, fauorem dãtes, & ex compoſito ſpectantes, ſeu aſpicientes. Et Clemens VIII. etiam in ſuo motu proprio, qui incipit *Illius vices*, edito 1592. dictas conſtitutiones, & decreta confirmauit, & innouauit.

Pœnæ perpetuæ infamiæ, & proſcriptionis bonorum petunt ne Iudicis ſententiam?

66 RESp. Affirmatiuè; quia ſunt pœnæ, quæ priuant proprio iure acquiſito, & conſequenter non ſolitæ incurri ante Iudicis ſententiam: vt docent Sãchez *in decal. lib.*2. *c.*39. *n.* 32. Caſtro Palaus *to.*1.*tr.*6.*diſp.*5.*pun.*7. Diana *to.* 5.*tr.*1.*reſ.*64.*n.*7.*ex par.*7.*tr.*11.*miſc.*2. *reſ.*44. *n.*7. aſſerentes: Præter excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum, reliquas pœnas relatas in ſupradicto decreto Tridentini, & Bullis Pontificum indigere ſententia Iudicis ſaltem declaratoria criminis, vt incurrantur.

Vt mortuo in duello denegetur ſepultura requiritur ne Iudicis ſententia?

67 RESp. quod Baunius *in Theol. mor. diſp.*3.*tr.*2.*q.*19. opinatur requiri Iudicis ſentẽtiã: vt morienti in duello denegetur ſepultura. Quia pœnę, quę pri-

priuant hominem iure acquiſito, non ſolent incurri ante Iudicis ſententiam declaratoriam criminis, vt ſupra dictũ eſt, docere Doctores citatos. Sed fideles per baptiſmum, dum ſunt à Chriſto Domino recepti in ſuam familiam, acquiſierunt ius ad eccleſiaſticam ſepulturam. Ergo vt ea priuentur, requiritur Iudicis ſententia declaratoria ſui criminis. Hæc autem opinio communitèr non admittitur abſolutè prolata. Nam vſus Eccleſiæ eſt, vt notant Peregrinus *de duello q.7.n.3.* Diana *to.5.tr.1.reſ.64 n.4.ex par.7.tr.11.miſc.2.reſ.44. n.4.* ſi notorium ſit, mortuum in conflictu deceſſiſſe, contra dictam Conſtitutionem Clemẽtis VIII. nullo pacto in loco ſacro ſepeliendum eſſe. Quia ipſo facto incidit in pœnam: nec requiritur Iudicis ſententia; vt executioni demãdetur. Si verò notorium non eſſet, deceſſiſſe in notorio mortali peccato, nec deliquiſſe contra dictam Conſtitutionem; neque Parochus debet eum ſepelire in Eccleſia, ſed nec etiam ſepulturã ei denegare, ſed rem totam ad Epiſcopum, vel eius Vicarium deferre, qui capta ſummaria informatione ſententiam ferat. Ità docent dicti Doctores, & Remigius *in pract.Conf.tr.2.c.5.§.1.n.11.*

Vulneratus in duello, ſi moriatur ex ipſo vulnere poſt aliquos dies, eſt ne priuãdus Eccleſiaſtica ſepultura ſi Sacramenta ſuſceperit?

68 RESp. Eſſe priuandum Eccleſiæ ſepultura, docet Thomas Hurtadus *var.to.2.tr.vlt.reſ.5.§.6.n.196.* vbi ait: Si quis certantium obierit, ex vulnere in duello accepto, itaut euidenter conſtet, ex illo obijſſe; etiamſi Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ acceperit; non debet humari Eccleſiaſtica ſepultura; nam moritur ex vulnere in duello accepto: et mori in duello dicitur; qui tale vulnus in duello accepit, ex quo, niſi interueniente miraculo, ſuperſtes eſſe non poteſt. Idem ſuſtinent Bordonus *to.3.reſol.51.n.111. & 112.* Lauorius *in var.elucubr. tit.2. c.12. n.16.* Sanctarellus *de ſepulturis tr.2. concluſ. 8. n.12.* Theſaurus *in praxi par.2.c.3.* Bichius *in promptuario confeſſar. par. 2.c.18.§.9.* Bonacina *to.1.de excommunicat.diſp.2.q.6.pun.1.n.22.* vbi docet, quod is dicitur in duello mori, qui ex vulnere, in duello accepto, moritur: Et priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ inducta eſt in deteſtationem criminis: vt reliqui cognoſcentes, duellum tam acriter puniri, terreantur, & ab huiuſmodi crimine arceãtur. Quamobrem dici poteſt; priuationem ſepulturæ non infligi per modum cenſuræ; ſed per modum iuſtitiæ vindicatiuæ, diſtinctæ à cenſura. Alioquin opus non fuiſſet, hanc pœnã exprimere; cum priuatio ſepulturæ ſit effectus conſequens excommunicationem. Et ità etiam ſentiunt Peregrinus *q.7.n.4.* & alij.

69 Sed Diana *to.5.tr.1.reſ.68.n.2.ex par.11.tr.6.miſc.6.reſ.26.* Boſſeus *verb. Sepultura n.5.* Caraſa *de duello tr.2.ſect.3.q.19.nu.9.* Vidaldus *in Arca Theol. moral.tit.de duello inſpect.6.n.46.* Baucius *in miſcell.to.1.q.438.pet.8.* Barboſa *in collect.conc.Trid.ſeſſ.21.c.19. de reformat.n.20.* Poſſentius *in recollect.qq. moral. verb.Duellum n.6.* Mancinus *in pract.de infirmis in ord. ad ſepult. n.34.* Trullenchus *de iure Parochi c.9. dub.7. n.7.* Remigius *in pract. confeſſ.tr.2. c.5. §.1.n.11.* Lezana *to.2.verb.Duellum n.14.* Portellus *in reſponſ.caſ.conſc. par.3. caſu 10.n.3.& 4.* docet, quod ſi aliquo tempore poſt peractum duellum obierint, etiamſi ob vulnus in duello acceptum talis mors ipſis contigerit, non ſunt priuandi Eccleſiaſtica ſepultura. Quia Conc.Trid.& Clemens VIII. loquuntur de illis, qui in ipſo conflictu, non poſt ipſum, deceſſerint. Et cum ſit lex pœnalis extendi non debet, ſed potius reſtringi. Quod verum etiam eſt; ſi quis moriatur poſt vnum, vel alterum diem duelli: quia in tali caſu quis non moritur in loco duelli, ſed ex occaſione duelli: & ideò non includitur in decreto Conc. Tridentini, neque in rituali Pauli V. & ſepeliri poteſt in loco ſacro. Ità Diana contra Peregrinum *to.5.*

tr.1.reſ.65. ex par.2. tr.16. miſc.2. reſ. 52.alias 54.& alibi.

Qui moritur in duello, ſed ante obitum dedit pœnitentiæ ſigna, eſt ne èi neganda Eccleſię ſepultura?

70 Reſp.Portellum *loc.cit.*opinari,non ei denegandam eſſe Eccleſiæ ſepulturam: quia Concilium videtur loqui de illo, qui moritur in duello in mortali peccato ſine ſignis contritionis. Non autem de eo, qui ante mortē dedit ſigna pœnitentiæ. Inſuper vt ſupra dictum eſt, huiuſmodi lex eſt pœnalis, & proindè ſtrictè intelligenda, prout verba ſonant. Cum ergò dicat priuandum eſſe Eccleſiaſtica ſepultura moriētem in duello, videtur,non comprehendi in illa caſum prædictum, in quo quis non moritur in duello, ſed finito duello cum ſignis contritionis: & quamuis moriatur in loco duelli, non tamen moritur in ipſo conflictu, vt patet: et Concilium Tridentinum videtur ſtatuere, quod de iure communi ſtatutum erat,nempè eſſe denegandam Eccleſiæ ſepulturam morienti in conflictu duelli: quia moritur in peccato mortali.

71 Sed his non obſtantibus, dicendum eſt cum Homobono *in conſult. caſ. conſcien.to.2.par.7.reſ.*64.Sancio *in ſelectis diſp.36.n.9.*Diana *to.5.tr.1.reſ.66.n. 3. ex par.4. tr.4. miſc. reſ.* 192. Lezana, Barboſa *loc.cit.* & alijs: duellantes,ſi in loco conflictus moriantur, etiamſi ante obitum dederint ſigna pœnitentiæ,non eſſe eis concedenda eccleſiaſtica ſepultura.Non ſolùm quia,vt vult Tridentinum,ſemper verificatur,in loco conflictus deceſſiſſe. Sed etiam quia ità determinatur in rituali Romano Pauli V. *in rubrica de exequijs* his verbis: *Negatur Eccleſiaſtica ſepultura morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint ſigna pœnitentiæ.* Et Ioãnes Sancius vbi ſupra ait: *Quamuis ibi eis eſſent miniſtrata Sacramenta pœnitentiæ,& Eucbariſtiæ,non eſſe concedendam Eccleſiaſticā ſepulturam.*

Epiſcopus poteſt ne cum his contritis, & confeſſis diſpenſare, vt liceat,eos ſepelire in loco ſacro?

72 Reſp.Affirmatiuè; ità Duuallius *in 2.2.D.Th.tr.de charit.q.17.ar.1. circa finem*,docet enim: Epiſcopum iuſtis de cauſis poſt duellum morienti attenta contritione,& abſolutione,quam conſequutus eſt,poſſe in hoc diſpenſare; ac etiam in alijs officijs ab Eccleſia pro defunctis fieri ſolitis. Quia in Concilio, & à Pontificibus tantùm fit mentio eorum, qui in duello obierint, & non eorum, qui poſt duellum cōtriti, & confeſſi mortui ſunt.Et Diana *to.5.tr.1.reſ.67.ex par.5.tr. 3. reſol.* 140.abſolutè affirmat ſine vlla Epiſcopi diſpenſatione poſſe in loco ſacro ſepeliri, quia non eſt mortuus in peccato mortali,dū contritus, vel confeſſus deceſſit. Sed hoc eſt contra ſupradictū rituale.

Poteſt ne publica oratione deprecari, & Miſſæ Sacrificium offerri, pro mortuo in duello cum contritionis ſignis; ſed ſepulto extrà Eccleſiam, & in loco non ſacro?

73 Reſp. Affirmatiuè; quia licet talis publicè in excommunicationem incurrerit; non fuit tamen nominatim declaratus excommunicatus; neq; talem excommunicatum, non denunciatum,tenemur,vetare in communicatione ſpiritualium, vel temporalium. Secundò, quia talis non eſt mortuus clarè in peccato mortali; nã licet duellando peccauerit mortaliter, tamen poſt duellum ſigna dedit contritionis. Ergò cenſendum eſt,non fuiſſe mortuū in claro peccato mortali. Ergo poteſt pro illo oratione publica orari,& Miſſas offerri.Ità docent Nauarrus *in ſum. c. 27.n.36.& tract.de orat.c.19.concluſ.* 6. Henriquez *lib.9. c.15. n.3.* Reginaldus *to.2.lib.32.tr.1.ſect.2.n.76.* Diana *to.5.tr.1. reſ.66. n.4. ex par.4. tr.4.reſ.* 192. *n.4.*

Ex occiſione ſequuta in duello, oritur ne obligatio reſtitutionis?

74 RESp. Molinam *de iuſt. to.4. tr.3. diſp.* 82. *n.*2. Turrianum *in* 2.2. *D. Thomæ to.*2. *diſp.*28. *dub.*4. *n.*12. Peregrinũ *de duello q.*39. *n.*4. Megalium *par.*2. *lib.* 3. *c.*1. *q.*1. *n.*13. & Bonauenturã Colonenſem *in tract. de duello c.* 12. ſuſtinere, quod qui in duello alterum lædit, vel occidit tenetur in foro conſcientiæ reſarcire læſo, vel filijs, & hæredibus occiſi, quamcumque iacturam, quam illi ratione læſionis, vel occiſionis perpeſſi ſunt. Quia qui pugnant in duello, dant operã rei illicitæ. Ergo ſi ex duello ſequitur læſio, vel mors, qui lædit tenetur reſarcire damnum illatum.

75 Sed probabilius Doctores infra citãdi, diſtingunt inter prouocãtẽ ad duellum, & prouocatum. Si enim prouocans prouocatum lædit, vel occidit, vtique tenetur reſtituere damnum illatũ. Quia prouocatus cenſetur, inuoluntariè acceptaſſe duellum, & ne apud mundanos vilis haberetur. Si verò prouocatus lædat, vel occidat prouocantem, quamuis mortaliter peccet, nihilominus non tenetur ad damni reſtitutionem, quia prouocans, illum inuitauit ad ſui occiſionem. Scienti verò, & volenti non fit iniuria. Quod ſi ambo ad duellum ſe prouocarent; neuter tenetur alteri ad reſtitutionem. Quia tunc intercedit pactum implicitum, vt occidens nihil indè occiſo teneatur. Ità docent Azorius *par.*3. *lib.*5. *c.*3. *quæſ.*7. Filliucius *to.* 2. *tr.*32. *c.*8. *nu.*212. Leſſius *lib.*2. *c.*9. *dub.* 11. *n.*133. Rebellius *de obligat. iuſt. par.* 1. *lib.*3. *q.*12. *nu.*8. *&* 9. Layman *lib.*3. *ſect.*3. *tr.*3. *c.*6. *n.*5. & alij, quos citat, & ſequitur Diana *to.*8. *tr.*5. *reſ.*67. *n.*2. *& reſ.*79. *n.*5. *ex par.*3. *tr.*6. *reſ.*53. *n.*5. *& ex par.*5. *tr.*4. *reſ.*50. *n.*2.

Locorum Domini, ſi duellum in ſuis locis fieri permiſerint, aut quantum in ſe fuerit, non prohibuerint, quas pœnas incurrunt?

76 Reſp. Concilium Tridentinum *ſeſſ.*25. *de reform. c.*19. decreuiſſe, vt ſuprà dictum eſt, *Quod Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumq; alio nomine, Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis, inter Chriſtianos, conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati, ac iuriſdictione, & dominio Ciuitatis, caſtri, aut loci, in quo vel apud quem duellũ fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, priuati intelligantur: & ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur.* Ità Conciliũ. Gregorius *XIII.* in ſua Conſtitut. quæ incipit *Ad tollendum, edita ſub die* 14. *Decembris* 1582. confirmauit, & innouauit dictum decretum his verbis: *Volens etiam locorum Dominos, ſi certamen ex condicto huiuſmodi permiſerint, aut quantum in ſe fuerit, non prohibuerint, eiſdem cenſuris, & pœnis ſubiacere.* Ac etiam Clemens *VIII.* illud confirmauit, innouauit, & ampliauit in ſua Conſtitut. quæ incipit *Illius vices ſub die* 2. *Septembris* 1592. his verbis: *Iiſdem pœnis teneri non ſolùm locorum Dominos, ſed etiam Magiſtratus, Præſides, Locumtenentes, aut etiam Militum Duces, & Capitaneos, in caſtris, vel extra ea, in alieno, vel hoſtili ſolo, uel cum Militibus exercitus aduerſariorum, monomachiam in quocumq; caſu per præſentem, uel alias conſtitutiones huiuſmodi prohibitã, permittentes, uel quantum in ipſis eſt non prohibentes, aut poſt admiſſum crimen, ueniam, & impunitatem concedentes.*

Principes poſſunt ne in caſu extraordinario, ad maiora vetanda mala, duellum permittere?

77 RESp. Salonium 2.2. *q.*64. *ar.*3. *cõtrou.*3. *concluſ. vlt.* Megalam 3. *par. lib.*4. *c.*4. *q.*2. *n.* 13. ſuſtinere ob ſupradictas prohibitiones Tridentini, & Summorum Pontificum, nũquam poſſe Principes, neque ad vitanda maiora mala duellum permittere. Sed contrarium docent Caietanus 2.2. *q.*95. *ar.*8. *in fin. & in ſumma verb. Duellum in fin.* Armilla *verb. Duellum n.*1. Emmanuel Sà *verb. eod. n.*1. Lyranus 1. *Reg. c.* 17.

Na-

Nauarrus *ſum.c.*11. *n.*39. Diana *to.* 5. *tr.*1.*reſ.*51.*n.*4.*& reſ.*52. *n.*13. *ex par.* 3.*tr.*6.*miſc.*2.*reſ.*1.*n.*13.*& ex par.*6.*tr.* 6.*miſc.*1.*reſ.*20. Sanchez *lib.*2.*in decal.* *c.*39.*n.*30. Vbi ait: Nec etiam incurrit (ſcilicet excommunicationem) Princeps hæc duella inter chriſtianos permittens, quando permittere in caſu extraordinario opus eſſet, ad vitanda maiora mala, & ſcandala. Quia licet Princeps ſemper peccet aſſenſum his duellis præbendo, ſiue ea concedendo. At immunis eſſet culpæ, ea permittendo in eo caſu extraordinario. Sicut ob ſimilem cauſam licet permittere lupanaria. Et quamuis Gregorius XIII. in ſuo motu proprio extẽderit ad Dominos (duella permittentes, aut non prohibentes) eam excommunicationem: at clarè intelligitur, quando illicitè permittuntur. Nam permiſſio licita, ac iuri naturali, reguliſque prudẽtis gubernationis conſona, ad proſpiciendum bono communi, nec interdicitur, nec pœna, ſed præmio digna eſt. Hæc Sãch.

78 Et idem docet etiam Hurtadus de Mendoza *in* 2. 2. *de fide, ſpe, & charit.* *to.*2.*diſp.*170.*ſect.*21.§.173. his verbis. *Princeps non eſt obnoxius his pænis, quãdo, permiſſo duello, vetat grauiora damna, quæ alia ratione vetari non poſſent, niſi cum grauiori incommodo.* Tum quia minora mala non ſolum permittuntur, ſed etiam conſuluntur, quando aliter vetari non poſſunt. Tum etiam, quia ius naturale, & Eccleſiaſticum vetat eas permiſſiones, ad vetanda damna, inde ſequenda. Ergò ſi non ex permiſſione ſequantur damna grauiora, non intelligitur permiſſio interdicta. Vnde in tali caſu licebit, deſignare certamini locum; ſicut licet, deſignare locum lupanari, quãdo ſine lupanari vetari nõ poſſunt incommoda grauiora. Et deſignatio loci non eſt cooperatio ad certamen; ſicut neque deſignatio lupanaris eſt cooperatio ad impudicitiam meretricum. Sed eſt deſignatio conditionata; vt ibi concertent, ſi qui concertare voluerint: ſicut in lupanari, vt ibi meretricia exerceat, ſi quæ voluerit eſſe meretrix. Hæ occaſiones ſunt: Quando inter duos Principes feruerẽt odia minantia bellum exitiale; quod quidem auerteretur, & reſtinguerentur odia, ſi monomachiam permittat Princeps tertius. Qui non ſolum poſſet eam permittere, ſed conſulere: ſi omnibus prudenter expenſis, iudicaret nullam eſſe aquam illi incendio. Conſulere inquam non abſolutè, ſed vt poteſt conſuli minus malum. Item ſi vaſſalli Principis ità tumultuarent ciuilibus odijs, vt prudentèr timeatur, illos cateruatim, & ex inſidijs congreſſuros: neque ipſe Princeps poſſet eos legibus coercere, nec compeſcere, immineatq; ſeditio, & rebellio. Tunc ſi poſſent ea damna vetari, permiſſa, aut conſulta monomachia, eſſet permittenda, aut conſulenda: Minus enim malum eſt, vt pauci congrediantur, quam vt multi. Item ſi duo Principes peterent à Principe tertio campum, vt ex ipſorũ ſubditis pauci in eo duellarẽt: Si Princeps tertius, illum negare non poſſet ſine periculo, vt illi in eum arma verterent; illique immineret, aut amiſſio Regni, aut periculoſũ bellũ. Hęc Hurta.

Princeps Chriſtianus, qui in ſuo ſtatu duobus infidelibus locum cõcederet duellandi, incurreret ne excõmunicationem?

79 RESp. Negatiuè; quia Concilium Tridentinum expreſsè prohibet Principibus non permittere duellum inter Chriſtianos, nulla facta menſione de duello inter infideles. Ità Martinus del Rio *lib.*4.*diſquiſ.magic.c.*4.*q.*4.*ſect.* 2.*n.*26. Sanchez *vbi ſup.n.*29. Qui ſubdit, ſecus eſſe dicendum, ſi in duello pugnaturus eſſet Chriſtianus cum infideli. Quia tunc Princeps concederet locum ad duellum Chriſtiano, quod clarè cõſtat, eſſe ſub excommunicatione prohibitum à dictis Concilio, & Pontificibus. Ità etiam Barboſa *in Trid.ſeſſ.* 25.*c.*19.*n.*18.

Pœna priuationis iuriſdictionis, & do-

minij Ciuitatis, Caſtri, aut loci ab Eccleſia obtenti, vt à Principe, & ab alijs, in Conc. expreſſis, incurratur ob duelli permiſſionem, indiget ne Iudicis ſententia?

80 RESp. Affirmatiuè, quia eſt pœna, quę priuat proprio iure acquiſito, & ideò non incurritur ante Iudicis ſententiam. Sola enim pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ac etiam irregularitatis eſt latæ ſẽtentiæ, & contrahitur abſque Iudicis ſententia, vt ſupra etiam probatum eſt. Et ità docet Sanchez *loc.cit.n.*32.

Abſolutio excommunicationis latæ contra duellantes, & ad duellũ cooperantes, eſt ne Summo Pontifici reſeruata?

81 RESp. Affirmatiuè; Quamuis enim hæc excommunicatio impoſita à Conc. Trid. & à Gregorio XIII. reſeruata non ſit; nihilominus à Clemẽte VIII. reſeruata eſt his verbis. *Excõmunicationis abſolutionem ab alio, quàm à nobis, aut pro tempore exiſtente Romano Pontifice, &c. niſi in mortis articulo conſtituti, obtinere nequeant, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum, quibuſuis perſonis Eccleſiaſticis, cuiuſcunque Ordinis, aut Militiæ, ſtatus, aut gradus, aut conditionis exiſtentibus*. Ità in ſupradicta Conſtitut.

Quando duellum emiſſum, eſt occultum, poteſt ne Epiſcopus eius excommunicationem abſoluere?

82 RESp. Affirmatiuè; quia Epiſcopis conceſſum eſt priuilegium à Concilio Trid. *ſeſſ.*24. *c.* 6. abſoluẽdi à caſibus Summo Pontifici reſeruatis, quando ſunt occulti. Quod priuilegium in Conſtit. Clementis Octaui nõ eſt derogatum, cum de illo ibi nulla mentio fiat, prout fieri debebat, vt derogatum cenſeretur. Ità Sanchez *lib.* 2.*in decal.c.*39.*n.*27. Bonacina *to.*1. *de excomunic.diſp.*2.*q.*6.*pun.* 1.*n.* 39. Rodriquez *to.* 1. *quæſt. regul. q.*8. *ar.* 10. Suarez *de pœnit.q.*30.*ſect.*2.*n.*24. Peregrinus *de duello q.*37.*n.*3. & alij.

Quando dicitur duellum occultum, ità vt illius excommunicatio abſolui poſſit ab Epiſcopo?

83 RESp. aliquos Doctores, quos refert Sanchez *lib.*2.*in decal.c.*11. *n.*19. opinari; delictum occultum dici, quando in iudicium deferri nequit, eò quod nullus interfuit teſtis, & ſola delinquentis confeſſione manifeſtari poteſt Eccleſiæ. Sed ipſe Sanchez *loc.cit.* & *lib.*8.*de matrim. diſp.*34.*n.*55. Suarez *de cenſuris diſp.*41.*ſect.*3. *n.*9. Emmanuel Sà *ſumm.verb.Epiſcopus n.* 33. Sayrus *to.*2.*lib.*4.*c.*17.*n.*21. & *lib.* 7. *c.* 13.*n.*12. Azorius *par.*1.*lib.*8.*c.*10.*quæſ.* 9. & alij docent: delictũ occultũ in Sacra pœnitentiaria dici illud, quod diſtinguitur à publico; quamuis enim delictum, ſeu duellum ſciatur, ac proinde probari poſſit, tunc ſolum non erit occultum, quando eſt publicum, non ſolum in ciuitate, ſed etiam in maiori parte viciniæ, vel collegij, monaſterij, vel parochiæ, dummodò ſaltem decem perſonæ inueniantur in ea vicinia, parochia, vel collegio, aut monaſterio, in quibus id publicũ eſt. Verum ſi duellũ deductum ſit ad forum contentioſum, etiamſi vnico teſte probetur, nequibit Epiſcopus illud abſoluere, niſi delinquens ob defectum plenę probationis, ſit in foro externo abſolutus. Vt docent Sanchez *ibid. n.*21. Auila *de cenſuris* 2.*par.c.*7.*diſp.*1.*dub.*11.*concluſ.*3. & *par.*7. *diſp.*10. *dub.*6. *in fin.* Suarez *ibid.diſp.*42.*ſect.*2.*n.*3. & alij. Si autem duellum ſit alicubi publicum, & vbi abſolutio petitur, ſit occultum. Tunc vel facile publicari poteſt ad alia loca: et Epiſcopus non poteſt illud abſoluere; quia quod alicubi publicũ eſt, ſimpliciter eſt publicum, & non occultũ: vt docet Suarez *to.*4.*in* 3.*par. diſp.*39. *ſect.*2.*n.*2. *in fin.* Vel eſt publicum in loco ita diſtanti, vt eius notitia non ſit

per-

perueniendа in loco, in quo abſolutio petitur: & poteſt Epiſcopus, tanquam duellum occultum abſoluere. Ità Sanchez *n.*20.& Auila *loc.cit.*

Qui excommunicationem ſupradictã contraxit, & ob legitimum impedimentum adire non poteſt Papã, poteſt ne ab Epiſcopo abſolui?

84 RESp. Affirmatiuè; vt patet ex *cap. De cætero de ſentent.excommun.* Quia non eſt maior ratio cur potius Epiſcopus non poſſit abſoluere pœnitentem in caſu duelli, interueniente iuſto impedimento, quàm in alijs caſibus Summo Pontifici reſeruatis. Ità Bonacina *de excomm.diſp.*2.*q.*6.*pun.*1. *n.*39.Sanchez *de matr.lib.*2.*diſp.*4.*n.*2. *circa finem.*Henriquez *lib.* 12.*c.*3.*n.*1. *& lib.*6.*c.*9.*n.*7. Duardus *in bulla cœnæ lib.*3.§.2.*q.*8. *n.*21.Gaſparus Hurtadus *de excommunicat. diſp.*15.*diffic.*1.*n.*10. vbi ait Epiſcopis quoque conceditur facultas, abſoluendi à quacunque excommunicatione Pontifici reſeruata, quando excommunicatus eſt legitimè impeditus, adire Summum Pontificẽ; ſiue ætate ſenili,ſiue impubertate,ſiue infirmitate, ſiue inimicitia capitali periculoſa,ſiue fragilitate ſexus, ſiue cura familiæ, ſiue quia eſt ſub cura parẽtum,ſiue paupertate in eo, qui non ſolet mendicare, ſiue quocũque alio impedimento, ad arbitrium viri prudentis, ſufficiente. Quamuis poſſit ad Sũmum Pontificem mittere,& nõ mittat.

Regulares poſſunt ne abſoluere excommunicationem, ob duellum contractam, virtute ſuorum priuilegiorum?

85 RESp. In Italia extra vrbem Romã non poſſe hodie Regulares virtute ſuorum priuilegiorum,concedentium caſus Papæ reſeruatos, abſoluere excommunicationem duelli. Quia Sacra Cardinalium Congregatio,de mãdato Clementis VIII. die 9. Ianuarij 1601. & die 16. Nouembris 1602. ſtatuit in decreto,quod incipit:*Sacra Congregatio quoad prouocantes, aut pugnantes in duello, iuxtà decretum, & formam Tridentini, & Gregorij XIII. Regulares omnes etiam Societatis Ieſu non poſſe, virtute ſuorum priuilegiorum, à cenſura ob duellum incurſa, abſoluere in Italia extra vrbem Romam.* Ità referunt, & docent Bonacina *de excomm.diſp.*2.*q.*6.*pun.*1.*nu.* 40. Diána *to.*7.*tr.*1.*reſ.*264.*&* 265.*n.*4. *ex par.*5.*tr.*14.*Miſc.*2.*reſ.*103. *& ex par.* 7.*tr.*11.*miſc.*2.*reſ.*45.*n.*4.Maranta *in ſumma bullarij verb. Caſus reſeruatus fol.*199. Dicaſtillus *de iuſtit. & iur. to.* 1. *lib.*2.*tract.*1.*diſp.*10.*dub.* 15. *n.*238. Layman *lib.*3.*tr.*3.*par.*3.*c.*5. *n.* 4. Pellizzarius *to.*1.*tr.*6.*cap.*2.*ſect.*1.*n.*35. *in fin.* contra Hurtadum de Mendoza *in* 2.2.*diſp.*170.*ſect.*21.§.201.

86 Extra verò Italiam, & in Vrbe Roma poſſe regulares, à dicta excommunicatione duelli abſoluere,virtute ſuorum priuilegiorũ affirmant Baunius *in Theol.mor.par.*2.*tr.*2.*q.*18. Dicaſtillus *loc.cit.*Paulus Comitolus *lib.* 6. *moral. q.*17.Reginaldus *to.*2.*lib.*21.*n.*83. Filliucius *to.*1.*tr.* 15.*c.* 5.*n.* 106. Diana *vbi ſup.* Fagundez *to.*1.*in decal.lib.*5.*c.* 8.*n.*5.& alij. Quia Clemens VIII. in ſua Conſtitut. ſolum prohibet, ne Regulares priuilegiati, prætextù facultatum, ſeu priuilegiorum abſoluant: Qui autem virtute ſuorum priuilegiorum, iuxta conſuetam praxim receptorum abſoluunt non dicuntur prætextu facultatum, aut indultorum abſoluere, ſed vera facultate,quam habent ex receptis priuilegijs. Et addit Filliucius *tr.*29.*c.*8.*n.*167. ità Romæ doctiſſimos viros à ſe conſultos reſpondiſſe, vt refert Fagundez *loc.cit.* Vnde Regulares commorantes in Sicilia, Sardinia, & Corſica poſſunt vigore ſuorum priuilegiorum abſoluere duellantes ab excommunicatione. Quia non includuntur in dicto decreto Clementis Octaui, nam dictæ inſulæ ſunt extra Italiam,vt docet Diana *vbi ſup. in fine reſolutionum.* Verum Bonacina *de cenſur.diſp.* 2.*q.*6.*pun.*1.*n.*41. Peregrinus *de duello*

*q.38.n.4.& ſeq.*Sanchez *lib.2. c.39.nu.* 27. ſuſtinent Clementem *VIII.* in ſuo motu proprio reſeruaſſe excommunicationem, etiam in duellis priuatis, & decreuiſſe, virtute nullius priuilegij, conceſſi,à quibuſuis perſonis cuiuſcũque ſtatus, poſſe huius excommunicationis abſolutionem concedi. Quare nullus Religioſus poteſt virtute ſuorũ priuilegiorum, concedentium omnes caſus Papæ reſeruatos, ab illa abſoluere.

Prouocantes, vel ad duellum cooperãtes, poſſunt ne abſolui ab excommunicatione à Regularibus, virtute priuilegiorum, duello nõ ſequuto?

87 RESp. quod vel per prouocantes, & per cooperantes ad prouocationem,non ſtetit, quin duellum ſequeretur; Et ipſi non poſſunt hoc tempore virtute priuilegiorum à Regularibus abſolui; quia contraxerunt excommunicationem iuxtà conſtitutionem Gregorj XIII. ex qua Sacra Congregatio abſtulit Regularibus facultatem abſoluendi, vt benè notant Filliucius *tract.* 29.*c.*8.*q.*14.*n.*167.Bonacina *de excommunicat.diſp.*2.*q.*6. *pun.*1.*n.*40. & alij. Vel per ipſos prouocantes, vel cooperantes ad duelli prouocationem, ſtetit, ne pugna ſequeretur:Et à Regularibus virtute ſuorum priuilegiorum abſolui poſſunt. Quia nõ contraxerunt excommunicationem, contentam in decreto Tridentini, & Gregorij,ſed contentam in conſtitutione Clementis VIII.à qua Regulares habentes priuilegia, abſoluendi ab excommunicationibus, Papæ reſeruatis, abſoluere poſſunt: quia hæc facultas non fuit reuocata à Sacra Cõgregatione, nam ſolùm abſtulit facultatem abſoluẽdi ab excommunicatione impoſita,iuxtà formam Concilij, & Bullam Gregorij. Hoc autem decretũ non eſt ampliandum, ſed ſtrictè explicandum,iuxtà verborum proprietatem. Ità ſupradicti Doctores. Similitèr Regulares poſſunt abſoluere illos,qui pugnam committunt, ſed nõ ex condicto, vel abſque determinatione loci, & temporis, vel ſine periculo occiſionis, vel mutilationis, aut vulneris. Ac etiam conſulentes, vel adiuuantes, aut mandantes, &c. quando ipſi reuocauerunt efficacitèr conſilium, vel auxilium,aut mandatum; quia per ipſos ſtetit, ne ſequeretur duellum.

Excommunicatio per duellum contracta poteſt ne abſolui per Bullam Cruciatæ?

88 RESp. Poſſe abſolui ſemel in vita,& ſemel in mortis articulo. Quia Bulla Cruciatæ non reuocatur, niſi per expreſſam derogationem:quæ derogatio non continetur in dicto motu proprio Clementis VIII.Ergo per facultatem dictæ Bullę abſolui poteſt excommunicatio, per duellum contracta, ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, vt ab omnibus alijs caſibus Papę reſeruatis.Ità Sanchez *lib.2.c.39.n.*27.Hurtadus de Mendoza *in* 2.2.*diſp.*170.*ſect.* 21. §. 201. Diana *to.*4. *tr.*3. *reſ.* 67. *ex par.*5.*tr.* 14.*miſc.*2.*reſ.*104.

CAPVT XIX.

De quarta ſpecie Superſtionis, quæ eſt vana obſeruantia.

Quid eſt Superſtitio vanæ obſeruantiæ?

1 RESp. quod eſt procuratio alicuius effectus,per media vana, & inutilia,nec à natura,nec à Deo,ad illum effectum producendum, inſtituta; ſed ex hominum vanitate,cooperante Dæmonum malitia,inuenta.Dicitur enim hęc ſuperſtitio vana obſeruantia, quia vtitur medijs, vel non habilibus, ad conſequendum effectum intentum, vel ſi effectus conſequatur, plus detrimenti, quàm commodi affert.Nam commodũ eſt de rebus corporeis, & temporalibus:detrimentum verò eſt animæ,& de rebus ſpiritualibus.Ità docent D.Thomas

mas 2.2.*q.96.ar.2.& 3.*Leſſius *lib.* 2. *c.* 23.*dub.*10.Sanchez *lib.*2. *in decal.c.*40. *n.*1.Sayrus *lib.*4.*c.6.* Thomas del Bene *de offic.Inquiſ.par.*2. *dub.* 228.*ſect.*5. & alij communiter.

Hæc vana obſeruantia, in quo differt à diuinatione?

2 Reſp. differre, quia diuinatio ordinatur ad ſolam cognitionem rerũ occultarum, indebito modo conſequẽdam. Vana autem obſeruantia tendit ad opus,& ad effectum externum,nempè ad aliquod commodum conſequendum,vel ad aliquod malum vitandum, vel ad aliquod damnum inferendum. Ità ſupradicti Doctores.

In quo conſiſtit huius ſuperſtitionis malitia, & eſt ne graue peccatum?

3 Reſp. Eius malitiam conſiſtere in pacto explicito, vel tacito cum Dęmone,quia vtitur medijs non à Deo conſtitutis,ſed quæ ſolum,ope Dæmonis, efficaciam habere poſſunt; & illa media aſſumẽs;tacitè ſaltem opem Dęmonis implorat, & illi quodammodò diuinum honorem tribuit. Et ideò huiuſmodi ſuperſtitio, ſiue ſit cum pacto expreſſo, & cum expreſſa Dęmonis inuocatione,ſiue cum pacto tacito, & facto ipſo, ac tacita eius inuocatione implorata, eſt grauiſſimũ peccatum. Quia habere commercium cum Dæmone, & ad illum recurrere, cedit in grauiſſimã diuinæ Maieſtatis iniuriam. Neque ab hoc peccato excuſatur his medijs vanis vtens; quia Dęmonis pacto,tàm explicito,quàm implicito,renunciat.Nam eſto verbis renunciet, facto autem ipſo pactum, & commercium cum Dęmone, olim ab aliquo initum, ipſe habet. Ità docent *Philiarcus de offic.Sacerd.to.* 1.*par.*2.*lib.*3.*c.*11. *verſ.Quarta concluſio*, Sanchez *loc.cit.n.*25. Caſtro Palaus *par.*3.*tr.*17.*diſp.*1.*pun.*8.*n.*3.

Hæc vana obſeruantia eſt ne ſemper peccatum mortale, vel aliquando eſt veniale?

4 Reſp. Si hæc vana obſeruantia contineat pactum expreſſum cum Dęmone, ſemper eſt peccatum mortale; ſiue pactum,ſit verbis,ſiue ipſo facto,explicitum. Et nunquam à tali peccato poteſt quis, ob ignorantiam aliquam excuſari; quia res ex ſe ipſa ſatis clarè malitiam ſuam grauem oſtendit. Ita Valentia 2. 2.*diſp.6.q.*13.*pun.*1. Martinus del Rio *lib.*4.*diſquiſ.magic.c.*2.*q.*4. Thomas del Bene *vbi ſup.dub.*228.*ſect.* 6.*n.*1. Si verò continet ſolum pactum implicitum cum Dæmone;quamuis ex ſuo genere ſit peccatum mortale, quia eſt contra Religionem, & cultum Deo debitum;tamen poteſt eſſe veniale. Primò ratione intentionis. Vt ſi quis hanc vanam obſeruantiam non quaſi efficacem,ſed ex leuitate quadam,& curioſitate, & quid vanum ſemel experiatur. Ità Sanchez *loc. cit. n.* 25. Thomas del Bene *n.*4. Quod tamen diſplicet Caſtro Palao *par.*3.*tr.*17.*diſp.*1.*pun.*8.*n.*4. vbi ait. Certè mihi difficile eſt hanc curioſitatem à mortali excuſare, ſi quidem ſocietatẽ cum Dęmone habere, & eius auxilium tacitè petere, tametſi ex curioſitate, & leuitate fiat, in grauẽ cedit Diuinæ Maieſtatis iniuriam,& ex alia parte non leui periculo deceptionis eſt expoſitum. Secundò excuſari poteſt à mortali, ignorantia, & inaduertentia vincibilis,ſed non craſſa,& ſupina;quia tunc ipſa vana obſeruantia non eſt niſi imperfectè,& venialitèr volità. Ità docent Leſſius *lib.*2.*c.*44.*dub.*4.*n.*26. Sanchez *vbi ſup. & lib.*7. *de matrim. diſp.* 95.*n.*4.Valentia 2.2.*diſp.6.q.*19.*pun.*3. Caſtro Palaus *ibid.*& alij. Tertiò excuſatur à peccato,qui vtitur his vanis obſeruantijs,non ad experiendum effectũ, ſed ad conuincendum, illis vtens operari ex tacito Dæmonis pacto.Ità teſtatur Caietanus *in ſumm.verb.Incantatio n.* 5. Se vſum fuiſſe quibuſdam verbis ſacris, quibus annulus in gyrum vertebatur, non experiendi gratia, ſed ad conuincendam diabolicam inſtitutionem propter fidelium aſtantium vtilitatem. *I*dq;feciſſe pręmiſſa proteſtatione,ſe non dicere ea verba,tanquam in-

ſtituta

ſtituta à Dęmone,ad mouendum annulum; ſed tanquam verba ſacra ad Dei honorem,&/ad propalandã diabolicam fraudem.

Hæc vana obſeruantia continens ſolum pactum tacitum cum Dæmone,ratione paruitatis materiæ excuſatur ne à mortali peccato?

5 RESp.Valentiam *loc. cit.* cum alijs opinari, non eſſe improbabile ob paruitatem materiæ huiuſmodi vanam obſeruantiam, continentem non pactum expreſſum, ſed tãtùm tacitum, eſſe ſolum veniale peccatum. Quia ex ſolo tacito commercio cum Dæmone, non magnum ſalutis ſpiritualis periculum homini imminet. Sed in hac re nõ eſſe admittendam paruitatem materiæ à mortali excuſantem docent:Sanchez *lib.2.in decal.c.*40.*n.*13. Leſſius *lib.*2. *c.* 44.*dub.*4.*n.*26.Suarez *to.*1. *de relig. lib.* 2.*de ſuperſtit.c.* 14.*n.*10. Caſtro Palaus *par.*3.*tr.*17. *diſp.*1.*pun.* 8.*n.*3. Thomas del Bene *de offic. Inquiſ. par.* 2. *dubit.* 228.*ſect.*6.*n.*6.& alij;quia quælibet cũ Dæmone ſocietas, & quodlibet commercium, recurſus, & in eius ope fiducia,maximè aduerſatur Religioni, & Diuinæ Maieſtati iniuriam affert,etiãſi materia, & effectus intentus leuiſſimus ſit. Nam huius peccati malitia conſiſtit,in auferendo cultum Deo debitũ, & in tribuendo creaturę effectum à ſolo Deo ſperandum.Et vtraq; deformitas eſt ex ſe grauis, abſtrahendo à quacumq; materia:ſicq;videtur, non poſſe dari in tali caſu paruitatem materiæ.Et ità etiam ſuſtinent Caietanus *in ſumm. verb. Incantatio in princip.* Sylueſter *verb. Superſtitio*, *q.*10. *in fin.* Nauarrus *in ſumm. c.*11. *n.*24. Alcozer *in ſumma c.* 14.

Quot ſunt ſpecies vanæ obſeruantiæ?

6 RESp. Eſſe multas, quas Bordonus *to.* 1. *c.*18. *n.*4. enumerat dicens, quod Prima vocatur Ars notoria. Secunda Obſeruatio ſanitatis.Tertia Obſeruatio futurorum euentuum.Quarta Obſeruatio verbornm, & rerum ſacrarum. Quinta Magia, quæ medijs vanis vtitur ad aliquid mirabile efficiendum. Sexta Maleficium,quo proximus læditur,auxilio, & poteſtate Dæmonis. Et de ſingulis aliqua ſunt inquirenda.

CAPVT XX.

De vana obſeruatione artis notoriæ.

Quidnam eſt hæc ars notoria?

1 RESp. quod eſt illicita, & inefficax inquiſitio ſcientiæ ſine labore: quia hæc ars notoria vtitur quibuſdam medijs,ad ſcientiam acquirendam, quæ non habent ſecundum ſe virtutem cauſandi illam. Vt ſunt inſpectiones quarumdam figurarum, vel prolatio quorundam verborum ignotorum, vel potio certi liquoris, vel quædam ieiunia, & orationes,& ſimilia,quæ nullam virtutem, ac proportionem habent ad acquirendam ſcientiam, nec Deus inſtituit ad illam infundendam, & per conſequens ſunt ſigna pertinentia,& ſignificantia pactum cum Dæmone initum. Et ideò hæc ars notoria dicitur ſuperuacanea, & illicita inquiſitio ſcientiæ. Ità D.Thomas 2.2.*q.*96. *art.*1. Suarez *to.*1.*de relig.lib.*2.*de ſuperſtit.c.*15. *nu.*4. Bordonus *to.*1. *c.* 18. *n.* 5. Thomas del Bene *de offic.inquiſ.par.*2. *dub.*228.*ſect.* 10.*n.*1.& alij.

Vſus huiuſmodi vanæ obſeruantiæ, & artis notorię ad ſcientiam acquirendam eſt ne mortale peccatum?

2 RESp.Affirmatiuè,quia qui his vanis obſeruantijs vtitur, vult acquirere ſciẽtiam ſine ſtudio,& labore:Sic autem illam obtinere, non poteſt, niſi per infuſionem.Ergò virtualiter intendit illam per infuſionem habere.Hoc autem modo illam conſequi non poteſt per illas obſeruantias, quæ adhibentur, vt per

per ſe patet. Neque procuratur à Deo, quia Deus nunquam promiſit ſcientiarum infuſionem per ignota verba, aut per inſpectiones figurarum, vel per potionem alicuius liquoris; immò neque per ieiunia, & orationes. Qui enim non addiſcendo, nec adhibẽdo induſtriam, & diligentiam, quam ex parte ſua poteſt apponere; ſed ieiunijs tantùm, & oratione vellet, ſcientias obtinere per infuſionem à Deo, vtiq; Deum tentaret, & improbè illum coleret, niſi id faceret ex ſpeciali Dei inſtinctu. Ergò qui ſic operatur, vult à Dæmone cõſequi ſciẽtiam infuſam, & cum Dæmone habere ſocietatem. Et ideò hæc ars notoria, eſt penitus repudianda, & vt mortale peccatum fugiẽda. Ità ſumitur ex D. Thoma, & ſupradictis Doctoribus locis citatis.

Dæmon poteſt ne alicui ſcientias ſubito infundere?

3 Reſp. Negatiuè, quia ſcientiarum infuſio ſolùm à Deo obtineri poteſt. Certum enim eſt aliquos à Deo ſapientiam, & ſcientiam per infuſionem habuiſſe, ſicut de Salomone legitur *3. Reg. 3. & 2. paral.* 1. Dominus Ieſus etiã Diſcipulis ſuis dixit *Luc.* 21. *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Sed vt notat D. Thomas *loc. cit.* Hoc donum non datur quibuſcumque, aut cum certa obſeruatione, ſed ſecundum arbitrium Spiritus Sancti, ſecundum illud 1. *ad Cor.* 12. *Alij quidem datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritũ.* Et poſteà ſubditur: *Hæc omnia operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens ſingulis, prout vult.* Ad Dæmones autem non pertinet illuminare intellectum; acquiſitio autem ſcientiæ, & ſapientiæ fit per illuminationem intellectus. Et ideò nullus vnquã per Dæmones ſcientiam acquiſiuit. Hęc D. Thomas. & poſt pauca ſubdit. Poſſunt tamen Dæmones verbis hominibus, colloquentes, exprimere aliqua ſcientiarum documenta.

Et ex his multò magis patet, quàm illicita, & inefficax ſit talis ars notoria, & à Dæmonibus velle ſcientias conſequi, vt notant Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c.* 16. *n.* 12. CaſtroPalaus *par. 3. tr.* 17. *diſp.* 1. *pun.* 10. *n.* 4. & 5. & alij.

Qui alicuius rei ſcientiam à Dæmone acquiſiuit poteſt ne illa vti?

4 Reſp. vel talis ſcientia eſt ſuperſtitioſa, vel eſt naturalis; Si primo modo certum eſt, quod non poteſt illa vti. Si ſecundo modo, vt eſt notitia virtutis alicuius rei naturalis. Quamuis peccauerit mortaliter à Dæmone talẽ ſcientiam addiſcendo; tamen ſi eius vſus non pendeat à Dæmone, nec Dęmonis concurſum requirat, nec aliquod vitium contineat, nec ad aliquod malũ ordinetur, poteſt licitè illa vti, & ad alios eam docere. Quia vſus ſcientiæ naturalis de ſe bonus eſt, etiamſi malè ſit acquiſitus. Ità Sanchez *lib. 2. in decal. c.* 42. *n.* 20. Victoria *de magia q.* 4. *n.* 15. Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 13. *pun.* 2. *col.* 5. §. *Quarto neque*, Martinus del Rio *lib. 2. q. 4. lit. F.* Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c.* 15. *n.* 24. & *c.* 17. *n.* 1. Bordonus *to. 1. c.* 18. *n.* 6. Caſtro Palaus *par. 3. tr.* 17. *pun.* 10. *n.* 7.

Qui ſtudendo, & faciendo, quod in ſe eſt, ad ſcientiam acquirendam, ſimul vteretur vanis obſeruantijs, committeret ne ſuperſtitionem?

2 Reſp. ſi ex illis vanis obſeruantijs ſperatur vim memoriæ acquirere, vel acumen ingenij, vel organa ſenſuum melius diſpoſita, vel ſimilia, quæ virtute talium obſeruantiarum naturaliter fieri non poſſunt, ſed fieri aliquo modo poſſunt virtute Dæmonis, ſine dubio ſpeciem ſuperſtitionis committeret. Quia ſine Dæmonis pacto expreſſo, vel tacito, hæc fieri nequeunt; etiamſi nihil expreſsè, vel tacitè petatur, quod virtutem naturalem ſuperet. Ità docent Martinus del Rio *lib. 2. q.* 24. Suarez *loc. cit. c.* 15. *n.* 7.

Qui ad inquirendam aliquam ſcientiam, profert illa verba *Pſalmi* 50. *Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*, eſſet ne ſuperſtitioſus?

6 RESP. ſi credit neceſſariò hæc verba eſſe proferenda, vt ſcientiã conſequatur, vtique eſt ſuperſtitioſus, & mortaliter peccat. Secus verò ſi tantum ex deuotione, & vt à Deo ſcientiam impetret. Ità D. Thomas 2.2. *q.* 96.*ar.*4.*ad* 1. D. Antoninus 2.*par. tit.* 12. *c.*1.§.11. Nauarrus *c.*11.*n.*39. Syluester *verb. Superſtitio q.*10.& alij.

Appetere ſcire magicas ſcientias, vel ſimiles, eſt ne mortale peccatum?

7 RESP. cum D. Thoma *in quodlib.* 4. *q.*11.*ar.*16. quod cognitio cuiuslibet ſcientiæ eſt aliquid bonum. Alioquin Deus, cui nihil mali ineſt, nõ haberet omnem ſcientiam, tam bonorum, quàm malorum. Vnde appetere quamcumque ſcientiam, vel notitiam quarumcunque rerum, ſiue bonorum, ſiue malorum in genere, eſt bonum: ſed ſecundum diuerſas circumſtantias additas poteſt eſſe, vel bonum, vel malũ: et præcipuæ hæc diuerſificantur ſecundum intentionem finis. Nàm ſi aliquis appetat ſcire ſcientias magicas; vt eis etiam vtatur, eſt malum. Si verò appetat eas ſcire; vt eas confutet, & reprobet; ſic eſt bonum, & licitum. Nec etiã verum eſt, quod magicæ artes ſint ſcientiæ; potius enim ſunt quædam fallaciæ Dæmonum. Si verò prohiberetur earum ſtudium, propter periculum vtendi, tunc eſſet malum; quia prohibitum. Hæc D. Thomas.

CAPVT XXI.

De vana obſeruatione ſanitatis.

Quænam eſt vana obſeruatio ſanitatis?

1 RESP. eſſe obſeruationem ad curãdos morbos, mitigandos dolores, conſeruandam vitam, & ſalutem, ad ſe tuẽdum contra leſiones hoſtium, vel caſus fortuitos, per verba, per ſigna, & per cærimonias inanes, vanas, & inutiles. Omnis enim circumſtantia inutilis, ſi tanquam neceſſaria, adhibeatur circa humana corpora, eſt opus ſuperſtitiorum; & dicitur vana obſeruatio ſanitatis: vt obſeruant Leſſius *lib.*2.*c.*43.*dub.*10.*n.*63. Suarez *to.*1. *de relig. lib.*2.*de ſuperſtit. c.*15. *n.* 8. & alij communiter.

Adhibere medicamenta naturalia, & vtilia, cum vanis circumſtantijs, eſt ne ſuperſtitioſum, & illicitum?

2 RESP. affirmatiuè; quia ſi adiungãtur ad res naturales, quę naturalem habent virtutem, producendi ſanitatis effectum, aliqua verba, vel characteres, vel quæuis aliæ obſeruationes, quæ naturaliter efficaciam non habent ad effectum ſalutarem producendũ; tunc ſperatur ſalus per aliquod ſupra vires cauſarum naturalium. Et conſequenter adeſt in illis verbis, ſeu characteribus, aut cœrimonijs ſuperſtitioſa, & diabolica deceptio. Confirmatur, quia illa media, ſeu applicationes, cùm non poſſint, eſſe cauſæ, habẽtes virtutem ad illos effectus, adhibentur, vt ſigna, ad quarum præſentiã alius operetur. Iſte autem non eſt Deus, quia Deus nunquam talia ſigna inſtituit; Ergo eſt Dæmon, & conſequenter actio illa eſt illicita, & manifeſta ſuperſtitio. Ità docent D. Thomas 2.2. *q.*96. *ar.*2. *ad* 1. Caietanus *ibi*, Suarez *loc. cit. n.*8. *&* 9. Leſſius *ibid.* Sanchez *lib.*2. *in decal. c.*40.*n.*20. Nauarrus *c.*15. *n.*34. Caſtro Palaus *par.*3. *tr.*17. *diſp.*1. *pun.*10. *n.* 18. Thomas del Bene *de offic. inquiſ. par.*2.*dub.*228.*ſect.*5.*n.*15. & alij.

Quando dubitatur, an effectus excedat vires cauſæ naturalis, præſumẽdum ne eſt prouenire à cauſa naturali, an à ſuperſtitione?

3 Reſp.

5 RESp. quod ſi dubitetur, an effectus à cauſa naturali proueniat, quia non conſtat, an vires cauſæ naturalis excedat,nec ne:& cenſendum eſt illum potius à cauſa naturali procedere.Quia cùm innumeræ naturalium cauſarum vires nos lateant,non adeſt ratio,quare effectus ille ſit preſumendus potiùs ſuperſtitioſus, quàm à cauſa naturali: & vt docet D. Thomas 2. 2. *q.* *60.* *art.*4. Dubia in meliorem partem interpretanda ſunt.Ideò iudicandus non eſt ſuperſtitioſus, nec à Dæmone operatus. Verùm qui tali re,ad expellēdum morbum,vti intendit;debet proteſtationem præmittere: nolle effectum conſequi, ſi ex Dæmonis tacito pacto proueniat. Si autem conſtet, effectum illũ vires cauſæ naturalis excedere;tunc niſi maxima operantis ſanctitas, vel alia vrgentiſſima indicia ſuadeant effectum à Deo, vel à bono Angelo prouenire: cenſendũ eſt in dubio ſuperſtitioſum, & cauſari à Dæmone,etiam ſi verba adhibita ſint ſacra. Ità docent cum D. Thoma 2.2.*q.96.ar.*2.Sanchez *lib.*2.*in decal. c.* 40.*n.*44. Angelus *verbo Superſtitio n.*2. Syluester *verb.eodem q.*10. Armilla *nu.* 4.Suarez *to.*1.*de relig.lib.*2. *de ſuperſtit. c.*15.*n.*13.*&* 14.Sayrus *lib.*4.*c.*6. *nu.*4. Toletus *lib.*4.*ſum.c.*14.*n.*10.Bonacina *to.*2. *in* 1.*præc.diſp.*3. *q.*5.*pun.*4.*n.*9. & alij.

Eſt ne ſuperſtitioſus ille modus medendi,quo vulnus in loco,etiam diſtanti,breuiſſimè curatur, applicando medicamentum lineis petijs, uulnerati ſanguine tinctis?

4 RESp. Affirmatiuè, vt docent Bonacina *in* 1. *decal.præc.diſp.*3.*q.*5.*pun.* 4.*n.*17.*&* 18. Carena *par.* 2. *de ſortileg. tit.*12.§.4.*n.*29. Bordonus *to.*1.*c.*18.*nu.* 37. Mazuchellus *diſp.* 2. *de caſib. Mediol. c.* 10. *n.*81. Quia naturalis modus medendi vulnera eſt, ſuper ipſis vulneribus medicamentum applicare:Nam omne agens, agit in paſſum ſibi debitè approſſimatum. Et patet ex praxi omnium Medicorum:Cum ergo talis modus medendi etiam in loco diſtanti, & ipſa celeritas ſanationis ſint nedùm inuſitata,ſed contra modum naturalem operandi: clarè colligitur,ità medentes operari virtute Dæmonis, qui ad applicationem medicamenti in loco diſtanti curat infirmũ; ſic decipiendo homines,credentes medicamentum naturalem operari. Hoc idem multis alijs rationibus,probat Bonacina.Et ità fuiſſe concluſum in pœnitentiaria Mediolani teſtatur Carena.

Vtens hoc medendi modo, eſt ne denunciãdus Sancto Inquiſitionis Officio?

5 RESp.Affirmatiuè; quia ſaltem eſt de hæreſi leuiter ſuſpectus, ex pacto tacito in ipſo medicandi modo cum Dæmone. Dum enim effectus ſanitatis naturalitèr ab illo remedio peruenire non poteſt; ſed ſolùm à Dæmone, conſequentèr illo vtens, denunciandus eſt Tribunali Inquiſitionis. Ità ſupradicti Doctores locis citatis, & Petrus Nauarra *lib.*2. *cap.*4.*par.*1.*n.*215. Auila 2. *par. c.*5. *diſp.* 4. *&* 5. & alij, quos citat Bonacina *n.*19.

Sunt ne aliqui,habẽtes naturalem uim, curandi aliquos morbos, ſolo tactu,vel eorum ſaliua,aut ſimili modo, nec ſint ſuperſtitioſi?

6 RESp.Affirmatiuè, quia hæc uis inter dona gratis data numeratur,&refertur ad gratiam ſanitatum, quæ ſanè dubitandum non eſt, quin Deus quibuſdam hominibus, vel familijs illam conceſſerit, vt eorum tactu, vel ſaliua, vel halitu,vel ſudore, & ſimilibus,poſſint aliquos morbos curare, partem corporis læſam corroborare, ſpiritus euaneſcentes cohibere, venena extrahere,& ſimilia.Vt notat Leſſius *lib.* 2. *c.* 43. *dub.* 10. *n.* 63. *verſ. Solum difficultas.* Vndè Plinius *lib.*28.*hiſtor.natural. c.*3.ſcribit fuiſſe Pſyllos in Africa,& in Italia Marſos, ex quorum familia, qui

V 2 du-

ducebant originem, eorum tactu, & manu, corpori impoſita, venena extrahebant, & à ſerpentibus percuſſos leuabant. Alios verò fuiſſe, quorum corpora ſolo aſpectu erant terrori ſerpētibus. Alios etiam, quorum ſaliua contra ictus ſerpentis valeret. Quæ gratia cōceſſa fuit à Deo aliquibus, in commodum hominum, vbi erat neceſſariū, & in illis locis, vbi ſerpentes abundabant. Similiter quidam habent gratiam curandi ſtrumas: Sic Reges Galliæ, ſolo contactu loci affecti, ſtrumas curant, & eandem gratiam paſſim habere putatur maſculus, qui ſeptimo loco continuato ordine naſcitur. Alios etiam fuiſſe refert, quorum ſudor multis morbis medebatur. Et *lib.7. c.2.* ait aliquando aliquas partes humani corporis naſci ad aliqua mirabiles: Sicut, inquit Pyrrhi Regis pollex, in dextero pede, tactus, lienoſos curabat. Hę autem gratiæ ſanitatum, quia dantur à Deo ob bonū cōmune; fieri aliquando poteſt, vt Deus hanc miſericordiam impartiatur hominibus, etiam malæ vitæ, qui licitè poſſint ſuo munere fungi: quia gratia illa gratis datur. Ità Leſſius *loc. cit.* Nauarrus *c.11.n.36.* Azorius *lib.9. c.25. q.2.* Bonacina *in pr.præc. decal. diſp. 3. q.5. pun.4.n.20.* Mazuchellus *de caſib. Mediol.diſp.2.c.10.n.84.* Bordonus *to.1. c.18.n.38.* Verùm in his caſibus cauti eſſe debent Confeſſarij; quia in ipſis etiā Dæmon occultè operari poteſt.

In his caſibus quonam modo agnoſci poteſt an Dæmon in eis operetur; ità vt actus ſint ſuperſtitioſi?

7 RESP. agnoſci poſſe, ſi in ipſo curationis actu adiūgatur aliqua inutilis, & vana circumſtantia; vt characteres, vel nomina, vel quod medicatio fiat tali hora, vel die, vel fiat cum fimbria pilei, vel tali veſtimento; vel effectus proueniat ex medio euidenter inefficaci, vt ſi quis vtatur cæpa, ad medenda vulnera, & his ſimilia. Ità ex D. Thoma 2.2. *q.96.ar.2.ad* 1. Sanchez *lib.1.c.40. n.9. & 44.* Souſa *lib.1.c.54.n.5.* Bonacina *loc.cit.n.9.* & alij.

Enſalmatores, ſeu Salutatores, qui grauitèr vulneratos curant, ſignando tres cruces ſuper vulnus, dicendo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti cum quadam inhalatione, & deindè benedicunt vinum, & oleū his verbis: In nomine Sanctiſſimæ Natiuitatis Dñi noſtri Ieſu Chriſti: Beata Virgo, ſalua virginitate, peperit Dominum noſtrum. Per myſterium iſtud altiſſimum, ſupplico Diuinæ Maieſtati, vt hoc oleum, & vinū benedicere dignetur, ad uulnerum curationem, per iſtorum Sāctiſſimorum uerborum uirtutem, ſunt ne ſuperſtitioſi?

8 RESP. quod vel virtus ſanandi cenſetur annexa ipſis verbis, vel perſonæ, quæ vtitur illo modo medendi. Si cenſetur primo modo, itaut à quocunque illa verba proferantur, effectū ſalutis cauſant. Talis modus medendi erit pernicioſus, & vitandus. Quia, vt ſupra dictum eſt, illa verba non habent hanc virtutem, nec à natura, vt per ſe notum eſt; nec à Deo; quia Deus nullā efficaciam, ac virtutem dedit verbis, niſi in Sacramentis, ad curationem, non corporum, ſed animarum. Et neque ab Eccleſia, quia nunquam Eccleſia talem modum medendi inſtituit, nec inſtituere potuit, vt etiam per ſe patet. Ergò verba illa vim habent ex occulto pacto Dæmonis, qui inuiſibilitèr concurrit ad ſanandum vulneratos, remedijs naturalibus, quæ ipſe optimè nouit, & ex herbis, & alijs rebus quintam eſſentiam extrahere, & nemine vidente vulneribus applicare, & breuiori tempore quam Medici illa curare. Ità Leſſius *lib.2.c.43.dub.10.n.63.*

9 Si autem virtus ſanandi annexa cenſeatur perſonæ; itaut ab alijs illa verba adhibita in medicamento, nihil operētur, ille modus medendi non erit, vt ſuperſtitioſus damnandus. Tum quia in omnibus ſignis à Dæmone inſtitutis,

quæ

quæ ex pacto illius operantur, vis operatiua eſt annexa immediatè ipſis ſignis, itaut à quocunque applicentur, eundem effectum habeant. Diabolus enim cum omnibus eius ſigna adhibẽtibus, concurrit, vt omnes in ſuam ſeruitutem obliget. Tum quia certum eſt quibuſdam ob bonum commune concedi à Deo gratiam curationum, eamq; non aufert, etiam ſi malæ ſint vitæ. Vndè præſumi poteſt, hos Enſalmatores hac Dei gratia eſſe præditos. Et tum etiam quia nihil quod apertè ſit ſuperſtitioſum in vſu illius medicamenti depręhenditur. Nam verba illa nihil continent, niſi inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, & diuinæ virtutis per myſterium Sanctæ Natiuitatis Domini ſuper oleum, & vinum ad curationem vulnerum. Neq; ex illa inhalatione ſuper vulnus, clarè argui poteſt ſuperſtitio. Quia inhalatio poteſt habere peculiarem vim etiam naturalem, vel ratione temperamenti ipſius perſonæ, vel ratione occultæ proprietatis quibuſdam diuino munere inſitæ. Sicut ex Plinio *lib. 28. hiſtor. natur. c. 3.* tradit Victoria *de arte magic. nu. 16.* Ità Leſſius *vbi ſupra*, Thomas del Bene *de Offic. Inquiſ. par. 1. dub. 228. ſect. 18.*

Salutatores, ſeu Enſalmatores ſunt ne, ut ſuperſtitioſi damnandi, uel ſunt admittendi, ut mederi poſſint.

10 RESp. huiuſmodi Salutatores nec eſſe vniuerſalitèr damnandos, nec vniuerſalitèr approbandos, nec omnes ità medendo peccare, nec non peccare. Quia non ſemper adeſt ratio conuincẽs eorum modum medendi eſſe ſuperſtitioſum. Quia fieri poteſt, vt habeãt gratiam gratis datam ſanitatis; vt aiunt Nauarrus *c. 15. n. 36.* Margarita *Confeſſorum qq. moral. fol.* 185. Azorius *to. 1. c. 25. quæſ. 2.* Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 15. n. 25.* Sanchez *lib. 2. in decal. c. 40. n. 47.* & alij. Nec etiam ſemper adeſt ratio conuincens eorum medendi modum nõ eſſe ſuperſtitioſum. Quia multi ex illis ſunt reprobæ vitæ, & raro licitè abſq; ſuperſtitione, & Dæmonum miniſterio vtuntur. Nec credendum eſt, Deum tribuiſſe eam virtutem tot hominibus peſſimis. Et ideò hanc ſententiam ſuſtinent Victoria *de arte magica q. 4. n. 16. ad* 2. Veracrux *lib. 2. de anima ſpecul. 2.* Martinus del Rio *lib. 1. diſquiſ. magic. c. 3. q. 4. lit. F. verſ. Tertio*, & Sanchez, & Suarez *locis citatis*. Qui optimè concludunt, hos Salutatores diligentèr examinandos eſſe ab Ordinarijs priuſquam hunc modum medendi eis permittatur. Et prçcipuè conſiderandum eſt, an vtãtur certis quibuſdam verbis, vel ſignis, quæ ab alijs didicerunt, & in quibus putant ineſſe uirtutem curationis; itaut à quacunque perſona dicantur, vel fiant, eũdem habeant effectum. Nam quando ità ſit, eſt apertum ſignũ, non eſſe gratiam gratis datam. Quia hæc non adhæret verbis, aut ſignis, ſed communicatur perſonæ, quæ poteſtatem non habet, illam alijs communicãdi; ſed Deus ſolus gratis illam dat cui vult. Et eodem ſigno oſtenditur tunc non eſſe virtutem naturalem; quia hæc non adhæret ſignis, vel uerbis. Quando autem virtus eſt perſonalis, & non habuit malum initium, de quo conſtet; ſed perſona illa, vel caſu, vel ex bona fide, & ſimplicitèr incœpit operari, & poſteà experta eſt effectum, & à Deo illum ſperat, & non ab alio; non videtur damnanda. Præſertim quando is, qui illam exercet, piè viuit, & illa gratia honeſtè vtitur: alioquin ſuſpectus eſſe debet. Nã licet Deus interdum conferat aliquam gratiam gratis datam homini peccatori; non tamen permanentèr, & habitualitèr, & quaſi ad arbitrium eius; ſed ſolùm ad aliquem actum per occaſionẽ, & propter aliquam fidei vtilitatem: ut ex D. Thoma notauit Victoria *vbi ſup. n. 14.* At iſti profitentur, ſe habere hanc virtutem priori modo: & ideò ſuſpecti ſunt. Ità Suarez, Sanchez, CaſtroPalaus *par. 3. de ſuperſt. diſp. 1. pun. 10. n. 14.*

Qui ità occultè, & artificioſè vtitur remedijs naturalibus, in curãdis morbis, vt ſine illis operari videatur, &

hoc

hoc facit, vt in maiori ſit admiratione, committit ne ſuperſtitionis peccatum?

11 RESp. Si verè illa remedia virtutem medendi habent, ſed occultam, & inuſitatam; & indè prouenit, quod illæ curationes æſtimentur mirabiles, tūc non interuenit peccatum ſuperſtitionis. Quia talis curatio verè eſſet naturalis. Eſſet autem ſuperſtitio ſi naturalitèr illa remedia talem virtutem non haberent. Nihilominùs iſte modus medendi poteſt eſſe peccatum, vel ueniale ratione vanitatis, & lucri; vel mortale ratione ſcandali, inducendo homines, vt iudicent illud fieri ope Dæmonis, & præbendo occaſionem, ad introducenda opera ſuperſtitioſa. Ità docent Victoria *de arte magica q.* 4. *nu.*5. Suarez *to.*1.*de relig.lib.*2.*de ſuperſt. c.* 15.*n.*24.

Si notitia uirtutis efficacis alicuius medicamenti originem habuit, non à peritis Medicis, ſed à Dæmone, eſt ne licitum illo uti?

12 RESp. Si ille, qui tali medicamento vtitur, ipſe notitiam illius virtutis à Dæmone habuit, non eſt ei licitum, illo vti: quia ille vſus fundatur in ſocietate Dæmonis. Si autem illius medicamenti efficacia manifeſtata fuit à Dæmone; ſed non illi, qui eo utitur, ſed alijs, qui præceſſerunt, & poſteà cognitum eſt experimento: Dæmonem verum manifeſtaſſe: eſt licitū vti tali medicamento. Quia ille vſus iam non fundatur in ſocietate Dæmonis, ſed in virtute à Deo illi medicamento data, & iam experimento cognita: quod autem cognitio illa originem traxit ex doctrina Dæmonis, per accidens eſt. Ità docent Victoria, & Suarez locis citatis.

Vtens remedijs non naturalibus ob aliorum traditionem, & experientiam abſque Dæmonis conſortio, vel pacto, poteſt ne excuſari à peccato ſuperſtitionis?

13 RESp. Negatiuè, ſi de illis remedijs euidens ſit, non poſſe eſſe cauſas naturales ſalutis, etiamſi illis utens, pubicè toleretur: & qui ab uſu talis modi medendi, nolit abſtinere, nō eſt à Confeſſario abſoluendus. Quia dum illud remedium euidentèr eſt inſufficiens naturalitèr, ad producendum ſalutis effectum, præſumi non debet, diuinam virtutem eſſe illi actioni infallibilitèr aſſiſtentem, & ſalutis effectum producere: ſed ſuperſtitioſum eſſe, & ex tacito Dæmonis pactō. Quia regula generalis cum D. Thoma 2.2. *q.*96.*ar.* 2. ab omnibus traditur; quod quotieſcumq; cauſa adhibita non poteſt effectum producere naturalitèr, ſuperſtitioſa eſt, & ad tacitum Dæmonis pactum pertinet. Et nunquam eſt attribuenda aliqua virtus ſupernaturalis talibus rebus, niſi hoc expreſsè ex Sacra Scriptura, uel Eccleſiæ auctoritate, uel ex maxima operantis ſanctitate, argui poſſit effectum illum eſſe à Deo, & à bono Angelo. Ità Suarez *vbi ſup.n.*26. Leſſius *lib.*2.*c.*43.*dub.*10.*n.*62. & alij.

Sunt ne damnandi ſalutatores, qui dicunt ad exercendum ſuæ virtutis vſum requiri nimium vini potum?

14 RESp. vel loquimur de virtute ſupernaturali, & de gratia gratis à Deo data: & certum eſſe, vt ſuperſtitioſos damnandos. Quia probabile non eſt, quod Deus gratiam ſuam alliget nimio vini potui, & hebrietatis periculo. Potius valdè probabile eſt, quod totum proueniat à Dæmone, qui nimio vini potu, & hebrietatis periculo maximè delectatur. Si verò loquamur de virtute naturali: Martinus del Rio ſuſtinet eſſe etiam vt ſuperſtitioſos damnandos *lib.*1.*diſquiſ.magic.c.*3.*q.* 4. *lit. G.* quia id eſſe nequit ad contrariorū morborum curationem, cùm ſi proſit frigidis nocet calidis. Veracruz autem *lib.* 2. *de anima ſpeculat.* 2. & Thomas del Bene *de offic. inquiſ. dub.* 228. *ſect.* 16.*n.*6. probant, dici poſſe, quod iſtorum ſalutatorum virtus ſit ex quadam com-

complexione naturali, quæ poſt nimiũ vini potum efficiatur maior: nam cum ſit virtus naturalis, ſi à calore proueniat, maiores ex nimio vini potu vires recipit, & magis confortatur.

Sunt ne damnandi ſalutatores, qui dicunt, ſe, coram altero ſalutatore, maiorem ſanandi virtutem habente, ſanare quempiam non poſſe?

15 RESp. Affirmatiuè; quia ſiue ipſorum virtus dicatur eſſe naturalis, ſiue ſupernaturalis, & gratia gratis data, non eſt cur vnius ſalutatoris virtuti obſtet alterius ſalutatoris præſentia. Nec obſtat dicere, quod maius lumen occupat minus; quia ſolum illud occupat, vt non videatur ſenſibiliter, non autem vt non operetur vllo modo. Nam præſente in die ſole, operantur, & influunt etiam ſtellæ. Ità Veracruz *loc. cit.* & Thomas del Bene *n.*8.

Sunt ne damnandi Salutatores, qui dicunt, eorum ſigna, & verba, licet de ſe videantur nullam virtutem habere, illam tamen efficacem accipere ab efficacitate imaginationis, aut affectus ipſius hominis operantis illa mira opera?

16 RESp. Affirmatiuè; Nam quamuis imaginationis vis ſit maxima, tamen hæc vis conſiderari poteſt, vel quoad corpus ipſius imaginantis; vel quoad corpus alterius. Quoad corpus proprium imaginantis, cõueniunt omnes, plurimum in illud poſſe. Quia imaginatio excitat potentiam appetitiuam ad timorem, vel ad pudorem, vel ad triſtitiam, vel ad iram, vel ad ſimilia: quæ affectiones ità hominem afficiunt, vt calore, vel frigore ſic alteretur, vt palleſcat, vel rubeſcat, vel exiliat, vel torpeſcat, aut deijciatur. Et ideò D. Thomas *3. par. q. 13. art. 3. ad 3. & lib. 3. contra gent. c.* 103. & 104. docet, imaginationem poſſe in corpus imaginantis omnia, quæ naturalem coordinationem habent cum imaginatione; Vt eſt motus localis in dormientibus, qui in ſomnis aliquando ambulant; alterationis per frigus, & calorem, & quę hanc alterationem conſequuntur, nempè animæ paſſiones, ſecundum quas mouetur cor, & ſic per commotionem ſpirituum, totum corpus alteratur. Aliæ verò diſpoſitiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non tranſmutantur ab ipſa imaginatione, quantumcunque ſit fortis; puta figura manus, aut pedis, vel aliquid ſimile. Hæc D. Thomas.

17 Quoad corpus verò alienum, diſiunctum, & ſeparatum ab imaginante, nõnulli cenſent per imaginationis vim non ſolum poſſe, etiam de longinquo ſanari, ſed res loco moueri, & fulgura, & pluuias è cœlo excitari, & deduci. Ità Auicenna *lib. de anima ſect.* 4. *c.* 4. Paracelſus *lib. de imaginat.* Pomponarius *lib. de incantam. c. 3. &* 4. Marſilius Ficinus *lib.* 13. *de Theol. platon.* & alij. Et hæc, imaginationem efficere poſſe, volunt, vel per certos radios, aut per ſpiritus expulſos ex corpore vi imaginationis, vel ſolò animæ imperio.

18 Sed omninò dicendum cum communi Theologorum ſententia D. Thomæ *vbi ſup.* Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſt. c.* 15. *n.* 15. Valentiæ 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 13. *pun.* 2. Conimbricentium *in* 7. *phyſ. c. 2. q. 1. ar.* 7. Martini del Rio *lib.* 1. *diſquiſ. magic. c. 3. q. 3. verſ. Sed nihilominus.* Torreblancæ *de magia lib.* 2. *c. 37. n. 8. & ſequ.* Medinæ *lib. 2. de recta in Deum fide c.* 7. Pici Mirand. *lib. de imaginat.* Abulenſis *in c.* 30. *Geneſ.* & aliorum. Qui omnes docent, corpus diſiunctum, & ſeparatum ab imaginãte, neque per imaginationem, neque per aliam potentiam, mediantibus illis radijs, vel ſpiritibus, vel animæ imperio, poſſe naturaliter immutari, aut ſupradicta mirifica effici: Quia imaginatio eſt actio immanens. Et ideò anima imaginans nullam realem qualitatem poteſt rei diſiunctæ naturaliter imprimere. Neq; quod aſſerunt, contra-

trarium opinantes, vlla probabili, aut veriſimili ratione fundatur. Et hominis imaginatio non habet vim mouendi corpora externa: ſed ſolum vim habet commouendi internos humores, & ſpiritus ipſius imaginantis. Inſuper conſtat experientia, huiuſmodi ſalutatores, ad eorum operationes, non moueri illa vehementi imaginatione, & affectu; ſed ità illa verba proferre, vel tãgere manu, vel medicamentum applicare, ſicut ſolent vel medici, vel alij artifices ſua opera facere. Ergò vanum eſt, illis eorum verbis, & cerimonijs efficacitatem tribuere ob imaginationis vim.

19 Neque obſtat dicere, quod imaginatio, tempore conceptionis, ſolet magis operari in filios, quàm parentum ſpecies, & forma. Nam præterquam hoc negatur à Benedicto Peres *in cap. 30. Geneſ.* à Martino del Rio *lib. 1. diſquiſ. magic. c. 3. q. 3.* à Franciſco Valles *de ſacra philoſoph. c. 11.* Ex eo minimè probatur; poſſe imaginationem in corpus alienum, & disiũctum agere. Quia infans, dum eſt in vtero, dicitur pars viſcerum matris. *l. Qui in vtero, ff. de ſtatu hominum.* Et ideò ex hoc argui nõ poteſt, poſſe imaginationem, alterius corpus disiunctum, & ſeparatum immutare, vt cum D. Thoma probant ſupradicti Doctores.

20 Neque obſtat dicere, quod ex potentia imaginationis, oritur faſcinatio, qua maligni homines eorum oculis, & aſpectu, alios, & maximè pueros, inficiunt: Vnde ſuper illud *ad Galat. 3. Quis vos faſcinauit non obedire veritati*: dicit Gloſſa ibid. *Quod quidam habent oculos vrentes, qui ſolo aſpectu alios inficiunt, & maximè pueros*. Sed hoc non eſſet, niſi vis imaginationis poſſet corpus alterius immutare. Ergò. Nam huic difficultati reſpondet D. Thomas *1. par. q. 117. art. 3. ad 2.* dicens. Quod ex forti animæ imaginatione immutãtur ſpiritus corporis coniuncti. Quæ quidem immutatio ſpirituum maximè fit in oculis, ad quos ſubtiliores ſpiritus perueniunt. Oculi autem inficiunt aerem continuum, vſque ad determinatum ſpatium: ſicut ſpecula ſi fuerint noua, & pura contrahunt quandam impuritatem ex aſpectu mulieris menſtruatæ; vt Ariſtot. ait *in lib. de ſomno, & vigil. c. 2. ante med.* Sic igitur cum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam: ſicut maximè contingit in vetulabus, efficitur, ſecundum modum prædictum, aſpectus eius venenoſus, & noxius, & maximè pueris, qui habent corpus tenerum, & de facili receptiuum impreſſionis. Poſſibile eſt etiam, quod ex Dei permiſſione, vel etiam ex aliquo facto occulto, cooperetur ad hoc malignitas Dæmonum, cum quibus vetulæ ſortilegæ aliquod fœdus habent. Hæc D. Thomas, ex quibus patet reſponſio ad oppoſitum.

CAPVT XXII.

De vana obſeruatione ſacrarum rerum, & verborum.

Sub nomine ſacrarum rerum, & verborum quid comprehenditur?

1 RESP. comprehendi primò ſeptem Sacramenta, eorumque materiã, & formam. Secundò, omnia Sacramẽtalia, nempè Orationes ab Eccleſia, vel à pijs hominibus inſtituta, omnia comeſtibilia, & potabilia benedicta, & aquam benedictam. Tertiò, reliquias Sanctorum, eorum imagines, quamlibet Crucem Chriſti, Agnos Dei, Megdaleas, vaſa ſacra, vt Calicem, Patenam, Pixidem, Corporalia, paramenta Sacerdotalia, & aliorum miniſtrorũ, & alia ornamenta Eccleſiæ, vel Calicis, aut altaris, candelas benedictas, Cæreum Paſchalem, oleum lampadis, locum Eccleſiæ, tempus ſpecialiter diuino cultui dedicatum. Vt E. g. ſi ad effectum obtinendum, neceſſarium ſit, facere aliquid intra Eccleſiam, vel in Cœmeterio, vel in die Paſchali, vel in feſto alicuius Sancti, vel dum Sacerdos celebrat, vel dum campana pulſatur

tur,& cætera huiuſmodi. Quartò, ſacra nomina Dei, Sanctiſſimæ Trinitatis, Ieſu Chriſti, Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum, ac Beatorum, vel Angelorum, & ſimiliter verba Sacræ Scripturæ, tam veteris, quam noui teſtamenti, vel Miſſalis, aut Breuiarij. Omnia prædicta vocantur res ſacræ; & eorum abuſus eſt ſuperſtitio, & ſortilegium, eò grauiùs, quò res ſanctiores in ſortilegijs miſcentur. Quia nullibi cõſtat; Deum, vel Eccleſiam prædictis verbis, aut rebus ſacris dediſſe virtutem, producendi effectus iuxta volũtatem ſortilegi. Ideò dicendum eſt: Dæmonem immediatè ad poſitionem talium mediorum, occultè operari illud, quod homo intendit. Et hac ratione huiuſmodi media vocantur ſigna, non cauſę; quia ſignant pactum tacitum, vel expreſſum cum Dæmone, non cauſant effectum. Ità docent Sotus *in* 4. *diſt.*15. *q.*2.*ar.*3. Graffius 1.*par.lib.*2.*c.*5.*n.* 12. 13.16.22.24.*&* 31. Farinacius *q.* 181. *à.n.* 15. Floronus *de caſib. reſeru. caſu* 1.§.*Maleficium n.*8. Carena *par.* 2. *tit.* 12. *de ſortilegos* §. 5. Bordonus *to.* 1.*c.* 18. *de ſortil. n.*16. E alij.

In quo differt ſuperſtitio cum abuſu rerum ſacrarum ab alijs ſuperſtitionibus?

2 RESp. differre in hoc, quod vbi res ſacræ admiſcentur in ſuperſtitione, ſiue ſint Sacramenta, vel ſacramentalia, & alia ſupradicta, ſiue ſint verba Euangelij, vel fidei ſimbolũ, vel Pater noſter, Aue Maria, Pſalmus Dauidicus, aut verba Sacræ Scripturę, vel aliæ orationes, eſt ſuperſtitio, ſeu ſortilegium qualificatum, manifeſtè de hęreſi ſuſpectũ, & ad Inquiſitores ſpectat eius cognitio. Si autem res ſacræ non interueniant, ſed tantùm media profana, vt characteres, aut verba, aut alia ſigna, ſeu res, quę nec Sacramenta, nec ſacramẽtalia, nec benedicta ſint; tũc erit ſuperſtitio, ſeu ſortilegiũ ſimplex, non hæreticale; niſi adſit pactum expreſſum cum Dæmone; quia ratione pacti cum Dæmone eſſet ſortilegium, vehementèr de hæreſi ſuſpectum. Sine autem tali pacto erat mixti fori iure antico, niſi ratione perſonę ad Iudicem tantum Eccleſiaſticum pertineret. Si enim delinquẽs fuiſſet Clericus, à Prelato ſuo iudicandus erat: Si verò erat laicus, ſiue vir, ſiue fœmina, mixti fori erat, & à Iudice præoccupãte, ſiue laico, ſiue Eccleſiaſtico, iudicabatur. Ità notant Abbas *in c.*1. *de ſortilegijs n.* 3. *&* 4. Albertus *in rubrica de hæreticis n.*13. Caſtrus *lib.*1.*de iuſta hęreticorum punitione c.*16. Iulius Clarus *lib.*5.*verb. Hæreſis n.*25. Suarez *to.*1. *de relig. lib.* 2.*de ſuperſtit.c.*18.*n.*1.*&* 11. Iure autẽ nouo excluditur Iudex laicus à cognitione ſortilegiorum, etiam ſimplicium, vt docent, & probant Scaccia *lib.* 1. *de Iudic.c.*12.*n.*53. Diana *to.*5.*tr.* 12. *reſ.* 10. *ex par.*4.*tr.*7.*reſ.*10. Carena *par.*2. *de ſortileg.tit.*12.*n.*140.& alij.

Applicans medicamentum naturale, ad curandum morbum, cum admiſſione alicuius rei ſacræ, vel ſacrorum verborum, eſt ne ſuperſtitioſus, & tanquam de hæreſi ſuſpectus, Officio Sanctæ Inquiſitionis denunciandus?

3 RESp. quod vel vtitur re ſacra, aut ſacris verbis, tanquam circumſtantia neceſſaria pro ſalute obtinẽda: Et vtique eſt ſuperſtitioſus, & de hæreſi ſuſpectus, ac Officio Sanctæ Inquiſitionis denunciandus. Et ſimiliter ſi ex illa admiſtione, & modo medendi ſequeretur, vel ſubitò, vel citiùs, aut certiùs, ipſa ſalus, quàm ex ſolo medicamento naturali. Quia adeſt clarum indicium; Dæmonem ibi occultè operari. Nam nullibi reperitur in Sacra Scriptura, nec per inſtructionem Eccleſiæ, licitam eſſe talem miſtionem rei ſacræ, vel ſacrorum verborum, cum naturali medicamento, vt cauſet ſuum effectum. Quia nec Sacramenta, nec Sacramentalia, nec ſacra verba fuerunt à Deo tradita, ad huiuſmodi ef-

X fe-

fectum producendum. Sed Dæmones, qui nituntur hominum animos ſuperſtitionibus implicare, vſum talis miſtionis introduxerunt; vt res Deo dicatæ, ac debitæ, ipſis offerantur. Et ideò iſte modus medicandi eſt ſortilegium hæreticale, neceſſariò denunciandum Inquiſitoribus Sancti Officij. Vt docet Farinacius *de hæreſi q.* 181. *n.* 2. Pegna *in direct. par.* 2. *commen.* 67. Et Torreblanca *de magia lib.* 2. *c.* 49. *n.* 55. *&* 56. Delrius *lib.* 3. *c.* 2. *q.* 4. *ſect.* 7. Carena *par.* 2. *de ſortil. tit.* 12. §. 5. *n.* 31. *& ſeq.* affirmant; fuiſſe quemdam condemnatum, vt negromanticum à dicto Sancto Tribunali, quia cum recitatione verborum Sanctæ Conſecrationis ſanabat omnia vulnera.

4 Si verò applicans medicinas naturales, vteretur rebus ſacris, ſeu orationibus licitis, ac ſigno crucis abſque vlla vana circumſtantia; ſed ob veram deuotionem ſupplicans Deum, vt medicinæ illæ infirmis proſint, non eſſet ſuperſtitioſus. Quia in tali modo medendi nihil mali reperitur. Imò eſt quid pium, expectare per orationes à Deo effectum ſaluiferum ex naturalibus medicamentis. Vt docent D. Antoninus 2. *par. tit.* 12. *c.* 1. §. 11. Syluester *verb. Superſtitio q.* 10. Nauarrus *c.* 11. *n.* 30. Thomas del Bene *de Offic. Inquiſ. dub.* 228. *ſect.* 12. & alij.

Qui nullam infirmo applicaret medicinam naturalem ad ſanitatem cõſequendam; ſed ſolas res ſacras, vel preces, vel adiurationes, exiſtimãs, per illas ſolas infirmum eſſe ſanaturum, committeret ne ſuperſtitionem, ac ſortilegium?

5 Reſp. Affirmatiuè; quia illæ res ſacræ, vel preces, aut adiurationes, certum eſt, quod ad ſalutem producendam nullam vim habent, nec naturalem, vt patet, nec ſupernaturalem; nam præter Sacramenta, quæ Chriſtus inſtituit, non habent ſacra verba virtutem, conferendi certò aliquem effectũ. Ergò illum conferunt operatione Dæmonis. Secus verò dicendum, ſi quis ſperaret huiuſmodi effectum impetratoriè, & per deuotionem.Ità ſupradict. Doctores *locis citatis.*

Recitare certas orationes, vel portare aliqua Sanctorum nomina, credẽdo, in bello nunquam eſſe vulneraturum, vel violenta, aut repentina morte periturum, vel benè fortunatum futurum, eſt ne mortale ſortilegium?

6 Reſp. vel qui huiuſmodi nomina portat, aut orationes recitat, nõ expectat dictos effectus certò euenturos, ſed meritis, ac precibus illorum Sanctorum confidit, quod præſeruetur à dictis malis; & non peccat. Similiter, ſi nulla interuenit vana circumſtantia, vt E.g. verba ſcripta ſint in carta pergaminea, non papyrea, non ab alia perſona, vel tali tempore, aut talis figuræ, &c. Nec in carta ſit aliud ſignum, præter ſignum Crucis, vel nulla imago, niſi Chriſti, aut alicuius Sancti, nec vllum incognitum nomen Angelorum, nec quidquam aliud, quod vanitatem denotet; niſi à Deo, vel à Sanctis eius: erit licita, & laudabilis geſtatio. Secus autem ſi aliqua adſit vana circumſtantia, aut ſi firmiter crederet, & certam ſpem conſtitueret, in deferẽdis illis nominibus, vel recitandis illis orationibus, quod dicta mala non erit paſſurus. Tunc enim peccaret mortaliter: quia hæc nomina, & orationes, neque virtute naturali, neque ordinatione diuina, vel eccleſiaſtica, vllam virtutem habent ex ſe, ad tales effectus efficaciter, & infallibiliter producendos. Et conſequenter vana eſt earum obſeruatio; & peccant mortaliter; tàm qui eis vtuntur, quàm qui ea confingunt, vel conſulunt. Ità docent D. Antoninus 2. *par. tit.* 12. *c.* 1. §. 13. Nauarrus *c.* 11. *n.* 34. Syluester *verb. Superſtitio. q.* 10. *in fine*, Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.* 40. *n.* 20. Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. c.* 15. *n.* 9 *&* 10. & alij.

7 Si-

7 Similitèr, qui ad vitandum periculum equorum, vel canum dicit illa verba, *pſal.* 33. *In chamò, & fremo maxillas eorum conſtringe.* Vel ad acquirendam ſcientiam profert illa verba *Pſal.* 50. *Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*; vel ſi ad effugandum leonem dicit illa verba *Pſal.* 57. *Deus conteret dentes eorum molas leonum confringet Dominus*, vel his ſimilia: Si ob huiuſmodi verba certò expectat effectũ; vel credit neceſſariò eſſe illa proferenda, vt effectum conſequatur: ſuperſtitionem, & peccatum mortale committit. Secus verò ſi ex deuotione, & ſolũ impetratoriæ illa proferat, eſſet enim tunc quid pium, per illas preces effectum à Deo poſtulare. Ità D. Thomas 2.2.*q.*96. *art.*4. *ad* 1. D. Antoninus 2. *par.tit.*12.*c.*1.§.11. Nauarrus *c.*11. *nu.* 39. Syluester *loc.cit.* Thomas del Bene *de offic.Inquiſ.par.*2.*dub.*228.*ſect.*12. & alij.

Verbis ſacris Serpentes incantare, eſt ne ſuperſtitioſum?

8 RESp. quod vel ſacris verbis, quis vtitur, reſpectum habens ad virtutem diuinam; & non eſt illicitum, illis verbis incantare ſerpentes. Si verò quis credat, quod vis incantandi ſerpentes, ſit certis, & determinatis verbis, nullo reſpectu ad Deum habito, ſed quod certò ob illa verba ſerpentes incantentur, eſt ſuperſtitioſus: quia verba illa non poſſunt eſſe cauſa naturalis illius effectus. Ergò ſunt ſigna taciti alicuius pacti cum Dæmone; vt ſerpentes illis verbis incantentur. Ità docet D. Thomas 2.2.*q.*96.*ar.*4. *ad* 2. qui ait: In incantationibus ſerpentum, vel quorumcunq; animalium, ſi reſpectus habeatur ſolum ad virtutem diuinam, nõ erit illicitum. Sed plerumq; tales incãtationes habent illicitas obſeruantias, & per Dæmones ſortiuntur effectum.

9 Similitèr vti certis verbis, vt oues certè nihil mali à lupis recipiant, etiãſi abſq; vllo cuſtode relinquantur, eſt ſuperſtitioſum, & mortale peccatũ; quia hoc naturalitèr eſſe non poteſt; & conſequentèr verba illa ſunt ſigna pacti cũ Dæmone. Si autẽ bona fide, & ob ſimplicitatem illis verbis vtantur, credentes ibi nullum pactum Dæmonis eſſe, à mortali peccato excuſari poſſunt. Ità Fagundez *in* 1.*decal.præc.c.*37. *n.*7.

Qui expertus eſt, eſſe efficax remediũ pro morbis curandis, recitare ter verba illa *Pſal.* 115. *Dirupiſti Domine vincula mea tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*, vt in dicto *pſal.* affirmat Caſſiodorus; eſt ne ei licitum iſta trina repetitio in morbis uti?

10 RESp. ſi hæc trina repetitio ordinetur in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, & nõ à ſimplici recitatione iſta, ſed a Deo ſperetur ſalus, licita vtique eſt. Secùs verò ſi in ipſis nudis verbis expectetur ſalus. Ità Sanchez *lib.*2.*in decal.c.*40.*n.*36. Delrius *p.*2.*q.*4. *ſect.*3. Fagundez *loc. cit. n.*10. quia nuda illa verba ex ſe nullam efficaciam habent.

Eſt ne ſuperſtitio illicita in colligendis herbis, uel floribus, aut fructibus, uel in cuſtodiendis animalibus, uti certis uerbis ſacris, ut quidquid malum in illis eſt auferatur?

11 RESp. vt ſupra dictum eſt, ſi ſpes ponatur in aliqua uana circumſtantia, vt e.g. in litteris, in ſyllabis, in nudis illis verbis, & ſimilibus, eſt ſuperſtitio illicita, & mortale peccatum. Secùs uerò ſi ſpes ponatur in Deo, uel interceſſione Sanctorum. Ità D. Auguſtinus relatus in *cap.Non obſeruetis* 26.*q.*7. D. Thomas 2.2.*q.*96.*ar.*4. Azorius *par.*1. *lib.*9.*c.*26.*q.*7. Sanchez, & alij.

12 Similitèr, qui in die, uel nocte S. Ioãnis Baptiſtæ herbas colligit, credens in tali die collectas, maiori uirtute pollere, quam ſi in alio die, uel ſi poſt Solis ortum colligerentur: illicita ſuperſtitio eſt. Quia quamuis peccatum non ſit, herbam medicinalem colligere, oratio-

nes aliquas recitando, ſi ex deuotione fiat: tamen ſi aliqua uanitatis ſpecies inſeritur, ut in dicto caſu, peccati rationem habet: licet aliquando ob ignorantiam, aut ſimplicitatem mortale nō ſit. Ità Nauarrus *c. 11. n.36.* Sanchez *lib.2. in decal. c.40. n.32.* Martinus del Rio *lib.3.diſquiſ.magic.p.2. q.4.ſect.6.* Valentia *2.2.diſp.6.q.13.pun.2.col.2.*& alij.

Quænam aliæ uanæ ſupplicationes fieri ſolent, quæ ſunt uitandæ ſuperſtitiones?

13 RESP. Vanas, ſuperſtitiones eſſe. Primò illas ſupplicationes, quæ fiunt proijciendo in flumen, uel in mare imaginem alicuius Sancti, uel illam ibi reponēdo donec pluuiam, uel aliud beneficiū obtineatur: quia nec uirtute naturali, nec ex inſtitutione Eccleſiæ, nec ex reuelatione diuina hic actus habet uirtutem, impetrandi beneficium petitum; & impium eſt, uelle ui à Deo, & à Sāctis aliquid impetrare, & ut Sancti obediant taliter facientibus. Ità Sāchez *lib.2. in decal. c.40. n.34.* Nauarrus *in c. Quando c.6.q.46. de conſecr. d. 1.* Fagundez *lib.1. in decal.c.38. n.8.*

14 Secundò, uanæ, & ſuperſtitioſæ ſunt orationes illæ, quibus ſagæ circulos uirgineos benedicunt pro parturientibus, & morbo laborantibus admiſtis uerbis, quæ nec ipſæ intelligunt, & alijs ſuperſtitioſis cæremonijs: nempè halitus, ſaliuæ, obſcitationis, & ſimilium. Quia ut ſupra dictum eſt, nec uim aliquam naturalem habet ad eos effectus producendos, neque à Deo, uel ab Eccleſia ad id ſunt inſtituta. Ità Sanchez *n.35.* Fagundez *n.9.*

15 Tertiò, eſt ſuperſtitio, non aperire uenas iumentis, & ſanguinem cauſa ſanitatis minuere, niſi in die certi Sancti. Vel in feſto S. Antonij eius Templum nouies iumenta circumducere, ad ſanitatem tuendam. Vel ex pecunia Crucifixo oblata in die Veneris Sancti, annulum conficere, ad morbum cōtractionis membrorum ſanandum, & ſimilia. Quia cum Deus lege ordinaria nūquā ſibi complaceat in huiuſmodi conditionibus, in quibus aliquid uanitatis apparet; temerarium eſt, ex ipſis ſalutem, uel animalium incolumitatem certò ſperare. Verùm ſi dictas circumſtantias non tanquàm efficaces adhibeant, ſed ut ſe excitent, ad intenſiùs deprecandum Sanctum, cuius feſtum illo die celebratur, & ex ipſius interceſſione ſperetur effectus; neque ſcandalum timeatur, & ſimplici animo ijs circumſtantijs utentur, non erit ſuperſtitio, neque mortale peccatum. Sed si dictæ uanæ obſeruationes commodè extirpari poſſunt, prorſus extirpandæ ſunt. Ità Valentia *2.2.diſp.6.q.13. pun. 2.col.2.* Delrius *lib.3.diſquiſ.magic.1.2. q.4.ſect.6.* Sanchez *n.31.* & alij.

16 Quartò eſt ſuperſtitio uti in Sacrificio Miſſæ impertinentibus circumſtātijs, ad cultum diuinum tanquàm neceſſarijs; ità vt ſi illæ deficiant, arbitretur valorem Sacrificij diminui. E.g. Si quis exiſtimaret neceſſariò, tot Miſſas eſſe dicendas, cum certo candelarum numero, vel colore, ad conſequendum effectum. Ità ex Conc. Trid. *ſeſſ.22. in* decreto de vitandis in Miſſæ Sacrificio: vbi dicitur: *Quarundem Miſſarum, & candelarum certum numerum, qui magis à ſuperſtitioſo cultu, quam à vero religioſo inuentus eſt, omninò ab Eccleſia Epiſcopi remoueant.* Hinc ſuperſtitioſæ ſunt Miſſæ Sancti Amatoris cum vanis circumſtantijs, quod inchoari, & terminari debeant certis, determinatis diebus, & abſque interpolatione, & certo cādelarum numero. Ità Caietanus *2.2. q.9.ar.4.* Ciruelus *de ſuperſtit. 3. par. c. 11.* Thomas del Bene *par.2. de offic. Inquiſ.dub.228.ſect.13.coroll.5. n.3.*

17 Secùs autem dicendum, ſi certus numerus Miſſarum, & candelarum ordinetur ſolum in honorem alicuius Sancti, vel in memoriam alicuius myſterij. E.g. Si dicātur duæ Miſſæ in honorem duorum Apoſtolorum Petri, & Pauli. vel tres Miſſæ in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis; vel nouem, in honorem nouem Chororum Angelorum, vel nouē men-

menſium, quibus Beatiſſima Virgo, Chriſtum in vtero portauit. Vel triginta in memoriam illius facti S. Gregorij, quando per triginta dies præcepit orare pro defuncto. Et ſimiles. Dummodò tali numero certò non ità fidetur, ut neque augeri, neque minui poſſit, vt Sacrificium exiſtimetur profuturum. Ità ſupradicti Doctores, & alij communiter.

Qui manus celeritate, vel quadam arte, ut id quod efficit non percipiatur ab aſtantibus, vtitur uerbis ſacris, non ad effectum faciendum, ſed ad illudendos aſtantes, eſt ne ſuperſtitioſus, & peccat ne mortaliter?

18 RESp. Negatiuè ſecluſo ſcandalo, & dummodò ſacra verba non conuertantur in ludibrium, quia nullum adeſt Dęmonis pactum, nec expreſſum, nec tacitum in tali actione, ſed tantùm hominis artificium. Et ideò non eſt ſuperſtitio, ſed potius quidam ludus ob animi recreationem. Ità Valentia 2.2. *diſp.6.q.13.col.3. verſ.Sed deſpiciēdum.* Thomas del Bene *de off. Inquiſ. par.2. dub.228.ſect.8.n.6.*

Eſt ne ſuperſtitioſum applicare Angelis nomina illa *Raguel, Tubiel, Adimis, Tubas, Simihel, Vriel, Scatiel, Iehudiel, & Barachiel?*

19 RESp. Affirmatiuè, quia tria ſolum ſunt nomina propria Angelorũ, ex Sacra Scriptura nobis nota; nempè *Michael, Gabriel, & Raphael.* Et ità fuit decretum *in Conc. Romano ſub Zaccharia Papa*, vt refert Cardin. Baronius *to.9. ann. Eccleſ. ſub anno Domini* 745. *n.*7. his verbis: *Nos autem, vt à S. Apoſtolatus verbo edocemur, & diuina tradidit auctoritas, non plus, quàm trium Angelorum nomina agnoſcimus: Michael, Gabriel, Raphael.* Vndè ſupradicta nomina *Raguel, Tubiel, Adimis, Tubas, Simichel,* potius æſtimãda ſunt nomina Dæmonũ, quàm Angelorum: ait Carena *par.2. tit.12. §. 9.* De nominibus autem *Vriel, Scaltiel, Iehudiel, & Barachiel,* dubitari poteſt, an ſint Angelorum. Nam *Vriel*, interpretatur Ignis Dei, *Scaltiel,* Oratio Dei, *Iehudiel,* Laus Dei, *Barachiel,* Benedictio Dei. Et Cornelius à Lapide *in c.1. Apocalip. verſ.* 4. refert: Panormi adeſſe Templum inſigne dicatum ſeptẽ Angelis, quorum nomina ſunt: *Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, Scaltiel, Iehudiel, & Barachiel.* Et Granadus *in 1. par. to. 3. de Angelis tract.16. diſp.2. n.3.* affirmat Romæ reperiri in altari S. Mariæ Angelorum pictos huiuſmodi ſeptem Angelos cum ijſdem nominibus. Ac etiam in eadem Alma Vrbe extare librũ impreſſum ſub anno 1595. in quo adſunt eadem ſeptem nomina Angelorum, cum ſuis orationibus, ad eos inuocandos. Verùm quia nomina iſta ex canonica aliqua ſcriptura nobis non ſunt reuelata, ſubdit Granadus *nu. 6.* Oportere in publicis orationibus abſtinere ab omnibus alijs Angelorum nominibus, præter illa tria recepta. Immò fortaſſe conſultius eſſe, nullũ aliud illorum nomen etiam priuatis deprecationibus vſurpare. Id enim erit magis conforme conſuetudini Eccleſię, & decreto Concilij iam citati.

Eſt ne ſuperſtitio hæreticalis illa, quæ efficitur ad inuenienda facta. Cùm puella uirgo, habens cæreum accẽſum in manu, ponitur ante phialam aquæ plenam, profert hæc uerba: *Angelo bianco, Angelo Santo, per la tua ſantità, e per la mia verginità, moſtrami chi hà tolto la tal coſa?*

20 RESp. Affirmatiuè: Nam quamuis in hac ſuperſtitione non interueniat abuſus Sacramentorum; nec Sacramentaliũ; tamen in ea Dæmon vocatur Sãctus, & per ſuã ſanctitatẽ inuocatur, & cõſequẽter Duliæ honor, qui Sanctis ſolum debetur, ei tribuitur. Ergò ſupradicta ſuperſtitio eſt hæreticalis,

lis,

lis.Ità docent Barbatus *conſ.*55. *lib.* 1. Decianus *tract.crimin.lib.*20.*c.*17. Pegna *par.*2. *comment.*68. Farinacius *de hæreſi q.*181.*n.*15.Carena *par.*2.*de ſortileg. tit.* 12.§.4.*n.*27.

Eſt ne ſuperſtitio hæreticalis dicere:Si N. Sanctus eſt, uel Beatus liberet te Deus per illius interceſſionem?

21 RESp. Affirmatiuè,quia conditio illa: *Si*,rem dubiam facit,vt notat, Menochius *lib.6.de præſumpt. c.* 18. *n.* 4. Dicens ergo ſi N. ſanctus eſt, oſtendit dubitare de Sancti illius canonizatione, & reuocat in queſtionem, quod clarè conſtat. Papa enim in his, quæ ad fidem pertinent errare non poteſt, iuxta promiſſionem Chriſti: *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Canonizatio autem Sanctorum rem fidei habet annexam, quia Sanctus canonizatus proponitur ab Eccleſia, vt Sanctus, & adorandus. Ergò hæreticũ eſt dubitare, an Canonizatus ſit verè Sanctus, & Beatus. Quamuis Suarez *diſp.*5.*de fide ſect.*8.*n.*8. aſſerat non eſſe hæreticum,ſed ſolum temerarium, & impium,aſſerere Papam in Sanctorũ Canonizatione errare poſſe. Sed eſſe credendum Papam in ea actione non poſſe errare, docent D.Thomas *quodlib.*9.*q.*7. *ar.*6.D.Antoninus *3.par. tit.* 12.*c.*8.§.2. Syluester *verb. Canonizatio q.*3.Azorius *par.*2.*lib.*5.*c.* 6. *q.* 5. §. *Dicendum eſt*, Bellarminus *lib.* 1. *de Sanctor.beatit.c.*5.Valentia *to.*3.*diſp.*1. *q.*1.*pun.*7.§. 40. *verſ. Itaque quod*; & alij. Quia Sanctorum canonizatio non nititur teſtimonijs hominum, ſed promiſſioni diuinæ factæ D. Petro eiuſq; ſucceſſoribus: ſupponit tamen hominũ teſtimonia. At hoc non obſtat, quia quando Summus Pontifex definit aliquid de fide, aut ad fidem pertinens, non poteſt illi deeſſe aſſiſtentia diuina, ne erret, & ne fides deficiat. Igitur ſuperſtitio hæreſim ſapiens eſt dicere, Si N.Sanctus,vel Beatus eſt liberet te per eius interceſſionem; quia oſtendit non certò credere canonizatum eſſe verè Sanctum, & Beatum. Ità ſuſtinent Carena *par.*2.*de ſortileg.tit.* 12. §. 6. Bordonus *to.*1.*c.*18.*n.*39. Valentia *loc. cit.* Pitignanus *in* 3.*ſent.diſt.*25.*q.*2. *art.* 5. Caſtro Palaus *to.*1.*tr.*4.*diſp.*1.*pun.*5.§. 4. & alij.

Superſtitio facta cum Hoſtia non cõſecrata, ſuper quam celebrata ſit Miſſa, eſt ne hæreticalis?

22 RESp. opinati Ghirlandum *de ſortil.q.*10.*n.*16.*&* 17. Torreblancam *de magia lib.*3.*c.*8.*n.*18. Farinaciũ *q.*20.*n.*83. & alios: vti hoſtia non conſecrata, ſuper quam ſit celebrata Miſſa,eſſe quidem ſuperſtitionem,ſed non hæreticalem: quia non eſt abuſus rei conſecratæ, nec Sacramentalis. Martinus del Rio *lib.*3.*diſquiſ.magic.ſect.*13. §.*Dico quinto*;huic quæſito cum diſtinctione reſpondet: Quod ſi talis benè ſentiat de fide, & non præbuit hanc hoſtiam alijs adorandam, ſed acceſſoriè tantum ſuper altare, ad magicos effectus poſuit; erit tantum ſuſpectus de hæreſi. Si verò credidit: talem hoſtiam eſſe, vt conſecratam adorandam; apertè erit hæreticus. Si autem non credidit,illam vim aliquam habere ad effectum magicum, non erit ſuſpectus de hæreſi; ſed ab Inquiſitoribus pœna extraordinaria puniendus.

23 Sed omninò dicendum talem ſuperſtitionem eſſe hæreticalem; vt docent Scaccia *de iudic. &c. lib.* 1. *c.* 12.*n.*34. Souſa *in aphor.Inquiſ.lib.*1.*c.* 57. *n.*11. Emanuel Moura *de incant.opuſc.*1.*ſect.* 3.*c.*5.*n.*29. Bordonus *to.*1.*c.* 18. *n.* 30. Carena *par.*2.*de ſortil.tit.*12.§.5.*n.* 37. *&* §.8.*n.*53.*&* 54.Quia in tali ſuperſtitione admiſcetur res ſacra, ſcilicet celebratio Miſſæ ſuper hoſtiam, licet nõ conſecratam. Eſt igitur ſuperſtitio hæreticalis non propter hoſtiam non cõſecratam, ſed propter Miſſam ſuper eã celebratam. Si enim quis non intelligeret derogare Sacrificio Miſſæ, cur potius vteretur hoſtia, ſuper quam celebrata ſit Miſſa, quàm alia, ſuper quã non ſit celebrata Miſſa? Ergò Miſſæ

Sa-

Sacrificium, mediante illa hoſtia, ordinatur ad ſuperſtitionem; & preſumitur, quod hoc faciens credat, illud vim habere, ad maleficium operandum. Hoc enim ipſum in facto oſtenditur. Ergò eſt ſuperſtitio, manifeſtè hæreſim ſapiens. Et ità refert Carena fuiſſe deciſum *in Congregatione Sancti Officij Cremonæ die 25. Septembris 1638.*

24 Sed quid dicendum ſi ſuper hoſtiam non fuit celebratum, ſed ſolum in ipſa ſcripta fuerunt aliqua nomina, vel ſigna, vel mixta fuit cum aliquo liquore? Reſpondet Bordonus *loc.cit.* quod vel ſortilegium fuit ordinatum ad ſalutem, & ad bonum effectum, & non videtur ſortilegus, grauiter de hæreſi ſuſpectus; quia cenſetur leuis abuſus. Si verò ordinatum fuit ad maleficium, videtur grauiter de hæreſi ſuſpectus; quia præſumitur, credere, huiuſmodi media producere maleficium, eò quod pendeant quodammodò à Sacrificio Miſſæ, cuius illa hoſtia eſt deſtinata materia. Sed Carena *vbi ſup.* abſolutè, & ſine aliqua diſtinctione docet, ſortilegium cum hoſtia non conſecrata, etiamſi factum ſit ad ſanitatem eſſe hæreticale. Quia ſicut forma Sacramenti Euchariſtiæ, adhibita in ſortilegio, in omnium ſententia, reddit illud hæreticale. Ità idem dicendum de hoſtia non conſecrata, quæ eſt materia eiuſdem Sacramenti, & quæ moraliter pro Euchariſtia eſt deſtinata, & conficitur cum ſigno crucis, & imaginibus ſacris. Et quamuis aliquando aliquis ea vtatur ad claudendas literas, hoc tamen eſt per accidens, & non tollit, quin hoſtia moraliter tantum pro Sacramẽto Euchariſtiæ ſit deſtinata: alioquin ſortilegus cur potius hoſtiam, quam aliam rem eligeret?

Quotupliciter agnoſci poteſt in abuſu ſacrorum verborum, vel aliorum rerum, ineſſe tacita Dæmonis inuocatio?

25 RESp. Multipliciter primò. Quando cũ ſacris verbis admiſcetur aliqua conditio, ſeu circumſtantia vana, & inutilis, tanquam neceſſaria: E.g. quod ad effectum cõſequendum, proferantur certo loco, tali tempore, & hora, vel quod ſint ſcripta cum certo numero crucium, vel quod recitentur cum candela in manu accenſa, & ſimilia, quæ nec ad Dei cultum pertinent, nec ad rectam rationem. Secundò, ſi adhibeantur characteres, vel nomina obſcura, & ignota: quia ad Dæmonem ea intelligentem referuntur. Tertiò, agnoſcitur ex excellẽtia effectus, dum excedit virtutem naturalium agẽtium. Vt E.g. noſcere ſecreta cordium, ſanari ſtatim, & ſimilia. Quartò, ex vanitate effectus. Vt ſi per ſacra verba moueatur annulus filo appẽſus: nã eo ipſo, ꝙ effectus vanus eſt, conſtat, quod non eſt ex virtute diuina, ſed Dœmonis, qui illis verbis ſacris gaudet honorari. Quintò, ex falſis adiunctis, nempè, quod Chriſtus habuit febrem, aut ſpaſmum, & ſimilia; quia Dœmon, vt pater mẽdacij his ſimilibus mendacijs delectatur. Sextò, ex incertis, & apocryphis adiunctis, quia ſi hæc aliquam virtutẽ haberent, potius Deus ea reuelaſſet viris Sanctis, quam mulierculis. Deus enim virtutem potentiæ, ac ſapientiæ ſuæ Sanctis viris oſtendit, in miraculis operandis, non autem vanis fœmellis. Ità docent Caietanus *in ſumm. verb. Incantatio*, Valentia 2.2. *diſp.6. qu.13.* Azorius *par.1 lib.9.c.26.qu.6.* Nauarrus *c.11.n.25.* Delrius *lib.3.par.2. q.4. ſect.3.* Thomas del Bene *de off. inquiſ. par.2.dub.228.ſect.8.* & alij.

Eſt ne licitum rebus vanis, & ſuperſtitioſis vti cum proteſtatione, animum non habere, conſequendi effectum, ſi ex Dœmonis pacto ſit obtinendum?

26 RESp. negatiuè, etiam ſi quis intentionem haberet, conſequẽdi effectum à Deo, non à Dœmone. Quia tunc eſt licita hæc cautela, quando dubium eſt, an hæ obſeruationes ſint

ſint vanæ, & ſuperſtitioſæ, non autem quando vt tales cognoſcuntur. Ità docent Sanchez, *lib.7.de matrim.diſp.95.* Nec militat dicere, quod Caietano licuit cum proteſtatione ſuperſtitionem annuli experiri. Nàm ipſe *in ſum.verbo Incantatio*, ait: Sciant lectores; quod volui non experiri,ſed conuincere huiuſmodi diabolicam inſtitutionem, ad effectus vanos, propter vtilitatem fidelium. Accepto namquè filo, & annulo, proteſtatus ſum, quod verſum illum ſacrum, Deo verò, cui à Pſalmiſta dirigitur, dicebam; & non tanquam inſtitutum, ad mouendum annulum: & ſic dixi verſiculum illum; & annulus non eſt motus; vt hinc cognoſcant omnes, quod tunc diabolus mouet annulum, quando verſus ille dicitur ei,vt ipſe inſtituit. Dicit autem ei tacita intentione quicunque dicit etiam iocando illum,vt habentem vim ad mouendum annulum. Quia vim illam non habet niſi ex pacto olim inito cum Dæmone aliquo. Et de ſimilibus idem fac iudicium. Hæc Caietanus.

Ludus ille,qui Paſſa paſſa vocatur, eſt ne vt ſuperſtitioſus damnandus?

27 Reſp. Negatiuè; neque eo vtentes, dicendum eſt, vti ope Dæmonis. Quia poſsũt manus agilitate,res fictas, vt veras oſtendere, alias non vbique communitèr permitteretur. Ità Sotus *de iuſt. q.3. ar.2. col.3.* Alcozer *de ludo c.15.*Sanchez *lib.2.in decal.c.40.nu.51.* Thomas del Bene *de off. inquiſ. par. 2. dub.228.ſect.21.*

CAPVT XXIII.

De vana obſeruatione futurorum euentuum.

Qui ex aliquo fortuito accidenti coniectat bonum,uel malum futurum, peccat ne mortalitèr, an uenialitèr?

1 Reſp. D.Thomã *2.2.q.96.ar.3.* docere, quod homines huiuſmodi obſeruationes attendunt, non vt quaſdam cauſas,ſed vt ſigna quædam futurorum euentuum bonorum, vel malorum. Sed non obſeruantur ſicut ſigna à Deo tradita; cum non ſint introducta ex auctoritate diuina,ſed magis ex vanitate humana, cooperante Dæmonum malitia,qui nituntur,animos hominum huiuſmodi vanitatibus implicare. Et ideò manifeſtum eſt;omnes huiuſmodi obſeruationes eſſe ſuperſtitioſas,& illicitas.Hæc D.Thomas.Sed vt notat ibi Caietanus: Communiter hæc, venialia videntur peccata. Quia nulla interuenit mala intentio,ſed quidã ſuperfluus, & irrationabilis timor,ortus,vel ex aliqua experientia,vel ex maiorum traditione.Et ideò malum, vel bonum illud coniectantur. Vt e. g. ſi quis, è domo exiens,pedem ſuũ offendat, & propterea domum reuertatur; quia concipit aliquid aduerſum ei futurum. Vel ſi egreſſus foras,primo ei occurrat virgo, & putet,diem illum ſibi futurum ſterilem:vel ſi obuiam habeat alicuius matrem,diem fertilem, ac proſperum ſperet.Vel ſi occurrat ei Æthiops,diem infauſtum timeat; vel ſi pulcher iuuenis, diem ſperet lætum,& iucundum.Vel ſi cum ſe calciat,ſternutauerit, ad lectum redeat, & ſimilia. Sunt enim hæ obſeruationes & aliæ,quas enumerat D.Auguſtinus *in 2.de doctr.chriſt. c.20. nu.3.* vanæ, & inutiles; ſed quia in eis non comprehenditur quidquam mali, nec firmitèr coniectatur futurus euentus, ſed tantùm timetur, & ſuſpicatur: ideò peccatum eſt veniale,non mortale. Ità etiam docent Leſſius *lib.2.c.43. nu.65.* Sanchez *lib.2.in decal.c.40.n.14.& ſeq.* Bordonus *to.1.c.18.n.8.*Nauarrus *c.11 nu. 38.* Thomas del Bene *de off. inquiſ. par.2.dub.228.ſect.7.n.4.* & alij.

Obſeruatio dierum fauſtorum, & infauſtorum,eſt ne ſuperſtitioſa, & illicita?

2 Reſp. Si homo firmitèr credat, hos

dies

dies ſibi futuros fauſtos, vel infauſtos, peccat mortaliter: quia in noſtra eſt poteſtate facere dies bonos, vel malos, mediantibus noſtris actionibus; homo enim dominatur tempori, non tempus homini. Et ideò hæc obſeruatio prohibetur in *c. Illud 26.q.2. c. Non obſeruetis 26. q. 7.* Si verò non efficacitèr, nec certò hoc creditur, ſed ex ſolo quodam timore dies obſeruantur, tunc eſt tantùm veniale. Ità D. Thomas, Nauarrus, Sanchez *n.*15. Bordonus *n.*42. *locis citatis*, vt ſuprà dictum eſt.

Obſeruare dies, menſes, & annos, ad negotia aggredienda, eſt ne ſuperſtitioſum?

3 RESp. Negatiuè. Quia ſicut licitum eſt obſeruare tempora aptiora, in colligendis herbis, in ſecandis arboribus, & in corporibus purgandis: nam certis tēporibus virtus herbarū efficacior eſt, ligna minus corruptioni ſunt obnoxia, & corporū purgatio, quæ vno tempore prodeſt, in alio nocet: adſunt enim ſtellæ aliæ maleficæ, aliæ fauorabiles. Ità licet etiam ſine ſuperſtitione, in aggrediendis negotijs, obſeruare menſes, dies, & annos: & pium eſt, eligere diem alicuius Sancti, ad quem eſt quis ſpecialitèr affectus, ad aliquod inchoandum. Vt ad ineundam Religionem, ad matrimonium contrahendum, ad primum ſacrum celebrandum, & ſimilia. Quia id fit, vt Sanctus ille opem, & auxilium præſtet. Ità Sanchez *vbi ſup.n.*17.*&* 18. & alij apud ipſum.

Mulierculæ, quæ nuptiarum auidæ in nocte Sancti Ioannis Baptiſtæ aliquas orationes recitant, vt eis manifeſtetur, cui nubere debeant, peccant ne mortalitèr?

4 RESp. Si vis, & efficacia precum conſtituatur in particularibus uerbis, & non in alijs; vel in modo eas proferendi, vel in tali hora: E. g. in aurora, aut in primo aſpectu Solis, vel in ſimile; eas peccare mortalitèr: quia eſſet huiuſmodi vana, & ſuperſtitioſa obſeruatio, includens pactum tacitum cū Dæmone. Ille enim preces cum talibus circumſtantijs ex ſe nullam vim habēt, nec illæ circumſtantiæ à Deo, vel ab Eccleſia ordinatæ ſunt. Ergò à Dæmone. Excuſari tamen poſſent à mortali, ſi vterentur huiuſmodi vanis circumſtātijs, non tanquam efficacibus; ſed ex quadam leuitate, aut ex ignorantia, vel ſimplicitate, nec certò expectantes effectum. Ità Sanchez *ibid.nu.*19. *&* 20. Filliucius *tr.*24.*c.*6. *n.*14. & alij.

Luſores, qui vel locum ludendi mutant, aut tantiſper ſurgunt, ad malam fortunam, vt ipſi dicunt, abijciendam; uel conſulunt Aſtrologos; vt eis manifeſtentur dies, in quibus in ludo lucraturi ſunt; peccant ne mortalitèr?

5 RESp. per mutationem loci non peccare mortalitèr, ſed tantùm uenialitèr, quia licet ſit uana obſeruatio, tamen non firmitèr credunt per illam mutationem, meliorem acquirere fortunam. Ità Sanchez *ibid.n.*21. & cōmunitèr cæteri Doctores. Subdit uerò Sanchez: Conſulere Aſtrologos, eſſe peccatum mortale; quia eſt res grauis, & abſque fundamento. Sed Thomas del Bene *par. 2. de off. inquiſ. dub.*228. *ſect.*7.*n.*13. negat hoc eſſe mortale peccatum. Quia re uera fieri poteſt, quod conſtellatio in una die ſit fauſta per aſpectus fauſtos, ut per trinum autem ſextilem: Et in altera die ſit infauſta per aſpectus infauctos, ut per quadratum, uel per oppoſitionem: quod ab Aſtrologis cum fundamento conijci poteſt, ſi ille hic & nunc ſit lucraturus, uel iacturam facturus.

Eſt ne vana ſuperſtitio fidem præſtare prędictionibus futuris, quę aliquando à morientibus fiunt?

6 Reſp. Negatiuè; quia qui proximi ſunt mor-

morti ſæpè futura diuinant, ut cum Platone, & alijs Philoſophis affirmat Azorius: & pluribus exemplis probat D.Gregorius *lib.4. Dialog.c.27. & 28.* expreſsè concludens: quod aliquando exituræ de corpore animæ per reuelationem futura cognoſcunt: & aliquãdo etiam vel anima ſubtilitate ſua ea quæ sũt futura cognoſcit: Sic Iacob iam iam moriturus vocauit filios ſuos dicens *geneſ.49. Congregamini vt annunciem quæ ventura ſunt vobis in nouiſſimis diebus*: Moyſes quoque cum eius mors inſtaret, multa Iſraeliticis Tribubus prædixit. Et huius rei rationem reddit Azorius *par.1.lib.9.c.24.q.6.* dicens: Si morituri vaticinantur futura, quæ certas cauſas naturales habent, id faciunt: quia nonnunquam ea hora conſopitis ſenſuum motibus, mens intrò magis ſe colligit, ac melius, & exactius res contemplatur: quia vario, & multiplici sẽſuum affectu, neque perturbatur, neq; diſtrahitur. Non erit ergo ſuperſtitioſa, & vana obſeruatio futuri euentus, prædicti ab eo, qui proximus eſt morti, neque illi præſtare fidem.

CAPVT XXIV.

De Magia, & Sagis, ſeu Lamijs.

Quid, & quotuplex ſit Magia?

1 RESp. quod duplex eſt Magia, vna naturalis, altera ſuperſtitioſa. Magia naturalis eſt ars faciendi mira, & inſolita per cauſas licitas naturales: Magia ſuperſtitioſa eſt ratio quædam operandi mira, & inſolita per ſigna illicita, & Dæmonum opera. Quæ naturalis eſt, nõ eſt mala, nec prohibita: quia operatur per cauſas naturales: Eſt tamen periculoſa, nec multum addiſcenda, quia docet multas curioſitates, in quibus Dæmon facile ſe immiſcet; & ſæpè ad magiam ſuperſtitioſam inducit. Huius magiæ exempla ſunt ſi quis mixturam faciat, quæ in aquis ardeat, vel quæ à radijs Solis accendi poſſit; vel ſi quis ignem in certa materia ità accendat, vt oleo extinguatur, & ſimilia, quæ referuntur à Cardano de vanitate rerum, à Victoria *relect. de Magia n. 7.* ab Ariſtotele, Plinio, Ioanne Baptiſta à Porta, & ab alijs. Magia ſuperſtitioſa inſtituta fuit à Dæmonibus, vt notat D. Auguſtinus *lib. 12. de Ciuit. Dei c.6.* vbi ait: *Neque enim potuit niſi ipſis Dæmonibus docentibus diſci*: & hæc fuit à Deo expreſsè prohibita *Leuit. c. 19. Non declinetis ad Magos: nec ab Ariolis aliquid ſciſcitamini.* & *c.20. Anima quæ declinauerit ad Magos, & Ariolos, & c. interficiam illam.* Sicut enim Chriſtus Dominus inſtituit ſenſibilium Sacramentorum ſigna, ad animarum ſanctificationem, & ſalutem: Ità Dęmones Chriſti Domini æmulatores inſtituerũt ſigna ſenſibilia, vt ad eorũ exhibitionem, & vſum, aliquid operetur, ad earundem animarum perditionem, & interitum. Et ſicut magia naturalis vtitur cauſis naturalibus: ità magia ſuperſtitioſa vtitur ſignis, quæ ſunt cauſæ morales, quibus allicitur Dæmon, ex pacto ſaltem tacito, vt faciat, quod magus petit. Ità docent Suarez *to.1. de relig. lib.2. de ſuperſt. c.14. à nu.1. & ſequ.* Leſſius *lib.2.c.44.n.1.* Fagundez *in decal. lib.1. c.41. n.1.* Thomas del Bene *de offic. inquiſ. dub. 227. ſect. 1.* & alij communitèr.

Quonam modo agnoſci poteſt, an aliqua operatio ad magiam naturalem, vel ad ſuperſtitioſam pertineat?

2 RESp. agnoſci poſſe, Primò ex circumſtantijs, quę ſi ſint inutiles, & vanę ad effectum aſſequendum: vt e.g. ſi operatio fieri deberet, certis diebus, aut horis, vel certo numero crucium, aut candelarum, vel certis characteribus, aut ignotis nominibus, vel obſcurę ſignificationis, & ſimilibus: eſſet non naturalis, ſed ſuperſtitioſa magia. Secundò ex modo operandi, e.g. in loco ità diſtãti, vt impoſſibile ſit naturalitèr ità ibi operari. Vel motu celerrimo ho-

homines,aut animalia transferre de loco in locum: ſimilitèr erit non naturalis, ſed ſuperſtitioſa magia. Tertiò,ex conditione effectus,qui ſi à cauſa naturali oriri non poſſit, erit manifeſta magica ſuperſtitio. Vt e.g. ſi quis repentè aliquid apparere faceret,vel reſponſum à ſtatua promitteret, vel mortuum ſuſcitaret, vel excitaret repentinas tempeſtates, aut incendia, vel de loco ad locum transferret, ſegetes,arbores,pomaria integra,& ſimilia. Ità docent ſupradicti Doctores, ac etiam Sanchez *lib.2.in decal.c.*40. *nu.*43. Thomas del Bene *ſect.*3. Valentia 2.2. *diſp.6.q.*13. *pun.*2.*col.*4. *&* 5. Martinus del Rio *lib.* 2.*diſquiſ.magic.q.*5. *lit. B. & ad fin. & q.8. verſ. Porrò præſtrigiatorij effectus.* Leſſius *lib.*2.*c.*44.*dub.*3.*n.*13.

In dubio an effectus oriatur à cauſa naturali, vel à magia ſuperſtitioſa; quid eſt iudicandum?

3 RESp.vt ſuprà dictum eſt: vel dubitatur, an effectus excedat vires cauſæ naturalis, & conſequentèr an à cauſa naturali proueniat.Et vt affirmat Sanchez *lib.2.in decal. c.*40. *n.*44. cenſendum eſt potius à cauſa naturali,quã à magia ſuperſtitioſa prouenire. Tum quia vt docet D.Thomas 2.2.*q.*60.*ar.* 4.Quæ ſunt dubia in meliorem partem interpretanda ſunt;nec abſq; neceſſitate confugiendum eſt ad miraculum,vel ad occultam Dæmonis operationem. Tum etiam quia cum innumeræ agentium naturalium vires nos lateant,non eſt cur illarum operationum effectus negemus,oriri à cauſa naturali.D.enim Auguſtinus *lib.*4.*de Ciuit. Dei c.*24. refert mirabilia facta fuiſſe naturalitèr à quibuſdam hominibus. Si autem conſtet,effectum illum excedere vires cauſæ naturalis; tunc niſi maxima operantis ſanctitas, vel alia vrgentiſſima indicia ſuadeãt effectum illum eſſe à Deo, cenſendum eſt in dubio ſuperſtitioſũ, & à Dæmone prouenire. Quia vt docent D. Thomas 2.2.*q.*96.*ar.*2. Angelus *verb.Superſtitio n.*2.Syluester *verb. eod.q.*10.Suarez *tom.*1.*de relig.lib.*2.*de ſuperſt.c.*15.*n.*1.*&* 13.*&* 14.& alij Doctores cõmunitèr, regula generalis eſt, quòd, Quotieſcumq; cauſa adhibita nequit effectum naturalitèr producere, eſt ſuperſtitio, & ad pactum implicitũ cum Dæmone pertinet.

Magia ſuperſtitioſa quàm graue peccatum eſt?

4 RESp.eo grauiùs eſſe peccatum, quo præſtantior eſt virtus, cui opponitur. Sed Magia ſuperſtitioſa opponitur Religioni, quæ eſt omnium virtutum moralium præſtantiſſima.Ergò eſt peccatum grauiſſimum, grauius furto, homicidio, adulterio, periurio, & ſimilibus. Quia aufert honorem, & cultum Deo debitum,& illum Dæmoni tribuit, ineundo cum eo pactum, vt ipſe magus Dæmonẽ honoret, & Dæmon eum faueat ad ſua maleficia præſtanda. Ità Fagundez *in decal. lib.*1. *c.* 41. *n.*1.Suarez *to.*1.*de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. c.*14.*n.*12. & alij.

Magia non naturalis eſt ne ſuperſtitio hæreticalis?

5 RESp. Affirmatiuè; quia cum ipſa ſemper interuenit pactum cum Dæmone: Magi enim, lamiæ, ſagæ, & ſtriges,in ſuis magijs Dęmonem inuocant, & ei tura adolent, ſacrificia offerunt, candelas accendunt, cultum tribuunt,genua flectunt, humi ſe proſternunt, preces emittunt, adorant, ſe eis deuouent, obedientiam promittunt, laudes eorum canunt, caſtitatem pro eorum reuerentia, vel admonitu ſeruant, ieiunant, carnem ſuam macerãt, per characteres, ſigna, & ignota nomina obſecrant,animalia immolant, imagines baptizant, pueros rebaptizant caput defuncti fumigant, Sanctorum imagines conculcant, ſputis fœdant, Cruces deijciunt, vel configunt, Sacramentis, vel Sacramentalibus abutuntur, & ſanguinem proprium in eorũ cultum, & obſequiunt emittunt. Quæ

omnia hæreticalia ſunt, vt notant Suarez *to.1.de relig.lib.2.de ſuperſt.c. 14.n. 10. & 11.* Carena *par. 2. de ſortil. tit. 12. §.4.n.28.* Tales enim ineuntes pactum cum Dęmone etiamſi petant res, quæ Dæmonis facultatem naturalem non excedunt, ſunt vehementer de apoſtaſia ſuſpecti: vt teſtantur Martinus del Rio *lib.5. diſquiſ. magic. ſect. 15.n.2.verſ. 2.* Zanardus *in ſumma diuinorum pręceptorum par.2. c. 64. verſ. 2.* Genuenſis *in praxi Curiæ Archiep. Neapol. c. 18. nu. 11.* Carena *loc. cit.* & alij.

Cum Magia admiſcentur ne alia crimina, à Confeſſarijs, & à Iudicibus omninò interroganda?

6 RESp. Affirmatiuè, & enumerantur à Leſſio *lib.2.c.44.dub. 4. n. 27.* Et primum eſt crimen hæreſis. Multi enim ex his, non credunt Dæmonem eſſe damnatum, & pœnis ſubiectum, & eos, qui ipſi adherent, eſſe damnãdos: aut eum nihil poſſe, niſi ex Dei permiſſione, & ſimilia. Secundum, peccatum eſt idololatriæ: accipiunt enim Dæmonium loco Dei, & ei fidem ſpõdent, & totos ſe mancipant, ac ſacrificia offerunt alijſque modis honorant. Tertium, eſt peccatum Apoſtaſiæ; abnegant enim Chriſtum, & eius fidem, renunciant baptiſmo, & omnia Sacramenta conantur quibuſdam cæremonijs extirpare. Quartum, eſt peccatum blaſphemiæ in Deum, in Chriſti humanitatem, in B. Virginem Mariam, & in omnes alios Sanctos. Quintum, eſt ſacrilegium, quia ſæpè in ſuis magijs vtuntur rebus ſacris, ac etiam Sanctiſſima Euchariſtia. Sextum, luxuriæ, & nefariæ cum ipſo Dæmone in corpore aſſumpto commiſtionis. Septimum, damna proximorum, vt homicidia pręſertim infantium, vaſtationes ſegetum, mortes animalium, & ſimilia. Ità Leſſius, ac etiam Suarez *dicto c.14.nu. 11.* Thomas del Bene *de offic.Inquiſ.par.2. dub.228.ſect.5.n.7. & ſeq.* Caſtro Palaus *par.3. tr. 17.diſp.1.pun. 8.n. 5.* & alij.

In Magia datur ne paruitas materiæ excuſans à mortali?

7 RESp. Negatiuè: quia Magia non fit ſine Dæmonis inuocatione, vel expreſſa, vel tacita: inuocatio autẽ Dæmonis, ſiue tacita, ſiue expreſſa, ſẽper eſt mortale peccatum, & eiuſdem rationis, ſiue inuocetur Dæmon in re magna, ſiue in re parui momenti. Quia in his, quæ reſpiciunt Deum eiuſque honorem, dari non poteſt paruitas materiæ. Ergò cùm in qualibet magia etiã paruæ materiæ interueniat Dæmonis inuocatio, & Dei grauis inhonoratio, & offenſio, dari non poteſt in ipſa, paruitas materiæ, excuſans à mortali. Ità docent Leſſius *lib.2.c.44.dub. 4. n. 16.* Sanchez *lib. 2.decal. c.38.n.18.* Caſtro Palaus *to.1.tr.2.diſp.2. pun.7.n.2.* Diana *to.5.tr.8.reſ.9.ex par.5.tr.5. reſ. 29.* & alij.

8 Verum ratione inaduertentiæ, vel ignorantiæ: dummodò hæc non ſit affectata, nec craſſa: dari poteſt aliquis actus magicus, qui excuſet à mortali: Vt E.g. ſi quis ignoret, vel nullo modo aduertat, tacitam Dæmonis inuocationem, quia eſt valdè occulta. Tunc ex defectu ignorantiæ, & animaduerſionis eſſe poteſt veniale peccatum: dũmodò quis paratus ſit, nullo modo id facere, ſi ſciret, vel dubitaret, ꝙ à Dæmone effectus ille fieret. Ità Caietanus *2.2.q.95.ar.2.§.Ad euidentiam*, Valentia *to.3.diſp.6.q.12.pun.4.* Leſſius, Diana, & Sanchez *loc.cit.n.19.*

Magus, qui ſuo chyrographo fide renunciauit, & Dęmonis obſequio ſe dicauit; quomodo poteſt hoc pactum diſſoluere, abſque ſui chyrographi receptione?

9 RESp. poſſe pactum ſupradictum diſſoluere, ad pœnitentiam redeundo, & à prioribus magijs omninò recedendo; nec opus eſt, vt Dæmon chyrographum ei reddat: nam per pœni-

nit etiam pactum illud omninò reſcinditur,& ſufficienter diſſoluitur,nec in fine vitæ coram Deo nocebit. Et tenetur, credere, etiam hoc peccatum poſſe, per pœnitentiam deleri.Si verò ipſe magus apud ſe chyrographum retinet, vel illius tranſumptum, cogendus eſt illud rumpere,vel comburere; nè ſit cauſa ſcandali, ſi inter alias eius ſcripturas, ſiue in vita, ſiue poſt mortem ab alijs inueniatur. Ità Suarez *to. 1. de relig. lib.2.de ſuperſt.c.*17.*n*.4.Sanchez *c.* 40. *n.* 52.

Quare in Magia plerumque fœminæ, rarò viri exercentur, & peccant?

10 RESp. quia fœminæ faciliùs, quam viri ob innatam leuitatem,Dæmonum pollicitationibus,decipiuntur: & ob natiuam curioſitatem multa ſcire volunt, & facillimè Dæmonum artibus ſe commiſcent.Ac etiam quià ob earum humiditatem, qua abundant, promptiores ſunt, quàm viri ad recipiendas Dæmonum impreſſiones; & ob inſatiabilem earum libidinem,ſæpè Dæmonibus in humana forma libidinosè commiſcentur. Ità docet Fagundez *in decal. lib.*1.*c.*41.*n*.5.

Quare huiuſmodi nefariæ fœminæ Magicæ, Lamiæ, Striges,Maleficæ, & Sagæ vocantur?

11 RESp. quod vocantur Magicæ à magia.Lamiæ, quia ſicut lamia eſt animal monſtruoſum, ſpeciem humanam habens, & corpus beſtiale, ac crudele,& præcipuè pueros iugulat, & eorum ſanguinem ſugit: Ità huiuſmodi mulieres, quæ huic ſcelerato operi ſunt intentæ. Striges appellantur,quia ſicut quædam aues, quæ ſtriges vocantur, vt ait Ouidius *lib. 6. Faſtorum.*

Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiāt cunis,corpora rapta ſuis.
Eſt illis ſtrigibus nomen, ſed nominis huius.
Cauſa, quod horrendè ſtridere nocte ſolent.

Ità quia huiuſmodi nefariæ fœminæ noctu præcipuè in maleficijs, & in ſugendo infantium ſanguinem versātur, Strigæ vocitantur.Maleficæ à malè faciendo. Sagæ à ſagacitate, vel à ſagiēdo; quia multa ſcire volentes, Demonum artibus ſe immiſcent. Ità Fagundez *lib.*1.*in decal. c.*41.*n.3.*

Lamiæ, & Striges portantur ne verè à Dæmone de loco ad locum, breuiſſimo temporis ſpatio, vel ſolum per phantaſiæ illuſionem, hoc illis accidit?

12 RESp.à Dæmonibus aliquādo hoc effici per illuſionem phantaſiæ, & Lamias extra domos ſuas non ferri corpore; ſed Dæmon eas omni prorſus ſenſu deſtituit, & tales ſpecies eis imprimit, vt falsò ſibi perſuadeant,ſe per aerem volitaſſe, è domo ſua egreſſas fuiſſe,& in alienas ingreſſas, vel in delitioſo loco, cum aliarum ſimilium cōſortio, omni cum voluptate conuiuia, tripudia,nefarios concubitus egiſſe, & guſtaſſe.Hæc autem omnia re ipſa exterius non fiunt, ſed Dæmon facultati phantaſticæ, ità eis repræſentat, ac ſi re ipſa fierent.Ità Turrecremata *in cap.Epiſcopi 26.q.5.art.2.ad* 5. Nauarrus *c.*11.*n.*38. Suarez *to.*1. *de relig. lib.*2.*de ſuperſt.c.*16.*n.*23.*&* 25. Fagūdez *lib.*1.*in decal.c.*41.*n.*8.Et huic opinioni fauent aliquæ experientiæ, quæ referuntur ab Abulenſe *in c. 13. Geneſ. q.*354.& à Caietano 2.2.*q.95. ar.3.*

13 Aliquando autem verè corpore ad loca diſtantiſſima hę nefariæ fœminæ, ac etiam viri à Dæmone feruntur: & iterum citiſſimè in domum propriam reducuntur, & in illis locis multa turpia, & ſacrilega cum alijs ſimilibus,& cum ipſis Dæmonibus fortaſſe in forma viſibili, & humana,committunt. Et hæc ſententia eſt communis Theologorum, Iuriſtarum, vt ait Pegna *in direct.cōment.*68. Abulenſis *in c.*4. *Matt. q.*74.

q. 47. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 3. *n.* 15. Suarez *loc. cit.* & alij, quos refert, & ſequitur Delrius *lib.* 2. *c.* 10. & *lib.* 5. *ſect.* 16, *n.* 4. & 5. Quia non deeſt Dæmoni poteſtas, vt, Deo permittente, hoc facere poſſit. Nam ſicut Angeli mouent orbes Cœleſtes: ità Dæmones mouere etiam poſſunt humana corpora de loco in locum; Omnia enim naturalia ipſis integra manſerunt. Et de his lamijs dicitur, experimento cognitum eſſe: ſæpè accidiſſe in illis congregationibus, & locis, ad quæ corporaliter à Dæmone feruntur, vt nonnullæ fędis, ac turpiſſimis actionibus, quibus ibi cum dęmonibus operam dant, deterritæ, facto ſigno Crucis, vel inuocato Chriſti Ieſus nomine, ſtatim cōuentus ille ſoluatur, omnes diſpareant, Dæmones fugiant; & ipſæ, quæ nomen Ieſu inuocarunt, ſolæ maneant in eodem loco: itaut magno labore domum redire cogantur, & interdum ob non ſeruatum pactum nequiſſimum, ſeueriſſimæ à Dęmonibus verberantur. Ità docent D. Thomas 2. 2. *q.* 95. *art.* 5. Caietanus *ibi*, D. Bonauētura 3. *ſent. diſt.* 19. Abulenſis *loc. cit.* Syluester *verbo hæreſis* 3. *q.* 6. Victoria *in relectione de magia q.* 7. Caſtrus *lib.* 1. *de iuſta hæret. punitione c.* 16. Suarez *vbi ſup.* Carena *par.* 2. *de ſortil. tit.* 12. §. 2. *n.* 5. & quamplures alij apud ipſos.

14 Quod autem dæmones poſſint naturaliter corpora ſtrigum, & lamiarum de loco ad locum diſtantiſſimum citiſſimè transferre probatur etiam. Quia quantum boni Angeli naturali virtute poſſunt, tantundem dæmones poſſunt. At ſcimus quoſdam à bonis Angelis momento temporis, ad lōgiſſima locorum ſpatia translatos fuiſſe. Nam Angelus Domini apprehendit Abachuc in Iudea, & capillo capitis illum portauit Babylonem, & confeſtim loco ſuo reſtituit. *Daniel.* 14. Angelus etiam rapuit Philippum, qui poſtea inuentus eſt in Azoto. *Act.* 8. Ergò idem fieri poteſt à Dęmone. Et *Matt.* 4. habetur, quòd Diabolus Chriſtum aſſumpſit à deſerto, & tranſtulit in Sanctam Ciuitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi, & exindè etiam detulit in mōtem excelſum valdè. Cur ergò non idem facere poterit de corporibus ſtrigum, & lamiarum? Voluntas enim Dæmonis promptiſſima eſt ad has mutationes verè, & realiter faciendas, ſi videat ſe poſſe illo modo ad maiora peccata, infauſtas illas mulierculas inducere; vt ab illis maiorem cultum, & reuerentiam conſequatur.

15 Ideò hoc adeo verum eſt, vt Leſſius *loc. cit.* exiſtimet, falſam eſſe, & Reipublicæ pernicioſam opinionem aſſerentium: dictam translationem non fieri, re ipſa corporaliter, ſed per illuſionem phantaſiæ à dæmonibus: quod pluribus rationibus probat: & præcipuè quia grandis iniuſtitia, & crudelitas eſſet: ſæua morte affiecre homines ob maleficia, quæ re vera nō fecerunt, ſed ſolum ſomniarunt, & illuſione diabolica ſibi viſi ſunt feciſſe. Quamuis huic rationi reſponderi poſſet. Si res per illuſionem interdum fiat, tūc etiam grauiſſimum peccatum committi, & eodē ferè ſupplicio dignum propter pactum cum Dæmone, & conatum ad totum illud delictum, verè, & realiter præſtādum; vt notat Suarez *n.* 25. *in fine.*

Poſſunt ne Dæmones acceſſum venereum ad mulieres habere, & fieri incubi, vel ſuccubi?

16 Reſp. quod Demones cū ſint ſpiritus incorporei, quamuis cum lamijs, & alijs mulieribus, commiſceri nequeant, & cùm corpore careant, habere non poſſint nec ſperma, nec generandi cupiditatem: tamen poſſunt, ex aere corpora ſibi aſſumere, & aptare naturali eorum virtute. Sic Dæmon apparuit Euæ in aſſumpto, & efformato corpore ſerpentis; Et Chriſtum Dominum in deſerto, aſſumpto corpore humano, tentauit; & aliquando tranſfigurat ſe in Angelum lucis. Vnde, aſſumptis etiā humanis corporibus, poſſunt Dæmones cum lamijs, & ſtrigis hunc fœdum libidinoſumque actum exer-

exercere, & incubi, & ſuccubi fieri. Et licet ſperma habere non poſſint, nec filios generare, nihilominus, ſuffurato aliunde virili ſemine, & nefariẹ illi copulæ applicato, poſſunt homines generari. Et quod dæmones in huiuſmodi corporibus fiant incubi, & ſuccubi, teſtantur D. Auguſtinus *lib.* 15. *de Ciuit. Dei c.* 23. D. Iſidorus *lib.* 8. *Etymolog. in fine.* Beda *lib.* 3. *in Lucam cap.* 31. D. Thomas 1. *par. q.* 51. *art.* 2. *&* 3. Simãchas *de cathol. inſtit. tit.* 37. *n.* 5. & alij communiter.

Magi, & lamiæ, ſeu ſtriges poſſunt ne per Dẹmones miracula operari?

17 RESp. quod miraculum propriè dicitur, cùm aliquid fit præter ordinem totius naturæ creatæ: vt docet D. Thomas 1. *par. q.* 110. *ar.* 4. & cum eo cæteri Doctores. Nec ſufficit, vt aliquid fiat pręter ordinem naturæ alicuius particularis. Alias cũ quis proijceret lapidem ſurſum, miraculum faceret: cùm hoc ſit prætet ordinem lapidis. Ideò tunc aliquid dicitur eſſe miraculum, quando fit pręter ordinem totius naturæ creatẹ. Hoc autem fieri non poteſt niſi à ſolo Deo, iuxta illud Pſal. *Deus qui facit mirabilia magna ſolus.* Et hac ratione, vt notat Carena *p.* 2. *tit.* 12. §. 2. *n.* 13. Dẹmones non poſſe cæcos illuminare, nec mortuos ſuſcitare, nec idem corpus in duobus locis eſſe, & ſimilia, quæ verè miracula ſunt. Verum quia non omnis virtus naturæ creatẹ eſt nobis nota; ideò cum aliquid fit per virtutem creatam nobis ignotã, videtur nobis miraculum; ſed verè miraculum non eſt. Igitur cùm Dẹmones faciunt aliquid ſua virtute naturali, miracula dicuntur non ſimpliciter, ſed quoad nos. Et hoc modo magi, & lamiẹ dicuntur per Dæmones miracula facere, quæ verè miracula non ſunt. Ità D. Thomas, ac etiam Alenſis 2. *par. q.* 42. *&* 43. & communiter Theologi omnes.

Si Dæmon non poteſt miracula facere, quare Pythoniſſa ad preces Saul, Samuelem mortuum ſuſcitauit, qui euentum futuri belli, & Sauli, & filiorum mortem prædixit? vt legitur 1. *Regum* 28.

18 RESp. cum eodem D. Thoma 2. 2. *q.* 95. *ar.* 4. *ad* 2. *&* *q.* 174. *ar.* 5. *ad* 4. dupliciter. Primò quod qui tunc apparuit non fuit Samuel, nec quoad animã, nec quoad corpus, ſed eius imago, vel aliquod phantaſma, & illuſio imaginaria à Dæmone facta; quæ in ſcriptura Samuel appellatur. Nam vt notat D. Auguſtinus *lib.* 2. *ad Simplicium q.* 3. Solent in ſcriptura, imagines rerum, nominibus ipſorum rerum appellari.

19 Secundò reſp. ſi verè tunc Samuel apparuit, non ex poteſtate Dæmonis venit, ſed ex voluntate Dei, & peculiari eius ordinatione, ad maiorem terrorem, & confuſionem Saul. Et Samuel tunc præuenit incantationem Pythoniſſæ; vt ſe oſtenderet aſpectui Regis, & mortem eius, & percuſſionem ſui exercitus prẹnunciaret. Vndè Pythoniſſa turbata fuit in eius apparitione. Quia Dæmones non poſſunt animam alicuius Sancti euocare: neque ad aliquid agendum cogere. Fieri autem poteſt diuina virtute; vt dum Dẹmon cõſulitur, Deus ipſe veritatem per ſuum nuncium prænunciet. Sic 4. *Reg.* 1. habetur quod, quãdo Rex Ocozias ægrotauit, & miſit nuncios dicens: *Ite conſulite Beelzebub Deum Accaron: vtrum viuere queam de infirmitate mea hac. Angelus Domini loquutus eſt ad Eliam, dicens: Surge, & aſcende in occurſum nunciorum Regis Samariæ, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus: De lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Sicut ergo Deus per Eliam veritatem nuncijs Regis reſpõdit: Ità etiam per Samuelem, non mulier Pythoniſſa, ſed Deus ipſe prænunciauit Sauli euentum belli. Et quamuis anima Samuelis venerit, non propterea in vero ſuo corpore apparuit, ſed potius

tius in corpore aſſumpto, & formato, ad ſimilitudinem ſui corporis, ſicut Angeli facere ſolent. Ità D. Thomas, ac etiam Suarez *to.1.de relig. lib.2. de ſuperſtit.c.16.n.18.* Leſſius *lib.2. c.44. nu.24.* Carena *par.2. tit.12. §.2. n. 16.* & alij.

Magi Pharaonis nonne incantationibus, ſuis miracula fecerunt: quando ſicut Moyſes, conuerterunt virgas ſuas in dracones, & aquam in ſanguinem, & eduxerunt ranas in terram Ægypti? *Exod.7.& 8.*

20 RESP. quod hæ tranſmutationes, quæ fecerunt Magi Pharaonis, non fuerunt vllo modo miracula: quia quando *Proiecerunt virgas, & verſæ ſunt in dracones*: Dæmones, non aduertentibus circumſtantibus, virgas à Magis proiectas in terram, ſubitò imperceptibiliter, & latentèr abſtulerunt: & in eorum loco veros ſerpentes ab ipſis, vel anteà præparatos, vel aliundè tunc celerrimè allatos, intuentium oculis ità ſubiecerunt; vt virgæ in ſerpentes viderentur eſſe conuerſæ. Ait enim Abulenſis *circa finem cap.7.Exod. Malefici proiecerunt in terram virgas ſuas, & Dæmones imperceptibiliter eas indè tulerunt, & ſerpentes veros, aliundè allatos, ibi loco virgarum appoſuerunt.* Nec mirum quod ſcriptura dicat *Virgas eſſe conuerſas in dracones*: Quia ità videbatur, & ſpectantium iudicio putabatur. Sicuti *Geneſ.18.* tres illi Angeli, qui apparuerunt Abrahæ; ſimplicitèr appellantur viri: & dicitur, quod Abraham pedes eorum lauit, & quod comederũt: cum tamen nihil horum propriè fuerit, ſed tantùm ſecundùm hominum æſtimationem: vt notat etiam Pererius ibi. Ità ſimilitèr dicitur: *Virgas eſſe conuerſas in dracones*, non quod ità fuerit, ſed quia ſic videbatur à circumſtantibus.

21 Similitèr *Aquam verterunt in ſanguinem*: quia Dæmones imperceptibilitèr, vt ait idem Abulenſis, vel aliũdè verum ſanguinem, ex aliquibus interfectis animalibus, in aquam verſarunt: vel ex eodem ſanguine, qui erat in flumine. Et quoad ranas, idem dicẽdum: illas Dæmones de his, quæ erant in flumine, vel in aliorum domibus adduxiſſe: vel etiam ex putri produxiſſe: quæ omnia naturalitèr à Dæmonibus fieri poterant. Nec ex his argui poteſt ab eiſdem miracula fieri poſſe. Immò vt obſeruat Theodoretus *q.18.in lib.Exodi: Mutabant illi quidem virgas in ſerpentes; ſed virga Moyſis virgas illorũ deuorabat. Mutabant illi aquam in ſanguinem: ſed ſanguinem in priorem aquæ naturam reducere non poterãt. Produxerunt illi ranas: ſed moleſtiam, & incommoda ranarum Aegyptijs auferre nõ poterant. Sicut fecit Moyſes.* Quia Moyſes operabatur virtute Dei: *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Illi autem Magi incantationibus Dęmonum, à quibus miracula fieri non poſſunt.

Quare ergò permiſit Deus, vt quę miraculosè fiebant à Moyſe, eadem fierent à Magis?

22 RESP. Primò cum Chryſoſtomo *homil.46.in actib.Apoſt.* vbi ait: *Permiſit Dominus aliquid Magis contra Moyſen, ne Magus putaretur eſſe Moyſes: permiſit Magorum exemplo diſcere omnes, quãtum ars magica importat ſenſibus. Sed non permiſit vltra eos progredi, ne ab illis deſperentur homines, ſed ipſimet Magi ſe victos eſſe à Moyſe confiterentur.* Reſp. ſecundò cũ Theodoreto *loc. cit. Conceſſit Deus incantatoribus huiuſmodi ſigna facere; vt etiam per ipſos caſtigaret Aegyptios. Non tamen cõceſſit illis; vt illatam vltionem, & calamitatẽ auferre poſſent. Nam dum à Deo puniretur Rex Aegyptiorum, non fuit Deus contentus, plagis per Moyſem illatis: ſed inſuper præcepit incantatoribus vltionem augere. Quaſi diceret Regi: quia puniri te delectat, tuorum etiam ſeruorum opera te caſtigabo, & grauius plectam.* Hæc Theodoretus. Ex quibus patet ex illis ſignis à Magis factis, ad ſimi-

ſimilitudinem Moyſis, minimè inferri: Magos miracula poſſe operari. Confirmatur: nam quando *Extendit Aaron manum virgam tenens, percuſſitq; puluerem terræ: & omnis puluis terræ verſu eſt in ſciniphes per totam terram Aegypti. Feceruntque ſimiliter malefici incãtationibus ſuis; vt educerent ſciniphes: & non potuerunt: & dixerunt ad Pharaonem: Digitus Dei eſt hic*: Quod euenit, vt notat idem Theodoretus: *Vt tum ipſi Magi, tum fatuus eorum Rex euidenter cognoſcerent, quod non ſolum plagas à Deo immiſſas, auferre non poſſent: ſed etiam ipſi cum reliquis, plecterentur.*

Quænam ergò tranſmutationes ope Dæmonis fieri poſſunt in homine à Magis?

23 RESP. Poſſe inferre morbos occultos, qui nullo medicamento curari valeant: quia Dæmones poſſunt inſtillare venena à Medicis ignota, vt ſiue lentè, ſiue ſubitò operentur incurabilitèr, & infringatur vis medicamẽtorum, & humores commoueãtur magno cum dolore: & alijs mille modis ſibi notis nocere. Poſſunt etiã in corpus hominis, inferre pilorum villos, clauorum, & vitrorum fragmenta, & ſimilia, quæ maleficijs affecti è corpore eijciere ſolẽt: vel facere poſſunt, vt hęc è corpore eijci videantur, cùm re vera nunquam intus in corpore fuerint. Poſſunt curare morbos omnes, qui naturalibus remedijs curari ualent, & omnia mala, quæ ab actuali Dæmonis nocumento dependent: quia facile eſt Dæmoni, applicare naturalia remedia, vt morbi ab actuali nocumento deſiſtant. Poſſunt etiam Magi Dæmonum opera impedire fluxum ſanguinis è vulnere inferre amentiam, & omnes læſiones, quæ gladio, igne, vel alijs inſtrumentis inferuntur. Ità notant Leſſius *lib.2.cap.44.dub.3.n.19.& 20.* Thomas del Bene *par.2.de off.inquiſ. dub.227.ſect.3. n.25.& ſequ.*

24 Poſſunt etiam Magi immittere Dæmones in homines, & facere vt ab eis obſideantur, Deo permittente, & eoſdem expellere, vel ex pacto cum ipſis; vel ipſis volentibus: quamuis ſimulent, ſe cogi ex vi incantationis, ad egrediẽdum: vel ex pacto cum Dæmone potẽtiore, qui inferiores, etiam inuitos, expellere poteſt: vt docet D. Gregorius *lib.1.dialog.c.10.* Vbi notat, quod nunquam faciat iſta Dæmon, niſi vt magis noceat, præſertim in anima.

25 Poſſunt Magi, Dęmonum opera, aliquo modo ſe reddere inuiſibiles; vel efficiendo, quod ſubitò, aſtantibus non aduertentibus, ad aliud locum transferantur: vel aliquod corpus inſtar veli, interponendo, vt ab illis non videãtur: vel ſubtrahendo, aut impediendo ſpecies viſionis, quæ ad ſe videndos concurrere debebant. Quomodo fortè Apollonius ſe inuiſibilem reddidit, quãdo à Domitiano capiẽdus erat: de quo Philoſtratus in vita ipſius.

26 Poſſunt quoque corpora hominum, & animalium transformare, non quidẽ intrinſecè figuram mutãdo, ſed extrinſecè ex corporibus aliam circumponẽdo. Aliqui enim, opera Dæmonis, conuertuntur in ſpeciem lupi: accomodant namque ſe ad ſpeciem beſtię quantum poſſunt, manibus; & pedibus incedẽdo: & diabolus adijcit reliqua, circumpoſita alia figura, itaut ſpeciem lupi exactè referãt; deindè ingreditur Dæmon, mutat phantaſiam, & animum ferinum inducit; quod ei perfacile eſt, commotis humoribus, & uenenatis ſuccis adhibitis: denique agilitate lupina corpus regit. Hinc fit, vt tales inuadãt, lacerent, & deuorent homines, vt ueri lupi ſolent; & ipſe homo, oculorum iudicio, videatur in lupum conuerſus: Ità ait Leſſius *lib.2.c.44.n.18.* quem ſequitur Thomas del Bene *par.2. de off. inquiſ.dub.227.ſect.3. n.20.*

27 D. verò Auguſtinus *lib.18. de Ciuit. Dei c.18.* refert de quadam regione audiuiſſe: *Stabularias mulieres, imbutas his malis artibus, in caſeo dare ſolere, quibus vellent, ſeu poſſent, viatoribus: vndè in iumenta illicò verterentur, & neceſſaria quæque portarent: poſtque*

Z per-

perfuncta opera, iterum ad ſe redirent: nec tamen in eis mentem fieri beſtialem, ſed rationalem, humanamq; ſeruari. Sicut Apuleius in libris, quos Aſini aurei titulo inſcripſit: ſibi ipſi incidiſſe: vt accepto veneno humano, animo permanente, aſinus fieret, aut indicauit, aut finxit. Poſt hæc dicta ſubdit D. Auguſtinus: *Hæc vel falſa ſunt, vel tam inuſitata, vt meritò non credantur. Firmiſſimè tamen credendum eſt: Omnipotentem Deũ omnia poſſe facere, quæ voluerit: nec dæmones aliquid operari ſecundum naturæ ſuæ potentiam, niſi quod ille permiſerit, cuius iudicia occulta ſunt multa, iniuſta nulla.* Hæc D. Auguſtinus: & poſt pauca iterum ait: *Non ſolum animum; ſed nec corpus quidem vlla ratione crediderim dæmonũ arte, vel poteſtate in membra, vel lineamenta beſtialia veracitèr poſſe conuerti.* Idem teſtatur Chryſoſtomus *homil.29.in Matth.* Iſidorus *lib.8.* Origenes *c.9.* Rabbanus *lib. de magor. præſtig.* & habetur *in c. Non mirum 26. q.5.* D. Thomas *q.6. de potentia ar.5. ad 6. & p. par. q.114. ar.4. ad 2.* D. Bonauentura *2. diſt.7. ar.2. q.2.* & alij.

28 Non tamen eſt negandum quin poſſint dæmones aliquas veras transformationes efficere, applicando actiua paſſiuis: ſic poſſunt efficere ranas, mures, muſcas, & cætera huiuſmodi, quæ ex putri naſcũtur, vt probat Delrius *lib. 2. q.14.* Et forſan etiã animãtia, quę ſunt ex ſemine, infuſo hoc ſemine in vas naturale genituræ. Sed qui ſic naſcitur, nõ erit filius dæmonis, ſed filius illius, cuius erit ſemen.Ità D. Tho. *1. par. qu. 110. & 114.* Alenſis *2. par. q.43. memb. 2.* Leſſius *lib.2. c.44. dub.3. n.18.* Thomas del Bene *de off. inquiſ. par.2. dub. 227. ſect.3. n.24.* & alij. Ideò id quod legimus *Exod. 8. & 9.* de maleficijs Aegyptijs eos feciſſe ranas, & ſerpentes, &c. verè factum fuiſſe, non tantùm apparentèr: vt docet D. Auguſtinus *lib. 20. de Ciuit. Dei c. 18.* Quod autem Ciniphes facere non potuerint: diuino conſilio factum eſt. Vt conſtaret eos nõ Dei virtute operatos fuiſſe, ſed ope dæmonis, cui non ſemper permittitur facere totum id quod poteſt, vt deceptiones eius detegantur.

29 Poſſunt etiam excitare tempeſtates, grandines, tonitrua, fulmina, vẽtos, ijſque lædere, & euertere arbores, ſegetes, animalia, edificia, & ſimilia, vt ex *lib. Iob. c. 1.* euidentèr colligitur. Poſſunt quoque facere inundationes, terremotos ruinas ædium, repentina incendia, poſſunt transferre arbores, & ſegetes de agro in agrum, immò & pomaria integra de loco ad locum, & his ſimilia. Si Deus illis permittat, vt communiter Doctores affirmant.

Quomodo agnoſci poſſunt apparitiones, an ſint à malo, vel à bono ſpiritu?

30 RESp. Agnoſci poſſe à malo ſpiritu eſſe primò: Si ſigno Crucis, vel nomine Ieſu, Beatæ Virginis Mariæ, aut alterius Sancti, vel aqua benedicta, vel ad præſentia ſacrarum reliquiarũ, vel ſacræ imaginis, vel Agnus Dei, vel ſimilium, quibus Eccleſia vti conſueuit contra diabolicas fraudes, diffugiat, & diſpareat. Secundò, ſi aliquid contra fidem, vel doctrinam Eccleſiæ, vel quod ſit à moribus Sanctorum alienũ ſuadeat, vel inſtruat. Tertiò, ſi praua ſit cauſa ſuæ apparitionis, vt ſi imperio alicuius Magi, vel aliqua reuelet, quæ ſint friuola, vel vana, vel noxia. Quartò, ſi excitat mentem hominis, ad ſuperbiam, ad vanam gloriam, ad præſumptionem, ad deſperationem, vel ad aliũ minus ordinatum affectum. Quintò, ſi blandè appareat, & poſteà relinquat merorem, turbationem animi, tenebras, deſolationem, & ſimilia; quia boni ſpiritus eſt, illuminare, ſolari, & tranquillitatem animi afferre. Sextò, ſi prohibeat rem tractari, & conſuli cum Superiore, vel Confeſſario. Septimò, ſi appareat in forma vili, & abiecta. E. g. Æthiopis, ſerpentis, bufonis, canis, & huiuſmodi: vel cum fœtore, tumultu, & horrore diſcedat. Octauò, ſi poſtquã pręſtitum eſt, quod perſuaſit, rurſus friuolis occaſionibus redeat. Dæmones enim varias occaſiones quærunt, vt ſæpè

pè appareant: vndè hæc celeritas eſſe debet ſuſpecta. Ità docent Thyreus *lib. 1. de apparit. ſpirit. c. 16.* Martinus del Rio *lib. 2. q. 26. ſect. 3.* Leſſius *lib. 2. c. 44. dub. 3. n. 25.* & alij.

Magi, & Lamiæ poſſunt ne Dæmonis ope theſauros occultos detegere, et opes mari proiectas, eruere?

31 **R**Ep. poſſe: ſed hoc eis Deus non permittit: quia eſſet maxima ad malum occaſio. Videmus enim omnes penè magos, & lamias eſſe pauperes, abiectos, & miſerabiles, vt obſeruat Leſſius *loc. cit. n. 20.* & addit Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. c. 16. n. 21.* Quod etſi aliquando homines per artem magicam ſubitò ditentur; pecuniæ tamen paulò poſt, vel in carbones, vel in vilem aliquam materiam reſoluũtur. Et ſi interdum pecuniam, non ab ipſis dæmonibus factam, ſed aliundè ſublatam ſuis maleficis conferunt: non diù conſiſtit: vt experientijs conſtare, refert Petrus Phinsfeld *lib. de confeſſ. malef. prælud. 6.* Quia vt ait D. Thomas *in 3. diſt. 22. q. 2. ad 4.* Quæ fiunt per artem dęmonis præter viam naturæ, non ſunt diuturna: nec talia ſunt, vt per naturales cauſas fieri non poſſint. Proprium enim demonis eſt, magis nocere, quàm benefacere; immò nunquam benefacit, niſi vt occaſionem nocendi captet.

Theſaurus arte magica inuentus, ad quem ſpectat?

32 **R**Eſp. Non ſpectare ad magum inuentorem, neque ad Dominum fundi conſentientem, vt tali arte inueniatur. Quia huiuſmodi acquiſitio non ſolùm eſt contra legem Imperialem: quæ quamuis cuique in ſuis locis tribuat facultatem, quærendi theſaurum, & fruendi illo inuento: tamen hoc cōcedit dummodò ſine ſceleratis, & puniendis ſacrificijs, aut qualibet alia arte magica, legibus odioſa, illum quęrat. Sed eſt cōtra legem diuinam, quæ prohibet, nunquam vti poſſe arte magica: quamuis facultatem tribuat, fruendi theſauro, licito modo reperto; cùm iam nullum habeat Dominum. Vndè ſi arte magica reperiatur, pertinet ad Fiſcũ, qui iure illum ſibi vendicat; vt notat Gloſa *in l. vnica, C. de theſauris, in verbo Arte, & in l. 1. ff. de iure Fiſci,* & ità affirmant Leſſius *lib. 2. c. 5. dub. 17. n. 65.* Dicaſtillus *de iuſt. & iur. to. 1. lib. 2. tr. 2. diſp. 9. dub. 15. n. 407.* Diana *to. 6. tr. 6. reſ. 13. n. 4. & reſ. 14. n. 3. ex par. 9. tr. 5. reſ. 12. n. 4. & reſ. 13. n. 3.* & alij.

Theſaurus arte magica inuentus, eſt ne in conſcientia ſtatim reddendus Fiſco, vel poſt Iudicis ſententiam?

33 **R**Eſp. quod Amaya *in Codic. lib. 10. tit. 15. n. 18.* exiſtimat ſtatim eſſe reddẽdum Fiſco: quia ſtatim Fiſcus illum acquirit: nec licet retinere, quod iure poſitiuo, ac etiam diuino prohibetur acquiri. Contrarium verò ſuſtinẽt Nauarrus *c. 17. n. 145. in fin.* Guttierez *de tutel. 3. par. c. 26. & lib. 4. par. 1. q. 36.* Filliucius *to. 2. tr. 31. c. 8. n. 153.* Leſſius, Dicaſtillus, & Diana locis ſupra citatis: exiſtimantes hanc legem eſſe pœnalem, & pœnam nō deberi, niſi condemnatio præcedat. Ideò talis theſaurus poſt Iudicis ſententiam Fiſco reddendus eſt.

Theſaurus arte magica in fundo alieno inuentus, non conſentiente Domino, ſed ipſo inſcio, cui adiudicandus eſt?

34 **R**Eſp. Eſſe adiudicandum per ſententiam Fiſco, tantùm pro ea parte, quæ fuiſſet Magi inuẽtoris. Quia Dominus loci non eſt ſuo iure priuandus ob alterius maleficium. Ità docẽt Leſſius, Dicaſtillus, Diana *vbi ſup.* Malderus *de iuſtit. tr. 1. c. 7. dub. 2.* Ioannes Vuigerſ. *de iuſt. tr. 1. c. 4. dub. 8. nu. 23.* Trullenchus *in decal. to. 2. lib. 7. c. 2. dub. 8. nu. 10.* Hurtadus *de iuſt. diſp. 1. diffic. 157.* Verũ ſi in aliqua Prouincia ſint leges particulares, vel conſuetudines hac de re iuſtè ſeruandę ſunt. Quod autem

tem aliqui dicunt:conſuetudinem eſſe; vt theſaurus vbiuis inuentus, ſit Principis:hoc multi cenſent, non obligare in conſcientia:vt Sylueſter ait, *verb.Inuẽtũ q.3.n.13.* Sotus *lib.5.de iuſt.q.3.ar.3.ad* 2. Leſſius *ibid.* & alij.

Bona fortunæ, arte magica acquiſita, poſſunt ne licitè retineri?

35 RESp. Si conſeruatio iſtorum bonorum pendet ab ipſo dæmone; non poſſunt illa retineri, neq; illorum vſus eſt licitus; quia hoc eſſet, beneficium à dæmone requirere: quod nullo modo fieri poteſt. Si autem huiuſmodi bona ſunt diuitiæ:ſpectandum eſt, an ſint veræ;nàm ſæpè eluſoriæ eſſe ſolẽt: vt ſupra dictum eſt,& tunc non licet illarum vſus. Et ſi conſtat, dæmones illas ab alijs ſurripuiſſe: tenetur maleficus, illas veris Dominis reſtituere. Si uerò neſcitur, dæmonem alicui ſurripuiſſe: potuit enim ex maris profundo, vel ex aliquo theſauro, ſub nullius dominio exiſtente: illas abſtuliſſe; et tunc retineri poſſunt, dùm de furto non conſtiterit. Quia culpa iam ex illa acceptione commiſſa, poteſt per pœnitentiam omninò deleri. Et ſicut lucrum E.g. à meretrice acquiſitum, ſine alicuius iniuria;licet turpiter acquiſitum fuerit, iuſtè poſteà retinetur, maximè mutando vitam, & honeſtè illo vtendo. Ità in præſenti fieri poteſt,& ſeruata proportione,poterit quis illas diuitias retinere, & illis uti, quia in illorum uſu nullam cum dæmone ſocietatem habet: ſed poteſt pœnitere ſocietatis habitæ, & illis uti, ac ſi à Deo ei eſſent diuinitus conceſſæ: quia ex conceſſione dæmonis nullam habẽt maculam. Ità docent Victoria *de magia q.4. n.15.* Suarez *to.1. de relig. lib.2. de ſuperſt.c.17. n. 1. & 2.* Sanchez *c.41.n.2.* Martinus del Rio *lib.2.diſquiſ.mag.q.4.lit.F.* Valentia *2.2.diſp.6.q.13.pun.2. col.5.*

Ars Alchymica,per quam metalla viliora in argentum,vel aurum tranſmutantur fieri ne poteſt naturalitèr, & abſque arte magica?

36 RESp. Opinari aliquos Doctores hanc tranſmutationem metalli vilioris in argẽtum, & aurum fieri poſſe naturalitèr arte Alchymica: & conſequenter à ſuperſtitione, & arte magica eam liberant; Quam opinionem defendit Martinus del Rio *lib. 1. diſquiſ. magic.c.5.q.1.ſect.2. & 3. et q. 4.* contendit: hunc artis vſum licitum eſſe. Sed oppoſitum docent D. Thomas *2. ſent.diſt.7.q.3.ar.1.ad5.* Caietanus *2.2. q.77.ar.2.ad 1.* Valentia *2.2. diſp.6.q. 13.par.2.diffic.ult. uerſ.Eſt igitur tertia ſententia*, Sanchez *lib.2. in decal. c.40. n.50.* Torreblanca *lib.2. de magia c. 4.* Caſtro Palaus *par.3. tr.17.de ſuperſtit. diſp. 1.pun.10. n.17.* Thomas del Bene *par.2.de off.inquiſ.dub.228.ſect.20.* Qui omnes aſſerunt huiuſmodi artem alchymicam,tranſmutãdi uiliora metalla in pretioſiora,vel eſſe impoſſibilem, vel ſaltem indiſcretam,incognitã, pernicioſam, valdè periculoſam, & illicitam. Quod ſit ſupra humanam facultatem; & moralitèr impoſſibilis probatur;quia nulla illarum rerum,quas Alchymici ad dictam tranſmutationem adhibere ſolent,eſt cauſa efficiẽs principalis eiuſmodi effectus: cùm nulla ſit æquè perfecta, vt effectus, qui intenditur. Et quamuis Alchymici aſſerant in ijs rebus eſſe ſemen auri,& argenti,tamen hoc quidem dicunt, ſed non probant. Oportet namque omne ſemen agere in virtute alicuius cauſæ principalis:quàm iſti non poſſunt certo indicare,neque experientia probare. Quia vt ait D. Thomas *loc. cit.* Alchimiſtæ faciunt aliquid,ſimile auro, quantum ad accidentia exteriora;ſed tamen non faciunt verum aurum. Quia forma ſubſtantialis auri nõ eſt per calorem ignis, quo vtuntur Alchymiſtæ,ſed per calorem Solis in loco determinato, vbi uiget uirtus mineralis. Et ideò tale aurum non habet operationem conſequentem ſpeciem auri. Hæc D. Thomas.

37 Eſt

37 Eſt etiam ſtudium iſtud alchymicũ, indiſcretum. Quia contra diſcretionẽ, & prudentiam eſt: ſtudium aſſumere, quod moraliter euidens eſt, nullum eſſe effectum habiturum; & vt optimè notat Caietanus 2.2. *q.77.ar.2.ad* 1. Sæpiſſimè accidit, quod ex verè auro, iſti faciunt fumum:dum multas expenſas faciunt,quæ in fumum reſoluuntur, Eſt etiam huiuſmodi ars incognita: quia ex nulla experientia probari poteſt, aliquem per Alchymiam diuitias locupletaſſe. Eſt Reipublicæ pernicioſa; quia hac vana, & futili ſpe conſequendi diuitias, homines decipiuntur, tempus terunt,pecunias inſumunt, & rebus neceſſarijs non attendunt. Eſt valdè periculoſa: quia eſt multis defraudandi periculis expoſita: & præcipuè, quod in eius operatione Diabolus ſe immiſceat, vt facilius poſſit homines fallere, & ad ſuam voluntatem captare. Et ideò eſt illicita, & grauiſſimis verbis, ac pœnis interdicta à Ioanne XXII. *in extrauaganti ſpondẽt de crimine falſi.* Vbi decreuit Pontifex: *Hanc itaque artem perpetuis volentes exulare temporibus, hac conſtitutione ſancimus:vt quicunque huiuſmodi aurũ, vel argentum fecerint, vel fieri ſecuto effectu mandauerit, vel ad hoc ſcienter, dum id fieret facientibus miniſtrauerit, aut ſcienter, vel auro, vel argento vſi fuerint,vendendo, vel dando in ſolutum: cogantur verum, tanti ponderis,aurum, vel argentum, pœnæ nomine,inferre in publicum,pauperibus erogandum,quanti Alchimichum exiſtat,circa quod eos aliquo prædictorum modorum legitimè cõſtiterit, deliquiſſe. Facientibus nihilominus aurum, vel argentum alchymicum, aut ipſo, vt præmittitur, ſcienter vtentibus,perpetuæ infamiæ nota reſperſis.*

38 His tamen non obſtantibus, Syluester *verbo Alchymia n.* 4. probat. Artẽ alchymicam eſſe illicitam huic vel illi: quia propter ſuam imperitiam exponit ſe periculo conſumendi patrimonium ſuum ſtultè. Et communiter eſt quædã ſtultitia ridiculoſa. Secundum ſe tamẽ nihil continet illicitum; Quia vti naturalibus cauſis ad naturalem effectum, non eſt illicitum de ſe. Nam poteſt fieri ad experiendum, vel ad exercendũ iam experta. Puta ad faciendum aliquod,quod licet non ſit verum aurum, vel argentũ: Eſt tamen aliquid ei propinquum,& nobilius eo, ex quo fit. Et hoc frequenter expertum eſt:Hæc Syluester: & poſt reſponſionem ad rationes in contrarium,concludit: Iſtam artem eſſe illicitam huic, vel illi ratione imperitię, non in ſe; & ità etiam docet Torreblanca *lib.2.de Magia c.4.n.*14.

Licet ne vendere aurum, vel argentum alchymicum pro uero argento, & auro?

39 RESp. cum D. Thoma 2.2.*q.77.ar.* 2. *ad* 1. quem ſequuntur Caietanus *ibi*,& Syluester *verbo Alchymia q.*5. & alij communiter: Non licere illud vendere pro vero: quia veram ſpeciem nõ habet auri, & argenti.Et quia in auro, & argento verò ſunt aliquæ proprietates vtiles: vt cor lætificandi, & medendi aliquas infirmitates; quæ proprietates non conueniunt auro per Alchymiam ſophiſticato. Ideò eius venditio pro vero auro, & argento eſt fraudulenta, & iniuſta.Liceret tamen illud pro non vero, ſed alchymico vẽdere;quia nulla eſſet iniuſtitia,dum vẽderetur pro eo, quod eſt,aut valet. Sicut quotidiæ vendũtur margaritæ, torques, & coralia ſophiſticata. Si autem per Alchymiam fieret aurum, vel argentum verum, non illicitum erit illud pro vero vendere.Ità dicti Doctores.

CAPVT XXV.

De ſuperſtitioſis maleficijs.

Quid,& quotuplex eſt maleficium ſuperſtitioſum?

1 RESp.quòd maleficium eſt ars nocendi alijs auxilio,& poteſtate Dęmonis.Ità Valentia 2.2.*diſp.6.q.*15. *pun.*

*pun.*4. Reginaldus *lib.*17.*n.*175. Clauis Regia *lib.*4.*c.*6.*n.* 23. Filliucius *tr.* 24. *cap.*8.*n.*181. Bonacina *to.*2. *in* 1.*decal. præc.diſp.*3.*q.*5.*pun.*5.*n.*1. & alij. Dicitur ars nocendi, quia maleficium differt à magia, quæ eſt ars ad potentiam Dæmonis oſtendendam. Maleficus autem vtitur artificio Dęmonis, ad nocendum. Diuiditur autem maleficium in duas precipuè ſpecies: nempè in maleficium, amatorium, quo vtuntur malefici, ad flectendos hominum animos ad amorem impudicum: Et in veneniferum, quo vtuntur, ad inferendũ alijs nocumentum: vel in perſona, immittendo ægritudines, ſterilitatem, dolores, & mortem: vel in eorum rebus, deſtruendo vineas, & edificia, aut occidendo animalia: vel excitando tempeſtates, grandines, ventos, & ſimilia. Vt notat Filliucius, Bonacina *loc.cit.* Azorius *par.* 1.*lib.*9.*c.*26.*q.* 1. Martinus del Rio *lib.*3. *diſquiſ. magic. q.*3.*ſect.*1. & alij.

Præbens poculum amatorium, ad tentandam mulierem, poteſt ne illius voluntatem ad libidinem cogere?

2 Reſp. Negatiuè, quia nullius voluntas cogi poteſt, nec ab homine, nec à Demone, ad peccandum. Licet enim vnuſquiſque à Dæmone, & ab homine allici poſſit, ad malum faciendum: nunquam tamen ſi nolit, cogi poteſt, ad conſentiendum. Ergò neque à quocunque poculo, ſeu maleficio amatorio. Vt colligitur ex D. Thoma 1.2.*q.*80.*ar.*1.*&* 3. & expreſsè notat Pegna *in direct.par.*2. *commen.* 68. *verſ. Rurſus.* Bordonus *to.* 1. *c.*19. *q.*1. & communiter docent omnes Doctores.

Quare ergò nonnullæ mulieres, & viri ex violentia magicæ artis, ad turpiter amandum, & ad libidinem deflexerunt, vt dicitur in *l. Eorum, C. de maleficijs*, & refertur ab Azorio *par.*1.*lib.*9.*c.*26.*q.*1. & ab alijs?

3 Reſp. cum eodem Azorio Martino del Rio *lib.*3. *diſquiſ. magic. q.*3.*ſect.*2. *dict.*1. & alijs communiter: Voluntatem nullius cogi poſſe, ad amandum, vel odio habendum perſonam aliquam particularem. Poſſe tamen naturaliter certo poculi, aut cibi genere ſumpto; hominem ad libidinẽ excitari, & ad impudicum amorem inflammari: quia (vt teſtantur Ariſtoteles, Theophraſtes, Dioſcorides, Plinius, Galenus, & omnes, qui eam medicinę partem, quæ in ſimplicium rerũ conſideratione verſatur, tractarunt) ſunt quædam res naturales, vt herbæ, lapides, & ſimilia, quæ amoris, & concupiſcentiæ flammam incendere poſſunt. Eſt enim amor, & concupiſcentia facultatis ſenſitiuæ affectio, quæ vì ſpirituum, & humorum corporis excitari, incendi, & confirmari; & è contra remitti, minui, & extingui, poteſt. Sed nulla eſt in rebus naturalibus facultas, quæ ſuaptè natura, excitet, alliciat, & incendat hominem ad amandum, vel odio proſequẽdum hunc, aut illum certum hominem: vt teſtantur Doctores, Medina *lib.* 1. *de recta in Deum fide c.* 7. Azorius *vbi ſup.* Quod autem excitetur, aut inflammetur ad amorem, vel odium huius, aut illius certi hominis, vis naturalis non eſt in rebus, quæ edũtur, aut potantur. Quis enim credat eſſe herbam, aut lapidem, qui naturali ſua vì, & efficacitate conciliet nobis amores certorum hominum, & non aliorum?

Ergò, dices, nulla eſt vis maleficij amatorij? Quomodò igitur nonnullę mulieres, & viri magicę artis vì, ad amandam certam perſonam deflexerunt?

4 Reſp. quod cum naturaliter fieri poſſit, vt quis ad amandum, & ad libidinem excitetur, & incendatur vì alicuius herbæ, aut lapidis, vel pulueris; Dæmon videns hominem excitatum ad impudicè amandum in vniuer-

uerſum, illum allicit ad amandum hũc, vel illum, & illius imaginem memoriȩ imprimit: ex quo fit vt homo generatim, iam ad amandum, inflãmmatus, & frequenter memoriæ huius, vel illius habens miniſterio dæmonis, alliciatur, & inflãmetur ad hunc, vel illum amandum. Et ità multæ mulieres, ac uiri pertracti ſunt ad certas, ac determinatas perſonas amandas. Igitur ſicut dæmon, quamuis ſit cauſa efficax tentationis, non poteſt tamen neceſſitare hominis voluntatem, ad conſentiẽdum; ità multò magis neq; philtra, ſeu amatorium poculum, aut amatorium maleficium. Ità docent dicti Doctores locis citatis.

Amatorium poculum ad tentandum hominem ad impudicum amorẽ, eſt ne ſortilegium hȩreticale?

5 RESP. Poſſe eſſe ſortilegium hæreticale, & nõ hæreticale. Eſt enim hæreticale primò ſi poculum præbens credat, dȩmonem poſſe, cogere uiri, uel mulieris uoluntatẽ ad impudicè amãdum. Nam hoc credere hæreſis eſt: niſi grauis ignorantia excuſaret. Ità Alphõſus à Caſtro *de iuſta hæreſi punit. c. 15. in fiue*, Pegna *in direct. par. 2. de inuocantibus dæmonem comm. 68. verſ. Rurſus*, Bisfeld. *in comment. leg. 4. Cod. de malef.* Carena 2. *par. de ſortileg. tit.* 12. §. 7. *n.* 51. & alij. Secundò ſi interuenit pactum expreſſum cum dæmone, vel ipſius deprecatiua inuocatio: quia inuocatio deprecatiua eſt actus latriæ: & conſequenter qui verbis deprecatiuis dæmonẽ inuocat, ſortilegium committit hæreticale. Ità Eymericus *in direct. par. 2. q. 43.* Pegna *commen. 68. verſ. Verum plurimum*, Carena §. 10. *n.* 60. & alij apud ipſos. Tertiò, ſi in poculo amatorio interuenit abuſus Sacramentorum, vel ſacramentalium, aut verborum Sacræ Scripturæ, aut reliquiarum Sanctorum: eſt etiam ſortilegium hæreticale manifeſtum. Ità Riccius *in praxi fori Epiſcop. tit. de hæreſi reſ.* 424. *nu.* 11. Biſpheld *vbi ſup. q. 2. concluſ.* 5. Carena *loc. cit. n.* 50. & alij communiter.

6 Si autem nullum cum dæmone interuenit pactum expreſſum, nec abuſus Sacramentorum, vel ſacramentalium, vel verborum Sacræ Scripturæ, nec ipſius dæmonis inuocatio deprecatiua, nec præbens amatorium poculum, credat, dæmonem poſſe cogere viri, vel mulieris voluntatem ad amorem impudicum: non eſt ſortilegium hereticale. Quia tunc poſtulatur dæmonis auxilium, ad tentandum, quod eſt ipſius proprium, & nullam dicit, neq; arguit hæreſim. Ità Pegna *dicto commen. 68. verſ. Si verò*, Farinacius *q.* 181. *nu.* 85. Graffius *par. 1. lib. 2. c. 5. n. 8. &* 22. Carena *par. 2. tit.* 12. §. 7. *n.* 48. & alij.

Eſt ne licitum vti maleficio ob finem bonum: E. g. ne fructus terræ, vi ventorum, vel grandinum diſſipẽtur, vel ne locuſtæ, & bruchi pratis, & oleribus noceãt, vel ne delictum remaneat non verificatum, & impunitum, & ſimilia?

7 RESP. Negatiuè, quia inuocare dæmonis auxilium per maleficium, etiam ordinatum ad bonum finẽ, eſt intrinſecè malum; vt docet D. Thomas 4. *diſt. 34. q. vnica ar. 3. ad 3.* & D. Paulus *Roman.* 3. ait: *Non eſſe facienda mala, vt indè eueniant bona.* Et quamuis *in l. Eorum 4. Cod. de maleficijs, & in l. reg. 3. t. 23. p. 7.* vt tradit Azorius *in tract. de maleficijs*, excuſentur malefici bona fide maleficia exercentes, ne fructus terræ vi ventorum, vel grandinis abſumantur: Nihilominùs iſtæ leges intelliguntur, vt Bartolus ibi, Salicetus, & alij interpretantur; quod hoc delictũ vacet pœna ciuili; non autem quod careat culpa mortali. Ità Sanchez *in decal. lib. 2. c. 41. n. 3. & lib. 7. de matr. diſp.* 95. *ar.* 1. Carena *par. 2. tit.* 12. §. 5. *n.* 30. & alij.

Licet ne Dȩmoni petere, vt ceſſet maleficio vexare?

8 Reſp. Negatiuè, quia, quamuis ceſſatio

ſatio illa in ſe ſit bona: tamen illam à dæmone poſtulare, & non vti exorciſmis Eccleſiæ,& Dei nomine, eſt intrinſecè malum. Quia inuoluit pactum, & ſocietatem cum ipſo dæmone,& quendam eius cultum. Nam nō minor cultus eſt, rogare dæmonem, vt aliquid nō faciat, quam rogare vt faciat. Neque etiam ad hoc poteſt quis vti imperio erga dæmonem: quia omnis amicitia, ſeu ſocietas cum ipſo, prohibita eſt, & intrinſecè mala. Ità docent Sotus 4. *diſt.34.q.vnica ar.3.col.4. verſ. Quod ſi quis*, Suarez *to.1.de relig.lib.2.de ſuperſtit.c.18.n.5.& 8.* Sanchez *in decal. lib.2.c.42.n.17.* Delrius *lib.6.c.2.ſect.1. q.2. diſt.4.* & alij.

Eſt ne aliquando licitum maleficium maleficio tollere?

9 RESp. Negatiuè; quia ſemper hoc eſt intrinſecè malum; ad tollendum enim maleficium maleficio, neceſſariò interuenit dæmonis inuocatio. Ergò nūquam tali remedio aliquis vti poteſt, vt cum D. Thoma 4. *ſent. q. vnic.ar.3.ad 3.* docent ſupradicti Doctores, & alij communiter.

Ad maleficium tollēdum eſt ne mortale peccatum, vti medijs vanis, & non naturalibus?

10 RESp. Affirmatiuè, quia cum media vana, nullam habeant virtutem naturalem, ad maleficium tollendum, non carent ſuperſtitione. Quia nō adhibentur, vt cauſæ: dum nulla virtus, ad illum effectum operandum, in illis ineſt: Ergò adhibentur vt ſigna, quæ cum non ſint diuina; quia non ſūt Sacramenta, nec ſacramentalia; conſequenter ſunt ſigna pacti occulti cum dæmone. Confirmatur, quia Deus non delectatur vanis medijs, ſed dæmon: vt notat D. Thomas 2.2.*q.96. ar.2.* Ergò in dæmonis honore cedunt. Ità docent Sanchez *lib.7.de matrim.diſp.95.n.3.et 5.* Bordonus *to.1.c.19. n.11.* Nauarrus *c.11.n.25.* & alij.

Licet ne petere à malefico parato, maleficium maleficio ſoluere, vt maleficium ſoluat?

11 RESp. Opinari Aureolam 4.*diſt.34. q.2.* Angelum *verb. Superſtitio n.13.* eſſe licitum: quia petens maleficij ſolutionem, non videtur, ad peccatum inducere maleficum, ſed potius eo vti, ad ſalutem cōparādam. Sicut licet petere mutuū ab vſurario parato, vel iuramentum ab infideli parato ad iurandum per idola. Sed hæc opinio communiter à Doctoribus reijcitur: & vt notat Sanchez *lib.7.de matrim.diſp.95. n.7.* à multis tanquam erronea extimatur. Primò, quia eſt contra legem naturæ, quæ obligat omnes ad fidem, & reuerentiam Domino Deo: Sed non eſt Deo fidelis, qui ab eius inimico petit, aut accipit auxilium, etiam ſi ille paratus ſit auxiliari: Hoc enim eſſet amicitiam habere cum illo, cùm naturale ſit, amare benefactorem. Maleficus autē, diabolica virtute maleficium ſoluit, quod, vt ſupra dictum eſt, per ſe, & intrinſecè malum eſt. Ergò nullo modo licet petere à malefico parato maleficium maleficio ſoluere, vt illud ſoluat. Secundò, quia eſt contra legem Dei. Deus enim præcepit *Leuit. 20. Anima, quæ declinauerit ad magos, & ariolos, ponam faciam meam contra illam, & interficiam illam.* Malefici enim parati ſunt exercere opera diaboli. Tertiò eſt etiam contra ius canonicum, prohibens non ſolùm ſuadere maleficum, vt maleficia faciat: ſed etiam ad illius domū accedere, vt *in c. Non obſeruetis 29. q.7.* Ergo etiam ſi paratus ſit maleficium maleficio tollere, nequit aliquis ad eū accedere: vt illud tollat. Quartò eſt etiā contra ius ciuile prohibens maleficos conſulere, vt *in l. Nullus, & in l. Nemo, & in l. Culpa, Cod. de maleficijs.* Ergo quantumcumq; malefici parati ſint, nō licet eorum operibus, & maleficijs vti, ad tollenda maleficia; cùm ſit uſus artis magicæ, & expreſſa, uel tacita dæmonis inuocatio ad effectum obtinendum. Ideò ſicut nullo modo peti poteſt,

teſt,ut fiat,ità nec petere, aut conſentire,vt tollatur.Ità docent Albertus Magnus *4.diſt.34.ar.9.*& ibi Sotus *q.unic.ar.3.col.*5.Abulenſis *in c.19. Matth. q.90.ad* 3.Bannes 2.2.*q.*78. *ar.*4. *dub.*2. *ad* 4.Petrus de Ledeſma *de matrim. q.*58.*ar.*2.*dub.*2. Syluester *uerb. Maleficium q.*8.Leſſius *lib.*2.*c.*44.*dub.*6.*n.*35. & alij, quos citat, & ſequitur Sanchez *loc.cit.*Suarez *to.*1.*de relig. lib.*2. *de ſuperſt.c.*18.*n.*4.*&* 6.Thomas del Bene *to.*2.*de off.inquiſ.dub.*229.*ſect.*1.*n.*20.

Quare licitum eſt petere mutuum ad vſuram ab vſurario,dare parato, & iuramentum ab infideli, qui paratus eſt iurare per falſos Deos; Et non licet exigere à parato ſoluere maleficium maleficio, vt maleficium tollat?

12 Reſp.Quia petẽs mutuum, aut iuramentum, petit,quod licitè fieri poteſt:non enim petit vſuram,aut iuramentum per falſos Deos;ſed mutuũ, aut iuramentum.Sed tam mutuum,quã iuramẽtum ſine vllo peccato fieri poſſunt, ſi velint illi, à quibus petuntur. Quia ergo res petita ex ſe licitè fieri poteſt: illam petens,non petit peccatũ: nec cooperatur peccato alterius; ſed ſuæ neceſſitati conſulit: alter verò ſua malitia illicitè operatur. At petens à mago, parato maleficiũ maleficio ſoluere,petit rem intrinſecè malam: qualis eſt dæmonis inuocatio per pactum tacitum,vel expreſſum. Et conſequenter cooperatur alterius peccato, dùm ab illo petit,quod per ſe peccatum eſt. Ità communiter Doctores. Qui etiam addunt: neq; eſſe licitum petere à tali malefico ſolutionem maleficij, non explicando vt maleficio ſoluat;quia petitur res, quàm licitè præſtare non valet,cùm ſit per ſe,& intrinſecè mala.

Si unicuique licitum eſt, rem ſibi furtiuè ablatam,vì eripere,quando alitèr illam recuperare nequit. Quare ſimilitèr maleficiatus non poteſt, non ſolùm precibus, ſed etiam vì à malefico ſalutem perditam extorquere?

13 Reſp. Remigium *lib.3. dæmonod. c.* 3. ſuſtinere,quod non licet precibus ſolutionem maleficij à malefico petere: quando conſtat eum neſcire ſoluere abſque maleficio; licere tamen eam vi extorquere, tum ob dictam rationem; tum quia illa extorſio caret omni pacto cum dæmone,& in eius dedecus cedit. Sed hæc ſententia,ut omninò falſa ab alijs Doctoribus impugnatur. Quia licitum eſt, rem, furtiuè ablatam, violentèr eripere; nam non cogitur alter ad rem malam faciẽdam, ſed coactè rem bonam facit, ad quam ex iuſtitia tenetur. At non licet vì extorquere ſalutem ſibi à malefico ablatam; quia talis extorſio eſt intrinſecè mala,quia cedit in dæmonis honorem; cùm cogatur maleficus, dæmonis ope, & inuocatione, maleficium maleficio ſoluere: Ità Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.*95.*n.*9.Delrius *lib.*6. *diſquiſit.magic.c.*2.*ſect.*1.*q.*2.*pag.*6. Suarez *to.*1. *de relig.lib.*2.*de ſuperſtit.c.*18.*n.*7.Nec militat dicere,quòd coactio inhonorat,& expers eſt pacti cum dæmone. Quia licet cogere non ſit honorare; nihilominùs non ideò non eſt moralitèr, & efficacitèr cauſare crimen illud, ad quod faciẽdum alter cogitur. Et ſi non licet, etiam paratum, inducere aliquo modo ad peccandum; quonam modò licitum eſſe poteſt,illum cogere, ad malum faciendum,quando alius inuitus eſt,& à tali crimine alienus? Immò grauius eſt peccatum: nàm grauius peccat qui alium cogit ad peccandum, quàm qui precibus illum inducit.

Ex quibus ſignis argui poteſt aliquem eſſe maleficio læſum?

14 Reſp. quod Martinus del Rio *lib.* 6.*diſquiſ. magic.c.*2.*ſect.*1. *q.*3. *verſ.Quoad ſigna*; refert, nonnulla huiuſmodi ſigna, iuxtà mentem Zaccha-

riæ Vicecomes *par. 1. de arte exorciſt. doctrina* 5. & aliorum, quorum potiſſima ſunt. Primò, quãdo remedijs, ab expertis Medicis adhibitis, morbus non remittitur, ſed potius exaſperatur, & augetur. Secundò, quãdo morbus, non ſicut cæteri naturales, paulatim creſcit, ſed ſtatim ab initio, nullis humoribus peccantibus in cauſa exiſtentibus, cum grauiſſimis ſymptomatibus, & doloribus, corpus offendit. Tertiò, ſi valdè inconſtans ſit morbus, & rarò ſuos periodos ſeruet; & licet ſimilis videatur naturalibus morbis, tamen ab illis diſcrepat; & multoties licet ægrotus grauiſſimè doleat, in qua tamen parte corporis doleat, referre neſcit. Quartò, aliqui habent puncturas cordis, tanquam ſi acubus eſſet punctum, vel videntur ſibi cor rodi, vel magnum habent in corde dolorẽ, aut in alia corporis parte, itaut eis videatur à canibus lacerari. Quintò, alij ſuſpiria luctuoſa abſque manifeſta cauſa, & formidabiles clamores, & mugitus coguntur emittere. Sextò, alijs ligata eſt vena generationis, alijs per ventrem diſcurrit ventus frigidiſſimus, aut calidiſſimus tanquam ignis: alij cibos reuomunt, & ventriculum ità malè affectum habent, vt ſæpius aſtrictione laborent, vel etiam pondus quodam in ipſo, modò aſcendere, modò deſcendere percipiant. Septimò, tandem morbi, quibus alij laborant ſunt, vel totius corporis quædam extenuatio, & macies, vel uirium imbecillitas cum ſummo languore, vel quædam mentis ſtupiditas, ac varia melanconica deliria, vel diuerſa febriũ genera Medicis ignota, vel motus quidam conuulſiui, vndè æpileptici videntur, vel quædam rigiditas membrorũ, ſpeciem conuulſionis præſeferens, vel omnis capitis partes tumeſcunt, vel talem circa totum corpus laſſitudinem patiuntur, vt vix mouere ſe poſſint, vel plerumq; tota cutis, & vt plurimum facies cinereo colore ſuffunditur, vel oculos habent perlucidos, & traſparẽtes, aut palpebras ità aſtrictas, vt eas vix aperiant, & nonnunquam nebulam, vel quædam ſpectra inſpicere videntur, & nonnulli torué intuentur: vel faciem Sacerdotis aſpicere nolunt; & cùm ad eos videndos accedunt, ingenti moleſtia afficiuntur: et quando pro curatione morbi quædam linimenta ſacra, ad oculos, aures, frontem, aut caput, Sacerdos adhibet, in partibus illis ſudor, vel aliqua mutatio apparet. Hæc & alia, ſigna ſunt maleficij.

Eſt ne licitum petere à malefico, ut maleficium ſoluat, deſtruẽndo ligaturas, nodos, uolumina capillorum, & alia ſigna, ex quibus maleficium per Dęmonis pactum dependet?

15 RESp. Affirmatiuè, immò cuique licet, illa ſigna, vbi inuẽta fuerint, deſtruere. Eſt communis omnium Doctorum ſententia. Quia ſimplex diſſolutio, ſeu deſtructio maleficij, prius facti non eſt opus malefici, vt maleficus eſt; ſed hominis ſcientis impedimentũ boni alterius. Et hic nulla euenit dæmonum inuocatio; ſed ſola diſſolutio ſigni: quo durante, dæmon ſtatuerat, malum alterius continuare. Vndè Sotus 4. *diſt.* 34. *q. vnic. ar.* 3. optimè ait: Ridiculum eſſe quærere, an liceat tollere maleficium, intentione curandi maleficiatum. Non enim ſolum licet, ſed eſt meritorium, deſtruere opera diaboli. Et ità etiam ſuſtinent Caietanus *to.* 2. *opuſc. tract.* 12. *c.* 44. *dub.* 6. *nu.* 36. Suarez, Sanchez, & alij *vbi ſup.*

Magus, qui maleficium fecit, & poteſt illud deſtruere abſque nouo maleficio, & noua Dęmonis inuocatione; poteſt ne cogi, ad illud deſtruendum?

16 RESp. Affirmatiuè, quia tunc modo licito maleficium tolleret, & in tali caſu licet, vim vi repellere, & cogere maleficum, vt nocumentum ceſſare faciat, dùm ſine peccato optimè poteſt:

teſt: quia non inducitur ad malum, ſed ad bonum, ex iuſtitia debitum. Ità Leſſius *lib.2.c.9.dub.8.nu.*48. Suarez *to.*1. *de relig.lib.2.de ſuperſt.c.*18.*n.*7. & alij.

Eſt ne licitum petere à malefico, ut maleficium ſoluat, ſi poteſt modo licito illud ſoluere; ſed conſtat petenti, illum, modo illicito fore utendum?

17 RESp. quod, quamuis Caietanus *to.* 2. *opuſc.tract.* 12. *de malefic. q. unica in fin. cap.* Delrius *lib. 6. diſquiſ. magic.c.2.ſect.*1. *q.*2. *pag.*4. opinentur, non licere petere à malefico, ſciente media licita, ad maleficium tollendum; quando petens eſt moralitèr certus, quod maleficus modo illicito vtetur: quia non licet, relinquere arbitrio hominis diabolici petitionem propriam. Tamen Petrus de Ledeſma *de matrim. q.*58.*ar.*2.*dub.*2. Sanchez *de matr. lib.* 7.*diſp.*95.*n.*12. Suarez *to.*1. *de relig.lib.* 2.*de ſuperſt.c.*18.*n.*9. Bordonus *to.* 1. *c.* 19. *de ſortileg. quæſ.*7. & alij ſuſtinent. Licitum eſſe, petere à tali maleſico abſolutè, vt maleficium ſoluat; etiamſi conſtet petenti, quod modo illicito vtetur. Quia petitur res, quæ licitè præſtari poteſt, à malefico. Quod ſi ille poſtea modo illicito maleficium diſſoluit, ei ſoli imputãdum eſt: quia ex propria malitia medium illicitum, relicto licito elegit. Nec petens ſolutionem maleficij cooperatur eius peccato, quia petit rem licitam, quam ille licitè præſtare poteſt, ac debet: & illius malitia, petẽti nocere, non debet. Sicut licitum eſt petere ab vſurario mutuum, & ab infideli iuramentum, quando petẽs eis indiget: quamuis ſciat, quod ille ſub vſuris mutuet, & infidelis per falſos Deos iuret. Nec oportet illis explicare, vt modo licito faciant; dùm vterq; modo licito vti poteſt, & ſua culpa illicito vtitur. Ità eadem ratio militat in caſu noſtro. Nam petitur à malefico ſolutio maleficij, quam poteſt modo licito ſoluere, nempè auferendo ſignum: Si verò alio maleficio hoc faciat, ſibi imputandum eſt. Ità docent dicti Doctores, Sanchez, Suarez, Bordonus, & alij.

Poteſt ne permitti, ſolutionem maleficij ab eo fieri, qui nolit, niſi per aliud maleficium illud ſoluere?

18 RESp. Si petens acceptat talem maleficij ſolutionem, vel directè conſentit, & influit in nouum maleciam; certum eſt, non poſſe, & peccare mortalitèr, ſic petendo: quia cooperatur alterius maleficio. Sed ſi petens ſe habet, tantùm permiſſiuè, & ſine ſuo conſenſu, ille modo illicito, maleficium ſoluit; non peccat illud permittendo; vt ſibi in neceſſitate conſulet. Permittere enim non eſt, cooperari alterius peccato. Ità Sãchez *lib.*7. *de matrim.diſp.*95. *n.*12.*& in decal.lib.*2. *c.*41. *nu.*14. Bordonus *to.*1.*c.*19.*de ſortil.q.*7.*n.*9.*&* 10.

Poteſt ne alter maleficus interrogari, an ſciat, in quo conſiſtat maleficium, ut illud deſtruatur?

19 RESp. Si maleficus ignoret illud maleficium, itaut indigeat dæmonis inuocatione ad illius notitiam habendam. Et induci non poteſt, ad illud per ſuam artem inueſtigandum, & ſciendum. Quia hoc eſſet, maleficum inducere, ad aliud maleficium; quo mediante, illud primum à dæmone addiſcendum eſſet. Si uerò maleficus iam à dæmone hoc ſciuerit: licebit eum interrogare, & ea ſcientia uti: ad deſtruẽdum maleficij ſignum. Quia quamuis peccatum ſit, notitiam alicuius rei à dæmone procurare; at ea ſemel habita, non eſt peccatum, ea uti. Ità docẽt Sãchez *in decal.lib.*2.*c.*42.*nu.*20. Delrius *lib.*9.*diſquiſ.mag.c.*2.*ſect.* 1.*q.*2. Fagundez *in decal.lib.*1.*c.*43.*n.*13.

Si petens dubius ſit; an maleficus ſciat, uel poſſit, licito modo maleficium ſoluere: eſt ne ei licitum, ſolutionem maleficij ab eo petere?

20 RESp. Negatiuè: quia quando dubitatur, an aliquid fieri poſſit, illud nec fieri, nec peti, nec conſuli poteſt, vt fiat; eſſet enim ſe exponere periculo peccandi, & Deum dehonorandi. Et ideò tunc tutior pars eſt eligenda; alioquin oſtenderetur, pluris æſtimari proprium affectum, quàm Dei honorem. Inſuper, vel hæc petitio fieret alicui, qui auctor maleficij non fuit. Et ab eo talis petitio fieri non poteſt; quia cenſendum eſt: maleficum moraliter neſcire, maleficium ſine alio maleficio deſtruere. Vel fieret eidem malefico, qui maleficium fecit; Et tunc interrogandus eſt de medio, quo vti voluerit. Et ſi renuat illud manifeſtare, ſuſpicandum eſt: ut velle medio ſuperſtitioſo, & noua Dęmonis inuocatione; Et conſequenter deſtructio maleficij eſt illicita. Quia cum conſtet illum eſſe meleficum, & miniſtrum Diaboli, præſumendum ſemper eſt contra illũ. Si autem medium explicaret, tunc cõſiderandum eſt; an ſit licitum, vel non; Et ſic non erit amplius dubium an licitè poſſit maleficium ſoluere. Nam ſi licitè; id poteſt peti. Si verò illicitè; peti non poteſt. Ità docent Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 95. *n.* 13. *&* 14. Delrius *lib.* 6. *c.* 2. *ſect.* 1. *q.* 1. *&* 2. *dict.* 4. Leſſius *lib.* 2. *c.* 44. *dub.* 6. *n.* 46. Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. c.* 18. *n.* 8. Thomas del Bene *to.* 2. *de offic. Inquiſ. dub.* 229. *ſect.* 1. *à n.* 23. Fagundez *in decal. lib.* 1. *c.* 42. *n.* 15.

Eſt ne licitum maleficium tollere, ſi adſit pactum cum Dæmone, illud non tolli ſine malefici, vel alterius tertij graui damno?

21 RESp. Affirmatiuè: quia maleficiũ auferens, nulla ratione ad damnum malefici, vel alicuius tertij concurrit; ſed ſolum maleficiato conſulit, auferendo licito modo maleficij ſignũ: Damnum autem tertij, aut malefici, eſt præter ſui intentionem, nec ſequitur ex ipſa ſigni remotione; ſed ex Dęmonis pacto; cui nullatenus ipſe cooperatur, & per accidens ex illo actu ſequitur. Inſuper damnum tertij futurũ non eſt ità certum, ſicut eſt illud maleficiati: Et ideò magis quis debet conſulere bono innocentis, actu patientis; quàm illius malefici, vel tertij innocẽtis, non tam certò paſſuri. Sicut Doctores communiter admittũt: eſſe licitum præbere mulieri grauidæ medicamentum ad ſuam ſalutem tuẽdam, ordinatum: quamuis inde, præter ſui, àc medici intentionem, ſequatur periculum proli. Ità docent Duardus 4. *diſt.* 34. *diſp. vnica pag. vlt.* Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 96. *n.* 5. *&* *lib.* 2. *in decal. c.* 41. *n.* 21

Si Dæmonis pactum cum malefico ſit: Si hoc ſignum puſueris, nocebo; ſi autẽ loco illius talẽ rem poſueris, nõ amplius nocebo. Eſt ne licitum, nè amplius Dæmon noceat, rem illã, ab ipſo ordinatam, ponere, ad maleficium tollendum?

22 RESp. Affirmatiuè: Quia licitum eſt facere id, quo poſito, deſtruitur Dæmonis pactum nocendi, & ipſe deſinit, maleficiatũ offendere. Hoc enim non eſt ſignum pacti noui, ſed euerſio, & impedimentum antiqui. Nec refert, quòd Dæmon ipſe ſtatuit, vt tali re interueniente, pactum præcedens expiret: Quia licitum eſt facere aliquid, quod per ſe indifferens eſt, vt Dæmonis pactum expiret, & nocumentum ceſſet. Hoc enim non fit per modum deprecationis, aut affectu aliquo beneuolentiæ erga ipſum Dæmonem; ſed fit animo, & intentione deſtruendi artẽ illius, & tollendi ſignum, cui Dæmon aſtrictus eſt, ad nocendum, quod per ſe omninò licitũ eſt: nec expectatur vllus effectus poſitiuus ab ipſo; ſed ſolũ ceſſatio à malo; qualis effectus expectari poteſt, dummodò non ex amicitia expectetur. Confirmatur. Nàm ſi Dęmon dediſſet pro ſigno, ſe nociturum tali homini, quandiu ille non habuerit tales reliquias appenſas in collo. Nun-

Nunquid propter prauam dæmonis conditionem non licebit illas, in collo geſtare? Licebit utique, non ſolum propter ſanctitatem ſpecialẽ reliquiarum, ſed etiam ad deſtruendum ſignũ, à dæmone datum. Ergo ſimilitèr licitum eſt, ad deſtruendum maleficium, & vt ceſſet dæmonis pactum, aliquid facere, quod de ſe non ſit illicitum. Exemplis oſtenditur. Sit pactum cum dæmone: Quamdiù hæc olla è terra non extrahatur, & loco illius lapis ponatur. E.g. non ceſſabit maleficium: licebit ollam eruere, & loco illius lapidem ponere. Item ſi maleficus aliquem à tergo percuſſerit, erit ille maleficiatus; ſed ſi ille maleficum repercuſſerit, ceſſabit maleficium: licitum erit maleficum repercutere. Item ſi domo egreſſus fuerit per talem ianuam, maleficio ligabitur, ſi autem per aliã talem intrauerit, maleficium ſoluetur: licebit per illam aliã ianuam intrare. Item ſi annulum geſtauerit in tali digito ægrotabitur, ſed ſi illum indè extraxerit, vel illo alium digitum ornauerit, continuò ſanabitur: licebit annulum extrahere, vel illo aliũ digitum ornare. Et ſimilia. Modo hæc omnia fiant, non animo colendi dæmonem, nec affectu amicitiæ erga illum; ſed deſtruẽdi pactum illius, & ex odio erga ipſum. Multa enim quotidiè facimus, vt dæmon aliquid non faciat, vel ceſſet facere, non ſolùm coactus diuina poteſtate, ſed etiàm quaſi offenſus, & abhorrens. Vt dum vtimur aqua benedicta, dum benedicimus domum, &c. Cur non etiam licebit aliquid facere, quo poſito, finitur pactum prauum, & & dæmon deſinit nocere? Ità docent Syluester, *verb. Maleficium q.9.* Hoſtiẽſis *in cap. Literæ, §. Mulieres de frigid. et malefic.* Suarez *to.1. de relig. lib.2. de ſuperſtit. c.17. n.16. & 27.* Leſſius *lib. 2. c.44. dub.6. n.45.* Sanchez *lib.7. de matr. diſp.96. n.3.* Fagundez *in decal. lib.1. c. 43. n.6.*

Maleficium tollere modo ſupradicto, eſt ne non ſolum licitum, ſed ſub præcepto?

23 Reſp. Affirmatiuè, vel ex iuſtitia, vel ex charitate. Nam maleficus, qui pactum cum dæmone fecit, & ſignũ poſuit, obligatur ex iuſtitia: quia tenetur, non inferre damnum alteri, & reſarcire damnum illatum. Ergo tenetur ex iuſtitia reſcindere pactum cum dæmone, & auferre ſignum maleficij modo licito, ne ſit cauſa, vt alter malum patiatur. In alijs verò non eſt hæc obligatio ex iuſtitia, ſed ex charitate. Vndè ſi alicui conſtet de maleficio, & de modo, quo deſtrui poteſt: tenetur ex charitate illud deſtruere: quia vnuſquiſq; tenetur, ſubuenire proximo, neceſſitatem patienti, & impedire eius damnũ, dum commodè poteſt. Ità Suarez *dicto c.17. n.13.* Fagundez *c.43. n.12.* & alij.

Maleficium committens, vel committere faciens, tenentur ne, ad reſtitutionem damni illati?

24 Reſp. Affirmatiuè: quia, quamuis à dæmone damnum inficiatur, tamen maleficus, & maleficium petens ſunt cauſa, vt maleficiatus à dęmone ipſo damnificetur in eius ſalute, aut vita, vel in alijs eius bonis temporalibus: Et qui cauſam damni dat, damnum feciſſe cenſetur. Ergò tenentur ad reſtitutionem: ſicut tenetur, qui per aſſaſſinum alium interficit, vel eius bona dilapidat. Ità ſupradicti Doctores, & alij communiter.

Hæc reſtitutionis obligatio extinguitur ne, ſi maleficus corporaliter puniatur. Et ſi morti damnetur, tranſit ne ad eius hæredes?

25 Reſp. Obligationi reſtitutionis nõ extingui, ſed ad hæredes tranſire; quia per pœnam illi illatam, ſatisfit Reipublicæ, & iuſtitiæ legali, non parti læſæ, nec iuſtitię commutatiuè. Et ideò nec etiam rei morte extinguitur reſtitutionis obligatio; ſed tranſit ad hæredes, qui etiam reſtituere tenẽtur. Iuxtà *c. In litteris, de raptoribus, & c. vlt. de ſepult.* Et ſi ad Fiſcum peruenerunt malefici

leſici bona, Fiſcus tenetur damna illata reſtituere. Iuxtà *l. Non poſſunt, & l. In ſumma, ff. de iure Fiſci.* Quia quæ æri alieno obnoxia ſunt, in bonis defuncti, non computantur, ſed cum alijs debitis communia ſunt: vt notat Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſt. c. 14. n. 12.*

Qui aliquod bonum, ſiue corporis, ſiue fortunæ ex vſu magię à Dæmone acquiſiuit, ad quid tenetur: & poteſt ne illud retinere?

26 RESp. certum eſſe, quod tenetur, de commiſſo crimine pœnitentiam agere, & remedia adhibere, ne in poſterum illud committat. Poteſt autem illud bonum honeſtè retinere, & humano modò vti; dummodò per talem acquiſitionem nulli facta ſit iniuria, nec illius boni conſeruatio à dæmonis opere pendeat. Quia culpa commiſſa, per pœnitentiam, poteſt omninò deleri; & bonum acquiſitum, nullam habet malitiam ex ſe: vt ſupponitur: & dùm eſt abſque alterius iniuria, nulla eſt reſtitutionis obligatio; & in illo retinendo, non eſt aliqua moralis inordinatio. Ideò quamuis per iniquam ſuperſtitionem, & magiam comparatum ſit, non tenetur quis, illud deſtruere: ſed poteſt illo honeſtè vti, & retinere. Sicut lucrum acquiſitum à meretrice ſine alterius iniuria, etſi turpiter acquiſitum ſit, licitè retineri poteſt, honeſtè illo vtendo; vt notat Suarez *to. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſt. c. 17. n. 1.*

27 Dixi: dummodò talis boni acquiſitio ſit abſq; alterius iniuria: Quia ſi bonum acquiſitum ſit pecunia, vel quid ſimile, contingere poteſt; vt per rapinã alteri ſublatũ ſit à dæmone. Ipſe enim non poteſt uerum aurum efficere, & ſępè vt det vni pecuniam, ab alio ſurripit. Quod ſi conſtet poſſidenti, obligatus eſt ad illam Domino reſtituendã. Si uerò hoc ei non conſtet, illam retinere ſibi poteſt; quia potuit dæmon illam abſtuliſſe, vel ex aliquo theſauro in terris recondito, vel ex profundo maris exiſtente.

28 Dixi etiam: dummodò conſeruatio huius boni nõ pendeat ab ipſo dæmone. Nam ſi alicui eſſet per magiã. E.g. ſanitas reſtituta, non abſolutè, & ſimpliciter: ſed cum onere conſeruandi illam tali, vel tali remedio ſuperſtitioſo; non licebit tali remedio uti, ad conſeruandam ſanitatem: ſed potius neceſſe erit, ſalutem perdere, quàm tali medio illam conſeruare. Si autem ſanitas eſſet abſolutè, & ſine tali onere acquiſita: certum eſt, non eſſe abijciendã: quamuis per ſuperſtitioſum remedium, & cũ pacto dæmonis etiam expreſſo, acquiſita fuiſſet. Tunc enim ſufficit, de peccato pœnitere, & ſanitatem non à dæmone, ſed à Deo cognoſcere. Omne enim bonum decurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Nam Deus aliquando mala permittit, vt beneficia conferat. Et ideò ab ipſo ſemper ſunt recognoſcenda. Itá etiam docet Suarez *loc. cit. n. 2. & 3.* Et idem dicendũ eſt de ſcientia naturali, de cognitione herbarum, & alijs fortunæ bonis: quæ licet malè acquiſita ſint, ſi poſtea ceſſet omninò pactum cum dæmone, licitum eſt illa retinere, & honeſtè vti. Secùs autem quando pro eorum conſeruatione eſt adimplenda aliqua vana circumſtãtia; quia tunc ſignum eſt requiri continuationem pacti cum dæmone ſaltem taciti, & impliciti.

CAPVT XXVI.

De licitis remedijs contra maleficia.

Quibus remedijs licitè vti poſſumus ad expellenda maleficia?

1 RESp. quod maleficia expelli, & deſtrui poſſunt remedijs naturalibus, ſupernaturalibus, & moralibus. Remedia naturalia ſunt, quæ à Medicis opportuna iudicantur. Interdũ enim effectus maleficij à magia non pendet, quamuis à magia fuerit cauſatus. Et tunc de illis iudicandum eſt, ac ſi ex

ſi ex aliqua cauſa naturali eſſet factus. E. g. Si effectus maleficij ſit ægritudo, uel capitis læſio, uel impotentia generandi, vel aliquid ſimile. Ad Medicos ſpectabit iudicare: an talis effectus ſit phyſicè incurabilis, vel ſi curari poſſit, & quæ remedia adhiberi poterunt. Sæpè enim dæmon in maleficijs vtitur humore malinchonico, aut bilioſo, vel alia corporis intemperie. Et ideò ſi à corpore maleficiati expellantur praui humores, quibus vtitur dæmon ad illũ vexandum: etiam ſubtrahitur dæmoni materia uexandi, & nocendi. Remedia etiam naturalia ſunt quædam res, à quibus dæmon abhorret, vt à ſignis eius abiectionis, qualia ſunr ruta, ſulphur, fumus, lana combuſta, & ſimilia. Ità notat Martinus del Rio cum nonnullis alijs *lib.6.diſquiſ.magic. c.2.q.3. ſect.2.*

2 Supernaturalia remedia, ſeu Eccleſiaſtica ſunt multa. Et primò magna fides in diuino auxilio, vt ex *pſal.90. Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei Cœli commorabitur*. Ex quibus verbis D. Gregorius *lib.1.dial.p.4.* colligit dęmonem nĩl poſſe in illos, qui fiduciam habent in Deum. Secundò peccatorum confeſſio. Quia ſæpè ſæpiùs dæmoni à Deo poteſtas in hominem permittitur ob peccata: quibus per confeſſionem deletis: poteſtas illa dæmonis in hominem, à Deo permiſſa, euaneſcit. Vt obſeruat Petrus Cluniacenſis *lib. 1. de miraculis c. 6.* Tertiò, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptió. Quia nulla conuentio eſt lucis ad tenebras, nec Chriſti ad Belial. Et hoc modo multa maleficia fuiſſe curata tradit D. Auguſtinus *de Ciuit. Dei lib. 22. cap. 8.* Quartò, Eccleſiæ exorciſmi, qui inſtituti ſunt, ad expellendos dæmones à corporibus humanis: & cõtra eos magnam vim habent: tum quia preces illæ, & adiurationes fiunt nomine Chriſti, & Eccleſiæ: & tum etiam quia ad dæmones expellendos à Chriſto, vel ab Apoſtolis fuerunt ordinatę. Vt patet *ex Concilio Cartaginenſi 4. c.7.* & ex S. Cypriano *epiſ.2.& 55.* & ex alijs Sanctis Patribus. Qintò, ſignum Crucis, in quo eſt vis magna contra omnes Diaboli machinationes: dũ Chriſtus Crucis inſtrumẽto Diabolum vicit, & eius potentiam fregit. Vt notant Chryſoſtomus *hom.8.in epiſt.ad Coloſſ.* Cyprianus *ſerm.de paſſ. Domini*, & cæteri Doctores. Sextò, inuocatio Sanctiſs. Trinitatis, aut nominis Ieſu, Beatiſſimę Mariæ Virginis, Angeli Cuſtodis, vel aliorum Sanctorum, vel geſtatio reliquiarum, aut aliarum rerum ab Eccleſia benedictarum, vt Agnus Dei, cęrei ſacri, aqua beneflicta, panis, incenſum, vel ſal etiam benedictum, & ſimilia. Septimò, oratio, & ieiunium, vt docuit Chriſtus: *Hoc genus Dæmoniorum non eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio: Matth. 17.* & notant D. Gregorius *lib.3. dial. c.33.* & Martinus del Rio *loc. cit. c.2.* Hæc enim remedia multum valent ad placandum Deum, vt ſic miſericorditèr dignetur, coercere Dæmonem, ne amplius vexet: ſicuti cõſtat ex vſu Eccleſiæ, & *ex cap.fin.33. q.1.*

3 Remedia moralia ſunt illa, quæ pertinent ad diſſoluendum pactum cum Dæmone, vt amotio, & deſtructio ſignorum, ad quorum præſentiam nocumentum maleficij irrogatur, de quibus ſupra dictum eſt. Hæc enim maleficiorum ſigna deſtruere, licitum eſt: quia nec eſt aliquo iure prohibitum, nec ex natura rei intrinſecè malum; dum in deſtructione maleficij, nulla ſit ſocietas cum Dæmone, nec vlla eius veneratio. Immò talis deſtructio eſt ipſi Dæmoni inuoluntaria, & ipſo inuito fit: & intentio operantis eſt intrinſecè bona, cum ſit, vt liberetur proximus ab illa Dæmonis vexatione, quod ad charitatem, & miſericordiam pertinet. Et ità docent Scotus *4.diſt. 34.q. vnica*, Gabriel *2.diſt.8.q.2.tr.4. dub.2.* Henricus *lib.5.q.33.* Caietanus, Sotus, Sylueſter, Delrius, Suarez, Sanchez, & alij, quos ipſi referunt.

CAP.

CAPVT XXVII.

De Confeſſario Malefici, vel Sortilegi.

Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius, circa pœnitentes Maleficos, ac Sortilegos?

1 RESp. Quod primò diligentèr inquirere debet: an maleficus, vel ſortilegus errorem habuerit in intellectu. Quia tunc fuiſſet hæreticus, excōmunicatus in Bulla Cœnæ. Si verò talem errorem non habuerit, animaduertere debet, an commiſſum maleficium, vel ſortilegium ſit caſus reſeruatus: nā hoc crimen, vt plurimum, ab Epiſcopis reſeruari ſolet, & tunc imperranda eſt facultas ab Epiſcopo, illud abſoluēdi. Secundò debet Confeſſarius diligentèr illum interrogare de abuſu Sacramentorum, & aliarum rerum ſacrarū, ac benedictarum ab Eccleſia; de pacto expreſſo, vel tacito cum Dæmone, & de cultu illi præſtito; de tempore, quo in huiuſmodi maleficijs, & ſortilegijs inſorduerit; de ſingulis ſortilegiorum, ac maleficiorum ſpeciebus, & de actibus apoſtaticis factis; de complicibus, de damnis illatis, de qualitate mulierū, ad quorum amorem pronoedū, fecerit maleficia, an ſcilicet fuerint puellæ virgines, vel vxoratæ, vel liberæ, & ſimilia. Tertiò, oſtendere debet pœnitenti peccati grauitatem, & maximam Dei omnipotentis miſericordiam, illum expectando ad pœnitentiam; & an de ſua ſalute aliquando deſperauerit: nam ſæpè Dæmon ſolet maleficos, & ſortilegos in deſperationem inducere; vt ſuæ ſeruituti ſint omnino ſubiecti. Quartò, debet illum obſtringere; vt Dæmoni, & omni pacto, cum eo inito, abrenunciet; vt damna illata reſarciat; vt libros, vel ſcripta, quæ maleficia, & ſortilegia cōtinent, ad Inquiſitorem deferat. Et cōſideratis facti circumſtantijs, & qualitate pœnitentis, certam promiſſionem exigat, de amplius non committendo ſimilia facinora. Vt docent Homobonus de Bonis *de caſib. reſeru. par. 2. caſ. 2. q. 19. verſ. Secundò quærendum*, Sanchez *in decal. lib. 1. cap. 37.* Portellus *in dubijs regular. verb. Veneficia, & incantationes*, Martinus del Rio *diſquiſ. magic. lib. 6.* Carena *par. 2. tit. 12. §. 35.* per totum, Thomas del Bene *de off. Inquiſ. par. 2. dub. 17. petit. 11.* & alij.

Si maleficus, ac ſortilegus ſit ab Inquiſitore, præuia abiuratione abſolutus, tenetur, ne Confeſſario commiſſa maleficia, & ſortilegia confiteri?

2 RESp. Affirmatiuè: quia ab Inquiſitore fuit tantùm in foro exteriori abſolutus; & ſi maleficia, & ſortilegia ſint caſus reſeruati, debet Confeſſarius ſufficiētem abſoluendi facultatem habere. Quia ſublata exenmmunicatione in foro exteriori, remanet adhùc peccatū illud ſacramentali confeſſione abſoluendum. Et ideò ſortilegus, ac maleficus tenetur Confeſſario omnia ſortilegia, ac maleficia confiteri quamuis ſit ab Inquiſitore præuia abiuratione abſolutus. Ità aduertunt Lazarius *de blaſphemijs q. 12. n. 82.* Carena *vbi ſup. n. 295.*

Confeſſarius exigere ne debet à ſortilego, ſeu malefico antè abſolutionem iuramentum, nunquam ſimile crimen committendi?

3 RESp. Benochium *de caſib. reſeru. par. 2. q. 1. in 1. caſu tabellæ anchonitanæ n.* 87. opinari in hoc crimine à Confeſſario exigi debere iuramentū, nunquam illud committendi; & à pœnitente præſtandum eſſe. Quia vt docet Graffius *par. 1. lib. 1. c. 32. n. 15.* in enormibus delictis tale iuramentum eſt à Confeſſario exigendum, & à pœnitente præſtādum. Carena autem *par. 2. tit. 12. §. 35. n. 305.* exiſtimat. Hoc in pru-

prudentis Confeſſarij arbitrio poſitum eſſe, conſiderata qualitate pœnitentiũ, & reliquis facti circumſtantijs. Sed Sãchez *in decal. lib. 3. c. 8. n.* 8. Nauarrus *c. 26. nu.* 25. Philiarcus *de offic. Sacerdotis to. 1. par. 2. lib. 3. c. 16. ad finem*, Diana *to. 1. tr. 4. reſ. 26. nu. 5. ex par. 6. tr. 6. miſc. 1. reſ. 30.* & alij docent Confeſsarios à pœnitentibus, iuramentum, aut votum, deſiſtendi ab aliquo crimine, petere non debere. Quia eos tranſgreſſionis periculo exponerent: Nec ſatis eſſe ad hanc petitionem dubium tranſgrediendi. Quia in dubio non eſt præſumenda alterius iniquitas.

Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius, quando caſus ſortilegi, ſeu malefici, indiget conſultatione, & tempus non habet conſulendi ante illius abſolutionem?

4 RESP. Poſſe Confeſſarium huiuſmodi pœnitentem abſoluere; ſi ille promittat ſe exequuturum, quod prudenti conſilio adhibito; iudicatum fuerit eſſe obligatum. Quia in tali caſu pœnitens eſt ſufficienter diſpoſitus ad abſolutionem recipiendam. Ità docent Suarez *to. 3. de pœnit. diſput. 28. ſect. 2.* Henriquez *c. 26. n. 9.* Angelus *verb. Cõfeſſio 4. n. 4.* Nauarrus *c. 26. n. 3.* Syluester *verb. Confeſſio 3. n. 12.* Coninchus *diſp. 8. de pœnit. dub. 16. n. 126.* Bonacina *to. 1. de Sacram. pœnit. diſp. 5. q. 7. pun. 4. §. 2. n. 10.*

Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius cum ſaga, aut ſortilego, à Iudice iam capto, vel condemnato?

5 RESP. Si loquamur de reo capto tantùm in carcere, nec iudicialitèr examinato: non deſunt Doctores, quos ſequitur Piaſecius in *praxi par. 2. c. 4. ar. 6. n. 7.* qui affirmant: non debere ei concedi Confeſſarium, niſi poſt confeſſionem iudicialem, aut in periculo mortis: quia ſic tutius eſſe, demonſtrat praxis, & tradit inſtructio Toletana *anno 1561. n. 71.* vt refert Thomas del Benc *par. 2. dub. 195. ſect. 38.* Tamèn ſi conſuetudo non ſit in contrarium, poteſt Confeſſarius, etiam ante iudiciale examen, reum alloqui, eumq; ad confeſſionem de peccatis diſponere, & ſuadere; vt integram ueritatem, tàm de ſe, quàm de alijs dicat, & ne tædio carceris, vel ſpe liberationis, aut metu tormentorum ſibi, vel alijs falſum crimen imponat: vt aſſerũt Zanardus *in direct. Theolog. par. 3. c. 80.* & Pegna *in direct. Inquiſ. par. 2. cõmen. 25. §. Diximus huc vſq; de ægrotantibus.*

6 Si verò reus, vel ſortilegus crimen ſuum in iudicio confeſſus fuerit, interroget eum Confeſſarius, an ſocios criminis Iudici manifeſtauerit; quia ad hoc tenetur, vt perniciosa crimina extirpari poſſint. Si autem per odium, vel per tormentorum metum innocentes Iudici denunciauerit; debet Confeſſarius, eum cogere, vt falſam denunciationem coram Iudice retractat; etiamſi timeat, pati noua tormenta ob variationem depoſitionis: dummodò adſit ſpes, quod Iudex ſuam retractationem extraiudicialem, contra priorem iudicialem, & iuratam, ſit crediturus. Ità Doctores, quos citat, & ſequitur Petrus Nauarra *de reſtit. lib. 2. c. 3. n. 251.* Nam ordinariè Iudex ſtare ſolet confeſſioni criminis, ſemèl iudicialitèr factæ; licet hæc poſteà reuocata fuerit: vt aiunt Abbas *in cap. Sicut de teſtibus, n. 1.* Couarruuias *2. reſol. c. 73.* Menochius *de arbitr. Iudic. quæſt. caſ. 108.* & alij. Excepto tamen, ſi reus deponens de crimine, errorem ſuum poſteà alleget, & eius probabilem rationem afferat: vt notant Abbas *in cap. Præterea, de teſtib. cogend. n. 4.* Couarruuias *loc. cit. n. 8.* Menochius *nu. 7.* Martinus del Rio *lib. 5. ſeſſ. 5. circa finem.* Vbi ſubdit, quod ſi ex manifeſtis indicijs appareat; quod teſtis, vel denunciator, non ex leuitate, & perturbatione animi, neque ex precibus, vel ſuaſionibus, teſtimonium ſuũ retractet: non ſolùm in hoc crimine, de quo loquimur, ſed etiam in crimine hæreſis, à Iudice audiri debeat; vt

ex dicto *cap. Sicut*, *de teſtibus*.

7 Si Confeſſarius adeat ad reum, vel ſortilegum poſt eius cōdemnationem, caueat: ne reprehendat modum procedendi Iudicis, vel eius ſententiam: ne reo occaſionem lamētationis præbeat. Officium enim Confeſſarij non eſt talia inquirere, vel iudicare, ſed reum, ad contritionem, & ad patientiam diſponere, & ad fortiter tolerandam pœnam exortari, eiuſq; confeſſionem magna cum charitate audire, de omnibus eius peccatis, & circumſtantijs interrogare, magnam Dei miſericordiam ei oſtendere, dum à faucibus Dæmonis, & ab æternis gehēnæ incendijs eum eripuit, & ſimilia.

8 Poſt latam verò ſententiā condemnationis, non tenetur Confeſſarius Iudici declarare, innocentem eſſe perſonam, à reo denunciatam, neq; ipſius rei innocentiam. Quia Iudex æſtimare debet, denunciationem factam in tormētis, & coram ſeipſo, & Notario, ratificatam, ac iudicialem, & ſolemnem, eſſe veram, quæ non eliditur, per ſubſequētem reuocationem extraiudicialem, & non ſolemnem. Et ideò non tenetur, nec debet Confeſſarius poſt rei ſupplicium Iudici ſignificare, quod ipſe reus non moriturus, denunciationem iam factam reuocauerit: quia huiuſmodi reuocatio mox acceptatur, & plus fidei habetur iudiciali prius legitimæ factæ, quàm extraiudiciali.

9 Verùm ſi reus conſtanter Confeſſario dicat, perſonam innocentem denūciaſſe; Confeſſarius ſuadere illum debet, quòd publicè coram populo talem denunciationem reuocet. Tum vt ſuæ conſcientiæ magis ſatisfaciat. Et tum quia talis reuocatio à mox morituro facta, ſine dubio aliquatenus debilitat denunciationem primam; itaut ſi alia etiam indicia prædictæ falſæ denunciationis accedant, contra denunciatam perſonam procedi non debeat.

Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum ſaga, aut ſortilego, vel quolibet reo conſtanter affirmāte, ſe non eſſe, nec ſortilegum, nec ſagam, nec vllo modo reum: ſed tormentorum vi, crimen falsò ſibi in iudicio impoſuiſſe?

10 RESp. Confeſſarium non teneri, monere Iudicem de ipſius rei innocentia, & quod vi tormentorum falsò ſibi crimen impoſuit. Tum quia, vt ſupra dictum eſt, non tenetur Iudex retractationi extraiudiciali fidem vllam præſtare. Tum etiam, quia ſi Confeſſarius teneretur intercedere pro reo, quē ipſe in ſacramentali confeſſione innocentem eſſe agnouit: alij verè nocentes occaſionem ſumerent, delicta ſua Confeſſario non detegere cum graui Sacramenti ſacrilegio, & ſuarum animarum detrimento; vt de eorum innocentia Iudici conteſtaretur.

11 Debet tamen Confeſſarius huiuſmodi reum monere; vt conſiderato ſuo dedecore, & vitæ detrimento, cuius ſibi cauſa fuit; confeſſionem ſuam coram Iudice, omninò retractet: ſi ſpes aliqua ſit, quod Iudex ei ſit crediturus: alioquin fruſtratoria eſſet reuocatio. Ità Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 13. 28. & alij communiter. Si autem reus ob ſuæ confeſſionis reuocationem timeret repetitionem priorum tormentorum, & potius vellet mori, quam illa iterum pati: tunc an Confeſſarius debeat illum obligare, vt etiam cum tali periculo ſe retractet: aliqui Doctores negatiuè reſpondent. Quia in tali caſu reus non tenetur ſub mortali, ſe retractare. Ità Angelus *verb. Detractio* §. 7. Sotus *lib.* 5. *de iuſt. q.* 10. *ar.* 2. Toletus *lib.* 5. *c.* 66. Sà *verb. Infamare*, & alij. Contrarium verò ſuſtinent Couarruuias *reſol.* 1. *c.* 2. *n.* 8. Molina *de iuſt. tr.* 4. *diſp.* 37. *concluſ.* 15. Nauarrus *c.* 18. *n.* 92. Thomas del Bene *par.* 2. *de offic. Inquiſ. dub.* 217. *petit.* 13. *n.* 4. & 5. Quia qui cauſam poſuit ſuæ morti, tenetur eam tollere ſi poſſit: alioquin erit ſui ipſius homicida. Et ſi quis falsò crimen alteri impoſuit, ob quod ille puniendus eſſet, homicida eſſet alterius in omnium ſententia. Ergò qui falsò crimen impoſuit

ſibi

ſibi ipſi, homicida eſt ſui ipſius; cùm non ſit Dominus ſuæ vitæ, ſicut nec Dominus vitæ alterius.

Confeſſarius ſi ex confeſſione complicis, vel extra confeſſionem, certò ſciat, aliquem feciſſe ſortilegium, vel maleficium, & ille in confeſſione conſtãter negaret illud commiſiſſe; debet ne illum abſoluere, & Sanctam Euchariſtiam ei miniſtrare?

12 RESp. Si Confeſſarius ex confeſſione vnius complicis ſciat ſortilegium, vel maleficium, commiſſum ab altero complice: & iſte illud neget cõmiſiſſe: antequam illum abſoluat, debet eum interrogare, an aliquid amplius habeat, quod eius conſcientiam grauet, ac torqueat; nunquam tamen ei poteſt dicere peccatum, quod per confeſſionem alterius complicis ſciuit. Et ſi reſpondeat, ſe nihil amplius habere confitendum: poteſt eum abſoluere, & ad ſãctam communionẽ admittere, vel Euchariſtiam miniſtrare: ſecum iudicans, fuiſſe iam alteri confeſſum. Quia Confeſſarius tenetur ſtare reſponſis ipſius confitentis, & iudicare ſecundùm allegata, & probata: cùm pœnitens in confeſſione ſit ſui accuſator, & teſtis; & tàm pro ſe, quàm contra ſe, ei credendum eſt. Ità docent D. Antoninus 3. *par. tit.* 14. *cap.* 18. §. 15. Syluester *verb. Confeſſio* 3. *n.* 8. Nauarrus *c.* 8. *n.* 17. Hẽricus *lib.* 3. *de pœnit. c.* 20. *n.* 6. Toletus *in ſum. lib.* 3. *c.* 16. *n.* 4. & alij. Et ob eandem rationem: Si vnus complex dicat Confeſſario: Dic meo ſocio; me tibi confeſſum fuiſſe hoc peccatum, quod ambo commiſimus tali die, & tali loco: Et ille adhuc in cõfeſſione neget, illud feciſſe, etiam abſoluendus eſt. Ità Viualdus *in Candelabro aureo* 1. *par. vbi de ſigillo n.* 36. Si autem poſterior complex reuelet primum, & primus ſiue confeſſus fuit, ſiue non de tali peccato; tunc non poteſt Confeſſarius ei dicere: primum complicem, vel talis peccati fuiſſe confeſſum, vel non confeſsũ. Quia id eſſet reuelare ſigillum confeſſionis alterius: vt notat Henricus *loc. cit.* Inſuper ſi ſaga, vel maleficus, aut ſortilegus ſit conuictus de crimine, & in tortura illud confeſſus, ac etiam coram Iudice, & Notario extra torturam ratificauerit: & in cõfeſſione ſacramentali illud conſtãter negaret: In foro cõſcientię credendus eſt, & à Confeſſario abſoluendus, & ad ſanctam Communionem admittendus. Verùm ſi poſt ſacramentalem cõfeſſionem, ſe innocentem eſſe, palàm ſuſtinere voluerit; ei non eſt miniſtranda Euchariſtia, neque per Viaticum, ſi damnatus ſit ad mortem, propter ſcandalum: quia tunc publicè præſumeretur mendax, & pertinacitèr impœnitens. Ità Thomas del Bene *de off. Inquiſ. par.* 2. *dub.* 217. *petit.* 15.

Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poteſt ne abſoluere magum, ſeu maleficum, aut ſortilegum?

13 RESp. quod vel magus, ſeu maleficus, & ſortilegus errorem habuit in intellectu circa fidem, ita ut in hæreſim formalem inciderit. Et Confeſſarius non poteſt illum abſoluere virtute Cruciatæ, niſi ſemel tantùm in vita, & in morte. Si verò non deliquerit in fide, & errorẽ non habuerit in intellectu: ſed credidit omnia, quæ ab Eccleſia ordinata ſunt; & maleficium, vel ſortilegium commiſit tantùm exterius, vel ob iracundiam, vel ob ſenſualitatem, vel ob aliquod lucrum. Et Confeſſarius virtute Bullæ ſupradictæ poteſt illum abſoluere toties quoties. Quia hæc Bulla facultatem concedit, abſoluendi omnes caſus, excepta hæreſi. Talis autem meleficus, vel ſortilegus hæreſim formalem non commiſit. Ergo poteſt à dicto Confeſſario abſolui. Ità docent Henriquez *lib.* 6. *c.* 16. *n.* 2. Portellus *in addit.* ad dubia Regularium *verb. libri prohibiti n.* 14. Sanchez *in decal. lib.* 2. *c.* 12. *n.* 12. Duardus *in Bulla Cœnæ lib.* 3. §. 2. *q.* 8. *&* *q.* 11. *n.* 47. Farinacius *de hæ-*

*reſ. q.*180.*n.*8.Acoſta *in Bull. Cruciatæ q.*63.*concl.*4.Suarez *tract. de fide diſp.* 24 *ſect.*1.*n.*11.Diana *to.*5. *tr.*8. *reſ.*32. *ex par.*1.*tr.*5.*reſol.*7. Filliucius *to.*1. *tr.* 16.*c.*3.*n.*49.

Epiſcopus poteſt ne à ſortilegijs, & maleficijs, hæreſim ſapientibus, abſoluere?

14 REſp. Affirmatiuè; dummodò perpetrantes huiuſmodi crimina, hæreſim ſapientia, errorem non habuerint in intellectu; nec errauerint in fide. Quia quamuis hæc crimina hæreſim ſapiant, non ſunt tamen formalitèr hæreſis, vt ſuprà dictum eſt. Et ità affirmāt Fanciſcus Leo *in theſauro fori Eccleſ. par.*3.*c.*37.*n.*47. Homobonus *de exam. Eccleſ. par.*1.*tr.*5.*c.*6.*q.*31. *in fine*, Diana *vbi ſup. n.*4. Confirmatur: nam Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24.*c.*6. *de reform.* decreuit: Licere Epiſcopis abſoluere in foro conſcientiæ ab hęreſis crimine occulto. Ergo multo magis eis licebit abſoluere à criminibus hæreſim ſapientibus, quæ non ſunt formalitèr hæreſis. Qualia ſunt maleficia, ſortilegia, blaſphemiæ hæreticales, & ſimilia. *Cui enim licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus; ex regula iuris in 6.* Sed plus eſt abſoluere ab hæreſi formali occulta, quàm abſoluere à criminibus hęreſim ſapientibus tantùm. Ergo dum illud licet Epiſcopis, magis licebit hoc.

Confeſsarius, qui fuit ſocius maleficij, aut ſortilegij poteſt ne validè maleficum, aut ſortilegum abſoluere?

15 REſp. quod in nonnullis Diœceſibus adeſt prudentèr decretum prohibens, & negans facultatem Confeſsario abſoluendi cōplicem in quocunque peccato. Sed ſi alicubi non eſſet hoc decretum. Quamuis de iure cōmuni ſi Cōfeſſarius ſocium criminis audiret, & caſus reſeruatus non eſset, validè abſolueret: nec mortalitèr peccaret illum abſoluendo, ſecluſo ſcandalo, & periculo, excitandi pœnitentem ad nouum peccatum, vt docent D. Thomas, & alij Doctores infra citandi. Tamen non debet illum confiteri, nec abſoluere. Quia confeſſio fieri debet cum pudore, & verecundia, & cum animo præcauendi peccata in futurum. Confeſſio autem facta Confeſsario complici, non fit cum pudore, & verecundia, & ex ea facile accipi poteſt occaſio liberius peccandi. Ergo Confeſſarius, ſiue ſit ſocius maleficij, ſeu ſortilegij, ſiue alterius criminis, minimè debet ſocij confeſſionem audire, & abſoluere. Ità docent D. Thomas *in addit. ad* 3. *par. q.*20. *ar.*2. *ad* 1. Cardin. de Lugo *de pœnit. diſp.*16. *n.* 359. Dicaſtillus *tr.* 8. *de Sacram. diſp.*9.*dub.*8.*n.*610. Carena *par.*2.*tit.*12.§.35.*n.*306. & alij.

Tempore Iubilei poteſt ne Confeſsarius ſocium talis criminis abſoluere?

16 REſp. vbi caſus iſte his verbis reſeruatur: *Qui criminis alicuius, vel culpæ mortalis particeps fuerit, ſciat ſibi interdictum munus audiendi confeſſiones illorum, quos ſocios eius criminis habuerit*: tempore Iubilei non erit ei licitum ſocium ſui criminis abſoluere. Quia in dicta prohibitione, non ſolum reſeruatur caſus, ſed limitatur Confeſsarij iuriſdictio. Hoc enim oſtendunt verba illa: *Sciat tibi interdictum munus audiendi confeſſiones illorum, quos ſocios eius criminis habuerit.* Vndè ſicut Confeſſarius, cui ſuſpenſæ ſunt confeſſiones, non poteſt tempore Iubilei Sacramentum pœnitentiæ miniſtrare; ità neque poterit ſocium criminis in eodem tempore abſoluere. Ità affirmant Bonacina *to.*1.*de Sacram. pœnit. diſp.*5.*q.*7.*pun.*5. §.5.*nu.*10. Carena *par.*2. *tit.*12. §. 35. *n.* 310.

CAPVT XXVIII.

De reſeruatione caſus maleficij, aut ſortilegij.

Qui-

Quibus verbis inter caſus Epiſcopales reſeruari ſolet crimen maleficij, & ſortilegij?

1 RESp. his verbis, nempè: *Omnes vtriuſque ſexus perſonæ, quæ per ſe, vel per alium, de Sanctiſſimo Altaris Sacramento, Chriſmate, Oleo Sancto, ſiue quacunque re conſecrata, ad diuinationes, veneficia, ſortilegia, ſiue ad alios illicitos vſus, quouis modo abutantur, aut qui alicui daret, ſiue reciperet de Sanctiſſimo Sacramento, aut ſacramentalibus prædictis ad fines ſupradictos: etiamſi dictus abuſus re ipſa non ſequatur: pœnā excōmunicationis ipſo facto incurrāt. Eādēq; pœnā incurrāt omnes vtriuſq; ſexus perſonæ, quæ dæmoñi obſequium promittūt; ſacrificia, ſiue thus offerūt, etiam abſq; erroris intellectu: nec nō quæ per ſe, vel per alterius inſtantiā condūt, ſiue cōdifaciunt, quamlibet imaginem, ſiue anulum, aut quodcumque aliud artificium, vt in eo Dæmones conſtringant. Item omnes Venefici, Negromantes, Sortilegi, Diuinatores, Lamiæ, ſiue Striges vtriuſque ſexus; & omnes quocunque nomine nuncupentur, qui cum expreſſa Dæmonis inuocatione, prætextu captandæ dilectionis, aut odij inferendi, vtuntur incantationibus, ſiue diuinationibus, & maleficijs in damnum perſonarum; ſiue etiam vtuntur ligaturis, ad amorem excitandum, vel à naturali, & legitimo matrimonij vſu cōiuges auertendo.* Ità habetur inter caſus Epiſcopales, lege Synodali Neapoli reſeruatos.

Malefici, & ſortilegi procurantes res ſacras, ad facienda maleficia, & ſortilegia, ſed illas non recipientes, incurrunt ne in ſupradictam reſeruationem, & excommunicationem?

2 RESp. Negatiuè: quia in dicta reſeruatione ſolùm exprimuntur: *Dantes, & recipientes res ſacras ad illicitos vſus*: non autem procurantes. Et dum reſeruatio, & excommunicatio ſunt pœnales, & odioſæ, non extenduntur ad caſum non expreſſum. Immò ſi quis offerret res ſacras ad illicitos vſus; ſed illas poſtea effectiuè non traderet: peccaret quidem, ſed non ligaretur cenſura, vel reſeruatione ob dictam rationem. Ità Paulus Maria Quarti *de caſib. reſeru. ſect. 1. c. 1. diffic. 1.*

Abutentes ad maleficia, & alios fines illicitos, aqua benedicta, incenſo, candelis, palmis benedictis, vel paramentis ſacerdotalibus, & linteaminibus altaris, incurrunt ne in dictum caſum reſeruatum, & excommunicationem?

3 RESp. Negatiuè: quia in dicto caſu reſeruato fit tantùm mentio de abutentibus *Sacramento Altaris, vel Oleo Sancto, vel quacunque re cōſecrata, & ſacramentalibus conſecratis ſolemni benedictione, & vnctione Chriſmatis*; vt ſunt Calices, & Patenæ, Altaria conſecrata ad vſum ſacrificij, aqua fontis Baptiſmalis, Agnus Dei, cerei, & ſimilia. His enim abutentes ad fines illicitos, incurrūt, in dictum caſum reſeruatum, & excommunicationem, tàm si sint dantes, quàm recipiētes. Sed aqua benedicta, & alia ſacramentalia, ſimplici benedictione Deo dicata, & ad vſus pios deſtinata, non ſunt propriè res cōſecratæ per vnctionem Olei Sancti, vel Chriſmatis; & ideò abuſus rerum huiuſmodi non compræhenditur in dicta reſeruatione. Ità Baucius *in expoſit. huius caſus in addit. q. 1. & 4.* Paulus Maria Quarti *vbi ſup. c. 1. diffic. 3.* & alij.

Recipiens rem ſacram ad finem illicitum, ſi poſteà ea re non abutatur, incurrit ne in dictam reſeruationē, & excommunicationem?

4 RESp. affirmatiuè: quia in caſu reſeruato exprimitur: *Dantes, & recipientes res ſacras ad illicitos vſus pœnam incurrere, etiamſi abuſus re ipſa non ſequatur*. Et à fortiori incurret si ſequuto abuſu non ſequitur effectus inten-

intentus. Quia ad incurrendam dictam reſeruationem, & excommunicationẽ ſufficit ſola traditio, vel receptio. Ità Paulus Maria Quarti *loc.cit. diffic.* 1.

Dans, vel recipiens particulam conſecratam, vt ſecum illam retineat, aut portet ad repellendas tentationes, vel ad vitandam mortem violentam, incurrit ne in dictum casũ?

5 Reſp. affirmatiuè: quia licet finis ille non ſit illicitus per ſe, eſt tamen illicitus, quia eſt contra inſtitutionem ipſius Sacramenti, & contra vſum Eccleſiæ. Hoc enim Sacramentũ confert ſuos effectus, tantùm dignè manducantibus illud. Et in Rituali Romano *tit. de commun.infirm.* præcipitur: *Si infirmus communicare non poſſit ob vomitum, vel tuxim, nullo modo ad eum deferatur Sacramentum, ſiuè ad adorandum, ſiuè ad oſtendendum, vel quouis prætextu.* Ergò multò magis nõ licet illud ſecum deferre ob fines ſupradictos. Ità idem Paulus *ibid.diffic.*2.

Si quis habita notitia theſauri abſconditi, deferret ibi Sanctiſſimum Sacramentum, ad fugandos Dœmones, cuſtodientes theſaurum, incurreret ne in dictum caſum reſeruatum, & excommunicationem?

6 Reſp. affirmatiuè; quia dum non licet hoc Sacramentum deferre infirmo, communionis impotenti, vt illud adoret, & reueratur; multò magis non licebit illud deferre, vt ſine impedimẽto Dœmonis effodiatur theſaurus. Hoc enim eò fortius eſt ab Eccleſia prohibitum: & hic finis eſt prauè intentus per Sacramentum. Ità idem Doctor ibidem.

Qui abſque conſenſu voluntario, ſed ex graui timore, ab aliquo incuſſo, exhiberet cultum ſacrum Dœmoni actu tantum externo, incurreret ne dictum caſum reſeruatum, & excommunicationem?

7 Reſp. negatiuè; quia quamuis mortaliter peccaret, tamen metus grauis, cadens in conſtantem virum, excuſat ab incurrendis cenſuris in foro conſcientiæ. Quia præcepta Eccleſiaſtica non obligant cum tanto rigore. Vndè propter minora incommoda vitanda excuſamur ab obligatione ieiunij, aut Miſſæ audiendæ. Præcepta enim Eccleſiæ benignè ſunt accipienda: & cenſura non incurritur, niſi ob tranſgreſſionem, & contumaciam contra legem Eccleſiaſticam. Verum ſi talis metus incutiatur directè in contemptum Religionis, aut Eccleſiaſticæ poteſtatis: tunc potius ſuſtinenda eſſet mors, quàm lex Eccleſiaſtica violanda: quia iàm non agitur de ſola obſeruatione legis; ſed de vitando graui damno noſtræ Religionis: cuius bonum commune tenetur homo præferre propriæ vitæ. Et Eccleſia poteſtatem habet, obligandi in eo caſu cum dicto rigore. Tunc ergò metus non excuſabit à cenſura, ſicut nec à culpa. Ità docent Suarez *de cenſuris, diſp.*4. *ſect.*3. *n.*13. Nauarrus *c.*27. *nu.* 63. Paulus Maria Quarti *vbi ſup. diffic.* 2. *circa finem*, & alij.

Qui Dœmoni exhiberet non cultum ſacrum, ſed profanum, ſeu politicum, ſolitum exhiberi hominibus, in dignitate conſtitutis, incurreret ne in dictam reſeruationem, & excommunicationem?

8 Reſp. quod peccaret mortaliter, non tamen incurreret caſum reſeruatum, nec excommunicationem; quia in dicto caſu ſit tantum mentio cultus ſacri: & excommunicatio ſolum fertur offerentibus Dœmoni obſequium ſacrum: & ideò nec reſeruatio, neque excommunicatio extẽditur ad cultum profanum, & politicũ. Eſſet autem hìc cultus peccatum mortale;

tale; quia Dœmones ſunt rebelles, & inimici Dei, & animarum noſtrarum, & carceribus inferni damnati: & conſequenter indigni ſunt quocunque honore: & nobis prohibita eſt quælibet cum illis ſocietas. Ità ſuſtinet Paulus Maria Quarti *de caſib.reſeru.caſ.2.ſect.1.cap.1.diffic.2.verſ.Colligitur.*

CAPVT XXIX.

De facultate abſoluendi maleficos, & alios de hæreſi ſuſpectos.

Quinam poſſunt abſoluere in foro conſcientiæ à peccato reſeruato, & ab excommunicatione ob commiſſum maleficium, vel aliud ſortilegium?

1 RESp. ſi maleficium, vel ſortilegiũ habet annexum peccatum hæreſis, quia maleficus, vel ſortilegus errorem habuit in intellectu in rebus fidei;nec Epiſcopus, nec Inquiſitor Sãcti Officij poſſunt in foro conſcientiæ illũ abſoluere:ſed ſolus Summus Pontifex, vel ab ipſo delegatus.Quia peccatum hæreſis eſt in Bulla Cœnę Summo Põtifici reſeruatum: ita vt nec ab Epiſcopis, nec ab Inquiſitoribus in foro conſcientiæ poſſit abſolui, ſed tantùm in foro externo. Vt notant Ricciullus *de Iure perſonarum extra Eccleſiæ gremiũ exiſtentium lib.5.c.15.* Sanchez *in decal.lib.2.c.12.n.3.* Eymericus *in direct. inquiſit.3.par.n.59.*Pegna *3.par. direct. commen.12.addit. ad n.61. & commen. 141. verſ.Quæ vero*, Nauarrus *in ſum. c.27.nu.275.* Suarez *tract. de fide, diſp. 21.ſect.4.n.15.* Carena *par.2.tit.2.* §.7. *n.61.*Riccius *par.2.deciſ.* 579.*n.5.* Barboſa *de poteſt.Epiſc.par.2. alleg.40. nu. 28.in fin.* & alij. Contrarium verò cum alijs Doctoribus ſuſtinet Diana *to. 5. tr.8.reſ.19.ex par.1.tr.5.reſ.3.* affirmãs Dños Inquiſitores facultatẽ habere abſoluendi ab hęreſi non ſolũ in foro externo, ſed in foro conſcientiæ; & hanc facultatem competere cuilibet Inquiſitori, & non tantùm ſoli Conſiſtorio. Sed eius ſententia procedere poteſt,ait Carena *loc.cit.* in Inquiſitoribus Hiſpaniæ, & Siciliæ, vt notat etiam Freitas *ad Roder.de Confeſſ.ſollicit.q.21. nu.18.* Et ità fuiſſe à Supremo Inquiſitionis Tribunali deciſum refert ipſe Carena cum atteſtatione Maſſini *in prax.S.Off. p.10.aſſert.108.*

2 Poteſt autem, tàm Epiſcopus, quàm Inquiſitor, abſoluere ab excommunicatione deprehenſum in hæretica prauitate pœnitẽtem poſt eius abiurationem, ex priuilegio Gregorij IX. incipiente: *Ille humani generis: Si verò aliqui, hæretica labe penitus abiurata, ad Eccleſiaſticam redire voluerint vnitatẽ, ipſis iuxta formam Eccleſiæ beneficium abſolutionis impendant,& iniungant eis, quod talibus conſueuit iniungi.* Idem ſtatuit Clemens IV. & patet *in cap. Vt officium de hæret. lib. 6.* & tradunt Repert.Inquiſ. *verb.Abſolutio*, §.*Sed nunc*, Locatus *in opere iudiciali, verb. Abſoluere n.* 11. Symanchas *de cathol. inſtit. tit.3.nu.*1. Eymericus *in direct. inquiſ. par.3.q.92.* Pegna *ibi commen.* 141. & alij.

3 Si verò maleficus, vel quilibet ſortilegus, nullum habuit errorem in intellectu,nec errauerit in fide, & incurrerit in ſupradictum caſum reſeruatum, & excommunicationem; certum eſt, Epiſcopum proprium, vel Inquiſitorem poſſe illum tàm à crimine,quàm ab excommunicatione abſoluere. Quia poteſtas abſoluendi coniuncta eſt, cum poteſtate ligandi. Vt ex verbis Chriſti Domini obſeruat D. Ambroſius *lib. 2. de Cain, & Abel c.* 4. & refertur *in c. Verbum de pœnit.diſt.*1. Dùm ergo tàm Epiſcopus,quàm Inquiſitor poteſtatem habent caſus iſtos reſeruandi, & ſub pœna excommunicationis delinquentes ligandi: ſequitur neceſſariò, quod etiam poteſtatem habeant ab illis abſoluendi, & eam alijs delegandi. Nam iuriſdictio delegata ſufficit ad abſoluendum, vt communitèr omnes affirmant.

Si Maleficus, vel quilibet alius ſit hæreticus occultus poteſt ne ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore S. Officij abſolui in foro conſcientiæ?

4 RESP. Bipartitam eſſe in hac re quoad Epiſcopos Doctorum ſententiam. Nonnulli enim affirmant: poſſe Epiſcopum hæreticum occultum vigore Concilij Tridentini *ſeſſ.24.c.6.* abſoluere: nec per ſubſequentem Bullam Cœnæ fuiſſe illis hanc facultatem ablatam. Quia in ea Bulla non fit expreſſa mentio Cōcilij Tridentini: quod videtur, eſſe neceſſarium, vt ſit illi decreto derogatum. Quia propter eius grauitatem nō intelligitur derogatum, niſi de eo expreſſa mentio fiat: *cap. Ex parte de Capell. Monach. & ibi Gloſſa in verb. Nulla mentio, cap. Nonnulli de reſcript. & ibi etiam Gloſſa in verb. Fecerunt mentionem,* & ibi Felinus *n.7.* cum alijs multis. Et hanc ſententiam ſuſtinent Lorca *in 2.2.q.11. ar.4. diſp. 45. n.10.* Nugnus *to.2. in addit. ad 3. par. q. 8. ar.5. dub.10. in fin.* Ledeſma *in ſumma to.2. tr.1. c.6. concl.20. diffic.7.* Emmanuel Sa *uerb. Epiſcopus n.37.* Henriquez *lib.6. c.14. n.4.* Fagundez *de præc. Eccl. tr.2. lib.8. c.8. n.32. & 33.* Portellus *in addit. ad dubia regul. uerb. Epiſcopus, n.1.* & alij. Addit etiam Fagundez, ſtando in hac opinione: quòd ſi hæreticus ſit notus quinque, vel ſex, aut quinque, vel ſex complices habeat, adhuc diceretur occultus, & illum poſſent Epiſcopi abſoluere. Putat etiam in magna Ciuitate non eſſe publicum, ſi notus fuerit ſeptem, vel octo perſonis. Vide Portellum *in addit. ad dub. regul. uerb. Diſpenſare, n.5.* Docent etiam dicti Doctores: poſſe Epiſcopum committere abſolutionem hæreſis occultæ alicui Confeſſario. Et poſse etiam huiuſmodi abſolutionem extrà Sacramētum Confeſſionis impertiri. Quia per illam particulam: *In foro conſcientiæ*, non intelligitur forum ſacramentale, audita ſacramentali confeſſione: ſed tantùm denotatur, quod ipſa abſolutio in foro externo non prodeſt, ſi contingat hæreſim in iudicium deduci. Ità Homobonus *de exam. Eccleſ. par.1. tr.5. c.5. q.31.* Nauarrus *lib.5. Conſil. in 1. editione, tit. de ſentent. excomm. conſ.15. q.2. in 2. tit. de priuileg. conſ.11. q.2.* Suarez *to.5. in 3. par. diſp.41. ſect.2. n.11.* Sanchez *in decal. lib.2. c.9. n.13.* qui *n.17.* etiam docet: poſse Epiſcopum in dicto caſu abſoluere ab hęreſi ſubditum in abſentia: etiam ſi ille ſit extra Diœceſim: & idē tradit etiam Petrus de Ledeſma *to.2. ſum. tr.1. cap.6. poſt 20. concluſ. diffic. 1.* Henriquez *in comp. caſ. mor. c.20. n.64.*

5 Secunda ſententia probabilior, & in praxi omninò ſequenda, docet, Epiſcopos non poſſe vigore Concilij Tridentini ab hæreſi occulta in foro conſcientiæ abſoluere. Quia hæc facultas in dicto Conc. *ſeſſ.24. c.6.* Epiſcopis cōceſsa, eſt in Bulla Cœnæ reuocata. Ibi enim in vltima clauſula expreſsè habetur: *Vt ab illis caſibus nulla perſona, etiam Epiſcopali dignitate prædita, abſoluere poſſit prætextu cuiuſcumque facultatis, etiam per cuiuſuis Concilij decreta in genere, uel in ſpecie conceſſa.* Hęc autem verba (*In genere, uel in ſpecie*) addita eſse, videntur, ad ſignificandum, nō ſolum vniuerſales facultates reuocari: ſed etiam, ad ſpeciales caſus, conceſsas. Secundò, quia Cardinalium Congregatio ſanctæ generalis inquiſitionis declarauit: hanc eſse Pontificum mētem, vt teſtatur Pegna *in 3. par. direct. comment.141. uerſ. Equidem,* vbi ait: *Equidē in ſupremo inquiſitionis Prætorio Sanctæ, & generalis Romanæ inquiſitionis ſæpè pronunciatum eſt: nec poſſe, nec debere Epiſcopos amplius, uirtute Concilij abſoluere occultos hæreticos in foro conſcientiæ: ſiue quia per Bullam Cœnæ ſit Tridentino derogatum: ſiue quia Pius V. & Gregorius XIII. ità declararunt.* Et ità etiam teſtantur Suarez *to.4. in 3. par. diſp.39. ſect.2. n.11.* Molina *to.4. de iuſt. diſp.64. n.8.* Sanchez *in decal. lib.2. c.11. n.26.* & alij quamplures, quos ipſe citat. Qui omnes hanc ſententiam ſuſtinent, & omninò amplectendam eſse exiſtimant. Et conſequenter omnis maleficus, vel ſortilegus, occultus hæreticus,

cus,abſolui non poteſt in foro conſciẽtiæ ab Epiſcopo.

6 An verò hanc facultatem abſoluendi in foro conſcientiæ habeant Inquiſitores S. Officij. Nonnulli Doctores affirmant, illam non eſse conceſsam cuilibet Inquiſitori, ſed toto conſiſtorio. Quia Inquiſitorum iuriſdictio non eſt in eorum quolibet, ſed in toto conſeſſu. In Conſtit. enim Clementis VII. quę incipit: *Cum ſicut, uerſ. Vobis etiam*, loquitur in numero plurali, dicens, *Vobis*. Ergo non poteſt unus Inquiſitor abſoluere abſque ſociorum conſenſu. Ità Henriquez *lib.6. de pœn. c.7. n.3. in cõm. lit. T*. Viualdus *in candelabro Sacram. in edit. anni* 1602. *par.*1. *tit.*11. *de abſolut. Sacram. n.*15. & alij. Sed probabilius eſt, hanc iuriſdictionem cuilibet Inquiſitori competere. Quia in prædicta Conſtit. Clementis VII. non ſolis Inquiſitoribus ea facultas conceditur, ſed etiam eorum Commiſsarijs. Commiſsarij autem nullum habent conſiſtorium: ſed in quolibet diſtrictu unus eſt Commiſsarius. Ergo non ſoli Conſiſtorio, ſed cuilibet Inquiſitori Pontifex voluit, hanc facultatem concedere: Alias plus conceſſiſset Commiſsarijs, quàm ipſis Inquiſitoribus; quod non eſt iudicandum. Inſuper, de eſsentia fori conſcientiæ eſt; vt ſecretò, & abſque teſtibus exerceatur. Ergo hęreticus occultus, in foro cõſcientiæ abſoluendus, non eſt cogendus, vt toti Conſiſtorio ſe præſentare debeat. Eo magis, quod ea facultas conceditur in fauorem animarum, ne hæretici occulti ad fidem redire retardentur. Difficillimum enim eis eſset, crimen ſuum occultum coram toto tribunali detegere. Ità docent Guttierez *quæſt. canon. lib.*1. *c.*13. *n.*7. Graſſius 1. *par. deciſ. lib.*2. *c.*9. *n.*5. Et poſse Inquiſitores, abſoluere in foro cõſcientiæ hæreticum occultum, ſuſtinent etiã Campeggius *in addit. ad cap.*34. *de hæret. uerſ. Cum itaque*, Manuel *in bull. Cruciat. §.*9. *n.*70. Toletus *in ſumm. lib.* 4. *c.*4. *n.*5. Paramus *tr. de orig. inquiſit. lib.*13. *q.*9. *n.*190. Bannes 2.2. *q.*11. *ar.*4. *dub.*1. *poſt* 3. *argum. contr.*2. *concluſ.* Henriquez *lib.6. de pœn. c.7. n.3.* Fagundez *in decal. lib.*1. *c.*16. *nu.*20. & alij, quos refert, & ſequitur Diana *to.*5. *tr.*8. *reſ.* 19. *&* 20. *ex parte* 1. *tr.*5. *reſ.* 3. *& ex par.* 4. *tr.*8. *reſ.*35. Qui tamen ibid. *reſol.* 37. *n.*7. *ex par.*8. *tr.*7. *miſc. reſ.*50. *nu.*7. ait, ſe docuiſse: Inquiſitores poſse ab hæreſi occulta in foro conſcientiæ abſoluere. Sed intellexiſse, ſecũdùm Freitam à ſe adductum, de Inquiſitoribus Hiſpaniæ; ſecus autem de alijs: vt ait etiã Carena *in praxi S. Off. par.* 2. *tit.* 2. *num.*61.

7 Quia ergo multi Doctores ſentiunt, poſse Inquiſitores etiam in foro conſcientiæ hæreticos occultos abſoluere: Sanchez *in decal. lib.*2. *c.*12. *n.*3. eorum auctoritate compulſus: ait eorum ſententiam eſse probabilem. Sed probabilius eſse id non poſse. Quia cum Iudices in ſolo foro externo conſtituti ſint: vt optimè docet Eymericus *in direct. Inquiſ.*3. *par. n.*59. non videtur hãc poteſtatem eos pro ſolo conſcientiæ foro habere; nec apparet aliqua Pontificia conſtitutio hoc eis concedens. Nam Conſtitutio Clementis VII. intelligitur de abſolutione in foro externo, vt notat Pegna 3. *par. direct. Inquiſ. commen.*12. *n.*61. Vbi ait, admonet Eymericus; ne Inquiſitores audiant ſacras confeſſiones. Quare tutius ſemper erit perſuadere ſpontè venientibus; vt iudicialitèr cõfiteãtur crimina ſua; hoc eſt: Notario eorum confeſſionem recipiente coram Inquiſitore dicant peccatum ſuum; indè ſecreta reconciliatione facta, mox abſoluat eum; Et de hac quidem facti ſpecie accipiendum mihi uidetur, quod Clemens *VII.* reſcripto incipiente *Cum ſicut §. Vobis etiam*. Et hãc ſententiam ſuſtinent etiam Sanctarellus *tr. de hæreſi c.*5. *dub.*7. *n.*31. Farinacius *de hæreſi q.*192. *nu.*52. *&* 54. Zecchius *in ſumma par.*1. *tit. de fide, rubric, de hæreſi, c.*11. *n.*18. Nouarius *in ſingul. concluſ.*4. *nu.*2. Ricciullus *de iur. perſon. lib.*5. *c.*15. *n.*3. Riccius *par.*2. *deciſ.*579. *n.*5. Suarez *tr. de fide diſp.*21. *ſect.*4. *n.* 15. Barboſa *de poteſt. Epiſc. par.*2. *alleg.* 40. *n.*28. *in fin.* Ferdinandus de Caſtro

in oper.mor.to.1.tr.4.diſp.4. pun.3. §.3. *n.*3. Alphonſus de Leone *de offic.& poteſt.Confeſſ.to.2.reccllect.6. n.*127.

Quid ergo facere debet Maleficus, aut Sortilegus, vel quilibet alius hæreticus occultus, dum nec ab Epiſcopo, neque ab Inquiſitore abſolui poteſt in foro conſcientiæ?

8 RESp. quod in tali caſu tenetur, Romam mittere ad maiorem Pœnitentiarium pro abſolutionis facultate; & interim tenetur à Sacramẽtorum receptione abſtinere. Verùm ſi rationabilitèr timeret, ſic abſtinendo, periculum ſcandali, vel grauis infamiæ; tunc ſi Sacerdos ſit, poteſt celebrare, & ſi laicus Euchariſtiã ſumere; eliciendo prius actum contritionis. Et ſi nõ exiſtimat, ſe contritionem perfectam habere, cõfiteatur, & à Confeſſario abſoluatur. Ità docent Nauarrus *in ſum. c.*27. *nu.*239. Reginaldus *in praxi to.*1. *lib.*8. *c.*7. *nu.* 87. Fagundez *de præc.Eccleſ.tr.*1. *lib.*3. *c.* 12. *n.* 12. & alij, quos citat Sancius *in ſelectis diſp.*32. *n.*11. quamuis ipſe contrarium opinetur, ſicut etiam Suarez *to.*5. *in 3.par. diſp.*9. *ſect.*3. *n.*7. Et ratio pro dicta ſententia eſt: quia lex naturalis, & diuina defenſionis ſuæ famæ, & euitandi ſcandalum, præponderet legi humanæ, de abſtinendo excommunicato occulto à celebratione ſacri, vel ab Euchariſtiæ receptione. Ergo tàm maleficus, quàm quilibet hæreticus occultus, ſi verè peniteat, poteſt, ad euitandum ſcandalum, vel propriam infamiam, ſi ſit Sacerdos, celebrare, & ſi laicus communicare. Confirmatur, quia leges Eccleſiæ obligare non poſſunt contra charitatem; nam fundatæ ſunt in viſceribus charitatis Chriſti Domini. Eſſet autem contra charitatem huiuſmodi reſeruatio, ſi obligaret etiam cum iactura propriæ famæ, & cũ aliorum ſcandalo. Ergo ſi dum hæreticus occultus expectat abſolutionis facultatem, rationabilitèr timeat iacturam ſuæ famæ, & aliorum ſcandalum poteſt, præuia contritione, vel confeſſione, ſi Sacerdos ſit celebrare, & ſi laicus Euchariſtiam ſumere.

9 Addit etiam Nauarrus *loc.cit.* Licere ei, qui alium occultiſſimè occidit, ſacrum facere poſt debitam contritionem, & confeſſionem, ante diſpenſationem irregularitatis, ſi probabilitèr eſt certum, eum infamatum iri, illud homicidium feciſſe, niſi celebret; Quia lex diuina, & naturalis de tuenda ſua fama, præeſt legi humanę, de abſtinendo à ſacro in irregularitate, vt *in cap.Sicut de conſecrat. diſt.* 1. Et ſimilitèr ſi Monialis incidat occultiſſimè in cenſuram Papalem, & antequam obtineat abſolutionem, ſi abſtineret à communione, quando alię ad illam tenentur, vel non intereſſet Choro, & alijs exercitijs, fama eius, & Monaſterij periclitaretur: poteſt præuia contritione communicare, & Choro cum alijs intereſſe. Ità Nauarrus. Ergo idem dicendum de malefico, vel hęretico occulto.

Ratione periculi, ſiue articuli mortis, poteſt ne quis à ſupradicto caſu reſeruato, & excommunicatione à quolibet Confeſſario, uel Sacerdote abſolui?

10 RESp. aliquos Doctores diſtinguere inter articulum, & periculum mortis. Articulus enim dicitur, quando mors eſt ità proxima, & certa, ut moralitèr ſit ineuitabilis: ſiue proueniat ex cauſa naturali, vt ex aliquo morbo: ſiue ex cauſa uiolenta, ut ſi quis morte plectendus ſit. Mortis autem periculum dicitur, quando mors eſt probabilitèr dubia, & frequentèr in eo caſu euenire ſolet. Vt cum fœmina eſt partui proxima, & experta eſt in partubus periculũ vitæ: aut cùm quis in morbum periculoſum incidit, vel in alijs casibus infra dicendis. In articulo ergo mortis certa, & communis omnium Doctorum ſententia eſt; quemlibet Sacerdotem iuriſdictionem habere abſoluendi pœnitẽtem, non ſolùm à ſupradicto caſu reſeruato,

uato,ſed à quocumque alio, etiam in Bulla Cœnæ. Decreuit namque Concil. Tridentinum *ſeſſ.14.c.7. Vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis.* Atq; ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt. In periculo autem mortis non eſſe idem dicendum aliqui Doctores opinati ſunt: affirmantes neceſſarium eſse articulum mortis: nec ſufficere eius periculum, quia iura loquuntur de articulo mortis.Ità Sotus *4.diſt.18.q.4. ar.4.* Cano *par.5. de pænit.* Valentia *to.4.diſp.7.q.10.pun.2. col. 2.* Couarruuias *in cap. Alma Mater par.1.§.11.n.8.*

11 Sed communiter cæteri Doctores docent, quod ſicut in articulo mortis, ità & in eius periculo, poteſt quilibet Sacerdos, abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris, etiam reſeruatis; & quoad hunc effectum non differre periculum mortis ab eius articulo. Ità Gloſsa *cap. Paſtoralis, §. Præterea de offic. Ordin. & c. Quod in te, verb. Pœnitentiâ, de pæn. & remiſſ.* Paludanus *diſt. 17.q.5.ar.2. & diſt.20.q.1.ar.2.* Adrianus *q.3. de Confeſſione*, Syluester, *verb. Confeſſor 1.q.6.* & *uerb. Interdictum 5. q.7.* Nauarrus *c.26.n.31. & c.27.n.271.* Medina *Cod. de confesſione q.16.* Suarez *to.4. in 3. par. diſp.26. ſect.4.n.3.* Sâchez *lib.2. in decal.c.13.n.1.* & alij quamplures, quos refert, & ſequitur Diana *to.1. tr.4.reſ.39. ex par.5. tr.3. reſ.59.* & probatur ex *cap. Eos qui de ſent. excomm. in 6.* vbi in eodem contextu, nunc periculum, nunc verò articulus mortis appellatur. Ergo quoties in alijs locis ſit exceptio articuli mortis, rectè, & ſecũdùm ius extenditur ad periculum: præſertim cum fauores ſint ampliãdi. Probatur etiam ratione: quia cauſa huius conceſſionis eſt neceſſitas pœnitentis, ne abſque abſolutionis remedio in æternum pereat. Ergo talis reputanda eſt neceſſitas periculi mortis. Confirmatur, quia in malis ità æſtimari, & caueri, debet periculum, ſicut euentus ipſe. Nam ideò dicitur *Eccli.3. Qui amat periculum, in illo peribit.* Ergo neceſſitas periculi mortis moralitèr exiſtimatur tanquam extrema. Confirmatur ſecundò, quia ius diuinum obligat ad confeſſionem, non ſolùm in articulo, ſed etiam in periculo mortis; quia talis cõfeſſio, etiam in periculo mortis cenſetur medium neceſsarium ad ſalutem. Ergo ſicut in articulo; ità & in periculo mortis nulla eſt peccatorum, & cenſurarum reſeruatio: ſed omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis abſoluere poſsunt.

Quando autem quis dicitur eſse in periculo mortis, ità vt ab omnibus peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis, abſolui poſſit à quolibet Sacerdote?

12 Reſp. quod primò dicitur in periculo mortis, & gaudet hoc priuilegio, primo graui morbo infirmus, qui, à prima die ſuæ infirmitatis periculoſæ, poteſt abſolui à quolibet Sacerdote de omnibus peccatis, & cenſuris reſeruatis. Vt docent Sancius *in ſelectis diſp.12.n.5.* Cœleſtinus *in cõpen. Theolog. moral. tr.1.c.13.q.1.* Dianá *to.1. tr.5. reſ.3. ex par.5. tr.3. reſ.69.*

13 Conſtituitur ſecundò in mortis periculo pregnans in primo partu, vel quę alias difficiles, & periculoſos partus habere ſolita ſit. Hæc vicina partui, vel partus dolores ſentiens, poteſt à reſeruatis abſolui, vt affirmant Nauarrus *in ſum.c.2.n.9. in fine*, Sotus *in 4.diſt.18.q. 1.art.5.* Graffius *par.1. lib.1.cap.11. nu. 7.* Bellochius *de caſ. reſeru. par.1.q.2.n. 128.* Finellius *de caſ. reſeru. c.8. nu.8.* Diana *to.1.tr.5.reſ.5. & 6. ex par.3. tr. 4.reſ.72. & ex par.5.tr.3.reſ.63.* & alij, quos ipſe Diana citat. Immò Hurtadus de Mendoza *de fide to.1. diſp.84. ſect. 8.§.126.* Abbas *in c. Paſtoralis de officio Ordinarij n.3.* Bellochius *loc.cit. n.129.* exiſtimant: omnes prægnantes partui propinquæ, & quæ dolores ſentiunt, eſſe in mortis periculo, & pro earum abſolutione à reſeruatis non eſſe expectanda Superioris licentia. Quia partus,

multas ob cauſas, æquiualet graui morbo.

14 Tertiò prælium, uel nauigationem periculoſam aggredientes, poſsunt abſolui ab omnibus reſeruatis, tanquàm in periculo mortis; etiamſi propria voluntate prælium, aut nauigationem aggrediantur. Nam quamuis Sanchez *in decal.lib.2.c.13.n.3.* Corduba *ſumm. q.* 18.*pun.2.dict.*4. opinentur, quod abſoluendus à reſeruatis, morali neceſſitate cogente, in mortis periculum incidere debeat: & conſequenter, quod neceſſe ſit: vt quis ex cauſa vrgenti nauigationem periculoſam, aut prælium aggrediatur: quia quando propria ſpontè aggreditur, non dicitur cōſtitutus in mortis periculo; ſed ipſe vult ſe illi periculo cōſtituere. Tamen hæc limitatio militat quidem erga illos, qui ſe exponūt mortis periculo in ludo haſtarum, vel in agitatione taurorum, & in ſimilibus; quia in tali periculo abſq; vlla neceſſitate voluntariè exponuntur. Non autem in alijs caſibus, in quibus tale periculum rationabilitèr, & ex aliqua neceſſitate adeundum ſit. Ità Dicaſtillus *to.2.de Sacram.tr.8.diſp.*10.*dub.*16.*nu.* 410. & Diana *to.1.tr.5.reſol.*7.*nu.*2. *ex par.*11.*tr.*5. *miſc.*5. *reſ.* 29. Qui docent ſufficere, quod quis non in fraudem reſeruationis, ſed ex licita cauſa poſſit aggredi nauigationem, & prælium, cum tali periculo; vt poſſit à reſeruatis abſolui. Quia militię, & nauigationes, ſunt res vtiles, ac ferè neceſſariæ Reipublicæ: vt fieri debeant ab aliquibus hominibus. Vndè ſicut bonum proprium graue, & alicuius momenti cenſeretur cauſa ſufficiens, vt quis licitè conſtituatur in tali periculo: ità etiam bonum commune Reipublicæ. Igitur vniuerſim loquendo, qui non in fraudem legis reſeruationis peccatorum, & cēſurarum: ſed quia ſic ſibi placet vitam inſtituere, & nauigationem, vel militiam aggredi; etiamſi alias poſset aliud vitæ inſtitutum ſequi, cenſebitur ſufficienter conſtitutus in periculo mortis, ita vt à reſeruatis poſſit abſolui. Et hoc idem alijs rationibus probat Dicaſtillus.

15 Quartò, damnari ad mortem dicuntur in articulo mortis eſse, & abſolui poſsunt à reſeruatis omnibus. Quia poſt latam Iudicis ſententiam, & inſtante illius executione, re vera ſunt in mortis articulo; in quo nulla eſt reſeruatio. Vndè etiam ſi poſset ipſe damnatus, vel eius Confeſsarius, Superiorem adire pro licentia abſoluendi, non tenetur: ſicut non teneretur ſi eſset ex morbo moribundus. Quia hæc immunitas à reſeruatis non oritur ex hac, vel illa occaſione periculi, ſed ex ipſo mortis articulo: vt in eo homo ſine ulla difficultate ſit expeditus, ad ſe reconciliãdum Deo: & cum iam ſit exceſſurus à viuis, non eget eo reſeruationis freno, nec cū illo agitur, more cæterorum. Ità docent Hurtadus de Mendoza *to.* 1. *de fide diſp.*84.*sect.*8.§.125. Floronus *de caſib. reſeru.par.*1.*c.*4.§.20.*n.*3. Finellius *de caſib. reſeru.c.*8.*n.*7. Diana *to.*1.*tr.*5.*reſ.* 11.*ex par.*5.*tr.*3.*reſ.*61.

16 Quintò, damnati ad triremes etiam dicuntur in periculo mortis, & à reſeruatis abſolui poſſunt. Ità ſentiunt Ioannes Henriquez *in quæſt. moral. par.* 1. *sect.*5.*n.*1. *Manuel.* Sà, *verb. Abſolutio n.* 4. Duardus *in Bull. Cœnæ lib.*3.§.2.*q.*2. *n.*6. *&* 15. Mazzucchellus *de caſib. reſeru.diſp.*1.*q.*3.*diffic.*28.*n.*106. Diana *to.*1. *tr.*5. *reſ.*8. *ex par.*11. *tr.*3. *miſc.*3. *reſ.*2. Dicaſtillus *to.*2. *de Sacram. tr.*8. *diſp.*10. *dub.*16. *n.*411. Hæc verò ſententia quamuis non approbetur à Sanchez *in decal. lib.* 2. *c.* 13. *n.* 4. qui ait, quod hoc periculum non eſt proximū; & ſi aliquando contingat, Sacerdos in triremibus ire, ſolet periclitantium cōfeſſiones excepturus. Et ſæpè triremes ad portum accedunt, in quo eſt Confeſſariorū copia. Nihilominus hi damnati ad triremes periculoſum debent mare tranſire; & non ità facilè poſſunt confiteri: quia cum ſint vilioris conditionis, aliquando non facile audiuntur à Confeſſario: nec Confeſſariorum copiam habent; & cum non ſint ſui iuris, cogerentur aliquando, per plures annos carere beneficio abſolutionis. Idcircò nō oportet, Sacerdotem eſſe ſcru-

pu-

pulosum, ſed poteſt illos à reſeruatis abſoluere. Et confirmatur, quia reſeruatio non ordinatur ad deſtructionem, ſed ad ædificationem animarum. Sed ſi quilibet Sacerdos nō poſſet ipſos damnatos ad triremes abſoluere à reſeruatis; illa reſeruatio vergeret in deſtructionem illius animæ. Nam dum eſt in triremibus, nullo modo poteſt Superiorem adire, vt ſupponimus. Et ſi expectare deberet occaſionem, adeundi Superiorem; per longum tempus, & ferè per plures annos cogeretur, abſtinere à cōfeſſione, non ſine magno periculo ſalutis ſuæ animæ. Nec cenſetur, Eccleſiam velle ſua reſeruatione ad tantum malū miſeros homines adigere. Ideò potius dicendum, damnatos ad triremes eſſe in mortis periculo, & à reſeruatis abſolui poſſe.

17 Sextò, Banniti, qui impunè poſſunt occidi, ſunt etiam in periculo mortis, & poſsunt à reſeruatis omnibus abſolui; quia vbique & ſemper ſunt in periculo etiā ab ipſis ſocijs occidi. Verùm ſi aliquis eorum haberet ſaluum conductum, nō diceretur in periculo mortis, nec à reſeruatis poſset abſolui. Ità Naldus *in ſumm. verb. Abſolutio à cenſuris nu.*5. Floronus *de caſib. reſeru. par.* 1. *c.*4. §. 8. *n.*9. Bellochius *in praxi Theol. moral. par.* 1. *q.*2. *n.*133. Diana *to.*1. *tr.*5. *reſ.*10. *ex par.*5. *tr.*3. *reſ.*64.

18 Septimò, exiſtentes in loco peſtilentia infecto, dicuntur eſse in periculo mortis, vt affirmant Corneijus *conſil.* 131. *conſult.*5. *vol.*4. Ripa *de peſte, tit. de priuileg. vltim. volunt. cauſa peſtis nu.*8. Homobonus *in exam. Eccleſ. par.*3. *tr.* 13. *q.*25. An verò omnes poſſint à quolibet Confeſsario abſolui, affirmat Marchinus *in bello diuino par.* 3. *c.*3. *nu.* 4. Quia ſicut proximè bellum ingreſsuri, ante actualem pugnam; & nauigantes orta tempeſta, ante ſciſſionem nauis, & actuale naufragium, poſsunt propter imminens periculum mortis, abſolui à quolibet Sacerdote ab omni culpa, & cenſura. Ità etiam exiſtentes in loco valdè peſtifero, propter morale periculum, peſtem contrahendi, & moriendi, poterunt à quocunq; Sacerdote abſolui à quibuſcunq; peccatis, & cenſuris reſeruatis. Diana verò *to.*1. *tr.*5. *reſ.*12. *ex par.*9. *tr.*7. *miſc.*2. *reſ.*12. cum Rutilio Benſon *in ſpec. Epiſc. lib.*1. *diſp.*1. *q.* 6. *concluſ.*1. & cum Boſſio *de iure Epiſc. diſt.*2. *dub.*2. *n.*28. negat poſse tempore peſtis, omnes abſolui à reſeruatis à quolibet Sacerdote; quia ſequeretur ex contraria ſententia magna confuſio, & perturbatio ordinis Eccleſiaſtici. Epiſcopi enim ac etiam Parochi, ægrè ferrent, quod quilibet Sacerdos indiſcriminatim poſset, adminiſtrare quibuſcunque pœnitentibus, etiam, inuitis proprijs Paſtoribus, Sacramentum pœnitentiæ. Sed ſubdit, in hoc caſu debere Epiſcopos, omnes ſuos caſus, omnēque ſuam auctoritatem omnibus Confeſsarijs, à ſe approbatis, & præſertim animarum curam habentibus, concedere: ac etiam ipſis obtinere à Sede Apoſtolica facultatem, abſoluendi à caſibus, & cenſuris Papalibus: Vt facilius, & promptius homines ad pœnitētiam allicerentur.

Maleficus, ſeu quiuis alius, qui in periculo, vel articulo mortis, fuit à peccatis, & cenſuris reſeruatis abſolutus; ſi poſtea mortis periculum euaſerit; tenetur ne ad Superiorem recurrere, vt ab illis reſeruatis iterum abſoluatur?

19 RESp. quod, uel loquimur de peccatis, habentibus excommunicationem annexam, & reſeruatam: vel de alijs reſeruatis abſq; excommunicatione. Si primo modo; abſolutus in mortis articulo, vel periculo ab excōmunicatione, elapſo mortis periculo tenetur, quam primum poterit, ſe præſentare Superiori: alioquin incidit in ſimilem excommunicationem: quia ſecundùm ordinarium ius non conceditur facultas, abſoluēdi in articulo mortis; niſi ſub prædicto onere comparendi Superiori, ſi poſtea mortem euaſerit; & ſi pœnitens ſit in mora culpabili, incidat

cidat

cidat in ſimilem excommunicationem; vt habetur *in cap. Eos qui de ſenten. excomm.* & ità docent Caietanus *in ſum. verb. Excommunicatio nu.69.* Nauarrus *c.26.n.26.* Suarez *to.4. in 3. par. diſp.30. ſect.3.n.6.* Sanchez *in decal. lib.2. c.13. n.14.* Zambranus *de caſib. articuli mortis c.4. dub.4. n.21.* Fagundez *lib.1. in decal. c.16. n.14.* Diana *to.5. tr.1. reſ.102. ex par.3. tr.14. miſc.2. reſ.59.* & alij cõmuniter.

20 Notat verò Diana ibid. Claudium Millardum *in ſum. Parochorum de pœnit. c.97. n. 10.* probabilem eſſe; hoc onus ſe præſentandi coram Superiore, ſi quis abſolutus fuerit tempore mortis ab excommunicatione reſeruata, non habere amplius locum: & ceſſaſſe poſt Concilium Tridentinum *ſeſſ.14. c.7.* Et eius doctrinam Cœleſtinus *in compen. Theol. moral. tr.1. c.7. n.3.* putat; poſſe tuta conſcientia approbari; quando excommunicatio non eſt notoria, vel deducta ad forum externum, vel illam ſciunt tantum duo, vel tres. Sed in cõtrarium videtur, *cap. De cætero, & cap. Eos qui de ſent. excomm.* Ideò non recedendum à communi ſententia, ſuperius dicta.

21 Si ſecundo modo quis ſit abſolutus in articulo, ſeu periculo mortis à peccatis reſeruatis, non habentibus excõmunicationem annexam, non tenetur elapſo illo articulo, ſuo Superiori ſe præſentare, vt iterum ab illis peccatis abſoluatur. Ità docent Suarez *to. 4. in 3. par. diſp. 30. ſect.3. n.6.* Sanchez *lib.2. in decal. c.13. n.6.* Nauarrus *lib.5. conſil. tr. de pœnit. & remiſſ. in 1. edit. conſ.15. n.2. & 3.* Emmanuel Sà *in ſumm. verb. Abſolutio n.4.* Henriquez *lib.6. de pœnit. c.11. n.4. in commen. lit. V. in fin.* Fagundez *lib.1. in decal. c.16. n.14.* Diana *to.5. tr.1. reſ.202. ex par.5. tr.14. miſc.2. reſ.59.* & alij communiter. Et ratio eſt, quia nemo tenetur, iterum confiteri peccatum, à quo directè, & per ſe fuit abſolutus. In dicto autem caſu, quis eſt à peccatis reſeruatis directè, & per ſe abſolutus; quia ut decreuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 7.* In articulo mortis nulla eſt reſeruatio. Et pœnitẽs per illam confeſſionem ſufficienter ſatisfecit Deo: & ſecundum vſum, & cõſuetudinem Eccleſiæ abſolutè, & ſimpliciter à reſeruatis abſolutus fuit, abſque onere ſe præſentandi: vt notant Paludanus *diſt.20. q.1. art.2.* D. Antoninus *3. par. tit.14. c.19. §. 17.* Angelus *verb. Confeſſio 3. n.2.* Sylueſter *verb. Cõfeſſio 1. q.19.* Abſolutio enim, quæ in illo articulo datur, quantum ad forum ſacramentale ſpectat, abſolutè, & ſimpliciter datur, nullo relicto onere. In peccatis autem, quæ habent excommunicationem reſeruatam, manet obligatio, etiam poſt illum articulum, ad cõparendum coram Superiore, potius ratione cenſuræ, quàm culpæ. Quia cenſura eſt pœna Eccleſiaſtica, pertinens ad forum contentioſum. Et ideò noluit Eccleſia, illam omninò abſolutè auferri ab inferiori Sacerdote propter ſolum inſtantem articulum mortis. Quia neq; id neceſſarium erat ad ſalutem animæ, neq; expediebat ad rigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Sed quando peccata non habent annexam cenſuram, tota remiſſio fit in foro pœnitentiæ, & apud Deum: nec per ſe loquendo; relinquitur aliqua ſatisfactio, exhibenda Eccleſiæ ex vi prioris obligationis, quæ eſſet in homine. Et hac ratione nõ conſueuit Eccleſia, pro illo articulo culpas ipſas vllo modo reſeruare, nèq; onus comparendi poſt abſolutam culpam relinquere, ſecluſa cenſura.

In articulo, ſeu periculo mortis poteſt ne etiam Sacerdos ſuſpenſus, vel excommunicatus, vel irregularis, vel degradatus, aut hæreticus abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris ſortilegos, & alios?

22 RESP. Affirmatiuè, in caſu neceſſitatis: itaut non adſit alius Confeſſarius, vel ſimplex Sacerdos; Quia *Conc. Trid. ſeſſ.14. c.7.* abſolutè, & indiſtinctè declarauit, omnes Sacerdotes in eo articulo ea poteſtate gaudere; ne ali-

aliquis, abſq; pœnitentiæ Sacramento, ex hac vita diſcedat. Et ità docent Suarez *to.4.in 3.par.diſp.26.ſect.4.nu.1. & 5.* Sanchez *lib.2.in decal.c.13.n.5.* Zambranus *de caſib.artic. mortis c.4. dub.4. n.20.* Diana *to.1.tr.5.reſ.2.ex par.3. tr. 4.reſ.57.* & alij.

23 Dixi in caſu neceſſitatis, quia Conc. Trid. ait: id eſſe indultum ratione neceſſitatis: ne conſtitutus in periculo mortis abſq; confeſſione moriatur. Prędicta enim facultas abſoluendi, intelligenda eſt, quando deeſt copia Superioris potentis abſoluere, & proprij Sacerdotis, ſeu alterius expoſiti, ad audiendas confeſſiones. Tunc ratione neceſſitatis poteſt etiam Sacerdos ſuſpenſus, irregularis, excommunicatus, degradatus, & hęreticus, ceſſante periculo peruerſionis, abſoluere. Vndè ſi adſit Parochus, vel alius, qui habeat iuriſdictionem, non poteſt ſimplex Sacerdos abſoluere. Quia iam non eſt articulus neceſſitatis, vt per ſe conſtat. Et probatur à ſimili ex *c. Præsbyter 26.q.6.* vbi dicitur: *Niſi abſente Epiſcopo extrema neceſſitas cogat.* Eadem ergo ratione Sacerdos non expoſitus, non poteſt in eo caſu abſoluere, ſi adſit approbatus, qui poſſit, & velit id facere. Dico Qui poſſit, & velit. Quia, vt notat Sanchez *loc. cit. n.8.* Idem eſt, non adeſſe legitimum Confeſſarium; & adeſſe, ſed nolle, vel non poſſe, confeſſionem audire, exiſtẽtis in eo articulo: quia in vtroque caſu militat neceſſitas, & verum eſt, non dari confeſſarij copiam. Et ità declaraſſe S. Congregationem, teſtatur Zambranus *de caſib. artic. mortis c.4. dub.4.nu. 24.* Et idem dicendum ſi adſit Confeſſarius approbatus, ſed iuriſdictionem non habens; qualis eſſet E.g. Parochus alienus; quia tunc re vera omnibus pẽſatis, nulla eſt neceſſitas exceptionis, vt ait Suarez *vbi ſup. n. 4.* Verùm in hac re non debet ſimplex Sacerdos eſſe nimis ſcrupuloſus; ſed in dubio debet, exiſtentem in tali articulo abſoluere: ne illum in periculo moriendi abſque cõfeſſione exponat; vt docent Zambranus, & Sanchez *locis cit.* & Henriquez *lib.6. de pœnit. cap.11. nu.3.*

24 Si autem adſit Confeſſarius, habens priuilegium abſoluendi à reſeruatis; exiſtimant aliqui Doctores: non eſſe neceſſariò præferendum in dicto caſu Sacerdoti expoſito: quia ex Conc. Tridentino in eo articulo omnis reſeruatio ceſſat. Sed contrarium docent Nauarrus *c.27. n. 90. verſ. Ad quartam*, Corduba *in ſumm. q. 18. pun.2. diſt.1.* Sanchez *vbi ſup. n.11.* Quia tunc nullam eſſe peccatorum, & cenſurarum reſeruationem, non eſt abſolutè; ſed ratione neceſſitatis, quæ præſente Sacerdote, habente priuilegium abſoluendi, ceſſat. Et eadem ratione Sacerdos ſimplex, ad aliorum confeſſiones non approbatus, eſt præferendus Confeſſario approbato, ſi eſt à ſacerdotio ſuſpenſus: quia hic impedimento ſuſpenſionis laborat. Et ſimilitèr ſuſpenſus præferendus eſt irregulari, quia irregularitas eſt maioris impedimenti. Et irregularis, excommunicato: quia cum excommunicato non poteſt participari: Et excõmunicatus vitandus, eſt anteponendus degradato: quia degradatus maius habet impedimentum; Et degradatus catholicus, præferendus eſt hæretico, vel ſchiſmatico. Quia iſtis interdictum eſt hoc miniſterium, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, quæ tunc non occurrit, eo quod adeſt catholicus Sacerdos. Ità docent Zambranus *n.16.* Suarez *n.4.& ſeq.* Sanchez *n. 10.* & alij.

In caſibus Summo Pontifici reſeruatis, quando ratione articuli, vel periculi mortis, non eſt recurſus ad Pontificem, eſt ne adeundus Epiſcopus pro illorum abſolutione?

25 RESp. quod Corduba *in ſumm. q. 18.pun.2.dict.1.* Zambranus *de caſib.in artic.mortis c.4.dub.4.n.14.* exiſtimant, in his caſibus, adeundum eſſe Epiſcopum, quia vtique ei hæc facultas conceditur in hac neceſſitate, in qua acceſſus ad Põtificem eſſe non poteſt. Vt in percuſſione Clerici Papæ reſer-

uata

uata deciditur *in c. Ea noſcitur.* Et *c. De cætero de ſent. excomm.* Eadem enim videtur ratio de alijs caſibus Papæ reſeruatis. Sed Suarez *to.4. in 3. par. diſp. 30. ſect. 3. n.4.* Molina *to.4. de iuſtit. diſp. 63. n.2.* Sanchez *lib.2. in decal. c.13. n.9.* & alij docent: non eſse neceſsarium prius adire Epiſcopum, aut facultatem abſoluendi petere, etiamſi commodè fieri poſſit: ſed poſse in dictis caſibus abſoluere quemlibet alium Confeſsarium: quia in illo articulo, ſeu periculo, nulla eſt reſeruatio. Ergo eadem eſt ratio de his peccatis, ac de alijs; & ſicut de alijs poteſt abſoluere quilibet Sacerdos, habens iuriſdictionem, itâ & ab his; Quia ob reſeruationem Papæ, nullum ſpeciale ius acquiritur Epiſcopo. Ergo dum ad Papam nō patet aditus, & propter inſtās periculū mortis reſeruatio ceſſat, reliqui omnes manent æquales: ſeruato ordine ſuperius dicto. Et quantum ad id quod de percuſſione Clerici dicitur. Reſp. quod in ipſa Clerici percuſſione fuit ſpecialitèr ordinatum, vt in mortis articulo ſi Pontifex adiri nequeat, adeatur Epiſcopus; ſed quia in alijs caſibus id cautum non ſit, neq; in illis neceſſarium eſſe cenſetur, Epiſcopum adire: quia reſeruatio eſt quid odioſum, & non eſt extendēda in caſus ſimiles.

Si deficiente Confeſſario approbato, ſimplex Sacerdos cæpit audire confeſſionem, conſtituti in periculo mortis, & ante abſolutionem ſuperueniat Confeſſarius approbatus, vel Superior, cui caſus eſt reſertus, pōteſt ne ſimplex ille Sacerdos inceptam confeſſionem perficere?

26 RESp. Affirmatiuè, quia quādo deficiente Confeſſario approbato cœpit ſimplex Sacerdos confeſſionem dicti pœnitentis audire, verè habebat iuriſdictionem illum abſoluendi. Nam in articulo, ſeu in periculo mortis ei non conceditur hæc facultas cum limitatione, donec veniat legimus Cōfeſſarius, ſed abſolutè, & ſimplicitèr. Alias eſſet valdè aliena à ratione, & Eccleſiæ pietate: obligaretur enim, cōſtitutus in mortis anguſtijs, vt confeſſionem legitimè cœptam repeteret, quod in eo articulo eſſet grauiſſimum onus. Ergo facultas tunc abſoluendi ab omnibus peccatis, etiam reſeruatis cōceſſa ſimplici Sacerdoti, incepta pœnitentis confeſſione, non ceſſat per ſuperuenientem Confeſſarium approbatum. Itá colligitur *ex c. Gratum, & c. Relatum de officio deleg.* Et itá docent Paludanus *4. diſt. 17. q.4. ar.3. concluſ.7. nu. 25.* D. Antoninus *3. par. tit. 17. c.9. in fin.* Henriquez *lib.6. de pœnit. c.11. n.8.* Zambranus *de caſib. in artic. mortis c.4. dub.5. n.4.* Sanchez *lib.3. in decal. c.13. n.15.* & alij.

Eſt ne idem dicendum, ſi caſus haberet annexam excommunicationem reſeruatam; Et ante abſolutionem ſuperueniret Superior, cui excommunicatio non erat reſeruata?

27 RESp. Negatiuè, quia qui confeſſionem tunc audire cœpit, ſiue ſit ſimplex Sacerdos, ſiue ſit approbatus, tenetur illi pœnitenti onus imponere, vt quamprimum commodè poſſit, ſe legitimo Superiori præſentare, vt docent Corduba *in ſumm. q.18. pun.2. dict.2.* Suarez *to.4. in 3. par. diſp. 30. ſect.3. nu. 6.* & alij, quos citat, & ſequitur Zambranus *loc. cit. dub. 4. n.21.* Et abſolutio illa ab excommunicatione nulla alia ratione conceditur, niſi quia tunc non adeſt Superior, qui ab illa abſoluere poſſit. Ergo dum adeſt, & commodè pœnitens poteſt ſe illi præſentare, vtiq; tenetur. Neq; hoc eſt illi pœnitenti grauamen aliquod: quia non ideò cogitur peccata repetere, & Superiori confiteri. Sed ſufficit, vt illi pręſenti ſuam excommunicationem reuelet; ad quod tenetur etiam poſt abſolutionem. Ita docent ſupradicti Doctores.

Conſtitutus in articulo, ſeu periculo mor-

mortis, qui per ſe non poteſt Superiorem adire, ſed poteſt per literas, aut per Confeſſarium, vel alium nuntium petere facultatem, vt à reſeruatis abſoluatur, tenetur ne ad illam obtinendam, aliquem iſtorum mittere?

28 RESp. quod Zambranus affirmat, teneri, niſi periculum ſit in mora: quia in hoc caſu non dicitur deeſſe ſuperioris copia; dum per alium quis illum adire poteſt. Sed Henriquez *lib. 6. de pœnit. c. 9. n. vlt. in commen. lit. O. & c. 11. n. 4.* Corduba *ſumm. q. 18. pun. 2. in princ.* Valentia *to. 4. diſp. 7. q. 10. pun. 2. col. 6.* Azorius *to. 1. lib. 8. c. 19. q. 5.* Sanchez *lib. 2. in decal. c. 13. n. 14.* & alij docent: Verè dici non eſſe copiam Superioris, quādo conſtitutus in mortis periculo, nec poteſt perſonalitèr Superiorem adire, nec eum commodè aduocare: quia vel nō veniet, vel tardè veniet. Et ratio eſt. Quia ius non obligat pœnitentem, vt per tertiam perſonam Superiori abſoluturo ſe prĕſentet, ſed per ſeipſum. Et quando per ſeipſum non poteſt, cenſetur legitimè impeditus; vt conſtat *ex c. Quamuis de ſent. excomm.* Ergo verè dicitur legitimè impeditus, qui perſonalitèr Superiorem adire nequit; licet alium mittere ad illū valeat. Neq; tenetur per litteras abſolutionis facultatem petere. Quia exponeret ſe periculo detegendi crimen ſuum, ſi literæ vel amitterentur, vel ab alio aperirentur. Sicuti ob idem periculū, Doctores non obligant pœnitentem, ad ſcribenda peccata, ne memoria excidant, nec ad confitendum in ſcriptis, quando confeſſio fieri non poteſt voce. Neq; tenetur Confeſſarius: Quia onus adeundi ſuperiorem, ad obtinendam abſolutionem, non eſt Confeſſarij; ſed ipſius pœnitentis in ſui criminis pœnā. Ità Sanchez, & ità etiam docent Floronus *de caſib. reſeru. par. 1. c. 4. §. 19. n. 9.* Trullenchus *in bull. Cruc. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 5. n. 6.* Diana *to. 1. tr. 5. reſ. 4. ex par. 5. tr. 3. reſ. 65.*

Maleficus, ſeu quiuis alius habens excōmunicationem reſeruatā ſi in articulo, ſeu in periculo mortis abſoluitur, tenetur ne Confeſſario, iuramentum præſtare, ſe præſentandi Superiori, ſi conualuerit, vel periculum euaſerit?

29 RESp. Affirmatiuè ità Sanchez *lib. 2. in decal. c. 13. nu. 26.* Nauarrus *c. 27. n. 89.* Corduba *ſumm. q. 18. pun. 1. dict. 2. & pun. 2. dict. 2.* Manuel *in bull. Cruciatæ §. 9. n. 55. ex c. Quamuis, & c. Ea noſcitur de ſent. excomm.* Quia quilibet, qui ratione mortis articuli, vel cuiuſuis impedimenti abſoluitur à quacunque excommunicatione, ſiue iuris, ſiue hominis, reſeruata, tenetur Confeſſario, iuramentum petenti, iurare, quod ceſſante morbo, vel illo impedimento ſe præſentabit Superiori, qui extra eum caſum de iure poterat eum abſoluere. Et ſi poſtea non præſentauerit quàmprimum commodè potuerit, reincidet in ſimilem excommunicationem reſeruatam. Vt expreſsè habetur *in c. Eos qui de ſent. excomm. in 6.* An verò Confeſſarius teneatur in eo caſu hoc iuramentum exigere? Affirmant ſupradicti Doctores: ſuſtinent enim; hoc iuramentum ſemper eſſe exigendum prĕterquàm à pueris. Sed negant Trullenchus *in bull. Cruciat. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 5. n. 9.* Diana *to. 1. tr. 1. reſ. 204. ex par. 5. tr. 2. reſ. 67.* & alij, quos ipſe refert. Qui docent, teneri Confeſſarium, admonere conſtitutum in articulo, vel periculo mortis; vt ceſſante hoc periculo, ſe præſentet ſuperiori, qui extra eū caſum de iure poterat illum abſoluere, & quòd ſi non ſe prĕſentauerit, in excommunicationem iterum incurrat; ſed non teneri hoc onus ſub iuramēto imponere. Quia Canones ſupradicti loquūtur de excommunicatione ob Clerici percuſſionem. Et cùm diſpoſitio Canonum ſit odioſa, non eſt extendenda ad caſus ſimiles. Et ſi Confeſſarius omittat, vel obliuiſcatur, pœnitentem monere de hoc onere, valet abſolutio

in articulo, vel periculo mortis præſtita. Quia Eccleſia noluit valorem abſolutionis in tanta neceſſitate, ex Confeſſarij negligentia, vel ignorantia, pendere: vt docent Henriquez *lib. 6. de pœnit. c. 10. in fine*, Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 13. n. 35.* Et conſequentèr etiam ſic abſolutus, tenetur, ſi conualuerit, ſe præſentare, vt notant Palatius *in 4. diſt. 27. diſp. 7.* & Diana *ibidem*. Igitur ſi Confeſſarius hoc iuramentum petat, tenetur pœnitens, illud præſtare; ſed non tenetur Confeſſarius, illud exigere; at pœnitens illud onus tenetur, ſemper implere.

Conſtitutus in periculo mortis, ſi poſtquam ab excommunicatione abſolutus fuit, periculum euaſit, poteſt ne per procuratorem, ſe Superiori præſentare?

30 RESP. Affirmatiuè; quia abſolutio ab excommunicatione non exigit contritionem, nec præſentiam excommunicati, neq; determinatam formam, ſicut abſolutio à peccatis: quæ cum requirat contritionem, requirit etiam neceſſariò præſentiam pœnitentis abſoluendi; aliter ſciri non poſſet, an ipſe perſeueraret in contritione. Ideò excommunicatus, vel obligatus, ad ſe præſentandum, ſatisfacit, ſi per procuratorem ſe præſentet: quia in hoc non requiritur eius præſentia. Immò etiam ſatisfacit, ſi per literas ſe præſentet. Secus verò excommunicatus ob Clerici percuſſionem, qui tenetur perſonalitèr comparere, vt abſoluatur, in pœnam ſui delicti: vt patet *in c. Quod de his de ſent. excomm.* Ità docent Syluester, *verb. Excommunicatio 8. §. 8. q. 7.* Armilla *verb. Excommunicatio 59.* Henriquez *lib. 13. de excommunicat. c. 29. n. 3. & lib. 6. de pænit. c. 9. in fine.* Diana *to. 5. tract. 1. reſ. 203. & par. 8. tr. 7. reſ. 66.* Sanchez *lib. 2. in decal. c. 13. n. 33.* Caietanus *in ſumm. verb. Excommunicatio c. 69. n. 4.* Per nos enim fieri dicitur, quod per procuratorem noſtrum fit.

Sortilegus, ſeu quilibet alius excommunicatus, qui in articulo mortis obmuteſcens, nullum dedit contritionis ſignum, poteſt ne ab excommunicatione abſolui?

31 RESP. Nauarrum *in ſumm. c. 27. nu. 272.* Vgolinum *de cenſuris Papæ reſeru. par. 3. §. 2. n. 2.* docere, quod omnis Sacerdos in articulo mortis poteſt abſoluere ab excommunicatione, etiã non confeſſum, modo ſigna contritionis præcedant. Verùm poſſe moribundum abſolui ab excommunicatione, etiam ſi nullum dederit contritionis ſignum affirmant Boſſius *diſcep. 2. dub. 4. n. 38.* Diana *to. 5. tr. 1. reſ. 208. ex par. 9. tr. 7. miſc. 2. reſ. 13.* niſi euidentèr conſtet; illum priuatum vſu rationis, omninò impœnitentem mori: quia, vt ſupra dictum eſt, & docet Syluester *verb. Excommunicatio 8. q. 7.* abſolutio ab excommunicatione non exigit contritionem. Et dùm excommunicatus viuus, & ſanus abſolui poteſt ab excommunicatione, etiam ſi non ſit contritus. Cur moribundus abſolui non poterit, niſi ſigna contritionis dederit? Et ideò optimè addunt dicti Doctores; peccare mortalitèr Sacerdotem, qui moribundum ab excommunicatione non abſolueret; quia, illa negata, nec iuuari poſſet Eccleſiæ ſuffragijs, nec in loco ſacro ſepeliri. Qui autem tempore mortis ſigna contritionis dedit; etiam poſt mortem ab excommunicatione poteſt abſolui, non à quolibet Sacerdote, ſed ab illo tantùm, à quo viuens abſolui potuiſſet: vt rectè cum Nauarro docet Suarez *to. 5. de cenſuris diſp. 7. ſect. 1. n. 7.* Quia iam ceſſauit neceſſitas articuli mortis, in quo datur facultas cuilibet Sacerdoti, vt poſſit à peccatis, & cenſuris abſoluere.

Sortilegus, ſeu alius excommnnicatus moribundus poteſt ne ob abſentiã Sacerdotis à non Sacerdote, vel laico ab excommunicatione abſolui?

Reſp.

32 RESP. certum eſſe, quod ſi adſit Sacerdos, nullus alius poteſt in mortis articulo ab excommunicatione abſoluere. Tum quia abſolutio à cenſuris tunc cōceditur præcipuè propter abſolutionem ſacramentalem, vt ex *Conc.Trid.ſeſſ.*14.*c.*7.colligitur.Et tum etiam quia hæc eſt intentio Eccleſię,vt conſtat ex vſu, & traditione, & ex *cap. vlt. de ſepulturis*, & ex alijs iuribus. Quando autem deeſt Sacerdos,an quilibet alius non Sacerdos, & etiam laicus poſſit moribundum ab excommunicatione abſoluere, cōmunior,ac probabilior ſententia negat; poſſe. Ità Paludanus 4.*diſt.*20. *ar.*2. Sotus *diſt.* 18. *q.*4.*ar.*4.Nauarrus *c.*26. *n.*26. *&* *c.*27. *n.*273.Couarruuias *in c. Alma mater, par.*1.§.11.*n.*9. Graffis *lib.*4. *deciſ.c.*15. *n.*79.Vgolinus *tab.*1.*c.*4.§.*vlt.n.*7.Suarez *de cenſur.diſp.*7.*ſect.*6.*n.*9.Quia neque ex aliquo iure, neq; ex vſu habemus, quòd Eccleſia hanc poteſtatem laico conceſſerit etiā pro articulo mortis.Eſt enim alienum à iure,vt ſpiritualia per laicos miniſtrentur, vt conſtat ex *cap. Decernimus de Iudicijs, & cap. Si verò de ſent. excomm.* Quæ quidem ratio videtur etiam procedere de non Sacerdotibus; quia iura, quæ de hac conceſſione pro articulo mortis loquūtur ſemper nominant Sacerdotem; vt patet ex *Conc.Trid.loc.cit.*Et conſuetudo ſolùm videtur eſſe de Sacerdotibus. Et ità ſentiunt Nauarrus, Sotus, Couarruuias, & Suarez expreſsè ait,quòd Diaconus, & à fortiori quilibet inferior,non Prælatus,neq; habens ordinariam iuriſdictionem ad excommunicādum, vel abſoluendum, non cenſetur habere illam pro articulo mortis, iuxtà communem ſententiam.

33 Vgolinus verò *vbi ſup.n.6.* affirmat: Iudicem Eccleſiaſticum, qui poteſtatē habet excommunicandi,& abſoluendi; licet Sacerdos non ſit,poſſe in articulo mortis abſoluere à cenſura quemlibet, etiam non ſubditum,quem extrà illum articulum abſoluere non poſſet, quia eſt alterius Diœceſis. Quia ſicut iuriſdictio abſoluendi, quam Parochus habet in ſuos ſubditos, extēditur in mortis articulo ad quoſcunq;alienos:Ità iuriſdictio quam habet Iudex Eccleſiaſticus ad abſoluendos ſubditos in ſua Diœceſi,extendi videtur ex pia Eccleſiæ interpretatione ad non ſubditos in neceſſitatis articulo.

34 Sed quamuis ſupradicta ſententia ſit probabilior,& communior,tamen probabilis exiſtimatur etiam illa, quæ affirmat,quòd ſi non adſit Sacerdos,poſſit non ſolum quilibet Clericus, ſed etiam laicus abſoluere in articulo mortis ab excommunicatione, nè quis careat Eccleſiaſtica ſepultura. Ità ſentiūt Gloſſa *in cap. Paſtoralis de officio Iudicis ordinar. verſ.Præter quam in mortis articulo.*D.Antoninus 3.*par. tit.*17.*c.*4. §.7.Sanchez *lib.*2.*c.*13.*n.*13. Candidus *to.*1.*diſquiſ.*22.*art.*55. *dub.*2.*n.*5. Sancius *in ſelectis diſp.*14.*n.*7. Ragucius *in lucerna Parochorū tit. de abſol.q.*124.*n.* 6.Syluester *verb.Abſolutio primo n.* 8.*et* 9.Angelus *verb.Abſolutio primo*,Ledeſma *de excomm.cap.*8.*dub.*4. Philibertus Marchinus *in ſuis commentarijs de bello diuino,ſeu de peſte par.*3.*c.*12.*nu.*3.*& ſequ.* & alij,quos citat,& ſequitur Diana *to.*5.*tr.*1.*reſ.*208.*nu.*3.*& reſ.*10. 11. 12.*&* 13.*ex par.*3.*tr.*4.*reſol.*132. *alias* 133.*ex par.*5.*tr.*3.*reſ.*77. *& tr.*9.*reſ.*7. *& ex par.*9.*tr.*7.*miſc.*2.*reſ.*13.*n.*3. Et ratio eſt, quia cum Eccleſia, vel Summus Pontifex poſſit poteſtatē abſoluēdi ab excommunicatione, etiam laico concedere, vt probat Suarez *de cenſuris diſp.*7.*ſect.*6. *n.*4. credendum eſt,illam conceſſiſſe in mortis articulo, & hanc eſſe eius voluntatem: Nam etſi laicus non poſſit à peccatis abſoluere; ipſa tamen excōmunicationis abſolutio per ſe eſt illi valdè vtilis, multumq; poteſt conferre ad ſalutem animæ.Ergo cū Eccleſia omnibus modis hanc procuret fidelibus moribundis, & proptereà in illo articulo det iuriſdictionem, abſoluendi à peccatis,omnibus qui ſūt capaces illius: eadem ratione cenſendum eſt dare illam ad abſoluendum ab excommunicatione, omnibus, qui ſunt capaces talis iuriſdictionis quales

ſunt etiam laici. Igitur quia huiuſmodi abſolutio data à non Sacerdote, vel laico nocere non poteſt morienti, ſed ei valdè prodeſſe, vt in loco ſacro ſepeliri, & Eccleſiæ ſuffragijs gaudere poſſit; charitas chriſtiana poſtulat, vt data probabilitate huius ſententiæ, illam in tanta neceſſitate non ei denegetur.

35 Notat, hoc non obſtante, Diana *vbi ſup. reſ.* 273. *ex par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 77. Obſeruandum eſſe cum Trullench. *in bull. Cruc. lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 5. *n.* 7. & Sãchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 13. *n.* 13. quòd licet ſupradicta opinio; (laicum, deficiente Sacerdote, poſſe abſoluere ab excommunicatione) ſit probabilis; expedit tamen, quoties à Sacerdote abſolutio obtenta nõ eſt; vt proſit à laico obtenta, obtineatur noua abſolutio poſt eius mortem ab illo, cui excõmmunicatio erat reſeruata, ſi commodè obtineri poſſit. Quia ſi dicta opinio non ſit vera, carebit abſolutio valore ſuo; ac proindè poſtea non proderunt abſoluto Eccleſiæ ſuffragia.

Sepelientes in loco ſacro excommunicatum abſolutum ab excommunicatione à laico in articulo mortis vt ſuprà, incidunt ne in excommunicationem latam *in cap. Sacris, de ſepulturis*?

36 RESp. Negatiuè, quia Eccleſiaſtica ſepultura deneganda non eſt, niſi in caſu claro, & manifeſtò, & concedenda eſt, quando dubitatur, an cadauer ſit in loco ſacro ſepeliendum: quia tunç in partem fauorabilem eſt inclinandum, vt *in dicto cap. Sacris de ſepulturis, & ex cap. Non æſtimemus* 23. *q.* 2. & docet etiam D. Antoninus 3. *par. tit.* 10. *c.* 5. §. 9. *in fin.* In dicto autem caſu adeſt opinio probabilis pro mortuo excommunicato, quòd licitè, & validè à laico in mortis articulo abſolutus ſit ab excommunicatione. Ergo non eſt deneganda Eccleſiæ ſepultura: Ergo Clerici illum ibi ſepelientes immunes ſunt à pœnis in *dicto cap. Communis*. Ità docet Diana *to.* 5. *tr.* 1. *reſ.* 214. *ex par.* 8. *tr.* 7. *reſ.* 79. Lauorius *in varijs lucubrationibus tit.* 2. *c.* 11. *n.* 155. *& cap.* 12. *num.* 71.

CAPVT XXX.

De adiuratione, & exorciſmis contra Dæmones.

Quid, & quotuplex eſt adiuratio?

1 RESp. quod adiuratio eſt conteſtatio rei ſacræ, ob cuius reuerentiam, amorem, vel timorem, promouetur adiuratus ad aliquid agendum, vel omittendum. Ità ex D. Thoma 2. 2. *q.* 90. *ar.* 1. Riccardo *in* 3. *diſt.* 37. *ar.* 3. *q.* 2. docent Suarez *to.* 2. *de relig. lib.* 4. *c.* 3. *n.* 4. Sylueſter *verb. Adiuratio n.* 1. Sãchez *lib.* 2. *in decal. c.* 42. *n.* 12. Leſſius *lib.* 2. *c.* 42. *dub.* 13. Bonacina *to.* 2. *in* 2. *decal. præc. diſp.* 4. *q.* 1. *pun. vlt.* Thomas del Bene *de iuramento c.* 6. *dub.* 1. *n.* 4. & alij. Dicitur cõteſtatio rei ſacræ. Tum quia adiuratio comprehendit non ſolùm cõteſtationem Dei, ſed etiam Sanctorum. Et tum etiam vt excludatur conteſtatio rei humanæ, ſeu prophanæ, quæ dicitur potius amicabilis obſecratio. e. g. quando quis petit aliquid ab amico per ſalutem patris, vel matris, &c. hæc enim conteſtatio dicitur amica obſeruatio; non autem abiuratio, quia non eſt conteſtatio rei ſacræ, vt tradunt dicti Doctores.

2 Adiuratio autem alia eſt ſolemnis alia priuata: Solemnis eſt quæ fit ex præcitata forma ab Eccleſia inſtituta, & à miniſtris ad id conſecratis. Priuata eſt quæ ſolemnitate caret, & fit à quibuslibet priuatis hominibus. Sed ſiue ſit ſolemnis, ſiue priuata ſubdiuiditur, in adiurationem imperatiuam, & deprecatiuam. Exemplum adiurationis imperatiuæ eſt illud quando Adraham dixit ſeruo ſuo: *Adiuro te per Deum Cœli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, *Geneſ.* 24. Et quando Iacob adiurauit filium

lium ſuum Ioſeph: *In ſepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaam ſepelias me, Geneſ.*50. Ac etiam cum Princeps Sacerdotum Chriſto præcepit: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas mihi ſi tu es Chriſtus filius Dei? Matt.*26. Exemplum adiurationis deprecatiuæ eſt illud *Cant.* 5. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo:* et illud Apoſtoli 1. ad Theſſal. 5. *Adiuro vos per Dominum, vt legatur epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus.* Et dum Eccleſia per Chriſtum petit exaudiri: *Per myſterium ſanctæ Incarnationis tuæ: Per Natiuitatem tuam: Per mortem, & ſepulturam tuam, &c.* & quando in orationibus deprecamur: *Per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum,* vel *per merita B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum.*

Vt adiuratio ſit iuſta, & honeſta, quas conditiones expoſtulat?

3 RESp. expoſtulare tres conditiones, ſcilicet, veritatem, iuſtitiã, & iudicium. Expoſtulat veritatem: vt conteſtatio fiat per veram rem ſacram, non per fictitiam, & falſam; & ex vero animo adiurantis obtinendi, quod poſtulatur, aut præcipitur: & non irriſoriè, & iocò; & ex vera cauſa, non ficta, & ſimulata. Expoſtulat iuſtitiam, vt quod petitur, vel imperatur, ſit res iuſta, & honeſta: quia inuocare diuinum nomen, aut aliam rem ſacram, vt obtineatur res turpis, & inhoneſta; eſt Deo iniurioſum, & peccatum. An verò ſit peccatum mortale, vel veniale, deſumendum eſt ex grauitate materiæ, quæ petitur, vel imperatur. Si enim hęc ſit grauitèr inhoneſta; adiuratio erit mortale peccatum; ſi autem leuitèr ſit inhoneſta, erit veniale. Ità docent Suarez *to.* 2. *de relig. lib.* 4. *de adiurat. c.*4. *n.*8. Sanchez *in decal. lib.* 2. *c.* 42. *n.* 5. Bonacina *to.* 2. *diſp.* 4. *q.* 1. *pun. vltim. n.* 11. Caſtro Palaus *par.* 3. *tr.* 14. *diſp.* 4. *de adiurat. pun.* 1. *n.* 6. Tandem requiritur ad honeſtatem adiurationis, Iudicium; vt cũ debita conſideratione fiat. Conteſtatio enim nominis Dei, & Sanctorum fieri debet cum neceſſitate, & debita reuerentia, non temerè, & quauis occaſione. Ità docent D. Antoninus 2. *par. tit.* 10. *c.*8. Sylueſter *verb. Adiuratio in fin.* Sotus *lib.*8. *de iuſtit. q.*3. *art.*1. Valentia 2.2. *diſp.*6. *q.*8. *par.*2. *q.*1. Suarez *loc. cit. n.*9. Sanchez *n.*5. Caſtro Palaus *n.*7.

Quinam adiurare, & adiurari poſſunt?

4 RESp. quod omnis creatura intellectualis adiurare poteſt: quia quælibet illarum præſtare poteſt per nomen Dei; vt illius amore, vel timore quilibet moueatur, ad aliquod agendum, vel omittendum. Solemnitèr verò adiurare, non omnibus datum eſt: ſed tantùm miniſtris ab Eccleſia conſecratis, quales ſunt exorciſtæ. Cæteri enim poſſunt, Dæmonem adiurare, ſed non publicè, & ſolemnitèr, ſicut dicti Eccleſiæ miniſtri: vt notant Suarez *vbi ſup. c.*2. *n.*10. Sanchez *n.* 18. Caſtro Palaus *pun.*3. *n.*2. & alij communitèr.

5 Adiurari verò poteſt Deus per ſeipſum, & per Sanctos eius: vt per ſuam infinitam pietatem, & per Sanctorum merita nobis miſereatur, & ſuæ diuinæ gratiæ participes faciat. Similitèr adiurari poſſunt Angeli, & omnes Sancti, ac etiam homines, vt per ſe patet. Dæmones autem quamuis nec amore, nec timore Dei moueantur, ſed omnia ex odio operantur: Nihilominùs etiam adiurantur: vt conteſtatione diuini nominis coacti, præſtent quæ ſibi imperãtur. Vt ſæpè fit exorciſmis Eccleſiæ, ad hunc effectum inſtitutis.

6 Creaturæ irrationales per ſe nõ ſunt capaces adiurationis: ſed quia eorum operationes, vel ſunt principalitèr à Deo, cuius diſpoſitioni omnis creatura mouetur: vel à Dæmone, qui, permiſſione diuina, vtitur aliquãdo creaturis irrationabilibus, ad nocendum hominibus: etiam creaturæ irrationales adiurari poſſunt, quatenùs adiuratio, vel per modum deprecationis refertur ad Deũ: vel per modum compulſionis refertur ad Dæmones: vt ipſis creaturis vti non

poſſit,

poſſit,ad homines nocendos. Et talis eſt modus adiurandi in Eccleſiæ exorciſmis: per quos Dæmonum poteſtas excluditur ab irrationabilibus creaturis; vt docet D. Thomas 2. 2. *q.* 90. *art.* 3.

Adiurantur ne vniformitèr, an diuerſimodè, creaturæ rationales, & Deus?

7 RESp. non adiurari vniformitèr, ſed diuerſimodè: quia Deum adiuramus,non vt eius voluntas immutabilis,immutetur; ſed vt noſtram voluntatem,ad ei perfectè ſeruiendum,& benè operandum, immutet,ac firmet; & quæ ſecundum ſuam voluntatem ab æterno ordinauit, per ſuam miſericordiam, & Chriſti merita, nobis concedat. Homines autem adiurantur, vt eorum voluntas immutetur, ad aliquid agendũ, vel non agendum, ob reuerentiam rei ſacræ. Angeli adiurantur, vt per rem ſacram; vel aliquid diuinum excitẽtur, ad ferendum ſuffragium pro nobis; & quæ iuſtè petimus, à Deo recipiamus. Beatiſſima Virgo Maria,& omnes Sancti adiurãtur;vt per eorum merita, quæ nõ meremur,nobis impetrent. Ex quibus patet adiurationis diuerſitas. Ità docent D. Thomas *loc.cit. art.* 1. *ad* 3. Syluester *verb. Adiuratio n.* 2. & alij communitèr. Inſuper diuerſimodè adiurantur ſuperiores,ac inferiores. Nam ſuperiores adiurantur deprecando, & inferiores præcipiendo. Eſſet enim illicitum adiurare ſuperiores pręcipiendo. Alias ſubditi ſibi vſurparent poteſtatẽ, quam non habent. Solus enim ſuperior erga ſubditos imperare, & cogere poteſt;vt per ſe patet,& notat D. Thomas 2.2.*q.*90.*art.*1.Sic illicitè Princeps Sacerdotum Chriſto præcepit: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas mihi: Si tu es Chriſtus filius Dei*: Quia Chriſto ſubditus erat,non ſuperior.

Adiurare creaturas irrationales, dirigendo ſermonem, neq; ad Deum, neq;ad Dęmones,ſed ad ipſas creaturas per ſe; vt nobis nocentes, ne noceant; eſt ne ſuperſtitioſum peccatum?

8 RESp. Affirmatiuè:quia,vt dictum eſt,creaturæ irrationales,nec ſunt exorciſmis capaces; neq; ad nobis nocendum mouentur ex ſe:ſed uel à Deo, vel à Dæmonibus, ipſo Deo permittẽte: vel in pœnam noſtrorum peccatorum: vel ad noſtram correctionem, vel ad alios fines à diuina prouidentia ordinatos. Ideò talis adiuratio eſt vana ſuperſtitio:quæ niſi excuſetur,eſſe facta ob ſimplicitatem,vel ob leuitatem materiæ; eſt peccatum mortale. Quia grauis irreuerentia eſſe videtur, contemnere exorciſmos Eccleſiæ, & alia diuina verba,vanè, & inutilitèr applicare, creaturis omninò ratione incapacibus. Ità docent Nauarrus *lib.5.conſil. de ſent.& excomm.conſil.*5.*n.*10. *edit.*1.*& conſil.*2.*n.*2.*edit.*2. Angelus *verb.Adiuratio in fin.* Tabiena *ibid.& in fin.* Verùm ſi animus adiurantis non ſit contemnere exorciſmos Eccleſiæ, ſed ſit quædam ſimplicitas, ſeu vanitas, eſſet tantùm veniale peccatum. Ità docent Syluester, *verb.Adiuratio*, Suarez *to.*2. *de relig.lib.*4.*de adiurat.c.*14.*n.*12.Sanchez *in decal.lib.*2.*c.*42.*n.*37. Bonacina *diſp.*4.*q.*1.*pun.vlt.n.*3. & alij.

Eſt ne ſuperſtitioſum peccatum,ad fugandas locuſtas, ne frugibus terræ noceant:conſtituere Iudicem, accuſatorem,& aduocatum, ac procuratorem, ad dirimendam litem inter ipſas locuſtas, & terræ poſſeſſores, vel cultores;& auditis partibus proferre ſententiam,vt locuſtæ excommunicentur, & anathematizentur?

9 RESp. Affirmatiuè, quia talis actio eſt omninò inutilis,& vana,quoad locuſtas: quæ cum ſint creaturæ irrationales, nec litis,nec ſententiæ ſunt capaces.Ergo lis agitur contra Dæmones,à quibus ſupponitur, illos moueri, & dam-

& dãnificare. Homines autem nec ius, nec poteſtatem in Dæmones habent; & iſti nec eorum accuſationem timẽt, nec eorum defenſione indigent, nec eorum ſententiam exequũtur. Et ſi aliquando ſe obedire, oſtendant, & nocere deſinant, auferentes illas creaturas nocentes; hoc faciunt; vt homines magis fallant, & in eorum ſeruitutem ſuadeant, & indurent. Ergo huiuſmodi iudicatio eſt omninò vana, ſuperſtitioſa, & illicita, ac peccaminoſa. Et idem dicendum de quacunque alia nociua creatura irrationali tali modo fuganda. Ità docent Sotus *lib.5. de iuſtit.q.12. ar.2. & lib.8.q.3.ar.3.* Martinus del Rio *lib.3. diſquiſit.magic. par.2. q.4. ſect.8. verſ. Tertio licet illa.* Nauarrus *lib.5. cõſil.tit.de ſent.excomm. in 1.edit. conſil.5. & in 2.edit.conſ.2.* Sanchez *d. c. 42. nu. 39.* Thomas del Bene *de iuram.c.6.dub. 7.n.2.* In Rituali etiam Romano habẽtur expreſſæ formulæ legitimæ, quas omnes ſequi debent, & ſine peccato illis vti poſſunt, pro adiuratione creaturarum irrationabilium.

Eſt ne homini licitum adiurare Dæmones?

10 RESp. Affirmatiuè ſi debito modo adiuratio fiat, & eſt certum de fide. Nam Chriſtus Dominus dixit de ſuis fidelibus Marc. vlt. *In nomine meo Dæmonia eijciunt*: & Luc.10. *Dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebũt.* Poſſumus ergo Dæmones adiurare per virtutem diuini nominis, & tanquam inimicos repellere, ne nobis noceant, nec ſpiritualiter, nec corporaliter. Sancta etiam Mater Eccleſia peculiarem Clericorũ ordinem inſtituit, ad exorcizandos, ſeu adiurandos Dæmones: idem enim eſt Latinè *Adiurare*, quod Græcè *Exorcizare*, vt communiter teſte Suarez *to. 2. de relig.lib.4.de adiurat.c.3.n.6.* Patres Sancti, ac Theologi docent.

Quid requiritur, vt Dæmones licitè adiurentur?

11 RESp. requiri tria. Primò, vt finis adiurationis ſit expellere, ac fugare Dæmones, non verò aliquid ab illis obtinere, vel ſocietatem cum illis inire: vt docet D.Thomas 2.2. *q.90.ar. 2.* Et conſtat, quia Chriſtus non dedit Eccleſiæ ſuæ virtutem, niſi ad fugãdos, & eijciendos Dæmones: *In nomine meo Dæmonia eijciunt*: *Dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes*. Ergo non aliter nobis licet, adiurare eos: quia nõ valemus, id facere, niſi per poteſtatem à Deo receptam: naturaliter enim longè illis inferiores ſumus; iuxtà illud *Iob 41. Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei* (ideſt Dæmoni) *qui factus eſt, vt nullum timeret.* Ad alium ergo finẽ adiurare, quàm ad eos coercendos, & fugandos, eſſet actus inordinatus, & peccaminoſus; quia expectaretur effectus, non virtute diuina, ſed ipſius Dæmonis; quod eſſet impium, & iniquum.

12 Secundò requiritur, vt adiuratio fiat, non obſecratione, ſed imperio, & obiurgatione: vt ſupra dictum eſt; quia obſecratio ad beneuolentiam, & amicitiam pertinet, qua nos vti erga Dæmones, non licet: quia ſunt Dei, & noſtri inimici, nec aliud procurant, niſi impedire honorem Dei, & animarum noſtrarum ſalutem: & nihil operantur, niſi in odium Dei, & hominum perniciem. Ergo aliquid ab ipſis, obſecrando, petere, eſt participare, & communicare operibus illorum malignis. Adiurare autem eos imperatiuè, & compulſiuè, non eſt, velle cum ipſis ſocietatem, & amicitiam; ſed potius velle ab eis decedere, & eos repellere, ne nobis noceant: & huiuſmodi eorum expulſio eſt cum eorum confuſione, maiori Dei gloria, & noſtrorum fructu: vt docent D.Thomas 2.2.*q.95.ar.4.ad* 1. D.Antoninus 2.*par.tit.12.c.1.§.5.* Suarez *vbi ſup.n.8.* & alij omnes.

13 Tertiò requiritur, quoad adiurationem ſolemnem; vt ipſa fiat ab habente legitimam poteſtatem; quæ non omnibus

bus data eſt, ſed ſolum Eccleſiæ miniſtris, ad exorcizandum ſpecialiter deputatis. Quia poteſtas eijciendi Dæmones, ne in temporalibus nobis noceant, & vt ab energumenis expellantur, non eſt à Chriſto Domino omnibus conceſſa, ſed ſolum Exorciſtis ritè ab Eccleſia ordinatis; vt patet ex forma Ordinis exorciſtatus. Qui enim hanc poteſtatem ſibi temerè vſurpauerit, timere debet, ne Dæmon ab eo adiuratus, reſpondeat: vt in ſimili refertur *Act.* 19. *Ieſum noui, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis? & inſiliet in eos.* Ideò adiuratio ſolemnis, & publica, ſecundum formam inſtitutam, & præſcriptam ab Eccleſia, & ab eius miniſtris, facienda eſt. Nam hæc pertinet ad actus Ordinis eccleſiaſtici, qui non poſſunt, niſi à conſecratis miniſtris exerceri. Adiuratione verò priuata, poſſunt omnes fideles licitè, & vtilitèr vti; quando tentati, fortes in fide, Dæmoni reſiſtunt, interius adiurando, vt in nomine Chriſti diſcedat, & à tentando, deſiſtat. Ita cum D. Thoma 2.2.*q.*90.*ar.*2. Valentia 2.2. *diſp.*6.*q.*8.*pun.*2.*q.*2.*colum.penult. verſ. Item ad primum.* Delrius *diſquiſ. magic. poſt* 6.*lib. in Anacephalauſi monit.* 10. Sanchez *lib.*2.*in decal.c.*42.*n.*18. & alij communiter.

Adiurare Dæmones, non deprecando, ſed præcipiendo, vt aliquod obſequium, vel beneficium præſtent; quodnam peccatum eſt?

14 Reſp. eſſe peccatum mortale; quia hoc eſt cum Dæmonibus ſocietatem, & amicitiam habere, à qua omninò recedendum eſt. Chriſtus enim poteſtatem in Eccleſia reliquit, adiurandi Dæmones, & eos tanquam hoſtes arcendos, & repellendos, non autem ad eorum obſequium, vel beneficium recipiendum. Sic enim obſcuraretur gloria Dei. Nam non verificaretur: Omne datum optimum, & omne donum perfectum ad nos deſcendere à Patre luminum. Ergo ſiue deprecatiuè, ſiue imperatiuè aliquid à Dæmonibus petatur, ſemper eſt cum illorum operibus, participare, & communicare. Ergò ſemper eſt mortale peccatum. Ità cum D. Thoma, & Caietano *loc.cit.* D. Antoninus 2.*par. tit.*10. *c.*8. Syluester *verb. Adiuratio q.*4. Sotus *de iuſtit. lib.*8.*q.*3. *ar.*2. Suarez *to.*2.*de relig. lib.*4.*c.*2.*nu.*8. *&* 9. Sanchez *lib.*2.*in decal.c.*42. *nu.* 19. & alij. Vndè mortalitèr peccaret, qui Dæmones adiuraret, vt ei opera ferrēt, ad fugādas locuſtas, & alia infeſta animalia, ad diſſipandas grandines, ad expellendos morbos, ad inueniendum theſaurum, & ſimilia: quia nunquam licet beneficium aliquod petere, & expectare à Dæmonibus.

Eſt ne licitum Dæmonem ſuperiorem adiurare, vt Dęmones inferiores ab obſeſſi corpore expellat?

15 Reſp. Syluestrum, *verb. Adiuratio, q.*5. opinari eſſe licitum Dæmonem ſuperiorem adiurare, vt inferiores ab obſeſſi corpore expellat: quia hæc adiuratio non ordinatur ad beneficium conſequendum à Dæmone; ſed ad ipſos Dęmones expellendos, & ad eorum nocumentum euitandum. Sed contrarium docent Sotus *lib.*8. *de iuſtit. q.* 3. *art.*2. Suarez *de relig. lib.*2. *de ſuperſtit. c.*18.*n.*8. Leſſius *lib.*2.*c.*44. *dub.*6.*n.*46. Sanchez *lib.*2.*in decal. c.*42. *n.* 21. Filliucius *to.*2.*tr.*24.*c.*8.*n.*211. & alij. Quia verè hoc eſſet, beneficium à Dæmone petere: beneficium enim eſt, à nocumēto aliquo liberari. Notat tamen Caſtro Palaus *par.*3.*tr.*14.*diſp.*4.*pun.*4. *nu.*10. eſſe licitum ſuperiori Dæmoni præcipere; vt cum alijs ſibi inferioribus ab obſeſſi corpore exeat: quia tunc expulſio, ſuperiori, & inferioribus præcipitur; & beneficium recipitur à Chriſti nomine, & ab Eccleſiæ exorciſmis, & nullo modò à Dæmone.

Dęmon, per quam corporis partem ingreditur, & egreditur, & in qua reſidet in homine?

16 Reſp. poſſe Dæmonem in corpus hominis

minis ingredi,& ab illo egredi per quãlibet eius partem: quia cum quantitate careat, & ſit ſpiritus, non indiget via, per quam ingrediatur,& egrediatur. Vt plurimum tamen ingreditur,& egreditur per os;quia maleficium per os trãſmittitur. Reſidet verò totus in toto, & totus in qualibet parte corporis obſeſſi,non per modum formæ, ſed tantùm aſſiſtentiæ, & operationis: ſed vt plurimum reſidere ſolet in corde ; vt indè prauos motus in corpore excitet, & praua, sẽſibus internis,& externis,obijciat. Nec ſemper moleſtijs ipſum corpus afficit,ſed ad tempus torquere ceſſat, & ad tempus etiam ipſum deſerit, & poſtea reuertitur: Deo miſericorditer ità permittente: vt notant Thyræus *de Dæmoniacis c.vlt. nu.9.* Sanchez *vbi ſup.n.7.* Abulenſis *in cap. 8. Matth. q. 13.ad 2.* Bonacina *to.2. in 2.decal.præc. diſp.4.q.1.pun.vlt. nu.17.* Filliucius *tr. 24.c.8. n.204.* Thomas del Bene *de iuram.c,6.de adiurat.dub.16.*& alij.

Quibus ſignis dignoſcitur aliquem eſſe maleficio læſum, & à Dæmone obſeſſum?

17 Reſp.quod Martinus del Rio multa enumerat ſigna, ad dignoſcẽdum:an aliquis maleficio læſus,ſit verè à Dæmonio obſeſſus,& præcipuè *lib.6. diſquiſ.magic.c.2.ſect.2.q.3.*docet:Dæmoniaci ſigna eſſe: omnia ſpiritualia odio habere; à facie Sacerdotum, & Exorciſtarum fugere;in Eccleſiã ingredi nolle;cuncta benedicta, Sanctorumque imagines, & maximè Crucifixi, nolle aſpicere, nec deoſculari; immò hæc omnia in terram proijcere,vel conſpuere;ſacra illa verba: *Miſerere mei Deus*: *Qui habitat in adiutorio Altisſimi*: *Magnificat anima mea Dominum*: & ſimilia nolle proferre:& ſi coguntur; dicere, balbutire ſtudent, vel verba corrumpunt, & tedium grande demonſtrant;tandem illa proferre non poſsũt. Quando ſupra dæmoniacum legitur Euangelium, vel Chriſti paſſio, videntur conturbari,guttas ſudoris defluere, intolerabiles anſietates oſtendere,ſtridores vſq;ad Cœlos mittere,ſe proſternere,& ſimilia facere. Verùm quia hæc, à finto dæmoniaco, etiam ſimulari poſſunt. Ideò dicendum ſignum efficax dæmoniaci eſſe. Si quis loquatur lingua ſibi antea ignota;vt græca, hæbraica,&c. Vel cum ſit illiteratus,vt idiota, doctè diſcurrat de quæſtionibus Theologicis, vel Philoſophicis. Vel ſi legere,& ſcribere neſciat, perfectè legat, & ſcribat.Vel ità immobilitèr exiſtat,& à multis hominum viribus dimoueri nullatenùs poſſit. Ità docent Thyreus *de dæmoniacis c.22. & ſeq.* Sotus *lib.8. de iuſt.q.3. ar.2. ad 2.* Sanchez *in decal. lib.2.c.42.n.9.* Martinus del Rio *dict.q. 3.* & alij.

Cur permittit Deus, vt aliquando homines à Dæmonibus per maleficia vexentur?

18 Reſp. huius permiſſionis cauſas eſſe multas;ſed ad tres reuocantur; nempè ad Dei gloriam: ad animæ vtilitatem:Et ad alicuius peccati pœnam. Permittit enim Deus per maleficia,homines aliquos à Dæmonibus vexari,ad ſuam gloriam. Et primò,vt agnoſcatur à nobis ſua pietas,& clementia; quia, cum etiam Dæmonibus liberum arbitrium dederit; & ipſi naturalitèr optẽt, ſummoperè omnes homines perdere; hoc eis non permittit,& facultatem nocendi quantum poſſunt,denegat;quam ſi non denegaret, omnes homines crudeliſſimè necarent; ità vt nemo illeſus euaderet. Secundò vt nobis pateat,quã acerrimè extorqueatur, qui Dæmoniũ ſecum habet: & quàm dulcitèr, ac iucundè viuat, qui ipſum Deum. Tertiò, quia,cum nec Dæmoniacos,nec eorum maleficos ad pœnitentiam recipere dedignatur,oſtendit, quod vbi abundauit peccatum,ſuperabundat gratia;&quod eius miſericordia eſt ſuper omnia opera eius. Quartò quia ſic catholica fides confirmatur,tum contra hæreticos,qui Angelos,ac Dęmones eſſe, negant. Nã eos verè eſſe, ipſa experientia con-

uincit. Tum etiam quia dum Sacerdotibus exorciſtis Dæmones obedire coguntur, & in nomine Chriſti ab obſeſſi corpore eijciuntur: contra infidelium, hebræorum, ac hæreticorum perfidiam, fides noſtra magis ſtabilitur, & propagatur.

19 Permittuntur etiam homines in eorum corporibus per magorum maleficia à Dæmonibus cruciari, & torqueri, ad eorum vtilitatem. Primò, quia ſic eorum patientia exercetur, & merita augentur, & ad pœnitentiam, & Sacramentorum frequentiam inducũtur. Secundò, quia ipſis hominibus via facilis ad humilitatem, & alias virtutes acquirendas, & ad meliorem vitam ducendã, paratur; Sola enim vexatio intellectum dare ſolet, vt ait Iſaias *c.*28. Tertio, quia ad Dei præſidium, ad Beatiſſimæ Virginis refugium, ad Angelorum adiutorium, & ad Sanctorum interceſſionem, frequentius, ac feruentius confugiunt.

20 Permittuntur tandem in pœnam commiſſi criminis, vel ipſius dæmoniaci, vel alicuius ex ſuis parentibus. Sic D. Gregorius *lib.* 1. *dialog. c.*10. refert, quod quædam iuuencula, voluptate carnis deuicta, ab ea abſtinere non valuit; & ob hanc cauſam malignus ſpiritus illam arripuit, & atrociter vexare cœpit. Et quia ſui propinqui, ad obtinendam eius ſalutem, & vt Diabolus ab ea exiret, eam maleficis tradiderũt. Miro Omnipotentis Dei iudicio, dum arte peruerſa vnus ab ea expellitur, in eam ſubitò legio intrauit. Et idem D. Gregorius *lib.3. dial. c.33.* teſtatur: quod ob immoderatam lætitiam cuiuſdam Religioſi, qui gloriabatur: quendam puerum, propter eorum ſocietatem, fuiſſe ab obſeſſione Dæmonis liberatum: Iactabatur enim dicens: Puer vbi ad ſeruos Dei venit, Diabolus, ad eum accedere, non præſumpſit. Sed poſtquã hanc vocem emiſit; ait Gregorius, eadem hora, ac momento, idem puer, coram cunctis fratribus, Diabolo ſe inuadente vexatus eſt. Similitèr ob crimen inuidiæ, & odij erga Dauid, ſpiritus malus inuaſit Saul 1. *Reg.* 18. Ob intemperantiam coniugalem, Dæmon, nomine Aſmodeus ſeptem viros Saræ filiæ Raguelis, occidit. *Tob.3.* Ob carnalem libidinem ſeptem Dæmonia, Chriſtus Dominus à Magdalena eiecit *Matt.*16. Ob peccatum inceſtus iudicauit D. Paulus, *tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis* 1. *Cor.*5. Ob peccatum blaſphemiæ Hymenæus, & Alexander, Dæmoni torquendos, traditi fuerũt: iuxtà illud eiuſdem D. Pauli 1. *ad Timoth. c.*1. *in fin. Ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Sathanæ, vt diſcant non blaſphemare.* Ob alia crimina, & præcipuè ob execrationes, & imprecationes malas, nonnullos à Dæmonibus obſeſſos, & atrociter cruciatos fuiſſe, refert Martinus del Rio *lib.* 5. *diſquiſ. magic. q.7. ſect.2. per totam.*

Dæmones poſſunt per ſe in hominum corporibus intrare, & illa torquere, quare ergo plerumq; operibus maleficorum vtuntur?

21 RESp. multas eſſe cauſas. Et primò; quia credunt, ità maiorem iniuriam Deo inferre, dùm creaturis, ratione præditis, & S. Baptiſmo ablutis, ad ipſius Creatoris vilipendium, abutũtur. Secundò, quia plures, appetunt, habere ſceleris ſocios, ad eos perdendos. Tertiò, quia homines non tam abhorrent conuerſationem, & familiaritatem maleficorum, quàm ipſorum Dæmonum. Si enim palàm à Dæmone hoc ſcelus petere deberent, non tam facile illud patrarent: nam multi fœdus cum eo inire, timerent, & ſuas artes magicas, & maleficas non exercerent. Quartò, quia Dæmones per homines quædam poſſunt, quæ per ipſos, vel non poſſent, vel ſaltem non tam commodè. Nam in maleficio ſic plures in fraudem inducunt: dum ſacris rebus, ac verbis in eo abutuntur: vt frequentiſſimè faciunt: falsò perſuadent, hæc à Deo, & virtute diuina fieri, non ab ipſis Dæmonibus; & ſic maleficia defendunt, & homines ad illa

fa-

facilius inducunt. Quintò, quia ad peccatum magicæ ſuperſtitionis homines etiam ad ſacrilegium patrandum inducunt. Et Deus magis magiſq; offenditur. Hæc autem exemplis illuſtrat Remigius *lib.2. Dæmon. volat. c.9.*

Dæmones quam poteſtatem habent in Energumenos, ſeu dæmoniacos?

22 RESp. nullam habere poteſtatem in animam Energumeni, ſeu dæmoniaci, in ordine ad peccatum, cogendo eius voluntatem, ad cōſentiendum ſuis tentationibus; poſſunt enim Dæmones illum allicere, & incitare ad amorem, vel odium, & ad alios prauos mores; nunquam tamen cogere, ad perpetrandum peccatum; quia quoad hoc quilibet homo eſt omninò liber; vt docent omnes Doctores cum D. Thoma *1. par. q.*111.*ar.*2.3.*&* 4.*& q.*114.*ar.*2. Circa corpus verò, eorum poteſtas eſt à Deo limitata, alias, nullus energumenus mortem euaderet: quia Dæmonis odium erga homines eſt maximum; vt plurimum autem eis permittitur, vt corpus dæmoniaci vexent, affligant, ad motus prauos excitent, & voluntatem ad malum ſuadeant, etſi cogere nequeant. Ità docent Sanchez *lib.2. in decal. c.*42. *n.*7. Bonacina *loc. cit. n.*18. Thomas del Bene *dub.* 18. Thyreus *lib. de dæmoniacis c.*4. 5. *&* 8.

Eſt ne licitum, Dæmonem, in energumeno exiſtentem, exorciſmis cogere, vt tollat eius maleficium?

23 RESp. Affirmatiuè; quia hoc non eſt vti opera Dæmonis in obſequium noſtrum: ſed eſt ipſum cogere, vt opera ſua deſtruat, & eſt auertere ab energumeno malum, reuexando Dæmonem, illum nocentem. Vndè hoc reducitur ad defenſionem naturalem. Ità docent Syluester *verb. Maleficium n.*2. Scotus 4.*diſt.*34. Sotus *diſt.*34. *q. vnica, ar.*3. Leſſius *lib.*2. *c.*44. *dub.* 6. *n.*36. *&* 37. & alij.

Exorciſmi habent ne vim eijciendi Dæmones ex opere operantis, vel ex opere operato?

24 RESp. habere vim non ſolum ex opere operantis, ſed etiam principalitèr ex opere operato. Quia Chriſtus Dominus dixit: *In nomine meo Dæmonia eijcient*: & Eccleſiæ poteſtatem tradidit, inſtituendi exorciſmos, ad fugandos ipſos Dęmones: vt *ex Concil. Carthag.* 4. *c.* 7. Vndè ſicut in adminiſtratione Sacramentorum, effectus non pendet ex ſanctitate miniſtri, quia non in ſua, ſed in Chriſti perſona operatur: Ità neque in ſacramentalibus exorciſmis, inſtitutis ad Dæmones eijciendos, efficacia pendet ex ſanctitate miniſtri; quia non in ſua; ſed in perſona Eccleſię, & in nomine Chriſti operatur. Hac enim de cauſa hoc munus exercens, ordinatur, conſecratur, ac definitis Eccleſiæ orationibus vtitur. Ità docent Suarez *to.*3. *in* 3. *par. q.*65. *ar.*4. *diſp.*15. *ſect.* 4. Sanchez *dict. c.*42. *n.*16. Thomas del Bene *de iuram. c.*6. *dub.*7. *ſect.*2. *n.*15.

Quare ergo Energumeni exorcizati, non ſemper à Dęmonibus infallibilitèr liberantur?

25 RESp. quia ſæpè obſtat, vel modica fides, vel aliqua culpa ipſius exorcizati, vel miniſtri exorcizantis. Sicuti Dei gratia eſt infallibilis ſacramentorum effectus, niſi obſtet recipiētis obex. Quandoq; etiam Dæmones non expelluntur ex occulto Dei iudicio, propter maiorem animæ vtilitatem, vel in aliorum exemplum, vel propter aliud Eccleſiæ commodum. Ità S. Auguſtinus *lib.*83. *q.*79. Victoria *de Magia q.*6. *nu.* 24. Sotus 4. *diſt.*6. *q.*2. *ar.*3. Thyreus *de dæmoniacis c.*39. Sanchez *loc. cit. n.*16. *et* 17. Eſt etiam & alia ratio; quia non ſemper ijs, qui dicuntur obſeſſi à Dæmone, eſt habēda fides, quod ità re vera ſint; nam etiam ipſi exorciſtæ in hoc ſæpè decipiuntur; exiſtimantes dæmoniacos, qui malanconico humore laborant, vel alio naturali morbo vexantur:

vt experientia docet; & notat Sanchez *ibid.n.9.*& alij communiter.

Quomodo immittuntur in corpore energumeni illa, quæ aliquando ab eis per os eijciuntur, nempè ſpinæ, oſſa,ligna,ſaſſa,glomi pilorum,acus, cultri, & alia ferramenta?

26 RESp. quod Martinus del Rio *lib. 3.diſquiſ.magic.q.4.ſect.6.* affirmat, quod in humano corpore interdum ex prauis humoribus generari naturaliter poſſunt tophi, lapilli, oſcilla, conchylia, ſpinæ, glomi pilorum, & ſimilia; vt teſtãtur Galenus *lib.2. ad Glaucum*,Celſus *lib.5.c.6.* Aerius *lib.16. c.* 10.Leuin Leman *lib.3.de occultis naturæ miraculis c.*40.Alex.Bened. *lib.2.& 3.anatom.*Antonius Benin. *lib. eod. c.3.* 18.24.*&* 94.Et ideò poteſt Dęmon talia producere in congruis corporis partibus. Sed naturaliter in corpore humano generari non poſſunt ex vlla putrefactione,acus,claui,cultri,forfices,& alia ferramenta;exiſtimat enim hoc eſſe impoſſibile ipſe Martinus del Rio;quia calor naturalis non videtur, poſſe gignere humores in metalla. Vndè quando energumenus talia euomit:vel euomit corporis humores, & Dæmon illos facit apparere,acus,clauos,cultros, &c. ſenſibus illudendo, vt aſtantes putent, illa in corpore energumeni fuiſſe, ad eius cruciatum, generata. Vel res huiuſmodi per Dæmonem in os obſeſſi occultè ingeruntur, vt mox eijciantur. Vel poteſt Dęmon res illas ſolidiſſimas diuidere, & comminuere in minutiſſimas partes, & poſteà tam præpoperè,& & ſubitò vnire, vt cernentium oculi nequeant, ob nimiam motus celeritatem,quidquam horũ aduertere. Ideoq; putent homines illa integra in energumeni corpore fuiſſe immiſſa, & integra emitti. Ità etiam affirmant Sylueſter *verb.Maleficium q.5.* Coſmas Philiarchus *de offic.Sacerd.par.2.lib.3. in 1.decal.præc.*& alij.

Clericus exorciſta poteſt ne, præſente Sacerdote, & inuito,energumenum exorcizare?

27 RESp. quòd qui hoc officium à Deo iure ordinario acceperunt, ſunt Epiſcopi Sacerdotes,Diaconi, Subdiaconi,& Exorciſtæ; & quamuis non plus poteſtatis vni competit,quàm alteri; tamen honeſtas, rectaq; Eccleſiæ conſuetudo poſtulat, vt coram ſuperioris ordinis gradu, ipſo inuito, qui minoris gradus eſt,non exorcizet. Et ideò Clericus, Sacerdote præſente, & inuito, energumenum exorcizare non debet; vt docet Martinus del Rio *poſt lib. 6. Anacephaleoſis monit.* 10. Thomas del Bene *de iuram.c.6.de adiurat. dubit.8. ſect.2.n.*17.Non promotus verò ad ordinem exorciſtatus, poteſt exorcizare per adiurationem priuatam,& occultã, non autem per ſolemnem,& publicam, ſecundum formam ab Eccleſia inſtitutam;quod ſolum exorciſtis, & non alijs competit. Ità Sylueſter *verb. Exorciſta n.vnic.* Victoria *de magic. n.23.* Suarez *to.2.de relig.lib.4.de adiurat.c.2. nu.*10. *&* 11.

Licet ne Exorciſtæ Dæmonem interrogare de maleficij auctore in Energumeno?

28 RESp.Negatiuè, tum quia hoc eſt, velle diſcere à Dæmone aliquid ignotum, & ab eo aliquod ſeruitium recipere,quod eſt illicitum.Tum quia hæc interrogatio arguit ſocietatem, & amicitiam cum Dæmone.Et tum denique quia, cum ille ſit pater mendacij, & ſemper paratus, ad hominem decipiendum, nullatenus ei credendum eſt; & impium eſt ab eo veritatem quærere. Vndè Carena *par.2. tit.12. n. 199.* ait: peſſimam eſſe praxim eorum, qui volunt; poſſe exorciſtam,in energumeno exorcizando,Dæmonem interrogare,de illis maleficij auctore; & hoc eſſe indicium ab omnibus reprobatum cõtra maleficium.Et ità etiam docent Fabrus *in ſuo C.Fabriano lib.9. tit.de maleſ.*

*lef.*Homobonus *par. 2. de caſib. reſeru. c.2.§.maleficium*, & alij.

Exorciſta poteſt ne Dæmoni interrogare: in quo conſiſtat obſeſſi maleficium, vel quę ſit eius infirmitatis cauſa, & quale illius remedium?

29 RESp. Negatiuè, quia interrogare, & rogare:petere, & deprecari, parum differunt; vt docent Suarez *to.1.de relig. lib.2.de ſuperſtit. c.18. n.5.* Sanchez *lib.2.in decal.c.41. n.17.* Ergo ſicut rogare,& deprecari dæmonem,eſt vetitum; ita & petere, & interrogare: quia vtrumque eſt intrinſecè malum, cum inuoluat ſocietatem, & commercium cum ipſo dæmone. Nec vnquam poſſumus, eius opera vti, ad aliquod noſtrum beneficium, vel auxilium; vt docent D.Thomas 2.2.*q.90. ar.2.* Caietanus ibi,Sotus *in 4. diſt.34. q.vnica, ar.3.*Nauarrus *in ſumm. c.11.n.28.* D. Antoninus 2.*par.tit.*10. *c.*8. Suarez *to. 2.de relig.lib.4.de adiurat.c.2.n.*8.Martinus del Rio *lib.6.c.*2.& alij. Ideò non ſolùm non licet ab eo petere,ſeu interrogare: in quo conſiſtat maleficium,vel maleficij remedium; ſed nec etiam deprecari, vt ab obſeſſi corpore exeat: quia tunc beneficium ab eo expectaretur,quod eſt quædam pacti, & ſocietatis cum ipſo inchoatio. Et inſuper dæmon, cum ſit irreuocabilis Dei, & hominis inimicus, quidquid etiam ſpontè offert,id omne ab hoſtili eius animo,in ipſum Deum,& in nos proficiſcitur: & ſemper cenſendum eſt,quod quęrit impedire Dei honorem,& noſtrarum animarum ſalutem. Et propterea nunquã eſt ei credendum; quia quod prima facie beneficium eſſe videtur, maleficiũ reuera eſt. Ità etiam docent ſupradicti Doctores.

Licet ne aliquid à Dęmone inquirere, ad Dei gloriam, & aſtantium vtilitatem?

30 RESp. Affirmatiuè, dummodò adiurans prudenter iudicet,ità expedire, & Dæmon diuina virtute compellatur,ad veritatem dicendam; quia tunc hoſtiliter agitur cum illo. Ità D. Thmmas 2.2.*q.95. ar.4. ad* 1. Caietanus 2.2.*q.90.ar.1.in fin.* Sanchez *dicto c.42.n.24.* Sotus *lib.8.de iuſt. q.3. ar.2.* & alij. Aduertunt tamen Caietanus, & Sotus. Id non eſſe faciendum,niſi à sãctis viris, qui poteſtatem à Deo acceperint, ad compellendos dæmones, vt vera fateantur.

Eſt ne peccatum mortale,Dæmonem, in energumeno exiſtentem, interrogare ex curioſitate de rebus inutilibus, & vanis?

31 RESp. Affirmatiuè: quia hoc eſt, habere familiare colloquium cum dæmone, cum quo non licet, niſi hoſtiliter agere; hoſtes namque noſtri ſunt:& negari nequit, vanos, & curioſos cum eis habere ſermones, eſſe rem grauiſſimam,& maximo periculo expoſitam; & conſequenter graue eſſe peccatum.Et idem dicendum de eo,qui fidem certã dictis dæmonis tribuit, quia vel ab eo aliquid addiſcere petit:& hoc eſt valdè illum honorare; Vel illum interrogat, vt occultum alicuius peccatũ detegat; & hoc eſt proximi infamia. Ideò admonendi ſunt Exorciſtæ; vt à ſuperfluis cum dæmone colloquijs ſe abſtineant: ſolet enim illæ, nonnullos errores,ac vanas ſuperſtitiones docere innocentes diffamare, & ad malos mores alios compellere. Si verò Exorciſta imperet dæmoni, vt aliquid curioſum dicat,ex quadam leuitate,quod ad eius expulſionem ab energumeno non conducit: non illi credendo, neque obſecrando, neque ad aliquid conſequendum,peccaret tãtùm venialiter propter actus imperfectionem. Ità docent Caietanus *in ſumm. verb.Interrogatio n.6.* Syluester *verb.Adiuratio q.5.in fin. & q.7.*Suarez *to.2. de relig. lib.4. de adiurat.c.2.n.9.*Sanchez *loc.cit.n.25.* Filliucius *to.2.tr.24.c.8.n.213.*

In adiuratione quidnam licet Dæmo-

nem interrogare, vt ab obſeſſi corpore exeat?

32 RESp. licere primò nomen ipſius dęmonis interrogare; quia confert,vt adiurans nominatim dirigat pręcepta,quibus vtitur, aduerſus eum. Secundò,cauſam ingreſſus,vt ea cognita, ac remota, tolli poſſit; & minor ſit eius in hominem poteſtas. Et ſi ſit aliquod obſeſſi peccatum,eo expiato,facilius liberetur energumenus, & aſtantes à ſimilibus caueant. Tertiò,an ſit vnus dęmon, vel plures in eo corpore, vt ſciat Exorciſta, cum quot hoſtibus pugnat, omneſq; egredi imperet. Ità admonentur Exorciſtæ in rituali Romano;& docent Syluester *vbi ſup.*Valētia 2.2.*diſp.* 6.*q.*8.*pun.*2. Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.* 42.*n.*23. & alij. Quia etſi dæmones ſæpè mentiantur, tamen quando diuina virtute, & ſacris adiurationibus cogūtur, vt cauſas, propter quas in obſeſſi corpore ingreſſi ſunt, fateantur,non eſt dubitandum, quin eis fidem adhiberi poſſit,vt notant Martinus del Rio *lib.*6. *diſquiſ.magic.c.*3.*lit.B.* Sanchez, & alij.

Licet ne petere ſignum à Dæmone, quo ipſe teſtetur,ſe à corpore obſeſſi exire;& nunquam in eo reuerti?

33 RESp.Sotum *lib.*8.*de iuſt.q.*3.*ar.*2. exiſtimare,ſuperſtitioſum eſſe, hoc ſignum à dæmone petere; quia ipſe eſt pater mendacij, & nec ſibi,nec eius ſignis,eſt adhibenda fides.Verùm communiter cæteri Doctores affirmant, licere hoc ſignum petere; quia dæmon cogitur, exorciſmis Eccleſiæ veritatem dicere: & ſicut exorciſmis cogitur, relinquere obſeſſum; ità etiam vt det ſignum ſui diſceſſus. Et in Sacerdotali Romano exorciſta inſtruitur, vt hoc ſignum petat.Ità Sanchez *lib.*2. *in decal. c.*42.*n.*28.Delrius *lib.*6.*c.*3.*lit.B. in fin.* Bonacina *to.*2.*in* 2.*decal.præc.diſp.*4. *q.* 1.*pun.vlt.n.*15. Filliucius *vbi ſup.n.*214 & alij.

Exorciſta poteſt ne licitè, dæmoniacū, ſputo, alapis, & flagellis percutere, vel fumo mali odoris moleſtare?

34 RESp. Delrium *lib.*2. *diſquiſ. magic. q.*30.*ſect.*3.& Symancas *de cathol. inſtit.tit.*63.*n.*32.opinari: Exorciſtam errare, dæmoniacum ità cedendo, ac moleſtando; & hoc eſſe ſuperſtitioſum: Quia dæmon fingit,ſe dolere, & affligi; vt aſtantes decipiat,& vt corpus dęmoniaci magis torqueatur. Dicendum tamen eſt,hoc verum eſſe,quando ſputa, flagellationes,fumus mali odoris, ac ſimilia adhiberentur, tanquam virtutem aliquam habentia directè,ad dæmones expellendos,aut affligēdos.Tunc enim hæc eſſent ſuperſtitioſa: quia nulla res corporea vim habet, ad eos cruciādos. Cum enim ſint ſpiritus, pati nequeunt à re aliqua corporali. Secus autem ſi adhibeantur,ad dæmonem confundendum, & in ipſius contumeliam & contemptum;vt ſic,ſe contemni in eo corpore,minimè patiens,illud deſerat.Tūc non ſunt ſuperſtitioſa, ſed licita; quia dæmon, qui ſuperbiſſimus eſt, cùm ſe contemni videt, torquetur. Verum cùm hæc in ſolam dæmonis contumeliam & contemptum fiant, moderata eſſe debent, itaut corpus dæmoniaci minimè torqueatur, ſed ſola dæmonis ſuperbia.Ità Sanchez *loc. cit. n.*30. Bonacina *to.*2.*in* 2.*decal.præc. diſp.*4.*q.*1. *pun.vlt.n.*13.& alij apud ipſos.

35 Similitèr licitum eſt, applicare dæmoniaco herbas medicinales, vel alia medicamenta, ad dæmonem expellendum.Quia applicantur,non quaſi vim contra dæmones habeant, cum nihil contra ipſos agere poſſint; ſed in corū contemptum, & quatenus proſunt, ad auertendum humores, quibus homo à dæmone vexatur. Et ideò cautè ſe gerere debent exorciſtæ,in præbendis dęmoniaco medicinis, & illas nunquam, ſine Medici conſilio, præbere.Ità Sanchez *n.*31.Bonacina *loc. cit.*Qui etiam docent, neque eſſe ſuperſtitioſum, & vanum,nomen dęmonis in papyro ſcribere, & ſcriptum comburere; quia hoc non efficitur, vt ex illo igne magis dæmon

mon aduretur;ſed in eius contemptum, & contumeliam; & in Sacerdotali Romano ità dicitur hoc eſſe faciendum. Eſſet verò ſuperſtitioſum, & vanum, radere pilos,& capillos demoniaci corporis, ad expellendum dæmonem; quia dæmon expellitur exorciſmis, & oratione, ac ieiunio, nõ autem medijs corporalibus, cum ſpiritus ipſe ſit; & ita docet etiam Sanchez *dicto c.42.n.33.*

Si Dæmones remedijs corporalibus ab energumenis non expelluntur: quare Raphael *Tobiæ c. 6.* dixit de immani illo piſce; *Cordis eius particulã ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum*?

36 RESp. non defuiſſe Doctores, qui opinati ſunt. Deum huic piſcis fumo dediſſe virtutem ſupernaturalem, ad extricandos dęmones: ſicuti dedit infernali igni corporali poteſtatẽ, illos torquẽdi, & aquæ benedictæ virtutem, eos fugandi. Ità ſentierunt Valerius *de ſacra philoſophia c.*28. Guglielmus Pariſ. *lib. de vniuerſo*, Loyerius *lib. 8. de ſpectris c.* 1. vt refert Celada *in cap. 6. Tob.*§.233. *n.*4. Alij cenſent: Raphaelem ſupradictis verbis, voluiſſe diſſimulare ſuã virtutem ſupernaturalem, ne, quando rem, adeò mirabilem, pręſtitiſſet, Aſmodeum expellendo, Angelus putaretur, & non homo: vt notant idem Celada *n.6.* Serarius *de dæmoniacis c.*48. Martinus del Rio *lib.2. diſquiſ. magic.q.*27.*ſect.*2. Et dæmonem fugare voluit Raphael viliſſimo fumo cordis illius piſcis, in contemptum, & ignominiam ipſius ſuperbiſſimi dæmonis, qui fugit ab obſeſſo, ne ignominijs, & opprobrijs afficiatur. Sicuti ad illum expellendum ab energumenis Exorciſtæ vtuntur ignominioſis illis verbis, quæ notantur in lib. qui inſcribitur, *Flagellum Dæmonum*: *Spirtus immunde, miſerrime, tentator fallax, pater mendacij, hæretice, fatue, furioſe: beſtialis, tui Creatoris inimice, luxurioſe inſipiens, crudelis, inique prædo, beſtia, ſerpens, ſus famelica, & immundiſſima, beſtia ſcabioſa, beſtia crudeliſſima, beſtia omnium beſtiarum beſtialiſſima, eiecta de Paradiſo, de gratia Dei, de loco felicitatis inenarrabilis de conſortio, & ſocietate Angelorum, creatura damnata, reprobata, & a Deo in æternum ob ſuperbiam tuam maledicta; ſcelerate, nefande, blaſpheme, & excommunicate.* Sicut ergo Exorciſtæ ad eijciendum dæmones ab energumenis viliſſimis ignominijs, & opprobrijs vti ſolent. Ita Raphael viliſſimo illo fumo ad illum expellendum vti voluit. Et ideò Tobiæ dixit: *Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum.*

37 Inſuper hæc verba dixit Raphael, vt communiter docent infraſcripti, & alij Doctores: quia dæmon energumenum vexat per cauſas naturales, corporis humores alterando, & vel libidinis calorem accendit, vt ad laſciuiæ furorem ſtimulet, vel melanconicum humorem exicitat, vt ad perturbationem, ac deſperationem animum inducat. Fumus ergo cordis illius piſcis extricare poterat omne genus dæmoniorum, non directè, & principalitèr, ſed indirectè, & diſpoſitiuè, impediendo actionem dæmonis, & humorum alterationem per eius diſpoſitionem contrariam, diſcutiendo melanconiam, diſſipando dolorem, temperando libidini ardorem, & exhilarando animum, eo modo, quo muſica Dauid impediebat agitationem Saul per dæmonem; & efficere etiam ſolent, ruta, hypericon, cornua caprina, artemiſia, camaleontis iecur, lapis ſardius, & chryſolitus, & ſimilia. Sed directè principaliter, & completè, virtute ſupernaturali; & Angelica dæmon expulſus, & fugatus fuit. Ità Sacer textus *c.8. Protulit de caſſidili ſuo partem iecoris, poſuitq; eam ſuper carbones viuos. Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit in deſerto.* Ex quibus verbis clarè patet non ex illo fumo, ſed ab Angelo dæmonem extricatum fuiſſe. Tacuit autem ſuam poteſtatem Raphael, cum dixit: *Fumus eius extri-*

tricat omne genus dæmoniorum; ne ſe pateſaceret Tobiæ, & ne ſciret eum eſſe Angelum, quem quaſi hominem viæ comitem, & ducem habebat. Sicuti eadem ratione vocauit ſe Azariam, & cum Tobia comedit, & bibit. Ità docet Abulenſis *in lib.*1.*Reg.c.*16. Franciſcus Victoria *relect. de Magia q.* 6. Zaccharias Vicecomes *par.*1.*tract.de remedijs corporalibus*, Martinus del Rio *lib.*6.*diſquiſ.magic.c.*2.*ſect.*2. *q.*3. & alij quamplures, quos citat, & ſequitur Celada *in dict.c.*6.*Tob.*§.233.*n.*9.

Eſt ne licitum Exorciſtæ præcipere Dæmoni ſub pœna excommunicationis, vt ab obſeſſi corpore exeat?

38 RESp. Negatiuè; quia dæmon non eſt capax excommunicationis; nam eſt extra forum Eccleſiæ. Solus enim homo viator excommunicari poteſt, quia eſt intra forum Eccleſiæ, & priuari poteſt communicatione fidelium, & vſu Sacramentorum. Inſuper excommunicatio fertur propter delicti emendationem, & animæ ſalutem: Dæmones autem nec poſſunt emēdari, nec eorum ſalutem ſperare. Ergo nullo modo excommunicari poſſunt. Et quāuis in Sacerdotali Romano inſtruitur Exorciſta, vt Dęmoni tanquam excommunicato præcipiat: non ſumitur verbum excommunicationis in proprio ſenſu, ſed metaphorico, pro execratione, & maledictione. Sunt enim à nobis deteſtandi, & expellendi, tāquam ſummè nociui, & execrabiles. Ità Sanchez *n.*32. Bonacina *n.*10. Filliucius *to.* 2. *tr.* 24.*c.*8.*n.*216. & alij.

Poteſt ne Exorciſta Dæmoni præcipere, vt abeat in locum deſertum, vel in Infernum, & indè ne egrediatur?

39 RESp. Negatiuè niſi præcipiat ſub conditione diuini beneplaciti. Quia Chriſtus dedit Eccleſiæ poteſtatem, eijciendi Dæmones; non autem deſignandi terminum eiectionis. Dixit enim *In nomine meo Dæmonia eijcient*: Sub ſpe verò diuini beneplaciti, licet Dæmonem in Infernum trudere; quia Infernus eſt locus illi à Deo paratus: Licet etiam in deſertum locum eum mittere, & præcipere, ne indè amoueatur; vt hominibus nocere nequeat. Ita docent Thyreus *de dæmoniacis c.* 6. *nu.* 23. Martinus del Rio *lib.*6. *diſquiſ.magic.cap.* 3. *lit.B.* Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.*42.*n.*27. Thomas del Bene *de iuram. c.*6.*de adiurat. dub.*12.

Poteſt ne Exorciſta, Dæmoni petenti, ne in Infernum relegetur, vel ne nouis cruciatibus afficiatur, conniuere, vt ab obſeſſi corpore egrediatur?

40 RESp. Affirmatiuè; quia Exorciſta non concedit hoc Dæmoni, tanquam amico, nec quia ei vult complacere; ſed quia vult medium, quo facilius compellatur, corpus obſeſſum deſerere. Et conſentiendo eius petitioni, nec Deo, nec proximo iniuriam facit: cùm non aliud intendat, niſi facilius ipſum Dæmonem expellere. Si verò Dęmon peteret in aliud hominis corpus tranſire, vtique illicitum eſſet, illi conniuere; quia eſſet in alterius damnum. Et ità docent Thyreus *de dæmoniacis c.vlt.n.*8. Sanchez *dicto c.*42.*n.*36. Bonacina *to.*2.*in* 2. *decal. præc.diſp.*4. *q.*1. *pun.vlt.n.*14. Thomas del Bene *vbi ſup. dub.* 14.

Si Dæmon, vt exeat ab obſeſſi corpore, aliquod opus bonum præſcribat, eſt ne illud faciendum?

41 RESp. Dæmonem aliquando bona opera conſulere ex malitia, vt facilius poſtea homines decipiat: Trāſfigurat enim ſe in Angelum lucis, vt animas obtenebret, & in æternum perdat. Ideò tutius eſt opus bonum, ab eo impoſitum; omittere, & in aliud commutare, ne ipſe in eo opere aliquid fraudis emoliatur. Quia vt benè notant Thyreus *lib.de apparit. ſpirituum c.* 15. *n.* 20.

n. 20. & Fagundez *in decal. to.* 1. *lib.*1. *c.*36. *n.*13. Dæmonibus nec bona conſulentibus auſcultandum eſt; quia omnia bona, quæ nobis conſulunt, tendunt ad malum, & ad noſtram perniciem. Si verò opus bonum, à Dæmone præſcriptum, ſit vt pręceptum faciendum:obſeruari debet,vt fiat, quia de ſe bonum eſt, vel quia ab Eccleſia,& non à Dęmone pręſcribitur.

Vno Dæmone expulſo, expelluntur ne omnes, qui ſunt in obſeſſi corpore?

42 RESp. quod vt plurimum,vno Dęmone ab obſeſſi corpore egrediente, egrediuntur omnes; quia exorciſmi ſunt ęqualiter omnibus infeſti,& tantam efficaciam in vno, ac in omnibus habent. Verùm hoc non eſt neceſſarium, & poteſt exire vnus, alijs non exeuntibus: quia ſicut vnus in obſeſſi corpore ingredi poteſt,alijs non ingredientibus; ità poteſt vnus egredi, alijs non egredientibus. Et ſicut Dęmones alij maiorem, alij minorem, poteſtatem in dæmoniaci corpus habent. Ità fieri poteſt, vt ij, qui minori poteſtate potiuntur, exire cogantur, reliquis in eodem corpore manentibus. Ità Sanchez *lib.*2.*in decal.c.*42.*n.*8.Bonacina *vbi ſup. n.*16.Thomas del Bene *dub.*15. Et ita etiam experientia docet.

In Dæmonis adiuratione poſſunt ne Exorciſtę aliquando eſſe de ſuperſtitione ſuſpecti?

43 RESp. Exorciſtas poſſe de ſuperſtitione eſſe ſuſpectos. Primò ſi Laicus,vel Clericus, ſola prima tonſura inſignitus, quaſi ex ſpeciali Dei priuilegio, vel ex officio exorcizare præſumeret; quia dum hoc priuilegium non oſtendit, & certum eſt, ex officio hoc munus, ei non competere, de ſuperſtitione redditur ſuſpectus. Secundò, ſi nouis exorcizandi formulis, & ritibus diuerſis à communibus Eccleſiæ, vtatur. Tertiò ſi quis ſibi vendicaret, habere plus virtutis ad Dæmones exorciſmis eijciendos; quàm cæteri eiuſdem ordinis. Verùm non eſſet de ſuperſtitione ſuſpectus, qui diceret, ſe præditum eſſe,ad exorciſmos adhibendos contra Dęmones, meliuſque noſſe, quo pacto in energumenis ipſi tractandi ſunt. Quartò ſi vocibus ignotis vtatur, quas ſolis dæmoniacis ad aures dicunt; quia clam vti nominibus ignotis, non eſt abſque ſuperrſtitionis ſuſpicione.Ità Martinus del Rio *poſt lib.* 6. *diſquiſ.magic. in Anacephalæoſi monit.* 10. Ciruelus *de ſuperſtit.*3.*par.c.*8.Sanchez *in decal.lib.*2.*c.*42.*n.*15.

Quomodo adiuranda eſt domus, quæ Dęmonum infeſtatione vexatur, vt ab ea ipſi expellantur?

44 RESp. cum Martino del Rio *lib.* 6. *diſquiſ.magic.Anacephalæoſis monit.* 6. quod ſi aliqua domus, ſpectris, aut alia Dæmonum infeſtatione, ſit inquieta; Statim inquilini conſcientiam excutiant, conterantur, & de peccatis confeſſionem inſtituant, & omnia de domo remoueant, quæ Deo diſplicere queãt. Deuotè inſuper ſe Deo commendent, & Deiparæ,& Sanctis: & intereà dum durat vexatio, quotidie mane,ac veſpere, Sacerdos quiſpiam, ſacerdotali indutus cum ſtola, cruce, & aqua benedicta, accedat,& luſtret omnia domus cubicula, & loca alia, recitans deuotè Pſalmum: *Qui habitat in adiutorio Altisſimi,& Euang.S. Ioannis: In principio erat Verbum*; & alias præcationes pias, & exorciſmos, qui Dominicis diebus in benedictione aquæ, contra Dæmonum vim, & inſidias, leguntur: Ponantur per ſingula præcipua domus loca rami Palmarum benedicti, & candelæ benedictæ, iubeantur dici Miſſæ à viris pijs,& Deum timentibus, pro quiete familiæ illius,& vt Dei ira ceſſet, & mittat Cuſtodem Angelum ſuum, qui Dæmonem expellat; & domum illam cuſtodiat.Caueant autem, ne cum Dæmone ſermonem vllum miſceant, vel loquenti, quidquam reſpon-

ſpondeant. Multoque magis caueant, ne quem Magum, aut vlla ſuperſtitioſa, vexationi reprimẽdę, remedia accerſent. Sed magna ſpe, & fiducia in Deum, miſericordiam eius ſumma cum patientia præſtolentur.

Exorciſta poteſt ne Dæmoni imperare, vt det ſignum aliquod ſui egreſſus ab obſeſſi corpore, & quod nũquam ſit indè regreſſurus?

45 RESp. quod Ciruelus *de ſuperſtit. par.3.c.*8. Sotus *de iuſtit. lib.*8. *q.* 3.*ar.*2.*ad* 2. exiſtimant; eſſe ſuperſtitioſum imperare Dæmoni, vt det ſignum ſui egreſſus ab obſeſſi corpore, nec ſit in illud regreſſurus. E. g. vt extinguat lampadem in alto poſitam, vel frangat vitrum in Eccleſiæ feneſtris, vel pulſet campanam in campanili, vel ſimile: quia Dæmon abſq; eo, quod egrediatur ab energumeni corpore, extinguere poteſt lampadem, vitrum frangere, & campanã pulſare, & quodlibet aliud ſignũ efficere, vt credatur ſui egreſſus: & ſic Exorciſtam, & cæteros omnes decipere; cùm ſit pater mendacij. Ideò nec ipſi, nec ipſius ſignis aliquando fides adhibenda eſt. Confirmatur; quia poteſtas à Chriſto accepta, eſt ad expellendos in ſuo nomine Dæmones. Ergo nõ ſpectat ad ſignum, quod ſuccedit expulſioni Dæmonum.

46 Sed ad has rationes obſtat vſus Eccleſiæ, in Sacerdotali Romano, vbi expreſsè dicitur: poſſe in exorciſmis pro obſeſſis à Dęmone tale ſignum expoſtulari: quia licet aliquando poſſit eſſe fallax; rarò tamen ità contingit: quãdo in ſigni poſtulatione ſeruatur modus, ab Eccleſia præſcriptus. Nam ſignum hoc petitur, non vt conducens ad expulſionem; ſed vt expulſio, in nomine Chriſti ſequuta, nobis manifeſtetur. Credendum namq; eſt, quod Chriſtus Dominus reliquit ſuæ Eccleſię poteſtatem, ad expellendos Dęmones, non qualemcumque, ſed manifeſtam: & cõſequenter ad expoſtulandum ſignum, quo expulſio nobis innoteſcat. Et quãuis Dęmon ſit pater mendacij: tamen quotieſcumq; dicit aliquid, virtute diuina coactus per exorciſmos Eccleſię, fides ei adhiberi poteſt. Et ideò magis certi eſſe poſſumus de ipſius diſceſſu, & de ipſius non reditu, ſigno illo tradito, quàm non tradito. Verùm cautè ſe gerere debet Exorciſta, quoad petitionem huius ſigni; ne ex illius traditione, dãnum aliquod, vel irreuerentiam rei ſacrę ſequatur. Et ità ſentiunt Thyreus *de Dæmoniacis c.*46.*n.*23.*& c.*52. *nu.*4. Martinus del Rio *lib.6. diſquiſ. magic. c.*2.*q.*3.*ſect.*3.*remed.*4. *& c.*3.*lit.B. in fin.* Sanchez *lib.* 2. *in decal. c.*42. *n.* 28. & alij.

Finis Primæ Partis.

I N D E X
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
Quæ in hac Prima Parte referuntur.

Litera C. Caput, litera N. numerum marginalem indicat.

Ex Veteri Teſtamento.

GENESIS.

18 APparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum, quos cum vidiſſet cucurrit in occurſus eorum, & adorauit in terram. c.3. n.2.
20 Venit Deus ad Abimelech per ſomnium nocte,& ait illi:En morieris propter mulierem , quam tuliſti : habet enim virum. c.12. n.2.
24 Adiuro te per Deum Cœli,& Terræ; vt nō accipias vxorē filio meo de filiabus Chananæorum. c.30. n.2.
Puella, cui dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam,& illa reſponderit:Bibe Domine,quin & camelis tuis potum tribuam, ipſa eſt mulier , quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac: et per hoc intelligam,quod feceris miſericordiam cum Domino meo. c.13.n.9.
28 Vidit in ſomnis ſchalam ſtantem ſuper terram , & cacumen illius tangens Cœlum; Angelos quoque Dei aſcendentes , & deſcendentes per eam; & Dominum innixū ſchalæ,dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Abraham patris tui,& Deus Iſaac: terrā, in qua dormis tibi dabo,& ſemini tuo. c.12.n.2.
37 Audite ſomnium meum : putabam nos ligare manipulos in agro,& quaſi conſurgere manipulum meum,veſtroſq; manipulos circumſtantes adorare manipulum meum. c.12. n.3.
Vidi quaſi Solem,& Lunam,& Stellas vndecim adorare me. c.12. n.3.
40 Videruntq;ambo ſomnium nocte vna,&c. Reſponditq;Ioſeph hæc eſt interpretatio ſomnij. c.12. n.4.
41 Vidi ſomnium , nec eſt qui ediſſerat, &c. Reſpondit Ioſeph, hæc eſt interpretatio ſomnij. c.12.n.4.
42 Audiuit enim per viſionem noctis vocantem:Iacob Iacob: Noli timere ; deſcende in Aegyptum;quia in gentem magnam faciam te ibi. c.12. n.3.
44 An ignoratis , quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia. c.13.n.3.
49 Congregamini vt annunciem,quæ ventura ſunt vobis in nouiſſimis diebus. c.23. n.6.
50 In ſepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaam ſepelias me. c.30. n.2.

EXODI.

7 PRoieceruntque ſinguli virgas ſuas,quę verſæ ſunt in Dracones. c.24.n.20.
8 Feceruntq; ſimiliter malefici Ægyptiorū incantationibus ſuis. c.24. n.20.

LEVITICI.

19 NOn auguramini , neque obſeruabitis ſomnia. c.12.n.6.& 16.& c.13.n.2.
Non declinetis ad Magos , nec ab Ariolis aliquid ſciſcitamini. c.24. n.1.
20 Anima,quæ declinauerit ad Magos,& Ariolos,&c.interficiam illam. c.24.n.1. & c.25. n.11.

NVMERI.

12 SI quis fuerit inter vos Propheta Domini in viſione apparebo ei , aut per ſomnium loquar ad eum. c. 12. n. 8. & c.13.n.10.
23 Non eſt augurium in Iacob,nec diuinatio in Iſrael. c.13. n.2.

DEVTERONOMII

7 CVm introduxerit te Dominus tuus in terram,quam poſſeſſurus ingrederis, & tradiderit tibi gentes, percuties eos vſque ad internecionem , aras eorum ſubuertite,& ſtatuas confringite. c.9.n.25.
12 Subuertite omnia loca, in quibus coluerūt Gentiles Deos ſuos,diſſipate aras eorum, & confringite ſtatuas , & Idola comminuite. c.9. n.20.
13 Si ſurrexerit in medio tui,qui ſomnium vidiſſe,dicat,& prædixerit ſignum,atque portentum , & aſſeruerit , quod loquutus eſt,non audias verba ſomniatoris illius. c.12. n.18.
Non inuenietur in te , qui obſeruat auguria. c.13.n.2.

18 Gentes iſtæ augures,& diuinos conſulunt tu autem aliter à Domino Deo tuo inſtitutus es. c. 11. n.6.

23 Si tibi perſuadere voluerit frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, ſiue vxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis, vt animam tuam, clam dicẽs, eamus,& ſeruiamus Dijs alienis, &c. non miſerearis, vt occultes eum. c. 8. n. 15.

IOSVE.

5 Cecidit Ioſue pronus in terram, & adorauit. c.3.n.2.

7 Fili mi da gloriam Deo, & confitere, atq; indica mihi quid feciſti. c.17. n 24.

IVDICVM.

7 Vidi ſomnium,& videbatur mihi, quaſi ſubcinericius panis ex hordeo, volui, & in caſtra Madian deſcendere. c.12.n.3. Cumq; audiſſet Gedeon ſomnium, & interpretationem eius, adorauit,& ait: Surgite: Tradidit enim Dominus in manus noſtras Madian. c.13. n.10.

1. REGVM.

3 Dormiuit in loco ſuo, & venit Dominus,& vocauit, Samuel, Samuel: & dicit Dominus ad Samuelem. c.12.n.2.

14 Si dixerit: Aſcendite ad nos, aſcendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus noſtris, hoc erit mihi ſignum. c.13. n.11.

28 Diuina mihi in pythone, & ſuſcita mihi, quem dixero tibi. c.24. n.18. & ſequ.

4. REGVM

1 Ite cõſulite Beelzebub Deum Accaron, vtrum viuere, queam de infirmitate mea hac; Angelus Domini loquutus eſt ad Eliam dicens: Surge, & aſcende in occurſum nunciorum Regis Samariæ, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus: De lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris. c.24. n.19.

10 Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de Cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. c.2.n.12.& 14.

13 Proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſei, & cũ tetigiſſet oſſa Eliſei, reuixit homo. c.4.n.1.

TOBIÆ.

6 Cordis eius particulam, ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum. c.30.n.36.

8 Protulit de caſſilidi ſuo partem iecoris, poſuitque eam ſuper carbones viuos. Tunc Raphael Angelus apprehendit Dæmonium,& religauit in deſerto. c.30.n.37.

IOB.

1 Ecce vniuerſa, quæ habet, in manu tua ſunt. c.14 n.4.

33 Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, ingerit diſciplina. c.12.n.8.

37 Qui in manu omnium ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua. c.14. n.4.

41 Non eſt poteſtas in terra, quæ comparetur eis. c.10 n.17. et c.15.n.4.& c.30.n.11.

PSALMORVM

9 Perijt memoria eorum cum ſonitu. c.6. n.42.

11 In memoria æterna erit iuſtus ab auditione mala non timebit. c.6. n.42.

18 Opera manuum eius annunciant firmamentum. c.14.n. 4.

33 In chamo, & freno maxillas eorum conſtringe. c.22.n.7.

49 Inuoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me. c.10. n.16.

50 Incerta, et occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. c.21.n.6.et 7.

54 Veniat mors ſuper illos, et deſcendant in infernum viuentes. c.2.n.12.et 13.

57 Dominus conteret dentes eorum, molas Leonum confringet Dominus c.22. n.7.

58 Intende ad viſitandas gentes, non miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatem. c.2. n.12. et 13.

31 Deus, qui facit mirabilia magna ſolus. c.6. n. 34.

81 Eripite pauperem, et egenũ de manu peccatoris liberate. c.9.n.21.

83 Gratiam, et gloriam dabit Dominus. c.10. n. 16.

90 Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei Cœli commorabitur. c. 26. n. 2.

94 In manu Domini omnes fines terræ. c.14. n. 4.

98 Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. c.3.n. 16.
Inuocabis me, et ego exaudiã. c. 10. n.16.

108 Deus laudem meam ne tacueris. c.2.n.9. et 13.

115 Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. c.22.n.10.

131 Adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius. c.3. n.8.

138 Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus. c.3. n.2.

PROVERBIORVM.

24 Erit ſalus, vbi multorum conſilia. c.6. n. 40.

10 Memoria iuſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet. c.6. n.42.
16 Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. c.17.n.10.& 19.

ECCLESIASTES.

5 MVltas curas ſequuntur ſomnia. c.12. n.5.

ECCLESIASTICI.

3 QVi amat periculum, in illo peribit. c.29. n.11.
34 Vana ſpes, & mendacium viro inſenſato, & ſomnia extollunt imprudentes. c.12. n.6.
Diuinatio erroris, & auguria mendacia vanitas eſt. c.13.n.2.
Niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis cor tuum: Multos enim errare fecerunt ſomnia. c.12. n.10.& 16.
44 Laudemus viros glorioſos in generatione ſua: Multam gloriam fecit Dominus magnificentia ſua à ſeculo, homines magni virtute. c.6. n.41.

ISAIÆ

45 MIhi curuabitur omne genu. c.3. n.4.
60 Regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. c.9.n.18.

IEREMIÆ

10 A Signis Cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt. c.11.n.6.

DANIELIS.

2 SOmnium tuum, & viſiones capitis tui in cubili tuo huiuſcemodi ſunt. c.12. n.4.

Ex nouo Teſtamento.

MATTHÆI

1 ANgelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens: Ioſeph noli timere accipere Mariam coniugem tuam. c.2.n.2.
2 Apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum c.2.n.2.
Apparuit in ſomnis in Aegypto, ſurge, & accipe puerum, & matrem, & vade in terram Iſrael. c.12. n.2.
Reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem per aliam viam reuerſi ſũt. c.12. n.2.
4 Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. c.10.n.11.
Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. c.3.n.2.
6 Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget. c.10.n.19.
7 Domine in nomine tuo prophetauimus, et in nomine tuo Dæmonia eiecimus, &c. c.3. n.27.
10 Qui honorat patrem, & matrem pluſquam me, non eſt me dignus. c.8.n 18.
16 Prædicauerunt vbique Domino cooperãte, ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. c.6. n.35.
17 Hoc genus Dæmoniorum nõ eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio. c.26. n.2.
22 Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. c.9.n.22.
26 Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. c.18. n.5.
Nonne poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum. c.18. n.5.
Adiuro te per Deum viuum, vt dicas mihi: Si tu es Chriſtus Filius Dei. c.30.n.2. & 7.

MARCI

16 IEſum quæritis Nazarenum crucifixum. c.3.n.7.
Euntes in mundum vniuerſum prędicate Euangelium omni creaturæ, docentes eos. c 9. n.15.
In nomine meo Dæmonia eijcient. c. 3. n.10.& 14.

LVCÆ

10 DEdi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, et ſupra omnem virtutem inimici. c.30. n.10.
14 Exi in vias, & plateas, &c. & compelle intrare, vt impleatur domus mea. c.9.n.4.
16 Habent Moyſen, & Prophetas, audiant eos. c.10.n.24.
21 Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri. c.21.n.3.
22 Domine ſi percutimus in gladio c,18 n.5.
Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. c.3.n.21.
Reges gentium dominantur eorum. c. 9. n. 22.

IOANNIS.

3 NEmo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. c.6. n. 43.
4 In ſpiritu, & veritate Deum oportet adorare. c.2.n.2.
5 Vt omnis honorificent filium, ſicut honorificant patrem. c.3. n.4.
16 Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. c.3. n. 21.

ACTVS APOST.

1 CEcidit ſors ſuper Matthiam,& annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis. c.17. n.12.

8 Angelus rapuit Philippum,& inuentus eſt in Azoto. c.24. n 14.

19 Ieſum noui,& Paulum ſcio,vos autem qui eſtis? & inſiliet in eos. c.30. n.13.

PAVLI APOST. AD ROM.

1 MVtauerunt gloriam incorruptibilis Dei,in ſimilitudinem corruptibilis hominis,& volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. c.7.n.1.& 3.

3 Non faciamus mala,vt veniant bona.c.25 n. 7.

13 Reddite omnibus debita;cui tributum,tributum; cui vectigal vectigal. c.9. n.22.

1. CORINT.

5 TRadere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis. c.30 n.20.

Quid mihi de ijs qui foris ſunt iudicare? c.7. n.12.c.9.n.22.

10 Nolo autem vos ſocios fieri Dæmoniorũ. c.10.n.19.

12 Alij quidem datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, ſecundùm eundem ſpiritum. c.21. n.3.

AD GALATAS.

3 QVis vos faſcinauit non obedire veritati. c.22.n.20.

AD PHILIPPENSES.

2 IN nomine Ieſu omne genuflectatur.c.3. n.4.

1. AD THESSAL.

5 ADiuro vos per Dominum,vt legatur epiſtola hæc omnibus Sanctis fratribus. c.30.n.2.

1. AD TIMOTH.

1 SOli Deo honor, & gloria in ſecula ſeculorum. c.3.n.2.

Ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.c.30.n.20.

6 Quicunque ſunt ſub iugo ſerui, Dominos ſuos omnino honore dignos arbitrâtur, ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur. Qui autem fideles habent Dominos, non contemnent eos, ſed magis ſeruiant: quia fideles ſunt. c.9. n.28.

1. PETRI EPIST.

2 SVbditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum,ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis,non tantùm bonis,& modeſtis, ſed etiam diſcolis. c.9. n.22.

APOCALIPS.

6 VIdi ſub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, clamantes ad Deum: Vſquequo Domine non vindicas ſanguinem noſtrum. c.2. n. 12. & 15.

IN-

INDEX
RERVM NOTABILIVM
PRIMAE PARTIS.

Litera C. Caput, N. numerum marginalem indicat.

A.

Abiurare.

ABiurare debent colentes Deum cultu ſuperſtitioſo, & ſacrificijs veteris legis. c. 2. n.16.

Abiurare debent ſortilegi vehementer de hæreſi ſuſpecti. c.2. n.17.

Conſpurcantes malitioſè Sanctorum imagines debent abiurare. c.3. n.17.

Similitèr aſſerentes imagines Chriſti,& Sanctorum non eſſe venerandas. c. 3. n.15.

Iudæi idololatræ,vel tranſeúntes ad Paganorum ſectas, cogi poſſunt ad abiurandum. c.7. n.16.

Non denunciantes hęreticos, & idololatras, abiurare debent,cum ſint de hæreſi vehemẽter ſuſpecti. c.8. n.26.

Dæmonem verbis deprecatiuis in ſui adiutorium reuerenter inuocans,abiurare debet, quia eſt de hæreſi vehementer ſuſpectus. c.10. n.15.

Abiurare debent Magi,& Lamię pactũ ineuntes cum Dæmone,& illi obſequium,& obedientiam promittentes. c.24. n.4.& 5.

Item abutentes in maleficio,ſiue ad odium,ſiue ad amorem Sacramentis, vel alijs rebus ſacris. c.25. n.5.

Qua abiuratione,de vehementi,vel de leui abiurare debeant. Vide in par. 2. verb. Abiuratio.

Abſoluere.

Abſolutus reus præuia abiuratione ab Inquiſitore tenetur eadem delicta confiteri Confeſſario, vt in foro conſcientiæ abſoluatur. c.27. n.2.

Abſoluere poteſt Epiſcopus in foro conſcientiæ hæreſim occultam,& ſortilegia,& maleficia hæreſim ſapientia,quæ non ſunt formalitèr hæreſis. c.27.n.14.& c.29. n.4. Sed hoc alij negant. c.29. n.5.

Abſoluere poteſt Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ ſortilegum hæreticum, ſemel in vita, & ſortilegum non hæreticum toties quoties. c.27. n.13.

Abſoluere non debet Confeſſarius ſui criminis complicem, ſed ſi illum abſoluat, eſt valida abſolutio, dummodò talis caſus non ſit reſeruatus.c.27.n.15. Et ſi reſeruatio ſit, vt ei ſit interdictum munus audiendi confeſſionem criminis ſocij, neque tempore Iubilei poſſet illum abſoluere.n.16.

Abſoluere nõ valet Epiſcopus, nec Inquiſitor S. Officij ſortilegum hæreticum formalem in foro conſcientiæ. c. 29. n. 1. ſed in foro externo poſſunt illum abſoluere poſt abiurationem. n. 2.

Sortilegus, vel maleficius, qui non errauit in fide, poteſt tam ab Epiſcopo, quàm ab Inquiſitione S. Officij abſolui à crimine, & ab excommunicatione. n.3.

Abſoluere poſſe Inquiſitores in foro conſciẽtiæ ſortilegos, & alios hæreticos occultos, nonnulli Doctores affirmant. c.29.n.6. Alij verò negant,quia ſunt Iudices ſolum in foro externo. n.7

Qui neq;ab Epiſcopo,neq;ab Inquiſitore abſolui poteſt, tenetur ad maiorem Pœnitentiarium Romæ mittere, & interim à Sacramentorum receptione abſtinere. Verùm ſi immineret periculum infamiæ, vel ſcandali, poteſt contritus confiteri, & à Confeſſario abſolui.c.29.n.8.& 9.

Abſoluere à caſibus reſeruatis. Vide Caſus reſeruati.

Abſoluere in mortis articulo, ſeu periculo.

In articulo,& in periculo mortis quilibet Sacerdos poteſt abſoluere à peccatis,& cenſuris reſeruatis. c.29.n.10.& 11.

Quiſnam dicitur eſſe in mortis articulo, & quiſnam in mortis periculo. ibid.

Conſtituitur in mortis periculo: graui morbo infirmus c.29.n.12. prægnans in primo partu, & quæ alios periculoſos partus habuit,& eſt partui propinqua. n.13. præliũ, & nauigationem periculoſam aggrediẽtes. n.14. damnati ad mortem. n.15. damnati ad triremes. n. 16. banniti, qui impunè occidi poſſunt. n. 17. exiſtentes in loco peſtilentia infecto. n. 18. Qui omnes abſolui poſſunt à peccatis, & cenſuris reſeruatis à quolibet Sacerdote. ibid.

Eua-

Euadens mortis periculum, tenetur Superiorē adire, vt ab excommunicatione reſeruata abſoluatur, alias iterum incidit in ſimilem excommunicationem. c.29.n.19.

Abſolutus à peccatis reſeruatis, nō habentibus excommunicationem annexam, ceſſante mortis periculo, non tenetur Superiori pro abſolutione ſe prǽſentare. c.29.n.21.

Quare à peccatis cum excommunicatione reſeruatis abſolutus, euadens periculum mortis, tenetur Superiori, ſe præſentare, & non itidem abſolutus à reſeruatis abſq; excommunicatione. ibid.

In articulo, & periculo mortis poteſt à reſeruatis abſoluere (ſi non adſit alius Sacerdos) Sacerdos ſuſpēſus, vel excommunicatus, vel irregularis, uel degradatus, vel etiam hæreticus. c. 29. n.22. & 23. Secus ſi adſit Confeſſarius facultatem habens abſoluendi. n. 24.

Si in articulo, vel periculo mortis quis poſſet commodè ad Epiſcopum accedere pro abſolutione à reſeruatis Papæ, ad hoc non tenetur, ſed adhuc poteſt à quolibet Sacerdote abſolutionem recipere. c.29.n.25.

Si Sacerdos ſimplex cæpit audire confeſſionē conſtituti in articulo, vel periculo mortis, et ante illius abſolutionem ſuperueniat Confeſſarius approbatus, vel Superior, cui caſus eſt reſeruatus, poteſt ſimplex ille Sacerdos inceptam confeſſionem perficere, & à reſeruatis abſoluere. c.29 n.26. Secus verò ſi peccatum haberet annexam excommunicationem reſeruatam, & ante abſolutionem ſuperueniret Superior, cui eſſet illa reſeruata: tunc enim eſſet prius abſoluēdus à Superiore quoad excommunicationem. c.29.n.27.

Conſtitutus in articulo, ſeu in periculo mortis, qui perſonalitèr non poteſt Superiorem adire, ſed poteſt per literas, aut per Confeſſarium, vel per alium petere facultatem, vt à reſeruatis abſoluatur, nō tenetur aliquem iſtorum mittere, ſed poteſt à quolibet Sacerdote abſolui. c.29.n.28.

Qui in periculo mortis à reſeruatis abſoluitur, tenetur iuramentum præſtare Confeſſario, ſe Superiori præſentandi, ſi à morte euaſerit, quādo Confeſſarius illud requirit, ſed non tenetur Confeſſarius illud petere. At pœnitens tenetur ſemper Superiori ſe præſentare. c. 29. n. 29. Et ſatisfacit ſi per procuratorem ſe præſentet. n.30.

Adiuratio.

Adiuratio eſt conteſtatio rei ſacræ, ob cuius reuerentiam, amorem, vel timorem, promouetur adiuratus, ad aliquid agendum, vel omittendum. c.30 n. 1.

Adiuratio alia eſt ſolemnis, alia priuata, & alia imperatiua, alia deprecatiua. c.30.n.2.

Adiuratio, vt honeſtè, ac iuſtè fiat tres conditiones expoſtulat, nempè, veritatem, iuſtitiam, & iudicium. c.30. n.3.

Adiuratio priuata à qualibet creatura rationali præſtari poteſt. Solemnis verò à ſolis Eccleſiæ miniſtris, quales ſunt Exorciſtæ. c.30.n.4.

Adiurari poteſt deprecatiuè Deus per ſe ipsū, & per Sanctos eius; & adiurari etiam poſſunt omnes Angeli, et Sancti, ac etiam homines. Dæmones autem non poſſunt adiurari deprecatiuè, ſed ſolùm imperatiuè per conteſtationem diuini nominis. c. 30. n.5.

Creaturæ irrationales non ſunt per ſe capaces adiurationis, adiurari tamen poſſunt per modum deprecationis ad Deum, & per modum compulſionis ad Dæmones. c.30.n.6.

Adiuramus Deum, non vt eius voluntas immutetur, ſed vt noſtram voluntatem ad ei ſeruiendum immutet, & nos ſuę miſericordiæ participes reddat. Sanctos autem, & Angelos adiuramus, vt pro nobis intercedat. c.30.n.7.

Adiurare creaturas dirigendo ſermonem, non ad Deum, ſed ad ipſas, ne nobis noceant, eſt ſuperſtitioſum, & vanū, & niſi excuſet ſimplicitas, eſt peccatum mortale. c.30. n.8.

Adiurare locuſtas, & ſimiles creaturas, ne nobis noceant, conſtituendo iudicem, accuſatorem, aduocatum, &c. inter ipſas, & terræ poſſeſſores, eſt omninò ſuperſtitioſum, inutile, & peccaminoſum. c.30.n.9.

Adiurare Dæmones debito modo eſſe licitum, eſt de fide. c.30.n.10.

Adiuratio Dæmonum, vt licitè fiat tria requirūtur; nempè vt finis adiurationis ſit ad eos expellendos, non ad aliquid ab eis obtinendum. Secundò, vt adiuratio fiat nō obſecratione, ſed imperio, & obiurgatione. Tertiò, vt adiuratio ſolemnis fiat ab Eccleſiæ miniſtris. c.30. n. 11. 12. & 13. Adiuratio verò Dæmonū priuata fieri poteſt ab omnibus, vt in nomine Chriſti à tentando deſiſtant. n. 13.

Adiurare Dæmones, vt auxilium, vel beneficiū aliquod præſtent, eſt peccatum mortale. c.30. n.14.

Adiurare Dæmonem Superiorem, vt inferiorem expellat, aliqui affirmant eſſe licitum, ſed alij probabilius negant. c.30. n.15.

In Dæmonis adiuratione poſſunt aliquando Exorciſtę eſſe de ſuperſtitione ſuſpecti. c.30 n. 43.

Quomodo adiurāda eſt domus, quę à Dęmonum infeſtatione vexatur. c.30.n.44.

Adorare.

Adorari poteſt corpus alicuius Sancti in vno

loco, quando alij affirmant eſſe in alio. c.4. n.7.

Adorantur reliquię Sanctorum, vt coniunctæ cum ipſis Sanctis. c.4 n.9.

Adorans, & credens Idolum eſſe Deum eſt Idololatra, & hęreticus. c.7.n.5.

Adorans Idolum, & credens illum non eſſe Deum, tam grauiter peccat, quàm qui adorat, & credit, illum eſſe Deum. c.7.n.6.

Adorans Dęmonem apparentem in imagine Chriſti, & putans illum eſſe Chriſtum, non eſt idololatra c.7.n.11.

Ægyptiana.

Aegyptianam interrogare de bona, vel mala fortuna cum animo firmiter credendo dictis eius eſt peccatum mortale, ſecus verò ex curioſitatis ioco, & animo ridendi. c.11. n.4.

Aegyptianę, quæ vtuntur Chyromãtia vetita, & ſuſpecta de pacto cum Dæmone, prędicendo futuros euentus liberos, ſubduntur Tribunali S. Officij; ſecus verò ſi vtantur Chyromantia naturali, & non prædicant certò futura. c.15.n.15.

Aeromantia.

Aeromantia eſt diuinatio, quę per aerem, & ventos fit, obſeruando aeris mutationem, & ſonitum ventorum, per arbores, & angulos domorum, per ianuas, & feneſtras, & ex his futura prędicuntur. c.15.n.1.

Per Aeromãtiam certò, vel probabiliter prędicere futura contingentia, vel quæ pendẽt ex hominum volũtate, vel ſunt omninò occulta, eſt ſuperſtitioſum, & culpa mortalis, hæreſim ſapiens, quia in his cognitionibus pactum Dæmonis continetur; ſecùs verò ſi iocò, & cauſa ridendi, vel ex leui quadam coniectura his ſignis futura pręnunciantur. c.15.n.3.

Agnus Dei.

Agnus Dei, ideſt cærei benedicti, in quibus eſt figura Agni impreſſa, ſunt venerandi, ſicut aliæ res ſacræ Deum repræſentantes. c. 3. n. 11.

Agnus Dei nec depingi, aut miniari, nec illos venales exponi poſſunt ex decreto Gregor. XIII. n. eod.

Agnos Dei tangere laicos, ac etiam fœminas nulla eſt culpa. c.4. n.29.

Agnos Dei vendere quoad eorum tantùm materiam, & impenſas ad eos conficiendos, & ab Vrbe Roma portandos, non eſt prohibitum, nec peccatum. n. eod.

Agnos benedictos dare Amaſiæ pro actu venereo eſt ſimonia, & ſacrilegium; ſecùs verò illos dare ex gratitudine, & beneuolentia. c.4 n.15.

Alchymica ars.

Alchymica ars, per quam metalla viliora trãſfotmantur in argentum, & aurum, an ſit licita, vel ſuperſtitioſa c.24.n.36.

Alchymica ars eſt ſtudium indiſcretum, incognitum, pernicioſum, & multis fraudibus expoſitum. c.24.n.37.

Alchymica ars quamuis ſecundùm ſe nihil cõtineat illicitum; eſt tamen illicita ob dictas rationes, & quia propter ſuam imperitiam homo exponit ſe periculo ſtultè conſumendi patrimonium ſuum. c.24. n.38.

Alchymicum aurum, & argentum non eſt licitum pro vero auro, & argento vendere. c.24.n.39.

Alienare.

Alienantes reliquias Sanctorum, an incidant in pœnis Paulinæ de rebus non alienandis. c.4 n.26. & 27.

Alienari poſſunt paramenta cultui diuino dicata, ac etiam benedicta, ſi ſint inueterata, ità vt diuino cultui amplius non deſeruiãt, ne deperdantur. c.4.n.35.

Angeli.

Angelorum imagines depinguntur, non vt nobis eos ſic eſſe repræſentent, ſed quia ſic aliquando apparuerunt, & dipinguntur iuuenes, quia nunquam ſeneſcunt, alati ad indicandam eorum velocitatem, & in albis veſtibus propter eorum puritatem. c.3.n.9.

Angeli adorantur adoratione Duliæ. Eorum verò imagines adorantur, non propter aliquam excellentiam, quàm in ſe habeant, ſed quia ipſos Angelos repræſentent. c.3.n.10.

Apparitiones.

Apparitiones quomodo diſcernere poſſunt an ſint bonorum Angelorum, vel illuſiones dęmonum. c.10.n.22. & 23. et c.24. n.30.

Apparitionis promiſſio præmorientis ad finẽ notificandi ſtatum animæ alterius, vel ſui ipſius, eſt obnoxia Dęmonpm illuſionibus. c.22.n.24.

Artumantia.

Artumantia eſt diuinatio per oſſa animalium, vel hominum mortuorum, quæ in ignem iniecta, obſeruatur in eis calor ignis, vel an crepitent, & ſcindantur, & ex eorum calore, ſonitu, ac modo fixuræ, futura arguuntur, de qua idem dicitur ac dictum eſt de Aeromantia. c.15. n.2. & 3.

Aſtrologia, & Aſtrologi.

Aſtrologia eſt diuinatio, ſeu prænunciatio futurorum euentuum ex conſideratione ſtellarum. c.11.n.1.

Aſtrologia naturalis prædicens effectus naturales, qui proueniunt ex influentijs cæleſtibus, non eſt prohibita. c.11.n.2.

Prædictiones per Aſtrologiam naturalem nõ ſunt

ſunt certæ, & infallibiles. c.11. n.3.
Prædicere, vel certò credere futuros effectus naturales per aſtrologiam eſt prædictio, & credulitas imprudens, & veniale peccatum. c.8. n.4.
Aſtrologia iudiciaria prænuncians ea, quę pẽdẽt ex libero hominis arbitrio eſt de ſe mala, ſuperſtitioſa, hæreſim ſapiens, & omni iure prohibita. c.11. n.5. & 6.
Libri de aſtrologia iudiciaria loquentes, à dęmone per aliquem ſuum miniſtrum ſcripti ſunt, & qui eorum doctrinam addiſcunt, à dæmone tacitè docentur. c. 19. n.7.
Obſeruare pueri natiuitatem, & coniectare eius temperamentum, & naturalem inclinationem, non eſt per ſe malum, dummodò talis prædictio non extendatur ad futuros caſus fortuitos, nec ad ea, quæ à libera hominis pendent voluntate. c.11.n.8.
Huiuſmodi inueſtigatio, & prædictio nullā habet ex aſtrorum aſpectu certitudinem. c.11. n.9.
Prædicere ex aſtrorum aſpectu actiones, ex hominum voluntate pendentes tàm vt certò, quàm vt probabilitèr futuras, eſt ſuperſtitioſum, & graue peccatum. c.11. n.10. & & 11.
Non poſſunt Aſtrologi abſq; mortali peccato inquirere, & denunciare res præteritas, vel præſentes occultas per aſtra. c.11.n.13. Quare ergo aliquando vera prædicunt, & diuinant? n.14.
Quænam futura poſſunt Aſtrologi abſque peccato prænunciare. c.11.n.15.
Coniecturalitèr tantùm poſſunt prnunciare non ſolùm ex aſtris, ſed ex temperamento corporis, & naturali propenſione hominis, quæ pendent ex libero arbitrio abſq; mortali peccato. c.11. n.16.
Quare poſſunt iſta coniecturalitèr prædicere, & non probabilitèr. c.11.n.17.
Aſtrologi iudiciarij, qui res occultas, vel pendentes à voluntate hominum, vel contingentes, vt certas, aut probabiles futuras eſſe prænunciant, poſſunt puniri ab Inquiſitoribus S. Officij ex Bulla Sixti V. c.11. n.18. & 19.
An comprehendantur in dicta Bulla Sixti V. non ſolùm pluries exercentes aſtrologiam iudiciariam, ſed etiam qui ſemel per illam diuinant. c.11.n.20.
Comprehenduntur etiam in dicta Bulla Cõſulentes, mandantes, conſentientes, auxiliantes, docentes, addiſcentes, inſtruẽtes, & quomodolibet cooperantes in huiuſmodi illicitis diuinationibus. Et omnes ſubijciũtur Sãcto Inquiſitionis Tribunali, & pœnis in Bulla contentis. c.11. n.21.
Supradicta Bulla non ſolùm obligat in foro externo, vt aliqui opinantur, ſed in foro interno, vt probabilius alij docent. c.11.n.22. & 23. Fuit etiã hæc Bulla ab Vrbano VIII. confirmata, & innouata. n.24. Qui etiam in Bulla, quæ incipit *Inſcrutabili*, prohibet ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & vltimi ſupplicij, & confiſcationis bonorum, ne fiant prædictiones de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ac de vita, & morte Romani Pontificis, & eius conſanguineorum, vſque ad tertium gradũ incluſiuè. c.11. n.26.
Quare Aſtrologi non excuſantur à peccato, & à dictis pœnis, quando proteſtantur: ſe non affirmare certò quod prænunciant. c.11. n.25.
In ſupradictis pœnis Bullæ *Inſcrutabili* Vrbani VIII. comprehenduntur Conſulentes huiuſmodi diuinationes, illas petentes, vel recipientes, vel retinentes, vel ad alios oſtendentes, vel cum alijs tractantes, verbo, vel ſcripto, &c. c.11. n.27.
Hec autem prohibitio extenditur ad omnem Pontificem futurum, & ad eius conſanguineos vſque ad tertium gradum incluſiuè. c. 11. n.28.
Includuntur in eadem prohibitione etiam magni Principes, & Duces, ac Mulieres. c.11. n.29.
Quinam ſint Iudices tranſgreſſoris dictæ Bullæ. c.11. n.30.
Secluſis ſupradictis perſonis expreſſis in dicta Bulla, poſſunt Aſtrologi alijs prædicere coniecturalitèr aliqua futura. c.11. n.31.
Poſſunt Aſtrologi abſque peccato prædicere ſano, imminens periculum infirmitatis, & mortis tali tempore ex aſtris. c.11. n.32.
Non poteſt Aſtrologus vti ſcientia aſtrologiæ accepta à Dæmone, quamuis vti poſſit vera philoſophia ab ipſo Dæmone acquiſita abſque peccato, & quare. c.11. n.34.
Quando tenetur Aſtrologus reſtituere pretium receptum pro præſtita diuinatione. c.11.n.35. & ſequ. Et cui facienda eſt talis reſtitutio. c.11.n.38.

Augurium.

Augurium eſt diuinatio futuri euentus, per auium, piſcium, aliorumq; animalium, motum, vocem, cantum, & volatum; & hoc diuinandi genus frequens antiquitus fuiſſe, exemplis oſtenditur. c.13.n.1.
Per auguria, certò diuinare futura, illicitum, & ſuperſtitioſum eſt. n.2.
Quare Ioſeph Patriarcha dixit *Geneſ.44. An ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in augurãdi ſcientia.* n.3.
Ex animalium vocibus, gemitibus, volatibus, et mo.

et motibus, prænunciare licet pluuias, ventos, tempeſtates, ſerenitatem, & alia ſigna naturalia. n 4.

Ex animalium morbis, et peſte licitum eſt cōiectare eadem mala hominibus, ſed eſt tenuiſſima, & parum probabilis coniectura. n. 5.

In augurijs non habens fidem certam, ſed ex illis quendam timorem concipiens excuſatur à peccato. n. 6.

B.

Baptizatus.

Non baptizatus idololatra, non punitur ab Eccleſia: baptizatus autem infidelis, punitur omnibus pœnis latis contra apoſtatas à fide, & hæreticos. c.7.n.12.

Iudæi, & infideles non baptizati delinquentes in his, quæ ſunt cōmunia noſtræ, & ipſorum fidei, quibus pœnis puniri poſſunt ab Inquiſitoribus. c.7.n.16.& 17.

Baptizati, ſiue ſint idololatræ, ſiue hæretici ſubduntur Eccleſiæ, et Chriſtianis Principibus, ſecus non baptizati. c.9.n.1.

Baptizatus idololatra, vel hæreticus cogi poteſt ad catholicam fidem ſeruandam, ſecus non baptizatus, et infidelis. c.9.n.2.et ſequ.

Infidelis, qui coactè baptiſmum ſuſcepit, an poſſit ad fidem catholicam obligari. c. 9. n. 8.

Beatificatus.

Beatificati cultus, in quo differt à cultu Canonizati. c.5.n.1. Vide cultus Beatis non canonizatis debitus.

Beatificatio, vide Canonizatio.

Bellum.

Bellum inferre ob ſolam Idololatriam infidelibus, an liceat Principibus Chriſtianis. c.9. n.28.& ſequ. Vide verb. Idololatria.

Bellum inferri poteſt infidelibus, à Principibus Chriſtianis de licentia Summi Pontificis ſi ipſi infideles non permittant liberam Euangelij prædicationem. c.9.n.9. 16. et 17. vide verb. Infidelis.

Bona fortunæ.

Bona fortunæ arte magica acquiſita, an poſſint licitè retineri, vel ſint reſtituenda. c.24. n. 35.

Bullæ.

Bullæ verba Gregorij IX. quæ incipit: *Cum dicat Dominus*, circa probationes vitę Sanctitatis, et miraculorum Beatificandi, et Canonizandi. c.3. n.25.

Bullę verba Vrbani *VIII.* editę 5. Martij 1642. quibus prohibetur imagines Chriſti, et Sanctorum ſculpere, dipingere, et tenere veſtitas cum habitu alicuius ordinis regularis. c.3. n. 32.

Eiuſdem Vrbani 13. Martij, et 1. Octobris 1625.& 5. Iulij 1634. et anni 1642. de cultu publico non exhibendo defunctis cum fama Sanctitatis. c.6. n.16. et ſequ. et 25.

Eiuſdem Vrbani incip. *Inſcrutabili*, edita 1631. contra eos, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel de vita, et morte Romani Pontificis, eiuſque conſanguineorum, vſque ad tertium gradum incluſiuè prædictiones fecerint, vel quomodolibet vſi fuerint. c.11. n.26. et 30.

Alexandri *VII.* de cultu præſtando, et non præſtando Beatis non Canonizatis. c.5.n.5. et ſequ.

Clementis *VIII.* edita 1592. et incip. *Illius vices*, duellum prohibens. c.18.n.3.21.26. 34.60. 65.76. et 81.

Gregorij *XIII.* edita 1582. de duello vitando. c.18.n.3.n.20 22. et ſequ.

Sixti V. quæ incipit *Cœli, & Terræ Creator*, contra Aſtrologos iudiciarios, et alios diuinatores. c.11.n.5.10.18. et 19.

Hæc Bulla Sixti V. ſecundùm aliquos obligat tantùm in foro externo, ſed veriùs ſecundùm alios obligat etiam in foro interno. c.11.n.22.23. et 24.

Vide Decreta Summorum Pontificum.

C

Cabala.

Cabala eſt ars diuinandi futura, & cognoſcendi occulta, tam præſentia, quàm pręterita, & futura, per nominum characteres, ſeu literas, & numeros. c.16.n.1.

Cabaliſtica ars diuinandi, à quo tradita fuit. n.2.& 3.

Cabalæ cognitio eſt ſuperſtitioſa, illicita, & diabolica, pactum includens explicitum, vel implicitum cum Dæmone. n.3.

Cabalam exercens eſt de hæreſi ſuſpectus, ac etiam ad illam cooperans. n. 4.

Cabalam exercentes, & ad illam cooperantes, quibus pœnis ſint puniendi. n.5.

Cabaliſtæ ſubiacent iudicio Inquiſitorum S. Officij, & illis ſunt denunciandi. n.8.

Cabaliſtæ damnantur vt ſortilegi, & magiam exercentes in *cap. Non obſeruetis 26. q.7. & in cap. Si quis Epiſcopus, & in cap. Aliquanti 26.q.2.*

Calix.

Calices conſecratos tangere, poſſunt etiā Clerici, prima tonſura initiati; ſecus verò laici. c.4.n.30.

In calice, & patena non conſecratis celebrans peccat mortaliter. n.31.

Calix non conſecratus, probabile eſt, quod cōſecretur per Sacerdotis celebrationē. n.32.

Per calicis,& patenæ fracturam, quando deperditur conſecratio. n. 33.

Calix eſſe non poteſt ex vitro , vel chriſtallo, aut ex ligno formatus,ſed eſſe debet ex auro, vel argento,aut ſtamno,& metallo. n.34.

Calicis forma confracta,& conſecratio deperdita , eius materia eſt ſicut quæuis alia ad omnes vſus communis. n.35.

Canonizatio, & Beatificatio.

Canonizatos ſolemnitèr à Summo Pontifice eſſe, tanquam Sanctos,colendos,eſt de fide. c.3. n.20.

Aſſerere Summum Pontificem in canonizatione Sanctorum poſſe errare, non ſolùm eſt temerarium, & de hæreſi ſuſpectum, ſed abſolutè hæreticum. c.3.n.20 21.& 22.

Affirmans Canonizatum à Pontifice non eſſe,vt Sanctum venerandum, eſt puniendus tanquam temerarius,impius, ſcandaloſus,et de hæreſi ſuſpectus n.23.

Pontifex ſolum,canonizare,& beatificare poteſt. n. 24.

Pro Canonizatione requiruntur certæ, & euidentes probationes vitæ Sanctitatis, & miraculorum.n.25.& 26.

Miracula, quę requiruntur ad Canonizationem,&Beatificationem pręcipuè debent eſſe poſt mortem facta.n.27.

Pro Canonizatione Martyris,non requiruntur miraculorum probationes,ſed probatio cauſæ,ob quam paſſus eſt, quę ſit,vel defenſio,aut confeſſio fidei , vel Dei offenſæ prohibitio. n. 28.

Requirũtur etiam pro Beatificatione,& Canonizatione multiplicatę preces Magnatorum, Fama Sanctitatis, & continuatio cultus, & miraculorum, & alia ex decreto Vrbani VIII. n.29.

Fama miraculorum ſolùm non ſufficit, niſi ſit notoria notorietate facti,& probabilibus coniecturis, & argumentis probetur. n.30. & 31.

An ſit eadem certitudine fidei colendus Beatificatus,ac Canonizatus. c.5. n.14.

Cultus debitus Beatis,& Canonizatis. Vide Cultus.

Antequam formetur proceſſus Beatificationis defuncti cum opinione Sanctitatis, formandus eſt proceſſus, in quo probetur ei nunquam fuiſſe præſtitum cultum aliquem publicum,ſed ſolum priuatum, & ſeruata omnia,quæ decreuit Vrbanus VIII.in ſua Bulla incip. *Cæleſtis Hieruſalem*. c.6 n.25.

Ad validè formandos proceſſus,in ordine ad Beatificationem, & Canonizationem quid neceſſariò requiratur.n.26.et ſeq. Vide etiã verbo Proceſſus.

Teſtes producti,aut inducti examinandi ſunt ſingularitèr omnes, nemine relicto, & eorũ dicta per extenſum ſcribenda. n.31.

In virtutum examine inquirendæ ſunt virtutes, ne dum communes,& ordinariæ,ſed in gradu eroico , & perfectæ quales Chriſtus requiſiuit,dicens: *Eſtote perfecti,ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. n.32.

Cum virtutum excellentia requiruntur miracula. n.33.

Quid requiratur,ad probandum miraculum eſſe verè miraculum.Vide verb.Miraculum.

Non omnes qui ſunt in Cœlo Beati, Deus vult,vt in hoc ſeculo canonizentur:& quare. n.33.

Caſus reſeruatus cum excommunicatione.

Crimen maleficij,vel ſortilegij,quibus verbis cum excommunicatione reſeruari ſolet ab Epiſcopis. c.28. n.1.

Procurantes res ſacras ad facienda maleficia, & ſortilegia,& illas non recipientes,non incurrũt dictam excommunicationem reſeruatam. n.2.neque illam incurrit abutens ad maleficia,& ſortilegia ſacramentalibus,nẽpè aqua benedicta,& ſimilibus. n.3.

Recipiens rem ſacram ad finem illicitũ,etiã ſi poſtea ea re non abutatur, incurrit excõmunicationem reſeruatam. n.4.

Dans, & recipiens particulam conſecratam, vt ſecum illam portet,ad repellendas tentationes,vel ad vitandam mortem violentam, incurrit in dictum caſum reſeruatum. n.5.

Portantes Sanctiſſimum Sacramentum ad fugandos Dæmones,cuſtodientes theſaurum; incurrunt excommunicationem reſeruatam. n. 6.

Exhibens inuoluntariè, & ex timore coactus, cultum ſacrum Dęmoni,actu tantùm externò, non incurrit dictam excommunicationem,quamuis peccet mortaliter. n 7.

Exhibens Dæmoni non cultum ſacrum , ſed profanum , ſolitum exhiberi hominibus, in dignitate conſtitutis, peccat mortalitèr, ſed non incurrit caſum reſeruatum , nec excõmunicationem. n. 8.

In articulo,et in periculo mortis poteſt quis à quolibet Sacerdote abſolui à caſibus reſeruatis, et ab excommunicatione. n. 10. & 11. Quiſnam dicitur eſſe in mortis periculo.n.12.et ſequ.

Abſolutus in periculo mortis à caſu reſeruato cum excommunicatione, elapſo mortis periculo,tenetur quamprimum poterit Superiori ſe pręſentare, alioquin incidet in ſimilem excommunicationem. ibidem n. 19. et 20.

Vide verb. Abſoluere , et verb. Excommunicatio.

Duelli excommunicatio,poteſt per Bullam

Cru-

Cruciatę ſemel in vita abſolui. c.18.n.88.

Cauſæ cognitio.

Cognitio cauſæ cultus veteris legis, vel ſectæ infidelium, Deo præſtiti, ſpectat ad Tribunal S.Officij. c.2.n.16.

Cauſæ cognitio cultus ſuperflui Deo præſtiti, qui eſt peccatum mortale: vt bis in die Miſſam celebrare, vel abſq; vrgenti cauſa Euchariſtiam bis in eadem die ſumere, ſpectat ad Tribunal S.Officij; ſecus autem cognitio cauſæ cultus ſuperflui, qui nec hæreſim ſapit, nec eſt mortale peccatum. n.eod.

Cognitio cauſæ ſuperſtitionis, quæ hæreſim manifeſtè non ſapit, ſpectat ad Tribunal S. Officij. n.17.

Aſtrologi iudiciarij, qui res occultas, vel pēdentes à libera hominum voluntate, vel cōtingentes, vt certas, prænunciantes, puniri poſſunt à Tribunali S.Officij. c.11.n.17.

Vide Inquiſitores S.Officij.

Characteres manuſcripti.

Diuinare per characteres manuſcriptos proſperam, vel aduerſam fortunam, aut futura contingentia, vel pendentia ex libera hominis volũtate eſt illicitum, & ſuperſtitioſum, & mortale peccatum, hæreſim ſapiēs: secùs verò diuinare corporis temperamentum, et alia, quæ ex corporis temperamento cōiectari poſſunt. c.17.n.9.

Chyromantia.

Chyromantia eſt diuinatio conditionis, et ſtatus vitę hominis, et illius futuri euentus, per quaſdam lineas in manibus ipſius hominis inſpectas. c.14.n.1.

Chyromantia alia eſt naturalis, ex qua arguitur corporis diſpoſitio, & temperamētum, cui ſolent animi inclinationes accomodari: & hæc non eſt omninò ſuperſtitioſa. Alia eſt aſtronomica, quæ ex manus lineis, & ſignis prænunciat non ſolùm, quæ ad corporis temperamentum pertinent: ſed quæ ex futuris contingentibus, aut ex libera hominis volũtate deriuant: & hæc omninò prohibita eſt, & ſuperſtitioſa, & peccatũ mortale. n.3.4.& 5.

Quid ſignificant verba illa, quæ de Deo dicuntur Iob 37. *Qui in manu omnium ſignat, vt nouerint ſingula opera ſua.* n.4.& 5.

Per manus lineas interrogantes Ægyptianā de bona, vel mala fortuna: ſi animo ridendi hoc faciunt, non peccant pluſquam venialitèr: peccaret verò mortalitèr, qui eius dictis firmitèr crederet. n.6.

Contra Chyromantias certò prænunciantes occulta, vel futura contingentia, vel pendētia ex libera hominis voluntate, procedere poſſunt Inquiſitores S.Officij, & illis ſunt denunciandi. n.7.

Poſſunt etiam Inquiſitores procedere contra dictas Ægyptianas, ſed non procedunt; quia earum diuinatio eſt ioci cauſa, & ſemper cũ riſu, & nemo eis præſtat fidem. n.8.

Clerici.

Clerici in minoribus conſtituti poſſunt religiosè tangere Sanctorum reliquias. c.4. n. 29. ac etiam Calices conſecratos. n.30.

Clericus in minoribus deficiente Sacerdote, & Clerico in ſacris conſtituto poteſt moribundum ab excommunicatione abſoluere. c.29. n.33.& 34.

Comparens ſpontè.

Quinam dicitur ſpontè comparens, & quam benignè tractatur ab Inquiſitoribus. c. 8. n. 42.

Qui ſpontè plenam veritatem ſuorum delictorum fatetur Inquiſitori, quam veniam meretur. n.43.& 44.

Spontè comparentis diſpoſitio, quomodo recipienda eſt ab Inquiſitore. n. 45.

Confeſſio, & Confeſſarius.

Confeſſarius quomodo ſe gerere debeat cum pœnitente, qui cum pacto expreſſo Dæmonem inuocauit. c.10. n.25.

Quomodo ſe gerere debeat cum pœnitente malefico. c.27. n.1.

Maleficus, ac ſortilegus ab Inquiſitore, præuia abiuratione, abſolutus, tenetur commiſſa maleficia, & ſortilegia Confeſſario confiteri. n. 2.

Confeſſarius an exigere debeat à ſortilego, aut malefico, ante abſolutionem, iuramentum, nunquàm ſimile crimen committendi. n.3.

Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius, quādo caſus ſortilegi pœnitentis indiget conſultatione, & tempus, non adeſt ante illius abſolutionem. n.4.

Quomodo ſe gerere debeat cum ſortilego à Iudice capto, vel condemnato. n.5.& ſequ.

Confeſſarius debet cogere reum, qui per odiũ, vel per tormenta innocentes tanquam reos denunciauit, vt coram Iudice ſe retractet, etiamſi pati deberet noua tormenta, dummodò adſit ſpes, Iudicem crediturum eſſe ſuam retractationem n.6. Non debet inquirere à reo modum quo iudicatus fuit, ſed illum ad patientiam, & contritionem diſponere. n.7. Non debet poſt rei ſupplicium Iudici ſignificare, quod ante illius mortem reuocauit denunciationem aliorum factam. n.8. Sed ſi reus conſtanter dicat innocentē denunciaſſe, Confeſſarius debet ſuadere illum, vt publicè coram populo talem denũciationem reuocet. n.9.

Quomodo ſe gerere debeat cum reo, conſtantèr affirmante, vi tormentorum ſibi, & alijs falsò crimen impoſuiſſe. n.10.& 11.

Quomodo ſe gerere debeat cũ reo negante in confeſſione ſuum delictum, quod ipſe Confeſſarius certò ſcit, illud commiſiſſe. n. 12.
Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poteſt abſoluere ſortilegum hæreticum ſemel in vita, & ſortilegum non hæreticum toties quoties. n. 13.
Confeſſarius an poſſit abſoluere complicem ſui criminis. n. 15. & 16.
Vide verbum Abſoluere, & verb. Excommunicatio.

Corporalis.

Fruſtulum corporalis an poſſit vt reliquia venerari. c. 4. n. 11. 12. & 13.

Cultus ſuperſtitioſus Deo indebitus.

Qualis cultus eſt Deo indebitus, & ſuperſtitioſus. c. 2. n. 1.
Colere Deum cæremonijs iudaicis, vel mahometanis, eſt cultus pernicioſus, & falſus, & mortale peccatum. n. 1. & 2.
Fingere miracula non vera, vt vera, & illa prædicare, vel de illis tabellas, aut cereos, aut veſtes, & ſimilia in altari ſuſpendere, eſt cultus ſuperſtitioſus, & mortale peccatum. n. 4.
Cantus, vel ſonus profanus, aut amatorius in Eccleſia, eſt cultus ſuperſtitioſus, & aliquando peccatum mortale, aliquando veniale. n. 5.
In Miſſæ celebratione vti cæremonijs contra rubricas ordinarias, vt multiplicare cruces vbi non mandantur fieri, vel replicare. Alleluia, quando ſemel dicenda eſt, aut dicere Gloria, & Credo, quando dicẽda non ſunt, eſt cultus indebitus, & ſuperfluus, & veniale peccatum. n. 6.
Bis in eodem die abſq; vrgenti cauſa Diuinã Euchariſtiam ſumere, eſt cultus indebitus, & peccatum mortale. n. 7.
Votum ieiunandi omnibus anni Dominicis, continet cultum Dei ſuperſtitioſum, indebitum, & ſuperfluum, & eſt inualidum, nec ſine peccato ſaltem veniali. n. 8.
Canere genibus flexis in Choro, ad petendam à Deo vindictam de inimicis Pſal. 108. *Deus laudem meam ne tacueris*, eſt cultus ſuperſtitioſus, et indebitus, et mortale peccatum. n. 9. 10. et 11.
Quare aliqui Sancti in hac vita, et Beati in patria vindictam à Deo petierunt? n. 12. 13. 14. et 15.
Cultus legis Moyſacæ, quare permittitur Iudæis, & non vſura? c. 7. n. 13.

Cultus Deo, & Sanctis debitus.

Cultus Deo, & Sanctis debitus, eſt triplex, nẽpè, Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ: Cultus Latriæ ſoli Deo, et Ieſu Chriſto debetur, Cultus Duliç debetur Deo, et Sanctis, et eorum reliquijs, et imaginibus; Cultus Hyperduliæ debetur Dei Genitrici Mariæ. c. 3. n. 2. et 3. vbi etiam quid hi cultus ſignificant, et in quo inter ſe differant.
Cultus Latriæ debetur Deo propter ſuã Deitatem, cultus Duliæ propter dominium, quo gubernat creaturas; Similitèr Chriſtus colitur adoratione Latriæ propter diuinitatem, et adoratione Duliæ, ſeu Hyperduliæ propter humanitatem. Sed vnica adoratione his modis adoratur: quia quando adoratur Verbum, adoratur Chriſtus, & è conuerſo. n. 4.
Chriſti imagines Crux, claui, lancea, corona ſpinea, indumenta, præſepe, ſepulchrum, & alia, quæ corpus eius tetigerunt cultu latriç venerantur. n. 5. 6. et 7.
Cultus, quo adoratur Crux, in qua Chriſtus Dominus fuit crucifixus, duplici titulo veneratur cultu latriæ, nempè quia repræſentat Chriſtum Crucifixum, & quia fuit eius ſanguine conſperſa, et ab eius contactu ſanctificata. Aliç verò cruces vno tantùm titulo adorantur adoratione latriæ: nempè vt imagines Chriſti crucifixi. n. 6.
Cultus latriæ debetur Cruci, clauibus, lancea, &c. quç tetigerunt Corpus Chriſti: quia etſi ſint ſenſu carentia, tetigerunt illud abſque malitia, et fuerunt ab eius tactu ſanctificata. Manus autem Chriſtum flagellantium, et crucifigentium ſunt opprobrijs, et vituperatione afficiendæ, quia ex malitia ignominioſè, et impiè illum tetigerunt. Sicut etiam ob indecentiam non eſſet colenda ſi vixiſſet; aſina ſuper qua Chriſtus ingreſſus fuit Hieroſolymam, et ob incertitudinem non colitur terra, quam Chriſti pedes calcarunt. n. 8.
Cultus debitus Imaginibus SS. Trinitatis Chriſti Domini, Angelorum, et Sanctorum; vide verb. Imagines.
Cultus Hyperduliæ eſt inferior cultui Latriæ, et dignior cultui Duliæ, et debetur Beatiſs. Dei Genitrici Mariæ, eiuſq; imaginibus, reliquijs, et indumẽtis: et eſt ſpecie diſtinctus, à cultu Latriæ, et Duliç: quia fundatur in ſpeciali dignitate Matris Dei. c. 3. n. 3.
Cultus Duliæ fundatur in dignitate gratiç habitualis, et debetur Angelis, et Sanctis in Dei gratia confirmatis, eorumq; reliquijs, & imaginibus. n. 2. & 3.
Colendas eſſe imagines Chriſti Angelorum, & Sanctorum, eſt de fide. n. 5. & n. 15. & 16.
Vide verb. Imagines, & verb. Reliquiæ, & verb. Canonizatio.
Licitum eſt accendere cereos, & lampades ad Sanctorum ſepulchra, imagines, & reliquias. c. 4. n. 36.

Cultus Beatis non Canonizatis debitus.

Nomina Sanctus,& Beatus, in Scriptura ſacra ſæpè confunduntur., & aliquando nomen Beati datur digniori, & nomen Sancti minus digno. c.5.n.1.

In quo differt cultus Beati non canonizati à cultu Sancti canonizati. eod. n.1.

Quinam cultus debitus Sanctis, participatur à Beatis non canonizatis. n.2.

Beati non canonizati,nõ poſſunt eligi in Patronos,& Protectores Ciuitatis, ex decreto Vrbani VIII. n.3. & 4.

De cultu præſtando Beatis non canonizatis nonnulla decreuit S.Congregatio annuente Alexandro VII. n.5. & ſequ.

An Miſſa Beati non canonizati conceſſa alicui Religioni, poſſit celebrari ab alijs Sacerdotibus aliqui Doctores affirmant poſſe, & corũ rationes.c. 5. n. 10. Alij probabilius non poſſe. n.11. Decretum S. Congreg.approbatum ab Innocentio X. Non poſſe,niſi hoc expreſsè Sedes Apoſtolica indulſerit. n. 12. Reſponſiones ad rationes in contrarium. n.13.

Eſſe eadem certitudine fidei colendum Beatificatum, & Canonizatum, aliqui Doctores affirmant. n.14.alij verò probabilius negāt. n.15.& ſequ.

Vt Eccleſia Miſſam celebret de aliquo tanquam Sancto, ſufficit probabilitas,& certitudo moralis de illius Sanctitate, non verò requiritur iudicium definitiuum, & ſententia canonica. n. 6.

Cultus,qui nunc exhibetur Beatificatis, olim permittebatur ab Epiſcopis. n. 17.

Poſt Beatificationē nouus proceſſus, & nouũ examen requiritur ad Canonizationem,pro maiori Sanctitatis certitudine. n. 18.

Eſt temerarium,ſcandaloſum, impium, & de hæreſi ſuſpectum,aſſerere: Pontificem errare poſſe in Beatificatione, & Beatum nõ eſſe in Cœlis.n.19. Et reſponſiones ad oppoſita. n.20.

Cultus exhibendus, vel non exhibendus Defunctis, cum opinione Sanctitatis,ſed non Beatificatis.

Non Canonizatis,nec Beatificatis,exhiberi nõ poteſt cultus ſolemnis, & publicus, ſed tantùm priuatus, & quiſnam ſit cultus ſolemnis,& publicus, & quiſnam cultus priuatus. c.6.n.1.

Licitum eſt credere aliquem defunctum eſſe Sanctum,& in ſui auxilium inuocare,etiam alijs audientibus.n.2.ac etiam eius manus,& pedes deoſculari, veſtis fruſtula ſumere, capillis tondere,reliquias ad collum deferre, in ſepulchro orare,& in ſignum venerationis ſe proſternere. n. 3. Poteſt ſepeliri in loco honeſtiori, & ſeorſum ab alijs. n. 4. Depingi eius imago abſq; radijs,& ſplendore,ac diademata,& illam ponere in Eccleſia,vel Oratorio ſeparatam,ab imaginibus Sanctis, & ſub baldachino ornare.n.5.Vel illam ponere in Oratorijs priuatis,à dextris,vel ſiniſtris altaris, non autē ſuper altare;vel in cubiculis priuatis,vbi ipſi orare ſolent, dummodò non ponatur ſola,ſed cum imaginibus aliorum Sanctorum. n. 16.

Licitum eſt etiam in eius anniuerſaria die, abſtinere ſe ab operibus ſeruilibus,& in eius vigilia ieiunare. n. 7. Votum priuatum offerre, non autem publicum à toto populo. n.8. cereos,tabellas, & imagines,ſiue pietas, ſiue quauis materia in ſidem receptæ gratię offerre, & in ſecreto aliquo loco cuſtodire, & aſſeruare. Et alia huiuſmodi. n.9.& 10.

Cultus publicus defuncto cum opinione Sanctitatis exhiberi non poteſt, nec appellari nomine Sancti, vel Beati. n.11. Neq; illius imago cũ radijs, & ſplendore, aut cum diademate,exponi,vel retineri. n. 12. Neq; ſine radijs,& diademate ſuper altare, nec publico,nec priuato loco poni.Neq;in recitatione diuini officij etiam priuati,eius commemorationem facere, vel in Litanijs inuocare. n.14. Neq; in eius die anniuerſaria feſtum inſtitui,aut in vigilia ieiunium alijs indicere. n.15. Neq; ad populum concionem haberi,aſſerendo præclara eius geſta,virtutes, & laudes. n. 16. Neq; in eius ſepulchro, aut imagine lampadas,& cereos accendere, vel tabellas,& ſimilia appendere ex decreto Vrbani VIII. n. 17. Neq; aliquis recipere poteſt teſtificationes miracolorum eius, ſed illas tenetur tranſmittere Epiſcopo loci, ex decreto S. Congregationis n. 18. Nec in typis mandare, miracula, reuelationes, et ſimilia eius geſta,abſque reſponſo Sedis Apoſtolicæ, niſi cum debitis proteſtationibus, decretis ab Vrbano VIII. 19. Proteſtatio Auctoris in principio libri imponēda.n.20. Et in fine libri n.21.

Quibus pœnis puniendi ſunt tranſgreſſores dictorum decretorum ab Ordinario, vel ab Inquiſitoribus S. Officij. n.22.

In anniuerſario ſerui Dei non canonizati, nec beatificati, celebrari non poteſt Miſſa de Sanctiſs.Trinitate. n.23. Sed aliqui Doctores contrarium ſuſtinent. n.24.

Proceſſus in ordine ad beatificationem defuncti cum opinione Sanctitatis; primò eſt formandus de non cultu, et de obſeruantia decretorum Vrbani VIII. c. 6. n. 25. et 26. alia vide verb. Proceſſus.

D

Decreta Summorum Pontificum.

Gregorij XIII.

IN Bulla Greg.XIII. quæ incipit *Omni certè ſtudio*, edita 8. *Kalend. Iulij* 1572. prohibetur, Agnos Dei cereos depingi, vel miniari colore, vel auro, & illos venales exponi. c.3. n.11.

In Bulla eiuſdem Greg. edita 1581. decreuit Inquiſitores S. Officij poſſe procedere contra Iudæos, Mauros, & alios non babtizatos in multis caſibus. c.7.n.14.& ſequ.

In Bulla eiuſd.Greg.quæ incipit: *Sancta Mater Eccleſia*, præcipitur, vt Iudæi Romæ certo die cogantur Prædicatorem Chriſtianum audire. c.9. n.14.

Sixti V.

In Bulla Sixti V. contra ſortilegos coguntur Inquiſitores inquirere contra omnes ſortilegos. c.2.n.17.

In Bulla Sixti V.quæ incipit: *Nuper ſiquidem*, & Pij V.& Greg.XIII. præcipitur, Romanorum Pontificum præcepta eſſe inuiolabilitèr ſeruanda, & eorum conſtitutiones vocantur præcepta. c.8.n.39.

In Bulla Sixti V. quæ incipit: *Cœli, & Terræ Creator* prohibetur ex aſtris prædicere effectus fortuitos futuros; ſed non illos, qui ex cauſis naturalibus proueniunt. c.11. n.2.

Vrbani VIII.

In Bulla Vrbani VIII. edita 5. Martij 1642. prohibetur Imagines Chriſti, & Sanctorum ſculpere, dipingere, & tenere veſtitas cum habitu alicuius ordinis Regularis. c.3.n.32

Decretum eiuſdem de non eligendis Beatis nō Canonizatis in Patronos Ciuitatis, & de modo eligendi huiuſmodi Patronos. c. 5. n. 3.

Decreta eiuſdem Vrbani edita 13. Martij, & 1.Octobris 1625.& 5.Iulij 1634.& 1642.de cultu publico non exhibendo defunctis cum fama Sanctitatis. c.6.n.12.vſq; ad 26. & decretum contra tranſgreſſores. n.22.

Proteſtatio facienda ex decreto Vrbani VIII. in principio, & in fine libri, qui eſt imprimendus de aliquo defuncto cum fama Sanctitatis. c.6.n.20.& 21.

Vrbanus VIII.in Bulla *Inſcrutabili*, edita 1631. confirmauit, & innouauit Bullam Sixti V.contra Aſtrologos iudiciarios. c.11 n.24.& pœnas excommunicationis latæ ſētentiæ vltimi ſupplicij, & cōfiſcationis bonorum ſtatuit contra eos, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel de vita, & morte Romani Pontificis, eiuſq; ad tertium gradū conſanguineorum prædictiones fecerint, aut quomodolibet vſi fuerint. c. 11. n. 26. & 30.

Bullæ Alexandri VII.

Decretum S.Congregationis confirmatum ab Alexandro VII. de cultu præſtando, & non præſtando Beatis non canonizatis. c.5.n.5. & ſequ.

In decreto Alexandri VII. edito menſe Auguſti 1660. quod incipit, *Licet alias præcipiatur*, eſſe denunciandū nulla præuia correctione, etiam hæreticum occultum, & de hęreſi etiam leuiter ſuſpectum, quamuis iudicetur emendatum. c.8.n. 3.& ſequ. ac etiā tenetur, quis denunciare ſuos ſanguini coniunctos. n. 15. ſub pœna excommunicationis. n.37.

In conſtitut.edita 24. Septembris 1665. quæ incipit *Sanctiſſimus Dominus noſter*, decreuit ſub pœna excommunicationis Summi Pōtificis reſeruatæ ne aliquis doceat: quòd ad duellum prouocatus, poteſt illud acceptare, nè timiditatis notam apud alios incurrat. c. 18. n.27.

Decreta aliorum Summorum Pontificum.

Ex Bullis, ſeu diplomatibus Paſchalis, incip. *Dominum excelſum*, pro Beatificatione Petri Epiſcopi Ananienſis. Alexandri *III. Redolet Anglia*, pro Canonizatione S.Thomæ Cantuarienſis, Gregorij *IX. Mira circa nos* pro canonizatione S. Franciſci. Honorij *III.* pro canonizatione S.Laurentij Epiſcopi Dublinenſis: colligitur famam notoriam miraculorum eſſe indicium efficax pro ſerui Dei beatificatione. c.3.n.31.

Decretum Pauli V. editum 24. Auguſti 1613. in quo præcipitur ne extrahantur reliquiæ ex Cryptis, & Cemeterijs intra, vel extra Romam exiſtentibus. c.4.n.23.

Decretum eiuſdē editum die 16. Martij 1614. ne quis poſſit extrahere reliquias ab Eccleſijs, Monaſterijs, & locis pijs, intra, vel extra Romam exiſtentibus. c.4.n.23.

In Bulla Gregorij IX. quæ incipit *Excommunicamus*, edita 1232. & in Bulla Innocentij IV. incip. *Nouerit*, edita 1234. præcipitur ſub pœna excommunicationis eſſe denunciandos hæreticos, & Idololatras. c.8.n.1. & n. 36.

In Bulla Iulij III. quæ incipit *In multis*, habetur ſpontè comparentē eſſe, qui ſpontè tàm de ſe, quàm de alijs de commiſſo delicto veritatem dicit, & veniam humilitèr petit. c.8. n. 42.

Alexander VI. conceſſit Regibus Luſitaniæ, & Caſtellæ Regna infidelium Orientis, & Occidentis, & illos debellandi ſi prædicationem Euangelij nollent recipere. c.9. n. 17. & 24.

Pius IV. anno 1560. decreuit Duellantes, et ad duellum prouocantes, cõſulentes, auxilium, vel fauorem dantes, intereſſentes à conſilio, chartas ſcribentes, publicantes, & de illis intromittentes ipſo facto eſſe excommunicatos, & ſubiacere alijs pœnis. c.18.n.43.

Decretum Ioannis XXII. contra Alchimiſtas. c.24. n.37.

Ex priuilegio Gregorij *IX.* & Clementis *IV.* poteſt tam Epiſcopus, quàm Inquiſitor abſoluere ab excommunicatione hæreticum pœnitentem poſt abiurationem. c.29.n.2.

In conſtitut. Clementis VII. quæ incipit *Cum ſicut*, facultas, quæ conceditur Inquiſitoribus, abſoluendi hæreticos, intelligitur in foro externo, quamuis aliqui opinentur intelligi etiam de abſolutione in foro conſcientiæ. c.29.n.6.& 7.

Decreta S. Conciliorum.

Decretum S.Conc. Trid. ſeſſ.7. prohibens ſub excommunicationis pœna contemnere, omittere, vel mittare in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione ritus conſuetos, & approbatos ab Eccleſia. c.2.n.16.

Eiuſdem S Conc. decretum ſeſſ.25. de Sãctorum reliquijs venerandis. c.3.n.1.& c.4.n.1.

Eiuſdem S.Conc decretum ſeſſ. 25. de veneratione, & cultu, Sanctorum imaginibus debito. c.3.n.13.14.& 15.

Eiuſdem S.Conc. ſeſſ.25. c.2. & Con. Niceni act.2.& 5: eſſe retinendum vſum depingendi Deum, & Angelos. c.3.n.9.

In Conc. Trid. ſeſſ.25. præcipitur, vt in reliquiarum veneratione omnis turpis quæſtus eliminetur. c.4. n.16.

In Conc. Trid. ſeſſ 25. c.19. expreſsè prohibetur duellum. c.18. n.3. & quibus pœnis punitur. ibid. c.18. n.19. et 65.76.

In Conc. Trid. ſeſſ.22. prohibentur in Miſſæ Sacrificio illa, quæ magis à ſuperſtitioſo cultu, quã à Religioſo, et vero inuẽta ſunt. c.22. n. 16.

In Cõc. Trid. ſeſſ.24. c.6. conceditur Epiſcopis poſſe abſoluere in foro conſcientiæ ab hæreſis crimine occulto. c.27. n.14.

Quæ facultas videtur reuocata in bulla Cœnæ. c.29. n.5. Sed hoc alij negant n.4.

In Conc. Trid. ſeſſ. 14. c.7. eſt decretum: Vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis. c.29. n. 10.

Conc. Niceni 2. act.2. colendas eſſe Sanctorũ imagines. c.3. n.16.

In Conc. Lateranenſi c.62. et Trid. ſeſſ.25. exprimuntur quænam reliquiæ ſunt venerandæ. c.4. n.9.

In Conc. Bitterienſi c.2. ſtatuitur, non debere gratiam ſpontè comparentium conſequi, dimidiatè confitentes ſua delicta. c.8. n.43.

In Conc. Toletano 4. c.21. præcipitur, Iudęos ſuadendos eſſe ad chriſtianam fidem, ſed nõ cõpellendos. c.9. n 3. et c.46. et ſi ad chriſtianam fidem coacti ſunt, illam tenere cogantur. c.9. n.8.

In eodem Conc. Toletano 4. c.28. et Agatenſi c.42. prohibentur ſortes diuinatoriæ. c.17. n.22. et 25.

In Conc. Cartaginenſi 4. c.7. definitur, Eccleſiæ exorciſmos, ad expellendos Dæmones, à Chriſto Domino, vel ab Apoſtolis fuiſſe ordinatos. c.26. n.2. et c.30. n.24.

Decreta Sacrorum Canonum.

In *c. Quidam de Apoſtatis,* ſtatuitur ad fidem catholicam conuerſos, ſequentes ritus ſectæ derelictæ, tanquam hæreticos, et Apoſtatas eſſe puniendos. c.2. n.16.

In *c. Contra chriſtianos de hæreticis,* ſtatuitur Inquiſitores cont a ſupradictos debere procedere tanquam contra hæreticos c.2. n.16.

In *c. Accuſatus, §. licet de hæreticis in 6.* ſtatuitur, vt Inquiſitores S.Officij procedant cõtra ſuperſtitiones, manifeſtè hæreſim ſapiẽtes. c.2. n.17.

In *c. Quærendum de pęnitentijs diſt.2.* ſtatuitur quid probandum ſit de vitæ ſanctitate canonizandi. c.3. n.26.

In *c. Cum ex coniuncto, §. Cum igitur de hæreticis,* & in *c. Teneamus 1.q.1.* et in *c. Prophetauit 2.q.7. §. Item Balaam,* habetur miracula beatificandi, vel canonizandi debere, facta eſſe in vita, et poſt mortẽ, et quod verè ſint à Deo, et ſupra naturam. c.3. n.27.

In *c. Cum ex eo de reliquijs, & venerat. Sanctorum,* habetur, reliquias Sancti non canonizati à Summo Pontifice approbandas eſſe. Sancti verò canonizati ab Epiſcopo loci. c.4. n.3.

In *c. Quod in dubijs de conſecrat. Eccleſiæ,* habetur, Oleum non conſecratum mixtum cõſecrato remanere conſecratum. c.4 n.6.

In *c. Sacris de Sepulturis,* habetur: cadauer excommunicati in loco ſacro ſepultum, ſi diſcerni nequeat, non eſſe exhumandum. c.4. n.6.

In *c.1. & 2. de Reliquijs, & venerat. Sanctorũ,* prohibetur, exponere publicè reliquias alicuius Sancti non approbatas ab Epiſcopo. c.3. n.12.

In *c. vlt. de Reliquijs, & venerat. Sanctorum,* pręcipitur, Ne reliquiæ exponãtur venales. c.4. n 16.

In *c. Corpora de Conſecrat.* præcipitur nè trãſferãtur Reliquiæ Sanctorum, perpetuæ ſepulturæ traditæ. c.4. n.24.

In *c. Sancta Apoſtolica de conſecrat.* et in *c. Sacratas 23. diſt.* eſt laicis prohibitum tangere calices conſecratos, et alias res ſacras. c.4. n.30.

In *c.Vaſa de cōſecrat.diſt.*1.et *c.Calix n.*1. pręcipitur, vt calix ſit ex auro, vel argento, vel ſtanno,aut ære confectus, & inauratus. c.4. n. 34.

In *c.Quę ſemel* 19.*q.*3.*c. Quæſti ſunt* 17 *q.vlt. c.Ligna,c.Altaria de conſecrat. diſt.*1. prohibetur,vaſa ſacra, veſtes, aliaq; cultui diuino dicata, in eadem forma, ad profanos vſus conuertere. c.4.n.35.

In *c.Olim de verb.ſignif.* habetur, quod fauores,& priuilegia ſunt amplianda. c.5.n.10.

In *c. Audiuimus de reliquijs, & venerat. Sanctorum,* prohibetur publicus cultus non canonizatis,nec beatificatis. c.6. n.1.& 13.

In *c.Dilecta de reſcriptis, & c.Venerabili de officio delegati,*ſtatuitur,vt Deputati,& Cōmiſſarij Sedis Apoſtolicæ obſeruent ad vnguem omnia, quæ eis in literis remiſſorialibus præſcribuntur. c.6.n.38.

In *c.*1.*de cauſ.poſſeſſ.* & in Clement. *Paſtoralis de ſentent. & re iudic.* præcipitur, vt in omnibus actibus cauſę canoniz.& beatif.citetur Promotor,ſeu Subpromotor fidei. c.6. n. 30.

In *c.Venerabilis de teſtibus,*prępcipitur vt examinentur ſingulariter omnes , & ſinguli teſtes ſemel producti,vel inducti. c.6.n.31.vbi etiam eaaminandos eſſe de fama Sanctitatis, & de miraculis. n. 33.

In *c.Vbi periculum de elect. in* 6. *c. Quintanus* 42.*diſt.*ſtatuitur,vt defunctus tanquam Beatus publicè colatur,euidentia argumēta neceſſariò requiri.c.6.n.33.

In *c.Epiſcop.*80.*diſt.& c.Legimus* 99.habetur non eſſe beatificandos omnes defunctos cū fama Sanctitatis, ne cultus qui debetur Sanctis multitudine Sanctorum vileſcat. c. 6. n. 33.

In *c.Præſentia de probationibus* habetur,quod probationes dubiæ non releuant,quod probare intenditur.c.6.n.40.releuant verò plures teſtes idonei,*c.Prudentiam,de offic.deleg.* Clement. 1. *de ſent.excomm. c.De quibus* 20. *diſt.* Et probationes ex publica,& conſtante fama Sanctitatis, *c.Si teſtes* 4.*q.*2.*&* 3.ibid.

In *c.Bonæ memoriæ de electione* ſtatuitur,quod in dubio de validitate actus præſumendum eſt eſſe validum. c.6. n.49.

Ex *c.Accuſatus, §.Sacerdotes de hæreticis in* 6. colligitur ad incurrendam excommunicationem Bullæ cœnæ contra fauentes,defendentes,aut receptantes hęreticos, vel Idololatras requiri , vt adſit formalis intentio, fauendi,defendendi,aut receptandi eos,qua hæretici,vel Idololatræ ſunt.c.7. n.20.

In *Clement.*1.*de pœnis,* & in *c.Ex communi* 1. *§.Volumus de hæreticis,*habetur,eſſe fautores ex omiſſione Miniſtros , non procedentes, vel non punientes hęreticos. c.7.n.21.et 22.

In *c. Quapropter* 2.*q.* 7.& in *c.* 2. *de hæreticis* præcipitur,hæreticos,& de hæreſi vehemēter ſuſpectos eſſe denunciandos. c.8. n.1. & grauitèr puniendos. n.35.

In *c.Sanè* 6.24.*q.*2.& *c.Finali de præſumptionibus,*ſtatuitur, vt hæreticus etiā poſt mortem ſit ab Eccleſiæ ſepultura eijciendus, & eius bona confiſcanda.c.8.n.31.

In *cap. Sunt plures de pœnit. diſt.* 1. habetur ſacrilegium committi ab eo, qui non confitetur omnia commiſſa crimina, & impium eſſe dimidiam ſperare veniam. c. 8. n. 43.

In *c.Qui ſincera diſt.* 45. decernitur, infideles non aſperis, ſed blandis verbis ad fidem eſſe prouocandos. Idem ſtatuitur in *c. Sicut Iudæi de Iudæis, & Saracenis,* & *c. De Iudæis diſt.*45. c.9. n.3.

In dicto *c.Qui ſincera de Iudæis diſt.*45.ſtatuitur etiam Iudęos ad chriſtianā fidē coactos, ad illam ſeruandam eſſe cogendos; ne fides contemnatur.c.9.n.8. & Iudæos non eſſe expellendos, niſi ex iuſta cauſa. n.12.

In *c.Sicut Iudæi extra de Iudæis,& Saracenis* prohibetur,ne Iudæi in eorum celebritatibus perturbentur. c.9. n.11.

In *c.Diſpar* 23.*q.*8. decernitur: iuſtè bellum geri contra Saracenos ex eo, quod chriſtianos perſequuntur,nō autem contra Iudęos, cùm ſint ſeruire parati. c.9.n.22.

In *c.Fraternitatem diſt.* 54. & in *c.Multorum de Iudæis, & Saracenis* ſtatuitur, quod Iudæi, & Saraceni ſi fidem chriſtianam ſuſcipiant,liberi deueniant à ſeruitute Dominorum ſuorum.c.9.n.30.

In *c. Ex tuarum extra de ſortilegijs* habetur, quod qui ignoranter cum peruerſo homine in loco priuato acceſſit, & tacitè Dæmonē inuocauit,grauem peccati maculam cōtraxit. c.10.n.9.

In *c. Cauſam de hæreticis* habetur diuinationem,quæ inuoluit hæreſis ſuſpicionem,pertinere ad Tribunal S.Officij. c.10. n.27.

In *c.Illos* 26.*qu.*2. *c.Igitur* 26.*qu.*3.*c.Non liceat* 26.*q.*5. prohibetur Aſtrologia iudiciaria tāquam per ſe mala ſuperſtitioſa, & hæreſim ſapiens. c.11. n.6.

In *c.*1.*de ſortilegijs.*& in *c.Ex tuarum eod.tit.* habetur eſſe mortale peccatum per aſtra inquirere theſauros abſconditos, occulta furta,homicidia,adulteria, &c. c.11.n.11.

In *c.Sciendum* 26. *q.*4. habetur Dæmonem ſæpè procurare,vt illud eueniat,quod prædictum eſt,ad commendandam ſuam peſtiferam artem.c.11.n.14.

In *c.Illud* 26. *q.*2. damnatur, vt ſuperſtitioſum,& vanum,æſtimare certos dies hebdoma-

madæ ſibi fauſtos, alios verò infauſtos. c. 13. n. 7.

In *c. Si quis Epiſcopus*, & *c. Aliquanti 26. q. 2.* & expreſſius in *c. Non obſeruetis 26. q. 7.* dãnantur, vt ſortilegi, & magiam exercentes, Cabaliſtæ, & alij diuinatores. c. 16. n. 5. & 7.

In *c. Eccleſia extra de ſortilegijs*, prohibentur ſortes in electionibus faciendis. c. 17. n. 4. 6. & 13.

In *c. Sortes 26 q. 5.* interdicitur ſub pœna excommunicationis, ſortibus indagare in rebus dubijs Dei voluntatem. c. 17. n. 19.

In *c. 1. de ſortilegijs, cap. Sortes, cap. Peruenit, c. Si quis Clericus 32.* & in *c. Aliquanti*, prohibentur ſortes diuinatoriæ tanquam illicitæ. c. 17 n. 22.

In *c. Significantibus extra de purg. vulg.* duellum tanquam ſuperſtitioſum prohibetur. c. 18. n. 2. & in *c. Monomachiam 2. q 5.*

In *c. Sicut dignum, §. Clericus de homicidio* definitur conſuetem duellum, ſequuto effectu occiſionis, incurrere irregularitatem. c. 18. n. 49.

In c. *De cætero de ſenten. excomm.* definitur poſſe Epiſcopum abſoluere ab excommunicatione Papę reſeruata, quando excommunicatus non poteſt Romam adire. c. 18. n. 84.

In *c In literis de raptoribus, & c. vlt. de ſepulturis* habetur reſtitutionis obligationem nõ extingui morte delinquentis, ſed ad hæredes tranſire. c. 25. n. 25.

In *c Eos qui, de ſentent. excom.* in eodem cõtextu articulus mortis nunc periculum, nunc articulus mortis appellatur. c. 29. n. 11.

In *c. Præsbyter 26. q. 6.* facultas, quæ conceditur cuilibet Sacerdoti, abſoluendi in articulo mortis, intelligitur ſi non adſit Cõfeſſarius approbatus, qui poſſit, & velit pœnitentem illum abſoluere. c. 29. n. 23.

In *c. Ea naſcitur, & c. de cætero de ſenteut. excomm.* habetur in percuſſione Clerici Papæ reſeruata, ſi acceſſus ad Pontificem eſſe non poſſit, adeundum eſſe Epiſcopum. c. 29. n. 25

In *c. Quamuis de ſentent excomm.* habetur pro legitimè impeditus, qui per ſe ipſum non poteſt Superiorem adire. c. 29. n. 28.

In *c. Eos qui de ſent. excomm. in 6.* habetur expreſsè, ceſſante morbo, teneri abſolutum in articulo mortis ab excommunicatione reſeruata, Superiori ſe præſentare, alias ſimilẽ excommunicationem incurrat. c. 29. n. 29.

In *c. Quod de his de ſent. excomm.* habetur percutientem Clericum teneri perſonaliter cõparere pro abſolutione ab excommunicatione, nec poſſe per procuratorem. c. 29. n. 30.

In *c. Decernimus de iudicijs, & c. Si verò de ſent. excomm.* habetur non poſſe ſpiritualia per laicum miniſtrari. c. 29. n. 32.

In *c. Sacris de ſepulturis, & in c. Non æſtimemus 23. q. 2.* ſtatuitur, non eſſe denegandam Eccleſiæ ſepulturam, niſi in caſu claro, & manifeſto, & eſſe concedendam in caſu dubio. c. 29. n. 3.

Decreta S. Congregationis.

S. Congregatio 21. Decembr. 1602. decreuit Inquiſitores poſſe, ac teneri inquirere in omnes ſuperſtitionis caſus etiam manifeſtam hęreſim non ſapientes. c. 2. n. 17.

Iuſſu Vrbani VIII. decreuit 13. Martij 1625. & 5. Iulij 1634. et 1642. Ante Beatificationem, et ante Canonizationem pręter vitę ſanctitatem, & miracula requiri multiplicatas preces Magnatorum, conſtantem famam Sanctitatis, continuationem cultus, & miraculorum. c. 3. n. 29.

Iuſſu eiuſdem Vrbani VIII. S. Congreg. 8. Aprilis 1628. decreuit non poſſe abſque ſpeciali facultate, & licentia, vel Summi Pontificis, vel eiuſdẽ S. Congreg. celebrari Miſſam, vel feſtum cũ officio de Sancto, eo quod in Eccleſia adſit aliqua reliquia, niſi ſit in ipſius Sãcti Eccleſia titulari, et vbi aſſeruatur reliquia inſignis, et non alibi. c 4. n. 2.

S. Congreg. declarauit reliquias antiquas colendas eſſe in illa veneratione, quam hactenus habuerunt. c. 4. n 5.

In vna Ianuenſi 20. Ianuarij 1593. conceſſit transferendi corpus Sanctum de vno altari ad aliud eiuſdem Eccleſię. c. 4. n. 25.

Annuente Vrbano VIII. decreuit: Beatificatos non Canonizatos eligi non poſſe in Patronos Ciuitatis, & quomodo fieri debeat Patroni electio. c. 5. n. 3.

Decretum S. Congregationis confirmatum ab Alexandro VII. 27. Septemb. 1659. de cultu pręſtando, vel non pręſtando Beatis non canonizatis. c. 5. n. 5. & ſequ.

Decretum S. Congreg. mandatum ſeruari ab Innocentio X. 5. Octob 1652. de non excedendis indultis Sedis Apoſtolicę ſuper Beatificationibus, pręſertim in celebratione Miſſarum, & Officij cum Octauis. c. 5. n. 12.

Decretum S. C. denunciandos eſſe ſub pœna excommunicationis latę ſententię, etiam de hęreſi quomodolibet ſuſpectos. c. 8. n. 38.

Decretum S. Congreg. editum die 9. Ianuarij 1601. & 16. Nouembris 1602. contra prouocantes, aut pugnantes in duello. c. 18. n. 85.

Defenſores hæreticorum.

Defenſores hęreticorum alij ſunt qui eorum errores defendunt, et hi ſunt verè hęretici. Alij ſunt qui defendunt eorum perſonas, & hi ſunt de hęreſi ſuſpecti. c. 7. n. 26.

Defenſores hęreticorum ſunt etiam Aduocati, Procuratores, Notarij, qui abſq; Inquiſitorum licentia hęreticos defendunt, qui etiã ſunt de hæreſi ſuſpecti. n. 27.
Vide fautores hæreticorum, ac eorum Receptatores.

Dæmonis pactum, & eius inuocatio.

Quomodo dari poteſt pactum inter homines, & dæmones. c. 10. n. 11.
Dæmon tripliciter inuocari poteſt, nempè per iram, & indignationem, per adiurationem, & per adiutorium ad aliquid conſequendũ, ſiue bonum, ſiue malum. n. 12. 13. & 14. vbi etiam quando huiuſmodi inuocatio ſit actus ſuperſtitioſus, & peccaminoſus.
Dæmonem inuocans per modum adiutorij, vel eſt hęreticus, vel de hęreſi ſuſpectus. n. 15. Similiter illum inuocans verbis deprecatiuis. n. 16. Dæmonem inuocare verbis imperatiuis, ſemper eſt peccatum mortale. An verò ſit ſortilegium hæreticale: aliqui negant, alij verò probabilius affirmant. n. 17. & 18. quod verum eſt, etiamſi Dæmonis inuocatio ordinetur ad finem bonum aſſequendum. n. 19.
Dæmones inuocati varijs modis ſolent futura prædicere. n. 20. & credens eius reſponſum eſſe certum, & infallibile committit peccatum idololatriæ, & hæreſis. n. 21.
Dæmones in eorum apparitionibus bona conſulentes non ſunt audiendi, quia ſemper tendunt ad homines decipiendos. n. 22.
Dæmonum apparitiones, & bonum conſulentes facilè diſcerni poſſunt, non eſſe bonorum Angelorum. n. 23.
Dæmones, an poſſint alligari ab hominibus in annulis, in ſpeculis, in phialis, & ſimilibus. c. 15. n. 4.
Dæmones poſſunt magos, & lamias ad loca diſtantiſſima transferre. c. 24. n. 14. & 15.
Dæmones poſſunt cum lamijs acceſſum venereum habere. n. 16.
Dæmones non poſſunt miracula facere. n. 17.
An Pythoniſſa ope Dæmonũ ad preces Saul, Samuelem mortuum ſuſcitauit. n. 18. & 19.
An fuit miraculũ, quod Magi Pharaonis, ope Dæmonum, conuerterunt virgas in ſerpentes, & aquam in ſanguinem. n. 20. & 21.
Quare permiſit Deus, vt ſigna, quæ miraculosè fiebãt à Moyſe, eadem, ope Dęmonum, fierent à Magis. n. 22.
Quænã tranſmutationes fieri poſſunt à Dæmonibus ſupra vires humanas. n. 23. vſque ad 30.
Quare Deus non permittit, vt Dæmones theſauros abſconditos manifeſtent hominibus. n. 31.
Dæmonis adiuratio. Vide Adiuratio, Energumenus, & Exorciſta.

Denunciandi obligatio.

Denunciandos eſſe Idololatras, hæreticos, & de hæreſi ſuſpectos, quando eorum delictum probari poteſt, omninò certum eſt. c. 8. n. 1.
Denunciandi etiam ſunt quando delictum eſt ità occultum, vt probari non poſſit, ac etiam quãdo quis illud ſcit ſub ſecreto iurato; non autem quando illud audiuit in confesſione ſacramentali. n. 2.
Denunciandus eſt etiam idololatra, & hæreticus occultus, quamuis credatur emendatus. n. 3. & 4.
Denunciationem præcedere non debet correctio fraterna, quia Ethnici, & hæretici non ſunt noſtri fratres, & quia iſti ob admonitionem, & correctionem ſępè peiores fiunt. n. 5. & Alexander VII. decreuit leuiter de hæreſi ſuſpectos eſſe denunciandos, etiamſi nulla correctio præceſſerit. n. 6.
Denunciare tamen quis non tenetur ſeipſum. n. 7. neq; ſocium criminis, ſed fœmina ſolicitata in confeſſione tenetur denunciare Confeſſarium. n. 8. Neq; denunciare poteſt Confeſſarius pœnitentem, quem in confesſione ſacramentali cognouit idololatram, aut hæreticum. n. 9. teneretur verò illum denunciare ſi non in confesſione ſacramentali, ſed ſi ex dicto ſub ſigillo confesſionis talem agnouerit. n. 10 Neq; tenetur quis denũciare, quando quis audiuit aliquem eſſe hæreticum, vel idololatram à fide non digno. Secùs verò à fide digno. n. 11. Nec etiam ob metum cadentem in conſtantem virum; vt ſi timeat occidi. n. 12. Sed ſi delinquens dogmatizet, & alios ſe ducat, tenetur quis iudicialiter illum denunciare, etiam cum damno propriæ vitæ, quia bonum commune præponderat priuato. n. 13. & 14.
Denunciare tenetur frater, fratrem idololatram, vel de hęreſi ſuſpectum, etiamſi alios non ſubuertat. n. 15.
An filius teneatur denunciare patrem, & pater filium, & maritus vxorem, & vxor maritum idololatram, vel hæreticum. n. 16. vſq; ad 21. An idem ſit dicendum de patre, vel filio, & de vxore, & marito de hęreſi ſuſpectis. n. 22. 23. & 24.
Non denuncians hæreticum, vel idololatrã, vel de tali crimine ſuſpectũ, an ſit vehementer, vel leuiter de hæreſi ſuſpectus. n. 25. & ſequ.
Tenetur quis denunciare delinquentem, etiãſi poſt delictũ ſtatim pœniteat. n. 29. & etiãſi ſciat fuiſſe ab alio de eodem delicto denunciatum. n. 30. Nec vnquam ceſſat hæc obligatio denunciandi. n. 31. Neq; poſt delinquẽtis mortem. n. 32. Aliqui verò ſuſtinent: ſi poſt commiſſum delictum longum tempus in-

interceſſit, pręſumendum eſſe emendatum delinquentem, & non eſſe denunciandum. n. 32.
A denunciationis obligatione an ſint exempti Reges, & Cardinales. n. 33.
Denunciatio fieri poteſt verbo, vel ſcripto, & ſufficit ſi Inquiſitor cum Secretario illam recipiat. Sed ſi fiat per epiſtolam neceſſariò denuncians, illam ſubſcribere, debet. n. 34.
Non denuncians idololatram, vel hęreticum, peccat mortaliter. n. 35. & incurrit excommunicationem. n. 36. & ſimilitèr non denūcians de hæreſi ſuſpectum. n. 37. & 38. Excōmunicationis huius abſolutio eſt Papæ, & S. Congreg. reſeruata, & contra talem non denunciantem, tanquam contra hæretici fautorem proceditur. n. 38. & 39.
Promittens Confeſſario delinquentem denūciare, an poſſit abſolui. n. 40. & 41.
Quiſnam dicitur ſpontè ſeipſum denuncians. n. 42. Qui de ſuis delictis ſpontè plenam veritatem, tàm de ſe, quàm de alijs denunciat veniam meretur. n. 43. & 44.
Confeſſionem huius ſpontè denunciantis ſeipſum Inquiſitor recipere debet in ſcriptis coram Notario, niſi delictum ſit omninò occultum, tunc enim non eſt adhibendus Notarius, & confeſſio facienda eſt oretenus ſine ſcriptis. n. 45.
Eſt denunciandus S. Inquiſitionis officio vtēs ſuperſtitioſo illo medendi modo in diſtanti, applicando medicamen linteis fruſtulis, tinctis vulnerati ſanguine. c. 21. n. 4. & 5.

Diuinatio.

Diuinatio eſt tertia ſpecies ſuperſtitionis, quia eſt diuinitatis emulatio. c. 10. n. 1. Definitur autem, quod ſit prænunciatio futurorum contingentium indebito modo. n. 2.
Diuinatio eſt duplex, alia quæ fit cum expreſſa inuocatione Dæmonis. Alia cum tacita, & implicita Dæmonis inuocatione: exemplis declaratur. n. 3. Huiuſmodi diuinationes sūt eiuſdem ſpeciei, quia idem iuris eſt taciti, & expreſſi. n. 4. Sed quamuis aliqui opinentur delinquentem non teneri in confeſſione explicare pactum expreſſum cum Dæmone; ſed ſufficere confiteri ſe diuinando ſuperſtitiosè mortalitèr peccaſſe: tamen D. Thom. & alij quamplures docent pactum expreſſum cum Dæmone eſſe neceſſario explicandum, & inter alias rationes, quia expreſſa diuinatio alia grauiſſima peccata includit. n. 5.
Diuinatio tacita eſt etiam ſemper peccatum mortale n. 6. etiam ſi expreſsè quis proteſtetur ſe nolle pactum habere cum Dæmone. n. 7. Et ſimiliter, qui illis ſignis vteretur, quia conſtat per experientiam ità euenire, nam eſſet tacita inuocatio Dæmonis n. 8.
Diuinatione ſuperſtitioſa vtens ex ignorantia an excuſetur à peccato mortali. n. 9.
Ad diuinādū vanis ſignis vtens ex ioco, & recreationis cauſa, ſi nō adſit tacita Dęmonis inuocatio, excuſatur à mortali, & ſimilitèr obſeruare ſomnia, auguria, ſortes, & ſimilia non præſtando eis fidem certam. n. 10.
Diuinatores ſuperſtitioſi incurrunt excōmunicationem ſaltem in foro externo. n. 26.
Diuinationis ſuperſtitioſę cauſa ſpectat ad Tribunal S. Officij tantùm. n. 27.
Diuinationis ſpecies ſunt plures, quæ cum D. Thoma numerantur. n. 28. Et an ſint in confeſſione exprimendę. n. 29.
Diuinatio, vide verb. Aſtrologia, Somnium, Augurium, Phyſiognomia, Chyromantia, Metropoſcopia, Spatulantia, Pedomantia, Geomantia, Hydromantia, Aeromantia, Piromantia, Artumantia, Cabala, Sortes, Duellum, Characteres manuſcripti, Rota Bedę.

Dubium.

Probationes non dubię, ſed certę requiruntur in formatione proceſſus sāctitatis ſerui Dei. c. 2. n. 40.
In dubio facti, an in formatione proceſſus alicuius Beati ſint obſeruatę omnes circumſtantiæ, pręſumendum eſt pro validitate actus. c. 6. n. 49.
In dubio an fauens, vel defendens, aut receptans aliquem vt hęreticum, vel idololatrā, tanquam conſanguineum, vel affinem, aut amicum, mitius puniendus ſit. c. 7. n. 19. An iſti incurrant pœnam excommunicationis Bullę Cœnę. n. 20.
In dubio quomodo diſcerni poteſt an apparitio ſit boni Angeli, vel Dœmonis. c. 10. n. 23
Aſtrologi, & alij diuinatores non excuſantur à peccato, & pœnis ſibi debitis quando proteſtantur ſe non affirmare certò, quòd prænunciant. c. 11. n. 25.
In dubio quomodo diſcerni poteſt, an ſomniū ſit à Deo, vel à Dœmone. c. 12. n. 10.
In dubio ad cognoſcendum Dei voluntatem non eſt admittenda ſors. c. 17. n. 19.
In dubio ad cognoſcendum quiſnam ex pluribus ſit mittēdus ad Miſſiones eſt licita ſors. c. 17. n. 20.
In dubio quomodo quis cognoſcere poteſt an ſuum conſilium influxerit in duellum. c. 18. n. 36.
Conſulens duellum, ſi poſt adhibitam diligentiam, adhùc dubitet an per ſuum conſilium influxerit ad prouocandum illud, eſt excommunicatus c. 18. n. 37.
In dubio an effectus ſalutis ſit à cauſa, & medicamento naturali an à ſuperſtitione, & à

Dæmone quomodo præſumendum. c. 21. n. 3.
In dubio an quis habeat à Deo gratiam curandi morbos, vel ſit ſuperſtitioſus, quomodo agnoſci poteſt. c.21. n.7.
In dubio an maleficus ſciat, & poſſit licito modo maleficium ſoluere, non eſt licitum ſolutionem maleficij ab eo petere. c. 25. n. 20.

Duellum illicitum, & ſuperſtitioſum.

Duelli definitio. c.18. n.1. quare dicatur ſuperſtitioſum. n. 2.
Duellum ad indagandam veritatem, vel iuſtitiam alterius partis, eſt ſemper illicitum, & prohibitum. n.3.
Duellum ad terminandam litem criminalem, vel ciuilem, eſt illicitum, & peccaminoſum. n. 17.
Duellum ob defenſionem proprij honoris eſt illicitum. n.18.
Duelli vſus eſt precipuè prohibitum in Conc. Trid n.19.& 20.& à Clemente VIII. n.21.
Duellum non dicitur pugna, quæ oritur ex rixa, & repentino furore. n.22.
Duellum non dicitur pugna incepta in Eccleſia, & ob loci reuerentiam foris terminata. ibid.
Neq; dicitur duellum quando quis eodem tẽpore offert duellum, & pugnam aggreditur. ibid.
Qui ob priuatas inimicitias ſeipſos ad pugnandum inuitant, ſed non ſtatuto loco, & tempore, & alter alterum occidit non dicitur propriè commiſiſſe duellum, nec duelli pœnas incurriſſe. n.23.
Neq; qui inimicum aggreditur illum arguẽdo mentitum fuiſſe, & ſtatim ad pugnam illum prouocat. ibid.
Neque qui toruis oculis, aut verbis contumelioſis inimicum ad pugnandum prouocat, ſed non ſtatuto loco, & tempore. ibid.
Neque qui armis deſtitutus cum altero contẽdens adit domum, & accepto enſe illum ad pugnam prouocat, quia talis pugna non fit ſtatuto loco, & tempore; ſecùs verò ſi alter ei diceret Vade ad accipiendum enſem, hic, vel ad talem locũ te expecto. Quia eſſet duellum ex condicto, & ſtatuto loco, & tempore. n.23.& 24.
Qui inimico diceret: prima vice cùm mihi occurreris in Vrbe, te inuoco ad pugnam, aliqui dicunt, quod committeret duellum, ſed probabilius alij negant. n.24.
Duellum committeret, qui diceret inimico exiſtenti in platea: exeas indè, ne pugna nobis impediatur, eamus ad talem locum, dummodò præmeditatè, & non ex rixa hoc diceret; & ſimiliter qui nutu, & ſignis indicaret locum, & tempus pugnæ. ibid.
Qui alterum inuitat ad duellum animo non offendendi, ſed defendendi proprium honorem, & cum morali certitudine, quod vterq; malum non ſuſtinebit, ſed vt poſt aliquos ictus pax ſequutura ſit: quamuis in foro externo talis pugna præſumatur duellum; in foro tamen conſcientiæ non incurrunt excommunicationem. n.25.
Excluditur etiam à cenſuris concertatio inter mulieres euulſione capillorum, vel inter homines pugnis tantùm. ibid.
Duellum committerent, qui abſque ſecuritate nõ ſe offendendi, certus numerus ictuum ſibi illaturos eſſent. n.26.

Duellum acceptare.

Duellum acceptans prouocatus, ne timiditatis notam apud alios incurrat, pœnam excommunicationis ipſo facto incurrit. c.18. n.27.
Duellum acceptans prouocatus, & exiens in locum condictum, animo non pugnãdi, niſi iterum prouocatus, excommunicationem incurrit, quia ipſa acceptatio duelli eſt prohibita. n.28.
Duellum acceptans, vel ad illud prouocans, ſe confert ſtatuto tempore ad locum præfixũ, ſed non comparente inimico, diſceſſit, an pœnam excommunicationis incurrit. n.29. 30.& 31.

Duelli pœnæ.

Duelli pœnæ ſunt quinque, nempè excommunicatio, omnium bonorum proſcriptio, perpetua infamia, homicidæ punitio, & qui in ipſo conflictu deceſſerit, Eccleſiæ ſepulturæ priuatio. c. 18. n. 19. & n. 65.
Pœnas iſtas incurrunt ex Conc. Trid. Qui pugnam commiſerint, & qui eorum patrini vocantur. n.19. Et ex motu proprio Gregorij XIII. omnes duellum fieri mandantes, implicãtes, auxilium, conſilium, vel fauorẽ dantes, equos, arma, pecunias, commeatum, & alia ſubſidia, ſcienter ſubminiſtrãtes, aut ex compoſito ſpectatores, vel ſocios quouis modo ſeſe præbentes. n.20.
Ad incurrendas dictas pœnas requiritur: vt ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco cõuento, & cum periculo occiſionis, vel vulneris duellum committatur. n.20. vſque ad 27.
Requiritur etiam ad incurrendam perpetuã infamiam, & proſcriptionem bonorum Iudicis ſententia. n.66.

Duel-

Duellum mandantes.

Mandans duellum, ſi poſtea reuocat mandatum, & mandatarius duellum aggrediatur, an ipſe mandans excommunicationem incurrat. c. 18. n. 50.

Si ad notitiam mandatarij venit, mandantem cōtraxiſſe pacem, vel parentelā cum inimico, & tamen duellum aggrediatur, ipſe mādans non incurrit excommunicationem. n. 51.

Mandans duellum non ad mortem, neq; ad primum ſanguinem, ſed ad aliquos ictus tātùm cauſa honoris; & mandatarius duellantem occidit, vel vulnerauit, excommunicationem incurrit ipſe mandans. n. 52.

Mandans duellum ſi mandatarius noluit illud acceptare; & poſtea mutauit ſentētiam, & abſque alio mandato duellum exequatur, ipſe mandans eſt excommunicatus. n. 53.

Mandans non expreſsè, ſed tacitè duellum conſanguineo, ſi iſte duellum exequatur, ipſe mandans eſt excommunicatus. n. 54.

Mandatum ſi ſit inefficax, itaut nihil in duellum influat, mandans, duello inito, non incurrit excommunicationem. Sed in dubio iudicandum eſt mandatum influxiſſe, & mādantem eſſe excommunicatum. n. 55.

Mandans efficaciter duellum, etiamſi ob aliquod impedimentum non ſit exequutum, eſt excommunicatus. ibid.

Duellum Conſulentes.

Duellum conſulens ſi fecit quātum potuit reuocando conſilium. Si conſilium reuocauit ante duelli prouocationē nō eſt excommunicatus. Si autem conſilium reuocauit poſt duelli prouocationem non excuſatur ab excommunicatione; ità nonnulli Doctores: Alij verò ſuſtinent reuocantem efficaciter conſilium, ſiue ante, ſiue poſt prouocationē duelli non incurrere excommunicationem. c. 18. n. 34.

Conſulens duellum parato, ſeu determinato illud committere non incurrit excommunicationem. Secus verò ſi eius conſilium magis confirmauit duellum, vel ad illud liberius exequendum influit. n. 35.

Quomodo quis cognoſcere poteſt an ſuum conſilium in duellum influxerit. n. 36.

Si conſulens adhibita diligentia, adhùc dubitat, an ſuum conſilium ad prouocādum, vel acceptādum duellum influxerit, ligatur excommunicatione. n. 37.

Conſulens duellum, quod ſi ipſe non cōſuluiſſet certò conſuluiſſet alter, incurrit excommunicationem. n. 38.

Narrans aliquod factum, ex quo audiens ſumit occaſionem prouocandi, vel acceptādi duellum, in excommunicationem incurrit. n. 39.

Conſulens parato pugnare in duello vſq; ad mortem, vt tantùm pugnet vſq; ad primum ſanguinem, ſi aliter illum à duello retrahere non valet, non contrahit excommunicationem. n. 40.

Conſulens parato committere duellum, ſed non determinato an vſque ad mortem, an vſque ad primum ſanguinem, vt pugnet vſque ad primum ſanguinem, excommunicationem contrahit. n. 41.

Conſulens parato pugnare in duello cum Petro vſque ad mortem, vt pugnat potius vſq; primum ſanguinem cum Ioanne incidit in excommunicationem. n. 42.

Perſona eccleſiaſtica conſulens, ſiue quomodolibet ſe intromittens ad duellum cōmittendum, ipſo facto eſt excommunicatus, & priuatus omnibus beneficijs, & officijs eccleſiaſticis, & inhabilis ad alia. n. 43. Sed vt priuetur dictis officijs, & beneficijs, & ad alia ſit inhabilis requiritur ſententia declaratoria talis delicti. n. 44. 45. & 46.

Conſulens alicui, vt inimicum in duello occidat: ſi ille ab inimico occidatur, efficitur ipſe conſulens irregularis iuxtà probabiliorem ſententiam. n. 47. & 48.

Conſulens duellū fit irregularis: primò, quādo in duello ſequutum eſt homicidium. Secundò etiamſi alter illud duellum conſuluiſſet. Tertiò quando ſuo cōſilio accendit animum, vel duellantem confirmat ad citius, vel liberius pugnandum, & occidēdū. Quartò ſi dubitet an ſuo conſilio mors duellātis ſequuta ſit. Si verò conſuluit minorem vindictam parato maiorem efficere, non incidit in irregularitatem. n. 49.

Duelli ſpectatores, ſocij, & alij quouis modo ad illud ſpectantes.

Spectatores duelli ex condicto, & induſtria incidūt in excommunicationem, ſecùs obiter tranſeuntes, vel occultè aſpicientes. c. 18. n. 56.

Spectatores duelli ex compoſito, & induſtria ignorantes hoc eſſe ſub pœna excommunicationis prohibitum, an incurrant excommunicationem. n. 57.

Socij, qui comitantur duellantem ad illum adiuuandum incurrunt excommunicationem: ſecùs verò ſi illum comitantur ad impediendum duellum. n. 58.

Famulus aſſocians ſuum herum euntem ad duellum, & illum expectans non incurrit excommunicationem, ſi abſque graui ſuo incommodo id non poteſt omittere. ibid.

Subminiſtrans arma duellanti, ſine quibus ille non eſſet pugnaturus, excommunicationem incurrit: ſecùs ſi eſſet certò pugnaturus, & arma ſecuriora illi tribuit ad ſui defen-

ſenſionem, dummodò cum alterius armis paria ſint.n.59.

Cōponens,ſcribens,mittens, deferens, deuulgans,affigens,exemplans, typis imprimens, ſubſcribens,intimans,vel verbo denuncians, aut atteſtans libellum,ſeu ſcriptum,aut cartulam, & deliberationem duelli, quilibet ex his excommunicationem incurrit ex Bulla Clementis VIII. n.60.

Qui huiuſmodi libellum compoſuit, vel ſcripſit, & per ipſum ſtetit ne intimaretur, aut ne prouocatio ſequeretur, non incurrit excommunicationem. Secùs verò ſi illud affixit publicauit, aut intimauit, & poſtea ſtatim dilacerauit, vel duellum impediuit. n.61.

Audientes,vel legētes prouocationes ad duellum, ad finem conſulendi,an ſint iuxtà iniquas leges duelli, incidūt in excommunicationem. Secùs verò qui ob ſimplicem curioſitatem illas legunt,vel audiunt.n.62.

Ad duellum prouocantes, illud publicantes, affigentes,intimantes,acceptantes ad locum duelli accedentes, pugnantes ob quamlibet iſtarum actionum ſtatim quis incidit in excommunicationem. n.63.

Duellum conſulentes, libellum componentes, mandātes duellum,vel libellū,vt publicetur, aut intimetur; commodantes arma, & alij in Bulla Clementis expreſſi,non incidunt in excommunicationem ſtatim, ſed adimpleta conditione. Si per eos non ſteterit quin ſequatur duellum. ibid.& n.64.

Prouocans ad duellum, ſi prouocatum occidat,tenetur reſtituere damnum illatum hęredibus Secus verò ſi prouocatus prouocātem occidat.n.74.& 75.

In duello mortuus.

In duello conflictu notoriè mortuo denegan da eſt ſepultura in Eccleſia abſque Iudicis ſententia. Si verò hoc notorium non ſit,expectanda eſt Epiſcopi, vel eius Vicarij ſententia. c. 18 n.67.

Morienti poſt aliquos dies ex vulnere accepto in duello,aliqui Doctores ſuſtinent,eſſe denegandam Eccleſiæ ſepulturam. Alij verò docent,eſſe ei concedendam.n.68.& 69.

Morientiin duello, ſed ante obitum pœnitētiæ ſigna danti aliqui Doctores affirmant non eſſe denegandā eccleſiaſticā ſepulturā. Alij verò cum Rituali Romano docent eſſe illi denegandam n.70.& 71.

Morienti poſt duellum cum ſigna contritionis, vel cum Sacramenti abſolutione,poteſt Epiſcopus diſpenſare,vt in Eccleſia ſepeliatur, immò ſecūdùm aliquos Doctores abſq; Epiſcopi diſpenſatione, ſed hoc eſt contra Rituale dictum, n.72.

Pro mortuo in duello cū contritionis ſignis, & ſepulto extra Eccleſiam,poteſt Miſſas offerri.& publica oratione deprecari.n.73.

Pœna Principum duellum permittentium.

Imperator,Reges,Duces,Principes, Marchiones, Comites, & omnes Domini temporales permittentes duellum in terris ſuis, eò ipſo ſunt excommunicati,ac iuriſdictione,& dominio Ciuitatis,caſtri, aut loci,in quo duellum permiſerint priuati intelliguntur ex Trid. Greg.XIII. & Clemente VIII. c.18. n. 76.

Principes ſupradicti an in caſu extraordinario, & ad vitanda maiora mala duellū permittere poſſint. n.77.& 78.

Principes concedentes infidelibus locū duellandi non incurrunt excommunicationem. Secus ſi pugnaturus eſſet Chriſtianus cum infideli.n.79.

Principes vt incurrant pœnam priuationis iuriſdictionis, & dominij Ciuitatis, caſtri, vel loci ab Eccleſia obtenti ob duelli permiſſionem, requiritur Iudicis ſententia. Secùs autem ad incurrendam pœnam excommunicationis. n.80.

Duelli abſolutio.

Duelli abſolutio eſt Summo Pontifici reſeruata à Clemente VIII.c.18. n.81.

Duelli occulti excommunicatio abſolui poteſt ab Epiſcopo ex Trident. n 82.

Duellum quando dicitur occultum itaut poſſit abſolui ab Epiſcopo. n.53.

Duello excommunicatus, & legitimè impeditus Romam adire, poteſt ab Epiſcopo abſolui, quamuis poſſit ad Summum Pontificem mittere: & quis intelligatur legitimè impeditus. n.84.

Duelli excommunicatio non poteſt abſolui à Regularibus virtute ſuorum priuilegiorum in Italia. An verò poſſit extrà Italiam,& in Vrbe Roma alij affirmant,alij verò negant. n.85.& 86.

Duello cooperantes ſi per ipſos nō ſtetit, quin ſequeretur, non poſſunt à Regularibus abſolui: ſed ſi per ipſos ſtetit ne duellum ſequeretur poſſunt abſolui n.87.

Regulares poſſunt abſoluere illos,qui non ex condicto, & abſque determinatione loci, & temporis, vel ſine periculo occiſionis, vel vulneris pugnam committunt. Ac etiam conſulentes, mandantes, adiuuantes, &c. quando efficaciter reuocauerunt conſilium, vel mandatum,aut auxilium.ibid.

Duelli excommunicatio per Bullam Cruciatę poteſt abſolui ſemel in vita.n.88.

Duellum licitum.

Licitum eſt duellum acceptare,& offerre,quādo nullo alio modo quis defendi ſe poteſt

ab iniuſto inuaſore. c. 18.n.4.& ſequ.

Licitum eſt acceptare duellum ab accuſatore iniuſto, qui promittit ceſſare ab iniqua accuſatione ſi duellum ille acceptet, ſecus ſi reſpuat. n. 10.

Licitum eſt duellum acceptare à militibus, quando prouocantur ab hoſtibus ad ſingulare certamen. Secus verò ob curioſitatem, & vanam fortitudinis oſtentationem. n. 11.

Licitum eſt in duellum reſoluere bellum, & poteſt vterq; Dux exercitus pactum inire, vt cauſa per bellum decidenda, paucis ex vtraque parte pugnaturis, committatur, & eius partis ſit victoria, cuius milites vicerint. n. 12.

Requiritur verò, vt ſpes victoriæ non reddatur magis dubia, quàm per bellum. ibid.

Dux bellum iuſtum gerēs, videns ſe viribus deſtitutum, ad pugnandum, & ſi duello bellū terminandum committat, ſpes eſſet eius victoriæ, poteſt etiam non ſeruata duellantiū paritate illud committere. ibid.

In dictis caſibus licitum eſt in duello conditionem apponere, vt nullus ex circumſtantibus opem alteri ferat. n.13.

In duello tamen illicito ſi innocens ſuccumbat, tenentur circumſtantes illi ſubuenire, quia ex parte illius talis conditio eſſet iniuſta. ibid.

Licitum eſſet innocenti, iniuſtè ad mortem damnato, acceptare cum aliquo duellum, ſi Iudex ei imponeret, aut mortem, aut duellū ſubire. n.14 & 15.

Licitum eſſet duobus damnatis ad mortem duellum acceptare, ſi Princeps inter ſe pugnare concederet, & qui victor occidendo alterum euaſerit, vitam, & libertatem haberet. n.16.

Ex parte tamen Principis, vel Iudicis illicitū, & prohibitum eſt in hoc caſu duellum concedere. ibid.

Licitum eſt Principi in aliquo caſu extraordinario ad vitādum maius malum duellum permittere, vel non prohibere. n.77.& 78.

Si inter duos Principes feruerent odia mināria exitiale bellum, quod quidem auerteretur, & odia extinguerentur ſi duellum permittatur: poteſt Princeps tertius iuxtà ſententiam Hurtadi de Mendoza non ſolūm permittere, ſed illud conſulere: ſi omnibus prudenter expenſis, iudicaret nullam eſſe aquam illi incendio. Quia poteſt conſuli minus malum. ibid.

Si Principis vaſſalli itā tumultuarent ciuilibus odijs, vt immineret ſeditio, & rebellio, & alia ineuitabilia mala, quæ permiſſo inter aliquos duello vitarētur, eſſet illud permittendum, & conſulendum ex dicta ſententia Hurtadi. ibid.

E

Eccleſia.

Eccleſiæ ſubduntur Idololatræ baptizati, & hæretici omnes, quamuis inter infideles numerentur, qui ſunt extra Eccleſiam. c 9. n. 1.

Eccleſiæ ſubduntur etiam Idolis ſeruientes nō baptizati vt Gentiles, Pagani, Iudæi, & ſimiles, qui habitant in terris Chriſtianorum; ſecus autem qui in ipſorum infidelium terris. c.9.n.1.

Eccleſia cogere poteſt Idolalatram hæreticū ad fidem catholicam ſeruandam. c.9. n. 2. & 5.

Eccleſia non poteſt cogere infideles ad Chriſti fidem ſuſcipiendam c.9. n.3.

Chriſtus Dominus ſolùm conceſſit Petro, & Eccleſiæ iuriſdictionem circa oues ſuas. c.9. n.3.

Eccleſia tenetur remouere infideles à falſo Idolorum cultu, à ſuperſtitionibus, & ab erroribus rationi naturali contrarijs. c. 9. n.10.

Eccleſia quare non expellit Iudæos à Chriſtianorum Prouincijs. c.9. n.12.

Eccleſia habet ius introducendi Euangelium in Prouincijs, & Regnis omnium infideliū. c.9.n.15. & poteſt facultatem concedere Principibus Chriſtianis debellandi, & occupandi Prouincias infidelium non permittētium liberam prædicationem Euangelij. n.16. & ſequ.

Eccleſia priuat ſeruitute, & libertatem concedit Iudæis, & Saracenis ſi ad Chriſtianam fidem conuertuntur. c 9.n.30.

Eccleſia prohibet electiones per ſortes. Vide verb Electio.

Eccleſia prohibet omnes diuinationes ſuperſtitioſas. Vide verb. Diuinatio, Dæmonis inuocatio, Superſtitio.

Electio.

Electio per ſortes eſt prohibita *in c. Eccleſia, extra de ſortilegijs.* c.17.n.6.

Inter litigantes de aliquo beneficio non poteſt per ſortem fieri beneficij electio. c. 17. n. 6.

Seculares, & ciuiles electiones non prohibētur fieri per ſortes. c.17.n.8.

In publicis officijs conferendis eſt illicita electio per ſortes.

Si in electione duo pluries habuerunt paria ſuffragia, non eſt licitum de iure communi per ſortem determinare quis eorum electus cenſendus ſit. c.17.n.13.

Electio S. Matthiæ in Apoſtolatu, quare valida, & licita fuit per ſortem. c.17 n.12.& 14.

In ſuffragiorum paritate poteſt Superior electo-

ctores compellere, vt intra certum tempus eligant vnum ex illis, alias ad ſeipſum electionem aduocare. c.17.n.16.
In aliqua Regularium Congregatione electio per ſortes eſt licita ex ſpeciali Summi Pontificis priuilegio. c.17.n.17.
Electio ad eccleſiaſticum beneficium facta per ſortes, nō eſt ipſo facto irrita qualis eſt electio ad Eccleſiam, ſed eſt irritanda. c.17. n.18.
Eſt licitū, ſorte eligere aliquem Sanctum in Patronum Ciuitatis, & in particularem ſui deuotum,& protectorem. c.17.n.21.

Energumeni.

In energumeni corpore Dæmones per quamlibet eius partem ingredi poſſunt;ſed vt plurimum ingrediuntur per os, & per os egrediuntur, quia per os maleficium tranſmittitur.c.30.n.16.
Energumenus, ex quibus ſignis dignoſcitur, quod ſit à Dæmone obſeſſus. n.17.
Energumenos, permittit Deus,à Dæmonibus vexari multis rationibus,& præcipuè vt nobis pateat,quam acerrimè,qui Dęmonium habet extorqueatur, & quam iucundè viuat, qui ipſum Deum.n.18.19.& 20.
Energumeni quare à Dæmonibus per maleficia vexantur, dum per ſe ipſos abſque maleficijs vexari poſſunt. n.21.
In energumenos, quam poteſtatem Dæmones habent.n.22.
Energumeni, quare aliquando ſæpè exorcizati non liberantur.n.25.
Vide Exorciſmi.
In energumeni corpore, quonam modo immittuntur illa, quæ per os eius aliquando eijciuntur,& an ex prauis humoribus generentur. n.26.
Energumeno licitum eſt applicare à Medicis remedia naturalia ad Dæmonem expellendum, non quia vim habeāt contra Dæmonem,ſed in eius contemptum,& ad auertendos humores, quibus energumenus ab ipſo Dæmone vexatur. n.35.
Quare Angelus Raphael Tobiæ c.6. dixit de immani illo piſce: *Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum*. Dum Dæmones remedijs corporalibus nō expelluntur. n.36.& 37.
Ab energumeno vno Dæmone expulſo, an expellantur alij omnes. n.42.
Si Dæmon vt exeat ab obſeſſi corpore aliquod opus bonum præſcribat, an ſit illud faciendum.n.41.

Enſalmatores.

Enſalmatores, quorum virtus ſanandi eſt annexa verbis,vel ſignis, ita ut ſine ipſis ſignis, & verbis non ſit obtinenda ſalus, ſunt ſuperſtitioſi,& vitandi, etiamſi illa verba ſint ſacra, & in medēdo rebus benedictis vtātur. c.21.n.8.
Enſalmatores habentes à Deo gratiam curationum,nec vtentes modis ignotis in medēdo,non ſunt ſuperſtitioſi,nec vitandi. c.21. n.9.
Vniuerſalitèr ſunt ſuperſtitioſi, & rarò eorū medendi modus eſt abſque Dæmonum miniſterio;ideò non ſunt permittendi,niſi pręuio diligenti examine Ordinarij. c.21.n.10.
Vtentes in curandis morbis remedijs naturalibus,ſed ità occultè,& artificioſè,vt ſine illis operari videantur,modus iſte medendi non eſt ſine peccato. c.21.n.11.
Vtentes medicamentis, quorum notitia virtutis efficacis originem habuit à Dæmone, an ſemper ſint ſuperſtitioſi. c.21.n.12.
Vtentes remedijs nō naturalibus ob traditionem, & experientiam abſque Dæmonis pacto,non excuſantur à ſuperſtitione,& peccato mortali ob pactum tacitum cum Dæmone.c.21. n.13.
Vt ſuperſtitioſi ſunt cenſendi illi Enſalmatores,qui dicunt,ad exercendam ſuam medendi virtutem,indigere nimio vini potu.c.21. n. 14.
Eſt ſuperſtitioſus ille modus medendi vulnera in loco diſtanti, applicādo medicamentum, lineo velo vulnerati ſanguine tincto.c.2.n.4
Non eſt admittenda excuſatio Enſalmatorum, quod eorum medicamenta efficacem virtutem habeat ex imaginatione. c.21.n.16. & ſequ.
Enſalmatores vtētes in medendo naturali medicamine, ſed cum admixtione,vel alicuius rei ſacræ,vel ſacrorum verborum, tanquam circumſtantia neceſſaria ad ſalutem obtinēdam,ſunt ſuperſtitioſi,& de hæreſi ſuſpecti, & ſanctæ Inquiſitionis officio denunciandi. c. 22. n.3.
Enſalmatores non applicantes infirmo naturale remedium, ſed ſolùm vtentes aliqua re benedicta,vel verbis ſacris,vel adiuratione aliqua pro ſalute obtinenda,ſunt, vt ſuperſtitioſi damnandi. c.22.n.5.
Quibus modis agnoſci poteſt ineſſe tacita Dæmonis inuocatio, quando Enſalmatores ad infirmum curandum ſacris verbis vtuntur. c.22. n.25.

Epiſcopus.

Epiſcopus poteſt iuſtis de cauſis diſpenſare, vt per duellum defunctus contritus, & confeſſus in loco ſacro ſepeliatur cum ſolitis exequijs. c.18.n.72.
Epiſcopus ob priuilegium Conc.Trid.ſeſſ.24. cap.6.abſoluendi à caſibus Summo Pontifi-

ce reſeruatis, occultis poteſt etiam abſoluere ab excommunicatione duelli occulti. c. 18.n.82.& 83.

Epiſcopus poteſt abſoluere ab excommunicatione reſeruata, quando excommunicatus non poteſt adire Summum Pontificem. c. 18.n.84.

Epiſcopus poteſt abſoluere ſortilegos, & maleficos de hæreſi tantùm ſuſpectos, qui non errauerunt à fide. c.27.n.14.

Epiſcopus, quibus verbis reſeruare ſolet crimē maleficij,& ſortilegij. c.28.n.1.

Epiſcopus an poſſit abſoluere in foro conſciētiæ ab hæreſi occulta.c.29. n.4.& ſequ.

Eucharistia.

Diuinam Euchariſtiam ſumere bis in eadem die abſque vrgēti neceſſitate, eſt cultus Deo indebitus,& peccatum mortale. c.2. n.7.

Sacerdos offerens alicui particulam non conſecratam pro conſecrata, committit peccatum idololatriæ. c.7.n.10.

Maleficium,& quodcumq;ſortilegium factum cum Euchariſtia, eſt ſortilegium qualificatum manifeſtè hæreſim ſapiens. c.22. n.2.

Qui per ſe, vel per alium abutitur Sanctiſſima Euchariſtia, vel quacumque re ſacra ad diuinationes, veneficia, ſortilegia,vel ad alios illicitos vſus,incurrit caſum reſeruatum cū excommunicatione. c.28.n.1.

Dans,vel recipiens Sanctisſimam Euchariſtiā, vel aliam rem ſacram ad finem illicitum, etiamſi poſtea ea non abutatur, incurrit in dictam excommunicationem reſeruatam. c.28.n.4.

Dans, vel recipiens particulam conſecratam, vt ſecum illam portet,ad repellendas tentationes,vel ad vitandam mortem violentam, grauiter peccat. n. 5.

Eſt prohibitum deferre Euchariſtiæ Sacramētum infirmo ad communicandum impotēti, vt illud adoret, vel ſub quouis alio prætextu. n.eod.

Deferentes Euchariſtiæ Sacramentum ad fugandos Dæmones cuſtodientes theſaurum, incurrunt caſum reſeruatum cum excommunicatione.c.28.n.6.

Excommunicatio.

Colens exterius creaturā,vt Deum,credens nō eſſe vt Deum colendam, eſt excommunicatus in foro externo, non in foro interno. c.7. n.8.

Exhibens Dæmoni non cultum ſacrum, ſed profanum,ſolitum exhiberi hominibus in dignitate conſtitutis,peccat mortaliter, ſed non incurrit excommunicationem. n. 9.

Fautores, Defenſores, & Receptatores Idololatrantium, vel hæreticorum conſanguineorum, an incurrant excommunicationē. c.7.n.20.

Surripientes furtiuè reliquias an incurrant excommunicationem. c.4.n.22.

Sub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibitum eſt in Bulla Vrbani VIII. quæ incipit *Inſcrutabili* Aſtrologis, prædictiones facere de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ,vel Sedis Apoſtolicę, vel de vita,& morte Romani Pōtificis, & eius conſanguineorum vſque ad tertium gradum incluſiuè. c.11.n.26.& 27.

In qua excommunicatione comprehendantur conſulentes huiuſmodi diuinationes, illas petentes, vel recipientes, vel retinentes, vel ad alios oſtendentes, vel tractantes verbo, vel ſcripto. n eod.

Superſtitioſi diuinatores quando incurrunt excommunicationem ipſo facto, quādo vero non. c.10.n.26.

Sortes diuinatorię ſunt ſub pœna excommunicationis prohibitæ. c.17.n.25.

Excommunicatio ex cauſa duelli. Vide Duellum.

Deferēntes Sanctisſimum Sacramentum ad fugandos Dæmones cuſtodientes theſaurū, incurrunt caſum reſeruatum cum excommunicatione.c.28.n.6.

Abſolutio ab excommunicatione non exigit contritionem. c.29 n.31.

Sacerdos in articulo mortis poteſt abſoluere ab excommunicatione non confeſſum,etiāſi nullum dedit contritionis ſignum. ibid.

Peccat mortalitèr Sacerdos non abſoluens moribundum ab excommunicatione,etiam quando eſt ſenſibus deſtitutus. ibid.

Excommunicatus, qui in morte dedit ſigna contritionis,poteſt poſt mortem abſolui ab excommunicatione ab illo, qui viuum abſoluere poterat. ibid.

Si adſit Sacerdos, nullus alius poteſt moribundum ab excommunicatione abſoluere. c.29. n.32.

Si nō adſit Sacerdos quilibet Clericus, poteſt illum abſoluere ab excōmunicat.n.33.& 34

Deficiēte Sacerdote,& Clerico,an poſſit laicus excommunicatum moribundum abſoluere,communis opinio negat. n.32.aliquorum verò affirmat.n.34.alij verò docent eſſe poſt mortem de nouo abſoluēdum ab excommunicatione ab illo, cui erat reſeruata excommunicatio.n.35.

Sepelientes in loco ſacro abſolutum ab excōmunicatione in articulo mortis à laico nō incidunt in excommunicationem. n.36.

Duelli excommunicatio poteſt per Bullam Cruciatæ ſemel in vita abſolui. c.18. n.88. Vide Duelli abſolutio.

Exorciſmi,& Exorciſta.

Exorciſmis licitum eſt cogere Dæmones, vt

tollant maleficium ab energumeni corpore.c.30. n.23.
Exorciſmi habent vim eijciendi Dæmones ex opere operantis, & ex opere operato. n.24.
Exorcizati energumeni quare non ſemper à Dæmonibus liberantur. n.25.
Exorciſta Clericus inuito Sacerdote præſente exorcizare non debet. n. 27.
Exorciſtæ non licet, interrogare Dæmonem de maleficij auctore in energumeno. n. 28.
Exorciſta non poteſt Dæmonem interrogare, in quo conſiſtat obſesſi maleficium, nec illius remedium, nec deprecari, vt è corpore illius exeat.n.29.
Exorciſta quamuis posſit à Dæmone aliqua ad Dei gloriam, & aſtantium vtilitatem inquirere, tamen id non eſt faciendum, niſi à Sanctis viris, quibus Deus poteſtatem dedit compellere Dæmones, vt vera fateantur. n. 30.
Exorciſta Dæmonem interrogans in energumeno ex curioſitate de rebus inutilibus, peccat mortaliter. n. 31.
Exorciſtæ admonendi ſunt, vt à ſuperfluis colloquijs cum Dæmone ſe abſtineant. ibid.
Exorciſtis licet, Dæmonem interrogare de ipſius nomine de cauſa ingreſſus in energumeni corpore, & ſi cum eo alij ſint Dæmones, & de eorum numero. n.32.
Exorciſtis an ſit licitum petere a Dæmone ſignum, quo teſtetur ſe ab obſeſſi corpore exire. n.33.
Exorciſta poteſt energumenum aliquibus flagellationibus, ſputis, fumo mali odoris, & ſimilibus infeſtare, non ad torquendum Dæmonem, ſed in ipſius contumeliam, & contemptum, & ob eundem finem poteſt nomẽ Dæmonis in papyro ſcribere, & ſcriptum comburere. n.34.
Exorciſtis nõ licet præcipere Dæmoni, vt ſub pœna excommunicationis exeat ab obſeſſi corpore. n.38.
Exorciſta an posſit præcipere Dæmoni, vt abeat in locum deſertum, vel in infernum, & ne indè ad nocendum hominibus egrediatur. n. 39.
Exorciſta poteſt Dæmoni petẽti, ne nouis cruciatibus afficiatur, conniuere, vt ab obſesſi corpore egrediatur. n.40.
Exorciſta aliquando poteſt eſſe de ſuperſtitione ſuſpectus. n.43.
Exorciſta quomodo adiurare debet domum à Dæmonum infeſtatione vexatam. n.44.
Exorciſta præcipiens Dæmoni, vt det ſignum ſui egreſſus ab obſeſſi corpore non eſt ſuperſtitioſus, vt aliqui exiſtimant, ſed licitè hoc ei præcipere poteſt. n.45.& 46.
Exorciſta poteſt Chriſti nomine Dæmonem cogere ad dicendam veritatem, & ad ſuam promiſſionem ſeruandam. n.46.

F

Facultas.

Formandi proceſſus Canonizationis, vel Beatificationis facultas conceſſa tribus Epiſcopis, ſi ob impedimentum alicuius ipſorum ſubrogetur alter, ceſſat illa præcedentis. c.6. n.27.
Facultas Epiſcopi diſpenſandi, vt ex duello defunctus contritus, & confeſſus in loco ſacro ſepelliri poſſit. c.18. n.72.
Facultas Epiſcopi abſoluendi a caſibus reſeruatis Summo Pontifici occultis. c. 18. n.81.
Facultas Epiſcopi abſoluendi ab excommunicatione eos qui ad Summum Pontificem adire non poſſunt.c. 18.n.84.
Facultas Prælatorum, & Principum cogendi idololatras, infideles, & hæreticos ad catholicam Chriſti fidem ſuſcipiendam. c. 9. per totum.
Facultas abſoluendi in foro conſcientiæ ab hæreſi occulta an ſit conceſſa Epiſcopis, & Inquiſitoribus. c. 29. n 4 & ſequ.
Facultas cuiuſuis Sacerdotis abſoluendi ab omnibus peccatis, & cenſuris in articulo mortis extenditur etiam in mortis periculo. In.c.29.n. 10. & ſequ.
Vide verb. Abſoluere.
Facultatem adiurandi Dæmones priuatè omnes fideles habent, ſolemniter verò ſolùm eam habent Eccleſiæ miniſtri ad exorcizãdum deputati. c.30.n. 13.

Fama.

Famæ conſeruatio eſt quid minus conſeruatione fidei, & damno communi: ideò quis tenetur denunciare hæreticum etiam cum iactura propriæ famæ. c.8. n. 13.
Non eſt licitum acceptare duellum ob defenſionem propriæ famæ, & honoris. c. 18. n. 18.

Famulus.

Famulus aſſocians, & deferens arma ſui heri euntis ad duellum non incurrit excommunicationem. c. 18.n.58.

Fautores hæreticorum.

Fautores hæreticorum, alij ſunt ex omiſſione, alij ex commisſione. c.7.n.21.
Fautores hæreticorum ex omisſione ſunt miniſtri S.Tribunalis non inquirentes, vel nõ punientes hæreticos, c.7.n.21.
Fautores huiuſmodi ſunt vehementer de hæreſi ſuſpecti.c.7.n.21.
Fautores hæreticorum ſunt etiam Domini tẽporales, & Magiſtratus, & alij Iudices, qui requiſiti omittunt hæreticos capere. c. 7. n.22.

Fau-

Fautores hæreticorum ſunt Reges, & Principes, qui leges condunt, vel conditas non reuocant, per quas Officium S. Inquiſitionis impeditur, vel debilitatur. c.7.n.22.

Fautores hæreticorum ſunt non denunciantes hæreticos, vel non exequentes contra illos Iudicis mandata. c. 7.n.23.

Fautores ex commisſione, ſeu ex opere ſunt, qui hæreticos viſitant, vel eos venerantur, vel pecunias mutuant, vel alimenta præſtant; aut ægris oculis aſpiciunt illos proſequentes, vel procurant ne ad manus S. Tribunalis veniāt, aut cineres, & oſſa combuſti hæretici colligunt, & abſcondunt. c.7. n. 24.

Fautores huiuſmodi ſunt, de hęreſi ſuſpecti vehementer, vel leuiter ſecundùm magis, vel minus hæreticos fauent. c.7.n.24.

Fautores ex verbis ſunt qui hæreticos, vel idololatras laudant, & protegunt, vel quòd ſint in carcerem detruſi lamentantur, vel dicūt eos iniuſte damnatos, vel conſulunt, vt veritatem celent, & ſimiles. c.7.n.24.

Vide verb. Defenſores hæreticorum.

Fautores ſupradicti puniri poſſunt pœna priuationis communicationis cum Chriſtianis, vel pecuniæ, vel carceris, vel fuſtigationis, vel exilij, vel triremium, vel tradi curiæ ſeculari pœna mortis puniendi, iuxtà menſuram delicti. c.7.n.17.

Fautores, qui ſunt hæreticorum conſanguinei, vel affines, aut amici non excuſantur in totum à dictis pœnis, ſed ſolùm ex parte. c.7. n. 18.

In dubio an illos faueant ratione hæreſis, aut idololatriæ, vel ratione conſanguinitatis, vel affinitatis, vel amicitiæ, mitius ſunt puniendi. c.7.n.19.

Fides.

Ad fidem nō coactè, ſed blandis verbis ſunt infideles prouocandi. c.9. n.3.

Ad fidem catholicam directè cogi poſſunt hæretici. c.9.n.5.

Niſi fidem Chriſti infideles recipiant poſſunt Principes illis negare habitationem in ſuis Prouincijs. c.9.n.6.

Qui Chriſti fidem coactè ſuſcepit, ſed verè cōſenſit ſuſcipere baptiſmum, obligandus eſt ad retinendam fidem. c.9. n.8.

Principes Chriſtiani poſſunt cogere infideles ſubditos ad audiendam fidei prædicationē. c.9.n.14. & non ſubditos ex licentia Summi Pontificis. n.15.

Magus, qui Chriſti fidem ſuo chyrographo negault, & Dæmoni obſequio ſe tradidit, poteſt, ad pœnitentiam redeundo, pactum cum Dęmone præſtitum diſſoluere abſq; ſui chyrographi receptione. c.21. n.9.

De Fide.

De fide eſt imagines Chriſti, & Sanctorum eſſe debito cultu venerandas. c.3. n.15.

De fide eſt Summum Pontificem non poſſe errare in Canonizatione Sanctorum. c. 3. n. 20. & 21.

Aliqui ſuſtinent hoc non eſſe de fide, ſed contrarium aſſerere eſſe temerarium, ſcandaloſum, & de hæreſi ſuſpectum. ibid.

Reſponſiones ad has rationes in contrarium. c.3. n.22.

De fide eſt colendos, & venerandos eſſe Sāctos Canonizatos. c.3.n.20 & 22.

Contrarium affirmans eſt tanquam hæreticus à S.Inquiſitionis Tribunali puniendus. c.3. n 23.

Eſt de fide Sanctorum reliquias eſſe venerādas. c.4. n.1.

Filius.

Filium non teneri denunciare patrem idololatram, vel hæreticum aliqui opinarunt. c,8. n. 16.

Filium non teneri denunciare patrem idololatram, vel hæreticum, niſi quando alios falſa doctrina corrumpit alij ſuſtinent. c.8. n.17.

Filius tenetur ſemper denunciare patrem idololatram, vel hæreticum. c.8.n.18.

Filius denuncians patrem idololatram, vel hęreticum non amittit bona patris, nec infamiam incurrit. c.8. n.19.

Filius non excuſatur denunciare patrem, quia eſt idololatra, vel hæreticus occultus. c.8. n. 20.

Filius non tenetur denunciare patrem ſuſpectum tantùm de idolalatria, vel hæreſi ob leuem ſuſpicionem, vel ob metum notabilis damni. c.8.n.23.

Filius idololatra, vel hæreticus eſt denunciandus à patre. c 8.n.20.

Vide verb. Denunciare.

Fœminæ.

Fœmina à Confeſſario ad turpia ſolicitata, & conſentiente tenetur Confeſſarium denunciare, tacendo ſuum conſensū, de quo neque Inquiſitor eam interrogare debet, neque in actis ſcribere. c.8.n.8.

Quare in Magia rarò viri, ſæpius autē fœminæ excercentur. c.24.n.10.

Ad fœminas Dæmones acceſſum venereum habere poſſunt. c.24.n.16.

Aliquando verè portantur à Dęmone ad diſtātiſſima loca; aliquando per illuſionem phātaſiæ. c.24.n.12.13.& 14.

Non poſſunt ad venereē amandum, & ad libidinem ſine eorum voluntate cogi. c.25.n.2.

Quare nonnullæ mulieres ex violentia magicę artis ad libidinem deflexerūt. c.25. n.3.& 4.

Vide verb. Magus, & Maleficium.

Frater.

Frater tenetur denunciare fratrem idololatrã, vel hæreticum, magis quam filius patrem, vel matrem. c.8.n.15. Vide filius.

G

Gentiles.

GEntiles non baptizati ſunt extra iuriſdi-ctionem Eccleſiæ, nec ab ea cogi poſſunt ad ſuſcipiendam Chriſti fidem, neq; à Principibus ſecularibus. c.9.n.3.

Gentiles baptizati, etiamſi coactè fidem Chriſti ſuſceperint, cogi poſſunt ad illam ſeruandam. c.9.n.8.

Gentiles cogi poſſunt ad idolorum cultum, & alios ritus ſuperſtitioſos reſpuendos, & ad legem naturæ implendam. c.9.n.9.

Chriſtiani Principes tenentur procurare, vt Gentiles eorum ſubditi legem naturalem ſeruent. c.9.n.10.

Gentiles ſubditi cogi poſſunt ab Eccleſiaſticis, & à Principibus Chriſtianis, ad audiendam Euangelij prædicationem. c.9.n.13.

Gentiles non ſubditi cogi poſſunt à Principibus Chriſtianis de licẽtia Summi Pontificis, ad audiendam prædicationem Euangelij, & recuſantes eos debellari, & eorum Regnis priuari. c.9.n.16. & ſequ.

Gẽtilibus permitti poteſt dominium antiquũ, non autem nouum in Chriſtianos. c.9.n.28. & 29.

Gentiles non baptizati negantes Deum eſſe vnum, æternum, omnipotentem, Creatorẽ omnium, vel Chriſtianis ad eodem legẽ ſuadentes, vel eorũ facinora docentes, vel Chriſtum, & Beatam Virginem hæreticalitèr blaſphemantes, vel illorum aliquem, ne baptiſmum recipiat, impediẽtes, vel libros prohibitos ad fideles deferentes, vel Chriſtianos perſequentes, & omnes negantes, quæ cum chriſtiana fide communia habent, ſubdũtur iuriſdictioni S. Officij, & ab Inquiſitoribus puniri poſſunt omnibus pœnis talibus delinquentibus debitis. c. 7.n.14. & 17.

Geomantia.

Geomantia eſt diuinatio, quæ fit cum certis ſignis, punctis, & figuris in terra, uel in puluere, & papyro, vel in alio corpore è terrena ſubſtantia compacto. c.15.n.1.

Geomantia eſt ſemper ſuperſtitioſa, & grauiſſimum peccatum hæreſim ſapiens: quia nullo modo fieri poteſt ſine inuocatione, & pacto expreſſo Dæmonis. c.15.n.2.

Gratia ſanitatum.

Gratia ſanitatũ numeratur inter gratias, quæ à Deo gratis dantur hominibus, vt poſſint ſolo tactu, uel ſaliua, aut halitu aliquos morbos curare. c.21.n.6.

Gratia hæc nonnullis hominibus, ac eorum familijs conceſſa eſt. ibid.

Gratia hæc, aliquando Deus ob bonum commune, etiam hominibus malæ vitæ miſericorditèr impartiuit. c.21.n.6.

Gratia hæc, quomodo cognoſci poteſt, an ſit à Deo, uel in ea operetur Dæmon. c.21.n.7.

Gratia hæc nullo modo à Deo eſt aliquibus uerbis conceſſa. c.21.n.8. & 10.

Qui in curandis morbis utitur remediis naturalibus, ſed ità occultè, & artificioſè, ut ſine illis operari uideatur, ad oſtendendum ſe gratiam ſanitatis impartiendæ habere, peccat mortalitèr. c.21.n.11.

Vide uerb. Enſalmatores.

H

Hæreſis, & Hæreticus.

DE hæreſi uehementèr ſuſpecti ſunt conſpurcantes, percutientes, lacerantes ex contemptu Chriſti Domini imagines, & Sanctorum. c.3.n.17.

An ut hæreticus ſit puniendus, uel potius ut temerarius, ſcandaloſus, & de hæreſi ſuſpectus, qui affirmat, Canonizatum à Pontifice, non eſſe colendum ut Sanctum. c.3.n.23.

Hæreſis crimen habet annexum errorem in intellectu. c.7.n.5.

Idololatra eſt etiam hæreticus, quando cum mentis errore credit creaturam eſſe Deum, & ut Deum colit. c. 7.n.5.

Qui creaturam ut Deum colit opere externo, ſed interius credit talem cultum ei non deberi, æſtimatur in foro externo ut hæreticus. c.7.n.8.

De hæreſi ſuſpectus, eſt S. Inquiſitionis Tribunali denunciandus. c. 8. n.1. etiamſi ſit occultus, & eius hæreſis probari non poſſit. n.2. ac etiamſi poſt commiſſum delictum pœnitentiæ ſigna dederit. n.29. vel cenſeatur ab alio denunciatus. n.30. nec vnquam ceſſat hæc denunciandi obligatio. n.31.

Vide verbum denunciare.

Hæretici inter infideles numerantur, & peiores ſunt omnibus infidelibus, ſubduntur Eccleſiæ, à qua ſunt puniendi. c.9.n.1. & 2.

Aſtrologia iudiciaria eſt hæreſim ſapiens. c.11.n.5. Vide verb. Aſtrologia.

Hæreticus occultus an poſſit ab Epiſcopo abſolui. Vide Abſoluere, & Epiſcopus.

Hæretici ſponte comparentis confesſio, quomodo ab Inquiſitoribus ſit recipienda. c.8. n.45.

Inuocans Dæmonem per modum adiutorij, vel eſt hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus. c.10.n.15. & ſequ.

Hæretici grauius peccant, quàm idololatræ. c.7.n.4.

Ad

Ad hæreſim pertinet, Dæmonem inuocare, ſiue deprecatiuè, ſiue imperatiuè. c. 10. n. 18.
Hæreſis eſt credere certò, Dæmonē verum dicere, vel reſpondere. c. 10. n. 21.
Qui vltra diem Natiuitatis Domini pluſquā ſemel Miſſam celebraret in eadem die, vel pluſquam ſemel abſq; vrgenti cauſa Euchariſtiam ſumeret, eſſet de hæreſi ſuſpectus. c. 2. n. 16.
Magiæ ſuperſtitio eſt hæreticalis, includens pactum expreſſum, vel tacitum cum Dæmone. c. 24. n. 5.
Poculum amatorium, ad tentandam libidinē, præbere, quando eſt ſortilegium hæreticale. c. 25. n. 5.
Sortilegium cum abuſu rerum ſacrarum eſt qualificatum, manifeſtè hæreſim ſapiens. c. 25. n. 2.

Hydromantia.

Hydromantia eſt diuinatio, quæ fit per aquā. Contemplatur enim in aqua illius motus, vel in vaſe aquæ pleno infunditur cera, vel reſina, vel plumbum liquefactum, & ex figuris, quæ ibi fiunt cum prolatione certorū verborum futura vaticinantur. c. 15. n. 1.
Per hydromantiam certò, vel probabilitèr prædicere futura contingentia, & pendentia ab hominum voluntate, eſt mortalis culpa hæreſim ſapiens: ſecùs verò ſi tantùm ioco, & cauſa ridendi ex illis figuris, & ſignis futura prænunciantur. n. 3.

I

Idololatria, & Idololatra.

Quid eſt Idololatria, & quare ſit ſecunda ſpecies Superſtitionis. c. 7. n. 1.
Idololatria eſt duplex, alia vera, & formalis: alia ficta, & materialis. n. 2.
Idololatria quatenus honorem diuinum Deo tollit, & creaturæ tribuit, eſt omnium peccatorum grauisſimum. n. 3.
Grauius tamen peccant hæretici, qui ſcienter corrumpunt fidem, quàm Idololatræ, qui peccant ignoranter. Et grauius eſſe poteſt peccatum deſperationis, & odij Dei. n. 4.
Idololatra adorans, & credens creaturam eſſe Deum, eſt etiam hæreticus, ſed adorans, & non credens creaturam eſſe Deum, eſt Idololatra, ſed non hæreticus. n. 5.
Credens creaturam non eſſe Deum, & illam adorās, tam grauiter peccat, quàm qui adorat, & credit, creaturam eſſe Deum. n. 6.
Ab Idololatriæ peccato non excuſat metus mortis, nec ignorantia. n. 7.
Colens exterius creaturam, vt Deum, ſed interius credens illi non deberi talem cultum, eſt in foro externo excommunicatus, non autem in foro interno. n. 8.
Exhibens Dæmoni non cultum ſacrum, ſed obſequium profanum, ſolitum exhiberi hominibus in dignitate cōſtitutis, peccat mortalitèr, ſed non incurrit excommunicationem. n. 9.
Idololatriæ peccatum committeret Sacerdos, ſi alicui tribueret particulam non conſecratam pro conſecrata. n. 10.
Si Dæmon aſſumens imaginem Chriſti alicui appareret, & ille putans eſſe Chriſtum illum adoraret, non eſſet Idololatra. n. 11.
Idololatra infidelis non baptizatus, non punitur ab Eccleſia: ſed idololatra baptizatus punitur omnibus pœnis latis contra apoſtatas à fide, & hæreticos. Qui verò ritu Paganorum exterius tantùm Idolum colit nō autem interius, peccat mortalitèr, ſed non punitur vt apoſtata à fide. n. 12.
Cultus legis Moyſaicæ, in quo differt ab Idololatria. Et quare Principes Chriſtiani idololatras ad fidem compellere poſſunt, & punire, & Iudæos non puniunt, immò in eorū Ciuitatibus multi eos permittunt. n. 13.
Obligatio denunciandi Idololatras Inquiſitoribus S. Officij. Vide Denunciandi obligatio.
Idololatra ſeipſum ſpontè denuncians, quam benignè à Tribunali S. Officij tractatur. c. 8 n. 42. & ſequ.
Idololatræ etiamſi ſint quoq; hęretici, ſi ſint baptizati ſubduntur Eccleſiæ, & Chriſtiano Principi; ſecus verò non baptizati. c. 9. n. 1.
Idololatra hæreticus poteſt cogi ad catholicā fidem ſeruandam. c. 9. n. 2. non baptizatus autem & infidelis cogi non poteſt ad fidem catholicam ſuſcipiendam. n. 3. 4 & 5.
Idololatris, & infidelibus Principes ſeculares negare poſſunt ius habitandi in ſuis Prouincijs, niſi Chriſti fidem recipiant. n. 6. & eis poſſunt etiam, maiora tributa, quā alij imponere. n. 7.
Ob ſolam Idololatriam bellū inferre infidelibus, & illorum Regna occupare poſſe Principes Chriſtiani, nōnulli Doctores affirmāt. c. 9. n. 18. Eorum rationes referuntur, n. 19. 20. & 21. Alij verò negant: ſed tunc ſolùm, quando vel Euangelij prędicationem impediunt, vel fideles, qui eos ad fidem cōuerti volunt perſecuntur, vel ad immolandum Idolis cogunt, vel carnes humanas vorant, & humano generi pernicioſi ſunt. n. 22. Reſpoſiones ad rationes in contrarium, n. 23. & ſequ.
Summus Pontifex poteſt Chriſtiano Principi concedere poteſtatem debellandi, & occupandi Prouincias Paganorum, & infidelium, qui non admittunt liberam Euange-

lij

lij prędicationem. c.9. n. 16.

Ieiunium.

Ieiunaudi votum omnibus diebus Dominicis anni,continet cultum Dei ſuperfluum,indebitum, & ſuperſtitioſum, & eſt inualidum, nec abſque peccato veniali.c.2.n.8.

Ieiunium,licitum eſt in vigilia anniuerſarij defuncti cum opinione Sanctitatis. c.6.n.7.

Ignorantia.

Ignorantia non excuſat à culpa mortali inuocantem expreſsè Dæmonem. c. 10. n. 9.

Qui ignoranter nec ex animo inuocandi Dęmonem,cum homine peruerſo accedit in locum ſecretum, ad inſpectionem aſtrolabij propter theſaurum inueniendum, vel per quid ſimile non excuſatur à culpa mortali. c.10.n.9.

Ignorantia vtentis quodam pſalmi verſiculo ad hoc, vt anulus pendens ab extenſo filo moueatur ad aliquid diuinandum,non excuſat à mortali.c.10. n.9.

Ignorantia non craſſa,neq; affectata excuſat à mortali in tacita Dæmonis inuocatione, dummodò ſi ille ſciuiſſet ineſſe in illa re tacitam Dæmonis inuocationem,illud omninò non feciſſet. c. 10. n.9.

Imaginatio.

Imaginatio quoad corpus imaginantis plurimum poteſt.c.21.n.16. Quoad corpus alienum deriuatur ab imaginante etiam plurimum poſſe aliqui affirmant.n.17.Sed omninò dicendum nihil poſſe naturalitèr. n.18.

Imaginatio mulieris grauidæ ſi aliquid operatur in filium,hoc oritur, quia infans, dum eſt in vtero matris dicitur pars viſcerum illius. n.19.

Faſcinatio, qua maligni homines corũ oculis alios inficiunt,oritur, vel ex malignitate Dęmonis, vel ex aſpectu noxio,& venenoſo hominis maligni, non autem quod imaginatio noceat corpus alterius. n. 20.

Imagines Sanctorum.

Imagines Sanctorum, quonam cultu venerantur. c.3.n.1.& 2.

Imagines Chriſti, & Sanctorum eſſe honorificè colendas,& adorandas,eſt de fide. n.5.

Crux Chriſti,& eius claui,lancea, ſpongia, indumenta,flagella,corona ſpinea,& alia huiuſmodi cultu latriæ venerantur. n.6. & 7.

Quare imagines Sanctiſs.Trinitatis,& Angelorum adoramus,dum ſpiritus ab imaginibus corporeis reprę ſentari non poteſt. n.9.

Imagines iſtę adorantur eadem adoratione, quæ debetur ei,cuius eſt imago. n.10.

Cerei benedicti, quos Agnos Dei appellamus,ſunt venerãdi,quia ſunt Dei imagines, & res ſacræ.n.11.

Dictos cereos, ſeu Agnos Dei benedictos, prohibitum eſt à Gregorio XIII. miniare, vel auro,& colore depingere,aut uendere. n. 11.

Imagines Sanctorum ſunt res ſacræ aliquam Sanctitatem continentes.n.16.

Imagines Chriſti, & Sanctorũ ex ira conſpurcantes,ſunt de hęreſi ſuſpecti, & à Tribunali S. Officij puniendi, & an priuatiuè quoad laicos. n.18.

Iudæi conſpurcantes Sanctorum imagines ſũt ab Inquiſitoribus S.Officij puniendi quamuis ſint extra Eccleſiam catholicam. n. 19.

Non eſt licitum ſculpere,aut dipingere imagines Chriſti Domini, vel Deiparæ Virginis, vel Angelorum, aut aliorum Sanctorũ in habitu, & forma alicuius ordinis regularis. c.3.n.32.

Infidelis.

An Infidelis, qui coactè baptiſmum ſuſcepit, poſſit ad fidem catholicam obligari.c 9.n.8

Infideles cogi poſſunt à Chriſtiano Principe, cui ſubduntur ad abijciendum cultum idololorum,& ad colendum Deum,& legem naturę obſeruãdam. n.9.& 10. Similitèr ab eo cogi poſſunt ad audiendam prædicationem Euangelij.n.13.& 14.etiamſi non ſint eius ſubditi, de licentia tamen Summi Pontificis. n.15.

Infidelium Ciuitates, & Prouinciæ debellari poſſunt à Principibus Chriſtianis de licentia Summi Pontificis, ſi ipſi Infideles non permittant liberam Euangelij prædicationem. n.16.& 17.

Infidelibus, an permitti poſſit dominiũ à Principibus Chriſtianis in Chriſtianos.n.28.29. & 30.

Infidelis, vide Idololatra.

Inquiſitores S.Officij.

Cognitio ſuperſtitionis cultus Deo indebiti pertinet ad Inquiſitores. c.2.n.16.

Inquiſitores per Bullam Sixti V. tenentur inquirere contra omnes ſuperſtitiones, etiam manifeſtè hæreſim non ſapientes.c.2.n.17.

Ad Inquiſitores ſpectat cognitio, & punitio delicti conſpurcantium ex contemptu imagines Chriſti,& Sãctorum priuatiuè quoad laicos. c.3.n. 18.

Inquiſitores procedere poſſunt contra Iudæos deturpantes Sanctorum imagines. c.3.n 19.

Inquiſitores in multis alijs caſibus procedere poſſunt contra Iudæos,& Paganos, & alios infideles non baptizatos. c.7.n.14.

Inquiſitores poſſunt procedere contra Iudęos ad ſectam Paganorum tranſeuntes. n.15.

Inquiſitores cogere poſſunt ad abiurandum Iudęos idololatras, & alios delinquentes in his,quę circa fidem eorum communia ſunt

cum noſtra fide. n. 16.
Ab Inquiſitoribus puniri poſſunt Iudæi,& infideles pœna priuationis communicationis cum Chriſtianis,ac etiam pœna pecuniaria, carceris, verberum, exilij, triremium etiam in perpetuum, & tradendi Curiæ ſeculari ad mortem.n.17.
Inquiſitores punire debent fautores, defenſores,& receptatores idololatrantium,& hæreticorum; ſecùs verò ſi iſti ſint conſanguinei, vel affines. n. 18. Et idem dicendum,ſi dubium ſit, an id præſtiterint ob cõſanguinitatis,affinitatis,& amicitiæ coniunctionẽ an ob Idololatriæ,vel hæreſis crimen.n.19.
Inquiſitores quomodo recipere debent confeſſionem ſpontè comparentis Idololatræ, vel hæretici.c.8. n. 45.
Quando procedere poſſunt contra diuinantes futura.Vide verb. Diuinatio.
Ad Inquiſitores ſpectat cognoſcere an diuinatio ſit ſuperſtitioſa, & hæreſim ſapiat. c.10.n 27.& 28.
Inquiſitores punire poſſunt Aſtrologos iudiciarios, qui res occultas, vel pendentes ab hominum libera voluntate, vel contingentès,vt certas,aut probabiles futuras eſſe prę nunciant ex Bulla Sixti V.c.11.n.18.& 19.
Poſſunt etiam punire dictas prędictiones cõſulentes, petentes, recipientes,retinentes,ad alios oſtendentes, &c. ob Bullam Vrbani VIII. c.11. n. 27.
Poſſunt etiam punire omnes facientes prædictiones de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ,vel de vita, & morte Romani Pontificis, & eius conſanguineorum vſque ad tertium gradum incluſiuè ex Bulla Vrbani VIII.*Ineſcrutabili.§.3.in fin.*c.11. n. 30.
Ad Inquiſitores ſpectat procedere contra ſacrilegos abutentes rebus ſacris. c.25. n.2.
Qui ad curandum morbum vtitur re aliqua ſacra, vel verbis ſacris tanquam circumſtãtia neceſſaria pro ſalute obtinenda eſt de hæreſi ſuſpectus, & ab Inquiſitoribus cognoſcendus.c.25.n.3. Secùs verò ſi ob verã, & ſolam deuotionem. n.4.
Vide verb.Superſtitio,Magia,Maleficium, Hæreſis.
Inquiſitores an poſſint abſoluere in foro conſcientiæ hæreticum occultũ. c.29.n.6. & 7.
Vide verb.Diuinatio,Dęmon,Hæreſis,Inuocatio Dæmonis, Superſtitio.

Inuocatio Dæmonis.

Quotupliciter quis Dæmonem inuocare poteſt. c.10.n.12.
Inuocans Dæmonem in ſui adiutorium, eſt hęreticus,aut de hęreſi ſuſpectus.c.10.n.15.
Inuocatio Dæmonis deprecatiua ad ſciendũ, vel faciendum ea, quę non excedunt ſuam potentiam naturalem,eſt hęretica ,is,& ſortilega. c.10.n.16.
Inuocatio Dæmonis imperatiua ad ſciendum, vel faciendum quę naturalitèr ſcire,& facere poteſt, eſt ſemper mortale peccatum. c.10.n.17.
An ſemper talis inuocatio imperatiua Dæmonis ſit manifeſte hæreſim ſapiens aliqui negãt,alij probabilius affirmant. c.10.n.17. & 18.
Inuocare Dęmonem ad finem bonum aſſequẽdum,eſt mortale peccatum,hæreſim ſapiẽs. c.10. n.19.
Inuocantibus Dæmonem, quomodo ipſe reſpondere ſolet. c.10.n.20.

Iubilæum.

An tempore Iubilæi,Confeſſarius poſſit abſoluere ſortilegum ſocium ſui criminis c.27. n.16.

Iudæi.

Iudæi deturpantes imagines Chriſti, & Sanctorum, ſunt puniendi ab Inquiſitoribus. c.3.n.19.
Quare Iudęis permittitur cultus legis Moyſacę,& non permittitur vſura? c.7.n.13.
Contra Iudæos in multis caſibus procedere poſſunt Inquiſitores. c.7. n 14.
Iudæi ad ſectam paganorum tranſeuntes ab Inquiſitoribus puniri poſſunt. c.7.n.15.
Iudæi idololatrantes, vel delinquentes in his, quæ conueniunt cum noſtra fide, puniendi ſunt ab Inquiſitoribus,etiam pœna abſurationis. c.7.n.16.
Iudęi quibus pœnis puniri poſſunt ab Inquiſitoribus. c.7.n.17.
Iudæi quare non coguntur Chriſti fidem amplectere, & ſeruare, & nolentes quare non expelluntur à Principum Chriſtianorum Prouincijs. c.9.n.11.& 12.

L.

Laici.

Laici reuerentèr tangentes reliquias Sanctorum,non peccant.c.4.n.29.neq; ſi debita reuerentia tangerent calices conſecratos. n.20.
Deficiente omni Sacerdote,& omni Clerico, an poſſit laicus moribundum ab excommunicatione abſoluere. c.29.n 32.& ſequ.

Lamiæ, ſeu Striges.

Quare vocantur Lamiæ,Striges,Maleficæ,Sagæ,& Magicæ huiuſmodi nefariæ mulieres. c.24. n.11.
Lamiæ aliquando per illuſionem phantaſiæ, non autem corpore portantur à Dęmone in longisſima loca.c.24 n.12.aliquando vero

ro corpore feruntur à Dęmone, & iterum cititiſſimę in domum propriam reducuntur. c 24.n.13.14. & 15.
Cum huiuſmodi fœminis poſſunt Dæmones acceſſum venereum habere. c.24.n.16.
Lamię per Dœmones non poſſunt miracula facere; poſſunt uerò aliqua efficere, quę ſuperant vites humanas, ſed fiunt ſecundùm vires naturales Dœmonis.c.24.n.17.
Lamiæ Dæmonum opera poſſunt morbos occultos inferre, qui nullo medicamento curari ualeãt, & alijs mille modis poſſunt nocere.c.24.n.23. & ſequ.
Non permittuntur à Deo theſauros occultos detegere,nec opes in mare proiectas eruere. c 24.n.31.
Poſſunt poculis amatorijs alios ad libidinem excitare, ſed non ad libidinem cogere. c.25. n.2. Vide verb.Magia,& Maleficium.

Latria cultus.

Latrię nomen ſignificat ſeruitutem,& venerationem ſoli Deo debitam. c.3.n.2.
Latriæ cultu veneratur Deus Chriſtus eius imago; Crux,claui,lancea, indumẽta, ſpongia,flagella,ſpinea corona, præſepe, ſepulchrum,& alia, quę Chriſtum tetigerũt. c.3. n. 4. & ſequ.
Vide verb. Cultus.

Libellus duelli.

Libellum,ſeu epiſtolam duelli dictans, vel cõponens, vel ſcribens, vel mittens, vel deferens, vel diuulgans, vel affigens, vel exemplans,vel typis imprimens, vel ſubſcribens, vel intimans, uel uerbo denuncians, ſiue atteſtans,vel conſulens,aut prouocans,incurrit excommunicationem. c.18.n.60.
Prædicti non incurrunt excommunicationẽ, ſi per ipſos ſtetit ne ſequeretur huius libelli publicatio,intimatio, uel prouocatio; ſecùs qui illum affixit,vel intimauit, aut publicauit, & poſteà impediuit ne ſequeretur duellum.c.18.n.61.
Audientes, vel legentes talem libellum ex ſola curioſitate non incurrunt excommunicationem; ſecus verò ad finem conſulendi, an ſit iuxtà iniquas leges duelli. c.18.n.62.
Ob prædictas aliquas actiones incurritur ſtatim excommunicatio,ob alias verò ſequuto effectu. c.18.n.63.& 64.

Libri prohibiti.

Libri de Aſtrologia iudiciaria loquentes ſunt prohibiti, & à Dæmone per aliquem ſuum miniſtrum ſcripti,& qui eorum doctrinam addiſcunt à Dæmone tacitè docentur. c.11. n.7.
Libri de Aſtrologia iudiciaria, Geometria, Hydromantia,Pyromantia, Onomantia, Chyromantia,Negromantia, Arte magica, & de Sortilegijs, veneficijs, augurijs, auſpicijs, incantationibus, & ſuperſtitionibus tractantes,ſunt omnes prohibiti, & illos legentes,aut retinentes, ſunt excommunicati. c.11. n.19.

Ludus, & ludens.

Ludus, qui dicitur Paſſa Paſſa, non eſt ſuperſtitioſus. c.22. n.28.
Ludens mutans locum ludendi ad abijciendã malam fortunam, peccat venialitèr. c.23. n.5.
Luſor Aſtrologos conſulens, an in tali die ſit lucraturus,vel iacturam facturus,an peccet. ibid.

M

Magia, & Magus.

Magia alia eſt naturalis, & alia ſuperſtitioſa,& quænam utraq;ſit.c.24.n.1.
Magia quomodo agnoſci poteſt an ſit naturalis,uel ſuperſtitioſa. n.2.
In dubio an effectus ſit à cauſa naturali, uel à ſuper ſtitioſa, quomodo pręſumendum. n.3.
Magia eſt peccatũ grauius furto, homicidio, adulterio,periurio,& ſimilibus.n.4.
Magię ſuperſtitio,eſt hęreticalis, includẽs pactum expreſſum,uel tacitum cum Dęmone. n. 5.
Cum magia admiſcentur alia grauisſima crimina. n.6.
In Magia non datur paruitas materię excuſãs à mortali,niſi ex inaduertẽtia, uel ignorantia non craſſa,aut ſupina. 7.& 8.
Magus, qui ſuo chyrographo Dęmonis obſequio ſe dicauit, quomodo poteſt ſine ſui chyrographi reſtitutione,pactum cum Dæmone initum,diſſoluere.n.9.
Quare Magia plus à fœminis, quàm ab hominibus exerceatur? n.10.
Quare huiuſmodi fœminæ nefariæ uocentur Maghę,Lamię,Striges,Maleficæ,& Sagæ. n. 11.
Aliquando falsò ſe ſuadent à Dęmonibus per aerem in loco diſtanti portare.n.12.aliquãdo verò in loca diſtantiſſima ab ipſis Dęmonibus feruntur. n. 13.
Dęmones poſſunt corpora talium fœminarũ in loca diſtantiſſima transferre. n.14.& 15.
Dęmones poſſunt cum lamijs acceſſum uenereum habere.n.16.
Magi, & lamię non poſſunt per Dęmones miracula operari. n.17.
Si miracula operari non poſſunt quare Pythoniſſa ad preces Saul Samuelem mortuũ ſuſcitauit? n.18. & 19.
Quare Magi Pharaonis potuerunt conuertere uirgas in ſerpentes, & aquam in ſanguinem.n.20.& 21.

Quare

Quare permiſit Deus ut ſigna, quę miraculoſè fiebant à Moyſe eadem fierent à Magis. n. 22.

Magi, & lamiè quaſnam tranſmutationes ope Dæmonis operari poſſunt. n. 23. vſq; ad 30.

Quomodo agnoſci poſſunt apparitiones an ſint à bono, an à malo ſpiritu. n. 30.

Quare Magi, & lamiæ ſunt pauperes, & miſerabiles, & à Dęmonibus diuites non fiunt. n. 31.

Per Magos, & lamias Deus nõ permittit ope Dæmonum theſauros abſcõditos detegere. n. 31.

Bona fortunæ arte magica acquiſita, an poſſint licitè retineri, vel ſint reſtituenda. n. 35.

Theſaurus arte magica inuentus, cui debetur, ſeu adiudicandus eſt. *n.* 32. 33. & 34.

Alchymia, per quam metalla viliora in argẽtum, & aurum transformantur, an fieri poſſit naturalitèr abſq; arte magica. n. 36. 37. & 38.

Vide verb. Maleficium, Lamia, ſeu Striges.

Maleficium.

Maleficium eſt ars nocendi alijs auxilio, & poteſtate Dæmonis. c. 25. n. 1.

Maleficium aliud dicitur amatorium, quo vtũtur malefici ad flectendum animum hominis ad amorem impudicum. Aliud eſt veneniferum, quo vtuntur ad inferendum alijs aliquod nocumentum. n. eod.

Maleficium amatorium ad tentandum aliquẽ ad libidinem, non poteſt eius voluntatem cogere. n. 2. Poteſt tamen ad amandum, vel odio habendum illum excitare, & inflammare. n. 3. & 4.

Maleficium amatorium poteſt eſſe ſortilegium hæreticale, & non hæreticale. n. 5. & 6.

Maleficium etiamſi ordinetur ad finem bonũ, vt ad fugandas locuſtas, ſedandas tempeſtates, &c. eſt ſemper illicitum, & peccaminoſum. n. 7.

Non eſt licitum petere à Dæmone, vt ceſſet maleficio vexare, niſi Dei nomine, & per exorciſmos Eccleſiæ. n. 8.

Neq; eſt licitum maleficium maleficio tollere. n. 9.

Ad maleficium tollendum vti medijs non naturalibus, & vanis, eſt peccatum mortale. n. 10.

Non licet petere à malefico parato, vt maleficium maleficio ſoluat. n. 11.

Quare licitum eſt petere mutuum ad vſuram ab vſurario parato, & non licet petere à malefico, vt maleficium maleficio ſoluat? n. 12.

Quare non licet maleficiato, ſalutem perditã a malefico extorquere, & eſt licitum, rem ſibi furto ablatam à fure, etiam vi eripere, quando alitèr illam recuperare nequit? n. 13.

Quibus ſignis agnoſci poteſt, aliquem eſſe maleficiatum? n. 14.

Licitum eſt omnibus deſtruere, ac tollere maleficium, & etiam petere à malefico, vt illud ſoluat ad curandum maleficiatum. n. 15.

Magus, qui maleficium fecit, & poteſt abſque nouo maleficio illud deſtruere cogi poteſt ad illud deſtruendum. n. 16. etiam ſi conſtet petenti, quod maleficus potens abſque nouo maleficio maleficium tollere, illud ſine nouo maleficio non ſit deſtructurus. n. 17. Secùs verò ſi petens cõſentiret, vt per nouũ maleficium ſuum maleficium ſolueret. n. 18.

Non poteſt à malefico peti, vt per ſuam artẽ inueſtiget, & notificet, in quo conſiſtat maleficium receptum. Secùs verò à malefico, qui iam à Dæmone hoc ſciuit. n. 19.

Qui dubius eſt an maleficus ſciat, vel poſſit licito modo maleficium ſoluere, non poteſt ab eo ſolutionem maleficij petere. n. 20.

Eſt licitùm petere maleficij deſtructionem licito modo, etiamſi indè ſequuturum ſit dãnum alicuius tertij. n. 21.

Si Dęmonis pactum cum malefico fuit, ſi hoc hoc ſignum poſueris, nocebo, ſi autem loco illius aliud ſignum poſueris, nõ amplius nocebo: eſt licitum ponere hoc ſignum, ne amplius Dæmon noceat. n. 22.

Maleficus tenetur ex iuſtitia reſcindere pactum cum Dæmone, & modo licito auferre maleficij ſignum. n. 23.

Maleficus, & maleficium mandans, tenentur ad reſtitutionem damni illati. n. 24. Et cum mortis damnatione hęc obligatio non extinguitur, ſed tranſit ad hęredes. n. 25.

Qui ex caſu Magię à Dęmone aliquod bonũ, ſiue corporis, ſiue fortunę acquiſiuit, an poſſit illud licitè retinere. n. 26. 27. & 28.

Contra maleficia, quę remedia adhiberi poſſunt. c. 26. n. 1. 2. & 3.

Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius erga maleficos pœnitentes. Vide verb. Confeſſarius.

Mandans.

Mandans duellum incurrit excommunicationem, etiamſi poſtea reuocet mandatum, & antequam reuocatio perueniret ad aures mãdatarij, duelli prouocatio erat ſequuta. Sed ſi reuocatio mãdati peruenit ad eius aures ante duelli prouocationem, nõ incurrit excommunicationem, ſi poſteà duellum ſequatur. c. 18. n. 50. Vide verb. Duellum, vbi multa de mandante, & mandatario.

Mandans maleficium contra aliquem tenetur reſtituere omne damnum patientis. c. 25. n. 24. Quę reſtitutionis obligatio, defuncto mandante, tranſit ad hęredes. c. 25. n. 25.

Mandans maleficium ob finem bonum,vt ne fructus terræ vi ventorum, & grandinũ diſſipentur, ne locuſtæ, & bruchi oleribus noceant,& ſimilia: peccat mortalitèr. c. 25. n. 7.

Mandans Dęmoni, non exorciſmis Eccleſiæ, nec Dei nomine, vt ceſſet vexare obſeſſum, ſeu maleficiatum, peccat mortalitèr ſi credit,uel ſperat à Dęmone exaudiri. c.25.n.8.

Mandans malefico, vt maleficium maleficio ſoluat,& deſtruat,peccat mortalitèr. c.25. n.11.& 13.

Martyr,& Martyrium.

Pro Martyris Canonizatione non requiritur miraculorum probatio, ſed ſolùm martyrij cauſa.c.3.n.28.

Martyrij cauſa ſufficiens pro Canonizatione eſt fidei defenſio, vel confeſsio,uel prohibitio alicuius peccati. ibid.

Martyrium grandis res eſt, retribuens Domino,quod ab eo accepit, & eſt ſecũdus baptiſmus, per quem ſecurus Martyr ad Dominũ vadit. n.eod.

Metroſcopia.

Metropoſcopia eſt diuinatio,qua quis ex frõtis lineamentis, & ſignis futuros caſus hominis pręsaid. c,14 n.1.

Metropoſcopiæ diuinatio naturalis propenſionis corporis,eiuſq; diſpoſitionis, & temperamenti bonæ,vel malæ ualetudinis, acuti,vel tardi ingenij, & ſimilium, quæ non excedunt ordinem naturæ, non eſt illicita, dummodò non certò,ſed probabilitèr ex ipſis ſignis iſta arguantur. c.14.n.2.

Metropoſcopiæ verò diuinatio certa futurorum euentuum contingentium, vel pendẽtium ex libera hominis uoluntate eſt illicita,& mortale peccatum. c.14.n.3.

Metropoſcopiæ diuinatio futurorum euentuum, coniecturalitèr tantùm, & cum dubio, & formidine,attenta naturali hominis inclinatione, non eſt mortale peccatum. c. 14. n.3.

Miraculum.

Miracula non vera, vt uera fingere, eſt peccatum mortale. c.2.n 4.

Miracula, quæ requiruntur ad canonizandũ, & beatificandum,debent eſſe facta pręcipuè poſt mortem, nam in uita plures improbi miracula fecerunt. c.3.n.27. & c.6.n.41.

In Martyrum canonizatione non requiritur miraculorum probatio c.3.n.28.

Ad miracula probanda, non ſufficit illorum fama.n.30. niſi notoria,& veriſimilibus argumentis innitetur.n.31.

Quæ conditiones ſunt neceſſarię ad verè cõſtituendum miraculum. c.6. n.34.35.& 36.

An ſit de ſubſtantia miraculi,vt fiat in inſtãti,& abſq; naturali remedio. n.37.38.et 39.

Magi, & lamiæ non poſſunt per Dæmones miracula operari. c.24.n.17.

Quare Pythoniſſa, ad preces Saul, Samuelem mortuum ſuſcitauit.c.24.n.18.& 19.

Quare Magi Pharaonis potuerũt conuertere virgas in ſerpentes, & aquam in ſanguinẽ. n.20.& 21.

Quare permiſit Deus, vt ſigna,quæ miraculosè fiebant à Moyſe,fierent etiam à Magis. n. 22.

Miſſa.

In Miſſæ celebratione uti cæremonijs contra rubricas ordinarias, eſt cultus Deo indebitus,& ſaltem veniale peccatum.c.n.6.

An Miſſa Beati non Canonizati conceſſa alicui Religioni, poſſit ab exteris Sacerdotibus celebrari.c.5.n.10.& ſequ.

Vt Miſſam Eccleſia celebret de aliquo Beato tanquam Sancto ſufficit probabilitas,et certitudo moralis illius Sanctitatis, nec requiritur iudicium definitiuum,et ſententia canonica. c.5.n.16.

An Miſſa de Sãctiſs. Trinitate celebrari poſſit in anniuerſario defuncti cum opinione Sanctitatis.c.6.n.23.

In Miſſæ ſacrificio uti circumſtantijs impertinentibus ad cultum diuinum tãquam neceſſarijs,ita ut ſi illæ deficiant, arbitretur valorem ſacrificij diminui, eſt ſuperſtitio. c.22.n.16. et 17.

Superſtitio facta cum hoſtia non conſecrata, ſed ſuper eam celebrata ſit Miſſa,an ſit hæreticalis. n.22.et 23.

Miſſæ ſacrificium offerri poteſt pro mortuo in duello cum contritionis ſignis, etiamſi non ſit ſepultus in loco ſacro. c.18. n.73.

Modus medendi ſuperſtitioſus.

Modus medendi vulnera in loco diſtanti, applicando medicamentum lineis petijs ſanguine vulnerati tinctis, eſt ſuperſtitioſus. c. 21. n.4.

Modo medendi ſupradicto utens eſt S. Tribunali Inquiſitionis denunciandus c.21. n.5.

Modus medendi cum vanis circumſtantijs adiunctis ad medicamẽta naturalia eſt ſuperſtitioſus.c.21.n.2.& 7.

Modus medendi cum aliquibus ſignis,aut verbis etiã ſacris, vt neceſſarijs ad ſalutem obtinendam eſt ſuperſtitioſus,& vitãdus. c.21. n.8.& c.22.n.3.

Modus medendi cum medicamento naturali, cuius virtutis notitia originem habuit non à Medicis,ſed à Dęmone,ſi illo vtatur, qui à Dæmone didicit,eſt ſuperſtitioſus,& grauitèr peccat,ſi verò illo vtatur,non quia acceptum fuit à Dæmone, ſed ob experientiam, cognita illius efficacia, non eſt ſuperſtitioſus,

ſus. cap.21. num. 12.

Modus medēdi remedijs nō naturalibus abſq; Dæmonis pacto,ſed ob aliorum traditionē, & experientiam non excuſatur à peccato ſuperſtitionis. c.21.n.13.

Modus medendi abſq;remedijs naturalibus,ſed ſolùm cum applicatione alicuius rei ſacræ, vel ſolis precibus, & orationibus,eſt ſuperſtitioſus,quia nec res illæ ſacræ, nec preces, & orationes habent certam naturalem vim medendi morbos ſine naturalibus remedijs. c.22.n.5.& ſequ.

Vide Enſalmatores.

N

Natiuitates.

NAtiuitatem pueri obſeruare,ad coniecturandum temperamētum, & naturalem inclinationem illius,ad iram,ad venerea,ad ſtudia,ad continentiam , & ſimilia, non eſt prohibitum.c.11.n.8.

Ex natiuitate pueri prædicere futuros caſus fortuitos,vel ea, quæ pendent ex libera hominis voluntate eſt prohibitum, & peccatum. c.11.n. 8. & 9.

Prædictiones temperamēti, & inclinationis naturalis ex pueri natiuitate ſunt fallaces, & incertæ. c.11.n.9.

Prædicere caſus fortuitos, vel ab hominis voluntate pēdentes, vt certos,aut probabilitèr futuros eſt peccatum mortale. c.11.n.10.et 11. ſecùs autem coniecturalitèr tantùm. n. 16.

Natiuitates hominum facere de futuris contingentibus, dependentibus ex humana voluntate , etiamſi non certò affirmare proteſtentur, prohibitum eſt à Sixto V. c. 15. n. 19.& ab Vrbano VIII.n.26.

Natiuitates facere, & quomodolibet oſtendere,& retinere de vita,& morte Summi Pontificis, eiuſque vſque ad tertium gradum incluſiuè conſanguineorum, prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ,& vltimi ſupplicij,et confiſcationis bonorum ab Vrbano VIII. c.11. n.26.

Trāſ greſſores iſtius decreti Vrbani VIII.puniri poſſunt etiam ab Inquiſitoribus S. Officij.c.11.n.30.

Naturales prædictiones.

Naturales prædictiones ex cauſis naturalibus licitæ fieri poſſunt ex aſpectu, & motu ſtellarum,vt eclypſes,pluuiæ, ſiccitates, uenti, morbi,& his ſimilia.c.11.n.1.& 2.

Hæ naturales prædictiones non ſunt ſemper certæ,et infallibiles. c.15. n.3.

Illas,ut certas prædicere,uel futuras credere non eſt ſuperſtitioſum , ſed imprudens credulitas,& temeraria prædictio. c.11 n 4.

Per aſtrorū iudicia , aut per alias diuinationes inquirere res pręteritas occultas,vt furta,homicidia,adulteria,theſauros abſconditos, & ſimilia, eſt ſuperſtitioſum,et peccatū mortale.c.11.n.13.

Quæ ſint naturales prædictiones, quæ ex aſtris abſque peccato prænunciari poſſunt, notantur. c.11. n.15.

Notoria ars.

Vide Superſtitio artis notoriæ.

O

Obſeruatio vana,& ſuperſtitioſa.

OBſeruatio vana, et ſuperſtitioſa, eſt procuratio alicuius effectus per media vana,& inutilia,quæ nec à natura, nec à Deo ad talem effectum inſtituta ſunt , ſed ex hominum vanitate, cooperante Dæmonum malitia. c.19.n.1.

Obſeruantia vana differt à diuinatione,quia diuinatio ordinatur ad ſolam cognitionē indebito modo rerum occultarum. Vana autem obſeruatio tendit ad opus, et ad effectum externum conſequendum , vel ad aliquod malum vitandum. c.19.n.2.

Obſeruatio hæc uana, eſt grauisſimum peccatum,quia vel eſt cum pacto expreſſo,aut expreſſa Dæmonis inuocatione, aut cum pacto,vel inuocatione tacita.c. 19. n.3.

Illa vtens ex curioſitate, et leuitate quadam, cum pacto non expreſſo,ſed implicito cum Dæmone ab aliquibus excuſatur à mortali, ab alijs verò non. c.19.n.4.

Excuſatur autē,qui ea utitur,vel ex ignorantia, aut inaduertentia vincibili; ſed nō craſſa,et ſupina,uel ad conuincendum alios, illā eſſe diabolicam inſtitutionem. c.19. n.4.

Excuſari etiam à mortali ob paruitatem materiæ,quando non adeſt pactum expreſſum, aliqui affirmāt,ſed veriùs alij docent,in hac re non dari paruitatem materiæ. c.19. n.5.

Sub nomine rerum ſacrarum , et uerborum, quibus vti ſolitum eſt in uanis obſeruationibus,quid comprehenditur. c.22.n.1.

Obſeruatio uana cum abuſu ſacrarum rerum, aut uerborum, eſt ſuperſtitio manifeſtè hæreſim ſapiens,abſq;tali abuſu eſt ſimplex ſuperſtitio,ſed non hæreticalis,niſi adſit pactū cum Dæmone. c.22. n.2.

Obſeruatione uana cum abuſu ſacrarum rerum , uel uerborum eſt caſus ſpectans ad S. Officium. c.22. n. 3.

Vide Modus medendi ſuperſtitioſus , et Superſtitio uanæ obſeruantiæ.

Omen.

Omen eſt diuinatio futuri euentus proſperi , uel

uel aduerſi per aliquē hominis motum, vel verba præter intentionem prolata. c. 13. n. 7.

Ominis diuinatio eſt ſuperſtitioſa,& exemplis oſtenditur. ibid.

Aeſtimare aliquos dies hebdomadæ fauſtos, alios infauſtos,ſuperſtitioſum eſt.ibid.

Ex his, quæ fortuitò accidunt, ſiue ex hominis motu ,ſiue ex eius verbis,& vocibus aliquid futurum certò credere ſuperſtitio eſt.

Diuinare per huiuſmodi omina, quando ſit peccatum veniale,& quando mortale. c.13. n. 8.

Quare diuinationes per omina Eliazer ſerui Abrahę geneſ.24.Gedeonis Iudic 8. & aliorum in S.Scriptura, tanquàm licitæ approbatæ ſunt.c. 13. n.9.& ſequ.

Onychomantia.

Onychomantia eſt diuinatio ex vnguium figura, & eorum ſignis.c. 14.n. 1.

Per Onychomantiam,& vnguium ſigna certò,vel probabiliter prædicere futuros euentus proſperos , vel aduerſos, contingentes, vel pendentes ex hominum libera voluntate,eſt diuinatio ſuperſtitioſa,& mortale peccatum, ſicut de alijs diuinationibus dictum eſt.c.14. n.13.

Onychomantiam exercentes ſunt denunciandi S.Officij Inquiſitoribus.c.14.n.7.

Oraculum.

Oraculum eſt,quando Deus per Angelum, vel per aliquem Sanctum in ſomnis alicui denunciat, quod futurum, aut non futurum, vel faciendum , aut non faciendum ſit : & exemplis oſtenditur. c.12. n.2.

Quare Dei oracula potius in ſomnis , quàm in vigilia reuelantur.c.12.n.8.

Quomodo diſcerni poteſt an ſomniū ſit Dei oraculum,an Dæmonis illuſio.n.10.

In dubio an ſomnium ſit Dei oraculum , vel Dæmonis illuſio, tutius eſt credere,eſſe illuſionem Dæmonis. n.10.

Non eſt licitum petere à Deo oraculum futuri euentus.c.12.n.11.

Vide verb.Somnium.

Orationes.

Oratione publica deprecari poteſt pro mortuo in duello cum contritionis ſignis.c.18. n.73.

Orationes aliquas recitare, vel portare aliqua Sanctorū nomina,credendo meritis,& precibus illorum Sāctorum non eſſe vulneraturum in bello,vel repentina morte periturum,non eſt ſuperſtitioſum, nec peccatum, ſed laudabilis geſtatio . Secùs verò ſi ibi interueniat aliqua vana circumſtantia , vt ſi verba ſint ſcripta tali die , vel tali hora, vel in carta pergamena , uel talibus ſignis, &c. aut ſi firmiter ſperaret, non eſſe paſſurum dicta mala ex ſola geſtatione dictorum nominum, & verborum , tunc enim peccant mortalitèr, tam qui eis vtuntur, quàm qui illa conſulunt,aut formant. c.22.n.6.

Similitèr ad vitādum, ne canes ipſum mordeant,recitare verba illa *Pſal.33.In chamo, & freno maxillas eorum conſtringe;* uel ad acquirendam ſcientiam dicere: *Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi, Pſal. 50.* & ſimilia . Ab huiuſmodi verbis certò expectare effectum, uel credere ad illum cōſequendum,neceſſariò eſſe verba illa proferenda eſt ſuperſtitio , & peccatum mortale. Secùs ſi quis ex deuotione illis uerbis à Deo auxilium,uel effectum poſtulet. c.22.n.7.

Firmitèr credere,incantari ſerpentes, dicēdo aliquas preces ſacras,nullo habito reſpectu ad Deū, eſt ſuperſtitioſum, & mortale peccatum. c.22. n.8.

Recitare certas preces occultas, ne oues aliquid mali à lupis recipiant,relictæ abſque cuſtode,eſt ſuperſtitio ſimilitèr, & peccatū mortale.Secùs uerò ex ſimplicitate illis uti, credendo in eis nullum ineſſe pactum cum Dæmone. c.22.n.9.

Ad curandos morbos ter recitare uerba illa *Pſal. 11. Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Si in honorem Sāctiſs. Trinitatis recitentur , & à Deo expectetur ſalus,eſt licita deprecatio;ſi autem ex repetitione, & ex ipſis nudis uerbis expectetur ſalus,eſt ſuperſtitio, & peccatum. c. 22. n. 10.

Superſtitioſæ etiam ſunt orationes illæ , quibus Sagæ,ſeu lamiæ, circolos uirgineos benedicunt pro parturientibus, & morbo laborantibus cum aliquibus cęremonijs. c.22. n. 14.

Superſtitioſæ etiam ſunt orationes , quæ recitare ſolent mulierculæ nuptiarum auidæ in nocte S.Ioannis Baptiſtæ,ut eis cui nubere debeant manifeſtetur, conſtituendo efficaciam orationis, ſi dicantur in primo aſpectu ſolis,uel in tali hora, aut talibus uerbis. c. 23. n.4.

P

Pactum cum Dæmone.

PActum inter hominem,& dæmonem,quomodo dari poteſt.c.10.n.11.

Pactum inter hominem, & dæmonem, aliud eſt expreſſum,& explicitum,aliud tacitum, & implicitum.c.10.n.3.

Pacti expreſſi,in dæmonis inuocatione, circūſtantia eſt omnino exprimenda in confeſſione.c.10. n.4.& 5.

Pactum expreſſum cum Dæmone ſæpè inuoluit alia crimina.c.10.n.5.

Pactum implicitum,ſeu tacitum cum Dæmone eſt etiam peccatum mortale.c.10.n.6.

Vtens ſignis ſuperſtitioſis cum proteſtatione, ſe nolle pactum exercere cum Dæmone, nõ excuſatur à mortali.c.10.n.7. & 8. & c. 22. n.26.

Pactum exercens cum Dæmone,ſiue expreſsè, ſiuè tacitè,ſemper eſt Inquiſitoribus S.Officij denunciandus. c.10.n.14.

Pactum illud, quod præmoriens apparere debeat ſuperſtiti, eumq; de ſuo ſtatu ſpirituali certiorem facere, eſt periculoſum, & obnoxium Dæmonum illuſionibus.c.10.n.24.

Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum pœnitente, qui cum pacto expreſſo Dæmonem inuocauit.c.10.n.25.

Diuinatio per pactum implicitum, cum Dæmone diuiditur in plures ſpecies.c.10.n.28.

Vana obſeruatio continens pactum expreſsũ cum Dæmone, ſemper eſt mortale peccatũ. c.19. n.4.

Vana obſeruatione utẽs cum pacto implicito ex quadam leuitate, & curioſitate, non excuſatur à mortali:excuſatur uerò ob ignorantiam,dummodò non ſit craſſa, aut ſupina, et ſi utitur illo uano ſigno non ad experiendum effectum, ſed ad conuincẽdũ alios, continere Dæmonis tacitum pactum.c.19. n.4.

Vtens uana obſeruatione cum pacto Dæmonis non expreſſo, ſed tantùm tacito,aliqui affirmant excuſari à mortali ratione paruitatis materiæ. Alij uerò hoc negant, docẽtes,non dari in hac re paruitatem materiæ. c.19. n.5.

Quomodo agnoſci poteſt, uanam obſeruantiam includere pactum tacitum cum Dæmone, c.22.n.25.

Qui ſuo chyrographo Dæmoni obſequio ſe dicauit, poteſt per pœnitentiam hoc pactũ diſſoluere abſq; ſui chyrographi reſtitutione. c.24. n.9.

Eſt licitum maleficium tollere, etiamſi adſit pactum cum Dæmone, illud non tolli ſine alterius graui damno. c.25.n.21.

Si pactum Dæmonis cum maleficio ſit:ſi hoc ſignum poſueris,nocebo:ſi autem tale aliud ſignum poſueris non nocebo, licitum eſt ad deſtruendum maleficium ponere dictum ſecũdum ſignum Dæmonis, dummodò ponatur ſine nouo illius cultu, uel inuocatione.c.25. n.22.

Paruitas materiæ.

Paruitas materiæ non excuſat à mortali,furtiuè ſurripientem reliquias Sanctorum. c. 4. n.21.

Paruitas materiæ an excuſat aliquãdo à mortali, uanis obſeruationibus attendentes. Vide uerb. Vana obſeruantia.

Non eſt admittenda paruitas materiæ,excuſans à mortali,in uanis obſeruationibus cõtinentibus tacitum pactum Dæmonis. c.19. n. 5.

Paruitas materiæ non datur in his, quę reſpiciunt Dei honorem, uel expreſſam Dæmonis inuocationem, neq; in Magia. c.27. n. 7.

Pater.

Pater tenetur denunciare Inquiſitoribus Sancti Officij filium idololatram, vel hęreticũ. c.8. n.20.

Pater an teneatur denunciare filium ſuſpectũ tantùm de hęreſi. c.8. n.22. & 23.

Peccatum.

Qui reſponſum Dęmonis credit eſſe verum, & infallibile, committit peccatum idololatrię,& hęreſis.c.7.21.

Peccatum mortale eſt colere Deum cęremonijs Iudaicis,vel Mahomettanis.c.2.n.2. Reliquias falſas pro ueris donare.n.3. Fingerę miracula non vera. n.4. Cantus, vel ſonus profanus, aut amatorius in Eccleſią inter diuina officia n.5. Bis in eodem dię abſquę vrgenti cauſa Euchariſtiam ſumere.n.7.

Peccatum veniale eſt cultus Dei non falſus,ſed ſuperfluus, vt qui in ſacro faciendo diceret Gloria, vel Credo ex ſua deuotione quando dicenda non ſunt.c.2.n.6. Vel uoueret ieiunare omnes anni Dominicas,& ſimilia.n.8.

Peccatum mortale eſt canere in Choro genibus flexis ad petendam à Deo vltionem inimicorum *Pſal.* 108. *Deus laudem meam ne tacueris*.c.2.n.9.& ſequ.

Peccatum mortale eſt,cultu publico uenerari ſeruos Dei non Canonizatos,neque Beatificatos, & eorum reliquias.c.3.n.12.

Peccatum eſt mortale, celebrare ſcienter cum calice,& patena non conſecratis. c.4.n.31.

Peccatum aliorum omnium grauiſſimum, eſt idololatria. c.7. n.5.

Peccatum non minus graue, eſt colere, & credere creaturam eſſe Deum, quam illam colere,& credere non eſſe Deum. c.7.n.6.

Peccatum Idololatrię committeret Sacerdos, ſi alicui offerret particulam non conſecratam pro conſecrata. c.7.n.10.

Peccatum inuocantis Dęmonem. Vide Inuocatio Dęmonis.

Peccatum diuinationes ob pactum expreſſum, uel tacitum cum Dęmone. Vide pactum cũ Dęmone.

Peccatum cum excommunicatione. Vide Excommunicatio.

Pec-

Peccatum mortale eſt, temerè ſomnijs creditũ dare. c.12. n.9.
Peccatum mortale eſt, ad ſomnium captandũ, aliquod ſecretum adhibere, ad cognoſcenda futura. c.12. n.19.
Per auguria, vel per omina, futura certò credere, & præſagire, eſt peccatum mortale. c.13. n.2. & 8.
Diuinare certò, vel probabilitèr futura contingentia, vel quæ pendent ex hominum libera voluntate, vel ſunt omninò occulta, eſt peccatum mortale. c.15. n.3.
Magia eſt grauius peccatum furto, homicidio, adulterio, periurio, & ſimilibus. c.24. n. 4.
Cum Magia alia peccata mortalia admiſcẽtur. c.24. n.7.
Eſt peccatum mortale, & aliquando hæreticale, poculum amatorium præbere, ad impudicum amorem tentandum. c.25. n.5.
Ordinare maleficium, etiam ad bonum finẽ, eſt mortale peccatum. c.25. n.7. Et ſimilitèr maleficium maleficio tollere, vel vti remedijs vanis, & non naturalibus ad illud tollendum. c.25. n.9. & 10.
Adiurare creaturas irrationales, ne nobis noceant, non dirigendo ſermonem ad Deum, nec ad Dæmones, eſt peccatum mortale; niſi excuſet ſimplicitas, vel leuitas materiæ. c.30. n.8.
Conſtituentes iudicium inter locuſtas, & terræ poſſeſſores, ad illas fugandas, & excommunicandas, peccant mortalitèr. c.30. n.9.
Adiurare Dæmones, vt aliquod beneficium præſtent, eſt mortale peccatum. c.30. n.14.
Eſt peccatum mortale, Dęmonem, in energumeno exiſtentem, interrogare de maleficij auctore, vel de rebus curioſis. c.3. n.28. & 31.

Pedomantia.

Pedomãtia eſt, qua quis pedum ſigna obſeruat ad futura prædicenda. c.14. n.1.
De hac diuinatione idem eſt dicendum, ac de Chyromantia, vel Metropoſcopia.

Phantaſia.

Phantaſia eſt quædam fumoſitas aſcendens à ſtomacho, vel à corde ad cerebrum, & vim animalem comprimens, per quam quis dormiens, ſe vigilare exiſtimat, & aſpicere videtur res varias, aut lætas, aut turbulantes. c.12. n.6.
Per phantaſiæ illuſionem Dæmon in ſomnis ſæpè tales ſpecies lamijs, & ſtrigibus imprimit, vt falsò ſibi perſuadeãt volitaſſe, & cũ alijs in delitioſo loco tripudia, & nefarios concubitus egiſſe. c.24. n. 12.

Phyſiognomia.

Phyſiognomiæ diuinatio fit per humani corporis membrorum habitudinẽ, & proportionem, nempè per faciem, frontem, caput, oculos, naſum, ſupercilia, aures, pectus, &c. c.14. n.1.
Per phyſiognomiam non certò, ſed probabilitèr coniectari, & prænunciari, quæ non excedunt ordinem naturæ: vt temperamentũ, & propenſionem corporis, bonam, aut malam valetudinem, acutum, vel tardum ingenium, & ſimilia, non eſt ſuperſtitioſum. c.14. n.2.
Per phyſiognomiam prędicere certò, vel probabilitèr futuros euentus contingentes, vel pendentes ex libera hominis voluntate, eſt ſuperſtitioſum, & peccatum mortale, hæreſim ſapiens. c.14. n.3. & 7.

Poculum amatorium.

Poculum amatorium præbens, non poteſt, ad libidinem voluntatem cogere. c.25. n.2.
Poculum amatorium poteſt excitare ad libidinem, ſed non ad amandum talem perſonam. c.25. n.3.
Ob maleficium poculi amatorij multæ mulieres, & viri, ad amandum talem perſonam deflexerunt, quia Dæmon illius perſonæ imaginem in memoria imprexit, quando erant ad libidinem accenſi. c.25. n.4.
Poculum amatorium eſt ſortilegium hæreticale, quando quis credit, per illud poſſe dæmonem cogere, ad impudicè amandum, vel in illo interuenit pactum, vel inuocatio Dęmonis, vel fit cum abuſu Sacramentorum, vel ſacramentalium rerum, vel verborum ſacrorum, aut Sanctorum reliquiarum. c.25. n.5.

Pontifex Maximus.

Pontifex Maximus non poteſt in fidei doctrinis errare, neque in ſtatutis ad legem diuinam, & naturalem ſpectantibus. Et hoc eſt de fide. c.3. n.21.
Pontificem Maximum non poſſe errare in Canonizatione Sanctorum an ſit de fide. c.3. n.20. 21. & 22.
Pontifex Maximus ſolùm nunc poteſt ſeruos Dei canonizare, & tanquam Beatos concedere venerandos. c.3. n.24.
Non poteſt alteri committere, ſeu delegare, ad res fidei definiendas. c.3. n.24.
Summi Pontificis approbatio non requiritur, ad priuatè venerandos defunctos cum fama Sanctitatis, eorumq; reliquias. c.4. n.4.
An ſit eadem certitudine fidei, Summum Põtificem errare non poſſe in Beatificatione ſerui Dei, ſicut in Canonizatione. c.5. n.14. vſque ad 20.
Summus Pontifex quare non expellit Iudæos à ſuis Prouincijs. c.9. n. 12.
Quare eis permittit ritus Moſaycos ſeruare. Vide verb. Iudęi.

Sum-

Summus Pōtifex poteſt cogere infideles,etiā non ſubditos,ad audiendam Euangelij prædicationem. c.9. n.15.
Poteſt Chriſtiano Principi concedere poteſtatem debellandi, & occupādi Prouincias, & Regna Paganorum, & Infidelium, non admittentium liberam Euangelij prædicationem. c.9. n.18. vſque ad 27.
Vide uerb. Principes.
De vitę, aut mortis Summi Pontificis, eiuſq; cōſanguineorū vaticinatione,& pœnis.c.11 n. 26.

Principes.

Principes non ſunt exēpti, ab obligatione denunciandi,etiam de idololatria, vel hæreſi ſuſpectos. c.8.n.33.
Nō poſſunt cogere infideles ſubditos,ad Chriſti fidem ſuſcidiendam. c.9.n.3.
Poſſunt tamen, infidelibus ſubditis negare, ius habitandi in ſuis Prouincijs, niſi fidem Chriſti recipiant. c.9.n.6. Poſſunt etiam eis imponere maiora tributa, quàm alijs, vel à tributis,& vectigalibus eximere, & damnatis ad mortem vitam concedere,ſi baptizentur. c.9. n.7.
Poſſunt Principes infideles ſubditos cogere, vt Idolorum cultum, & omnes ſuperſtitiones deſerant,& vnum Deum colant, & legē naturæ obſeruent,& omnes alias leges,quæ ad pacem, & commune bonum ſpectant, & ne delicta,aut crimina committant.c.9.n.9. & 10.
Non tenentur expellere à ſuis Prouincijs, & locis Iudæos.c.9.n.11.& 12.
Poſſunt cogere infideles ſubditos,ad audiendam Euangelij prædicationem; ſecùs verò non ſubditos. c.9.n. 13.& 14.
Principes Chriſtiani de licentia Summi Pontificis poſſunt,cogere infidelesnon ſubditos, ad audiendam Euangelij prædicationem. c.9.n.15.& ſi illam impedierint, poſſunt illos debellare,& eorum Prouincias, & bona occupare.n.16.& 17.
An verò poſſint ob ſolam idololatriam illos debellare, & eorum Regnis priuari alij affirmant, alij uerò negant.c.9. n. 18 & ſequ.
Principes Chriſtiani permittere poſſunt infidelibus dominiū antiquum in Chriſtianis, non autem nouum. c.9. n.28.& 29.
Principes Chriſtiani ſunt Eccleſię protectores, & legis diuinæ cuſtodes. c.9.n.16.
Principibus,ſeu Regibus Caſtellę,& Luſitanię fuit conceſſum ab Alexandro VI. ut introducerent prædicationem Euangelij in Regna infidelium, & ſi illam infideles non reciperent eorum ſubditi fierent, & dominio priuarentur. c.11.n.24.

Proceſſus.

Proceſſus Canonizationis, uel Beatificationis ſerui Dei requirit certas, & euidentes probationes uirtutum,& miraculorum illius. c.3.n.25. & 26.
In proceſſu Canonizationis Martyris non requiruntur probationes miraculorum, ſed ſolùm, quod paſſus ſit,uel ob confeſſionem, uel defenſionem fidei,uel ob euitandam Dei offenſam.c.3.n.28.
In proceſſu defuncti cum opinione Sanctitatis probandum eſt prius: nunquam ei præſtitum fuiſſe cultum publicum, ſed ſolùm priuatū, et adimpleta decreta Vrbani VIII. in Conſtitut.incip. *Cæleſtis Hieruſalem*. c.6. n. 25.
Ad proceſſus Canonizationis, et Beatificationis ualidè formandos,quid neceſſario requiritur. c.6. n.26.et ſequ.
In formatione dictorum proceſſuum examinandi ſunt omnes teſtes producti, nemine relicto, et eorum teſtificationes per extensū ſcribendas.c.6.n.31.
In proceſſu uirtutum requiruntur probationes, quod ſeruus Dei fuit in gradu eroico uirtuoſus,et talis qualis Chriſtus requiſiuit, cùm dixit: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt.* n 32.
In probatione miraculorū,quæ requirantur. Vide uerb. Miracula.
In proceſſu probationes releuantes ſunt: primo teſtium depoſitiones nō dubiæ, ſed certæ, et concludentes, et quod teſtes ſint idonei, et in numero copioſi.c.6.n.40. Secundò, quod miracula facta ſint à Deo ad interceſſionem ſerui Dei beatificandi, uel canonizandi, et nedùm in eius uita, ſed præcipuè poſt mortem.n.41 Tertiò, quod fama illius Sanctitatis fuit conſtans, & immutabilis.n.42. Quartò,quod populi deuotio ergà ſerui Dei reliquias ſit grandis. n. 43.
Quinam ſunt defectus non diminuentes ualiditatem proceſſus Sanctitatis ſerui Dei. n. 44. & ſequ.
In dubio an ſint obſeruatæ omnes circūſtantiæ in formatione proceſſus,præſumendum eſt pro illius ualiditate.n.49. Et ſi reperti ſint defectus certi,et notabiles,poteſt peti,et cōcedi noua remiſſoralia pro ipſis ſupplendis. n. 50.

Proteſtatio.

Proteſtatio Auctoris imponenda in principio, et in fine libri,continentis miracula,et reuelationes defuncti cum fama Sanctitatis.c.6. n.20.et 21.
Non eſt licitum uti rebus uanis, et ſuperſtitioſis cum proteſtatione nolle conſequi effectum, ſi ex Dæmonis pacto ſit obtinendū. c.22.n.26.

Pyromantia.

Pyromantia eſt diuinatio per ignem,prænunciando futura ex ignis flammis,ſi conglubinatim emittantur,ſi ſint ſplendidæ,ſi celeritèr in altum aſcendant,& ſimilia. c.15. n.1.

Quæ diuinatio ſ. certò, vel probabilitèr prænunciat futura contingentia, vel pendentia ab hominum voluntate,vel ſunt occulta, eſt ſuperſtitioſa,& hæreſim ſapiens. c.15.n.3.

R.

Receptatores hæreticorum.

Receptatores hæreticorum ſunt,qui ſcienter,vt tales eos recipiunt, vel ab Inquiſitoribus eos liberant.c.7.n.28.

Qui ignorans,aliquem eſſe hæreticum, illum receptat, non æſtimatur hæretici receptator. n. eod.

Hæc ignorantia in dubio præſumitur, & Fiſco,alleganti ſciẽtiam, incumbit illam probare.ibid.

Receptans hæreticum notorium , vel denunciatum,præſumens ignoranter receptaſſe, tenetur probare ſuam ignorãtiam,alias non excuſatur ab hæreſis ſuſpicione. ibid.

Qui per vim, & metum hæreticum receptat, excuſatur à pœnis,hæretici receptantis ibid.

Nautæ,Capones,& Stabularij, hæreticum receptantes,tunc puniuntur,quãdo hæreticus eſt publicè denunciatus, vel condemnatus. ibid.

Receptatores ſupradicti ſunt de hæreſi ſuſpecti vehementer, vel leuiter, iuxtà modum receptationis,& qualitatem receptantium.ibid.

Iudæi , & hæretici alios ſimiles receptantes, ab Inquiſitoribus etiam puniri poſſunt.ibid.

Vide Fautores, vel Defendentes hæreticos.

Regularis.

Regulares , alienantes Sanctorum reliquias, incidere in pœnas Paulinæ de rebus Eccleſiæ non alienandis, nonnulli Doctores affirmant.c.4.n.26. alij verò negant. n.27.

Regularium facultas , celebrandi Miſſam in eorum Eccleſijs alicuius Beati non canonizati,non extenditur ad Sacerdotes exteros, non expreſſos.c. 5.n.11.12.& 13.

Pœnæ contra Regulares,vaticinantes,ſiue per Aſtrologiam, ſiue alio quocumq; modo,de ſtatu Eccleſiæ, vel Sedis Apoſtolicæ, vel de vita,aut morte Summi Pontificis,eiuſq;cõſanguineorum vſque ad tertium gradum incluſiuè. c.11. n.26.

Regulares in Italia non poſſunt,virtute ſuorũ priuilegiorum,abſoluere ab excommunicatione Duelli. c.18.n.85.

In Vrbe verò Romæ, & extrà Italiam poſſe, illud abſoluere virtute ſuorum priuilegiorum,nonnulli Doctores affirmant,alij verò negant. c.18.n.86.

Poſſunt Regulares abſoluere illos,qui pugnã commiſerunt: ſed non ex condicto, nec ſtatuto loco,& tempore, vel ſine periculo occiſionis,vel vulneris. c.18.n.87.

Poſſunt etiam abſoluere mandantes, conſulẽtes,&c. quando efficaciter reuocauerũt mãdatum,vel conſilium. c.18. n.87.

Vide uerb. Confeſſarius. Excommunicatio. Caſus reſeruatus.

Reliquiæ.

Reliquiæ Sanctorum de fide ſunt venerandæ. c.4. n.1.

Quænam dicũtur Reliquiæ inſignes,ob quas celebrari poteſt in Eccleſia , vbi reſident, Miſſa, & Officium. n.2.

Reliquiæ,vt publicè venerari poſſint, quid requiritur. n. 3. Et quid pro priuata ueneratione.n.4.

Quæ ab antiquis temporibus in veneratione fuerunt, poſſunt publicè exponi, etiamſi nõ reperiatur,eas fuiſſe ab Epiſcopo approbatas. n. 5.

Reliquiæ Sancti canonizati , ſi ſint permiſtæ cum reliquijs Sancti non canonizati,nec inter ſe diſcerni ualeant,non poteſt Epiſcopus illas approbare,ut publicè uenerentur. Verùm hoc non tollit, quominus quis adorare poſſit illas,qua parte Sancti canonizati ſint. n. 6.

Licitè adorari poteſt corpus alicuius Sancti in vno loco, quando alij affirmant, eſſe alibi. n. 7.

An ſit licitum,publicè exponere,adorandam in altari Crucem,ornatam reliquijs non approbatis.n.8.

Reliquiæ, quæ uenerari poſſunt, ſunt Sanctorum oſſa,carnes,dentes,ſanguis, capilli, vngues,cineres, & alia, quæ ipſos in vita, vel poſt mortem tetigerunt,vt veſtes, literæ,ſedilia,& ſimilia. n.9.

Adorantur omnes, vt coniunctæ cum Sãctis, quorum fuerunt reliquiæ; itaut Sancti ipſi per ſe primo venerentur in reliquijs n.eod.

Vermes, qui ex corporibus Sanctorum oriũtur,haberi non poſſunt, vt eorum reliquiæ, & qua ratione. n. 10.

Fruſtulum Corporalis poſſe,vt reliquiam haberi,& venerari, aliqui æſtimarunt,ſed omninò negandum eſt. n.11.12. & 13.

Fornicari, geſtando ſecum reliquias, an ſit circumſtantia, neceſſariò in confeſſione exprimenda. n.14.

Dare reliquias ſacras, vel Agnos benedictos amaſiæ pro actu uenereo , an ſit ſacrilegiũ, vel ſimonia.n.15.

Dare,vel recipere pecuniam,ob reliquias haben-

bendas, vel videndas an ſit ſimonia? n. 16. 17. & 18.

Exponere reliquias uidendas, vel tangendas, ad finem acquirendi eleemoſynas, an ſit mortale peccatum, vel ſimonia. n.19. & 20.

Furtiuè ſurripere Sanctorum reliquias, eſt ſacrilegium, etiamſi ſurripiantur cauſa deuotionis,& conſentiente Prælato, quia iſte non eſt Dominus,nec adminiſtratorearum, ſed tantùm cuſtos.Nec ſurripiens excuſatur ratione paruitatis materiæ: quia in his non attenditur quantitas,ſed qualitas.Secùs autem ſi reliquiæ eſſent apud infideles. n.21.

Surripiens furtiuè reliquias,an incurrat excõmunicationem.n 22.

Extrahens reliquias à loco, in quo ſunt, quas pœnas incurrit. n. 23.

Reliquiæ Sãctorum,perpetuæ ſepulturæ traditæ,transferri nequeunt de loco ad locum abſq; Summi Pontificis, vel Epiſcopi licentia. n.24. Immò neq; de vno altare ad aliud eiuſdem Eccleſiæ.n.25.

Reliquias alienantes Regulares,an incidant in pœnas Paulinæ de rebus non alienandis. n.26.& 27.

Reliquias radere; quis non poteſt, vt ipſarum raſura in potum detur infirmis.n.28.

Reliquias decentèr tangere, & è collo pendentes portare, non eſt laicis prohibitum. n. 29.

Remedia licita contra maleficia.

Remedia naturalia licita ad expellenda maleficia ſunt, quæ à Medicis opportuna iudicantur. c.26. n.1.

Remedia ſpiritualia cõtra maleficia ſunt, Dei auxilio magna fides, peccatorum confeſſio, S.Euchariſtiæ ſumptio,Eccleſiæ exorciſmi, ſignum Crucis Chriſti. Inuocatio Sanctiſsimę Trinitatis, Beatiſs.Marię Virginis,Angeli Cuſtodis,& Sanctorum, & geſtatio Reliquiarum, & aliarum rerum benedictarum ab Eccleſia. c.26.n.2.

Remedia mortalia ſunt, quæ pertinent ad deſtructionem maleficij.c.26.n.3.

Vide Maleficium.

Res ſacræ, vel benedictæ.

Calices conſecrati, purificatoria,& corporalia tangi poſſunt à Clericis, non verò à laicis.c.4.n.30. Vide verb.Calix.

Paramenta,& alia cultui diuino dicata,& etiã benedicta,ſi ſint inueterata,itaut diuino cultui amplius non ſeruiant, poſſunt vendi, & in vſus profanos adaptari ne omninò conſumentur,& deperdantur. n.35.

Vide Superſtitio cum abuſu ſacrarum rerum.

Reſtitutio.

Aſtrologi prædicentes futura contingentia, vel præterita occulta, vel quæ pendent ex libera hominum voluntate, an teneantur reſtituere pretium, quod acceperunt pro eorum diuinatione. c.11.n.35.36. & 37.

Aſtrologus,uel ſimilis diuinator,qui ſua diuinatione fuit cauſa, ut aliquis deceptus multas expenſas fecerit,tenetur illas,& omne damnum illatum reſarcire. c.11.n.37.

Reſtitutio diuinatoris lucri, aliqui docent, quod faciẽda ſit pauperibus: alij uerò,quod tradenti. c.11. n.38.

Prouocans ad duellum, ſi prouocatum lædat, vel occidat,tenetur reſtituere damnum illatum. Non tenetur uerò prouocatus ad reſtitutionem, ſi prouocantem lædat, uel occidat.c.18.n.75.

Maleficium committens, uel committere faciens,tenetur ad reſtitutionem damni illati. c.24. n.24.

Si maleficus morti damnatur,& damnum illatum non reſtituit, tenentur eius hęredes illud reſtituere. c.24. n.25.

Qui per iniquam ſuperſtitionem, aut magiã pecuniam, uel quid ſimile à Dæmone accepit,an poſſit illud retinere, vel teneatur reſtituere.c.24. n. 26.et 27.

Reus.

Reus,præuia abiuratione ab Inquiſitore abſolutus, tenetur etiam Confeſſario, ſua delicta cum ſuis circumſtantijs confiteri. c. 27. n.2.

Reus,qui per odium, uel per tormenta, innocentem,tanquam ſui delicti complicem, denunciauit, tenetur coram Iudice, ſe retractare, etiamſi pati noua tormenta deberet, ſi adeſt ſpes,Iudicem eſſe ei crediturum. c.27. n. 6.

Reus,ſi non poteſt Iudici reuocare innocentis denũciationem, tenetur publicè coram populo talem denunciationem reuocare. n. 9.

Rota, quæ dicitur Bedæ.

Inuentor diuinationis huius Rotæ non fuit Venerabilis Beda, ſed Apuleus Platonicus, de Magia inquiſitus.Sed à ſortilegis,& hæreticis Bedæ dicitur,fuiſſe, ad illius uſum facilius inducendum. c.16.n.6.

Huiuſmodi Rotæ diuinatio eſt illicita, & ſuperſtitioſa, & illam exercentes, vel ad illam cooperantes ſunt Inquiſitoribus S. Officij denunciandi,& ab illis puniendi. n.7.& 8.

S

Sacerdos.

SAcerdos celebrans ſcientèr cum calice, vel patena non conſecratis, peccat mortalitèr. c.4. n.31.

Sacerdos offerens alicui particulam, non conſecratam, pro conſecrata, committeret crimen idololatriæ. c.7.n.10.
Deficiente Confeſſario in articulo, ac in periculo mortis, quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, uel degradatus, poteſt pœnitentem abſoluere, etiam à caſibus cum excommunicatione reſeruatis. c.29.n.25.
Præſente Sacerdote, & inuito, nō poteſt Clericus exorciſta energumenum exorcizare. c.30. n.27.
Sacerdos habens caſum occultum reſeruatum, & nō habens copiam Confeſſarij, poteſt ad euitandum ſcandalum, etiamſi ſit effectus irregularis, contritus celebrare. c.29. n.8. & 9.

Sacrilegium.

Sacrilegium eſt, furtiuè ſurripere Sanctorum reliquias, etiamſi ſurriperentur, conſentiente Prælato. c.4. n.21. nec ab hoc ſacrilegio excuſat paruitas materiæ. n.eod.
Vide verb. Hæreſis, Idololatria, Inuocatio Dæmonis, Magia, Maleficium.

Salctatores.

Salctatores, vide Enſalmatores.

Scandalum.

Ad euitandum ſcandalum, vel propriam infamiam, habens caſum occultum reſeruatum, poteſt contritus, ſi Sacerdos ſit, celebrare, & ſi laicus communicare, & interim abſolutionem à reſeruato procurare. c.29. n.8.
Sacerdos effectus irregularis, quia aliquem occultiſſimè occidit, & ſi celebrare omittat, probabilitèr de patrato homicidio infametur, poteſt dum diſpenſationem expectat, cōtritus, & confeſſus, celebrare. ibid. n 9.

Simonia.

Qui reliquias Sanctorum, & Agnos benedictos daret amaſiæ pro pretio actus venerei, cōmitteret ſimoniam, & ſacrilegium, ſecùs verò ſi ex beneuolentia, aut ex deuotione. c.4. n. 15.
Dare, uel recipere pecuniam ob Sanctorum reliquias, eſt peccatum ſimoniæ. c.4 n.16. Secùs verò de eorum ornamēto auri, vel argenti, ſed ſi hoc ornamentum carius vendatur ob reliquias, erit ſimonia n.17.
Non eſt Simonia, ſed Religioſus actus, emere ab infideli, vel hæretico, Sanctorū reliquias. c.4. n. 18.
Reliquias exponere publicè videndas, & adorandas, ob abundantiores eleemoſynas, alij ſuſtinent, eſſe peccatum ſimoniæ, alij verò hoc negant, etiamſi finis principalis ſit acquiſitio maiorum eleemoſynarum. c. 4. n. 19. & 20.

Socius.

Socij, qui comitantur aggredientem ad duellum, ad illum iuuandum, vel potentes duellum impedire, illud non impediunt, ſunt excommunicati, etiamſi poſteà pugna non ſequa. nr. c.18.n.58. Secùs verò ſi comitantur, ad illud impediendum.
Confeſſarius, qui fuit ſocius maleficij, vel ſortilegij, vel alterius criminis, an poſſit validè talem ſocium abſoluere. c.28.n.15. & an tempore Iubilæi. n.16.

Somnium.

Somnium eſt imaginaria viſio, ſeu apprehenſio, quæ fit in ſenſu interiori, quando ſenſus exteriores à ſomno ſopiti ſunt. c 12.n.1.
Somnium genera ſunt quinque, nempè Oraculum, Viſio, Somnium, Inſomnium, & Phantaſia. ibid.
Oraculum eſt, quādo Deus per Angelum, vel per aliquem Sanctum, in ſomnis alicui denunciat, quod futurum, vel nō futurum, aut quod faciendum, vel non faciendum ſit, & exemplis oſtenditur. n.2.
Viſio dicitur illud ſomniū, in quo quis, dormiendo, videt aliquid, indicans, quod futurum eſt. n.3.
Somnium dicitur illud, quod non clarè aliquid futurum indicat, ſed ſub abſconditis figuris, & enigmatibus, nec ſine interpretatione intelligi poteſt. n.4.
Inſomnium eſt, quando quis dormiens, quæ vigilans cogitauerat, vel operatus erat, ſibi repræſentantur. n. 5.
Phantaſma vocatur illud ſomnium, in quo, quis dormiens, ſe vigilare exiſtimat, & aſpicere, videtur varias formas, vel res lætas, aut meſtas, & turbulentas, & ſimilia. n.6.
Somnia prouenire ſolent ex quinque cauſis, ſcilicèt Primò ex Dei prouidentia, Secundò ex Dæmonum procuratione, Tertiò ex cōſtellatione Cœli, vel aeris, Quartò ex diſpoſitione corporis humani, Quintò ex præuijs cogitationibus. n.7.
Quare Dei oracula potius in ſomnis, quàm in vigilia reuelantur. n. 8.
Qui temerè ſomnijs dat creditum, non excuſatur à peccato mortali. n. 9.
Quomodo diſcerni poteſt, an ſomnium ſit à Deo, uel à Dæmone. n.10.
In dubio an ſomnium ſit à Deo, vel à Dæmone, tutius eſt credere, eſſe à Dæmone. ibid.
Non eſt licitum deſiderare, uel petere à Deo, vt per ſomnia, occulta manifeſtet. n.11.
Somnia non poſſunt, cauſare effectus, quos repræſentant. n.12.
Licitum eſt ex ſomnijs, arguere morbos corporis, & illius humores prædominantes. n. 13.
Licitum quoque eſt inueſtigare, an ſomnia pro-

prouenia nt,ex conſtellatione Cœli, & aeris impreſſione, an ex præteritis cogitationibus. n.14.
Quando verò probabile eſt, ſomnium eſſe à Deo,licitum eſt,ex illo prænunciare futura; ſecùs verò, quando nõ eſt immiſſum à Deo. n.15.& 16.
Qui non certè ſomnis credit, ſed ex illo concipit,vel timorem aliquem mali, uel ſpem boni futuri, & ideò operatur aliquid, quod non eſt contra Dei,uel Eccleſiæ præceptũ, non peccat mortalitèr; ſed tantùm uenialitèr, & aliquando neq; uenialitèr: ſecùs uerò, qui ità eſſet ſomniorum obſeruator, vt ordinariè per illa ſuas actiones dirigeret. n. 17.
Si alicui euenirent, quæ in ſomnis ſibi repræſentantur,non idcircò poſſet,abſq;peccato, fidem ſomnijs præſtare.n.18.
Ad ſomnium captandum, aliquod ſecretum adhibere,vt per illud futura cognoſceret,eſt ſuperſtitioſum,& mortale peccatum. n.19.
Quando in ſomnijs videtur liber uſus rationis, & expeditus, ſomniator neq; meretur, neq; demeretur. n.20.

Sors.

Sors eſt quædam actio fortuita, qua aliquid occultum inquiritur, ut innoteſcat. c.17. n. 1.
Sors eſt triplex, nempè Diuiſoria, Conſultoria, & Diuinatoria. n.1.& 2.
Sortes diuiſoriæ, aliæ ſunt licitæ, aliæ uerò prohibitæ n.3. & 4
Sorte licitum eſt decidi,auctoritate Iudicis,lites ex mutuo litigatium conſenſu,ac etiam, eadem Iudicis auctoritate,ſorte decidi ſolet res,quæ alitèr diuidi, non poteſt,nec apparet quis in iure maiorem in ea rationem habeat. Item inter milites diuerſarum nationum, quæ natio prior inuadere debeat oppidum cum graui periculo.Tempore peſtis,quinam Parochi, Religioſi, aut Medici attendere debeant animabus, corporibuſq; curandis.Quãdo plures rei digni ſunt morte, & non expedit, ut omnes moriantur, quinam vltimo ſupplicio damnandus ſit. Quando eleemoſyna vni ex pluribus pauperibus,uel locis pijs,eſt applicanda. Quando tempore tempeſtatis, ne nauis naufragium ſequatur; quinam ſint proijciendi in mare. Et quando non apparet ratio, cur alter alteri in aliquo commodo, uel incommodo præferri debeat.n.5.
Sorte dirimere lites inter Clericos, etiam in cauſis de beneficijs Eccleſiaſticis, licitè eſt ab auctoritate Iudicis.n.6.& 7.
Sorte eliguntur Virgines pauperes, quæ dotis eleemoſynam recepturæ ſunt, ex multis habilibus. n. 8.
Sorte in Conclaui eligitur habitaculum, in quo quilibet Cardinalis collocari debet. ibid.
Sors eſt illicita,in publicis officijs conferendis; Eſſet uerò licita inter eos, qui ità eſſent, & officio digni,ut uix poſſet,inter eos dignior iudicari. n. 9.
Sortes diuiſoriæ,quæ ex ſe licitæ ſunt,poſſunt uitiari ex uarijs circumſtantijs. n. 10.
Sortium contractus, qui dicitur *il Lotto*,eſt licitus,& iuſtus,dummodò fiat cum aliquibus debitis conditionibus.n.11.
Sortes an licitè mitti poſſunt inter duos, qui in electione paria ſuffragia habuerunt. n.12 & ſequ.
Sors electionis S.Matthiæ in Apoſtolatu,quare licita fuit. n.14.
Per ſortem electio,quam in aliquibus Religionibus licita eſt, dùm iure Canonico expreſsè prohibetur.n. 15.
Sortes conſultoriæ, ad agnoſcendam in rebus dubijs diuinam uoluntatem,quando ſint licitæ,& quando ſuperſtitioſæ, & peccatum. n. 19.
Sortes conſultoriæ mittendorum, ad Indos E.g.licitè fieri poſſunt, quando dubitatur, quis eorum ſit mittendus. n.20.
Sortes conſultoriæ, quomodo mitti poſſunt, ad agnoſcendum,quiſnam Sanctus ſit ſuſcipiendus in Patronum Ciuitatis, uel in deuotum, & Protectorem alicuius particularis. n.21.
Sortes diuinatorię,per quas inquiruntur futuri euentus,uel manifeſtatio rei occultę,ſunt ſemper illicitæ,& ſuperſtitioſæ n.22.
Sortes diuinatoriæ aliquando continent malitiam,non ſolùm ſuperſtitionis,ſed etiam iniuſtitiæ.n.23.
Quare Ioſue iudicio ſortium puniuit Achan, qui erat delinquens occultus. n.24.
Sortes diuinatorię ſunt ſub pœna excommunicationis prohibitę.n.25.

Spatulantia.

Spatulantia eſt,qua,quis ex ſignis ſpatulę, ſeu dorſi, euentus hominis diuinat, de qua idẽ dicitur ac de Chyromantia, & Phyſiognomia. c.14.n.1.

Superſtitio.

Superſtitionis nomen undè dictum. c. 1.n. 1.
Quid eſt ſuperſtitio, & quotuplex. c.1. n. 1. & 2.
Superſtitionis ſpecies ſunt quatuor;nempè Indebitus cultus ueri Dei,Idololatria, Diuinatio,& uana obſeruantia. c. 1. n.2.
Superſtitio Indebiti cultus,uide Cultus ſuperſtitioſus Deo indebitus.
Superſtitio indebiti cultus Dęmonis, quæ dicitur Idololatria, uide Idololatria.

Superſtitio,quę dicitur Diuinatio. Vide Diuinatio.
Omnis ſuperſtitio, quæ hæreſim ſapit eſt caſus,ſpectans ad Tribunal Sancti Officij. c.2. n. 17.
Quiſnam ſuperſtitioſus ſit hæreticus, vel dę hæreſi ſuſpectus. Vide Hæreſis, & Hæreticus,Inuocatio Dæmonis, & Pactum cum Dæmone.
An ſint ſuperſtitioſi, qui dicunt, ſe videre humores,latentes in hominum corporibus, venas aquarum,& metallorum,& cadauera in viſceribus terræ. c.11.n.33.

Superſtitio cum abuſu ſacrarum rerum.

Sub nomine ſacrarum rerum, & uerborum, quid comprehenditur. c.22. n.1.
Superſtitio cum abuſu rerũ ſacrarum eſt ſortilegium qualificatum, manifeſtè hæreſim ſapiens; ſed abſq; tali abuſu eſt ſortilegium ſimplex,non hæreticale, niſi adſit pactum expreſſum cum Dæmone. n.2.
Applicans medicamentum naturale cum mixtione alicuius rei ſacræ, vel ſacrorum verborum tanquam circumſtantia neceſſaria, pro ſalute obtinenda, vel vt citius, aut certius ſit ipſa ſalus,eſt ſuperſtitioſus,& de hęreſi ſuſpectus. n.3. Secus verò ſi ex ſimplici deuotione. n. 4.
Qui ſolas res ſacras infirmo applicaret,abſq; naturali medicamento, exiſtimans per illas infirmum ſanaturum, eſſet ſuperſtitioſus, ſecus ſi per deuotionem. n.5.
Recitare certas orationes, vel aliqua Sanctorum nomina portare cum aliqua vana circumſtantia, credendo firmiter,ſic non eſſe aliquod malum paſſurum, eſt mortale peccatum ſuperſtitionis. Secùs ſi ex Sanctorum interceſſione, & abſque vana circumſtantia, hoc ſperaret. n.6.& 7.
Verbis ſacris ſerpentes incantare, credens, quòd certò ob illa verba ſerpentes incantentur, nullo habito reſpectu ad virtutem diuinam, eſt ſuperſtitioſus. n. 8. Similitèr vtens certis verbis,ne oues aliquid mali à lupis recipiant. n. 9. Vel ad curandos morbos ter dicens verba illa *Pſal.* 115. *Dirupiſti Domine vincula mea, &c.* n.10. Spem ſalutis in nudis verbis reponens. Secùs ſi ſpes ponatur in Deo. n.11.
Vana ſuperſtitio eſt credere, herbas collectas tali die,vel hora,maiori virtute, ad medendum,pollere. n.12. Proijcere in mare,vel in flumen imaginem alicuius Sancti, donec ceſſet tempeſtas,vel pluuia. n.13. Cingulos virgineos certis orationibus benedicere pro parturientibus, & morbo laborantibus. n. 14. Sanguinem non minuere, niſi in die certi Sancti. Vel in feſto S. Antonij, ad eius Templum nouies iumenta circumducere. Vel ex pecunia, Crucifixo oblata in die Veneris Sancti, annulum conficere, ad morbũ contracti nerui,ſeu membri curandum. Verùm ſi dictę circumſtantię, non tanquam efficaces adhibeantur, ſed vt intenſiùs ſe excitent, ad deprecandum Sanctum, vt ex ipſius interceſſione expectetur effectus, non erit ſuperſtitio. n. 15.
Superſtitio eſt,vti in Sacrificio Miſſę,circumſtantijs impertinentibus ad cultum diuinũ, tanquam neceſſarijs, ità vt ſi illę deficiant arbitretur,valorem ſacrificij diminui. n. 16. & 17.
Qui manus celeritate,& quadam arte,ob animi recreationem, & ad illudendos circumſtantes,aliquid efficit,quod videtur mirabile, etiamſi in efficiendo vtatur verbis ſacris, non eſt ſuperſtitioſus, dummodò ſacra verba non conuertantur in ludibrium. n. 18.
Eſt ſuperſtitioſum, tribuere Angelis Beatis alia nomina, pręter illa tria, Michael, Gabriel, Raphael. n.19.
Eſt ſuperſtitio hęreticalis: puellam virginem cum aliquibus circumſtantijs,ad inuenienda furta, dicere: *Angelo bianco, Angelo Santo, per la tua Santità, e mia Virginità, moſtrami chi hà tolto la tal coſa.* n.20.
Eſt ſuperſtitio hęreticalis dicere: Si N. Sanctus, vel Beatus eſt, liberet te Deus per illius interceſſionem. n.21.
Superſtitio facta cum hoſtia non conſecrata, ſupra quam celebrata ſit Miſſa, an ſit hæreticalis. n.22.& 23.
Superſtitio facta cum hoſtia non conſecrata, ſed in ea ſcripta ſint aliqua nomina, vel ſigna ignota, an ſit hæreticalis. n.24.
Quomodo agnoſci poteſt in abuſu ſacrorum verborum,& aliarum rerum, ineſſe tacita Dæmonis inuocatio. n.25.
Non eſt licitum, rebus uanis, & ſuperſtitioſis vti cum proteſtatione, non conſequendi effectum, ſi ex Dæmonis pacto ſit obtinendus. n. 26.
Eſt licitum dicta cautela uti, quãdo dubium eſt an obſeruationes uanæ ſint ſuperſtitioſæ, non autem quando vt tales cognoſcuntur. n.27. Ludus ille, qui dicitur, *Taſſa, Taſſa*, non eſt ſuperſtitioſus. n.28.

Superſtitio vanæ obſeruantiæ.

Quid eſt huiuſmodi ſuperſtitio, & in quo differt à Diuinationis ſuperſtitione. c.19. n.1. & 2.
Superſtitionis huius malitia conſiſtit in pacto expreſſo, vel tacito cum Dæmone, & cùm quis vtitur medijs à Deo non ordinatis, ad aliquid conſequendum. c.19. n.3.
Superſtitio hæc, ſiue ſit cum pacto expreſſo, ſiue

ue tacito cum Dæmone, ſemper eſt mortale peccatum. c.19.n.3.
Superſtitio vanæ obſeruantiæ excuſari poteſt à mortali, ob inaduertentiam, aut ignorantiam, dummodò hæc non ſit craſſa, uel ſupina. c.19.n.4.
Excuſari etiam poteſt à peccato, qui ea vtitur ad conuincendum, eſſe diabolicam inuentionem. n.eod.
In hac ſuperſtitione, an excuſat à peccato mortali paruitas materiæ, aliqui affirmant, alij verò negant. c.19. n.5.
Superſtitionis huiuſmodi ſunt multæ ſpecies, quæ numerantur. c.19. n.6.

Superſtitio vanæ obſeruantiæ, quæ dicitur Ars notoria.

Superſtitio hæc Artis notoriæ, eſt inefficax, & illicita inquiſitio ſcientiæ ſine labore, ſed quibuſdam medijs non habentibus virtutē, cauſandi illam, nec à Deo ordinatis, ad illā infundendam. c.20. n.1.
Vſus huius artis notoriæ, ad ſcientiam acquirendam, eſt ſuperſtitioſus, & peccatū mortale. c.20 n.2.
Scientiarum infuſio ſolùm à Deo obtineri poteſt, nō autem à Dæmone, qui ſolùm poteſt aliqua naturalia hominibus ignota, indicare. c.20.n.3.
Qui alicuius rei naturalis ſciētiam à Dæmone acquiſiuit, an poſſit illa uti, & alios docere. c.20. n.4.
Qui ſtudet quantum in ſe eſt, & ſimul ad diſponendum ſuum intellectum, ad ſcientiam acquirendam, vtitur vanis obſeruantijs, ſuperſtitionem committit. c.20.n.5.
Qui vtitur verbis illis *Pſal.50. Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi:* credens ex his verbis ſcientiam conſequi, eſt ſuperſtitioſus, & peccat mortaliter. c.20. n.6.
Appetere magicam ſcientiam, vt ea vti poſſit, eſt peccatum mortale: Secùs verò, qui illam appeteret, vt fallacias Dæmonis oſtenderet, & illam reprobaret. c.20.n.7.

Superſtitio vanæ obſeruantiæ ad ſanitatem obtinendam.

Obſeruationes per verba, vel ſigna, aut cæremonias vanas, ad curandos morbos, & vitā conſeruandam, ſunt ſuperſtitioſæ, & peccatum. c.21.n.1.
Adhibere medicamenta naturalia cum aliquibus verbis, vel characteribus, & vanis circumſtantijs, eſt ſuperſtitio, & diabolica deceptio. c.21.n.2.
In dubio an morbi expulſio, fuerit effectus naturalis medicamenti, an ex aliquo tacito pacto Dæmonis, quomodo eſt præſumendum? c.21. n.3.
Eſt ſuperſtitioſus modus ille medendi vulnera in loco diſtanti, applicando remedium lineis fruſtulis vulnerati ſanguinis tinctis. c.21. n.4.
Vtens hoc medendi modo, eſt denunciandus S. Inquiſitionis Officio. c.21, n.5.
Sunt aliqui habentes naturalem vim curandi aliquos morbos, ſolo tactu, vel ſaliua, nec ſunt ſuperſtitioſi, qui à Deo gratiam ſanitatis habent; ſicut Reges Galliæ, qui ſolo tactu ſanant ſtrumas. c.21.n.6.
Quomodo agnoſci poteſt, an iſti operentur virtute Dei, & non ex pacto Dæmonis. c.21. n. 7.

Superſtitio vanæ obſeruantiæ futuri euentus.

Coniectare ex aliquo fortuito accidenti bonū, vel malum futurum, eſt illicitum, & ſuperſtitioſum, & veniale peccatum. c.23.n.1.
Obſeruare dies, firmiter credendo eſſe ſibi futuros fauſtos, vel infauſtos, eſt ſuperſtitioſum peccatum mortale; ſed ineſſicaciter hoc ſuſpectare, eſt veniale. n.2.
Obſeruare dies, menſes, & annos, ad negotia aggredienda, non eſt illicitum, nec ſuperſtitioſum. n.3.
Mulierculę in nocte S. Ioānis Baptiſtæ recitātes aliquas orationes, vt eis manifeſtetur, cui nubendæ ſint, peccant ſuperſtitiosè, & mortaliter, niſi ex leuitate, vel ignorantia excuſentur à mortali. n.4.
Obſeruatio futuri euētus, prædicti ab homine, qui eſt morti proximus, non eſt ſuperſtitio. n.6.

Superſtitioſum maleficium.

Vide Maleficium.

T

Temperamentum.

Temperamentum corporis humani coniectare per aſtra, non eſt prohibitum. c.11 n.8. Similitèr per Phyſiognomiam, Chyromantiam, Metroſcopiam, & ſimilia. c.14. n. 2.
Ex hominis temperamento coniectari futura contingentia, & quæ pendent ex libero arbitrio, non eſt peccatum mortale. c. 11. n. 16.

Theſaurus.

Theſaurus, arte magica inuētus, ad quem ſpectat. c.24.n.32.
Theſaurus, arte magica inuentus, an debeatur Fiſco, ante Iudicis ſententiam. n.33.
Theſaurus, arte magica inuētus in fundo alieno, non conſentiente Domino, cui adiudicandus eſt? n. 34.

De-

Deferentes Sanctiſſimam Euchariſtiam,ad fugandos Dæmones,cuſtodientes theſaurum, incurrunt caſum reſeruatum cum excommunicatione.c.28.n.6.

Quare Deus nõ permittit, vt Dæmones theſauros abſconditos ſortilegis, & alijs detegent. c.24.n.31.

Timor.

Qui propter ſomniũ timet aliquod ſibi malum futurum, & ad illud vitandum aliquid operatur, non peccat mortalitèr, ſed tantũ venialitèr.c.12. n.17. Similitèr qui per augurium.c.13.n.6.

V

Vana obſeruantia.

Vide Superſtitio vanæ obſeruantiæ.

Vermes.

Quare venerandæ ſunt Sanctorum reliquiæ, & non vermes, qui ex eorum corporibus oriuntur. c.4. n.10.

Veſtes. & Vaſa ſacra.

Veſtes, & vaſa ſacra, & alia etiam inueterata, & fracta,diuino cultui dicata,in profanos vſus in eadem forma conuertere eſt graue peccatum. c.4. n.35. Secùs in alia forma.

Voluntas.

Actiones pendentes ex hominum voluntate, neq; certò, neq; probabilitèr futuras, vaticinari poſſunt,abſq;graui peccato. c.11. n. 15. coniecturalitèr verò tantùm prænunciari poſſunt.n.16.

Quare dictas actiones coniecturalitèr vaticinari poſſunt, & non probabilitèr. c.11. n. 17.

Prænuncians res pendentes ab hominis voluntate,vt certas, vel probabiles,eſt denunciandus,& puniendus à Tribunali S.Officij. c.11.n.18.

Voluntas hominis cogi non poteſt, ad libidinem per pocula amatoria, vel per alia maleficia. c.25.n.2.

Quare voluntas aliquorum, vi magicæ artis, aliquando ad libidinem deflexit. c. 25. n. 3. & 4.

Vulnus, & Vulneratus.

Vulneratus in duello, ſi moriatur ex ipſo vulnere poſt aliquos dies non eſt priuandus Eccleſiæ ſepulturæ, quamuis aliqui contrarium affirment. c.18.n.68.& 69.

Vulneratos mederi in loco diſtanti,applicando medicamentum lineis fruſtulis illius ſanguine tinctis, eſt ſuperſtitioſum. c.21. n.4. Et hoc medendi modo vtens, eſt denunciãdus S.Tribun.Inquiſit. n.5.

F I N I S.

Quamplurima, amice Lector, errata inuenies, in quibus, vel debita vocum terminatio ex vnius, vel alterius literæ falſitate violatur, vel rectus ſenſus, ex alicuius defectu dictionis deficiens conſpicitur. Quæ potuî huic correctioni ſubegi, cætera remittens pietati, ac prudentiæ Lectoris, qui condonare dignetur, & fallaci impreſſionis conditioni, & pluſquam ſenili meæ imbecillitati parùm ad omnia obſeruandum valenti, immò potius aliorum attentione indigenti.

Primæ Partis Errata corrige.

F. folium. C. columnam. L. lineam columnæ indicant.

F. 6.c.2.l.28.venerentur,vereantur. f.10.c.2.l.13.exercendo,excedendo. f.15.c.2.l.14.ſana,ſanè. f.17. c.1.l.17.decisionis,deciſiones. f.23.c.1.l 23.foueret,faueret. f.24.c.1.l.1.oblatū,oblatæ. f.30.c.1.l.26.Vrbano V I.Vrbano VIII.f.40.c.1.l.44.quàm,quem. f.44.c.2.l.5.ammiraſtonem,ammirationem. f.46.c.1.l.50.etiam,eorum. f.48.c 2.l.24.Idolatris,Idololatris. f.51.c.1.l.41.incenus,thus. f.57.c.1.l.34 illam, illum. f.62.c.2.l.40.idolotratam,idololatram.f. 63.c.1.l 49.eſt,ex. f.64.c.1.l.2.Sauſa,Souſa. f.73.c.1.l.1.puerteret,peruerteret. f.75.c.1.l.21.Gentile,Gentiles.f.84.c1.l.24.Areomantia,Aeromantia, c.2.l.12.transfigurat,transfigurant. f.97.c.2.l.33.Bullæ, Bulla. f.114.c.1.l.16.incedibilius,incredibilius. f.119.c.2.l.16.interuenire,interueniret.f.123.c.2.l.50. Inducit enim in teſtimonium, Inducit enim in teſtimonium,quod non eſt teſtimonium. f.135.c.2. l.11.operari, opinari. f.154.c 2.l.10. ſuperſtitiorum,ſuperſtitioſum. f.161.c.2.l.25.admiſſione,admiſtione.f.165.c.2.l.35 facta,ſurta. f.169.c.2.l.36 autem,aut. f.172 c.3.l.37.fide,fidei. f.177.c.1.l.5.verſu,verſa. f.188.c.2.l.18.puſuaris,poſueris. f.190.c.2.l.14.acquita,acquiſita.f.194 c.1.l.33.mox, non. f.196.c.2.l.32.tibi,ſibi. f 211.c.2.l.42.vtili,vtilis. f.212.c.2.l.29.abiuratio,adiuratio. f.214 c.2.l.51.illos,illas. fol.215.c.2.l.11.eijciunt,eijciant.f.216.c.2.l.10.opere,opem.f.217.c.2.l.8.vt idiota, & idiota.l.12.& à multis,vt à multis.f.220.c.2.l.45.illis,illius. l 47.maleficium, maleficum.

Errata in Indice rerum notabilium corrige.

V. verbum. L. lineam verbi indicant.

V. Ab ſoluere. l.26.maleficius,maleficus. l.28. Inquiſitione, Inquiſitore. v.Adiuratio l.28. intercedat, intercedant. v.Comparens ſponte l.7.diſpoſitio,depoſitio. v.Cultus non beatificatis l.46.lampadas, lampades. v.Decreta Alexandri VII.l.16.Summi Pontificis,Summo Pontifici. v.Decreta Concil.l.2.mitrare,mutare. v.Eccleſia l.10. idololatram, idololatrum. v.Epiſcopus l.6.Summo Pontifice, Summo Pontifici. v.Famulus l.1.aſſocians,aſſocians.v.Gentiles.l.27. ad eodem legem,ad eorum legem. v.Idololatria l.64.quàm alij,quàm alijs. v.Maleficium l.61.Si hoc hoc ſignū,ſi hoc ſignū,l.72.rextinguitur,extinguitur,l.73. ex caſu,ex vſu. v.Obſeruatio vana l.38 obſeruatione, obſeruatio. v.Omen l.16.Eliazer,Eliezer. v.Peccatum l.34.Diuinationes,Diuinationis. v.Phantaſia l 5.turbulantes, turbulentes. v.Phyſiognomia l.4.oculus,oculos. v.Receptatores l.16.Capones,Caupones.v.Remedia l.12.mortalia,moralia. v.Sors l.30. licitè eſt ab auctoritate,licitum eſt auctoritate,l.49.Apoſtolatu,Apoſtolatum. v.Superſtitio vanæ obſeruantiæ l.12, præſumendom,præſumendum. v.Vulnus l.3.ſepulturæ, ſepultura,

INDEX CAPITVM.

Cum ſuis Summarijs

SECVNDAE PARTIS DE SVPERSTITIONE.

De Sanctæ Inquiſitionis Miniſtris, & Superſtitionis Reorum adiudicatione.

C A P. I.

De Inquiſitorum S. Officij requiſitis. fol. 1. n. 1. & ſeq.

C A P. I I.

De Inquiſitorum S. Officij priuilegijs. fol. 2.

Auctoritas Inquiſitoris in cauſis S. Officij, eſt ne maior, vel minor auctoritate Ordinarij? fol. 3. n. 1.

Inquiſitores Regulares, quodnam ſpeciale priuilegium habent? fol. 3. n. 2. 3. & 4.

Inquiſitores poſſunt ne familiam habere armatam? fol. 4. n. 5. 6. & 7.

Poſſunt ne Inquiſitores carceres proprios pro reis S. Officij habere? fol. 5. n. 8.

Poſſunt ne Inquiſitores interpretari ſtatuta contrà hæreticos, & eorum fautores, & contrà eoſdem, edicta, inconſultò Epiſcopo promulgare? fol. 5. n. 9. & 10.

Inquiſitores poſſunt ne noua ſtatuta in ſuis Diœceſibus condere, augendo pœnas? fol. 6. n. 11.

Poſſunt ne Inquiſitores poſt ſententiam pronunciatam, rei pœnitentiam mitigare, aggrauare, vel commutare? fol. 6. num. 12.

In cauſis fidei, poſſunt ne Inquiſitores sũmariè, & de plano procedere abſq; Aduocatorum, ac iudiciorum ſtrepitu, ac figura? fol. 6. n. 13.

Inquiſitores habent ne facultatem abſoluendi hæreticum pœnitentem ab excommunicatione? fol. 6. n. 14. 15. 16. & 17.

Inquiſitores poſſunt ne delegare facultatem abſoluendi hæreticum occultum in foro conſcientiæ? fol. 7. n. 18. 19. & 20.

Inquiſitores poſſunt ne vices ſuas alijs delegare? fol. 8. n. 21. & 22.

Prohibitio legendi, ac retinendi libros hæreticorum, comprehendit ne Inquiſitores, & eorum Vicarios, ſeu Commiſſarios? fol. 10. n. 23. 24. & 25.

Inquiſitores habent ne facultatem concedendi alijs licentiam legendi libros hæreticorum? fol. 11. n. 26.

Inquiſitores, & alij S. Officij Miniſtri, poſſunt ne excommunicari, abſq; ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia à Prælatis, etiam Sedis Apoſtolicæ delegatis? fol. 11. n. 27.

Inquiſitor, & eius ſocius poſſunt ne ſe mutuo ab excommunicatione abſoluere, & in irregularitate diſpenſare in caſibus, in quibus poſſunt eorum Superiores abſoluere, & diſpenſare? fol. 12. n. 28. 29. 30. 31. & 32.

Inquiſitores, & eorum Miniſtri abſentes, poſſunt ne percipere diſtributiones quotidianas, ac ſi eſſent præſentes? fol. 12. n. 33.

Inquiſitores, & eorum Miniſtri, ſunt ne immunes ab omnibus datijs, gabellis, & grauaminibus? fol. 13. n. 34.

Inquiſitores, & eorum ſocij, ac cæteri Miniſtri Sanctæ Inquiſitionis, quas indulgentias in vita, & in morte conſequũtur?

tur?

tur? fol.13.num.35.& ſequ.

C A P. III.

De Iuriſdictione Inquiſitorum Sancti Officij,& eorum Commiſſariorum fol. 13.

Inquiſitorum Iuriſdictio eſt ne delegata, vel ordinaria? fol.13.n.1.
Inquiſitoris auctoritas in cōquirendis, & puniendis reis S. Officij, eſt ne maior, quàm Epiſcopi? fol.14.n.2.
Inquiſitorum Iuriſdictio extenditur ne aduerſus omnes perſonas in hęreſis crimine delinquentes? fol.14.n.3.
Quinam ſunt iſti, qui iuriſdictioni Inquiſitorum non ſubduntur? fol.14.n.4.vſq; ad 10.
Quinam dicuntur hæretici, contra quos iuriſdictionem habent omnes Inquiſitores? fol.16.n.11.12.& 13.
Quinam dicūtur hæreticorum credentes, qui iuriſdictioni Inquiſitorum ſubduntur? fol.17.n.14.
Quinam dicuntur hæreticorum receptatores ab Inquiſitoribus puniēdi? fol.17. num.15.
Quinam ſunt hereticorum defenſores, cōtra quos iuriſdictionem habent Inquiſitores? fol.18.n.16.17. & 18.
Quinam dicuntur hæreticorum fautores, Inquiſitorum iuriſdictioni ſubiecti? fol. 19.20. & 21.
Quinam ſunt de hæreſi ſuſpecti, qui iuriſdictioni Inquiſitorum ſubduntur? fol. 22. n.22.
Qui bis in eodem die celebrauit, extra diem Natiuitatis Domini, eſt ne de hæreſi ſuſpectus, & Inquiſitorum iuriſdictioni ſubditus? fol.24.n.23.
Inquiſitorum iuriſdictio extenditur ne ad cauſas criminales,& ciuiles ſuorum familiarium? fol.25.n.24.25. & 26.
Inquiſitores habent ne iuriſdictionem extrahendi ab Eccleſia, non ſolùm hæreticos,ſed etiam de hæreſi ſuſpectos? fol. 26.n.27.
Poſſunt ne Inquiſitores procedere contra reos S.Officij abſentes? fol.26.n.28.vſque ad 32.
Poteſt ne Inquiſitor procedere contra reum præſentem, qui deliquit extra ſuam iuriſdictionem,& in loco alterius Inquiſitoris, vel Epiſcopi? fol.27.n.33. 34.35.& 36.
Apoſtatæ ab ordine Clericali, vel à ſtatu regulari, ſubduntur ne Inquiſitorum iudicio? fol.28. n.37.
Turpes Quæſtuarij, qui modis illicitis eleemoſynas quærunt, ſubijciuntur ne Inqiſitorum iuriſdictioni? fol.29. n.38.
Inquiſitores poſſunt ne procedere contrà mortuos hęreticos, vel de hæreſi ſuſpectos? fol.29.n.39. & 40.
Quare in hoc Sacro Tribunali,etiam proceditur contra defunctos, & quonam modo contra eos proceditur? fol. 30. num.41.
Poſſunt ne Inquiſitores procedere contrà ſcientèr ſepelientes hæreticos, vel eorū credentes, fautores, & cæteros huiuſmodi in loco ſacro. fol.31. n.42. & 43.
Inquiſitores poſſunt ne procedere contra Iudæos,& Infideles? fol.32. n.44. vſque ad 57.
Poſſunt ne Inquiſitores procedere contra Iudæos,ad Saracenos tranſeuntes, & contra ipſos infideles? fol.34. num.58. & 59.
Poſſunt ne punire Inquiſitores iniuriātes ſeipſos. fol.35.n.60.
Regulares de hęreſi ſuſpecti ſubduntur ne Inquiſitorum iuriſdictioni? fol. 35. num.61.
Inquiſitorum iuriſdictio eſt ne eis conceſſa cumulatiuè, an priuatiuè cum Epiſcopis. fol.36.n.62.& 63.
Inquiſitoris iuriſdictio expirat ne ob mortem delegantis? fol.36. n. 64.
Inquiſitores, à quo,& quibus ex cauſis remoueri poſſunt,vel de vno in alium locum transferri? fol.36.n.65.66.& 67.
Inquiſitores ſub prætextu officij pecuniā extorquentes, quam pœnam incurrūt. fol.38.n.68. & 69.
Prælati negligentes punire Inquiſitores, & Commiſſarios, indebitè pecuniam extorquentes, ſunt ne ex præcepto denunciandi Sedi Apoſtolicæ? fol.38.nū. 70.& 71.
Si ſpontè via muneris offeratur pecunia, vel

vel quid ſimile Inquiſitoribus, & Cōmiſſarijs S.Officij,&iſti oblata recipiāt, incurrunt ne excommunicationem, & dictas alias pœnas. fol.39.n.72.
Inquiſitores, & Commiſſarij pecuniam extorquentes,ſed non prætextu S.Officij, incurrunt ne dictas pœnas? fol.39. num.73.
Epiſcopi prætextu S.Officij,pecuniam extorquentes, incurrunt ne cenſuras, ac dictas pœnas. fol.39.n.74.
Abſolutio huius excommunicationis, eſt ne Summo Pontifici reſeruata? fol. 39. num.75.
Si Inquiſitores, & Commiſſarij ſint pauperes,nec reſtituere valeant,poſſunt ne abſolui, non facta reſtitutione? fol.40. num.76.
Inquiſitores, & Commiſſarij non procedentes quando procedendam eſt contra inquiſitos in S. Officio, qua pœna puniuntur? fol.40. n.77. 78.& ſequ.

C A P. IV.

De Inquiſitorum Vicarijs foraneis,ſeu Commiſſarijs? fol.41.

Inquiſitorum Vicarij foranei, ſeu Commiſſarij,à quo eliguntur?fol.47.n.1.
Quas conditiones habere debent huiuſmodi Vicarij,ſeu Commiſſarij? fol.41. num.2.
Inquiſitor poteſt ne ſibi inſtituere plures Vicarios,ſeu Commiſſarios?fol.41.n.3.
Inquiſitores Regulares poſſunt ne inſtituere Vicarios ſuos,Regulares alterius ordinis,aut Clericos ſeculares? fol. 42. num.4.
Vicarij foranei inquiſitionis,electi à Sede Apoſtolica, & electi ab ipſo Inquiſitore, gaudent ne eadem facultate,& ijſdē priuilegijs? fol.42.n.5.
Prædicti Vicarij, à quo recipiunt iuriſdictionem ab ipſo Inquiſitore, an à Sede Apoſtolica?fol.42.n.6.
Prædictis Vicarijs, ſeu Commiſſarijs Inquiſitores, quam facultatem ſubdelegare,poſſunt? fol.43.n.7.& 8.
Prædicti Vicarij,ſeu Commiſſarij, poſſunt ne facultatem,ſibi conceſſam ab Inquiſitoribus,ſubdelegare alijs?fol.43.n.9.
Inquiſitorum Vicarij, ſeu Commiſſarij gaudent ne priuilegio, ſe ad inuicem ab excommunicatione abſoluendi, & diſpenſandi ab irregularitate? fol. 44. num.10.
Inquiſitorum Vicarij præcedere ne debēt Vicarios generales Epiſcoporum? fol. 44.n.11.
Vicarij prædicti, ſunt ne exempti ab obſeruantijs regularibus?fol.44.n.12.
Prædicti Vicarij, ſeu Commiſſarij ſi ſint Regulares, poſſunt ne à ſuis Superioribus Regularibus de loco ad locum moueri? fol.45. n.13.
Vicarij prædicti iuriſdictio expirat ne morte Inquiſitoris? fol.45.n.14.

C A P. V.

De Inquiſitorum Conſultoribus. fol. 45.

Quales eſſe debent Conſultores eligendi pro Tribunali S.Officij? fol.45.n.1.
Inquiſitores poſſunt ne ſibi eligere conſultores,& illos remouere?fol.46.n.2.
In quibus caſibus Conſultores vocandi ſunt ab Inquiſitoribus, & cogi poſſunt, vt eis aſſiſtant?fol.46.n.3.
Vota Conſultorum ſunt ne deciſiua, ita vt teneantur Inquiſitores illa ſequi?fol. 46.n.4.& 5.
Conſultores S.Officij pro eorum conſilijs, & laboribus,petere ne poſſunt aliquam mercedem? fol.47. n.6.
Conſultores,qua obligatione, & ſub qua pœna ſeruare tenentur ſecretum in cauſis S.Officij? fol.47. n.7.& 8.
Conſultor S.Officij in aliquo crimine delinquens,à quo eſt puniendus? fol. 48. num.9.
Quænam ſunt priuilegia Conſultorum S. Officij?fol.48.n.10.& 11.
Ex Conſultoribus poteſt ne aliquis eſſe Aduocatus Fiſcalis S. Officij, vel Aduocatus ipſius rei?fol.49.n. 12.

C A P. VI.

De Aduocato Fiſcali S.Officij. fol.49

In Tribunali S. Inquiſitionis, eſt ne dandus neceſſariò Aduocatus, ſeu Promotor Fiſcalis? fol.49.n.1.

A quo eligitur iſte Aduocatus Fiſcalis, & qualis eligendus eſt? fol.49.n.2.

Quodnam eſt munus Aduocati Fiſcalis S. Officij? fol.50.n.3.

In quibus actibus debent Aduocati Fiſcales eſſe præſentes cum *I*nquiſitoribus? fol.50.n.4.

Poteſt ne reus, Aduocatum Fiſcalem, tanquam ſuſpectum, recuſare ex cauſa inimicitiæ? fol.50.n.5.& 6.

Aduocatus, & promotor Fiſcalis S. Officij debent ne præſtare iuramentum calumniæ, ſi reus ab ipſis illud petat? fol.51. n.7.& 8.

Aduocatus, vel Promotor S.Officij poteſt ne appellare ab *I*nquiſitorum ſententia? fol.51.n.9.

Aduocatus, vel Promotor Fiſcalis S. Officij, tenetur ne recipere depoſitiones teſtium, tam quæ ſunt contra inquiſitum, quàm quæ in illius defenſionem? fol.52. n.10.

C A P. *VII.*

De hæretici, vel de hæreſi ſuſpecti Aduocato, & Procuratore. fol. 52.

*I*nqiſitores tenentur ne concedere de hæreſi inquiſito, Aduocatum, & Procuratorem? fol.52.n.1.2.& 3.

Munus huius Aduocati quale eſt? fol.53. num. 4.

Si nõ adeſſet, qui reum defendere vellet, poteſt ne *I*nquiſitor aliquem cogere, vt in illius cauſa patrocinetur, & iſte à quo erit ſoluendus? fol.53.n.5.

Quare ergo *in cap. fin. de hæreticis in 6.* cõceditur *I*nquiſitoribus, vt abſq; ſtrepitu iudicij, & abſque Aduocato in cauſis fidei procedere poſſint? fol.54.n.6.

Si conſtat inquiſitum eſſe hæreticum pertinacem, poteſt ne Aduocatus, eius cauſam patrocinari? fol.54. n.7.

*I*nquiſito de hæreſi, cui concedendus eſt Aduocatus, eſt ne ei concedendus, etiã Procurator? fol.54. n.8.

Si in hoc Tribunali inquiſitus, eſſet minor 25. annorum, eſſet ne ei dandus Curator? fol.54. n.9.

Aduocatus inquiſiti in S. Officio poteſt ne ad eius defenſionem ab Inquiſitorum ſententia appellare? fol.55. n. 10. & 11.

Poſſet ne de hæreſi condemnatus per definitiuam ſententiam, non per viam appellationis, ſed per viã quærelæ, & ſupplicationis, Superiorem adire, vt ſentẽtiam reuocet? fol.55.n.12.

A ſententia interlocutoria, conceditur ne appellatio? fol.56. n.13.& 14.

A quo Iudice cognoſcendum eſt, an cauſa appellationis ſit iuſta, vel friuola? fol.56. n.15.

Ab interlocutorijs ſententijs, ſeu decretis in cauſis fidei, datis ab Inquiſitoribus, ad quem appellatur? fol.56.n.16.

Appellatione admiſſa, ſi ex alia noua cauſa, & hæreſis ſuſpicione fuerit reus ipſe denunciatus, poteſt ne aduerſus eum in hac noua cauſa *I*nquiſitor procedere? fol.57.n.17.

*I*nquiſitor poteſt ne vt ſuſpectus recuſari? fol.57.n.18.19.& 20.

C A P. *VIII.*

De Cancellarijs, ſeu Notarijs S. Officij Miniſtris. fol. 58.

Cancellarij, ſeu Notarij S. Officij Tribunalis, à quibus eligi poſſunt? fol.58.n.1. & 2.

Religioſi poſſunt ne ab Inquiſitoribus ad Notarij officium creari? fol.58.n.3.

Notarius, qui in ſui creatione iam iurauerat, fideliter ſuum officium exercere, tenetur ne electus ab Inquiſitore, iterũ hoc iuramentum præſtare? fol.59.n.4.

Quodnam eſt munus Notarij huius Sãcti Tribunalis? fol.59.n.5.

Notarius huius Sancti Tribunalis, poteſt ne recipere ſalarium, ſeu mercedem ab inquiſitis? fol.59.n.6.

Notarij ſcribentes, vel præſtantes rei auxilium, conſilium, vel fauorem in cauſis ad S. Officium ſpectantibus, qua pœna puniuntur? fol.60. n.7.

Officium exercentes Notarij poſt ſuſpenſio-

ſionem, efficiuntur ne irregulares? fol. 61. n. 8.
Si teſtis neget depoſuiſſe, prout Notarius ſcripſit, cui magis credendum eſt Notario, an teſti? fol. 61. n. 9.
Notarius, qui inquiſito in hoc S. Tribunali, modum occultandi veritatem docet, vel aliquid ab illius proceſsu lacerat, quam pœnam incurrit? fol. 61. n. 10.

C A P. IX.

De Inquiſitorum ſocijs, & Sacri Tribunalis Theſaurario. fol. 61.

Prælati Inquiſitorum Regularium tenentur ne ipſis Inquiſitoribus ſocios ad eorum ſatisfactionem deſtinare? fol. 61. num. 1.
Socius iſte poteſt ne, non obtenta, nec petita licentia ſui ſuperioris, Inquiſitorẽ Romam iturum, comitari, & ſecum ibi commorari? fol. 61. n. 2.
In Sacro Inquiſitionis Tribunali qualis eligendus eſt Theſaurarius, & quodnã eſt eius munus, & officium? fol. 61. n. 3.
Si Sancti Officij Theſaurarius ex pecunia fiſcali emat aliquid ſuo nomine, emptio cuiuſnam efficitur? fol. 62. n. 4.

C A P. X.

De Sacri Tribunalis familiaribus. fol. 62.

Familiares S. Officij quales, & vſq; ad quẽ numerum eligendi ſunt? fol. 62. n. 1.
Familiares iſti poſsunt ne deferre quocũque tempore arma prohibita? fol. 62. num. 2.
Gaudent ne hoc priuilegio deferendi huiuſmodi arma cæteri huius S. Tribunalis Miniſtri? fol. 62. n. 3.
Familiaris, qui inquiſitũ in S. Officio monet, ne capiatur, vt ſe abſcondat, vel fugiat, quam pœnam incurrit? fol. 63. n. 4.
Domini temporales, impedientes dictos familiares, ne arma deferant, poſsunt ne puniri ab Inquiſitoribus? fol. 63. n. 5.
Familiares Sanctæ Inquiſitionis ſeruitio deſtinati, delinquentes, ſiue in abuſu armorum, ſiue in alio criminali delicto, ad Sanctum Officium non ſpectante, poſsunt ne ab Inquiſitoribus puniri? fol. 63. n. 6.

C A P. XI.

De Sacri Tribunalis Cuſtodibus carcerum. fol. 63.

Cuſtodes carcerum, quales eligendi ſunt, & quomodo ſuum officium exercere debent? fol. 63. n. 1.
Cuſtos carceris, qua pœna puniendus eſt, ſi ſua culpa reus è carcere fugiat? fol. 64. n. 2. & 3.
Cuſtos, qui pretio corruptus, carceratum fugere dolo, permiſit, qua pœna eſt puniendus? fol. 64. n. 4.
In dubio an carceratus, ex oſtio aperto, incuria cuſtodis; an per inſidias, & cum ferro, aut clauibus adulterinis, aufugerit, quomodo præſumendum eſt? fol. 65. n. 5. 6. & 7.
In quo caſu excuſatur carcerum cuſtos à pœna ob carcerati fugam? fol. 65. n. 8.
Carcerum cuſtos carnalitèr cognoſcens mulierem carceratam, qua pœna punitur? fol. 65. n. 9.

C A P. XII.

De Iudice ordinario contra Maleficos & alios Sortilegos, & de hæreſi ſuſpectos. fol. 66.

Iudicium contra Maleficos, & quoſcumq; Sortilegos, ſpectat ne ſemper ad Epiſcopos, & Inquiſitores priuatiuè quoad Iudices laicos? fol. 66. n. 1.
In cauſis dubijs, an maleficium, ſeu ſortilegium hæreſis ſuſpicionem ſapiat, ad quem Iudicem ſpectat huius cauſę deciſio? fol. 67. n. 2.
Inquiſitor, vel Epiſcopus, poteſt ne ſub cẽſuris, cogere Iudicem laicum, vt ſibi remittat maleficam, vel quemlibet ſortilegum carceratum, cum ſuo proceſsu, & ſcripturis, vt de maleficijs, ac ſortilegijs illum iudicet, ac puniat? fol. 67. nu. 3. & 4.

Sicut poteſt Iudex fidei, Magiſtratum ſecularem compellere, vt ſibi exhibeat maleficos, & reos de hæreſi ſuſpectos: poteſt ne vice verſa Magiſtratus ſecularis, Iudicem fidei compellere; vt ſibi exhibeat reos, qui ſecularia delicta cõmiſerunt, vt illos puniat? fol. 68. n. 5.

Facta Inquiſitori remiſſione maleficæ, vel ſortilegi, poteſt ne Iudex laicus, vlterius in illius cauſam procedere? fol. 68. n. 6.

Reus cõdemnatus ab Inquiſitore ad carcerem, vel ad triremes, eſt ne remittendus, vt à Iudice laico pro alijs delictis puniatur: ſi pro hac remiſſione impediatur executio ſententiæ Inquiſitoris? fol. 68. n. 7.

Reus, qui à Iudice laico reperitur, penès ſe retinere in tortura ſortilegium taciturnitatis, ad reticendam veritatem, poteſt ne etiam de hoc crimine ab ipſo Iudice iudicari, & puniri? fol. 68. n. 8. 9. vſq; ad 12.

Eſt ne licitum Iudici laico mandare, vt corpus rei totum abradatur, & lauetur, quando ipſe Iudex aduertit, illum ſuſtinere tormenta, ex diabolico maleficio, ſine dolore? fol. 69. n. 13.

Retinens ſchedulam continentem ſortilegium, eſt ne ſuſpectus de illius vſu, & ſi neget vſum; eſt ne de hæreſi ſuſpectus. fol. 79. n. 14. & 15.

Inquiſitores permittere ne poſſunt, quod Iudices laici ſecum aſſiſtant in cauſis fidei. fol. 70. n. 16.

Poſt rei ſententiam pronunciatam, expirat ne Inquiſitoris iuriſdictio in eadem cauſa? fol. 70. n. 17.

Inquiſitores habent ne iuriſdictionem ſuper reos pœnitẽtes, dùm habitum pœnitentiæ geſtant, vel dùm pœnitentiam impoſitam exequuntur. fol. 71. n. 18.

Si plures Inquiſitores pro vna Prouincia eligantur, poteſt ne quilibet eorum independentèr ab alio procedere contra ſortilegos, & alios hæreticos, vel de hęreſi ſuſpectos? fol. 71. n. 19.

Contra lamias, & ſortilegos, ac etiam cõtra alios hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, ad quid poteſt, vel non poteſt procedere Inquiſitor ſine Epiſcopo ordinario, vel Epiſcopus ordinarius ſine Inquiſitore? fol. 72. n. 20. vſque ad 27.

Inquiſitor ſolus, vel ſolus Epiſcopus, poteſt ne ſententiam abſolutoriam ferre. fol. 74. n. 28.

Sunt ne aliqui caſus, in quibus Epiſcopus ſine Inquiſitore, & Inquiſitor ſine Epiſcopo procedere poſſunt, tàm ad torturam, quàm ad definitiuam ſententiã. fol. 75. n. 29.

Solus Epiſcopus, vel ſolus Inquiſitor, poteſt ne mitigare, vel mutare pœnam, delinquenti impoſitam in S. Officio. fol. 75. n. 30.

Si Epiſcopus, & Inquiſitor diſcordant in his, ad quæ ambo concurrere debent, quid eſt agendum. fol. 75. n. 31. & 32.

Vicarius Generalis Sedis vacantis, eſt ne Iudex ordinarius, ſimul cum Inquiſitore in cauſis S. Officij? fol. 76. n. 33.

Inquiſitores poſſunt ne per cenſuras cõpellere Iudices laicos, negligentes exequi ſententiam latam contra ſortilegũ hæreticum, vt eã executioni mandent? fol. 76. n. 34. & 35.

CAP. XIII.

De obligatione denunciandi ſortilegum, & de hæreſi ſuſpectum? fol. 77.

Differt ne denunciator ab accuſatore? fol. 77. n. 1.

In quo differt denũciatio iudicialis, à denunciatione charitatiua, & regulari? fol. 77. n. 2.

Quoſnam maleficos, & ſortilegos, tenetur quis denunciare, & ſub qua pœna? fol. 78. n. 3.

Tenetur ne quis denunciare maleficum, & quemcumq; ſortilegum de hæreſi ſaltèm ſuſpectum, ſi illius crimen probare non valet. fol. 79. n. 4.

Huiuſmodi denunciatio fieri ne debet, abſq; præuia correctione fraterna? fol. 79. n. 5. & 6.

Sortilegus, vel quilibet de hæreſi ſuſpectus, ſi credatur emendatus, eſt ne denunciandus? fol. 80. n. 7. 8. 9. & 10.

Quandonam rationabilitèr cenſeri poteſt, delinquentem huiuſmodi eſſe emendatum,

tum,

tum, itaut ceſset obligatio, illum *In*quiſitoribus denunciandi? fol.81.n.11.

In dubio an delinquens ſit emendatus, vel recidiuus, eſt ne omninò denunciãdus? fol.82.n.12.

Tenetur ne filius denunciare patrem, vel matrem, & mater, & pater filiũ, & vxor virum, & vir vxorem, & frater, fratrem de commiſſo maleficio, & de hæreſi ſuſpicione? fol.82.n. 13.

Excuſatur ne quis à dicta denunciatione ob metum damni proprij, vel alterius ſanguine coniuncti, aut amici? fol. 82. n.14.15.& 16.

Tenetur ne quis denunciare perſonas de hæreſi ſuſpectas, quæ ſunt exemptæ à iuriſdictione Inquiſitorum, & Epiſcoporum, ſi illas Summo Pontifici denũciare non poſſit? fol.83.n.17.

Sciens ſub ſigillo ſecreti, aliquem eſſe magum, vel ſortilegum, vel quouis modo ſuſpectum de hæreſi, tenetur ne illũ denunciare? fol.83.n.18.19.& 20.

Qui cum iuramento promiſit ſeruare huius criminis ſecretum, tenetur ne illud denunciare? fol.84.n.21.

Qui crimen ſortilegi, vel alterius de hæreſi ſuſpecti nouit ex conſultatione ſecreta, extrà confeſſionem ſacramentalem, ſed ordinata ad ipſam confeſſioné, tenetur ne illum denunciare? fol.85. num. 22.

Aduocatus, vel Medicus, vel quilibet vir doctus, aut valdè amicus, cui delinquens ſuum delictum ſub ſigillo ſecreti aperuit, conſilium, vel auxilium petens, debet ne illum denũciare? fol.85. num.23.

Qui literas delinquentis aperiendo, vel aliquem per vim, & metum ad reuelãdum, compellendo, criminis illius notitiam accepit, tenetur ne illum ſecretò retinere, an Iudici denunciare? fol.86. num.24.

Sciens ex aliorum auditu, aliquem eſſe magum, vel ſortilegum, vel quomodolibet de hereſi ſuſpectum, tenetur ne illum Inquiſitori, vel Ordinario denunciare? fol.86.n.25.& 26.

In caſibus ad S.Officium ſpectantibus, tenetur ne delinquens denunciare ſe ipſum? fol.87. n.27.

In dictis caſibus criminoſi tenentur ne denunciare complices, non denunciãdo ſe ipſos? fol.87. n.28.& 29.

Tenetur ne quis S.Officio denũciare mulierem, quæ ex ſimplicitate, & ignorantia commiſit ſortilegium hæreticale? fol.88.n.30.

Mulier malum nomen maleficæ habens, & ad quam plures concurrunt pro maleficijs, ſed re uera non apparet, ipſam eſſe maleficam, ſed tantùm ſimplices, ſuperſtitiones facere, eſt ne denuncianda? fol.88. n.31.

Qui per impotentiam, vel per ignorantiã edicti Inquiſitoris non denunciauit delinquentem intrà terminum præfixum, tenetur ne poſteà illum denũciare, ſtatim, vel intrà eundem terminum, quem ædictum ſignauerat? fol.88. nu.32. 33. & 34.

Tenetur ne quis præuenire tempus denunciationis, ſi timet impedimentum in tempore præſcripto in Inquiſitorũ edicto? fol.89.n.35. & 36.

Denunciationes ſupradictæ ſunt ne faciẽdæ neceſſariò ante confeſſionem, vel ſufficit ſi pœnitens illas facere promittat, poſt eius abſolutionem? fol.89.nu. 37.& 38.

Si ædictum circa denunciationes, ab Inquiſitorum, & locorum Ordinarijs, nõ publicetur, tenetur ne quis ſub pœna excommunicationis, denunciare delinquentes? fol.90. n.39.

Qui non denũciauit, & excommunicationem incurrit, ſi promittat illicò denunciare, poteſt ne abſolui virtute Cruciatæ? fol.91.n.40.

Qui non denunciauit ſortilegum hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, quando tenetur, eſt ne ipſe de hæreſi ſuſpectus, & vt hæretici fautor æſtimãdus, ac puniendus? fol.91.n.41.42.& 43.

Qui tenetur denunciare, & non denũciat, eſt ne ſuſpectus de hæreſi violentèr, vel leuitèr? fol.92.n.44.

Suſpicio hæreſis, quænam dicitur modica, ſeu leuis, quænam vehemens, ſeu magna, & quænam violenta, ſeu maxima? fol.92. n.45.

Quiſnam præſumitur de hæreſi ſuſpectus, vel

vel leuitèr, vel vehementèr, vel violentèr? fol. 92. n. 46. & 47. & 48.
Omittentes denunciare, qui denunciare tenentur, quam pœnam incurrũt? fol. 94. n. 49.
Denunciatio quomodo facienda eſt, vt quis à Confeſſario poſſit abſolui? fol. 94. n. 50.
Si quis nollet ſuam denunciationem ſubſcribere, eſſet ne alicuius momenti eius denunciatio? fol. 94. n. 51.

C A P. XIV.

De modo procedendi contra ſortilegos, & de hæreſi ſuſpectos. fol 95.

Cõtra Sortilegos, & Magos, poteſt ne Inquiſitor procedere ſummariè ſimplicitèr, & de plano, & abſque iudicij ſtrepitu, vel figura? fol. 95. n. 1. & 2.
Quid importat procedere, ſummariè, ſimplicitèr, & de plano, abſque ſtrepitu, & figura iudicij? fol. 95. n. 3. & 4.
Quotuplicitèr in iudicio contrà ſupradictas perſonas procedi poteſt? fol. 96. num. 5.
Quonam modo proceditur per viam accuſationis in S. Tribunali Inquiſitionis. fol. 96. n. 6.
Si accuſator verè ſe inſcripſit, & ad pœnã talionis ſe obligauit; qua pœna eſt puniendus, ſi in probatione defecerit? fol. 96. n. 7.
Inimicus capitalis, poteſt ne admitti in dicto crimine, tanquam accuſator? fol. 97. n. 8. & 9.
Accuſator poteſt ne deſiſtere ab accuſatione incepta. fol. 97. n. 10.
Si accuſator poſt factam rei accuſationẽ, velit ab illius accuſatione deſiſtere, eſt ne ab Inquiſitore exaudiendus? fol. 97. num. 11.
Si teſtes producti ab accuſatore contra reum, vel nihil probent, vel non plenè, delictum: poteſt ne aliquando Inquiſitor, conſulere accuſatori, vt deſiſtat, vel amoueat verbum accuſationis, & apponat denunciationis. fol. 98. n. 12.
In cauſis ad S. Officium ſpectãtibus, inhabilis admittitur ne ad accuſandum? fol. 98. n. 13.
In hoc S. Tribunali accuſator habetur ne loco teſtis, vt denunciator? fol. 98. n. 14.
In dicto S. Tribunali quomodo inſtituenda eſt accuſatio? fol. 98. n. 15.
Si reus petat exprimi diem, & horam cõmiſſi delicti, vt probet ſe tũc fuiſſe abſentem, eſt ne cogendus accuſator illas exprimere? fol. 98. n. 16.
Accuſator, vt rei delictum probet, & calumniator non cenſeatur, quid ſufficit? fol. 99. n. 17.
Frequentiſſimus modus procedendi in S. Officio, eſt per viam denunciationis, quid ergò eſt denunciatio iudicialis? fol. 99. n. 18.
Denũciatio facta in ſcriptis, ſine ſubſcriptione denunciantis, ſi in ea nominentur teſtes; eſt ne ab Inquiſitore recipienda, vt teſtes nominati examinentur? fol. 99. n. 19. & 20.
Si denunciator conuincatur, falſum denũciaſſe, qua pœna eſt puniendus? fol. 100. n. 21.
Quonam modo Inquiſitores procedunt in cauſis fidei per viam Inquiſitionis? fol. 100. n. 22.
Inquiſitores in cauſa ſuſpecti de fide, poſſunt ne procedere ad inquirendum, ex leui ſuſpicione, & ſine præcedente infamia? fol. 101. n. 23. 24. 25. 26. & 27.
Quænam dicitur ſuſpicio leuis, & modica, quænam magna, & vehemens, & quænam maxima, & violenta? fol. 102. n. 28. 29. & 30.
Vt ritè procedatur in cauſis contra Lamias, ſeu Striges, aut alios ſortilegos, & maleficos, conſtare ne debet de corpore delicti? fol. 103. n. 31. 32. & 33.

C A P. XV.

De Citatione, Captura, & Carceratis in Tribunali S. Officij. fol. 104.

Quid, & quotuplex eſt citatio? fol. 104. num. 1.
Ad citationis validitatem, quæ requiruntur? fol. 104. n. 2.
In citatione eſt ne explicanda cauſa ipſius citationis. fol. 104. n. 3.
Requiritur vna, vel triplex citatio, & qua

forma fieri debet, & quantum ſit neceſſariò facienda, & quonam modo? fol.105.n.4.5.& 6.

Eſt ne adhibenda fides Nuntio atteſtanti, ſe citaſſe reum, & illum inueniſſe, vel non inueniſſe? fol.105.n.7.

Si in reuiſione proceſſus oriatur aliqua difficultas circa citationem rei, eſt ne præſumendum illam præceſſiſſe? fol. 106.n.8.

Inquiſitor poteſt ne citare, & capere reum ſubditum extrà ſuum territorium? fol. 106.n.9.

Ad condemnandum reum contumacem, vel hæreticum formalem abſentem, quot citationes neceſſariò requirũtur? fol.106.n.10.

Citatus ad reſpondendum de fide, ſi per annum integrum, nullo allegato impedimento, reſpondere neglexerit, habetur ne pro confeſſo, & condemnari debet tanquam hæreticus? fol.106.n.11. & 12.

Citatus ab Epiſcopo, & ab Inquiſitore ad reſpondendum in cauſa fidei, coram quo comparere debet? fol.107. n.13. 14.15.& 16.

Supradicta ſunt ne etiam dicenda de Inquiſitorum, Vicarijs, ſeu Commiſſarijs: itaut ſi Epiſcopus, & Inquiſitoris, Vicarius aliquem citent in cauſa fidei, Vicarij citatio præferenda ſit citationi Epiſcopi? fol.108. n.17.

Inquiſitor poteſt ne rei capturam præcipere ſine Epiſcopo? fol.108. n.18.

Inquiſitores, vt ritè, ac rectè ad reorum capturam procedant, quid ſeruare debent? fol.108. n.19.

Teſtimonium vnius contra reum, eſt ne ſufficiens, ad illius capturam? fol.109. n.20.

Quæ indicia requiruntur ad huiuſmodi rei capturam? fol.109.n.21.

Quomodo ſe gerere debet Inquiſitor in carceratione Strigis, ſeu Lamię, & Maleficæ? fol.110.n.22.

Maleficæ, & Sortilegi poſſunt ne capi in Eccleſia, vel gaudent immunitate? fol. 110.n.23.

Huiuſmodi rei in carcerem coniecti, & cauſa pendente, ſunt ne diebus feſtiuis ad Miſſam audiendam admittendi? fol. 110.n.24.

Inquiſitores poſſunt ne capere reum in alieno territorio? fol.111.n.25.

Si aliqua perſona inſignis, vel auctoritatis ſit capienda, nempè Religioſus, nobilis, litteris conſpicuus, incorruptæ vitæ, aut bonæ famæ, in eius captura, quid ſeruare debet Inquiſitor? fol. 111. n.26.

Si contra reum, & plures complices, ſit ad capturam procedendum, ſufficit ne, vt conſignetur executori vnum mandatũ executiuum contra omnes? fol. 111. n.27.

Supradictum mandatum eſt ne reo oſtendendum ab executore? fol.111.n.28.

Executa citatione, ad quid tenetur Nuncius? fol.112.n.29.

Datur ne appellatio à captura, ſeu à carceratione? fol.112.n.30.

Inquiſitus in S. Officio frangens carcerẽ, & fugiens, habetur ne pro confeſſo de crimine, ob quod ibi detinebatur? fol. 112.n.31.

Qua pœna talis fugitiuus in hoc Sancto Tribunali, eſt puniendus? fol.112.n.32.

Fugiens fracto carcere ab hoc Tribunali, incurrit ne pœnas Bullæ Pij V. *Si de protegendis*? fol.113.n.33.

Indebitè carcerati in carceribus S.Officij, ſi carcerem fregerint, & fugiant, ſunt ne puniendi? fol.113.n.34.

Quarè Striges, & Sortilegi non poſſunt ſuis vnctionibus ab ipſo carcere liberari? fol.113.n.35.

Carceris Cuſtos qua pœna puniendus eſt pro carcerati fuga? fol.113. n.36.

Carceratus, qui ad inſtantiam Epiſcopi, non habentis tutos carceres, recipitur, & retinetur ab Inquiſitore in carceribus ſuis; ſi ibi frangit carcerem, vel aliud committit delictum, & non poteſt fugere, eſt ne iudicandus ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore? fol.114.n.37.

Carceratus in S.Officio, qui ſe ipſum occidere tentauit, qua pœna, & à quo Iudice eſt puniendus? fol.114.n.38.

CAPVT XVI.

De ſpontè comparentibus in Tribunali S.Inquiſitionis? fol.115.

Quis nam dicitur in hoc S.Tribunali ſpôtè comparens? fol.115.n.1.
Spontè comparentes quomodo in hoc S. Tribunali tractantur? fol.115.n.2.
Spontè comparentes quomodo interrogandi,& admonendi ſunt ab Inquiſitoribus? fol.115.n.3.
Inquiſitor poteſt ne ipſe ſolus abſq; Notario recipere confeſſionem spontè cõparentis? fol.116.n.4.& 5.
Spontè comparitio Confeſſarij ſollicitantis, poteſt ne ab Inquiſitore ſine Notario,& ſine ſcriptis recipi? fol.116. n.6.
Spontè comparens, ſed volens detegere crimen ſuum per modum confeſſionis ſacramentalis,eſt ne ab Inquiſitore admittendus ad illius ſacramentalem cõfeſſionem? fol.116.n.7.
Spontè comparens, ſed nolens confirmare in ſcriptis ſuum delictum corã Notario,poteſt ne ad id ab Inquiſitore cogi? fol.117.n.8.
Spontè comparens non puro corde, ſed ſimulatè,& fraudulentèr,eſt ne recipiẽdus ad miſericordiam? fol.117.n.9.
Fictè ſpontè comparens, & abſolutionem recipiens ab Inquiſitore: ſi poſteà interius reſipiſcit,& verè ſe pœnitet, indiget ne noua abſolutione ab Inquiſitore? fol.117.n.10.
Comparens in S. Officio, non citatus, nec vocatus:ſed indicijs præuentus gaudet ne beneficio ſpontè comparentium? fol.118.n.11.
Comparens in S.Officio non vocatus, nec citatus,ſed præuentus quoad vnum delictum: & ille non ſolum hoc; ſed alia delicta, de quibus nullo modo erat præuentus, fatetur ſpontè, gaudet ne beneficio ſpontè comparentium? fol. 118.n.12.
Quænam ſunt pœnæ, quæ euitantur in hoc S.Tribunali à ſpontè comparentibus? fol.118.n.13.
In abſolutione ſpontanei comparẽtis, debet ne Inquiſitor apponere conditionẽ: dummodò ex corde ad fidem redierit, & iniunctam pœnitentiam ſeruauerit? fol.119.n.14.& 15.
Quodnam eſt tempus gratiæ,quod Inquiſitores cõcedere aliquando ſolent ſpõtè comparentibus? fol.119.n.16.
Spontè comparens non eſt, qui vocatus, vel monitus comparet:quarè ergò habetur pro ſpontè comparente, qui monitus in generali Inquiſitorum ædicto comparet? fol.119.n.17.
Spontè comparens elapſo hoc tempore gratiæ, gaudet ne impunitate ſpontè comparentium?fol.119.n.18.
Quandonam Inquiſitores concedere poſſunt hoc tempus gratię ſpontè comparentibus? fol.119.n.19.
Lamia, quæ commiſit infanticidium, vel aliud immane delictum,ſpontè comparens in S. Officio, gaudet ne beneficio ſpontè comparentium? ſol.120. n.20.
Lamia ob infanticidium,vel aliud graue delictum à Iudice ſeculari in carceribus detenta; ſpontè Inquiſitori ſuum delictum fatendo, euadit ne pœnas ſibi debitas à foro ſeculari? fol. 121. n.21.
Quomodo ſe gerere debet Inquiſitor cum poligamo ſpontè comparẽte, dum agitur de diſſolutione matrimonij? fol. 121.n.22.23.& 24.
Qui iam vocatus ad iudicium huius Sancti Tribunalis ſtatim comparet, & metu probationum, ſpontè ſua crimina confitetur, ad quam miſericordiam eſt admittendus? fol.122.n.24.
Relapſus non vocatus,nec citatus,nec denunciatus, ſpontè comparens, & veniã petens:eſt ne ab Inquiſitore miſericordiam conſecuturus?fol.122.n.25.
Sortilegus hæreticalis,vel quilibet hæreticus, qui abuſus fuit Sacramentis Euchariſtiæ, vel Baptiſmi, vel Extremæ Vnctionis, ſpontè comparens, gaudet ne impunitate ſpontè comparentium? fol.123,n.26.& 27.
Sortilegus,qui alios docuit, ſortilegia, & maleficia efficere, ſpontè comparens, eſt ne ſimiliter ad veniam,& miſericordiam admittendus? fol.123.n.28.
Sortilegus,ſeu quilibet hæreticus,vel de hæreſi ſuſpectus, qui ſciens eſſe quampri-

primum denunciandus, denunciantem præuenit,comparendo, & ſuum crimen Inquiſitori integrè confitetur; dicitur ne ſpontè comparens? fol. 124. nu.29. & 30.

Sortilegus pœnitens, qui ſpontè, & non præuentus,vel ſpontè,& præuentus cõparet, eſt ne relinquendus impunitus, quando ad miſericordiam recipitur? fol. 124.n.31.

CAPVT XVII.

De ſpontè confitentibus in carceribus,fol.125.

Qui poſtquam ſunt in carceribus depræhenſi, ſpontè confitentur commiſſum ſortilegium, vel aliud delictum hereſim ſapiens; quomodo tractandi ſunt in hoc S.Tribunali? fol.125.n.1.& 2.

Spontè confitentibus, quid ab Inquiſitoribus iniungendum eſt? fol. 125. nu.3.

Reus captus ſi incontinenti confiteatur errorem ſuum ſpontè, poteſt ne obtinere veniam, iniuncta ſibi pœnitentia ſalutari? fol.126.n.4.

Si in carcerem deprahenſus, & teſtium depoſitiones ſint contra eum receptæ, ſpontè confiteatur,ſiue ſortilegium, ſiue aliud hæreticale delictum commiſſum,quas pœnas euadit? fol.126. n.5.

Videns ſe eſſe conuictum, & ad mortem condemnandum, ſi ex corde pœnitens confiteatur antè torturam ſuum delictum,euitat ne pœnam mortis?fol.127. n.6.

Qui in tortura confeſſus eſt ſuum delictũ, & poſt torturam ſpontè illud ratificat, recipitur ne ad miſericordiam,itaut nõ condemnetur ad mortem? fol.127.n.7.

Sortilegus hæreticus, impœnitens,& negatiuus, ſi priuſquam ad tabulatum producatur, vel in ipſo tabulatu producto,conuertatur,& ſe offerat abiurare ſuam hæreſim,& alias omnes; admittitur ne ad miſericordiam, itaut non tradatur Curiæ ſeculari? fol. 127. n.8.

Sortilegus hæreticus monitus,& remonitus,pertinax in ſua hæreſi: ſi poſt latam mortis ſententiam, & traditus Curiæ ſeculari,ad fidem conuertatur, eſt ne ad miſericordiam recipiendus? & quonam modo?fol.127.n.9.& 10.

Sortilegus hæreticus pertinax ſi poſtquã traditus eſt Curię ſeculari,dicit ſe pœnitere velle, & alios ſuæ hæreſis complices reuelare: eſt ne ad miſericordiã admittendus?fol.128.n.11.

CAPVT XVIII.

De ſortilegi, de hæreſi inquiſiti confeſſione ſacramentali, fol.128.

Sortilego de hæreſi in carceribus detento, eſt ne concedendus Confeſſarius quoties illum petierit? fol.128. n.1.

Quid eſt obſeruandum à Confeſſario in rei ægritudine, & articulo mortis? fol. 129.n.2

Si reus crimen hæreſis ſuum manifeſtauit Sacerdoti, non in ordine ad confeſſionem, & pœnitentiam, ſed ſub ſecreto, & proteſtatione illud nunquã reuelãdi, ſi producatur ipſe Sacerdos in teſtẽ,debet ne illud deponere, & veritatem reuelare?fol.129.n.3.

Si Confeſſarius, ſiue imprudenter, ſiue malitiosè, crimen delinquentis Inquiſitoribus reuelaret, eſſet ne ei adhibenda fides? fol.129.n.4.

Sortilegus, & quicunque hæreticus in mortis articulo conuerſus,confeſſus,& à Sacerdote abſolutus: ſi poſteà conualeſcit,cenſetur ne in hoc Sancto Tribunali,etiam abſolutus? fol.130.nu.5. cum ſeq.

Eſt ne in foro iudiciali procedendum cõtra ſortilegum, de hæreſi inquiſitum, defunctum,ſi plures teſtes deponant,cũ hæreticum impœnitentem deceſſiſſe, & Confeſſarius ſolus teſtetur, antè mortem illum pœnitentem abſoluiſſe? fol.131.n.8.cum ſeq.

CAPVT XIX.

De Teſtibus contra ſortilegos,& alios de hæreſi inquiſitos, fol.132.

Quinam teſtes in Sancto Inquiſitionis

 Tri-

Tribunali admittuntur, aut non admittuntur? fol. 132. n. 1. cum ſeq.

Teſtes infames, criminoſi, excommunicati, ſocij criminis, admittuntur ne ſine tortura? ſol. 132. n. 3.

Satellites, ſeu lictores, faciunt ne plenam fidem, vt teſtes in S. Officio? fol. 132. n. 4. cum ſeq.

Teſtes inhabiles, excommunicati, criminoſi, infames, ſocij criminis, admittuntur ne in S. Tribunali, non ſolum in defectum aliorum probationum, ſed etiam non exiſtente tali defectu? fol. 133. n. 6.

Duo ex his teſtibus inhabilibus in cauſis fidei, ſufficiunt ne ad plenam probationem, contra reum, & ad pœnam delicti ordinariam, ei imponendam? fol. 133. n. 7.

Duo teſtes, quorum alter ſit valdè dignus, & alter minus idoneus, ſufficiunt ne ad faciendam plenam probationem in cauſis fidei contra reum? fol. 134. n. 8.

Mulieres lamiæ, ſeu ſtriges, complices, ſeu ſociæ criminis, ſunt ne admittendæ in teſtes? fol. 134. n. 9.

Meretrices, & lenones admittuntur ne in hoc S. Tribunali in teſtes? fol. 134. n. 10.

Cæteri infamia laborantes, poſſunt ne in S. Officio in teſtes admitti? fol. 135. nu. 11. & ſeq.

Bannitus poſſet ne, vt teſtis in S. Officio admitti cùm ſaluo conducto Inquiſitoris? fol. 135. n. 13.

Teſtis periurus, & varius eſt ne in cauſis fidei admittendus? fol. 235. n. 14.

Iudæus, vel infidelis, aut hereticus, admittitur ne in S. Officio contra fidelem, & Chriſtianum? fol. 135. n. 15. cum ſeq.

Domeſtici, familiares, & ſerui admittuntur ne in teſtes in cauſis, ad Sanctum Officium pertinentibus, tàm contra, quàm in defenſionem inquiſiti? fol. 136 n. 18. & ſeq.

Conſanguinei, & affines contra eorum conſanguineos, & propinquos, in dictis criminibus teſtificantes, faciunt ne plenam probationem? fol. 137. n. 20.

Ad huius criminis probationem admittitur ne filius contra patrem, vxor contra maritum, & è contra? fol. 137. n. 21.

Minores, & impuberes poſſunt ne in cauſis fidei recipi, & cogi ab Inquiſitoribus ad teſtificandum? fol. 138. n. 22.

Quænam inimicitia obijci poſſet aduerſus teſtes in hoc S. Tribunali, vt ipſi à à teſtificando excludantur? fol. 138. n. 23.

Quibus ex cauſis oritur inimicitia capitalis, ob quam in hoc S. Tribunali repelluntur teſtes, à teſtimonio ferendo aduerſus inquiſitum? fol. 138. n. 24.

Quæ ſuperius dicta ſunt de inimicitia, admittunt ne aliquam limitationem? fol. 140. n. 25.

Quinam dicitur teſtis ſingularis? & eſt ne aliqua differentia inter teſtium ſingularitatem? fol. 140. n. 26.

Teſtes ſingulares ſingularitate adminiculatiua, vel diuerſificatiua quid probant? fol. 141. n. 27.

Teſtes idonei ſingulares, & fama, legitimè probata, de eodem commiſſo ſortilegio, ſufficiunt ne ad condemnandum reum? fol. 141. n. 28.

Duo teſtes legitimi, & non ſingulares in cauſis fidei, faciunt ne plenam probationem? fol. 141. n. 29 cum ſeq.

Si teſtis varius eſt, & contra prius eius dictum teſtatur, cui dicto ſtandum eſt, primò, an ſecundò? fol. 142. n. 31. cum ſeq.

Duo teſtes, omni exceptione maiores, deponentes de ſortilegio hæreticali diuerſo, dicuntur ne conteſtes, ſufficientes ad condemnandum ſortilegium pœna ordinaria? fol. 142. n. 33. cum ſeq.

Duo teſtes idonei, deponentes: aliquem commiſiſſe ſortilegium hæreticale; ſed deponentes de loco, & tempore diuerſo, ſunt ne conteſtes plenè probantes; itaut ſortilegus ad pœnam ordinariam condemnari poſſit? fol. 143. n. 35. cum ſequ.

Duo teſtes, quorum vnus deponens de ſortilegio hæreticali commiſſo tali loco, & tempore, & alter de eodem ſortilegio ſine expreſſione loci, & temporis, quia de his non recordatur, ſunt ne conteſtes, facientes plenam probationem ſufficientem ad condemnandum ſorti-

ſortilegum pœna ordinaria? fol. 144. n.38.

Plures teſtes omni exceptione maiores, ſed ſingulares, deponentes de ſortilegio hæreticali; ſufficiunt ne ad condemnandum ſortilegum pœna ordinaria? fol.145.n.59. cum ſeq.

Duo teſtes, vel plures, videntes per aliquod foramen (ſucceſſiuè vnus poſt alterum) committentem ſortilegium, ſeu aliquod maleficium, eo quod ſimùl videre non poſſent, ſunt ne cenſendi conteſtes, plenè probantes? fol.146. n.41.

Duo teſtes, omni exceptione maiores, cõteſtes, ſufficiunt ne ſemper, ad probandum hoc delictum? fol.146.n.41.cum ſequ.

In dubio an teſtes de diuerſis ſortilegijs, vel de vno deponant, cenſendi ne ſunt conteſtes, an ſingulares? fol.147.nu.44.

Conteſtes deponentes contra inquiſitum de ſortilegio hæreticali, vel de alio delicto, per eadem formalia verba, etiam in minimis circumſtantijs, faciunt ne plenam probationem? fol. 147. n.45.

Vnicus teſtis idoneus deponens contra ſortilegum, vel alium delinquentem, facit ne aliquam probationem? fol. 147. n.46.& ſeq.

Teſtis deponens contra ſortilegum de auditu quandonam plenè probat, & quãdo non? fol.148.n.48.cum ſeq.

Teſtes nominati in denunciatione facta in ſcriptis contra ſortilegum ſine denũciantis nomine, ſunt ne examinandi ab Inquiſitoribus? fol.149.n.51.

Ad veritatem dicendam in hoc S.Tribunali, poſſunt ne cogi omnes teſtes? fol. 149.n.52.

Teſtis vocatus ab Inquiſitoribus, ad teſtificandum contra aliquem, & non iuſtè impeditus, recuſans venire, poteſt ne haberi, & puniri, vt de hæreſi ſuſpectus, & hæretici fautor? fol.149.n.53.

Teſtis, qui in repetitione contrarium deponit de eo, quod prius dixerat, eſt ne torquendus, ad eruendam veritatem, & primò, an ſecundò dicto ſtandum? fol. 149.n.54.

Teſtis falſus tenetur ne cum periculo propriæ vitæ, vel famæ retractare ſuum teſtimonium, propter quod lædendus eſt proximus in vita, vel fama? fol.150. n.55.& ſeq.

Teſtis, qui ex ignorantia falſum depoſuit, & ob eius depoſitionem aliquis notabile damnum patitur, tenetur ne ad reſtitutionem? fol.152.n.59.

Teſtis, qui falſum depoſuit, quando reus iàm erat per alios teſtes conuictus, tenetur ne ad reſtitutionem? fol. 151. n.60.

Teſtis ab Inquiſitoribus citatus, ad teſtãdum, tenetur ne ad illos accedere, & veritatem teſtari? fol.151. n.61. cum ſequ.

Teſtis poteſt ne, ſe ſubtrahere à teſtimonio Inquiſitoribus ferendo contra delinquentem ob iuramentum, vel votum præſtitum de non teſtificando? fol.152. n.63.

Si teſtis in articulo mortis extraiudicialiter teſtetur contrarium illius, quod in iudicio cùm iuramento depoſuerat; tollitur ne iudicialis prima depoſitio per ſecundam extraiudicialem? fol.152 n.64.cum ſeq.

Qui ſcit aliquem eſſe, falsò accuſatum, vel denunciatum, tenetur ne in fauorem eius teſtificari; etiam cùm damno accuſatoris? fol.152.n.66.

Teſtes, quorum dicta nec ſunt contraria nec totaliter paria, ſed admittunt aliquam concordiam quid probant? fol. 153.n.67.

Teſtis, qui in confirmationem ſuæ depoſitionis alium nominat, ſed iſte poſtea vocatus, contrarium deponit, cuinam eſt credendum? fol.153.n.68.cum ſeq.

Vt teſtes ſint conteſtes quidnam requiritur? fol.154.n.70.

Teſtis pro ferendo teſtimonio, poteſt ne aliquid accipere, & illud iuſtè retinere? fol.154.n.71.cum ſeq.

CAPVT XX.

De Reorum defenſionibus in Tribunali S.Officij, fol.156.

Reis in Tribunali S.Officij ſunt ne concedendæ defenſiones, & tempus aptum ad

ad illas probandas, etiamſi illas non petierint? fol.156.n.1.
Reo confeſſo, vel conuicto ſunt ne dandæ defenſiones, tùm antè, tùm poſt ſententiam? fol.156.n.2.
Reus, qui re vera deliquit, poteſt ne ſuas defenſiones quærere ſine peccato? fol. 156.n.3.
Quænam defenſiones ſunt reis in S.Officio concedendæ? fol.157.n.4.
Eſt ne reo procurator neceſſariò concedendus? fol.157.n.5.cum ſeq.
In Tribunali S. Inquiſitionis admittitur ne Procurator, ad allegandas cauſas, ob quas reus eſt abſens? fol.158. n.10.
In defenſionem rei, eſt ne ab Inquiſitore admittẽdus articulus, quo probato, reſultaret etiam in defenſionem complicis abſentis? fol.158.n.11.
Poteſt ne reus ſuis defenſionibus renunciare, & Iudex hanc renunciationem acceptare? fol.158.n.12.cum ſeq.
Quando non timetur pœna grauis corporalis, ſed tantum iactura famæ, vel bonorum externorum, poteſt ne reus renunciare termino, ſibi à Iudice aſſignato, ad ſuas defenſiones probandas: & Iudex poteſt ne hanc renunciationem acceptare? fol.159.n.14.
Eſt ne aliquis caſus, in quo nullæ competant reo defenſiones? fol.159. n.15.
Hæreticis ſunt ne concedendæ defenſiones, vel negandæ? fol.160. n.16.cum ſequ.
Reus quandonam poteſt ſe defendere ob nullitatem proceſſus? fol.160.n.18.
Poteſt ne reus ſe defendere contra teſtes, qui contra eum depoſuerant? fol. 160. n.19.& ſeq.
In Tribunali S. Officij poteſt ne quis ſumere defenſionis argumentum ex eo, quod reus ſolitus non ſit contra fidem delinquere? fol.163. n.33.
Poteſt ne alligari in defenſionem rei minor ætas in S.Officio? fol.163. nu.34.& ſequ.
Vis, & metus excuſant ne ab hæreſi formali? fol.164.n.38.cum ſeq.
Qui finxit ſe Hæreticum, vel Maurum, vel Iudæum, & interius Chriſti fidem non negauit, poteſt ne hac ratione tueri vt mitius puniatur? fol. 165. nu.41. cum ſeq.
Poteſt ne reus tueri, vt ei mitigetur pœna ob ſortilegium amatorium, vi vehementis amoris factum? fol. 166. n.44.
Inquiſitus quomodo probare poteſt ſuam innocentiam? fol.166.n.45.
Inquiſitor poteſt ne ob aliquam cauſam à reo recuſari, ne ſit eius Iudex? fol.167. n.46.cum ſeq.
Datur ne appellatio à ſententia Inquiſitorum? fol.167.n.48.cum ſeq.
Sicut eſt interdicta appellatio à ſententia definitiua condemnationis, eſt ne etiam interdictus recurſus ad Sacram Congregationem Inquiſitionis, per viam querelæ, & ſupplicationis; vt ſententia data, quàm reus iniuſtam exiſtimat, reuocetur? fol.168.n.50.

CAPVT XXI.

De examine Reorum in Tribunali Inquiſitionis,

Quomodo examinandi ſunt huiuſmodi rei ab Inquiſitoribus? fol.169.nu.1.
Si reus in ſuo examine petat dilationem, ad reſpondendum, eſt ne ei illa concedenda? fol.169.n.2.
Tenetur ne Inquiſitor, antequam reum examinet, ei manifeſtare, quod legitimè eum interrogat? fol.169.n.3.
Inquiſitor poteſt ne licitè, reo promittere impunitatem, ſi veritatem ſui criminis negatam, fateatur? fol.169.nu.4. cum ſequ.
Inquiſitor ſi promiſit reo, ſeruare impunitatem, confitendo commiſſum delictũ, tenetur ne ſeruare illi fidem promiſſã? fol.170.n.8.cum ſeq.
Sortilegus, qui in ſuo examine fatetur, feciſſe ſortilegium, ſed cum proteſtatione, eſt ne cenſendus hæreticus? fol.172. n.12.& 13.
Ignorantia probabilis, ſeu inculpabilis, vel inuincibilis, excuſat ne reum ab hæreſi? fol.172.n.14.& 15.
Reus, qui ab Inquiſitore examinatur, tenetur ne veritatem fateri; itaut non poſſit, ad illam occultandam, neque anphi-

anphibologia vti? fol. 173. n. 16.
Reus legitimè ab Inquiſitore interrogatus, tenetur ne fateri veritatem, etiamſi ſit morte plectendus? fol. 173. n. 17.
Reus, qui dubitat, an Inquiſitor legitimè interroget, tenetur ne illi veritatem fateri? fol. 174. n. 19.
Inquiſitor agnoſcens reum, difficilem ad confitendum ſuum delictum, debet ne illi iuramentum imponere, vt veritatem fateatur? fol. 174. n. 20.
Reus, ſciens non conſtare in proceſſu de corpore ſui delicti, tenetur ne illud fateri? fol. 175. n. 21.
In Tribunali S. Officij quandonam confeſſio rei dicitur qualificata? fol. 175. n. 22.
Si reus non probet, qualitatem ſuæ intentionis fuiſſe bonam, & catholicam, quid eſt contra ipſum agendum? fol. 175. nu. 23. cum ſeq.
Reus, qui ambiguè, incertè, & æquiuocè Inquiſitori reſpondet, poteſt ne torqueri; vt clarè ſuum delictum fateatur; & quid agendum ſi ſit mutus, vel ſurdus? fol. 176. n. 25. cum ſeq.
Si reus reuocat confeſſionem factam in ſuo examine, eſt ne ab Inquiſitore admittenda illius reuocatio? fol. 177. n. 27
Si reus in S. Officio incidenter in ſuo examine confiteatur aliud delictum extra cauſam principalem, de qua agitatur, eſt ne de illo puniendus pœna ordinaria, an extraordinaria? fol. 177. n. 28.
Rei confeſſio facta per Iudicis ſuggeſtionem, quid contra ipſum reum operatur? fol. 178. n. 29.
Quando reus in renunciatione defenſionum ſe remittit benignitati, & miſericordiæ S. Officij, cenſetur ne fateri delictum? fol. 178. n. 30.
Confeſſio minoris, inquiſiti in S. Officio, eſt ne illi præiudicialis, ſi fiat ſine curatore? fol. 179. n. 31. cum ſeq.
Quomodo ab Inquiſitore examinandæ ſunt Lamiæ, ſeu Maleficæ? fol. 179. n. 34. cum ſeq.
Si Lamia, vel Sortilegus, vel quiuis alius confiteatur factum hæreticale; ſed neget intentionem, eſt ne ab Inquiſitore cenſendus hæreticus? fol. 179. n. 35.
Lamiæ, & Sortilegi dicentes, feciſſe maleficia, vel ſortilegia, ignorates eſſe cōtra fidem: debent ne Inquiſitores eis credere, & admittere talem excuſationem? fol. 180. n. 37. cum ſeq.

CAPVT XXII.

De Indicijs, ex quibus reus torqueri poteſt in Tribunali Sanctæ Inquiſitionis, fol. 180.

Quid, & quotuplex ſit indicium? fol. 180. n. 1. cum ſeq.
Sortilegus, vel Lamia, vel quilibet reus, ex indicijs indubitatis, poteſt ne damnari ad pęnam ordinariam, vel ſolum ad torturam? fol. 181. n. 3. cum ſeq.
Quænam indicia proxima, & quænam remota ſunt ſufficientia ad torturam? fol. 181. n. 5. cum ſeq.
Huiuſmodi indicia, vt ſufficiant ad reum torquendum, debent ne per duos teſtes probari? fol. 182. n. 7.
Si plura indicia remota ſint contra reum, & plures etiam teſtes; ſed omnes ſingulares, deponentes vnus de vno indicio, & alter de altero, & ſic de cæteris, ſunt ne ſufficientia ad torturam? fol. 182. n. 8. cum ſeq.
Depoſitio vnius teſtis, omni exceptione maioris, eſt ne indicium ſufficiens ad torturam, non ſolum inquiſiti malæ famæ, ſed etiam bonæ famæ? fol. 183. nu. 11. cum ſeq.
Depoſitio ſocij criminis, eſt ne ſufficiens indicium ad reum torquendum? fol. 184. n. 17.
Quænam ſunt hæc adminicula, quę requiruntur, vt dictum ſocij criminis ſit indicium ad torturam? fol. 18. cum ſeq.
Depoſitio duorum ſociorum criminis, eſt ne ſufficiens indicium, ad reum torquēdum? fol. 185. n. 20.
Si duo criminis ſocij non ſint conteſtes, ſed ſingulares, eorum depoſitio eſt ne indicium ad torturam? fol. 185. n. 21.
Depoſitio adminiculata ſocij criminis, qui habet plures defectus, eſt ne indicium ſufficiens ad reum torquendum? fol. 185. n. 22. cum ſeq.

De-

Depoſitio duorum ſociorũ criminis cõtra nominatum bonæ famæ, eſt ne indiciũ ſufficiens ad torturam? fol. 186. n. 24.
Socius criminis, qui nulla præcedente interrogatione, alios complices nominat, facit ne indicium ad torturam? fol. 186. n. 25.
Criminis ſocius ſi ad ſuggeſtionem Iudidicis nominet alium complicem, facit ne contra illum indicium ad torturam? fol. 187. n. 26.
Criminis ſocius, vt fidem faciat contra nominatos complices, debet ne torqueri: vel ſufficit, vt ipſe eius depoſitionẽ iuramento confirmet? fol. 187. n. 27.
Vt ſocij criminis depoſitio, alijs indicijs adminiculata, faciat plenum indicium ad torturam, quid amplius debent Iudices diligenter animaduertere? fol. 187. n. 28.
Socius criminis in cauſa fidei quiſnam dicitur? fol. 188. n. 29.
Mala fama, præbet ne indicium ſufficiens, vt Inquiſitores reum torquere poſſint? fol. 188. n. 30.
Vt maleficus, vel ſortilegus, vel quiuis alius de hæreſi ſuſpectus, ob malam famam torqueri poſſit, quæ requiruntur? fol. 188. n. 31.
Mala fama vehemens, eſt ne ſufficiens indicium ad torturam abſque alijs adminiculis? fol. 188. n. 32.
Quonam modo Iudex agnoſcere poteſt, malam famam eſſe vehementem? fol. 188. n. 33.
Mala fama illius, qui ob alia crimina eſt malæ vitæ, & deprauatis moribus, eſt ne indicium ſufficiens ad torturam? fol. 189. n. 34.
Bona fama inquiſiti, tollit ne indicium malæ famæ contra eundem? fol. 189. n. 35.
Mala fama alicuius criminis, de quo reus alias fuit infamatus, eſt ne indicium ad torturam? fol. 189. n. 36.
Mala fama quomodo probanda eſt, vt ſit indicium ſufficiens ad torturam? fol. 190. n. 37.
Mala fama, orta poſt carcerationem rei, ſi ſufficienter probetur, eſt ne indicium ſufficiens ad torturam? fol. 190. n. 38.
In delictis occultis, & difficilis probationis, ſola fama facit ne indicium ad torturam? fol. 190. n. 39.
Si teſtis dicat ſe audiuiſſe: ità publicè dici; vel ità eſſe publicam vocem, & famam: eſt ne admittenda talis teſtificatio, vt ſufficiens ad torturam? fol. 190. n. 40.
Si teſtes, deponentes ſuper mala fama, eſſent diuerſi, in nominibus perſonarum, à quibus illam audiuiſſent, vel in tempore, & loco auditus; probarent ne contra reum? fol. 191. n. 41. cum ſeq.
Fama, & vnicus teſtis, faciunt ne indicium ad torturam? fol. 191. n 43.
Criminis confeſſio ipſius rei, extraiudicialis, eſt ne indicium ſufficiens ad torturam? fol. 191. n. 44. cum ſeq.
Confeſſio extraiudicialis commiſſi criminis ſi non probetur per conteſtes, ſed per teſtes ſingulares, eſt ne indicium ſufficiens ad torturam? fol. 192. n. 46.
Confeſſio extraiudicialis per teſtes probata, ſi à reo negetur, eſt ne indicium ad torturam? fol. 192. n. 47.
Qui factum, vel dictum hæreticale confitetur extraiudicialiter, ſed negat intentionem habuiſſe hæreticandi, eius confeſſio eſt ne indicium ad torturam? fol. 192. n. 48.
Ob confeſſionem criminis extraiudicialẽ, in tortura iterum confeſſam, & confirmatam, poteſt ne quis ad pœnam ordinariam condemnari? fol. 193. n. 49.
Variatio, vacillatio, vultus mutatio, mendacium, rei, dum ipſe Iudici interrogãti reſpondet, eſt ne indicium ſufficiens ad torturam? fol. 293. n. 50. cum ſeq.
Minæ faciendi maleficium alicui, ſunt ne indicium ad torturam? fol. 194. nu. 54. cum ſeq.
Si penès Sortilegum, vel Lamiam inueniantur inſtrumenta magica, vel libri ſortilegia continentes, eſſet ne hoc indicium ad torturam? fol. 194. n. 56. cum ſequ.
Si huiuſmodi libros retineret aliquis Iudæus, eſſet ne etiam indicium ad torturam? fol. 195. n. 59.
Fuga malefici, aut ſortilegi, vel alterius delinquentis, eſt ne indicium ad torturam?

ram? fol. 195. nu. 60. cum ſequ.

Ex cõtumacia oritur ne indicium ad torturam contra delinquentem? fol. 196. n.66.

Dictum Dœmonis per Exorciſmos exortum, facit ne indicium ad torturam cõtra Lamiam, vel Sortilegum, ab eo nominatum? fol. 197. n. 67.

Depoſitiones de viſu duarum Lamiarum, atteſtantium, ſe vidiſſe inquiſitam in eorum conuentu Dœmoniaco, faciunt ne indicium ad torturam? fol. 197. nu. 68. cum ſeq.

Sunt ne alia indicia ad torturam contra Lamias, Sortilegos, & alios de hæreſi ſuſpectos? fol. 197. n. 70.

Leuia indicia contra reum, ſufficiunt ne ad illum torquendum? fol. 198. n. 71.

Conuerſatio cum hominibus infamatis de eodem genere delicti; eſt ne indiciũ ad torturam? fol. 198. n. 72.

Qui commiſſo maleficio confeſtim inſtat inquiri contra maleficum, quando ad eum hoc non pertinet, dat ne indicium aliquod, eum commiſiſſe delictum illud? fol. 199. n. 73.

Conſuetudo alicuius peccati, quod nam indicium eſt? fol. 199. n. 74:

Malum nomen alicuius, & mala illius phiſiognomia, eſt ne indicium alicuius delicti? fol. 199. n. 75.

Origo ex mala patria, in qua ſint multi ſortilegi, & natus ex malefica matre, quodnam indicium eſt? fol. 199. n. 76.

Stigma, ſeu ſignum, quod Diabolus ſuis Maleficis, & Lamijs, ſolet in aliqua parte corporis imprimere, quodnam indicium eſt? fol. 200. n. 77.

Muliercula, quæ vel ratione amoris, aut odij, vel ratione commodi, & vtilitatis cauſam habuit efficiendi alicui maleficium; talis cauſa eſt ne indicium commiſſi delicti? fol. 200. n. 78.

Inuentio maleficæ in loco infanticidij, vel alterius maleficij, eſt ne indicium ſufficiens ad torturam? fol. 200. n. 79.

Malefica, vel ſortilegus, ſæpè poſt ſui diffamationem, vel complicis capturam, habitationem mutans, eſt ne indicium ad torturam? fol. 201. n. 80.

Malefica, vel ſortilegus vtens quadam ſanctitatis oſtentatione externa, eſt ne indicium ſui delicti, & ad torturam? fol. 201. n. 81.

Si cadauer ex maleficio occiſi, coram malefico homicida, ſanguinem emittere incipiat, vel ex naribus, vel ex ore, aut ex alia corporis parte, eſt ne ſufficiens indicium ad torturam ipſius malefici? fol. 201. n. 82. cum ſeq.

Potens impedire maleficium, & non impediens, eſt ne indicium ad torturam? fol. 202. n. 85.

Sine legitimis indicijs, poteſt ne quis aliquandò torqueri? fol. 202. n. 86.

CAPVT XXIII.

De Tortura ſortilegi, & de hæreſi ſuſpecti.

Quid eſt tortura, & quando inferenda? fol. 203. n. 1. cum ſeq.

Epiſcopus ſine Inquiſitore, vel Inquiſitor ſine Epiſcopo Diœceſano, poteſt ne reum ad torturam exponere? fol. 203. n. 3.

In cauſis Lamiarum poſſunt ne procedere Inquiſitores ſine Epiſcopis Diœceſanis contra eas ad torturam? fol. 204. nu. 4.

Antequam reus torqueatur, eſt ne ei danda copia indiciorum, expreſſis etiam teſtium nominibus? fol. 204. n. 5. cum ſequ.

Eſt ne ab Inquiſitoribus admittenda rei appellatio à ſententia torturæ? fol. 205. n. 7. cum ſeq.

Eſt ne prohibitum torqueri in cauſis fidei omnes illas perſonas, quæ à iure torqueri prohibentur? fol. 206. n. 15. cum ſequ.

In cauſis ad Tribunal Sancti Officij ſpectantibus, ſunt ne torquendi minores annorũ 14. ſenes, mulieres pregnantes, à Dœmone obſeſſi, & laborantes febre quartana? fol. 207. n. 17. cum ſeq.

Minores annorũ 25. poſſunt ne in Tribunali Sancti Officij torqueri, non dato eis Curatore? fol. 208. n. 23. cum ſequ.

Quiſnam eſſe poteſt Curator minoris inquiſiti in dicto S. Tribunali? fol. 209. n. 26.

Curator poteſt ne eſſe præſens, quando minor à Iudice interrogatur, vel torquetur? fol.209.n.27.

Clerici, & Religioſi denunciati, & indiciati, ſed non diffamati,ſunt ne ab Inquiſitoribus torquendi?fol.210.nu.28. cum ſeq.

Confeſſarius eſt ne torquendus,ob denũciationem vnius fœminæ bonæ famæ, quod eam in confeſſione ad turpia ſollicitauit? fol.210.n.32.

Tortura eſt ne danda Confeſſario ſollicitante, nedum ad eruendam veritatem ſollicitationis, ſed etiam ſuper intentione,ſi ſit confeſſus,& conuictus? fol. 211.n.33.

Si Confeſſarius fateatur dixiſſe verba, quæ ſollicitationem important,ſed non habuiſſe intentionem ſollicitandi: eſt ne admittenda eius excuſatio, vel de hac ſua intentione torquẽdus? fol.211. n.34.

Eſt ne facilè deueniendum, ad reum torquendum, & quæ ſeruari debent in eius tortura? fol.211.n.35.

Sortilegus,vel quilibet alius conuictus de hæreticali actu, & negans habuiſſe intentionem contra fidem catholicam; eſt ne admittendus ad torturam,vt probare poſſit ſuam negatiuam intentionem? fol.212.n.36.cum ſeq.

Si reus coram Iudice laico factum hæreticale,à ſe commiſſum, fateretur ſpontaneæ,& abſque vllo metu,ſufficeret ne talis confeſſio Inquiſitori ad illum cõdemnandum, vel torquendum? fol.213 n.40.

Rei confeſſio à Iudice metu tormentorũ extorta,eſt ne valida,vel nulla? fol.213 n.41.

In tortura, quæ nam interrogationes rei faciendæ ſunt ab Inquiſitoribus? fol. 214.n.42.

Quæ interrogationes faciendæ ſunt Lamijs,quæ accedunt ad nocturnos ludos magicos, & cum Dæmonibus conueniunt,ac miſcentur? fol.214.n.43.

Si plures pro eodem crimine torquendi ſint, à quonam eſt inchoandum? fol. 215.n.44.

Quomodo ſe gerere debent Inquiſitores, quando vident reum, ſuſtinere ſine dolore torturam; & exiſtimant ſupra ſe habere maleficium taciturnitatis? fol. 215.n.45.cum ſeq.

Reus ſufficienter tortus ſi in negatiua perſtiterit, & poſteà noua indicia contra illum ſuperuenerint, eſt ne iterum torquendus? fol.216.n.47.cum ſeq.

Si reus fuit leuiter tortus, & indicia contra eum ſint valdè vrgentia, poteſt ne iterum torqueri, etiamſi noua non ſuperueniant indicia? fol.217.n.49.

Reus ſufficienter de delicto conuictus, ſi torquendus ſit ſuper intentione, & cõplicibus, quomodo ei danda eſt tortura, ne perſiſtendo in negatiua, purget probationes,quæ contra ſe extant? fol. 217.n.50.

Reus,qui ſufficienter tortus, noluit veritatem fateri,ſed illam omninò negauit, eſt ne indeciſè relinquendus; vel eius cauſa eſt debito fine terminanda? fol. 218.n.51.

In tormentis expoſitus reus ſi noluerit detegere veritatem, quomodo eſt dimittendus? fol.218.n.52.

Poſt torturam quid animaduertendum eſt circa reum ab Epiſcopo, & Inquiſitore? fol.218.n.53.

Ratificatio delicti commiſſi, & confeſſi in tortura, quomodo, & quando fieri debet? fol.218.n.54.& 55.

Si reus in tortura confeſſus ſit delictum, & deindè noluit illud ratificare,ſed cõfeſſionem factam reuocauit, poteſt ne iterum torqueri? fol.219.n.58.

Reus, qui bis tortus, bis confeſſus delictum, ſed bis etiam ſuam confeſſionem reuocauit,nolendo illam ratificare, eſt ne tertio torquendus? fol.219. n.59.

Reus tortus,& negatiuus, poteſt ne puniri pœna extraordinaria? fol.220. n.60.

CAPVT XXIV.

De ſententia contra ſortilegos,& alios in S.Officio inquiſitos.

Quid, & quotuplex eſt ſententia, & quonam modo ferenda? fol.220. n.1. & 2.

Sententia condemnatoria quomodo ferenda eſt? fol.220.n.5.

Sententia abſolutoria quomodo eſt ferenda? fol.221.n.6.

Sen-

Sententia ſi feratur ſine citatione partis condemnandæ, vel non feratur in ſcriptis, eſt ne inualida, & nulla? fol. 221.n. 7.& 8.

In ſententia, ſiuè condemnatoria, ſiuè abſolutoria, ſunt ne narrandi, ſeu exprimendi omnes errores, de quibus reus fuit quærelatus? fol.221.n.9.& 10.

Sententia abſolutoria, vel condemnatoria proferri ne poteſt ab Epiſcopo ſine Inquiſitore, vel ab Inquiſitore ſine Epiſcopo? fol.222.n.11.& 12.

Inquiſitor, & Epiſcopus, in ferēdis huiuſmodi ſententijs, tenentur ne, peritorum conſilium exequi? fol.223.n.16.

Periti, ſiuè in Theologia, ſiuè in iure Canonico, vel Ciuili, tenentur ne mandato Inquiſitoris conſilium præſtare? fol. 224.n.20.

Peritis, ab Inquiſitoribus vocatis, eſt ne communicandus totus reorum proceſſus, & teſtium nomina manifeſtanda? fol.225.n.21.& 22.

Si periti ſint inter ſe diuerſæ opinionis, & alter opinetur in fauorem rei, alter in fauorem Fiſci, cui nam iſtorum Inquiſitores, in ferenda ſententia, aſſentiri debent? fol.225.n.24.& 25.

Sententia, ſiuè abſolutoria, ſiuè condemnatoria ſi ab Inquiſitore, & Epiſcopo feratur abſque peritorum conſilio, eſt ne valida, vel nulla? fol.226.n.26.& 27

Inquiſitores ferre ne poſſunt ſententiam, ſecundum probabilem peritorum opinionem in fauorem rei, relicta probabiliori contra eum? fol.226.n.28.& 29.

In ferendis ſententijs Inquiſitores poſsūt ne, ſibi reſeruare facultatem, augendi, vel minuendi, vel commutandi pœnitentias, reis impoſitas? f.227.n.31.& 32

Sententiæ latæ in cauſis fidei tranſeunt ne in rem iudicatam: itaut nouis ſuperuenientibus probationibus, Inquiſitores non poſſint, de eodem crimine condēnare abſolutum, neque abſoluere condemnatum? fol.228.n.35.& 36.

Sententia, tàm abſolutoria, quàm condēnatoria vnius, eſt ne etiam abſolutoria, vel condemnatoria alterius complicis? fol.229.n.37.& 38.

Sententiæ in cauſis fidei fieri ne poſſunt in diebus feſtiuis? fol.230.n.40.

Sentētia in cauſa fidei contra fugitiuum, vel abſentem, quomodo ferenda eſt? fol.230.n.41.& 42.

Elapſo anno, requiritur ne contra reum contumacem, ſententia condemnatoria, vel cenſetur ipſo iure lata? fol.230. n.43.& 44.

Qui per ſententiam poſt annum, velut hęreticus cōtumax eſt declaratus, & Curiæ ſeculari tradendus, ſi poſteà comparet, eſt ne audiendus? fol.231. n.46.

Si talis reus profugus, & contumax in ſacris Ordinibus fuerit conſtitutus, quonāmodo erit degradandus? f.231.n.47.

In ſacris conſtitutus contumax, verbaliter degradatus, & fictè relictus Curiæ ſeculari, poteſt ne à Iudice ſeculari puniri, & vltimo ſupplicio affici? fol.231. n.48.

Sententia in cauſa fidei, eſt ne etiam ferēda contra defunctū? fol.232.n.49.& 50

Hæreticus condemnari non poteſt, niſi citatus, defunctus autem quomodo citādus eſt, vt condemnari poſſit? fol.232. n.52.& 53.

Si defunctus ſit abſoluendus ab hæreſi, eius ſententia quomodo ferenda eſt? fol.233.n.56.

Si defunctus ſit de hæreſi condemnandus, quomodo eius ſententia eſt ferenda? fol.233.n.57.

Qui nititur probare, defunctum non deceſſiſſe hæreticum, quomodo hoc probabit? fol.233.n.58.& 59.

Si reus contumax moriatur intra annum, & eius delictum non ſit plenè probatū, & contra ipſum procedebant, non vt hæreticus, ſed tanquam ſuſpectus de hæreſi, eſt ne procedendum ad eius cōdemnationem? fol.234.n.60.

Actio, procedendi contra defunctos, ob hæreſi crimen, extenditur ne contra eorum fautores, receptatores, & defenſores mortuos? fol.234.n.61.

Hæc actio procedendi contra defunctos in cauſa hæreſis, quantum durat, & intra quod tempus extinguitur? fol.234. n.62.& 63.

Ab Inquiſitorum ſententia datur ne appellatio? fol.235.n.64.& 65.

Ad validitatem ſententiæ condemnatoriæ hæretici impœnitentis, requiritur ne præſentia Iudicis ſecularis? fol. 236. n.68.

Iudex laicus obligatur ne pœna mortis punire hæreticum, ſibi puniendum traditum? fol.237.n.69.

Verbum illud, ſtatim, & abſque vlla dilatione, quomodo eſt intelligendum, ne Inquiſitorum ſententia indebitè differatur? fol.237.n.70.

Iudex laicus, agnoſcens reum eſſe iniuſtè, vel nulliter ab Inquiſitoribus condemnatum, tenetur ne eorum ſententiam exequi, vel poteſt ab illa ſuperſedere? fol.237.n.71.& 72.

Iudex ſecularis differens, pluſquam quinque, vel ſex dies, abſque legitimo impedimento, ſententiam exequi, eſt ne ab Inquiſitore, & Epiſcopo, cogendus, vt illam exequatur? fol.238.n.73.

CAPVT XXV.

De Abiuratione, eiuſque requiſitis?

Quid eſt Abiuratio? fol.238.n.1.

Quotuplex eſt Abiuratio? fol.239.n.2.

Huiuſmodi abiurationes, in quo differunt inter ſe? fol.239.n.3.& 4.

Vt abiuratio ritè, & iuris ordine fiat, quid nam neceſſariò requiritur? fol. 240. nu.7.

Abiuratio quandonam fieri poteſt non publicè, ſed priuatè? fol.241. n.8.

Abiuratio eſt ne ſecretò facienda, quando quis hæreſim commiſit mente, & corde tantum, abſque vllo exteriori actu hæreſim denotante? fol.242.n.9.

Eſt ne aliquis pœnitens hæreticus, ad miſericordiam admittendus abſque abiuratione? fol.242.n.10.

Suſpectus vehementer de hæreſi, ſi non ſit confeſſus, ne conuictus, tenetur ne abiurare? fol.243.n.11.

Cuius ætatis homines compelli poſſunt ad abiurandum? fol.243.n.12.

Abiuratio eſt ne pœna, vel tantum ſignum pœnitentiæ abiurantis? fol. 243. n.13.

Quinam ſunt caſus in iure expreſſi, in quibus incidentes, ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti, & de vehementi abiurare debent? fol.243.n.14.& 15.

Non denunciantes hæreticos Inquiſitoribus, vel locorum ordinarijs, quomodo abiurare debent de vehementi, an de leui? fol.245.n.24.

Retinentes libros ſortilegos, aut hæreticos prohibitos, abiurare ne debent de vehementi, an de leui? fol.246. nu.25. & 26.

Sortilegi, quandonam abiurare debent de vehementi hæreſis ſuſpicione? fol.246. n.27.& 28.

Inuocantibus Dœmonem in ſortilegio ad amorem, vel odium prouocandum, quænam abiuratio eſt iniungenda? fol. 249.n.41.& 42.

Imagines cereas conficiens, vt eas pungens, ad libidinem mulierem prouocet, vel vitam inimici lædat, & cruciet, quonam modo abiurare debet? fol.251 n.46.

Inuocans Dœmonem, ſiuè in poculo amatorio, ſiuè in alio ſortilegio, verbis, non deprecatiuis, ſed imperatiuis, eſt ne cogendus, ad abiurandum? fol.251. n.47. & 48.

Blaſphemantes hæreticaliter, quando, & quomodo abiurare debent? fol. 252.n. 50.& 51.

Blaſphemantes facto, conſpurcando ſcilicet Imagines Chriſti Domini, & Sanctorum, quomodo cogendi ſunt abiurare? fol.253.n.56.

Comedentes carnes in diebus prohibitis abſque iuſta cauſa, vel non confitentes ſua peccata, nec Sacramentum Euchariſtiæ ſumentes ſingulis annis, vel perſeuerantes in mortali peccato, ſunt ne cogendi, ad abiurandum, tanquam de hæreſi ſuſpecti? fol.253.n.57.& 58.

Non Sacerdos Miſſam celebrans, vel Penitentiæ Sacramentum adminiſtrans, abiurare ne debet de vehementi, an de leui? fol.254.n.60.

In Sacris Ordinibus ordinati, & Regulares profeſſi matrimonium contrahentes, cogendi ne ſunt abiurare de leui, an de vehementi? fol.255. n.61. & 62.

Poligamus, qui viuēte prima vxore, aliam duxit,

duxit, abiurare cogendus eſt de vehementi, an de leui? fol.256.n.65.& 66.
Confeſſario ad venerea ſollicitanti, indicenda eſt abiuratio de leui, an de vehementi? fol.256.n.67.& 68.
Qui abiurauit de vehementi, vel de leui, poteſt ne admitti ad confeſſiones audiendas? fol.258.n.75.& 76.
Regulares de leui abiurantes, redduntur ne inhabiles ad gradus, & dignitates Religionis? fol.258.n.77.& 78.
Qui vt de hæreſi vehementer ſuſpectus, de vehementi abiurauit, incurrit ne irregularitatem? fol.259.n.79.
Indicia, quæ ſufficiunt ad torturam; ſunt ne ſemper ſufficientia ad abiurationem de vehementi? fol.259.n.80.
Sola infamia eſt ne ſufficiens, ad imponēdam abiurationem hæreſis ſuſpecto? fol.259.n.81.& 82.
Abiurare nolens quomodo eſt puniēdus? fol 259.n.85.
Poteſt ne Inquiſitor ſine Epiſcopo, vel Epiſcopus ſine Inquiſitore, abiurationē reo iniungere? fol.260.n.84.
Si ſolus Epiſcopus, vel ſolus Inquiſitor ad abiurationem reum admitteret, eſſet ne valida, vel nulla illius abiuratio? fol.260.n.85.
Suſpectos vnius tantum hæreſis, eſt ne iniungenda abiuratio de illa tantum hæreſi, an generaliter de omnibus alijs? fol.261.n.86.
Hæreſis ſuſpecto, poteſt ne ſimul iniungi abiuratio, & purgatio canonica? fol. 261.n.87.
Hæc purgatio canonica, quando, & quomodo eſt indicenda? fol.261. num.88. & 89.
Quando reus non eſt confeſſus, nec plenè conuictus, ſed tantum indiciatus, eſt ne ei indicenda purgatio, vel abiuratio, vel tortura? fol.263.n.99.
Tranſeuntes Chriſtiani ad ſectas, ſeu ritus Turcarum, Paganorum, vel Iudæorum, quomodo abiurare debent? fol. 263.n. 100.& 101.
Dum in tortura ex ore delinquentis veritas indagatur; quare ergo ſi quis in tortura conſtanter confeſſus fuit, ſe nunquam fidem Catholicam negaſſe, adhuc tanquam de hæreſi vehementer ſuſpectus, de vehementi abiurare cogendus eſt? fol.264.n.102.
Chriſtiani tranſeuntes ad ſectas infidelium, per vim, & metum: cogendi ne ſunt abiurare de vehementi, an de leui? fol.264.n. 103.
Turcæ facti Chriſtiani, ſi ad terras Turcarum fugam arripiunt, & in itinere capiuntur, quomodo ad abiurandum cogendi ſunt? fol.265.n.104.
Chriſtianus fingens ſe Iudæum, vel infidelem, & petens iterum baptizari, vt eleemoſynas obtineret, eſt ne ad abiurandum, cogendus? fol.265. num.105. & 106.
Iudæis, Mauris, & alijs infidelibus, ſortilegia, vel alia hæreticalia committentibus, eſt ne ab Inquiſitoribus, & Epiſcopis indicenda abiuratio? fol.265.nu. 107.& 108.
Qui poſt abiurationem incidit iterum in hæreſim, quàm pœnam incurrit? fol. 266.n.109.& 110.

CAPVT XXVI.

De pœnis, quæ ſortilegis, & alijs delinquentibus contra fidem imponuntur.

Sortilegi puniuntur ne in hoc S.Tribunali, tanquam hæretici? fol.268.n.1. & 2.
Quænam ſunt pœnæ à iure hæreticis impoſitæ? fol.269.n.5.& 6.

CAPVT XXVII.

De pœna excommunicationis contra maleficos, & alios ſortilegos.

Pœna excommunicationis incurritur ne à maleficis, diuinatoribus, & alijs ſortilegis ipſo facto, vel per Iudicem eſt ferenda? fol.272.n.1.& 2.
Pœna excommunicationis incurritur ne, quando in ſortilegio eſt magna hæreſis ſuſpicio, ſed non manifeſta? fol.272. nu.3.
Sortilegus, occultè hæreticus, eſt ne ipſo

iure excommunicatus? fol.272. num.4. & 5.

Sortilegus, errorem circa fidem in intellectu non habens, & faciens ſortilegiũ, manifeſtè hæreſim ſapiens, incurrit ne pœnam excommunicationis? fol. 273. num.6.

Sortilegus, vt in excommunicationem incidat, ſufficit ne, vt ſortilegium incipiat, vel requiritur, vt illud conſummet? fol.273.n.7.

In dubio an excommunicatio ſit lata ipſo facto, vel ſit ferenda: ſortilegus eſt ne, vt excommunicatus vitandus? fol. 273.n.8.

Mandans, vel conſulens maleficium, vel aliud ſortilegium, incurrit ne pœnam excommunicationis ſecuto effectu? fol. 274.n.9.& 10.

Mandans maleficium, ſeu ſortilegium, à quo Tribunali eſt puniendus? fol.276. nu.16.

Sortilegus ob ſortilegium hæreticale excommunicatus, ſi per annum in excommunicatione inſordeſcit, eſt ne velut hæreticus condemnandus? fol.267.nu. 17.& 18.

Excommunicatus non ex cauſa fidei, ſed ob aliam cauſam, etiam ciuilem, & per annum in excommunicatione inſordeſcens, eſt ne, velut hæreticus condemnandus? fol.277.n.21.& 22.

Si quis, antequam ſit elapſus annus inſordeſcentiæ in excommunicatione, obtineat Bullam Apoſtolicam alicuius gratiæ cum clauſula: *Teque abſoluentes, &c.* interrumpitur ne dictus annus inſordeſcentiæ: itaut non poſſit dici per annum in excommunicatione inſordeſcens? fol.277.n.23.

CAPVT XXVIII.

De excommunicatione contra legentes, vel retinentes, libros ſuperſtitiones continentes, & prohibitos.

Legentes, vel retinentes libros, ac ſcripturas continentes hæreſim, vel magicas ſuperſtitiones, ſunt ne ipſo facto excõmunicati? fol.278.n.1.

Ad incurrendam dictam excommunicationem ipſo facto, quæ conditiones requiruntur? fol.278.n.2.

Quænam ignorantia ab hac excommunicatione, legentes, vel retinentes dictos libros, excuſat? fol.278.n.3.

Ignorantia affectata, excuſat ne ab hac excommunicatione? fol.279. n.4.

Qui alium legentem librum hæreſim, vel hæreticalia ſortilegia continentem, audit, incidit ne in dictam excommunicationem? fol.279.n.5.& 6.

Incurrit ne hanc excommunicationem, qui oculis tantum legit, nec verbis aliquid exprimit? fol.280.n.8.

Afficiuntur ne eadem excommunicatione legentes hos libros abſque dolo, & praua intentione: ſed ex curioſitate, vt ſciant, quæ ab hæreticis, vel ſortilegis traduntur? fol.280.n.9.

Legens, vel retinens vetitos libros abſque licentia, ad confutandum eorum errores, & abſque periculo peruerſionis, excuſatur ne ab excommunicatione? fol. 280.n.10.& 11.

Quid agendum contra illum in cuius domo reperiuntur ſimul libri hęreſim cõtinentes, & eius ſcripta, quibus eorum errores confutabat? fol.281.n.12.

Linguam latinam penitus ignorans, & legens librum linguæ latinæ hæreſim, vel ſortilegia continentem, afficitur ne excommunicatione? fol.281.n.13.

Catholici, qui in Anglia, Germania, Polonia, Gallia, & in ſimilibus locis legũt, vel retinent libros, hæreſim, vel hæreticalia ſortilegia continentes, aut de Religione tractantes, incidunt ne in prædictam excommunicationem? fol. 281.n.14.

Legens, vel retinens librum manuſcriptũ, hæreſim, vel ſortilegia continentem, incurrit ne excommunicationem? fol. 282.n.15.

Legens, vel retinens dictos vetitos libros, eſt ne dè hęreſi ſuſpectus leuiter, an vehementer? fol.282.n.16.

Retinentes hos libros, & illos non legentes, afficiuntur ne excommunicatione? fol.

fol. 283. num. 17. & 18.
Ad incurrendam dictam excommunicationem, ſufficit ne lectio, vel retentio, vel aſportatio vnius tantum libri, vel eius partis? fol.284.n.22.
Paruitas materiæ excuſat ne legentes, vel retinentes hos libros ab excommunicatione? fol.284.n.23.& 24.
Damnato libri auctore, tanquam hæretico, cenſetur ne damnatus eius liber, itaut in excommunicationem incidat illum legens, vel retinens? fol.285. nu.26.
Si auctor libri, hæreſim continentis, non ſit damnatus, illum legens, vel retinens, incurrit ne excommunicationem? fol. 285.n.27.
Legens, vel retinens librum Catholici, in quo ſint ad verbum inſerti errores alicuius hæretici, afficitur ne dicta excōmunicatione, ſi illum legat, ad agnoſcēdos illos errores? fol.285.n.28.
Legens, vel retinens, aut imprimens, ac etiam defendens librum hæretici, nec hæreſim continentem, nec de Religione tractantem, incurrit ne excommunicationem? fol.286.n.29.& 30.
Qui legit, retinet, imprimit, aut defendit libros infidelium, errores contra fidem continentes, incidit ne in dictam excōmunicationem? fol.286.n.33.
Libri, qui non ſunt prohibiti ob hæreſim, aut ob Religionis tractatum, ſed ob aliam cauſam; quia e.g. continent turpia, & ſunt contra bonos mores; ſub qua pœna prohibentur? fol.287.n.34.
Legens, vel retinens libros, ob obſcenitates prohibitos, poſſunt ne ab Inquiſitoribus puniri? fol.287.n.35.
Habens libros prohibitos, effugiet ne excommunicationem, ſi illos tradat alicui, facultatem habenti eos retinendi, vſque dum legendi licentiam obtineat? fol.287.n.36.& 37.
Excuſatur ne ab excommunicatione, qui cum primum agnoſcit, librum eſſe prohibitum, illum non tradit ordinario, nec Inquiſitori, ſed comburit? fol.288. n.38.& 39.
Habens librum prohibitum, poteſt ne tuta conſcientia aliquas paginas ab eo auferre, antequam ad Inquiſitorem illum deferat, ne ipſi, liber ille vſui eſſe poſſit? fol.289.n.42.
Qui antequam liber prohibeatur illum compendiauit; poſt eius prohibitionē, poteſt ne compendium illud manuſcriptum legere, vel retinere? fol. 289. n.43.
Dum Imprimentes libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, innodantur excōmunicatione Bullę Cœnæ, quinam ergo intelliguntur nomine imprimentium? fol.289.n.44. & 45.
Innodantur etiam excommunicatione defendentes hos libros ex Bulla Cœnæ; quinam ergo ſub hoc nomine cōpræhenduntur? fol.290.n.47.
Circa licentias legendi libros prohibitos, quidnam ſtatuerunt Gregorius XV. & Vrbanus VIII. fol.290.n.48.& 49.
Generales Regularium poſſunt ne ſuis ſubditis legendi libros huiuſmodi prohibitos licentiam concedere? fol.291. n.50.& 51.
Huiuſmodi excommunicationis abſolutio, cuinam eſt reſeruata? fol.292.n.53.
Confeſſarius abſque ſpeciali facultate, abſoluens legentem, vel retinentem libros, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, quas pœnas incurrit? fol.292.n.54.
Legentes, vel retinentes libros hæreticos, poſſunt ne abſolui, in Iubilæo, ſi excipiatur hæreſis? fol.293.n.55.

CAPVT XXIX.

De pœna Irregularitatis ob ſortilegia hæreticalia.

Sortilegus hæreticus occultus, eſt ne irregularis? fol.293.n.1.& 2.
Sortilegus, qui fidem exterius, ſed non interius abnegat, fit ne irregularis? fol. 294.n.4.& 5.
Fautores, & defenſores ſortilegi hæretici afficiuntur ne irregularitate? fol.295. num.6.
Sortilegi, & omnes alij de hæreſi tantum ſuſpecti, ſunt ne irregulares? fol.295. num.7.

Filij,

Filij, & nepotes ſortilegi hæretici, ſunt ne irregulares? fol.295.n.8.
Filij nati, antequam parentes inciderent in peccatum hæreſis, cenſentur ne irregulares? fol.296.n.9.
Filij parentis ſortilegi hæretici pœnitentis, ſubiacent ne pœna irregularitatis? 297.n.10.
Eſt ne idem dicendum de filiis parentis ſortilegi hæretici relapſi, qui ob crimen repetitum damnatur ad combuſtionem, & ne comburatur dat pœnitentiæ ſigna? fol.297.n.11. & 12.
Filij denunciantes Inquiſitoribus parentes magos, aut ſortilegos hæreticos euadunt ne pœnam irregularitatis? fol.297.n.13.
Filij ſortilegi hæretici, vt pœnam irregularitatis incurrant, requiritur ne vt parentes, per ſententiam damnati ſint, hęretici: vel ſufficit, vt notum ſit, eos hæreticos deceſſiſſe? fol.298.n.14.
Incurrunt ne irregularitatem filij parentum, illorum hęreticorum, qui cum Catholicis ſunt permiſti in Germania, Anglia, & locis ſimilibus? fol. 298. n.15.
Filij, & nepotes ſortilegorum hæreticorũ ad Ordines promoti, antequam eorum pater in hæreſim incideret, vel antè hęreſis declarationem, aut notorietatem, priuantur ne vſu Ordinum ſuſceptorũ? fol. 298.n.16.
Iudæorum, & Paganorum filij, & nepotes Chriſtiani, ſunt ne irregulares? fol. 298.n.17.& 18.
Sicut punitur filius ob paternam hęreſim, punitur ne etiam pater per hæreſim filij? fol.299.n.21.
A ſupradicta irregularitate quis diſpenſare valet? fol.300.n.22.& 23.
Qui poſt ſuſceptos Ordines in hæreſim incidit, ad pęnitentiam deindè conuerſus, poteſt ne ſine diſpenſatione Ordines exercere? fol.300.n.24.
In irregularitate ob hæreſim occultam contracta poteſt ne Epiſcopus, virtute Concil.Trident. *ſeſſ.* 24. *c.6.de reform.* diſpenſare? fol 300.n.25. & 26.
Pœna ſuſpenſionis, vel depoſitionis ab Ordinibus ſacris, quando imponi ſolet in Tribunali S.Officij, Clericis, & Sacerdotibus ſortilegis? fol.301. nu.28. & 29.
Clericus ſortilegium exercens ad bonum finem, eſt ne etiam puniendus pœna depoſitionis, & priuationis beneficiorum? fol.301.n.30.

CAPVT XXX.

De pœna mortis ſortilegis hæreticis debita.

Eccleſia à quonam habet poteſtatem, pęna mortis punire ſortilegos, & hæreticos? fol.302.n.1.
Quinam ex his delinquentibus foro ſeculari tradendi ſunt, & mortis pœna puniendi? fol.302.n.2.& 3.
Inquiſitores poſſunt ne aliquem, brachio ſeculari relaxare, inconſulto Supremo Tribunali? fol.307.n.18.
Quando conſtat de maleficio, & febre maligna ſubſequente, & poſteà de morte, mors eſt ne tribuenda maleficio, & maleficus, brachio ſeculari condemnandus? fol.307.n.19.
Poteſt ne maleficus homicida tradi brachio ſeculari ex indicijs indubitatis, vt ad mortem damnetur? fol.307. nu.20. & 21.
Maleficio pertentans tantùm alicui mortem, eſt ne brachio ſeculari tradendus, & vltimo ſupplicio afficiendus? fol. 308.n.22.& 23.

CAPVT XXXI.

De pœna Carceris maleficis, ac ſortilegis, alijſque debita.

Carceris pœna quibus maleficis, ac ſortilegis in S.Officio imponitur? fol. 309. num.1.
Malefici, & ſortilegi de criminibus atrociſſimis confeſſi, vel conuicti, poſſunt ne retineri in carcere, ità obſcuro, & tetro, vt intrà paucos dies moriantur? fol.309.n.2.
Regulariter carcer perpetuus, pœnitenti malefico, aut ſortilego, vel alio

alio hæretico, aſſignandus, qualis eſſe debet? fol.310. n.3.
Quinam malefici, ſeu ſorlilegi hæretici, pœnitentes, ad perpetuum carcerem condemnari non debent? fol.310.n.4.
Quid agendum cum muliere maga, quæ ſit nupta, & meretur carcerem perpetuum? fol.310.n.5.
Sacerdos celebrans ſuper rebus ad ſortilegia ſeruientibus, punitur ne pœna carceris? fol.310.n.6.
In Sacris Ordinibus conſtitutus, condemnatus ad perpetuum carcerem, eſt ne degradandus? fol.311.n.7.& 8.
Sortilegis depræhenſis in hæretica prauitate, & pœnitentibus, eſt ne imponenda cum pœna carceris alia pœnitentia ſalutaris? fol.311.n.9.
Pœna perpetui carceris, poteſt ne mitigari, & in aliam commutari? fol.311. num.10.
Frangens carceres S.Officij, & aufugiens, qua pœna puniri ſolet? fol.312. nu.11. & 12.
Pœna carceris ad tempus in Sancto Tribunali Inquiſitionis quibus imponitur? fol.313.n.13.

CAPVT XXXII.

De pœna Triremium, Fuſtigationis, Exilij, & Habitu Pœnitentiæ.

Pœna triremium, quando, & quibus delinquentibus imponi ſolet ob Ordinarijs, & Inquiſitoribus? fol.313.n.1.& 2.
Pœna fuſtigationis, & verberationis, quibus imponēda eſt? fol.315.n.16.& 17.
Pœna exilij, vel relegationis, quibus delinquentibus eſt imponenda? fol. 316. nu.19:
Pœna habitus pœnitentialis, quænam eſt, & quare, ac quibus in S. Officio imponitur, & cum qua obligatione? fol.317. n.20.& 21.
Qui dictum habitum occultauerit, aut abiecerit, poteſt ne ab Inquiſitoribus puniri, tanquam de hæreſi ſuſpectus, & vt impœnitens? fol.317.n.22.
In hoc caſu qua pœna eſt puniendus? fol.318.n.23.
Extendenda ne eſt hæc ſententia, vt procedat etiamſi hæreticus pœnitens ſub iuramento, & pœna relapſi, ſe obligaſſet ad pœnitentiæ excuſationem? fol. 318.n.24.
Hæc pœnitentia delationis habitus cum Cruce, eſt ne iniungenda pœnitentibus, & conuerſis, abiurantibus, vt ſuſpectis de hæreſi, ac etiam de vehementi? fol.318.n.25.

CAPVT XXXIII.

De pœna pecuniaria, & confiſcatione bonorum.

Pœna pecuniaria poteſt ne ab Inquiſitoribus iniungi ſortilegis, de hęreſi ſuſpectis? fol.318.n.1.
Inquiſitores poſſunt ne pœna pecuniaria alios punire? fol.319.n.2.& 3.
Si condemnatus ad pœnam pecuniariam, non poſſet, vel nollet illam ſoluere, quid ab Inquiſitoribus agendum? fol. 319.n.4.
Inquſitores poſſunt ne hanc pœnam pecuniariam imponere reo Clerico beneficiato, qui patrimonium non habet? fol.319.n.5.
Pœnæ pecuniariæ, in quos vſus ab Inquiſitoribus applicari debent? fol. 320. nu.6.
Poſſunt ne Inquiſitores, ſortilegis, & alijs de hæreſi ſuſpectis, imponere pœnam confiſcationis bonorum? fol.320. nu.7. & 8.
Hæc pœna confiſcationis quando incurritur, ac debetur, & exigi poteſt? fol. 320.n.9.
Qui in hæreſim incidit: antequam à Iudice condemnetur, tenetur ne in foro conſcientiæ omnia bona ſua, quæ ob commiſſum hæreſis crimen amiſit, Fiſco offerre, itaut ſi ei illa non tradat, mortaliter peccet? fol.321. n.10.
Qui antè ſententiam, & antequam Fiſcus appręhendat poſſeſſionem dictorum bonorum, ſincero corde, hæreſim abiurando, ad fidem Catholicam reuertitur, illius bona transeunt ne ad Fiſcum? fol.321.n.11.

Hæc

Hæc pœna confiſcationis exigi ne poteſt antè Epiſcopi,& Inquiſitoris ſententiã, in qua declaretur, reum hæreticum eſſe impœnitentem, vel relapſum, & illã incurriſſe? fol.322.n.12.& 13.

Bona fautorum hæreticorum, eorumque defenſorum,credentium, & receptatorum, ſunt ne confiſcanda, ſicut bona hæreticorum? fol.322.n.14.& 15.

Bona hæreticorum confiſcata, cui applicanda,ſeu tradenda ſunt? fol.322.n.16. & 17.

Quare in Hiſpania omnia hæreticorum bona confiſcata; ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, Regio Fiſco applicantur? fol.323.n.19.

Poſſunt ne hæc bona confiſcata in alios vſus pios expendi? fol.324. n.23.

Ad Epiſcopum ordinarium ſpectat ne aliqua pars iſtorum bonorum? fol. 324.n.24.

Poſt mortem hæretici, poteſt ne ab Inquiſitoribus declarari, illum fuiſſe hæreticum, vt eius bona confiſchentur? fol.325.n.25.

Inquiſitores, ex dictis bonis confiſcatis, tenẽtur ne præſtare legitimam, vel alimenta, hæreticorum filijs Catholicis? fol.325.n.26.& 27.

Inquiſitores poſſunt ne confiſcare bona maioratus, & fideicommiſſi hæreticorum? fol.326.n.29.& 30.

Propter mariti hæreſim,poſſunt ne Inquiſitores,confiſcare dotem, & alia bona vxoris Catholicæ? fol.327.n.34. & 35.

Inquiſitores quænam bona confiſcare poſſunt Clericis hæreticis, & quibus illa applicare debent? fol.329.nu.39. & 40.

CAPVT XXXIV.

De pœna priuationis Beneficiorum, & Officiorum.

Clericus hæreticale ſortilegium committens,incurrit ne ipſo facto in pœnam priuationis beneficiorum, an vero poſt ſententiam? fol.330.n.1.& 2.

Clericus lata ſententia, quod ſortilegia hæreticalia commiſit,priuatur ne non ſolum in poſterum beneficio,ſed etiam fructibus perceptis à die commiſſi ſortilegij? fol.331.n.5.

Clericus, ſi poſt commiſſionem ſortilegij, manifeſtè hæreticalis,ſuum beneficium alteri Clerico reſignat, eſt ne valida illius reſignatio? fol.332.n.6.

Beneficium Clerici, qui in hæreſim incidit,poteſt ne antè illius ſententiam declaratoriam ab alio impetrari, illo non citato? fol.332.n.7.

Clericus, qui in hæreſim incidit,ſi conuertatur,recuperat ne beneficium? fol. 332.n.8.

Poſſunt ne Inquiſitores, non ſpoliare beneficijs prædictos Clericos, vel illis ſpoliatos, eiſdem propria auctoritate illa reſtituere? fol.332.n.9.

Clericus ſortilegus,ſuſpectus tantum de hæreſi,eſt ne beneficijs ipſo iure priuatus? fol.333.n.10.

Receptatores, defenſores, & fautores ſortilegi hæretici,ſunt ne ipſo iure beneficijs priuati, vel per ſententiam priuandi? fol.333.n.11.

Clerici filij ſortilegi, qui in hæreſim incidit, ſunt ne ipſo iure beneficijs priuati, & inhabiles ad alia obtinenda? fol. 333.n.12.& 13.

Eſt ne idem dicendum de nepotibus, & deſcendentibus, ad ſecundam generationem? fol.334.n.14.& 15.

Clerici,qui ſunt illegitimi, aut ſpurij, priuantur ne beneficis Eccleſiaſticis, & ad illa obtinenda,ſunt ne inhabiles, propter hæreſim paternam?fol.334.n.17.

Filij,vel nepotes patris, qui vt contumax noluit,comparere ad reſpondendum in cauſa ſuæ hæreſis, ſeu ſortilegij hæreticalis, ſunt ne ad beneficia inhabiles? fol. 334.n.18.& 19.

Filij geniti, ac nati antequam eorũm pater in hæreſim inciderit, ſunt ne beneficijs obtinentis priuati,& ad alia obtinenda inhabiles?fol.335.n.20.& 21.

Filij,& nepotes, ſicut ob paternam hæreſim ſunt inhabiles, ad beneficia in poſterum obtinenda, ſic etiam ſunt ne inhabiles ad penſiones acquirendas? fol. 336.n.23.

Filij,patris pœnitentis, in hæreſis crimen inci-

incidiſſe, ſunt ne inhabiles ad alia beneficia obtinenda? fol.337. n.24.

Filij, & nepotes relapſi, qui ſui criminis pœnitens, Eccleſiæ reconciliatur, ſed brachio ſeculari traditur puniendus, incurrunt ne pœnam inhabilitatis ad officia,& beneficia?fol.337.n.25.& 26.

CAPVT XXXV.

De pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & officiorum Regularium ob cauſam ad Sanctum Officium pertinentem.

Priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ impoſita, vt eo ipſo,ſeu ipſo facto, & abſque alia declaratione incurratur, incurritur ne antè Iudicis ſententiam declaratoriam? fol.338.n.1.& 2.

Regulares cognoſcentes ſuorum ſubditorum cauſas ad Sanctum Officium ſpectantes, vel non denunciantes huic Sancto Tribunali illos de hæreſi infectos,aut ſuſpectos, quo iure inter alias pœnas,etiam priuationem officiorum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ incurrunt? fol.339.n.4.

Regulares in quibus caſibus, exercendo Aſtrologiam iudiciariam, incurrunt cũ alijs pęnis priuationem vocis actiuæ,ac paſſiuæ,& officiorum, cum inhabilitate ad illa in poſterum obtinenda?fol.339. nu.5.

Regularis,qui pro ſuo delicto ad pęnam temporalem à Sancto Officio damnatus fuit,expleto hoc tempore,poteſt ne promoueri ad gradus,& officia ſui Ordinis? fol.340.n.6.

Regularis, qui fuit priuatus voce actiua, & paſſiua, & inhabilitatus ad officia, ſi ſemèl poſteà ad ea habilitetur, manet ne in poſterum ad alia habilitatus? fol. 340.n.7.

Si in aliqua Bulla inferatur pęna priuationis vocis, abſque expreſſione vocis actiuæ,& paſſiuæ,huiuſmodi pęna eſt ne intelligenda de vtraque voce, an de actiua tantum? fol.341.n.8.

Nomine priuationis graduum officiorũ, & dignitatum, comprǽhenduntur ne Magiſtri Nouitiorum, Concionatores, Lectores,Confeſſarij,Præfecti Eccleſię, vel Sacriſtiæ,Definitores,Conſultores, Diſcreti,& ſimiles? fol.341. n.9.

Pęna priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ,quando incurritur à Regularibus non obſeruantibus decretũ S.C.iuſſu Vrbani VIII. æditum 14.April.1633. legendi litteras Apoſtolicas ad Sanctum Officium pertinentes? fol. 341.n.10.

Tempus præfixum in ſupradicto decreto, poteſt ne aliquantulum anticipari, vel poſponi? fol.342.n.11.

Prælatus Regularis, ne dictam pęnam incurrat,tenetur ne,vt decretum iſtud legatur per extenſum,vel ſufficit, vt ſuos ſubditos de illius obſeruantia commoneat? fol.342.n.12.

Si in aliquo Monaſterio adſit Generalis, vel Prouincialis, cum Superiori locali,& in die præſcripta non commoneatur ſubditi de huius decreti obſeruantia, ſubiacet ne prædictæ pęnæ, etiam Generalis, vel Prouincialis, vel ſolus Superior localis? fol.342.n.13.

Ignorantia, ſeu negligentia, vel obliuio exequendi, die præfixo, ſupradictum decretum,excuſat ne Superiores à prędicta pęna?fol.342.n.14.

Quomodo ꝓbari poteſt huiuſmodi ignorantia,vel inaduertentia,aut obliuio,vt excuſet à ſupradicta pęna? fol. 343. n.15.

Quænam ignorantia à ſupradicta pęna, delinquentem excuſare poteſt? fol. 343.n.16.

Inſuper quænam eſt ignorantia craſſa, ſeu ſupina,quæ Superiores, vt ſupra,delinquentes,non excuſat à dictis pęnis?fol. 344.n.17.

Subditus tenetur ne ſub mortali, mónere Superiorem de dictis decretis legendis,ſeu commonendis?fol.344.n.18.

Regulares legentes, aut retinentes libros continentes ſortilegia hæreticalia, vel alios prohibitos,ſubiacent ne,non ſolum pęnæ excommunicationis, ſed etiam priuationis officiorum, & vocis actiuæ,& paſſiuæ?fol.344.n.19.

C A-

CAPVT XXXVI.

De pœnitentjis ſalutaribus reorum pœnitentium.

Quænam ſunt huiuſmodi pœniteutiæ ſalutares, & quid in illis iniungendis cõſiderare debent Inquiſitores? fol. 345. n.1.& 2.
Damnatis ad carcerem, vel ad ſimilem pœnam, debent ne Inquiſitores pœnitentias ſalutares iniungere? fol. 346. nu.4.
Si pœnitentia ſalutaris ſit iniuncta perſonæ, & in eius bonis, diſtribuendis in pietatis operibus, ipſo moriente, poſſunt ne compelli hæredes,ad illam implendam? fol.346.n.5.
Inquiſitores poſſunt ne has pęnitentias aggrauare,vel mitigare,& commutare? fol.346.n.6.
Inquiſitor, qui ex obliuione, vel ex alia cauſa, hanc poteſtatem ſibi non reſeruanit: poteſt ne pęnitentias augere, vel minuere, aut mutare, vel tollere? fol. 346.n.7.
Quænam ſunt cauſæ rationabiles,ob quas Inquiſitores augere, vel minuere, aut remittere, debent iniunctas pęnitẽtias? fol. 347.n.8.
Non adimplens pęnitentias ſibi iniunctas ab Inquiſitoribus, peccat ne mortaliter? fol.347.n.9.
Pęnitentiæ ſalutares,quibus delinquentibus iniungendæ ſunt? fol.347.n.10.

CAPVT XXXVII.

De pœna Talionis.

Accuſator non probans alterius crimen, ad quod probandum, in Tribunali Sãctæ Inquiſitionis ſe obligauerat, eſt ne pœna talionis puniendus? fol.347.n.1. & 2.
Qui ſciens aliquem innocentem,& de falsò, illum Sancto Inquiſitionis Tribunali accuſat, qua pœna eſt puniendus? fol.348.n.3.
Denunciator ſi conuincatur, falſum denunciaſſe,eſt ne vt calumniator, & falſus teſtis ſimiliter puniendus? fol.348. nu.4.
Falſus accuſator,vel denunciator, deſiſtere,volens ab accuſatione,vel denunciatione antè inquiſiti ſententiam, eſt ne ab Inquiſitoribus audiendus, vt pœnã euadat? fol.349.n.5.
Si accuſator in probatione contra inquiſitum, deficiat, eſt ne aliqua ratio, ob quam excuſari poſſit, vt ei minuatur pœna?fol.349.n.7.& 8.
Eſt ne ſimiliter puniendus teſtis, qui in hoc Sancto Tribunali veritatem occultat? fol. 350.n.9.& 10.
Teſtis, qui ſua falſa teſtificatione ſortilegum,vel hæreticum, à pœna ei debita, liberauit,qua pœna plectendus eſt?fol. 350.n.11.
Quando ſententia contra reum ex falſis teſtibus, lata fuit,& executa, eſt ne ipſis falſis teſtibus pœna talionis imponenda? fol.350.n.12,
Qui precibus, vel prætio, aut minis, & terroribus,teſtem corrumpit, vel alicui mandauit,vt illum corrumpat, ad falsũ deponendum, quàm pœnam incurrit? fol.350.n.13.
Teſtis, qui falſum in hoc S. Tribunali depoſuit,admittitur ne ad pœnitentiam, ſi pœnitens ſuum crimen Inquiſitoribus fateatur? fol.351.n.14.
Si depoſitio falſi teſtis, ob aliquem defectum,ſit inualida, nec inquiſito nocuit, eſt ne ipſe teſtis, vt falſus puniendus? fol.351.n.15.
Falſi teſtis ſententia,eſt ne ab Inquiſitoribus in publico ſpectaculo pronuncianda? fol.151.n.16.

Finis Secundæ Partis.

DE SVPERSTITIONE
PARS SECVNDA.
De Sanctæ Inquiſitionis Miniſtris, & Superſtitionis reorum adiudicatione.

CAPVT I.
De Inquiſitorum Sancti Officij requiſitis.

1 EYmericus *par. 3.direct. q.*1.& ibi Pegna *comm.* 50. docent (ex literis Apoſtolicis ad Inquiſitores Vrbani IV. ann. 1261.& Clementis IV. ann.1265.incip. *Præ cũctis noſtræ mentis deſiderabilibus*) Inquiſitorem debere eſſe : *Conuerſatione honeſtum*, *Prudentia circumſpectum*, *Conſtantia firmum*, *ſacræ fidei doctrinæ eminentèr eruditum*, *& virtutibus circumfultum.*

2 Requiritur namque vt ſit : *Conuerſatione honeſtus*, ideſt exemplaris, ac ſpiritualis, quia vt docet D.Thomas 2.2. *q.* 145. *ar.* 2. Pulchritudo ſpiritualis in hoc conſiſtit, quod conuerſatio hominis, ſeu actio eius ſit benè proportionata,ſecundum ſpiritualem rationis claritatem, hoc enim pertinet ad rationem honeſti: nam virtus ſibi vendicat nomen honeſti. Hoc requiſitum deſideratur in Inquiſitore, vt ſit dignus Iudex huius Sancti Tribunalis; tum quia, vt ait Eccleſiaſticus, *c.*37. *Anima viri ſancti enunciat vera*; & tũ etiam, quia vt obſeruat Symanchas *de republica lib.*5. *c.*5. *ex Philone lib.de legat.ad Caium*: Solet Deus bonis viris bona conſilia, & Reipublicæ commoda ſuggerere.

3 Requiritur, vt Inquiſitor ſit *Prudentia circumſpectus*, quia vt docet etiam D.Thomas 2.2.*q.*166.*ar.*2. Prudentia eſt completiua omnium virtutum moralium, vt dicitur *in 6.Ethic.* Hæc autem virtus in Inquiſitoribus Sãcti Officij, vt notat Pegna *loc.cit.* eſt pluſquã neceſſaria,quia ſæpè cauſę,quæ in hoc Sancto Tribunali occurrunt, prudentię potiùs, quam legum regulis expediri debent; & Carena *par.*1. *tit.*5. §.4. *n.* 29. idem cõfirmãs, notat cũ alijs DD. quod tanti facienda eſt prudentia in Magiſtratu, quod eligi potius debeat magis prudens, & minus doctus,quàm magis doctus, & minus prudens.

4 Requiritur, vt ſit *Conſtantia firmus*, quia vt docet D.Thomas 2.2. *q.*137. *ar.*3. Conſtantia facit firmitèr perſiſtere in bono contra difficultates, quæ proueniunt ex quibuſcumque impedimentis exterioribus. Et S.Officij Inquiſitor inſiſtere firmitèr debet in rei veritatem agnoſcendam; & ſecundum veritatem probatam proferre ſententiam, & illius executioni conſtanter incumbere,nulla admiſſa, in rei fauorem, iniuſta defenſione, vt communitèr Doctores docent. Admonet enim Eccleſiaſticus *c.*7. *Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.*

5 Inſuper eſſe debet Inquiſitor *Sacræ doctrinæ fidei eminentèr eruditus*. Per doctrinam fidei,verè,& propriè Theologiæ cognitionem accipere debemus,ait Pegna *dicto commen.*50. Vndè Eymericus opinari videtur: Inquiſitorem potius Theologum, quam iuris peritum,eſſe eligendum; & ità etiam ſentiunt Melchior Canus *lib.*8. *c.* 7. *de locis theologicis*; Conradus Brunus *lib.*

4. *de hæreticis*, c. 1. Caietanus 2. 2. *q.* 185. *ar.* 3. Zanardus *in ſumm. p.* 1. *c.* 6. *q.* 12. Alij vero ſuſtinent: Inquiſitorem potius debere eſſe IurisConſultum, quam Theologum; ità Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 41. *n.* 3. Scaccia *de iudic. lib.* 1. *c.* 87. *n.* 10. Diana *to.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 7: ex *par.* 4. *tr.* 8. *reſ.* 52. Azorius *par.* 1. *lib.* 8. *c.* 18. *quæſt.* 5. Sed Pegna optimè hanc quæſtionem reſoluit, dicens: Si fieri poſſet; is eſſet eligendus Inquiſitor, qui vtraque ſtudia, & Theologiæ, & vtriuſque iuris, ſoluiſſet: ſin minus, ritus cuiuſque Prouinciæ obſeruetur. Hoc tamen eſſe debet exploratum: Inquiſitores diuinarum literarum, & Sacrorum Canonum peritos eſſe debere, vt docent etiam Conradus Brunus *lib.* 4. *de hæret. c.* 1. & Campegius apud Zanchinum ait *in præfat. verb. Circa*: Grauia enim ſunt fidei negotia, & res, quas tractant magnæ; propterea per Iudices integerrimos, & doctiſſimos eſſe peragenda.

6 Tandem requiritur, vt Inquiſitor Sãcti Officij ſit *Virtutibus circumfultus*, quia cum ſit Iudex à Summo Pontifice ſpecialiter delegatus, & ipſum repræſentans, vt notant Torreblanca *de magia, lib.* 3. *c.* 5. *n.* 2. *& ſeq.* Caſtro Palaus 1. *par. tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 12. §. 2. Carena *par.* 1. *tit.* 4. §. 7. *n.* 61. *& in q.* 4. *n.* 3. *& ſeq.* Conſequenter debet eſſe ità virtutibus circumfultus, ut decenter Summum Pontificem repræſentet.

7 An uero requiratur etiam, ut ſit ætatis 40. annorum: Affirmant Eymericus *par.* 3. *direct. q.* 3. & ibi Pegna *commen.* 51. nonnullos alios referens. Farinacius *de hæreſi, q.* 186. *n.* 46. Zanardus *in ſumm. par.* 1. *c.* 6. *q.* 12. Sanctarellus *de hæreſi*, *c.* 40. *dub.* 1. *concluſ.* 5. *n.* 5. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 12. *n.* 24. Quia in Clementina: *Nolentes de hæreticis*, expreſsè habetur: Neminem poſſe in Inquiſitorem hæreticæ prauitatis eligi, niſi annum quadrageſimum attigerit: Et rationem dicti Doctores aſſignant; quia in hac ætate eſſe ſolent homines prudentiores. Nec mirum, ſi Canones requirant, ſufficere ad Epiſcopatum ætatem 30. annorum, quia in ea promotione maiori cum inquiſitione procedi ſolet.

8 Sed hoc non obſtante, Carena *loc. cit.* §. 4. *n.* 19. *& ſeq.* affirmat, quod ætas 40. annorum antiquitus requirebatur, quando Inquiſitores eligebantur à Generalibus, & Prouincialibus Ordinum S. Dominici, & S. Franciſci. Nam conſtat ex multis Pontificum reſcriptis, Generalibus, & Prouincialibus vtriuſque memorati Ordinis, hanc poteſtatem fuiſſe conceſſam: & præcipuè reſcripto Innocentij IV. Patribus Prædicatoribus, & reſcripto Clementis IV. Patribus Minoribus, ut referunt Eymericus *par.* 3. *q.* 3. Pegna ibi *comm.* 52. & alij quamplures, quos citat Carena *par.* 1. *tit.* 5. §. 2. *nu.* 5. *& ſeq.* At hodiè, quia Inquiſitores eliguntur immediatè, uel à Summo Pontifice, uel à Sacra Congregatione Eminentiſsimorũ Dom. Cardinalium Supremę Inquiſitionis, & nec Summus Pontifex, neque S. Congregatio ligatur diſpoſitioni dictæ Clementinæ: ideò neceſſe non eſt, ut Inquiſitor eligatur quadraginta annorum. Ità Farinacius *de hæreſi, q.* 186. *nu.* 51. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 12. §. 2. *n.* 24. Souſa *in aphoriſ. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 8. Zanardus *in ſumm. par.* 1. *c.* 6. *q.* 12. Et Carena 1. *par. tit.* 5. §. 4. *n.* 16. refert Sacram Congregationem deputaſſe Cremonæ annis elapſis Inquiſitorem R.P. Ioannẽ Baptiſtam Martinengo, qui uix exceſſerat annum trigeſimum. Et Pegna, Farinacius, Caſtro Palaus *loc. cit.* & Symanchas *de cathol. inſtit.* 34. *n.* 12. affirmant, in Hyſpania Inquiſitores creari, ſi annũ trigeſimum compleuerint, & idem ſeruari in Regno Luſitaniæ, refert Souſa ubi ſuprà, ex ſpeciali Summi Pontificis conceſſione. Ex his igitur patet, quæ ſint requiſita Inquiſitorum Sancti Officij.

CAPVT II.

De Inquiſitorum Sancti Officij priuilegijs.

Au-

Auctoritas Inquiſitoris in cauſis Sancti Officij, eſt ne maior, vel minor auctoritate Ordinarij?

1 Reſp. eſſe maiorẽ, quia in cauſis fidei eſt pręcipuus Iudex, & delegatus Summi Pontificis, & eius perſonã repræſentat; vt ex *Clementina* 1. §. *Propter de hæreticis*, & ex *c. Præcipimus 93.* & probant Eymericus *in direct. par.3.q.4.* & ibi Pegna *comm.53.* & Ioannes Andreas, Geminianus, & cæteri communitèr in *c. Ne aliqui de hæreticis in 6.* Et Eymericus *q. 5. n. 4.* ait: Si Epiſcopi, & Prælati procedant auctoritate ordinaria, cum Inquiſitor ſemper procedat auctoritate delegata, certè maior eſt Inquiſitor Epiſcopo; quia delegatus eſt; & omnis delegatus in officio ſibi commiſſo, maior eſt quocumque ordinario; iuxtà illud *c. Sanè de officio, & poteſtate Iudicis delegati*; & idem confirmat textus in *c. Studuiſti de officio legati, in l. fin. ff. de officio eius, cui mandata eſt iuriſdictio, & in l. ſi Prætor eod. tit.* & vt notat Pegna *commen.* 54. eſt communis opinio. Quia Inquiſitor cum vt delegatus repræſentet vices Summi Pontificis in cauſa ſibi ſpecialitèr commiſſa, ei veluti Summi Põtifici, relicto omni alio Iudice, obtemperandum eſt. Immò amplius addit Auctor Repertorij *inquiſ. verb. Delegatus, §. Delegatus repræſentat.* Ordinariũ etiam Inquiſitoris mandato, obedire debere, quoniam delegatus non modo Summi Pontificis vices gerit, ſed etiam eius locum tenet, *c. Si quis Epiſcopus 2. q. 6. & c. vltimo, diſt. 93.* Ità Pegna, & alij quos ipſe citat.

Inquiſitores regulares, quodnam ſpeciale priuilegium habent?

2 Reſp. Quod Inquiſitores regulares, in ſpectantibus ad S. Officiũ, minimè ſubduntur Prælatis ſui Ordinis, ſed ſolis Eminentiſſimis Cardinalibus Supremæ Inquiſitionis ex priuilegio Alexandri IV. Clementis IV. & Vrbani IV. vt teſtatur Eymericus *in direct. inquiſ. par. 3. q. 11.* Quia etiam ſunt ipſi in cauſis fidei delegati Summi Pontificis, & illius perſonam repręſentant; vt ex *c. Præcipimus 93. diſt.* & probant Pegna *in d. q. 11. commen. 60.* Royas *de hæreticis, par. 2. n. 418.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. c. 22. n. 33.* & alij. Vndè ſi delinquant in his, quæ ad S. Officium pertinent, non ſunt puniendi à Superioribus ſui Ordinis, ſed à dictis Eminentiſſimis Cardinalibus: Et in alijs delictis extrà S. Officium poſſunt quidem contrà eos inquirere, & informationem ſumere Superiores ſui Ordinis, non tamen illos punire, ſed debent informationem ad dictos Eminentiſſimos tranſmittere; vt ab ipſis iudicentur, & ſententia feratur: vt affirmant Farinacius *de hæreſi, q. 186. n. 128.* Caſtro Palaus *par. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 12. §. 2. n. 23.* Carena *par. 1. tit. 5. §. 8. n. 72.* Diana *to. 5. tr. 10. reſ. 132.* ex *par. 4. tr. 8. reſ. 53.*

3 Ob dictam rationem, quia ſunt Summi Pontificis delegati, & eius perſonã repræſentant, eis debetur titulus Reuerendiſſimi Patris, vt probant Ludouicus Paramus *de orig. S. Inquiſ. lib. 3. q. 11. n. 23. & 24.* Carena *loc. cit. §. 6. n. 51.* Nec obſtat, quod S. Congregatio in literis, quas eis ſcribit, ſolent tantũ titulum Reuerendi, vel Admodum Reuerendi tribuere; nam aliud eſt (vt notat Carena ibidem) loqui de Inquiſitoribus in ordine ad Sacram Congregationem, aliud in ordine ad ſibi ſubditos.

4 Similiter ob eandem dictam rationẽ eis debetur præcedentia ſupra Vicarios Generales Epiſcoporum, nedum in cauſis S. Officij, ſed etiam extrà ipſas cauſas, & in omni loco, quia præcedentia debetur habenti maiorem dignitatem, vt probant Freccia *de ſubfeudis, lib. 2. tit. Quis dicatur Dux, n. 46.* Ciriacus *controuerſ. forenſ. to. 2. controuerſ.* 201. *n.* 73. Fabius de Anna *conſ.* 40. *n.* 14. Inquiſitores autem maiorem habent dignitatem, quam Vicarij Generales Epiſcoporum, quia repræſentant Summum Pontificem; & Vicarij

Epiſcoporum ipſorum Epiſcopos. Immò horum Vicarij illis ſubduntur in cauſis ad Tribunal S.Officij ſpectantibus; quia iuriſdictio Inquiſitorum extenditur contra omnes, qui ab ea expreſsè non ſunt exceptuati, quales ſunt Epiſcopi ſoli, non autem eorum Vicarij, vt docent Barboſa *de offic.Epiſc. par.3. alleg.*112. *n.*13.*& ſeq.* Carena *par.*1.*tit.*4. §.7. vbi hoc idem alijs rationibus confirmat. Sed *n.*67. notat: ſi Vicarius Epiſcopi ſederet in Synodo cum ſuis Clericis, tunc Inquiſitores non deberent eum præcedere, nam ibi reſideret vti ſuorum Clericorũ Caput.

Inquiſitores poſſunt ne familiam habere armatam?

5 RESp. Affirmatiuè: poſſunt autem Inquiſitores habere familiam armatam ad ſuam defenſionem, & familiæ ſuæ, & ad capiendos hæreticos, eorumque receptatores, defenſores, & fautores, ex priuilegio Clementis IV. *in c.Nolentes*, renouato à Ioãne XXII. vt teſtantur Eymericus *in direct.par.3. q.*56.& Pegna ibi *commen.*105.vbi notat: hoc priuilegium ità competere Inquiſitoribus fauore fidei, & in odium hæreticæ prauitatis; vt eorum officiales portare poſſint arma die, ac nocte. Idquè non obſtante quacumque lege ciuili, vel municipali, in contrarium edita, vel edenda. Immò quicumque legem conderet, qua prohiberetur officiales Inquiſitorum arma deferre, velut impeditor ſacri officij puniri poſſet; iuxtà doctrinam Gloſſæ communiter receptam *in c. Statutum* 1.*de hæreticis in* 6. & poſt pauca ſubdit: Inquiſitores poſſe hanc armorum licentiam cõcedere etiam alijs miniſtris, qui quauis alia ratione S.Officio inſeruiunt, veluti Aduocatis, Notarijs, Conſultoribus, Cuſtodibus, & alijs. Idem confirmant Zanardus *in direct. Theol. par.* 2.*c.*6.*q.*15.Symanchas *de cathol. inſtit. tit.*41. *n.*15. Bernardus Comenſis *in Lucerna verb.Inquiſitor*, §.14. Ioannes Royas *de hæreticis, par.*2.*tit.de priuilegijs Inquiſitorum, n.*422. Campegius *in addit.ad Zanchinum, tr.de hæret.c.*31. *lit.A.* Farinacius *de hæreſi, q.*189. Diana *to.*5.*tr.*10.*reſ.*20.ex *par.*4. *tr.*8. *reſ.* 31.& alij, quos citat, & ſequitur Carena *par.*1.*tit.*14.§.1.*n.*1.

6 Circà hoc priuilegium præcipit Clemens IV. *in c. Nolentes*, vt refert Eymericus *loc. cit. Porrò Inquiſitoribus ipſis diſtrictius inhibemus; vt nec abutantur quomodolibet conceſſione portationis armorum, nec officiales, niſi ſibi neceſſarios habeant tales, qui ſe conferant ad ſua, cum Inquiſitoribus ipſis officia exequenda.* Quales autem eſſe debeãt huiuſmodi familiares. Ioãnes XXII. *in d. ſua Conſtit.* his verbis expreſſit: *Mandamus quatenus neminem familiarem; niſi eiuſdem Eccleſiæ fidelem, ac deuotum, & laudabilis conuerſationis, & vitæ habere, quomodolibet præſumatis.* Et Symanchas *de cath. inſtitut.tit.*41.*n.*15. ait: quod eligendi ſunt viri boni, & pacifici, & quod in Hyſpania non eliguntur, niſi vxorati. Numerus certus iſtorum familiarium non eſt à iure ſtatutus, ſed omninò poſitus eſt prudentiſſimæ diſpoſitioni S.C.Eminentiſs.Cardin. vt ait Carena *par.*1.*tit.*14.§.3.*n.*6. & ſi hæc licentia abutantur ipſi familiares, grauiter puniri debent ab ipſis Inquiſitoribus, vt §.4. probat ipſe Carena. Abuti autem dicũtur, ſi eſſet eis licentia reſtricta ad certum genus armorum, & ipſi aliud genus armorum vetitum edicto Principis ſecularis portarent. Vel ſi arma ſibi conceſſa geſtarent, vt delicta deliberata perpetrarent; vel ex eorum vſu alijs ſcandalo eſſent. In his caſibus poſſunt, & debent puniri grauiſſimè ab Inquiſitoribus. Ità Carena *n.*10. *& ſeq.*

7 Nec ſolũ Inquiſitores poſſunt habere familiam armatam; ſed quoties ea non ſufficit pro S.Officij executione, poſſunt auxilium ſecularium Magiſtratuum per cenſuras Eccleſiaſticas compellere, vt eis præbeatur; ità ex multis Põtificum reſcriptis, docet Pegna, *par.*3.*commen.*106. & ſi in eo auxilio

xilio præſtando, aut contumaces, aut negligentes fuerint, nõ ſolum excommunicari poſſunt, ſed honore priuari, & alijs pœnis pro delićti qualitate coerceri, iuxtà *c.Ad abolendam*, *§.penult.& c.Excommunicamus*,*§.Moneantur de hæreticis.*

Poſſunt ne Inquiſitores carceres proprios pro reis S.Officij habere?

8 RESp. poſſe ex *c.Vt inquiſitionis de hæreticis in 6.* & docent Eymericus *in direćt.par.3.q.*58. & ibi Pegna *commen.*107. Qui etiam docent, quod cum ex iure Canonico carcer detur, nedum ad cuſtodiam, ſed ad pœnam, *cap.Quamuis de pœnis in 6.* & tradunt Conradus Brunus *lib.5. de hæret.c.*12. Locatus *in opere iudiciali*, Repertoriũ Inquiſit. Comenſis *in Lucerna verb. Carcer*, & cæteri communiter: Inquiſitores carcerem propriũ habere poſſunt tantum ad cuſtodiam; quoad pœnam vero illum habent communem cum Epiſcopis. Quia condemnare non poteſt Inquiſitor ſine Epiſcopo, nec vice verſa, reum ad carcerem perpetuũ, vel ad tempus, neque ad duriorem carcerem conijcere, qui ſit magis ad pœnam, quàm ad cuſtodiam; ex *Clementina 1.de hæreticis*, vt notat ibidem Pegna. Igitur Inquiſitores poſſunt habere carcerem proprium ad rei cuſtodiam, non autem ad pœnam. Verum ſi reus ſecurus non eſſet in loco mitiori, tunc ad arćtiorem per ſolum Inquiſitorem poteſt transferri; quia hoc fieret ad cuſtodiam, non ad pœnam. Ita docent Paulus de Leazaris, Zabarella, Imola, & alij *in Clement.Multorum de hæreticis.* Vndè notat Pegna, ſi immineret fuga, vel colloquium, aut aliorũ peruerſio, vel aliud quid huiuſmodi, quod in detrimentum veritatis verteretur, tunc ſolus Inquiſitor, nõ requiſito Epiſcopo, reum poſſet arćtiori, & obſcuriori loco occludere. Cauendum tamen ne tanta ſit carceris aſperitas, vt delinquens ibi moriatur; quia tunc qui hoc decreuit, illum ſubire, irregularis fieret. Vt affirmant Abbas *in c.A nobis de apoſtatis, & in c.Qualitèr, & quando de accuſation.* Zabarella *in Clementina vnica de homicidio*, Locatus *in opere iudiciali, verb.Carcer, n. 6.* Pegna *commen.*107.*verſ.Verumtamen:* qui etiam *comment.*108.*verſ.Ad hæc*: ait: quod Inquiſitores bis ſingulis menſibus tenentur viſitare vinćtos, & ab eis quærere, an neceſſaria illis miniſtrentur, & an benè, vel ſecus habeant. Et ſi occaſio, aut neceſſitas poſtulauerit, ter, & quater id facere, non erit indecorum; immò quandoque eſt neceſſarium. Et ità etiam docet Symanchas *de cathol. inſtitut.tit.*16.*n.*13.

Poſſunt ne Inquiſitores interpretari ſtatuta contra hæreticos, & eorum fautores, & contra eoſdem edićta, inconſultò Epiſcopo promulgare?

9 RESp. Affirmatiuè, ità Eymericus *in direćt.par.3.q.86. ex literis Apoſtolicis Alexandri IV.* Idem tenent Campegius *apud Zãchinum c.16.verſ. Rurſus arbitrium Iudicis.* Addit verò Pegna *comm.*135.*direćt.* hæc fortaſſis, etſi vera ſint de ſtrićta iuris ratione: tutius tamen eſt, in re tam graui adhibere Epiſcoporum cõſilium, vbi commodè adhiberi poterit, aliàs vrgente cauſa ſolus fortaſſis Inquiſitor poterit id præſtare.

10 Quoad ædićta verò certum eſt, Inquiſitores poſſe inconſulto ordinario, quoties oportuerit publicare ædićta aduerſus hæreticos, eorumque complices, fautores, receptatores, & defenſores, quibus iubeant ſub pœna anathematis, vniuerſos id delićtum reuelare. Ità docent Eymericus *par.3.n.52. in forma admonitionis de hæreticis reuelandis*, Ioannes Royas *traćt.de hæret. par. 2. de priuilegijs Inquiſitorum, nu.* 415. Zanchinus *de hæret.c.*11.*nu.*2. Pegna *loc. cit. verſ. Rurſus non modò*, & vſu etiam comprobatur. Si autem ordinarius ædićta huiuſmodi publicauerit, non poteſt Inquiſitor illa reuocare, ſed poteſt confirmare; ſic enim Epiſcopus,

copus, & Inquiſitor,quaſi vnus,fortius contrà Religionis hoſtes pugnabunt.

Inquiſitores poſſunt ne noua condere ſtatuta in ſuis Diœceſibus,augendo pœnas?

11 RESp. poſſe ex reſcripto Innocentij IV. relato à Pegna *par.3.cōment.* 155. *verſ. Ad hæc paucis anteà diebus.*Et ità etiam docet Ioannes Royas *loc.cit.n.*440. Quia dum Epiſcopus in ſua Diœceſi ſtatuta condere poteſt, per textum *in c.2.* §. *Statuto de cōſtitution.in 6.* & ibi Gloſſa, & communiter DD.contra hæreticos, blaſphemos, ſortilegos, & ſimiles peccatores, vt ab his ſceleribus acerbitate pœnarum homines auocentur. Ergò multò magis id poterunt contra eoſdem Inquiſitores, qui in cauſa hæreſis, aut maiorem, aut ſaltem æqualem habent cum Epiſcopis iuriſdictionem. Notat tamen hìc Pegna *verſ. Ex his facilè*: Conſultius eſſe, vt in hoc caſu Inquiſitores Epiſcoporum conſilium adhibeant; vel quod tutiùs eſt, Supremum Sanctæ Inquiſitionis Romanæ Senatū conſulant, à quo in rebus grauibus in fidei cauſis nunquam eſt diſcedēdum.

Poſſunt ne Inquiſitores poſt ſententiam pronunciatam, rei pœnitentiam mitigare,aggrauare, vel commutare?

12 RESp. Affirmatiuè, ità docet Eymericus *3.par.n.*194.*in fin.* In forma enim ſententiæ ſibi reſeruant: *Retinentes nobis ex certa ſcientia, & expreſsè, quod poſſimus liberè dictam ſententiam, ſeu pœnitentiam mitigare, aggrauare, commutare, tollere totaliter, vel in parte, ſi & quando, & prout nobis toties quoties videbitur faciendum.* Super quibus verbis notat Pegna *cōment.*44. Hoc eſt inſigne Inquiſitorum priuilegium, vt etiam poſt ſententiam iuriſdictio eorum in eadem cauſa non expiret. Et idem docent Guido Fulcodius *in conſultat.ad Inquiſitores, qu.* 13. Archidiaconus *in c.Vt commiſſi de hæret. in 6.*Et quod in dicta ſententia expreſsè ſibi hanc facultatem referuēt, cautum fuit *in Concil. Narbonenſi, c.* 7, *& in Conc.Bitterienſi, c.* 22.

In cauſis fidei poſſunt ne Inquiſitores ſummariè, & de plano procedere abſque Aduocatorum, ac iudiciorum ſtrepitu,ac figura?

13 RESp.Affirmatiuè, quia ità ſtatuerunt Alexander IV. ann.1251. in reſcripto incipiēte; *Cupientes, vt inquiſitionis negotium.* Vrbanus IV. ann. 1261.in reſcripto:*Licet ex omnibus*, & Bonifacius VIII. *in cap. Statuta de hæret.in 6.* vt referunt Eymericus *par. 3. q.*54.Pegna *comment.*103. Vbi ait. Eſt autem magnum, & ſingulare priuilegium hoc: quoniam Iudex, qui poteſt procedere ſimpliciter, & de plano,non cogitur omnem ordinem iudiciarium ſeruare. Nàm hæc verba inter cætera hoc operantur; vt ſi quid omiſſum ſit ex ordine iuris, non propterea proceſſus vitietur, vt ex Gloſſa *in d. cap.Statutum verb.Figura*, dummodò ſubſtātialia cauſæ,& iudicij non omittantur, quæ ſunt citationes, iuramenti præſtatio de veritate dicenda, probationes legitimæ, exceptiones vtiles, appellationes neceſſariæ: induciæ, ſeù termini competentes, & alia huiuſmodi, ſine quibus, aut verè delictum probari non poſſet; aut reus non valeret ſe iuſte defendere.Hæc enim,& ſi quæ ſunt ſimilia prohiberi non poſſunt ab Inquiſitoribus virtute huius ampliſſimi priuilegij. Ità Pegna *comment.* 104. *in fine.*

Inquiſitores habent ne facultatem abſoluendi hæreticum pœnitentem ab excommunicatione?

14 RESp. poſſe illum abſoluere in foro externo, quod priuilegium eis conceſſum fuit à Gregorio IX. in reſcripto incipiente: *Ille humani generis*,ab Innocentio IV.in reſcripto incipien-

piente: *Tunc potiſſimè*, & à Clemente IV. vt refert Pegna *in direct.par.3. cōment.*141. & tradunt hoc ipſum priuilegium Eymericus *par.3.direct. nu.*58. *& q.*92. Locatus *in opere iudiciali ver. Abſoluere, n.* 11. Repertorium Inquiſ. *verb.Abſolutio,*§.*Sed nunc*,Symanchas *de cathol.inſtit.tit.3.n.*1.

15 In foro tamen cōſcientiæ Inquiſitor poteſt tantum abſoluere ab hæreſi, quando cauſa cognita pronunciatur ſententia, & reus in vtroque foro abſoluitur. An verò hanc facultatem habeat in foro cōſcientiæ, quando hæreticus eſt occultus, nec coram ipſo denunciatus; ſed ſecretè ſuam hæreſim illi confitetur: aliqui affirmant, poſſe in foro conſcientiæ illum abſoluere, vt referunt Sanchez *in Decal. lib.*4. *c.*12. *n.*1. Diana *to.*5. *tr.* 8. *reſ.*19. ex *par.*1. *tr.*5.*reſ.*5.Thomas del Bene *de offic.inquiſit.par.*1.*dub.*57.*n.*1. *& ſeq.* Sed cōmuniter alij negant, quia Inquiſitores ſunt Iudices in ſolo foro externo conſtituti, nec apparet aliqua Pontificis conſtitutio eis concedens, poſſe in foro cōſcientiæ ab hæreſi abſoluere: munus enim Inquiſitorum eſt, delicta inquirere, & delinquentes iudicialiter punire. Immò Eymericus *par. 3. n.*59. loquēs de ſpōtè venientibus in tēpore gratiæ,& hoc crimen confitētibus; Inquiſitores prudenter expreſsè admonet. *Attēdat Inquiſitor taliter veniētes, qualiter veniant detegere errorem ſuū. Nàm ſi volunt detegere tantum in foro pœnitentiali per modum confeſſionis ſacramentalis, Inquiſitor illos non admittat,nec confeſſiones eorum audiat. Non enim Inquiſitores, vt Inquiſitores, ſunt Iudices in foro pœnitentiali, & interiori, ſed iudiciali, & exteriori.* Vndè ad cōfeſſiones ſacramentales libenter accedere non debent; ne inquiſitionis officium deludatur, & ſacramentum pœnitentiæ contemnatur. Nàm ſi Inquiſitor audiat aliquem in confeſſione ſacramentali, & ille errorem ſuum confiteatur: ſi poſteà proceſſu temporis denuncietur, vel accuſetur, & Inquiſitor iudicialiter inquirat; factum detegitur,dum ille citatur, & medio iuramento interrogatur.Tunc imponet Inquiſitori, quod ſecretum confeſſionis reuelauit, & ſacramentum pœnitentiæ ſcandalizabit. Quarè talium confeſſiones ſacramentales non ſunt ab Inquiſitoribus admittendæ. Detegant ergò crimen ſuum coram Inquiſitore in foro iudiciali, Notario eorum confeſſionem recipiente; & ſi totaliter crimen eſt ſecretum, ſecretè Inquiſitor eum abſoluat, iniuncta aliqua pœnitentia ſalutari. Et ſi prius denunciatus, & accuſatus fuerat, mitius cum eo procedat; quia venit non vocatus. Ità Eymericus,& ità etiam docent Pegna *comment.*22.*nu.*59. Campegius *ad Zanchinum,c.*34.Locatus *in opere iudiciali,verb.Abſoluere,nu.*7. Sanchez *loc. cit.n.3*.Suarez *to.*5. *in 3.par. diſput.*43. *ſect.*1.*n.*5. *& de fide, diſp.*21.*ſect.*4.*n.* 15.Sanctarellus *tr.de hæreſi,c.*4. *dub.*7. *n.3*1.Farinacius *de hæreſi,q.*192. *n*.52. *&* 54.Zechius *in ſumm.par.*1.*tit. de fide, rubr.de hæreſi, c.*11.*n.*18.Nouarius *in ſingul.concluſ.*4.*nu.*2. Carena *par.* 2. *tit.*2.§.7.*nu.* 61.Ricciullus *tr.de iure perſon.lib.*5.*c.*15.*n.*13.Ioannes Valerus *in differen.vtriuſque fori,verb.Hæreſis, differ.3.n.3*.Riccius *par.*2. *deciſ.*579.*n.* 5.Barboſa *de poteſt.Epiſcop.par.*2.*alleg.* 40.*n.*28. Thomas del Bene *de offic. inquiſ.par.*1.*dub.*57.*n.*11. *& ſeq.*

16 Confirmatur, quia S.C. Eminentiſſimorum Cardinalium, ità declarauit verbis expreſſis: *Epiſcopum,aut Inquiſitorem abſoluere iam non poſſe hæreticū in foro conſcientiæ*, vt refert Barboſa *in ſeſſ.*24.*c.*6.Concilij Tridentini. Facultas igitur Inquiſitoribus data extrà iudicialiter hæreticos pœnitentes, & à nullo Iudice inquiſitos abſoluendi, conſiſtit in hoc,quod poſſunt ad ſecretam abiurationem, & ſecretam pœnitentiam illos admittere, & eoſdem remittere ad proprium Confeſſarium, vt ab eo ſacramentaliter abſoluantur, iuxtà *Clementinam* 1. *de hæret.* & ſic abſolutio valebit in foro cōſcientiæ,& in foro externo iudiciali, cum oriatur à iuriſdictione in tali foro, vt notat Ricciullus

ciullus *loc. cit.c.*14.*n.*1.*&* 2. vbi addit hanc facultatem non eſſe reuocatam per Bullam Cœnę, quod etiam alij docent.

17 In Regnis verò Hyſpaniæ, & Siciliȩ Inquiſitores facultatem habent abſoluendi ab hæreſi,non ſolum in foro externo, & iudiciali, ſed in foro cōſcientiæ, & interno, vt cum alijs Doctoribus affirmat Diana *to.*5.*tr.*8.*reſ.*19. *&* 20.ex *par.*1.*tr.*5. *reſol.*3. *&* *par.*4.*tr.*8. *reſ.*35.

Inquiſitores poſſunt ne delegare facultatem abſoluēdi hæreticum occultum in foro coſcientiæ?

18 Reſp. quod Campegius *in addit. ad c.*34.*Zanchini de hæret.verſ. Cum itaque*, docet; Inquiſitores non poſſe delegare facultatem, abſoluendi hæreticum occultum in foro conſcientiæ; Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 3. *n.*5.ait: maximè dubium eſſe,eos hanc facultatem habere: & Enriquez *lib.* 6. *de pœn.c.*7. *n.*3. ſuſtinet hanc facultatē non poſſe concedi à quolibet Inquiſitore, ſed à toto Conciſtorio: ſupponit enim, Inquiſitorum iuriſdictionem non in quolibet Inquiſitore, ſed in toto conſeſſu eſſe. Sed Sanchez *in Decal. lib.*2.*c.*12. *n.*4. Freitas *in addit.ad tract.de confeſſ.ſolicit.n.*16. Villalobos *in ſumm.to.*2.*tr.*1.*diffic.*12.*n.*7. Homobonus *de exam.Eccleſ.par.*2. *tr.*11. *c.*6. *q.*11.Diana *to.*5.*tr.*10.*reſ.*19.*ex par.*1. *tr.*5.*reſ.*3. docent, quemlibet Inquiſitorem poſſe delegare cuilibet Confeſſario, facultatem abſoluendi hæreticū occultum in foro conſcientiæ. Et probari poteſt, quia Epiſcopus vigore Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24.*c.*6. poteſt facultatem abſoluendi occultum hæreticum in foro conſcientiæ,Confeſſario concedere, nec per Bullam Cœnæ illi hæc poteſtas ſublata fuit,vt docent Nauarrus *in ſumm.c.*29.*n.*260.*&* *lib.*5. *conſil.*in 1.edit.*tit.de ſentēt. excommun. conſil.*15.*q.*1.& in 2.edit.*tit.de priuileg. conſ.*11.*q.*1.Guttierez *qq.canon.lib.*1.*c.* 13.*circa fin.*Enriquez *lib.*6.*de pœn.cap.* 14.*n.*7.Bannes *in* 2.2.*q.*11.*ar.*4.*dub.*2. *poſt* 2. *concluſ.argum.* 3. *verſ. Et ſi quis obijciat*, & ibi Aragonius *ar.* 3. *col.*10. *verſ.Sed dubiū eſt*, Emmanuel Sà *verb. Epiſcopus*,*n.*37. & alij, quos citat Sanchez *in Decal. lib.*2. *cap.*11.*nu.*27. Et quamuis alij, quos refert ipſe Sanchez *n.*26.ſuſtineant: hanc facultatem Epiſcopis per Bullam Cœnæ eſſe reuocatam; tamen ſupradicti Doctores reſpondent,vt notat Diana *to.*5. *tr.*8.*reſ.* 15.*n.*3. *&* 4.*ex par.*1. *tr.*5.*reſ.*2. quod in Bulla Cœnæ non ſit mentio expreſſa Concilij Tridentini, quod quidem eſſet neceſſarium, vt cēſeatur illi derogatum; quia Conſtitutioni, & decreto dicti Concilij, propter eius grauitatē non intelligitur derogatum, niſi de eo fiat mentio ſpecialis, *cap.ex parte de capell. Monach.* & ibi Gloſſa *in verb. Nulla mentio*, *cap.Nonnulli de reſcript.* vbi etiam Gloſſa *in verb. Fecerunt mētionem*, & ibi Felinus cum multis alijs. Nec valet dicere Pium V, Gregorium XIII.& Clementem VIII. contrarium declaraſſe: quia vt benè reſpondent Souſa *in Bulla Cœnæ,cap.*23. *diſp.*100. *concluſ.*3.*n.*7. & Fagundez *de præceptis Eccleſ.lib.*8.*c.*8.*n.*32.*&* 33. de illis Pōtificis declarationibus non conſtat authenticè, neque de oraculis viuæ vocis, & cum ſit res, tàm grauis, & ſciētibus Pontificibus controuerſa, deberet expreſsè declarari, ad tollendos laqueos animarum. Vndè poſt pauca ſubdit Fagundez: Si hæreſis ſit nota quinque,vel ſex, vel ſi hæreticus quinque, vel ſex complices habeat, adhuc dicetur occulta, & ab illa poterunt Epiſcopi abſoluere: immò in magna Vrbe hæreſis non dicetur publica, ſi nota fuerit ſeptem, vel octo perſonis. Ità Fagundez.

19 Sed Inquiſitores,& Epiſcopi, quoad priuilegia æquiparantur, nec minora priuilegia reperiuntur conceſſa Inquiſitoribus, quàm Epiſcopis, vt docent Gratianus *diſcept.forenſ.to.*2.*c.*240. *nu.* 35.*&* *c.*341. *n.*11. Royas *de hæreticis*, *par.*2.*n.*409. Paramus *in tr.de origine S.Inquiſitionis pluribus in locis*, Carena

par.1.

*par.1.tit.14.§.5.n.19.*Thomas de Carleual *in tract. de foro competenti, lib.1. tit.1.diſp.2.qu.6.ſect.6. nu.508. & ſeq.* Ergò ſicut Epiſcopi poſſunt delegare alicui Confeſſario facultatem, abſoluendi in foro conſcientiæ hæreticum externum occultum; ità & Inquiſitores. Sed in hoc non eſt recedendum à praxi, quæ videtur eſſe in contrarium.

20 Notandum etiam, quod hæc abſolutio impertiri poteſt ab Epiſcopo, & ab Inquiſitore extrà ſacramentum cōfeſſionis: Illa enim particula: *In foro conſcientiæ*, non intelligitur ſolùm,audita ſacramentali confeſſione, ſed etiã vt abſolutio non proſit in foro externo, & iudiciali, ſi poſteà contingat iudicari. Quia forum conſcientiæ non eſt ſolum forum ſacramentale, ſed forum ſecretum conſcientiam reſpiciens, ità vt abſolutio non præiudicet foro externo. Ità docent Nauarrus *c.27. n. 41.& lib.5.conſil.tit.de priuilegijs,conſil. 11.q.2.*Suarez *to.2.de relig.tr.6. lib.6.c. 16.n.4.& in tr.de fide,diſp.21.ſect.4.& de cenſuris,diſp.41.ſect.2. n.11.* Sãchez *de matrimon.lib.8.diſp.34. & in Decal. lib.2.c.11.n.13.*Diana *to.5.tr.8. reſ.15. n.6.ex par.1.tr.5.reſol.2. nu. 6.* & alij, quos citat, & ſequitur Thomas del Bene *de offic. inquiſ.to.1.par.1. dub.53. ſect.7.n.2.& ſeq.*

Inquiſitores poſſunt ne vices ſuas alijs delegare?

21 RESp. Affirmatiuè,patet in *cap. Vt commiſſi,§.Committendi de hæreticis in 6.& in Clementina 1. & 2.eod. tit.& in Conſtitut.Clementis VII.& Pij II.* & docent Eymericus *in direct.par. 3.q. 13.* & ibi Pegna *comment.62.* & alij communiter: quia ſunt Delegati Summi Pontificis, vt ſuprà dictum eſt, & patet ex *c.Ne aliqui de hæreticis in 6.* Et delegatus Principis poteſt ſubdelegare, *l.à Iudice, Cod. de iudicijs,c. Super quæſtionum, extrà de offic. iudic. deleg.* Et ſolus,Inquiſitor poteſt in officio ſibi tradito, Vicarios, ſeu Commiſſarios inſtituere, vt docent Eymericus *3.par.q.14.* & Pegna *commen.63.* Dixi Vicarios, & Commiſſarios:quia, vt notat Pegna, poteſt eos plures ſibi conſtituere, quando in eius Diœceſi plures Ciuitates continentur; nàm tũc in ſingulis per ſe intereſſe non poteſt: ideò in ſingulis Ciuitatibus vnum Cōmiſſarium conſtituere valet,virum doctum, prudentem virtutibus ornatum, & in fidei negotijs aptum, atque idoneum; qui denunciationes, vel accuſationes,& informationes à quibuſcumque recipiat, & contra quoſcumque procedere liberè valeat; & tàm teſtes, quàm reos citare,arreſtare,compedire, confeſſiones, ſeu teſtificationes recipere, & eas probare, & examinare,& ad teſtificandum cogere, atque pro dicenda veritate, vna cum Domino.Epiſcopo, ſeu eius Vicario; tormentis exponere, ac etiam ponere in carcere, qui magis ad pœnam, quàm ad cuſtodiam videatur; conſilium peritorum conuocare, & generaliter omnia facere, quæ ipſe Inquiſitor facere valeret, ſi ibi præſens perſonaliter adeſſet. Hæc autem omnia Eymericus commemorat *in forma inſtituendi Commiſſarium,p.3. direct. n.37.*Et poſſe Inquiſitores illa committere, conſtat *ex c.Vt commiſſi, §. Committendi de hæret. in 6.* & ex reſcripto Vrbani IV. incipiente: *Licet ex omnibus*. Et docent Gondiſsaluus *tr. de hæret.q.7.n.13.*Bernardus Comenſis *in Lucerna,verb.Inquiſitor,* §. 2. Royas *de hæret.par.2.n.429.* Pegna *comm.10. n.37.* & alij.

22 Admonet tamen Symanchas *de cathol.inſtit.tit.64.n.11.*teſtium examinationem ab ipſo Inquiſitore debere fieri, nec alteri eſſe committendam,niſi in aliquo caſu graui, & vrgenti, quando neque ipſi teſtes ad Inquiſitorem accedere, facilè poſſunt,neque Inquiſitor ad illos. Quia quæ ab Inquiſitoribus fiunt maturius, & prudentius facta eſſe præſumuntur, quàm quæ fiunt ab eorum ſubſtitutis. Quod etiam cōfirmant Pegna ibidem, & Caſtro Palaus *par.1.tr.4.diſp.8.pun.12.§.2.n.12. in fin.*qui etiam dicunt ità in Hyſpania

cautum eſſe, *in quadam inſtructione edita anno* 1484.*c.*17. Et multò magis non debent Inquiſitores Commiſſarijs committere, ſententias pronunciare, præcipuè aduerſus relapſos, & impenitentes. Quia cum de vita hominis agatur, altiori examine, quàm illo, quod fieri poteſt per Vicarium, ſeu Commiſſarium indiget. Quod etiam docet Eymericus *q.*15.*n.*3. Inſuper non poteſt Inquiſitor dare facultatem ſuo Vicario, ſeu Commiſſario ſubdelegato, vt iterum ille alium ſubdeleget, vt docent Gloſſa *in c. Super quæſtionum*, §.*Porrò, verb. Transfert de officio iudic. deleg.* & Gloſſa *in c. Cum cauſam, verb. Delegatus de appellat.* Archidiaconus *in c. Quamuis*, & Ioannes Andreas *in c. Is cui de off. deleg. in* 6. Pegna *comment.* 64. & alij; quia ſi ſubdelegatus poſſet ſubdelegare, daretur proceſſus in infinitum, quia ſecundus ſubdelegatus poſſet alium ſubdelegare, & ſic in infinitum.

Prohibitiò legendi, ac retinendi libros hæreticorum, comprehendit ne Inquiſitores, & eorum Vicarios, ſeu Commiſſarios?

23 Reſp. illos comprehendere, nec poſſe legere libros hæreticorũ, niſi eis ab Apoſtolica Sede, vel à Sac. Cõgregatione Inquiſitionis fuerit cõceſſa facultas; ſuſtinent Barboſa *de poteſt. Epiſcop. par.*2.*alleg.*90.*n.*8. Ricciullus *in tract. de iure perſon. lib.*5.*c.*25.*n.*4. Suarez *de fide, diſp.*20.*ſect.*2.*nu.*28. Sanchez *in Decal. lib.*2.*c.*10.*nu.*46. Azorius *par.*1.*lib.*8.*c.*16.*qu.*13. Fagũdez *in Decal. lib.*1.*c.*14.*n.*22. & alij. Quia in Bulla Cœnæ omnia priuilegia legẽdi huiuſmodi libros reuocantur; & Summus Pontifex ſibi reſeruat hanc facultatem concedere.

24 Sed non deſunt alij Doctores, qui docent: Inquiſitores, & Commiſſarios à Sede Apoſtolica deputatos, poſſe legere, & retinere libros hæreticorum: quia *in Conſtitutionibus Iulij III.* cuius initium eſt: *Cum meditatio, & Pauli IV. Cum in futurorum, & Pij IV. Cum pro munere*; in quibus expreſsè habetur: Quod nemini licitum eſt, legere libros hæreticorum, quacumque fulgeat dignitate, & reuocantur facultates conceſſæ quibuſcumque perſonis, cuiuſcumque ſtatus, Ordinis, & conditionis, etiãſi Epiſcopali, vel Archiepiſcopali, vel alia maiori dignitate Eccleſiaſtica, vel ſeculari præheminentia fulgeant, exceptis Inquiſitoribus, & Commiſſarijs à Sede Apoſtolica deputatis. Ex qua exceptione patet: Inquiſitores, & dictos Commiſſarios nõ comprehendi in prohibitione ſupradicta, ſed poſſe hæreticorum libros legere. Itá docent Pegna *in direct. in c. Fraternitatis de hæreticis, verſ. Item hæc prohibitio*, Naldus *in ſumma verb. Bulla Cœnæ, n.*11. Duardus *in ead. Bulla, lib.*2.*q.*51.*in fin.* Farinacius *de hæreſi, qu.* 180.§.1.*n.*43. Graffius *par.*1. *deciſ. lib.*4.*c.*18.*n.*45. Azorius *par.*1.*lib.*8.*c.*16.*q.*13. Bonacina *in Bull. Cœnæ, to.*3.*diſp.*1.*q.*2.*pun.*4.*nu.*10. Zanardus *in direct. theol. par.*2.*c.*7.*n.*16. Torreblanca *de Magia, lib.*3.*c.*15.*n.*27. Souſa *in Bull. Cœnæ, diſp.*15.*nu.*5. Diana *to.*5.*tr.*10.*reſ.*137.*ex par.*4.*tr.*8.*reſol.*46. & alij.

25 Notandum verò eſt, ſubſtitutos Inquiſitorum, ſeu Commiſſarios ab Inquiſitoribus deputatos non poſſe libros hæreticorum legere, quia huiuſmodi Commiſsarij non cenſentur à Sede Apoſtolica inſtituti. Et facultas legendi libros hæreticorum conceditur Inquiſitoribus deputatis à Sede Apoſtolica. Inquiſitor autem non eſt Sedes Apoſtolica: niſi ipſe hoc peculiare priuilegium habeat: tunc enim perſpicuum eſt poſse facultatem concedere, iuxtà præſcriptos priuilegij terminos. Vel ſi Commiſsarij ſint auctoritate Sedis Apoſtolicæ creati. Idem ſentiunt Pegna *vbi ſup. verſ. Falluntur ergò*, Carena *par.*2.*tit.*10.§.1.*n.*14. Marius Alterius *de cenſuris, to.*1.*lib.*5.*diſp.*2.*c.*6.*verſ. Hac prohibitio*, Meralla *to.*1.*diſp.*1.*c.*2.*diff.*11.*nu.*415. Bonacina *loc. cit.* In Regnis autem Hyſpaniarum ſo-

ſolus Inquiſitor Generalis poteſt legere libros hæreticorum, & illæ, cui ipſe commiſerit, & non alij Inquiſitores, vt affirmat Diana vbi ſuprà.

Inquiſitores habent ne facultatem concedendi alijs licentiam legendi libros hæreticorum?

26 RESp. negatiuè. Ità Sanchez *in Decal.lib.2.c.10.n.43.* Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.1.c.21.n.62.* Pegna *loc.cit. verſ.Numquid autem Inquiſitores*, & alij. Summus enim Pontifex expreſsè ſibi reſeruauit hanc licentiam concedere in dicta Bulla Cœnæ. Et quamuis ſupradicti Doctores doceant, poſse Inquiſitores, & Commiſsarij à Sede Apoſtolica deputati dictos libros legere, & retinere, tamen tutior, & probabilior eſt prima ſententia negantium, nec poſse illos legere, nec retinere, neque legendi, vel retinendi licentiam alijs præbere. Niſi particularem habeant ab Apoſtolica Sede, vel à Sac.Congreg.S.Officij facultatem. Quia vt notat Carena *par.2. tit.10.§.1.num. 13. in dicta Bulla Iulij III.* & aliorum nihil de nouo Inquiſitoribus conceditur: ſed tantum facultates, & licentiæ, ſi quas anteà habebant, eis non reuocantur, vt etiam obſeruat Barboſa *de poteſt.Epiſcop.alleg. 90.n.8.*

Inquiſitores, & alij S.Officij Miniſtri poſſunt ne excommunicari abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia à Prælatis, etiam Sedis Apoſtolicæ delegatis?

27 RESp. negatiuè, ex priuilegio eis conceſso *ab Alexandro IV. anno 1259. & Vrbani IV. anno 1261. & Clementis IV. in reſcripto incipiente: Catholicæ fidei*; vt teſtantur Eymericus *in direct.par.3.q.9.* Pegnā ibi *commen.70.* Carena *par.1.tit.5.§.13.n.87.* Et licet in dictis Conſtitutionibus ſolum exprimantur Inquiſitores, Notarij, & Scriptores; tamen hoc priuilegium extenditur, vt ait Pegna, ad omnes Sācti Officij Miniſtros, nempè ad Aduocatos, ad Procuratorem Fiſcalem, ad Conſultores, ad carcerum cuſtodes, & ſimiles. Tum quia fauores non ſunt reſtringendi, ſed ampliandi, *cap. Odia de regul.iur.in 6.* Tum fauore fidei; Et tum quia eadem iuris ratio reperitur in his Mininiſtris, ac in illis; & ſatis æquum videtur, vt Sanctitas ſua etiam ad alios Miniſtros illud extenderit. Hoc tamen priuilegio gaudent, quamdiù in proſecutione huiuſmodi negotij fuerint; quia amotis ab Officio Sāctæ Inquiſitionis, ceſſat priuilegium; nàm priuilegium ceſſat, ceſſante cauſa *l.Addicere, §.Quāuis, ff. de iure patron. & c.Cum ceſſante de appellat.* Ex dictis arguit quoque Pegna; quod ſi Inquiſitor ſit obligatus ad ſoluendam penſionem, aut quodlibet aliud in forma Cameræ, non poteſt contra eius perſonā aliquam actionem intentari, aut excōmunicationem ferri, durante officio, abſque expreſsa Romani Pontificis facultate, faciente de hoc priuilegio mētionem, ac illud reuocādo. Nec obſtat: Inquiſitorem obligando ſe in forma Cameræ, huic priuilegio renunciaſſe; quia quando priuilegium eſt potius totius Ordini, quàm priuatis perſonis conceſsum, illi renunciari non poteſt, *cap.Si diligenti, extra de foro cōpet.* & ibi Gloſsa, Hoſtienſis, Ioannes Andreas, & communiter alij. Ergò cum dictum priuilegium conceſsum ſit toti Ordini, ſeu Collegio Inquiſitorū, & propter publicam vtilitatem, & fidei fauorem, & vt hæreſes extirpentur, non poteſt à particulari in ſui preiudicium renunciari. Et ſi quis dicat: ex hoc damnificari contrahentes cum Inquiſitoribus, cùm non poſſint ius ſuum conſequi. Negatur; quia habent recurſum ad Pontificem, vel ad ſupremos Inquiſitores, qui re cognita debitores cogent, vt eis ſatisfiat. Ità Pegna.

Inquiſitor, & eius ſocius poſſunt ne, ſe mutuò ab excommunicatione abſoluere, & in irregularitate diſpen-

ſpenſare in caſibus, in quibus poſſunt eorum Superiores abſoluere, & diſpenſare?

28 RESp. Affirmatiuè; patet ex *Conſtitut. Vrbani IV.* quæ incipit: *Vt negotium fidei*, ann. 1261. vbi dicitur: *Vt negotium fidei valeatis, liberius promouere, vobis auctoritate præſentiũ indulgemus; vt ſi vos, & fratres veſtri Ordinis ſocios veſtros, excommunicationis ſentẽtiam, & irregularitatem incurrere aliquibus caſibus, ex humana fragilitate contingat, vel recolatis etiam incurriſſe, quia per iniunctum vobis officium, ad Priores veſtros de leui ſuper hoc recurrere, non poteſtis, mutuo vos ſuper his abſoluere, iuxtà formam Eccleſiæ, & vobiſcum auctoritate noſtra diſpenſare poſſitis in caſibus, in quibus dictis Prioribus, vt dicitur, eſt ab Apoſtolica Sede conceſſum.*

29 In tribus verò caſibus Inquiſitor, & ſocius mutuo ſe abſoluere nõ poſſunt. Primus eſt, quando omiſerunt procedere contra quem procedere debuerant. Ex *cap. Multorum, §. Verum de hæreticis.* Omiſſio autem eſſe debet, nõ ſolum contra iuſtitiam, ſed etiam contra conſcientiam, & ſcientiam ipſius Inquiſitoris: ità vt ſciat eſſe procedendum, & ex amore, vel odio, aut prętio, vel præce non procedat. Secundus eſt; ne prætextu Officij Inquiſitionis, quibuſuis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorquent: nec ſcienter attentent, Eccleſiarum bona, ob Clericorum delictum, prædicti occaſione officij, Fiſco etiam Eccleſiæ applicare, vt in *Clement. Nolentes*, §. *Etiam ipſorum de hæreticis.* Tertius eſt, cum alicui hæreſeos crimen falſo impoſuerunt, aut dixerunt, eos impediuiſse Sacrum Officium, qui re vera non impediuerũt; vt in *Clement. 1. de hæreticis*, §. *Verum quia.* Ità Eymericus *par. 3. direct. q. 24.* & ibi Pegna *comment. 73.* qui etiam notat ex dictis verbis colligi, quod neque ab illis caſibus poſsunt abſoluere, quorum abſolutio non eſt ſuis Superioribus conceſſa.

30 Quod facultatem habeant diſpenſandi ſe mutuo in irregularitate, patet ex dictis verbis Vrbani, & idem referunt Eymericus *q. 23.* Pegna *comment. 72.* Repertorium Inquiſ. *verb. Irregularitas*, §. *Si tamen*, Campegius *apud Zanchinum, c. 31. in princ.* Royas *tr. de hæreticis, p. 2. nu. 423.* Diana *to. 5. tr. 10. reſ. 69. ex par. 4. tr. 2. reſ. 102.*

31 An hoc priuilegium competat Cõmiſsarijs Inquiſitorum, affirmatiuè reſpondent fauore fidei, Pegna, & Diana *locis citatis.*

32 An verò Inquiſitores poſſint alijs diſpenſare, in irregularitate contracta ob hæreſim occultam. Negatiuè reſp. quia licet *Conſtitutio Clemẽtis VII.* quę incipit: *Cum ſicut*, §. *Vobis etiam*, id cõcedat Inquiſitoribus pro ſolo conſciẽtiæ foro, & ità ſentiant Mandoſius *de ſignatura gratiæ, verſ. Abſolutio ab hæreſi*, Lelius Zechius *in ſumm. tr. de fide, c. 11. n. 16.* Enriquez *lib. 14. de irregularit. c. 18. n. 2.* Tamen hoc priuilegium, vel fuit reuocatum per alias poſteriores Pontificum Bullas, vt ait Pegna *par. 3. comment. 175.* vel fuit perſonale, & non perpetuum, nec vſu receptum, vt ait Suarez *to. 5. in 3. par. diſp. 43. ſect. 1. n. 5.* & ità etiam affirmant Sanchez *lib. 2. in Decal. c. 25. n. 19.* Diana *to. 5. tr. 10. reſ. 136. ex p. 4. tr. 8. reſ. 85.* Et Pius V. anno 1567. prohibuit diſpẽſare, vt Sacerdotes hæretici, pœnitentes, Miſsam celebrárent, teſtè Sanctarello *de hæreſi, c. 25. dub. 1. n. 6.*

Inquiſitores, & eorum Miniſtri abſentes, poſſunt ne percipere diſtributiones quotidianas, ac ſi eſſent pręſentes?

33 RESp. Affirmatiuè; Sic enim eſt eis conceſsum in multis Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, vt referunt Sanctarellus *lib. 1. variar. reſol. q. 11. n. 5.* Barboſa *de Canonicis, c. 24. n. 2.* Carena *par. 1. tit. 5. §. 13. n. 93.* & alij, quos citat, & ſequitur Diana *to. 5. tr. 10. reſ. 135. ex par. 4. tr. 8. reſ. 71.* Et præcipuè eis conceditur in ſuis prębenben-

bendis, & dignitatibus pro præſentibus haberi, & integros fructus ſuarum præbendarum, ſimul cum quotidianis diſtributionibus percipere, fauore fidei: à Paulo III. & Pio V. vt aiunt Armendaniz *in recopil.legum*, Nauarr. *lib.2.tit.23.leg.2.§.2.n.7.* Royas *ſingul. 96.& de hæretic.par.2.n.420.*& alij. Et ità declaraſse Sacram Cardinalium Congregationem, teſtatur Garzias *de benef.to.1.par.3.c.2.n.356.*

Inquiſitores, & eorum Miniſtri ſunt ne immunes ab omnibus datijs, gabellis, & grauaminibus?

34 RESp. Affirmatiuè, vt notat Pegna *par.3.commen.2.litt.F.verſic.Mandantes vobis*, vbi refert verba legis Federici Imperatoris, quæ ſunt: *Mandantes vobis, vt dictum Inquiſitorem, eius ſocios, notarius, & familiares, ac eorum res, & bona ab huiuſmodi guidagijs, datijs, portibus, ac ab alijs oneribus, & grauaminibus, liberos, & expeditos eſſe, faciatis; non permittentes, eos pro huiuſmodi aliquid ſoluere, aut eis damnum aliquod à quocumque inferri, ſiuè pro perſonis, ſiuè pro rebus. Quinimmò prouideatis eiſdem de ſecuris tranſitis, & portu, ac cuſtodia, aut guidagio, ſicut per eundem Inquiſitorem fueritis requiſiti*. Hæc ibi. Et idem aiunt Royas *de hæret. par.2. n.421.* Carena *loc. cit.n.97.*

Inquiſitores, & eorum ſocij ac cæteri Miniſtri Sanctæ Inquiſitionis, quas indulgentias in vita, & in morte conſequuntur?

34 RESp. quod Inquiſitores plenariã Indulgentiam conſequuntur, quandocumque in vita, pro eſequendo ſanctę inquiſitionis officio, laborãt, & in morte, ſi in proſecutione officij diem claudant extremum: ex literis Apoſtolicis, Clementis, Alexandri, & Vrbani IV. incipient. *Præ cunctis*, §. *Vobis autem*; vt referunt Eymericus *par.3.direct.q.130.* Pegna ibi *commen. 179.* Repertorium Inquiſ. *verb. Indulgentia*, §. *Item Inquiſitores*, Tabiena *in ſumm. verb. Inquiſitor*, §. 39. *in fin.* Royas *tr.de hæret.par.2.n.412.* Carena *par.1.tit.5.n.94.*& alij.

35 Socij, Notarij, & omnes alij Inquiſitorum Miniſtri, qui in hoc Sancto Tribunali auxilium præſtant, ſeu inſeruiunt, quando in vita pro Sãcto Officio laborant, Indulgentiam trium annorum, & ſi in proſecutione moriãtur, plenariam lucrantur; vt patet ex dictis literis Apoſtolicis, & notant Eymericus *qu.128.* Pegna *comment. 177. & 178.*

36 Ex eiſdem literis Apoſtolicis poſſunt Inquiſitores conferre Indulgentiam viginti, vel quadraginta dierum Clero, & populo, quoties actio aliqua in fauorem fidei celebratur, vt ſimiliter notant Eymericus *q. 127.* Pegna *comment.176.* Carena *loc. cit.* & alij.

CAPVT III.

De iuriſdictione Inquiſitorum Sancti Officij, & eorum Commiſſariorum.

Inquiſitorum iuriſdictio eſt ne delegata, vel ordinaria?

1 RESp. eſſe delegatam, non verò ordinariam, quia non eſt iuriſdictio vniuerſalis, quæ extendatur ſuper omnibus criminibus, & delictis, ſed tantum in cauſis ſpecialibus hæreſis, & contra fidem ſpectantibus. Et quia Inquiſitores à Summo Pontifice iuriſdictionem accipiunt, & ſunt eius delegati, & eius perſonam repræſentantes. Ità docent Eymericus *in direct. par.3. q.4.* Pegna ibi *comment.53.* Azorius *to. 1.lib.8.c.18.q.6.* Molina *tr. 5. de iuſtit. diſp.28.n.4.* Farinacius *de hæreſi,q.186. n.39.* Scaccia *de iudic. c.67.n.5.* Zanardus *in direct.Theol.par.2.præc.1.cap.6.* Caſtro Palaus *par.1.tr.4.diſp.8.punct. 12.§.2.n.2.* & alij. Sunt tamen aliqui Doctores, quos citat Diana *to.5.tr.10. reſ.1.*

reſ.1. ex par.4.tr.8.reſ.1. qui ſuſtinent Inquiſitorum iuriſdictionem eſſe ordinariam. Sed non eſt recedendum à prima ſententia, quæ probabilior, & communior eſt. Verùm quamuis hæc iuriſdictio non ſit ordinaria, ſed delegata; habet tamen perfectiones, & excellentias, etiam iuriſdictionis ordinariæ; vt docent Sanctarellus, *tr.de hæreſi,c.40.dub.1.n.5.* Emanuel de Valle de Moura *Opuſc.1. de enſalm. & incantat. ſect.3.c.1.n.6.* Caſtro Palaus, & Diana *locis citatis*. Summi quoque Pontificis delegati ſunt illi Inquiſitores, qui non eliguntur immediatè ab ipſo Summo Pontifice, ſed ab alijs, vt illi, qui eliguntur à Generali Hyſpaniarum Inquiſitore; quia etiam iſti à Sede Apoſtolica iuriſdictionem accipiunt, vt patet ex literis Vrbani IV. & Clementis IV. relatis à Pegna *in fin.directorij*, & probat multis rationibus Caſtro Palaus *vbi ſup. n.4.* & docent Eymericus *vbi ſup.* Vmbertus Locatus *in iudiciali inquiſit.verſ.Vndè Inquiſitores*, Repertorium *verb.Inquiſitor,verſ.An Inquiſitores*, Lelius Zechins *ſumm. par.1. tit. de fide, rubr.de hæreſi,c.11.n.13.verſic. Et ſunt delegati Papæ*, Royas *ſingul. 114.n.4.& tr.de hæret.par.1. num.438.* Farinacius *vbi ſup.n.41.* & alij.

Inquiſitoris auctoritas in conquirendis, & puniendis reis S.Officij eſt ne maior, quàm Epiſcopi?

2 RESP. Quod ſi Inquiſitor, & Epiſcopus in aliquos reos hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, exemptos ab Epiſcopo, inquirunt auctoritate delegata, vterque eſt pari poteſtate, quia vterque eam habent à Romano Pontifice. Sed ſi Epiſcopus de hæreſi cognoſcit, & reum inquirit auctoritate ſua ordinaria; maior eſt auctoritas Inquiſitoris; quia auctoritas à Principe commiſſa, & delegata eſt maior, quàm ſit ordinaria, quam habet inferior, *c.Sanè 2.de off.deleg. l.1.ff.de officio eius, cui mandata eſt iuriſdictio*. Vndè ſi Epiſcopus, & Inquiſitor aliquam citent, vt coram ipſis compareat de fide, & religione reſponſurus; citatus ille coram vtroque ſe exhibere debet, ſi diuerſa ſint tempora ipſius citationis. Sed ſi eodem tempore fuerint, ſiſtere ſe debet coram Inquiſitore; vt probant Eymericus *in direct.par.3. q.5.* & Pegna *comment. 54.* Panormitanus *in c. Significaſti,n.1.& 5.de off.deleg.& in c. vlt. n.10.de conſuet.& in c.Si quis contra,n. 2.de foro compet.& in c.Pro illorum, nu. 15.de præbend.* Et ratio eſt, quia Inquiſitor gerit vicem Romani Pontificis, in cauſa ſibi ſpeciatim delegata. Ergò ei, velut Pontificis locum ſuſtinenti, obtemperandum eſt, quolibet alio Iudice poſthabito. Ità etiam docent Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.25.nu.5.* Farinacius *de hæreſi,q.186.n.87.& ſeq.* Caſtro Palaus *loc.cit.punct.13. n.3.* & alij communiter.

Inquiſitorum iuriſdictio extēditur ne aduerſus omnes perſonas in hæreſis crimine delinquentes?

3 RESP. Affirmatiuè, prѣter infraſcriptas perſonas ab eorum iuriſdictione exemptas. Poſſunt enim Inquiſitores procedere contra hæreticos, & eorum credentes, receptatores, defenſores, fautores, necnon contra infamatos, vel ſuſpectos de hæreſi, ac contra impedientes, ſeu retardantes directè, vel indirectè S. Officij negotium; vt patet ex *c. Vt officium de hæreticis in 6. & ex c.excommunicamus itaque,§.Credentes, eod.tit.* & ex literis Clementis, & Vrbani IV. quæ incip. *Præ cunctis in §.Cæterum*, & probant Eymericus *in direct.par.3.q.65. & 66.* & ibi Pegna *comment.94.& 95.* Geminianus *in cap. Ne aliqui de hæret. in 6.* & cæteri Doctores communiter.

Quinam ſunt iſti, qui iuriſdictioni Inquiſitorum non ſubduntur?

4 RESP. quod ſunt, primo. Summi Pōtifices, quia prima Sedes à nemine iudicatur: Inquiſitores enim ſunt

ſunt Papæ delegati, & inferiores: & inferior ſuum Superiorem iudicare nõ valet,ex *cap.Inferior 22.diſt. & l.ille à quo, ff.ad Trebell.* & docet Eymericus *3.par.q.26.*Sed in tali caſu hæc cognitio, vt ait Michael Zanardus *in direct. Theol.par.2.c.6.q.20.* ſpectabit ad Generale Concilium. Notandum verò Summum Põtificem, vt perſonam priuatam ex ignorantia, errare poſſe in fide,vt cum nonnullis Doctoribus notat Pegna *comment.* 74. non tamen vt Summus Pontifex poteſt hæreticus eſſe,quia eſt ſucceſſor D.Petri in Eccleſia: Petro autem dixit Chriſtus Dominus Luc.22. *Rogaui prò te Petre,vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus,confirma fratres tuos*:Quomodò autem cõfirmare poſſet in fide fratres ſuos Põtifex, niſi labe hæreſis infectus eſſet?Et ità docent Symanchas *de cath. inſtit.tit.*12.*n.*14.Suarez *in tract. de fide, diſp.*10.*ſect.6.dub.4.n.*11. Sotus *in 4.diſt.22.q.2.ar.2.* & alij,quos citat,& ſequitur Pegna *dicto comment.* 74.

5 Ab Inquiſitorum iuriſdictione eximuntur Nuncij, & Officiales Apoſtolici, qui vices Summi Pontificis in aliquibus cauſis, ſeu cauſa gerunt, & quorum officium, circa negotia Sedis Apoſtolicæ verſatur. Patet ex literis Ioannis XXII. vt ait Eymericus *q.* 26. & ex Extrauag. *Cum Matthaeus de hæreticis.* Et obſeruant etiam Pegna *comment.*75.Zanardus *loc.cit.q.*21. Suarez *de fide,diſp.*20.*ſect.*4. *n.*26. Molina *tr.* 5.*de iuſtit.diſp.*28.*n.*20.& alij,quos citat, & ſequitur Diana *to.*5.*tr.*10. *reſol.* 10.*ex par.*4.*tr.*8.*reſ.*24. Qui etiam docent non compræhendi in hac exemptione Officiales Apoſtolicos, & Nuncios, qui mittuntur, & dantur ad decidendas cauſas inter partes,quæ ad Sedem Apoſtolicam non pertinent, ſed priuatorum vtilitatem reſpiciunt.

6 Eximuntur ab Inquiſitorum iuriſdictione Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ,& Cardinales; aduerſus enim iſtos procedere, & iudicare in cauſis fidei Inquiſitores non valent. Ex *cap. Inquiſitores de hæret.in 6.* Et ità docēt Eymericus *q.* 27. Pegna *comment.* 76. Gondiſſaluus *tr.de hæret.q.7.n.*15. Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*25.*n.*7.& 8.Repert.Inquiſ. *verb.Epiſcopus*, §.*Ad ſecundum*, Diana *loc.cit.reſ.*11.*ex par.* 4.*tr.*8.*reſ.*21. Qui etiam affirmant,nomine Epiſcopi venire omnes ſic conſecratos, etiam Titulares, quia hi ſunt veri Epiſcopi,& verè dignitatem Epiſcopalem habent. Poſſunt verò Inquiſitores recipere dicta teſtium aduerſus Epiſcopos, & eorum delicta Sedi Apoſtolicæ denunciare. Et ſi eis ſpecialiter à Papa illorum cauſa committitur, procùldubio poſſunt procedere. Vt notant Symanchas *in Enchiridio, tit.*8.*n.*1.& Pegna ibidem,*ex c.Inquiſitores de hæret.in 6.*

7 Eximuntur Inquiſitores, contra quos nec Epiſcopus, nec alij Inquiſitores procedere poſſunt in cauſa hæreſis,ſed recipere debent informationes contra eos, & Summo Pontifici eas remittere. Quia Inquiſitoribus plurimum deferri debet, propter reuerentiam Sedis Apoſtolicæ, cuius ſunt Officiales, & Summi Pontificis perſonam repræſentant. Ideò neque Epiſcopus poteſt contra illos procedere; vt docent Eymericus *q.*30. Pegna *comment.* 79.Azorius *par.*1.*lib.*8.*c.*18.*q.*14.Locatus *in opere iudiciali,verb. Inquiſitor, n.*13.& *verb.Epiſcopus, n.* 2. Diana *to.* 5.*tr.*10.*reſol.*13.*ex par.*4.*tr.*8. *reſol.*25. Quod autem non poſſit Inquiſitor cõtra alium Inquiſitorem procedere, patet, quia: par in parem iuriſdictionem non habet: Ità dicti Doctores, ac etiã Suarez *de fide,diſp.*20.*ſect.*4.*n.*16. Zechius *in ſumm.tom.*1.*tit. de hæreſi, cap.* 11.*n.*13.

8 Addit tamen Pegna:Quod ſi manifeſtiſſima eſſet Inquiſitoris hæreſis: vt ſi contra fidem prædicaret, aut ſcriberet, aut prædicari, & ſcribi permitteret,aut hæreticos captos impunitos dimitteret, & his ſimilia perpetraret, quæ in manifeſtum fidei detrimentum cõuerterentur; nec facilè Summus Pontifex poſſet conſuli, & interea fides periclitaretur;liceret tunc Epiſcopo in Inquiſitore

ſitore

ſitore agere. Ità etiam affirmant Geminianus *in cap. Inquiſitores de hæret. in 6. n. 5.* Locatus *vbi ſup.* Repertorium Inquiſit. *verb. Epiſcopus*, §. 1. Ioannes Royas *ſingul.* 109. incip. *Iudices ſi ſint duo.* Sed in hac quoque re cauti, & prudentes eſſe debent Epiſcopi, & cauere debent, ne ad has punitiones, & capturas deueniant abſque exquiſitiſſimis conſiderationibus, & cauſis maturo conſilio penſatis. Ità Pegna, & alij.

9 Quamuis Inquiſitores procedere poſſint contra quoſcumque Religioſos, etiam exemptos, ac etiam eorum Religionum Prælatos de hæreſi inquiſitos, ex *cap. Vt officium*, §. *Denique de hæret. in 6.* & ex reſcripto Clementis VII. incipiente: *Cum ſicut*, & Pij IV. incip. *Paſtoris æterni*, & ex Conſtitut. Pauli V. in qua interdicitur Prælatis regularibus cognoſcere ſuos ſubditos de hæreſi; vt notant Sanctarellus *de hæreſi, c. 40. dub. 3. n. 21.* Zanardus *in direct. Theol. par. 2. c. 6. qu. 23.* Eymericus *q. 28.* & Pegna *comment. 77.* Diana *to. 5. tr. 10. reſ. 12. ex p. 4. tr. 8. reſ. 23.* & alij. Nihilominus, vel non poſſunt, vel non debent inquirere contra Generales Ordinum, & Religionum, etiam Militarium ob prærogatiuam dignitatis, quia in generali locutione non veniũt, qui nomen habent ſpeciale, & ſuper alijs dignos ſunt, vt docent Guttierez *lib. 3. pract. qu. q. 16. nu. 51.* & colligitur ex *cap. De multa de præben. & cap. Sedis Apoſtolica de reſcript. cap. finali de officio deleg. in 6.* Et huius exceptionis mentionem faciunt, & illam confirmãt Pegna *dicto comment. 77. in fine.* Nauarrus *de foro competenti, cap. 1. num. 5.* Hieronymus Henriquez *compen. qq. regul. reſ. 73. n. 1.* Emanuel Rodriquez *in qq. regul. to. 2. q. 81. ar. 1.* Zanardus *in direct. Theol. par. 2. c. 6. qu. 23.* Peyrinus *to. 2. in Conſtitut. Pauli V.* §. 1. *n. 2.* Diana *vbi ſup.* Qui docent contra Generales non eſſe ab Inquiſitoribus procedendum, niſi res prius ſit nunciata Inquiſitoribus ſupremis, qui cauſa cognita decernant, quid agẽdum ſit. Poſſunt tamen ipſi Inquiſitores dicta teſtium recipere, & ſi Generales ſuſpecti eſſent de fuga, poſſent eos incarcerare.

10 Inquiſitores quamuis poſſint procedere contra omnes laicos, cuiuſcumque ſint conditionis, dignitatis, & gradus, ex dicto *c. Officium*, §. *Denique de hæreticis in 6.* & ex literis Clementis, & Vrbani IV. quæ incipiunt: *Præ cunctis.* Tutius tamen eſt, quando procedendum eſt aduerſus Reges, & regales perſonas, quales ſunt, Duces, Principes, Marchiones, & ſimiles, vel aduerſus eos, qui Regibus adſtant, vt cõtra Conſiliarios, Senatores, vel potẽtes Barones, qui regali luxu viuũt, & opibus abundant, vel ſunt Gubernatores, Conſules, ac Magiſtratus, & ſi publicè Inquiſitores vellent eos animaduertere, facilè impedirentur, ſiuè ſint hæretici, ſiuè de hæreſi ſuſpecti: vt prius conſulatur Summus Pontifex, vel Tribunal ſupremum, & modo ab eo præſcripto contra illos procedatur. Ità docent Eymericus *qu. 31.* Pegna *comment. 80.*

Quinam dicuntur hæretici cõtra quos iuriſdictionem habent omnes Inquiſitores?

11 RESp. quod. Hæretici dicuntur, qui habent aliquem errorem in intellectu cõtra fidem cum pertinacia, vt docet D. Thomas *2. 2. q. 11. ar. 2.* & omnes Doctores, & notat etiam Farinacius *de hæreſi, q. 178.* §. 1. *n. 10.* Hæreticus etiam dicitur, qui pertinaciter dubitat de rebus fidei, etiamſi in tali dubitatione paruo tempore perſiſtat, & eo magis ſi plus inclinaret in doctrinã Catholicæ fidei contrariam, etiãſi non de tota Chriſtiana Religione, ſed de vno tãtum articulo fidei tenaciter dubitaret, vt docet D. Thomas *2. 2. q. 3. ar. 3.* & notat Pegna *in direct. par. 2. cõment. 1.* Similiter hæreticus putandus eſt, qui dubitat de his, quæ ab Eccleſia definita ſunt, & poſt legitimam admonitionem, deliberato animo, indubi-

dubitatione perſiſtit; quia in dubium non ſunt reuocanda, quæ ſemel pro fide, & veritate Catholica Eccleſia definiuit; vt ait Gelaſius Papa, & refertur *in cap. Maiores* 24.*q*.1. & docet D. Thomas *par*.1. *qu*.32. *ar*.4. Hæreticus quoque dicitur, qui pertinaciter non credit, vel exiſtimat verum non eſſe aliquid, quod in Sacra Scriptura continetur, vt probat Ricciullus *de iure perſ. lib*.5.*c*.8.*n*.4. & docet D. Thomas *par*.1.*q*.102.*ar*.1.

12 Hæreticus quoque dicitur, apoſtata à fide, qui fidem Chriſtianam, quàm in Baptiſmo promiſit, relinquit, & trãſit ad Iudęos, Turchas, Saracenos, Idololatras, & hęreticos, quo crimine nihil peius; quia, vt notat D. Thomas 2.2.*q*. 12.*ar*. 1. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, & ſublata fide nihil remanet in homine, quod poſſit eſſe vtile ad ſalutem æternam. Et qui id facit ex libidine, vel deſperatione, animo non relinquens Catholicam fidem, vt apoſtata reputatur; quia quantum ad Eccleſiam apoſtata eſt, vt obſeruat etiam Farinacius *de hæreſi*, *quæſt*. 183. *num*.22.

13 Schiſmaticus etiam hæreticus æſtimatur, quia ab vnitate Romanæ Eccleſiæ ſe diuidit, Summo Pontifici ſubeſſe renuit, & determinationibus Eccleſiæ, vt de fide factis, pertinaciter credere nõ vult. De iſtorũ peccato docet D. Thomas 2.2. *qu*.39.*art*.2. quod quamuis non ſit, tàm graue, quàm peccatum infidelitatis; tamen poteſt contingere, vt aliquis ſchiſmaticus grauius peccet, quàm quidam infidelis; vel propter maiorem contemptum, vel propter maius periculum, quod inducit, vel propter aliquid huiuſmodi. Quod autem iſti, vt hæretici ſint habendi, teſtantur Eymericus 2. *par. direct*.*q*.48.*n*.4. Pegna *comment*.73. Farinacius *q*.184.*n*.8.*&* 9. & alij.

Quinam dicuntur hæreticorum credentes, qui iuriſdictioni Inquiſitorum ſubduntur?

14 Reſp. Quod hæreticorum credẽtes dicuntur primò, qui credũt hæreticorum erroribus: & iſti propriè dicuntur hæretici, vt aiunt Eymericus *par*.2.*q*.50.*n*.1. Duardus *in Bull. Cœnæ, lib*.2.*can*.1.*q*.26.*n*.2. Royas *de hæret. q*. 1.*n*.298.*& ſeq.* Suarez *de fide, diſp*. 24. *ſect*.1.*n*.1. Sanchez *in Decal. lib*.2.*c*.10. *n*.2. Farinacius *de hæreſi*, *q*.182. *n*.121. *& ſeq.* & alij. Secundò, hæreticorum credentes dicuntur, qui nulla quidem hæreſi infecti ſunt, ſed credunt, hæreticos eſſe viros bonos, & habere bonã fidem: qui dicuntur habere hæreticorum perfidiam, non explicitam, ſed implicitam, vt affirmant Paludanus *in* 4. *diſt*. 13.*q*.3.*concluſ*.7. Toletus *in ſumm. lib*.1.*c*.19.*n*.5. Pegna *comment*.75. *verſ. Petrus de Palude*, Farinacius *loc. cit. nu*. 104. Sanctarellus *de hæreſi*, *c*.11.*dub*.4. *n*.29. alios referens. Tertiò, hæreticorum credentes dicuntur, qui quamuis profiteantur ſe non credere, quod hæretici credunt explicitè, tamen verbis, vel factis illis adhærent; quia eos viſitant, ad eorum domum vadunt, & veniunt, literas hinc indè deferunt, alimoniam eis præbent, reuerentiam ſuo more exhibent, ac ſeruiunt; pluries eorum ſermones, & conciones audiunt, eorum libros retinent, ac legunt, in eorum conuenticulis conueniunt, quæ ad ritum eorum pertinent, perpetrant, & ſimilia agunt, per quæ de hæreſi ſuſpecti vehementer, vel leuiter redduntur, ſecundum quod maiora, vel minora in eis indicia apparent. Ità Eymericus *vbi ſup*. Duardus *nu*.8.*&* 9. Azorius *p*. 1.*lib*.8.*c*.15.*q*.1. Suarez, Farinacius, & alij *loc. cit*.

Quinam dicuntur hæreticorum receptatores ab Inquiſitoribus puniendi?

15 Reſp. Hæreticorum receptatores dici eos, qui ſcientes aliquem eſſe hæreticum, latenter eum receptãt, ne ad manus Eccleſiæ perueniat. Ità Eymericus *par*.2.*q*.51. Pegna *comment*. 76. Suarez *de fide, diſp*.24.*ſect*.1.*n*.24.

Duardus *in Bull. Cœnæ, lib.2. can.1. qu. 28. n.1.* Sanchez *in Decal. lib.2. c.10. nu. 10.* Farinacius *de hæreſi, q.182. nu. 132.* Sanctarellus *de hæreſi, c.12. num.1. concluſ.1.* & alij. Iſti propriè dicuntur hæreticorum receptatores, etiamſi semèl tantum ſic eum receptauerint, & ſunt excommunicati, iuxtà *cap. Excommunicamus 1. §. Credentes de hæreticis, lib. 5.* vt dicti Doctores notant, & Zanchinus *de hæret. c.6. n.2.* Repertorium Inquiſ. *verb. Receptatores, §. Sed circa hoc*, Conradus Brunus *lib.1. de hæret. c.4. in fin.* & alij communiter. Qui autem ignorans aliquem eſſe hæreticum illũ receptaret; nec diceretur hæretici receptator, nec puniẽdus eſſet pœnis ſtatutis contra hæreticos receptantes, vt *locis citatis* docent Eymericus, Pegna, Farinacius, Duardus, Sanctarellus, Carena *par.2. tit.4. §.5.* & alij. Qui etiam docent in dubio hanc ignorantiam eſſe præſumendam: & ex conſequenti Fiſco incumbere, onus probandi ſcientiam in receptatore: dummodò non conſtet notoriè, receptatum eſſe hæreticum: quia in hoc caſu onus eſſet receptatoris, probandi ſuam ignorantiã. Inſuper ſi iſte receptaret conſanguineum hæreticum, non excuſaretur à tota pœna, ſed mitius eſſet puniendus. Et in impoſitione mitioris pœnæ habenda eſt ratio gradus conſanguinitatis; ità vt mitius puniatur, qui gradu proximiori eſt receptato, quàm qui remotiori. Ità Pegna *par.2. comment.81. verſ. Rurſus conſanguineos, & par.3. cõment.160. verſ. Num autem,* Farinacius *dict. q.182. n.148. & ſeq.* Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.15. nu.21.* Souſa *in aphoriſ. inquiſ. lib.1. c.23. n.7.* vbi ait mitius puniendum eſſe patrem receptantem filium hæreticum, quàm frater fratrem. An idem dicendum ſit de receptantibus, amicos maximos, ità vt etiã ipſi ſint mitius puniendi. Affirmant Tiraquellus *de pœnis temperandis, aut remitt. cauſa 4. & 22.* & Pegna *dicto comment.87. verſ. Numquid autem, & ſeq.* ſi amicitia ſit maxima: quia, vt ait Valerius Maximus *lib.14. cap.7.* Vinculum amicitiæ potens eſt, & prævalidum, neque inferius vlla ex parte ſanguinis viribus: et amicitia ipſa quædam fraternitas eſt, *l. verum, ff. pro ſocio*, & ità notant Soccinus *conſil.263.* & Iaſon *in l. Quæ dotis, ff. ſolut. matrimon.* Qui metu mortis hæreticum receptat, ne ab eo occidatur, in receptatoris pœnas non incurrit; quia non receptat hæreticum, vt hæreticum, ſed vt vitam ſuam tueatur: & leges humanæ non obligant in conſcientia, cum certò, vel probabili vitæ periculo. Credibile enim non eſt: Eccleſiam velle cum tanto rigore obligare: vt probant Suarez *de legib. diſp.4. ſect.3. n.13.* Duardus *in Bull. Cœnæ, lib.1. c.1. q.3. n.9. & c.2. q.2. n.19.* & alij.

Quinam ſunt hæreticorum defenſores contra quos iuriſdictionem habent Inquiſitores?

16 RESP. Hæreticorum defenſores eſſe in duplici differentia. Alij enim defendunt errores: et hi manifeſtè hæretici ſunt. Immò hæreticis deteriores; quia non ſolùm pertinaciter errant; verum etiam offendicula errãdi, alijs parant, vt optimè notant Cõradus Brunus *lib.1. de hæret. c.4. in fine*, Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.15. n.8.* Pegna *par.2. direct. comment.77.* Alij verò non defendunt eorum errores, ſed perſonas, qui quauis ratione ſtudent, & curant, ne hæretici in manus Inquiſitorum veniant, aut ne denuncientur, vel accuſentur, vel ne deferantur ad Inquiſitores eorum hæreſes, vel praua dogmata eorum ne examinentur, & ne interrogentur, vel quouis modo eorum capturam, animaduerſionem, condemnationem, ſupplicium, & pœnam impediunt; vel prohibent, ne aliquis intret aliquam domum, ſeu terram, ſeu locum ad eos inquirendos, & capiendos, vel captos, audent potentia, viribus, armis, aut fraude de manibus capientium eripere, aut Inquiſitorum munus impedire, vel illorum ſententiã non exequi. Hi omnes hæreticorum defen-

defenſores dicuntur, & ſunt de hæreſi ſuſpecti vehementer, vel leuiter, iuxtà defenſionis qualitatem; et iuriſdictioni Inquiſitori ſubduntur, & ab ipſis puniũtur, vt notant Eymericus *in direct. par.2.q.52.* Pegna ibi *comment.77.* Symanchas *de cathol.inſtit.tit.15.n.8.* Farinacius *dicta q.182. n. 63.* Duardus *in Bull.Cœnæ,lib.2.can.1.qu.32. n.1.& 2.* & alij. Et ſunt excommunicati *in Bulla Cœnæ, & in c. Excommunicamus 1. §.Credentes, n.15. de hæreticis, lib.5.* Sunt etiam infames, ſicut credentes, receptatores, & fautores, & omnibus officijs publicis priuandi, ex *dicto cap. Excommunicamus, & ex cap. Quicumq; §.Hæretici de hæreticis in 6.* & ex Conſtitutionibus Innocentij IV. & Clementis VIII. quæ incipiunt: *Ad extirpandas*, & Pauli IV. incip. *Cum ex Apoſtolatus*, & aliorum Pontificum, vt notat Pegna *inter literas Apoſtolicas.*

17 Compræhenduntur quoque ſub dicto nomine defenſorum, Aduocati, & Procuratores, qui ſine Inquiſitorum licentia, & in caſibus non permiſſis patrocinium hæreticis præſtant. Qui etiã ſunt de hæreſi ſuſpecti, & vti tales poſſunt contra eos Inquiſitores procedere, vt affirmant Sanctarellus *de hæreſi, c. 11.dub.2.n.21.verſ. Immò Aduocati*, Duardus *loc.cit.n.9.* Farinacius *q. 197. n.55. qui n.54. & ſeq.* enumerat dictos caſus non permiſſos: et idẽ alij tradũt.

18 Non tamen incurrunt excommunicationem, nec alias pœnas contra hæreticorum defendentes impoſitas, qui hæreticos defendunt extra cauſam hereſis: vt ſi aliquem illorum defendunt ne ab inimicis iniuſtè occidatur, aut ipſi patrocinantur in cauſa iuſtæ litis, aut illum defendunt, tãquam ſibi conſanguineum, aut grandem amicum. Quia hæc eſt iuſta hominis defenſio; & illa ſolum eſt iniuſta, & in conſcientia prohibita, qua quis ſcienter hæreticũ, vt hæreticum defendit, vt docent Caietanus *in ſumm. verb. Excommunicatio, c.1.* Nauarrus *c. 27. n.55.* Azorius *par.1.lib.8.c.15.q.6.* Farinacius, Duardus, & alij.

Quinam dicuntur hæreticorum fautores, Inquiſitorum iuriſdictioni ſubiecti?

19 RESp. Dici hæreticorum fautores, qui vel omiſſione, & negligẽtia, vel facto, & cooperatione, vel verbis, & conſilio hæreticis fauorem præſtant. Ità Eymericus *in direct. par. 2. qu.53.* Pegna ibi *comment.78.* Symanchas *de cathol.inſtit.tit.15. n. 11.* Repertor.Inquiſ. *verb.Fautores*, & alij. Omiſſione, & negligentia fautores hæreticorum ſunt: primò, Epiſcopi, Inquiſitores, & eorum Miniſtri, qui poſſunt, & tenentur ratione officij contra hæreticos procedere, eoſque punire: et contra illos non procedunt, nec eoſdem puniunt. Iſti excommunicationem incurrunt, & per triennium Epiſcopi ſuſpenduntur; & si id faciant ex odio, vel amore, vel ob lucrum temporale, excommunicationem incurrunt Summo Pontifici reſeruatam, ex *Clementina 1. §.Verum de hæreticis*, & ibi Gloſſa *ver. Fraudulenter*, Imola *n.3.* Zabarella *nu. 2.& ſeq.* Ancharanus *n. 11.* Caietanus *in ſum. verb. Excommunicatio, c.3.* Nauarrus *cap.27.n.100.* Et ſi prædicti in puniendis hæreticis fuerint negligentes deponi debent ab officio Epiſcopali: ex *cap. Excommunicamus 1.§.Volumus de hæret.* vt præter alios, docet Pegna *in direct.par.2.comment.2. verſ.Epiſcopi ergò*. Secundò, qui tenentur hæreticos accuſare, vel denunciare, & id non faciunt: vel dant aliquid, ad hereticos nõ denunciandos: vel legitimè ab Inquiſitoribus de hæreticis requiſiti, illos celant, & veritatem diſſimulãt. Ità Sylueſter *verb. Hæreſis 1. n.10.* Tabiena *verb. Excommunicatio 5. verſ.7. n.8.* Graffius *par.1.lib.4.c.12.nu.23. & 24.* Sayrus *lib.3.c.5.& 7.* & alij. Tertiò, qui hæreticos ab hæreſi reuocare poſſunt, & non reuocant; argum. *c.Vbi poteſt 24.q.3.* & argum. *c.2.de hæreticis*, & ibi Gloſſa *verb. Non reuocat.* Immò Felinus in principio, & alij Canoniſtæ deducunt, quod hæreticus cenſendus

ſit, qui ex negligentia hæreticum ab hæreſi reuocare omittit; quod intelligendum eſt de Epiſcopis, & Prælatis, ac Magiſtratibus: non autem de priuatis hominibus, qui ſolum ſub excommunicationis pœna tenentur illos accuſare, aut denunciare, vel reuelare; vt cum alijs Doctoribus notat Pegna *dicto comment.* 2. *verſ. Si de Epiſcopis*. Quartò, Domini ſeculares, & Officiales Miniſtri, qui omittunt hæreticum inquirere, & capere. Ità Paludanus *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 3. Caietanus *verb. Excommunicatio, c.* 2. Ananias *in c. Excommunicamus*, §. *Credentes de hæreſi*, *n.* 14. Syluester *loc. cit. q.* 7. Vel qui negligentes ſunt in extirpandis hæreticis à terris ſuis; vt notat Pegna *loc. cit.* Ex textu *in c.* 2. *de hæreticis*: Vel requiſiti, & moniti ab Eccleſia; vt faciant cuſtodias, in quibus hæretici cuſtodiantur, & in gratiam hæreticorum non faciũt: Sayrus *in Theſaur. lib.* 3. *c.* 5. *n.* 7. Angelus *verb. Hæreticus*, *n.* 14. Syluester *verb. Hæreſis* 1. *q.* 7. & alij. Vel dare nolunt milites ad capiendos hæreticos, vel requiſiti ab Inquiſitoribus, nolunt illos capere; Nauarrus *conſil.* 14. *de hæret.* Menochius *de præſumption. lib.* 5. *præſumpt.* 6. *n.* 31. Graſſius *lib.* 4. *deciſ. c.* 18. *n.* 22. & Sayrus *loc. cit.*

20 Facto, & cooperatione hęreticorum fautores ſunt, qui pecunias, alimenta, arma, & alia auxilia eis ſubminiſtrant; vt notant Ancharanus *in cap. de hæret. in* 6. *n.* 5. Geminianus ibidē, *n.* 12. Hoſtienſis *in ſumm. de hæret.* §. *Qua pęna*, *n.* 10. *& ſeq.* Sylueſter *verb. Hæreſis* 1. *n.* 10. Vel illis fauent; vt è carcere fugiant, vel in manus Inquiſitorum non deueniant, vt patet *ex Conſtitut.* Innocentij IV. & Clementis IV. quæ incipiunt: *Ad extirpanda*, apud Pegna *in literis Apoſtolicis*. Vel impediunt Epiſcopos, & Inquiſitores, ne eos puniant, vt ex *c. Accuſatos*, §. *Sacerdotes de hæret. in* 6. & ex *Conſtitut.* Innocentij IV. quæ incipit: *Malitia huius temporis*, & Vrbani IV. incip. *Licet ex omnibus*, & Calliſti III. cuius initium eſt: *Iniunctum nobis*, apud Pegnam vbi ſuprà; Et notant Eymericus *in direct. par.* 1. *q.* 54. *n.* 5. & alij communiter, quos citat, & ſequitur Azorius *par.* 1. *lib.* 8. *c.* 15. *q.* 6. Vel offendentes Miniſtros, & officiales S. Inquiſitionis, vt patet *in Cõſtitut.* Pij V. quæ incipit: *Si de protegendis*, apud Pegnã *inter literas Apoſtolicas*. Vbi inter cætera dicitur, quod *Verberantes, vel perterrentes Miniſtros S. Officij ſunt puniendi pœna mortis*, *ipſorumque bona confiſcanda*. Fautores etiam hæreticorum ſunt, qui ſe fingunt eſſe hæreticos, quos Inquiſitores procurant capere, vt ſic pro veris hæreticis ſe ſubmittentes, veros hæreticos liberent. Sed iſti tales debent ad perpetuum carcerem condemnari, & bonis omnibus ſpoliari, ex *Conſtitut.* Clementis IV. quæ incipit: *Ad extirpanda*, apud Pegnam *vbi ſup.* Item fautores hæreticorum ſunt, qui proceſſus contra hæreticum formatos lacerant, teſtes examinatos verberant, vel è manibus iuſtitię, aut è carcere hæreticum eruũt; vt affirmant Eymericus *in direct. par.* 2. *q.* 54. Pegna ibi *comment.* 79. Nauarrus *conſ.* 14. *de hæret. n.* 3. Item qui Inquiſitorem vexant, perturbant, & iniuria afficiunt ad hoc, vt hæreticum liberet. Ità Eymericus, & Pegna *loc. cit.* Item qui hæreticos venerantur, comitantur, viſitãt, illiſque munera mittunt; Eymericus *q.* 56. *n.* 7. Tabiena *verb. Excommunicatio* 5. *caſu* 4. *n.* 9. Locatus *in iudic. Inquiſit. verb. Suſpicio*, *n.* 30. & alij. Item qui ſepeliunt in loco ſacro hæreticos, vel eorum fautores, defenſores, receptatores, vel credentes; vt ex *cap.* 2. *de hæret. in* 6. & ex *Conſtitut.* Innocentij IV. quæ incipit: *Nouerit vniuerſitas*, apud Pegnam *inter dictas literas Apoſtolicas*.

21 Concilio, & verbis hæreticorum fautores ſunt, qui pro eis intercedunt, vel ſupplicant, aut veniam petunt, & impediunt Officium Sanctę Inquiſitionis; vel Inquiſitorum famam lædunt, dicentes; iniuſtè contrà hæreticos procedere, nec hæreticos eſſe ità malos, quales dicuntur, nec deberi tàm grauiter puniri, vel illos eſſe laude, & honore

re dignos,& ſimilia.Ità Archidiaconus *in c. Quemcumque*, *n. 6. de hæret. in 6.* Ioannes Andreas *ibid.n.5*.Geminianus *n.10. & 11.* Angelus *verb.Hæreticus*, *n.24.* Syluester *verb. Hæreſis 1.nu.10.* Menochius *de arbitrar.lib.2.caſu 548. n.3*.Graffius *lib.2.deciſ.c.9.n.11.* Mandoſius *in repert. inquiſ. verb. Fautores*, *verſ. An Aduocatus in addit. lit. K.* & alij. Item qui hæreticos monent, quod ſe abſcondant,ne capiantur;vel vt capti, è carceribus fugiant; vel docent modum, quo ſe falsò defendant, vel quo veritatem cælent, vel hæreſim negent. Ità Repertor.Inquiſ. *verb.Impediens,verſ.Item quoniam,& verb.Pęna,verſ.Item nota*,Eymericus *par.2. q. 56. n.4.* & ibi Pegna *comment.* 80. Symanchas *de cathol. inſtit. tit.15. n.11.* Sylueſter *verb.Hæreticus 2. n.16.* Decianus *in tract.crimin.lib.5. c.51. n.16.* Graffius *vbi ſup.n.17*.& alij. Hi omnes hæreticorum fautores ſunt, & de hæreſi ſuſpecti, vt notant Repertor.Inquiſ.*verb. Credentes*, *verſ. Sed circumſcripta*, Eymericus, & Pegna *loc.cit.* Calderinus *tract.de hæret. rubr.De hæreticis credentibus*, *n.11.* Et ſunt excõmunicati in Bulla Cœnæ, & in *Conſtit.* Martini V.quæ incipit: *Inter cunctas*, & Pauli IV.quæ incipir: *Cum ex Apoſtolatus officio*, apud Pegnam *inter dictas literas*. Et si tanquam fautores hæreticorum fuerint ab Epiſcopo, vel Inquisitore excommunicati, & per annum in excommunicatione persiſterint debent,vt hæretici haberi,& vt tales condemnari, *c. Vt Inquiſitionis*, §. *Prohibemus de hæreticis in 6.c.Cum contumacia de impedientibus*, *& c.Excommunicamus*, §.*Credentes de hæret.*Et ità docent Hoſtienſis *in ſumma de hæreticis*, §. *Qualiter depræhendantur*, *nu.* 1. Eymericus *par.2.direct.q.47.nu.3.* Pegna *comment.72.*

Quinam ſunt de hæreſi ſuſpecti, qui Inquiſitorũ iuriſdictioni ſubdũtur?

22 RESp. eſſe primò eos, qui impediunt Sanctæ Inquisitionis Officium, patet ex Bullis Clementis, & Vrbani IV. *& in c. Statutũ de hæret. in 6.*& tradit Eymericus *in direct. par.2. q.54.* Pegna *comment.79.* Locatus *in iudic.inquiſ.verb.Suſpicio*, *n.11.* Campegius *in addit. ad Zanchinum*, *tract. de hæret.c.20.lit.A.verb.Suſpicio.* Secũdò, qui cum hæreticis conuerſantur, vel hæreticorum conciones audiunt, vel eos receptant,defendũnt,vel fauẽt, vel visitant, aut munera mittunt, vel cum eis confederationem contrahunt, vel eos in loco ſacro ſepeliunt; vt docent, & probant Eymericus *qu.* 50.51. 56. Pegna *comment.* 75. 76.& 81. Repertor.Inquiſ.*verb.Hæreticus*, *& verb. Defenſores*, Azorius *par.1.lib.8.c.15. q. 1. & ſeq.* Royas *ſingul.175. n.4.*Locatus, Campegius, Tabiena, & alij. Tertiò, qui hæreticum non reuelant, Eymericus *par.2.q.55.* Pegna *commen.* 88.Repert.Inquiſ. *verb. Fautores*,*verſ. Item in iudicatione.* Vel in cauſa hæreſis examini ſe ſubijcere nolũt: Eymericus *par.3.q.62.* Pegna *comment.111.* Vel qui prius de ſe, vel de alijs hæreſim confeſſi fuerunt,& poſteà negant, vt ex *cap. Literas de præſumption.* & ibi Canoniſtæ communiter. Quartò, qui in locis vbi Catholici permiſtim cum hæreticis non viuunt, matrimonium cum hæreticis contrahunt, Gloſſa *in c. Decreuit de hæret.in 6.* & ibi Geminianus, & Ioannes Andreas, & Cantera *in qq.crimin.rubr.de hæret.c.1. n.1.* Vel Poligami,qui duas vxores eodem tempore viuentes ducunt. Eymericus *p.2. q.56.*Pegna *comment.81.* Caſtrus *lib.1. de iuſta hæret.punit. c.1.* Menochius *de præſumpt.lib.5.præſumpt.6.n.37.* Graffius *lib.5.deciſ. c.18. n. 16.*& alij. Vel qui ſæpè mulieres conſanguineas, vel affines, vel commatres, vel moniales carnaliter cognoſcunt: vt docent Doctores, quos citat, & ſequitur Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.50. nu.3.* Quintò, Regulares profeſſi,vel Clerici ſeculares in ſacris conſtitui, matrimonium contrahentes, siuè publicè, siuè ſecretè; qui etiam ſunt ipſo iure excõmunicati, *in Clement.1. de conſanguin.*

& af-

& *affin.* & notant Rodriquez *tom.3. quæſt. regul. q.1. ar.1.* Menochius *de præſumpt. lib.5. præſumpt.6. n.35.* & alij omnes. Vel apoſtatæ à Religione negligentes ad eam redire, & per annum perſiſtunt in excommunicatione: Eymericus *par.2. q.49.* & ibi Pegna, Locatus *in iudicial. inquiſ. verb. Apoſtata, n.1.* Decianus *in tract. crimin. lib.5. c.71. n.2.* Sextò, qui Chriſti fidem ore negant, ſed non corde, vt docent Eymericus *par.1. q.9.* Pegna ibi *comment.* 24. etiamsi metu mortis aliquis compulſus aliquid fidei contrarium affirmaret abſque mentis intellectu, quia hominibus verba patent, non mentis affectus: Et Eccleſia iudicat de externis.Ità Symanchas *tit.12. n.36.* Repertor. Inquiſ. *de hæret. q.13. n.67.* Azorius *par.1. lib.8. c.9. q.9.* Vel propoſitiones hæreticas, vel quæ hæreſim ſapiunt, vel ſcandaloſas, ac temerarias proferunt Eymericus *par.2. q.2.* Pegna *comment.* 27. Vel horrenda iuramenta, execrabiles blaſphemias, verba impudiciſſima, frequenter dicunt: Eymericus *q.41.* Pegna *comment. 66.* Locatus *in iudiciali, verb. Blaſphemia, n.5.* Zanardus *in ſumm. par.2. c.64.* & alij communiter. Septimò, qui libros hæreticorum legunt, vel retinent, etiamsi illos non legant. Ità Doctores, quos refert, & ſequitur Decianus *in tract. crimin. lib.5. c.37. n.55. & c.46. n.32.* & patet ex Bulla Pij IV. incip. *Dominici gregis*; Vel ſcienter legentes, aut retinentes, aut imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes libros, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes abſque licentia, vt patet ex Bulla Cœnæ, & ibi Duardus *qu.39. &* 40. Similiter legentes, aut retinentes, vel imprimentes libros ſchiſmaticorum, vt probant Suarez *de fide, diſp.20. ſect.2. n.11.* Sanctarellus *de hæreſi, c.13. n.17.* etiam manuſcriptos, vt notat Barboſa *in c. Fraternitati, n.3. de hæreticis*, vel legentes ſcholia hæreticorum ad libros Catholicorum. Ità Duardus *ibid. q.43.* Sanchez *in Decal. lib.2. c.10. n.25.* vel legẽtes libros Armenorum, & Græcorum. Souſa *in aphoriſ. inquiſit. lib.1. c.21. n.20.* Caſtro Palaus *to.1. tr.4. diſp.2. §.1. n.1.* Item legentes, ac retinentes libros prohibitos ob obſcenitates laſciuas, & contra bonos mores; vt conſtat *ex literis Eminentiſsimi Cardinalis Mellini ad Reuerendiſsimum Patrem Inquiſitorem Cremonæ ſub die 6. Februarij* 1627. vt refert Carena *par.2. tit.10. §.2. n.19.* Octauò, ſunt etiam de hæreſi ſuſpecti, qui ſingulis annis ſua peccata non confitentur, neque Sanctiſsimam Euchariſtiam recipiunt: diebus feſtiuis Miſſam non audiunt: diebus ieiunij, non ieiunant: vel diebus vetitis carnes abſque neceſſitate comedunt. Eymericus *par.2. q.55.* Pegna *comment.80.* Zabarella *in c. Excommunicamus 1. de hæreticis in fin.* Felinus ibi, *n.4.* Ananias *in c. Ad abolendam eod. tit. n.4.* Felinus *ibid. n.2.* Repert. Inquiſ. *verb. Cognoſcere, verſ. Sed an Iudex, & verb. Præſumptio, verb. Credentes, verſ. Non credit, & verb. Confeſſio, verſ. Si quis ſemèl.* Duardus *in Bull. Cœnæ, can.1. q.33. n.7.* & alij. Nonò, Sacerdotes ſollicitantes ad inhoneſta in confeſſione, aut illicitos, & inhoneſtos ſermones, aut tractatus habentes, ſiuè pro ſe, ſiuè pro alijs in actu ſacramentalis confeſſionis; ſiuè antè, vel poſt immediatè, ſiuè occaſione, vel prætextu confeſſionis, etiam ipſa confeſſione nõ ſecuta: ſiuè extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in quocũque loco, vbi confeſſiones ſacramentales audiuntur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire. Ità ex *Conſtitut.* Gregorij XV. ædita ann. 1622. Decimò, qui non ordinati Sacerdotes Miſſam celebrant, aut confeſſiones audiunt, ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti, ex Bullis Gregorij XIII. & Clementis VIII. æditis ann. 1574. & 1601. Et ob tàm immane facinus ſunt ab Inquiſitoribus, & Ordinarijs degradandi, & curię ſeculari tradendi; ex Bulla Vrbani VIII. vt refert Diana *tom.5. tr.12. reſ.12. n.2. in fin. ex par.4. tr.7. reſol.12.* et ità etiam docent Sanctarellus

de hæ-

de hæreſi, c.42. dub.vnic. n.5. Peyrinus *to.2.in Conſtitut.9. Pauli V.* §.2. *nu.*22. Bordonus *to.1.c.*22.*q.*8.*n.* 12. Carena *par.2.tit.*11.§.1.*&* 2. Similiter ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti, & ab Inquiſitoribus puniendi Sacerdotes, qui Miſſam celebrantes, non conſecrant, vel ex defectu intentionis, vel ex omiſſione formæ conſecrationis; quia qui ſic celebrat eſt idololatra, quoad actum externum, & alios idololatrare facit extrinſecè, & materialitèr: Vel hoſtiam conſecratam de nouo conſecrat, quia in illa non amplius eſt ſubſtantia panis, cum in illam tranſubſtãtiatum fuit corpus Chriſti: et conſequenter non eſt materia apta ad nouã conſecrationem. Ità docent Oldradus *conſ.*208. Lucerna Inquiſ. *verb. Sacerdos celebrans*, Bariola *in aphoriſ. lit.S. verb.Sacerdos*, §. 12. Diana *loc.cit.* Vel rebaptizantes baptizatos, aut baptizãtes imagines, magnetem, animal brutũ, aut cadauer hominis mortui, vt notant Pegna *comment.* 67. Farinacius *de hæreſi, q.*181.*n.* 23. Delrius *diſquiſ. mag. lib.*5.*ſect.*15.*verſ.Dico quartò.* Vndecimò, exercentes Aſtrologiæ iudiciariæ artem, prędicentes, non ſine pacto ſaltẽ tacito dœmonis, pendẽtia ex libero arbitrio, & futuros caſus fortuitos, etiãſi aſſerant, & proteſtentur, ſe id certò nõ affirmare. Vel ſcienter legentes, aut retinentes conſimiles libros, & de diuinatione tractantes, vt patet ex *Conſtit.* Sixti V. quę incipit: *Cœli, & terræ Creator*. Vel reuelantes res præteritas, aut præſentes omninò occultas, vt docent Suarez *de Relig.lib.2.de ſuperſtit. c.*11. *n.*27. Sanchez *in Decal.lib.2.c.*38.*n.*28. qui alios allegat. Vel prædicere profitentes ex aſtris myſteria noſtræ fidei: vt quod Chriſtus naſciturus erat ex Virgine, & ſimilia. Quia myſteria noſtræ fidei pendent ex ſolo Dei decreto: vt notant Molfeſius *in ſumm. tr.*11. *c.*7. *n.*115. Carena *par.2.tit.*12. §.11. *n.*67. & alij. Vel prædicere præſumentes aliqua de ſtatu Eccleſiæ, et de aſſumptione ad Sũmũ Pontificatum, vel de vita, & morte Pontificis, contra quos extat *Conſtitutio* Vrbani VIII. incip. *Inſcrutabilis edita ann.* 1631. In qua præcipitur, quòd Aſtrologi iudiciarij, qui de ſtatu Eccleſię, vel Sedis Apoſtolicę, ſeu vita, & morte Romani Pontificis, aut eius conſanguineorum, iudicia faciunt, vel facta in poſterum penès ſe retinent, vel alicui oſtendunt, aut verbis tractant, vltra excommunicationis pœnam, quàm ipſo facto incurrunt, ut læſæ Maieſtatis rei ultimo ſupplicio, confiſcatione bonorum; & ſi Clerici fuerint priuatione beneficiorum, & officiorum, mulctentur. Duodecimò, ſortilegi, diuinatores, magi, ſtriges, & alij, qui pactum cum dœmone expreſſum, uel tacitum inierunt, uel in ſuis ſortilegijs admiſcent aliqua, quæ hæreſim ſapiunt. Vt ſi dœmonibus honorem latriæ, uel duliæ tribuunt, aut ſacrificia offerunt, uel Deum abnegant, & Eccleſiæ Sacramenta, vel in eodem ſortilegio admiſcent Oleum Sanctum, Sacram Euchariſtiam, uel uerba ſacramentorum, uel ſacramentalia; ut aquã benedictam, cereum paſchalem, uel candelas de arundine, uel ſanctorum reliquias, uel agnos Dei benedictos; uel uerba Sacræ Scripturę, & alias Eccleſiæ orationes, ut notant Pegna *dicto comment.* 67. Scaccia *de iudic. ciuil. & crimin. & hæretical. lib.1.c.*12. Farinacius *de hæreſ. qu.* 181. *num.*2. *& ſeq.* Delrius *vbi ſup.* & alij. Tertiodecimò, qui Sanctorum imagines conculcant, ſputis fœdant, cruces deijciunt, pedibus ſupercalcant, Sacramentis abutũtur, dœmonibus thura adolent, ſacrificia offerunt, candelas accendunt, cultum tribuunt, genua flectunt, humi ſe proſternunt, præces emittunt, ſe eis deuouent, obedientiam promittunt, laudes, & cantus proferunt, caſtitatem pro eorum reuerentia, uel admonitu ſeruant, ieiunant, carnem macerant, ueſtibus nigris, uel albis pro eorum deuotione ſe induunt, characteres, & ſigna in eorum corporibus imprimunt, eorũ nomina ſcripta honoris cauſa ſecum deferunt, ſanguinis proprij ſcriptionibus dœmonibus inſeruire ſe aſtringũt.

Omnes

Omnes iſti, vel ſunt hæretici, uel de heresi ſuſpecti, vt affirmant Eymericus *par.2.q.43.*& ibi Pegna, Suarez *tom.1. de Relig.lib.2.de ſuperſtit.c.19.n.10.*Farinacius *dicta qu.181.nu.68. & ſeq.* & alij. Et omnes ſupradicti Inquiſitorum iuriſdictioni ſubduntur, & ab ipſis iudicantur, & puniuntur; vt communiter docent Doctores.

Qui bis in eodem die celebrauit, extrà diem Natalis Domini, eſt ne de hæreſi ſuſpectus, & Inquiſitorum iuriſdictioni ſubditus?

23 RESP. Quod quamuis à Summis Pontificibus ſit prohibitum, ne Sacerdotes præter diem Natalis Domini pluſquàm ſemèl in die celebrēt, vt ab Alexandro IV. *in cap.Sufficiat 52. diſ. 1. de conſecrat.* ab Innocentio III.*in cap. Conſuluiſti 3.* & ab Honorio III. *in cap. Te referente 12.de celebrat. Miſſ.* Tamen bis, vel pluries in die celebrans non eſt de hæreſi ſuſpectus, licet peccet mortaliter, & ſit pœna mulctandus; quia ſi hæc pluralitas celebrationis induceret hereſis ſuſpicionē, nūquam alicui Sacerdoti liceret, pluſquàm ſemèl celebrare, ne hanc ſuſpicionem incurreret. Sed non deſunt Doctores, qui docent in multis caſibus licitum eſſe, pluſquàm ſemèl celebrare: vt affirmant Paludanus *in 4.diſt.12. q.1.* D.Antoninus *par.1.tit.13.c.6.* §.5. Durandus *in ration.diuin.offic.lib.4.c.1.* Angelus *verb.Miſſa,* Nauarrus *c.25.n. 87.* Valentia *to.4.diſp.6.q.11.pun.3. ad 7.* Henriquez *lib.9. c.30. ar.7.* Diana *to.2.tr.1.reſ.91.ex par.2. tr. 14. reſ.56.* Bordonus *to.1.c.32.de abuſu Sacramētorum, q.5. n.7.* Caſus autem iſti ſunt. Primò, quando vnus Sacerdos præficitur duabus Eccleſijs parochialibus, nec habet coadiutorem: tunc enim, vt in vtraque parochia populus Miſſam audire poſſit, poteſt Parochus in vtraque eodem die celebrare. Ità Suarez *to.3. in 3.par.diſp.8.ſect.3.* Trullenchus *de Sacrament. lib.3. c.8.dub.1. nu.4.* Lugo *lib.1.moral.reſpon.dub.14. nu.2.* Leandrus *de Sacrament.to.2. tr.8. diſp.5.qu. 38.* Dicaſtillus *de Sacram. tom.1. tr.5. diſp.4.dub.3.n.39.* Caſtro Palaus *to.4. tr.22.pun.7.n.9.*& alij. Secundus caſus eſt, quando pro viatico communicandus eſt infirmus, morti proximus, & nulla adeſt particula conſecrata; tunc ne ille Sanctiſsimo Viatico priuetur, licitum eſt Parocho, qui iàm celebrauerat, iterum celebrare. Ità Paludanus, D. Antoninus, Angelus, Nauarrus, Henriquez, Diana, Dicaſtillus *locis citatis,* Coninchus *qu.83.art.2. dub.3.* Toletus *in ſumm.lib.2.c.3.* Graffius *1.p. lib.2.deciſ.c.40.n.1.* & alij. Tertius caſus eſt, quando eſt raritas magna Sacerdotum, & difficultas celebrandi ſacrum, multis ſimùl confluentibus, qui non poſſunt ſimùl concurrere, ne prodantur, & ab hoſtibus vexentur; vt cōtingit in Anglia, alijſque ſimilibus locis. Tunc etiam licet Sacerdoti, pluſquàm ſemèl celebrare. Ità Suarez *vbi ſup.* Lugo *diſp.20.n.43.* Dicaſtillus *nu. 51.* Azorius *lib.10. c.24.q.6.ſect.* 8. & alij. Alios etiam caſus referunt Angelus, *verb.Miſſa,n.46.* Durandus *in rationali diuin. offic. lib. 4. c. 5.* Nauarrus *c.25.n.87.* Hoſtienſis *in ſumma de conſecrat.Eccl.n.14.* Sotus *diſt.13.q.2. art. 2.* Ledeſma *q.24. ar.2.* Syluester *verb. Miſſa, n. 24.* Quando autem dicitur, poſſe bis celebrari intelligitur, etiam ter, ac ſæpiùs ſi toties neceſſitas eodem die occurrat; vt notant Suarez, Dicaſtillus, & alij. In quocumque dictorū caſu requiritur, vt Sacerdos ſit ieiunus, & quod in priori Miſſa non ſumat ablutionem, ſeu purificationem, alias dicere non poterit ſecundam. Ità Doctores communiter, vt notat Diana *to. 2.tr.1.reſ.92.ex par.10.tr.16.miſ.6.reſol.23. alias 22.* Dum ergò licitum eſt aliquandò, pluſquàm ſemèl Miſſam celebrare: Sequitur, quod qui abſque vlla neceſſitate, ſed vel ex inopia, ſeu auaritia, vel ex ſimonia, voluntariè pluſquàm ſemèl celebrat, peccat mortaliter, ſed non eſt de hæreſi ſuſpectus, nec puniendus ab Inquiſitoribus, ſed ſi regularis ſit à Superiore Regulari, ſi

Sa-

Sacerdos ſecularis ab Epiſcopo, vt probat Bordonus *to.1.c.22.q.6.n.8.*

Inquiſitorum iuriſdictio extenditur ne ad cauſas criminales, & ciuiles ſuorum familiarium?

23 RESP. Quoad cauſas criminales affirmatiuè; ità vt alij Iudices nō poſſint ſe intromittere in illis; ſed ab Inquiſitoribus eorum familiares, & officiales ſint iudicandi: ſolum enim alij Iudices poterunt illos capere, ſed captos tenentur Inquiſitoribus remittere. Ità docent Symanchas *de cathol.inſtit. tit.41.rubr.de Miniſtris, nu.* 16. Royas *ſingul.* 101. Paramus *de orig. S. Inquiſ. lib.5.q.6.n.27.* Farinacius *de hæreſ. qu.* 186.*n.38.* Caſtro Palaus *to.1.tr.4.diſp. 8.pun.12.n.9.* Thomas del Bene *de off. inquiſ,to.2.dub.*145*.ſect.*16. Alphonſus à Narbona *to.2. in 3. par.recopil. lib.4. tit.1.*§.20.Diana *tom.5.tr.10.reſ.*21*. ex par.1.tr.2. reſol.*136. *alias* 135. & alij. Quia ex priuilegio Ioannis XXII. Domini Inquiſitores poſſunt tenere familiam armatam, ſub cuius nomine veniunt Conſultores, Fiſcales, Aduocati, Notarij, Birruarij, & omnes familiares, vt docent Zanardus *in direct. confeſſ. par.2.præcept.1. c.6. q.3.* Farinacius *qu.* 128.*n.90.*Barboſa *de poteſt.Epiſcop.par. 3. alleg.*107*. n.9.* & alij. Ergò iuriſdictio in eos eſt Eccleſiaſtica, & ipſorum Inquiſitorum, & non ſecularis. Confirmatur, quia, vt ſuſtinet etiam Regius Conſiliarius D. Thomas de Carleual *in tract.de foro compet. lib.1.tit.1.diſp.2.q. 6.ſect.6.n.*508.*& ſeq.* Inquiſitores gaudent iiſdem priuilegijs, ac Epiſcopi, & Gratianus *diſcept.forenſ.tom.2. c.*240*.n.* 35*.& c.*341*.n.*11. Royas *de hæreticis,p.* 2.*num.*409. Paramus *in dicto tract.de orig. inquiſ. pluribus in locis*, teſtantur, quod non minora priuilegia reperiuntur conceſſa Inquiſitoribus, quàm Epiſcopis. Sed Epiſcopi cognoſcunt cauſas criminales ſuorum familiarium, ſecundum communem opinionem, pro qua dictus Carleual allegat 24. Doctores, & inter eos plurimos Miniſtros Regios, vt notat Carena *par.1.tit.14.§.5. n.20.* Ergò eodem priuilegio gaudent Inquiſitores, & ipſi quoque cauſas criminales ſuorum familiarium cognoſcere, & iudicare valent.

25 Excipiuntur verò ab hac iuriſdictione, vt notant Symanchas, Royas, Paramus, Farinacius, Caſtro Palaus *locis citatis*, committentes crimen læſæ Maieſtatis, rebellionis, ſeditionis publicæ, proditionis, raptus, mandatorum regalium deſpectus, & eorum Iudicibus reſiſtentium, effractionis, ſeu violationis Eccleſiæ, aut Monaſterij, incendiarij, vel denique committentes vitium nefandum. Quia expedit hæc crimina à Iudice ſeculari, qui pœnam mortis imponere poteſt, iudicari, ne aliqui prætextu exemptionis audeant hæc committere.

26 In cauſis autem ciuilibus Caſtro Palaus *dicto tom.1.tr.4.diſp.8.pun.12.§.2. n.9.in fine*, opinatur: Inquiſitores ſolùm habere iuriſdictionē reſpectu officialiū, qui sūt à ſecretis; ij enim ſolū conueniri à creditoribus, & cōuenire debitores poſſunt corā Inquiſitoribus, non autem alij officiales externi. Sed quod in Regno Valentiæ poſſint Inquiſitores in cauſis etiam ciuilibus ſuorum familiarium omnium procedere, & ſint Iudices competentes, affirmant Royas *par. 2.de hæret. n.*422. Hieronymus de Leo *in deciſ.2. Regni Valentiæ per totam.* Et quod ità quoque obſeruetur in Regnis Aragoniæ, Cataloniæ, & Maioricarum, teſtatur Narbona *in recopil. lib. 4. tit.1. leg.20.n.14.& gloſ.6.n.2.* & ità etiam in Regno Siciliæ, affirmant Paramus *de orig.inquiſ.lib.3.q.6.n.27.* Diana *tom.5. tr.10.reſ.22.ex par.4.tr.8.reſ.55.* Thomas del Bene *de off.inquiſ.to.2.dub.*195 *ſect.16.n.5.& ſeq.* Tum ex iure municipali illius Regni, tum ex priuilegijs, & deciſionibus Summorum Pontificum, tum ex Conſuetudine immemorabili; & tum ex concordatis inter Regem, & Inquiſitores anno 1580, vt notant dicti Doctores. Qui etiam affirmant: In Regno Siciliæ hoc priuilegio non ſolùm gaudere familiares ſupradicti, ſed etiā

zarius *to.2.tr.8.c.8.ſect.3.n.60.* Poſſunt etiam contra eos procedere infrà annũ in tribus caſibus, tanquam de hæresi vehementer ſuſpecti. Primò, si à Religione tranſeant ad partes hęreticorum, vel cùm eis communicent, vel eorum conciones audiant, vel aliquo modo eorum impietates auctorizent. Secũdò, si habitum lacerent, pedibuſque conculcent,& blaſphemias contra Religiones euoment: hæc enim, & similia facere indicant malè ſentire de ſtatuReligionis. Tertiò, si aliquid faciunt contra determinationes Ecclesiæ; vtpotè, si vxores ducant, si cum excommunicati ſint Miſſam celebrent, si carnes in diebus vetitis comedant, & similia, vt notat Zanardus *in direct.theol.par.2.præc. 1.c.5.§.19.*

Turpes Quæſtuarij, qui modis illicitis eleemoſynas quęrunt, ſubijciuntur ne Inquiſitorum iuriſdictioni?

38 RESp. In aliquibus casibus ſubijci, & primò Prædicatores quæſtuarij, qui in fidei negotio, quod ad illos nullatenus pertinet, ſe ingerunt, gentes ad ſe audiendos congregant, vel quomodolibet impedimentum ſanctæ inquisitioni afferunt. Ità ex *cap. Vt officium*, §. *Compeſcendi de hæreticis in 6.* Eymericus *par.3. q. 37.* & Pegna *comment.86.* Secundò, quæſtuarij, qui prætextu indulgentiarum, vel facultatum à Sede Apoſtolica conceſſarum, eleemoſynas mendicant. Iſti enim iuxtà *Conſtitut.30.& 99.Pij V.* ab Inquisitoribus, & Epiſcopis puniri poſſunt; vt notat Paſſarinus *to.2.q.187.n.61.* Tertiò, qui ex pacto, vel principali fine aliquid lucrandi, quærunt reliquias, & alias res ſacras vendere, locare, tradere, vel oſtendere: quia, vt docet Nauarrus *in ſumm.cap.17. n.169. in fin. & in cap. Inter verba 11.q.3.concluſ.4.& in comment.cap.Cum miniſter 23.q.5.& in Enchiridio de orat. c.6. n. 15.* Turpis quæſtus dicitur, qui quæritur ex venditione, locatione, traditione, vel oſtentione reliquiarum, & aliorum ſacrorum, cum pacto, vel ſine principali, ob id aliquid recipiendi. Secus verò, quando principaliter hoc fit, ob honorem, & reuerentiam Sanctorum, & minus principaliter, vt indè aliquid recipiatur.

Inquiſitores poſſunt ne procedere cõtra mortuos hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos?

39 RESp. Certam eſſe regulam traditã *in l.2.& 3. Cod.ſi reus, vel accuſator mortuus fuerit, l.vlt. Cod. de bonis eorum, qui ſibi mort.conſc.l.in Senatus, §. Si propter mortem, ff.ad Senatus Conſul.* & alibi. Morte delinquentis, extingui etiam delictum, & omnem actionem contra illud, siuè inquisitio sit intentata, siuè intentanda; itaut poſt mortem nullus accuſari, vel condemnari poſſit, quia mors omnia ſoluit, & mortui diuino iudicio ſunt ſubiecti non humano, vt patet; & notatur etiam *in cap. Quorundam, diſt.23.& in cap.Ex Epiſtola, ibid.* Fallit verò hæc regula in crimine læſæ Maieſtatis Diuinæ, & humanæ: quia ob immanitatem facinoris, & ad maiorem illius deteſtationem, non extinguitur morte delinquentis, *cap. Accuſatus, §.fin.de hæret.in 6. cap. Filij*, & ibi, *Gloſ.eod.tit.& cap. Si quis Epiſcopus extra de hæret.* & ibi communiter Doctores, & probant Symanchas *de cath. inſtit.tit.18.n.1.& ſeq.* Decianus *tract. crimin.lib.5.cap.67. nu.1.* Pegna *par.3. comment.92.* Ludouicus à Paramo *de orig.S.Inquiſ.lib.3.q.4.n.78.& ſeq.* Farinacius *de hæreſi, q.197.n.86.* Hęc autem Inquisitoris facultas procedendi contra hæreticum defunctum ſemper durat, nec vnquam extinguitur: ſed quocunque tempore detectum fuerit, & legitimè conſtiterit aliquem deceſſiſſe hæreticum, poteſt Inquiſitor agere contra eum, & declarare excommunicatũ; ac inhibere, ne preces fiant; & ne ſuffragia pro illius anima offerantur, & vt cadauer extumuletur, & comburatur; quia nec mortuus, hæreticus in loco ſacro, & cum Catholicis communicare poteſt. Nec admittenda eſt opinio dicen-

centium, hāc Inquiſitorum iuriſdictionem ſpatio quadraginta annorum extingui; quia illorū rationes ſolum militant in confiſcatione bonorum eorum, vt infrà dicetur. Ità docent Pegna *loc. cit. verſ. His ità poſitis*, Sanchez *in Decal. lib.2. cap.22. n.38. & ſeq.* Symanchas *vbi ſup. n.14. & in Enchiridion, tit.62. n.7.* Paramus *loc. cit. nu.83.* Carena *par.2. tit.19. §.2. n.6.*

40 Contra ſuſpectos verò de hæreſi, etiam vehementer, non poſſunt Inquiſitores procedere poſt eorum mortem: quia hæreſis ſuſpicio, quantumuis vehemens ſit, morte extinguitur, vt colligitur ex *cap. Accuſatus, §. Si verò de hæreticis in 6.* & affirmat Pegna *ibid. verſ. Alterum caput*, Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.4. de accuſation. n.5. & tit.18. de defunctis, n.13. & tit.46. de pœnis, nu.77.* Royas *in ſingularibus fidei, ſing.134. n.11. & 12.* Carena *n.4. §.3. nu.7.* Farinacius *dicta q.197. n.104.* & alij communiter contra Ludouicum à Paramo *lib.3. de orig. inquiſ. rubr. de ordine iudicij, n.84.* Sed ſi de hæreſi ſuſpecti, ſint, hæreticos, vel eorum errorum defendentes, poſſunt aduerſus eos, etiam poſt mortē Inquiſitores procedere, quia iſti pari iure cum hæreticis cenſentur. Ità Zanchinus *de hæret. c.24.* Pegna *verſic. Cæterum*. Contra autem hæreticorum credentes mortuos, an poſſint Inquiſitores procedere, negat Gondiſſaluus *tr. de hæret. q.22. n.8.* Affirmat Pegna *ibid. verſ. Sed in credentibus*. Tum quia *in Concilio Bitterienſi, c.18.* decernitur: *Ad hæreticorum, ſeu credentium condemnationem, qui non fuerunt reconciliati canonicè antè mortem, citatis eorum hæredibus, ſiuè alijs, qui de iure citandi fuerint, & conceſſa eiſdem opportuna copia defendendi, ſimiliter procedatis.* Hæc ibi. Vbi notanda ſunt verba illa: *Ad hæreticorum, ſeu credentium condemnationē.* Et tum etiam, quia in *dicto cap. Accuſatus, §. Si verò de hæreticis in 6.* cum agitur de extincto crimine poſt mortem, tantum habetur ſermo de fautoribus, receptatoribus, & defenſoribus, & nullum apparet verbum de credentibus. Ergò eorum crimen per mortem non omninò extinguitur. A qua opinione non eſt recedendam, ait Pegna, in illis, qui verè, & propriè hæreticorum credentes, tàm ex verbis, quàm ex factis iudicantur. Non autem in illis, qui impropriè credentes dicuntur. Quales autem iſti ſint, dictum eſt ſuprà.

Quarè in hoc Sancto Tribunali, etiam proceditur contra defunctos, & quonam modo contra eos proceditur?

41 RESP. Quia multi dum viuunt pro Catholicis habentur, & poſt mortem hæretici deteguntur; quorum exēpla referuntur à Pegna *ibid. verſ. Neque enim incognitum eſt*. Et ratio poſtulat contra eos ab Inquiſitoribus procedi, vt eorum memoria damnetur, & bona per Fiſcum à quibuiſuis poſſeſſoribus auferantur, & eorū oſſa exhumentur, & extrà locum ſacrum proijciantur, & cōburentur; vt ait Zanchinus *tr. de hæreticis, c.24.* & notatur *in inſtructione hiſpalenſi 1. ann.1484. c.20.* Sed non eſt contra eos procedendum, niſi adſit plena hæreſis probatio, vt docent Abulenſis *in ſua inſtructione ann.1498. c.4.* Pegna *ibid. verſ. Primum itaque*, & multis probat Farinacius *q.197. n.120.* ſolæ ſuſpiciones non ſufficiunt, quia defunctus ſe defendere nequit. Quādò igitur de hereſi defuncti plena probatio habetur, Promotor Fiſcalis huius Tribunalis comparet denunciando, inſinuando, & accuſando defunctum, proponendo illius hæreſim, in qua abſque pœnitentia deceſſit, & inſtat declarari hereticū, eiuſque memoriam damnari, cæteriſq; pœnis affici, quas contra tales ſtatuerunt Canones. Proceſſus autem non inſtituitur propriè cōtra defunctum, quia non extat, ſed contra illius memoriam, & famam: Promotoris Fiſcalis inſtantia intimatur omnibus, quibus intereſt defuncti memoriam non damnati. Proponitur quoque edictum, quo quilibet admitti poſſit, ad defuncti defenſionē, & ſtatuitur eis tempus 30. vel 40. dierum

tio tribus vicibus fit, iuxtà formam *cap. Cum contumacia de hæreticis in 6.* Et ſi in termino præfixo non comparuerit excommuuicatur, & ſi in excommunicatione per annum inſorduerit, vt hæreticus formalis condemnatur, eiuſque effigies, ſeu ſtatua Curiæ ſeculari comburenda traditur. Ità Pegna *loc. cit. cōment.*49. Farinacius *vbi ſup. num.*94. *& ſeq.* Paramus *de orig. S. Inquiſ. lib.*3.*q.*4. *n.*6. *& ſeq.* Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.*8.*pun*16.§.3.*n.*1. Diana *ibid.* & alij. Ad huius rei defenſionem admittitur excuſator, allegans reum ſic citatum non poſſe, intrà terminum aſſignatum comparere, & pro qualitate excuſationum ſolet terminus prorogari, ad comparendum, vt probat exemplo Caſtro Palaus, *n.*2.

30 Si verò reus abſens, eſt plenè in actis Sancti Officij conuictus de hæreſi, tunc non eſt neceſſe, ſeruare dictam formam *cap. Cum contumacia*, ſed ordinario proceſſu, nullo anno expectato, citatur, et ad ſententiam proceditur. Ità Symanchas *in Enchiridion, tit.*45.*n.*4. Scaccia *de iudic. lib.* 1.*c.*98.*n.*4.*verſ. Si ſumus in* 1.*caſu*, & ſupradicti Doctores *loc. cit.*

31 Si reus contumax moriatur intrà annum, & eius delictum, plenè, & concludenter probatam non ſit, ſed contra illum, tanquam contra ſuſpectum, procedebatur: tunc ſiſtendum eſt, neque vlterius ad condemnationem deueniendū, niſi ſuperueniant claræ, & legitimæ probationes; vt docet Farinacius *qu.* 197. *n.* 103. Si autem obierit tranſacto anno contumaciæ, communior ſententia eſt, condemnari poſſes ſi probationes contra eum ſufficerent, ad illum tanquā hæreticum condemnandum. Ità Farinacius *ibid.*93. Decianus *tr. crimin. lib.* 5.*c.*57.*n.*6. Clarus *in ſua practica*, §.*hæreſis, n.*19.*verſ. Item de crimine in fine.*

32 Inſuper ſi reus abſens, ſic condemnatus, poſteà comparuerit, etiam poſt eius ſtatuam combuſtam, eſt audiēdus, ad probandam ſuam innocentiam, aut iuſtum impedimentum non comparendi intra annum, quia hoc S. Tribunal, quocumque tempore cōcurrat, & reus cōpareat, ſēper illū audit, eſt enim plenum pietate, & miſericordia erga quoſcumque reos, vt notant Sanchez *lib.*2. *in Decal. c.*20. *n.* 27. Paramus *de orig. S. Inquiſ. lib.*3.*q.*4. *n.* 47. Carena *quæſt.*6. *n.*7. *&* 8.

Poteſt ne Inquiſitor procedere contra reum præſentem, qui deliquit extra ſuam iuriſdictionem, & in loco alterius Inquiſitoris, vel Epiſcopi?

33 RESP. Certum eſſe poſſe, immò debere Inquiſitorem procedere ad capturam talis rei, qui extrà ſuam iuriſdictionē deliquit, ne impunitus euadat, & ne alios eodem ſuo crimine cōmaculet. An verò poſſit ad vlteriora contra illum procedere, dubitari poteſt. Videtur enim, remittendum eſſe ad Iudicem loci, in quo deliquit, iuxtà regulam generalem: Delicta ibi eſſe punienda, vbi ſunt commiſſa, non verò alibi, *cap. vlt. de foro competenti*, *cap.*1. *de raptor.* ibi: *Semper cauſa* 3.*q.*6. *& in Authent. Vt nulli iudicium*, §. *Si verò*, *& in l. Capitalium*, §. *famoſos*, *ff. de pœnis*, & ſæpè alibi. Quia punitio delinquentis in loco delicti, alijs tranſit in exemplum: et delictum faciliùs probatur in loco vbi commiſſum eſt, quàm in alio: *Authent. Vt omnes obediant Iudici.* Et quia Iudex loci, in quo delictum eſt perpetratum, acquiſiuit iuriſdictionem ſupra reum, vt poſſit illam exercere, eum puniendo.

34 His tamen nō obſtantibus, fallit hæc regula in crimine hæreſis, in quo hæc remiſſio locum non habet, ſed poteſt hæreticus puniri, vbicumque repertus fuerit. Ità docent Paulus de Leazaris, & Zabarella *in Clement. Paſtorali*, §. *Denique de re iudic.* Guido Papæ *deciſ.*202. *n.*2. Gondiſſaluus *de hæret. q.*8. & alij, quos refert Couarruuias *in practicis quæſt. cap.*11.*n.*2. Et ratio eſt, quia hæreticus vbique delinquit, & Diuinam Maieſtatem, & omnem creaturam lædit, cùm etiam elementis faciat iniuriā,

rum ad comparendum. Si in termino præfixo nullus comparuerit, Iuquiſitor Procuratorem, & Aduocatum defuncti conſtituit. Tandem ſi memoria defuncti nullo modo defendi poteſt, deuenitur ad ſententiam: ſed antequam proferatur, producitur ſtatua defuncti, in qua maioribus caracteribus inſcriptũ ſit nomen illius defuncti, cuius memoria damnanda eſt, & coram illa, ac ſi defunctus eſſet viuus, leguntur ſui errores vel facta hæreticalia, & promulgatur ſententia; & ſtatua illa relaxatur ſeculari brachio, vt comburatur, eius oſſa ſi à cadaueribus Catholicorum diſcerni poſſint, exhumantur è loco ſacro, eius bona confiſcantur, & eius filij declarãtur inhabiles ad beneficia, dignitates, & officia. Ità Pegna *in dicto comment.* 92. Sanchez *in Decal.lib.7.c.27. & ſeq.* Farinacius *q.197.n.106. & ſeq.* Zanardus *in ſumm.diuin.præcep.par.2. c.142. verſ.6.* Bordonus *to.1.c. 2.q.49.nu.241. & ſeq.* qui pluribus rationibus probat Eccleſiæ Miniſtros habere poteſtatem declarandi incideſſe defunctos, in pœnas cẽſurarum, & excommunicationis.

Poſſunt ne Inquiſitores procedere cõtra ſcienter ſepelientes hæreticos, vel eorum credentes, fautores, & cæteros huiuſmodi in loco ſacro.

42 RESp. Affirmatiuè, quia ſunt de hæreſi ſuſpecti. Nàm qui ſciẽter ſepelit hæreticos, vel eorum credẽtes, receptatores, fautores, & defendẽtes, ſunt ipſo iure excommunicati, iuxtà *Clementinam primam de ſepulturis, & c. Quicumque de hæreticis in 6.* Nec abſolutionis beneficium merentur, niſi proprijs manibus publicè extumulent, & proijciant huiuſmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetua careat ſepultura hæc Pontifex. Ex quibus verbis patet: Eccleſiam tanquam de hæreſi ſuſpectos, perſequi, & damnare eos, qui ſcienter ſepeliunt hæreticos, vel eorum credentes, & cæteros huiuſmodi, quia facto indicant, & profiteri videntur, aut non debuiſſe Eccleſiam tales ſepultura priuare, aut pro eis eſſe orandum more Catholicorum, aut aliud ſimile, vndè ſuſpicio hæreſis procùldubio oriatur. Confirmatur, quia *in dicto cap. Dicitur: Vſque ad ſatisfactionem idoneam excommunicationis ſẽtentiæ ſe nouerint ſubiacere.* Satisfactio autem idonea intelligitur abiuratio, & canonica purgatio, ex *cap. Ad abolendã, §. Præſentia, & ex cap. Excommunicamus 1. §. Qui autem de hæreticis in 6.* Nã ille idonee Sãcto Officio ſatisfacit, qui abiurat, vel ſe purgat, & mandata ſibi iniuncta adimplet; vt videtur ſentire Archidiaconus *in dicto cap. Quicumque verb. Idoneam.* Ergò huiuſmodi ſepelientes ſunt de hæreſi ſuſpecti, & ſubijciuntur Inquiſitorum iuriſdictioni. Ità docet Pegna *par.3.comment.89. verſic. Quare verius eſt.*

43 Quinam verò per ſcienter ſepelientes comprænhendantur, Caietanus *in ſumm.verb.Excommunicatio, c.46.* Nauarrus *cap.27. n.137.* & alij affirmant; comprænhendi tantum, qui proprijs manibus cadauer foſſæ imponunt, quia hi ſoli propriè dicuntur ſepelire, & verba pœnam importantia, in rigoroſo ſenſu ſunt accipienda. Faber *de cenſuris in 4. ſentent.diſt.21.q.1.diſp.4.num.188*, opinatur tutiorem eſſe ſententiam illorum, qui extendunt hanc cenſuram ad comitantes, cantantes, deferentes crucem, foſſores ſepulturæ, portantes cadauer, & ſimiles. Sed probabilior eſt ſententia, aſſerentium per ſcienter ſepelientes comprænhendi, non ſolùm, qui proprijs manibus cadauer ſepeliunt, ſed etiam mandantes; cuiuſmodi ſunt hæredes, aut conſanguinei, ad quos hoc pertinet, & Rectores Eccleſiæ, vbi cadauer ſepelitur; nàm iſti verè ſepelire dicuntur, quamuis proprijs manibus hoc non faciunt: & colligitur ex *cap. Ad hæc de priuilegijs.* Non autem comprænhendi comitantes, deferentes crucem, vel luminaria, & cantantes, nec cooperantes remotè, aut negatiuè non impedientes, cùm poſſent, niſi eſſent auctores talis ſepulturæ in loco ſacro. Ità docẽt Suarez *diſp.12.ſect.4.n.10.* Coninch. *de Sacram.*

*cram.diſp.*14.*dub.*8.*nu.*68. Filliucius *to.* 1.*tr.*12.*c.*5.*n.*111. Mercerus *de Sacram. in* 3.*par.q.*21.*dub.*7. Megalius *in* 3.*par. lib.*2.*c.*6.*q.*1.*n.*15. Diana *to.*5.*tr.*1.*reſol.* 71.*ex par.*5.*tr.*9.*reſ.*98.

Inquiſitores poſſunt ne procedere cōtra Iudæos, & Infideles?

44 Reſp. Quod Iudæi, & Infideles, quamuis verè, & propriè hæretici non dicantur, quia non dicitur hæreticus, qui non eſt baptizatus, nec dicitur ab Eccleſia diuiſus, qui nunquam in eius gremio fuit: et D.Paulus teſtatur *ad Corinth. c.* 5. *Iudæos eſſe extrà Eccleſiam Dei*, dum ait: *Quid mihi de his, qui foris ſunt* (ideſt de Iudæis) *iudicare*? et ità docent Royas *ſingul. fidei* 37.*n.* 5.*& in tr.de hæret. par.*2.*nu.* 471. Albertinus *de hæret.qu.*6.*num.*12. Duardus *in Bull.Cœnæ,lib.*2. *can.*1. *qu.* 21. Farinacius *de hæreſi,q.*178.*n.*128.& alij. Tamen negari non poteſt, quin ſaltem impropriè, & largè vocari poſſint hæretici: ità Ioannes Andreas *in cap. Firmiſſimè de hæret. nu.* 3. Duardus *loc. cit.n.*5. Farinacius *dict.q.*178.*n.*130. qui alios citat. Hinc eſt, quod Inquiſitores non habent iuriſdictionem in Iudæos, & infideles, ex eo tantùm, quod tales ſunt: ſed in nonnullis caſibus ipſi eorū iuriſdictioni ſubduntur: vt patet *in extrauag. Turbato corde* Innocentij IV. & expreſſius in reſcripto Gregor. XIII. incipiente: *Antiqua Iudæorum*, edito ann. 1581. Vbi Summus Pontifex declarat caſus particulares, in quibus Inquiſitores poſſunt contra Iudeos, & Infideles procedere. Ait enim: *Statuimus, & declaramus Inquiſitores hæreticę prauitatis libere procedere poſſe in omnibus cauſis, & caſibus qui ſequuntur.*

45 *Primò, ſi quis Iudæus, aut infidelis, ex ijs, quæ circa fidem cum illis, nobis ſunt communia: veluti Deum vnum, & æternum, Omnipotentem, Creatorem omnium viſibilium, & inuiſibilium, & ſimilia non eſſe, aſſeruerit, prædicauerit, vel priuatim alicui inſinuauerit.* Huius rei ratio aſſignatur ab Eymerico *in direct.qu.*44. & ab alijs Doctoribus communiter. Quia in ijs, in quibus nobiſcum Iudæi, & infideles conueniūt in credendo, à Chriſtianis non diſtinguntur, & ea impugnando, dicuntur directè Chriſtianam fidem impugnare; & conſequenter ſubduntur Inquiſitorum iuriſdictioni.

46 *Secundò, ſi dæmones inuocauerit, conſulueritue, aut reſponſa acceperit, ad illoſue ſacrificia, aut præces ad diuinationem, aliamque cauſam direxerit, aut aliquid eis immolauerit, vel thuris alteriuſue rei fumigationes obtulerit, aut aliaquæuis impietatis obſequia præſtiterit.* Quia in hoc caſu nobiſcum Iudæi conueniunt. Solus enim Deus adorandus eſt, & illi ſoli præces fundendæ ſunt, & ipſe ſolus futura nouit: & in iſtis Iudæi nobiſcum conueniunt; dum ergò dicto, vel facto hæc negant, ab Inquiſitoribus puniendi ſunt. Ità Eymericus *q.*46. *nu.* 17. Campegius ad Zanchinum *de hæret.c.*36.*verb. Delinquunt in fin.* Farinacius *de hæreſi,q.*178.*n.*146.& alij.

47 *Tertiò, ſi Chriſtianos verbo, vel facto, vel exemplo, aut quouis alio modo nefaria huiuſmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, vel perducere attentauerit.* Quia vt notat Pegna *comment.* 71. Iudæi quādoque ad ſimilia, ſuo malo exemplo Chriſtianos pertrahunt, vel perducere attentant. Et tàm hæc nefaria docentes, quàm illa addiſcentes graui pœna ab Inquiſitoribus ſunt etiā puniendi; vt notant Zanchinus *de hæret.c.*3.*n.*6. Royas *de hæret.par.*2.*aſſert.* 43. Pegna *in cap. Excommunicamus, nu.* 2.& 3. Carena *par.*2.*tit.*14. §.8.*n.*21.

48 *Quartò, ſi Saluatorem, & D.N.Ieſū Chriſtum purum hominem, vel etiam peccatorem fuiſſe, Matremue Dei non eſſe Virginem, & alias huiuſmodi blaſphemias, quæ per ſe hæreticæ dici ſolent in Chriſtianæ fidei ignominiam, contemptū, aut corruptionem, impiè protulerint.* Quia Iudæi, & infideles ſubduntur Inquiſitoribus, ſi delinquunt contemnendo, vel vilipendendo fidem noſtram, vel committēdo aliquid in contumeliam Chriſti, & Eccleſiæ. Ità Decianus *in tr.crimin.lib.*5.*c.*14.*n.* 2. Royas *par.*1.*nu.*557.

Fari-

Farinacius *q.*178.*n.*133. & plures alij, quos ipſe refert. Et quia blaſphemantes hæreticaliter à ſolis Inquiſitoribus puniuntur; vt probant Albertinus *de agnoſcendis aſſertion.catholic.q.*22.*n.*63. Alphonſus à Caſtro *de iuſta hæret.punit.lib.*1.*c.*12.*in fin.*Royas *par.*2. *aſſert.* 22.*n.*68. Lazarius *de blaſphemia,q.*6.*n.* 10.& alij communiter.

49 *Quintò, ſi cuiuſuis eorum opera, auxilio, conſilio, vel fauore, aliquis Chriſtianus à fide diſceſſerit, quamque ſemèl ſuſceperat abnegauerit, vel ad Iudæorum, ſeu aliorum infidelium ritus, cæremonias, ſuperſtitiones, vel impias ſectas tranſierit, vel redierit, ſeu in hæreſim aliquam inciderit, aut qui vt Chriſti fidem abneget, ſeu in hæreſim incidat, opem, conſilium, fauoremue quomodocumque præſtiterit.* Tales autem Iudæi, vt notant Eymericus *q.*44. & Pegna *comment.* 69.*verſic. Tales inquam*, ſunt tanquam fautores hæreticorum iudicandi, & puniendi ab Inquiſitoribus: quia vel ad hæreſim amplectendam, & ad fidem Catholicam deſerendam Chriſtianos ſuadent, & inducunt; vel vt conuerſi ex Iudæis, & Chriſtiani effecti, ad eorum ritum execrabilem redeāt, conſilium, auxiliū, & fauorem præſtant. Et ità decreuerat etiam antè Gregorium XIII. Nicolaus IV.*in extrauag.*quæ incip.*Turbato corde*, relata ab Eymerico ibid.

50 *Sextò, ſi quis Cathecumenum, vel quēcumque ex Iudæis, aut infidelibus, Deo inſpirante, ad fidem Chriſti venire volentem, poſt declaratam intentionem, nutu, verbo, facto, aut quocumque alio modo, à fide, vel fidei inſtructione, aut Sacri Baptiſmi ſuſceptione retrahere, auertere, vel deortari, aut ne ad fidem veniat, & nouo regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impediuerit.* In hoc etiam caſu procedere poterant Inquiſitores antè dictam Bullam Gregorij, vt notant Baldus *conſ.*315.*nu.*1.*vol.*1. *& conſ.ſeq.* Marquardus *de Iudæis, par.*2. *c.*9. *nu.* 3. *verſ.Sicut etiam*, Decianus *in tract. crimin.lib.*5.*cap.*12.*n.*8.*& cap.*14. *n.*2. Farinacius *de hæreſi, q.* 178.*n.*143. Carena *par.*2.*tit.*14.§.11.*n.*26.& alij.

51 *Septimò, ſi apoſtatas, ſeu hæreticos ſcienter domi acceptauerint, aluerint, occultauerint, vel eis quomodolibet opem, auxilium, vel fauorem præſtiterint.* Et quod poſſint contra iſtos Inquiſitores procedere teſtantur, etiam Symanchas *de cathol.inſtit. tit.*35. *de Iudæis, nu.*11. Pegna *comment.*76. *verſ.Iudæi verò, & comment.*77. *verſ.Iudæi propterea*, Farinacius, qui alios allegat *de hæreſi, qu.* 178.*n.*103.*& q.*282.*n.*66.

52 *Octauò, ſi libros hæreticos, vel Thalmudicos, aut alios iudaicos damnatos, uel alias prohibitos, retinuerint, diuulgauerint, uel in quæcunque loca detulerint, aut ad eam rem opem ſuam accomodauerint.* De hac prohibitione adeſt etiam Bulla Innocentij IV. incip. *Impia Iudæorum*, & Bulla Clementis VIII.incip.*Cum hæbreorum malitia*, & decretum S.Congregationis Supremæ Inquiſitionis incip.*Cum ſicut nuper*, regiſtrata poſt directorium Inquiſ. inter literas Apoſtolicas pro Sancto Officio, & docent etiam Pegna *in* 2.*par.direct. in cap. Fraternitatis, comment.*3.*verſ.Poſtremò.*Burſatus *conſ.*90.*n.*4.*vol.*1.Farinacius *q.*180. *nu.* 10.& alij.

53 *Nonò, ſi Chriſtianos deriſerint, redēptioniſque noſtræ Hoſtiam ſalutarem in ara Crucis immolatam, Chriſtum Dominum ludibrio habentes, quandocumque, maximè verò in Sacro Paraſceuis die, agnum, ſeu ouem, vel quid aliud cruci affixerint, aut appenderint, & in eam conſputauerint, ſeu quomodocumque contra eam fecerint.* Quod contra iſtos procedere poſſint Inquiſitores, patet ex dictis verbis huius Bullæ, & obſeruant Ricciullus *tr.de iure perſon.lib.*1.*c.*52.*nu.*7. Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.*1. *c.*37. *à nu.* 10.*vſque ad* 27. Scortia *in Bull. Pontif. theor.*347.Azorius *tom.*1.*lib.*8.*c.*22.*qu.* 12.Campegius *in addit.ad Zanchinum, c.*36.*lit.B.* Symanchas *tit.*35. Cantera *in quæſt.crimin. c.*1. *de hæreticis, nu.*72. Carena *par.*2.*tit.*14.§.14.*n.*30. *in fin.*

54 *Decimò, ſi Nutrices Chriſtianas contra Sacrorum Canonum ſtatuta, diuerſorumque Pontificum ſanctiones retinuerint. Aut eas retinens die qua receperunt*

Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, lac, vna, vel pluribus diebus, in latrinas, cloacas, & alia loca effundere coegerint. Et quia ex hoc maximè Chriſtus Dominus noſter vilipenditur, optimè ſtatutum eſt, vt etiam in hoc caſu Inquiſitores procedant. De his Iudæis cogentibus nutrices lac in cloacas effundere poſt ſumptum corpus Chriſti Domini, videndus eſt Textus *in cap. Et ſi Iudæos de Iudæis*, Calderinus *conſ. 2. ſub tit. de Iudæis*, & Campegius ad Zanchinum *c. 36. §. Delinquunt, verſ. Hoc idem affirmatur.* Neque licitum eſt Iudæis retinere nutrices extrà domũ, vt alijs plurimis relatis probant Sanchez *lib. 2. in Decal. c. 31. n. 13.* & Ricciullus *de iure patron. lib. 2. c. 28. nu. 17.* Tum quia ſiuè in domo propria, ſiuè extrà illam retineantur nutrices; ſemper ob familiaritatem adeſt periculum ſubuerſionis. Et tum etiam, quia eſt contra decorem Chriſtianæ Religionis, vt nos, qui ſumus filij liberæ, ſeruiamus filijs Ancillę, qui ſunt Iudæi. Quæ eſt ratio aſſignata in dicto *cap. Et ſi Iudæos de Iudæis.* Vndè Ricciullus *n. 12.* & Sanchez *nu. 20. & 27. locis citatis.* affirmant, nec Principes Seculares, nec Epiſcopos poſſe diſpenſare, vt à Iudæis nutrix Chriſtiana extrà domum retineatur.

55 Vndecimò, poſſunt etiam Inquiſitores procedere contra Iudæos abradentes in Biblijs verba, quæ Chriſto conuenire poſſunt, vel tripudiantes, ornatiuſque incedentes in die Veneris Sancti: vt docent Alexander *conſ. 233. n. 6. volum. 6.* Lazarus *de blaſphemia qu. 2. num. 33.*

56 Duodecimò, poſſunt procedere cõtra Iudæos, ſibi ignem accendi facientes à Chriſtianis in die Sabati, vel ipſis vtentes in ſeruitijs vilibus, & ſimiliter contra Chriſtianos, Iudæos in ſupradictis inſeruientes. Nàm omnia hæc tendunt in decorem cultus iudaici, & in ludibrium Religionis Chriſtianæ. Sic enim Iudæi, ſe Chriſtianis ſuperiores oſtendunt in eo, quod poſſunt. Ità cautum eſt *in Conſtitut.* Nicolai V. quæ incipit: *Super gregem Domini*, §. *Nec poſſunt*, edita an. 1447. vt teſtatur Ricciullus *de iure perſon. extra Eccleſiæ gremiũ, lib. 2. c. 39. n.* 18. et ſic pluriès decreuit Sacr. Congregatio Supremę Inquiſitionis, vt refert Carena 2. *par. tit.* 14. §. 16. *num.* 37.

57 Tertiodecimò, pœnæ quibus puniẽdi ſunt ſupradicti Iudæi, & infideles huiuſmodi delicta perpetrantes, ſunt priuatio communionis cum Chriſtianis, pœna pecuniaria, pœna carceris, & pœna verberationis. Si verò ſcelus ſit atrox, etiam relinqui poterunt Curiæ ſæculari. Nàm quoties pœna relinquitur arbitrio iudicantis, vt ſit in dicta BullaGregorij XIII. ſi crimen ſit ingẽs, Iudex arbitrium poteſt extendere vſq; ad mortem. Ità Pegna *par. 2. comment.* 69. Calderinus *de hæret. c. 36. n. 4.* Repertorium Inquiſ. *verb. Iudæus*, §. *Sed circa prędicta*, Zanchinus *de hæret. c. 36. n.* 4. & ibi Campegius, Caſtro Palaus *to. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 16. §. 6. n. 1.* Farinacius *dicta. q. 178. nu. 146.* Diana *to. 5. tr. 12. reſ. 2. ex par. 4. to. 7. reſ. 2.*

Poſſunt ne Inquiſitores procedere cõtra Iudæos ad Saracenos tranſeuntes, & contra ipſos Infideles?

58 Reſp. Affirmatiuè in illis caſibus, in quibus Iudæi, & infideles abnegant dictis, vel factis illa, quæ cum Chriſtianis conueniunt, & credere tenentur: vt e. g. Deum eſſe vnum, æternum, Omnipotentem, Creatorem Cœli, & terræ, &c. dæmones non eſſe colendos, nec adorandos, neque illis eſſe oblationes, & ſacrificia offerenda. Qui enim etiã ex infidelibus crederet, plures eſſe Deos, vel Deum non eſſe æternum, omnipotentem, &c. vel dæmones eſſe inuocandos, & adorandos, vtique iuriſdictioni Eccleſiæ ſubderetur, & ab Iuquiſitoribus puniri poſſet: quia in his & ſimilibus articulis credendis nobiſcum omnes conueniunt, & obligantur. Chriſtus enim non videretur diligens Pater familias, niſi Vicario ſuo, quem in terra dimittebat, plenam poteſtatem ſuper omnes, dimiſiſſet; vt ait Eymericus

cus

ĉus *par.2.direct.q.46.* Petro, & ſucceſſoribus eius, dixit: *Quodcumque ligaueris ſuper terram. Quodcumque ſoluatis ſuper terram.* Ergò omnes, qui ſunt ſuper terram ſubduntur iuriſdictioni Eccleſiæ Catholicæ. Dixit etiam Chriſtus Petro: *Paſce oues meas*. Ergò omnes, tàm fideles, quàm infideles, oues sũt Chriſti per creationem, licet non ſint omnes de ouili Eccleſiæ per fidem Catholicam. Ergò ſicut Papa ſuper omnes habet iuriſdictionem, ità & Inquiſitores in cauſis fidei, dum in illis ſunt Papæ delegati, & eius perſonam repræſentant. Vndè D. Thomas 2.2.*q.*10.*art.*9. *ad* 2. ait: Eccleſia contra infideles non habet iudicium, quoad pęnam ſpiritualem eis infligendam; habet tamen iudicium ſuper aliquos infideles, quoad temporalem pœnam infligendam. Et ità etiam docent Eymericus *loc.cit.* Pegna ibi *comment.*71.*verſ.Si ergò.* Hoſtienſis, & alij cum Innocentio *in cap. Quod ſuper his de voto*, Repertorium Inquiſ. *verb. Iudæus*, §. *Item quando Iudęi*, Alphonſus de Caſtro *lib.* 2. *de iuſta hæret. punit. c.* 14. *uerſ. Prima igitur belli cauſa, & ſeq.* & alij communiter.

59 Quoad Iudęos autem tranſeuntes ad ſectam Saracenorum, vel ad alios infideles, an puniri poſſint ab Inquiſitoribus. Negatiuè opinantur aliqui. Sed omninò affirmatiuè eſt reſpondendum in ſupradictis caſibus. Conſtat namque quòd quamplurima in lege Saracenorum continentur, quæ veritati Scripturæ aduerſantur, & Iudæis, & nobis cõmunia ſunt. Ideò hac ratione ab Inquiſitoribus puniri poſſunt. Et ſicut puniri debent Iudæi colentes idola, vel ſacrificia illis offerentes; aut dęmones inuocantes: ità puniendi ſunt ſi ad aliam ſectam tranſeant, in cuius ritu contineãtur contraria his, quæ Iudæi nobiſcum tenent. Ità ſuſtinẽt ſupradicti Doctores, & Campegius *in addit. ad Zanchinum de hæret. c.*36. *lit. B. in fin.* Carena *par.* 2. *tit.* 14. §. 6. *n.* 18. Diana *to.* 5. *tr.* 12. *reſ.* 2. *n.* 7. *ex par.* 4. *tr.* 7. *reſ.* 2. *n.* 7. Qui etiam affirmant ſuſtineri non poſſe contrariã ſententiam poſt Conſtitut. ſupradictam Gregorij XIII. dum in ea expreſsè tribuitur Inquiſitoribus poteſtas contra Iudæos negantes, quæ habent communia circa fidem cum Chriſtianis. Pœna autem acerbior Iudæis imponenda, eſt pecuniaria, vt ait Pegna *loc. cit. uerſ. Et punit*. Sunt enim genus hominum auariſſimum.

Poſſunt ne punire Inquiſitores iniuriantes ſe ipſos?

60 RESp. Affirmatiuè, & præcipuè ſi iniuria eſt in publico eis illata, quia quamuis nemo ſit ſui ipſius Iudex, nec in cauſa propria: nihilominus quando iniuria illata redundat contra bonum publicum, & in contemptum propriæ iuriſdictionis, tunc Iudex procedere poteſt contra iniuriantem ſe: quia ſic potius tuetur iura ſuæ poteſtatis, quàm ſuæ perſonæ honorem, vt probat Carena *loc. infr. cit.* Qui autem Inquiſitorem iniuriat, offendit Sanctæ Inquiſitionis officium, quod quò ſanctius ceteris eſt, eò eſt venerabilius, quã aliorum omnium Iudicum officium. Ità docent Zanchinus *de hæreticis*, *c.*31. & ibi latè Campegius, Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.* 34. *n.* 28. Farinacius *de hæreſi, q.* 182. *nu.* 79. & 80. Carena *par.* 2. *tit.* 17. §. 8. & §. 9. *à nu.* 27. & *ſeq.* Et hoc intelligendum eſt de iniuria verbali: nàm quoad iniurias reales adeſt Bulla Pij V. *Si de protegẽdis.* Et ibi etiã notat Carena, qua pœna talis iniurians ſit puniendus.

Regulares de hæreſi ſuſpecti ſubduntur ne Inquiſitorum iuriſdictioni?

61 RESp. Affirmatiuè, quia licet olim ex indulto Clemẽtis VII. Carmelitis conceſſo, Regulares exempti erant in caſu hæreſis ab Inquiſitoribus: & eorum Prælatis, etiam in his caſibus, ſubiecti: tamen hoc priuilegium reuocatum fuit à Paulo V. *in ſua Conſtitut.* incipiente: *Romanus Pontifex*, edita 1. Septembris 1606. in qua ſtatuit: ſimiles cauſas ſolùm ſpectare ad Tribunal Sãcti

cti Officij, & præcipit ſub grauibus pœnis, tàm Prælatis Religionum, quàm ipſis ſubditis: Vt Religioſos de hæreſi ſuſpectos, denuncient Inquiſitoribus, aut Ordinarijs locorum: vt notant Lezana *to.1.c.18.n.18.* Peyrinus *tr.2. in Conſtitut.27.Pauli V.* Pellizzarius *to.2. tr.8.c.6.ſect.1.n.14.*& Bordonus *to.1.c. 27.n.26.qui n.27.* probat, Inquiſitores poſſe, & debere denunciationes quoq; contra Generales recipere, ne eorum delicta remaneant impunita. Sed contra eos non poſſe vltra procedere, ſed admonendum eſſe Supremum Tribunal, vt doceat quid agendum. Idem affirmant Zanardus *in direct.Theol.par. 2.c.6.q.23.* Diana *to.5.tr.10. reſ.12. ex par.4.tr.8.reſ.23.*

Inquiſitorum iuriſdictio eſt ne eis cõceſſa cumulatiuè, an priuatiuè cum Epiſcopis?

62 RESp. eſſe eis conceſſa cumulatiuè, non autem priuatiuè; quia Epiſcopi de iure communi procedunt, nedum contra de hæreſi ſuſpectos, ſed contra hæreticos, ex *cap.Præſidentes, cap. Statutum, c. Vt Inquiſitionis de hæret.in 6.* & ex alijs teſtibus. Immò contra prędictos procedere poſſunt ſeparatim ab Inquiſitoribus; vt patet ex *cap. Per hoc de hæret. in 6.* Ideò Inquiſitorũ iuriſdictio nullo modo præiudicat iuriſdictioni Epiſcoporum, & cenſetur conceſſa cumulatiuè non priuatiuè. Et ſic etiam docent Gloſſa, & Panormitanus *in cap. Ad abolendam de hæretic.* Scaccia *de iudic.to.1.lib.1.c.67.n.9.*Decianus *to.2.lib.5. c.21. nu.10.* Syluester *uerb.Hæreticus 2.n.10.*Royas *ſingul.28. n.2.*Gondiſſaluus *de hæret. q.7. n.9.* Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.25. nu.4.* Diana *to.1.tr.10.reſ.3.ex par.4.tr.8.reſol.2.*Farinacius *de hæreſi,q.186. n.38.*

63 In Inquiſitione verò Hyſpanica introductum eſt, vt de hęreſi ſoli Inquiſitores cognoſcant, & Epiſcopi, ſiuè per ſe, ſiuè per Vicarios Inquiſitoribus aſſiſtãt, nec poſſint Epiſcopi ſeparatim ab Inquiſitoribus de cauſis hæreticalibus cognoſcere, & denuncias ſibi factas, tenentur ad ipſos Inquiſitores remittere; ità referunt Sanctarellus *de hæreſi,c.40. dub.2.nu.15.*Molina *de iuſtit. tr.5. diſp. 28.num.12.& 13.* Diana *loc.cit.*& alij, quos ipſe citat.

Inquiſitoris iuriſdictio expirat ne ob mortem delegantis?

64 RESp. Negatiuè; ità expreſsè habetur *in cap.Ne aliqui de hæreticis in 6.* his verbis, vt refert Eymericus *par.3.direct. q.7. Ne aliqui dubitationem excitantes, in dubium reuocent, an officium Inquiſitionis hæreticæ prauitatis ſollicitudini ueſtræ intra certos limites ab Apoſtolica Sede commiſſum, expiret per mortem Romani Pontificis, qui commiſit: Præſenti declaramus edicto, ipſum officium, non ſolùm, quoad negotia uiuente mandatore incœpta, immò etiam quantum ad integra, & non cœpta, & (quod plus eſt) quantùm ad ea, quæ tunc nequaquam emerſerant, in fauorem fidei poſt committentis obitum perdurare.* Ex quo textu non ſolum colligitur: officium Inquiſitorum morte concedentis non expirare; ſed extendi ad negotia non dum cœpta, & de nouo exorta. Et Pegna ibi *comment. 56.* docet hoc verum eſſe: quocunque modo ſit Inquiſitor conſtitutus, ſiuè ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, ſiuè ad beneplacitum Romani Pontificis: non expirare eius officium morte delegantis, donec aut expreſsè, & nominatim fuerit reuocatus; aut niſi in literis creationis contrarium caueretur. Et hoc propter ſingularem fidei fauorem, ne incidamus in aliquem caſum, in quo, aut in hæreticos non inquiratur, aut eorum punitio omittatur, ſeu differatur. Et idẽ docent Lelius Zechius *in ſumm.par.1. tit.de fide, rubr.de hęreſi,c.12.n.13.verſic.Ne eorum poteſtas*, Azorius *par.1. c. 28.q.7.*Farinacius *de hæreſi,q.186.n.20* Caſtro Palaus *par.1.tr.4.diſp.8.pun.12. §.2.n.16.* Diana *par. 5. tr.10. reſ.2. ex par.4.tr.8.reſ.19.*

In-

Inquiſitores, à quo, & quibus ex cauſis remoueri poſſunt, vel de vno in alium locum transferri?

65 RESP. Quod olim Inquiſitores, nõ ſolùm à Pontifice, ſed etiam à Miniſtro Generali, & Prouinciali, tàm Ordinis S. Dominici, quàm S. Franciſci eligebantur, & ab eiſdẽ etiam poterant de loco ad locum transferri, ac remoueri; quando id ſibi viſum fuerit expedire: vt patet ex *Conſtitut.* Innocentij, edita ann. 1254. incip. *Licet ex omnibus*, & Clementis IV. edita ann. 1265. incip. ſimiliter *Licet ex omnibus*, et probat Pegna *par. 3. comment.* 58. Farinacius *de hæreſi, q.* 186. *n.* 32. & alij. Hodiè autem Inquiſitores pro tota Italia eliguntur ab Eminentiſsimis Cardinalibus Sacr. Congreg. Supremæ Inquiſit. & in Hyſpania ab Inquiſitore Generali: & ideò ab iſtis, & à Summo Pontifice, quando eis expedire viſum fuerit poſſunt remoueri ab officio, vel à loco ad locum transferri. Ità dicti Doctores, & Azorius *par.* 1. *lib.* 8. *c.* 18. *q.* 9. Caſtro Palaus *vbi ſup. n.* 18. Sed abſque vlla cauſa, nec aliundè transferri, nec ab officio remoueri poſſunt. Tum quia in decretis, & Conſtitutionibus, in quibus poteſtas conceditur, Inquiſitores mutandi, & remouendi, ſemper adduntur illa verba: Si ità expedire viſum fuerit: vel ſi ità vobis videbitur. Quæ verba, vt cum alijs probant Menochius *lib.* 1. *de arbit. q.* 8. *n.* 5. & Pegna *par. 3. comment.* 59. indicant boni viri arbitrium, iure, conuenientia, & rationabili cauſa regulatum. Et tùm quoque quia ſic Inquiſitoris officium diligentius exercetur, & negotia fidei exactius actitantur, & Inquiſitores magis reuerantur; vt notant Eymericus *par. 3. direct. q.* 10. Pegna *dict. comment.* 59. Vmbertus Locatus *in iudicial. inquiſ. verb. Inquiſitor, n.* 38. *verſ. Nota tamen, & n.* 40. *per totum*, Farinacius *q.* 186. *n.* 35. Azorius *loc. cit.* Lelius Zechius *in ſumm. par.* 1. *tit. de fide, rubr. de hæreſi, c.* 11. *n.* 13. *verſ. Et Inquiſitores*, Caſtro Palaus *n.* 20.

66 Cauſæ, ob quas Inquiſitores trãsferri poſſunt de loco ad locum ſunt. Prima, quando Inquiſitor eſt ad negotia fidei exercenda valde aptus, & locus vbi manet non indiget perſona ità ſolerti, ſicut indiget alter locus. Secunda, quando contra eum ſuſcitatæ ſunt rixæ, & odia capitalia; quia proceſſit cõtra nobiles, & inſignes perſonas, & timetur de illius damno, & de aliquo ſcandalo. Tertia, quando non benè ſe habet cum illius loci Principe. In iſtis verò duobus poſterioribus caſibus, cõtra Inquiſitorem ſuſcitatis, ob iniuſtam cauſam, erit ille de meliori Inquiſitione prouidendus, ne videatur puniri, vbi nõ meretur. Ità docent Zanardus *in direct. Theol. par.* 2. *cap.* 16. *q.* 9. *&* 19. Zechius *in ſumm. tom.* 1. *tit. de fide, c.* 11. *&* 13. Azorius, & Pegna *locis citatis*, Diana *to.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 6. *ex par.* 4. *tr.* 8. *reſ.* 34.

67 Ad remouendum verò Inquiſitorem ab officio, vna ex his tribus cauſis requirunt Doctores, nempè impotentia, vel negligentia, vel iniquitas. Impotẽtiam eſſe cauſam ſufficientem talis remotionis, patet, quia officium datur, vt exerceatur: ergò qui illud exercere nõ valet, remouendus eſt. Impotens autẽ dicitur primò infirmus morbo perpetuo, vel quaſi perpetuo, quia ob infirmitatem ad tempus conſtitui poteſt Vicarius, qui eius impotentiam ſuppleat, ſicuti ſi ob iuſtam cauſam pro limitato tempore ipſe Inquiſitor abſens eſſet. Secundò, ſenex qui rectum iudicium, ad iudicandum amiſit, alias non. Tertiò, ignarus, qui neſciat ea, quę ad exercendum hoc officium expoſtulantur. Secũda cauſa eſt negligentia. Quæ in quolibet officio ſufficiens eſt ad remouendũ eum, qui illam committit, *cap. Si qui Epiſcopi* 1. *q.* 1. *l. vlt. ff. vbi pupillus educari debet, l. carceri, ff. de cuſtod. reorum, & l. ſi quos, Cod. de offic. perfecti prætor.* & docent Gloſſa *in cap. Excommunicamus de hæret.* Baldus, & Iaſon *in l. Argentarius, §. vlt. ff. de edendo*, Iulius Clarus *lib.* 5. *ſentent. iuriſ. §. fin. q.* 73. *verſ. Item Iudex*, Menochius *de arbitr. lib.* 1. *q.* 55. *nu.* 14. *& lib.* 2. *caſu* 341. *n.* 1. In hac negligentia incurreret Inquiſitor: ſi contra hæ-

hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, vel non procederet, vel non debito tempore; itàut capiendus, fugam arriperet, aut interim hæreſim diſſeminaret; et ſi cauſa huius negligentiæ eſſet lucri amor; ſi eſſet Epiſcopus ſuſpenditur ipſo facto per triennium ab officio: et ſi Inquiſitor, incurrit excommunicationẽ Summo Pontifici reſeruatam, vt in *Clementina* 1. §. *Verum de hæreticis in fin.* Et ſiuè Epiſcopus, ſiuè Inquiſitor negligens fuerit, in hæreticos inquirendos, & puniendos, & eius negligentia grauis fuerit, pœnam fautoris hæretici, etiam incurrit, ex *cap. Qui poteſt obuiare* 23. *q.3. cap. Quanta de ſentent. excommunic.* & notat Farinacius *q.*186.*n.*147. Tertia cauſa deponendi Inquiſitorem ab officio eſt, iniquitas, quando ſcilicet in ſuo officio, tàm ſacro, & tàm ab omni iniquitate alieno deliquit: quia e.g. pecuniam, vel aliquid prætio æſtimabile, prætextu Sancti Officij extorſit; vt habetur *in dicta Clementina, verb. Pecuniã de hæret.* vel quouis alio crimine ſit infectus, præcipuè ſi ſcandalum generat: Inquiſitoris enim officium expoſtulat viros honeſtate, prudentia, doctrina, & omni virtute conſpicuos, iuxtà *Conſtit.* Vrbani IV. *Præ cunctis*. Ità docent Pegna *3.par. comment.*61. cum Eymerico *q.*12. Vmbertus Locatus *in iudicial. inquiſ. verb. Inquiſitor, n.3.* Symanchas *de cathol. inſtit. tit.*34.*n.*9. *&* 10. *& in Enchirid. tit.*7.*n.*2. Farinacius *q.*186.*nu.* 54. *& nu.* 139. Caſtro Palaus *vbi ſup. n.*21.

Inquiſitores ſub prætextu Officij pecuniam extorquentes quàm pœnam incurrunt?

68 RESp. incurrere pœnam excommunicationis ipſo facto, à qua abſolui nõ poſſunt, niſi in articulo mortis, & facta reſtitutione. Ità habetur in *Clement.*2. *de hæreticis*, his verbis. *Ne prætextu officij Inquiſitionis, quibuſuis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueãt. Quod ſi ſecus fecerint, excommunicationis ſententiæ eos ſubiacere decernimus ipſo facto, à qua non poſſint abſolui, præterquàm in mortis articulo, donec illis, à quibus extorſerint plenè ſatisfecerint de pecunia ſic extorta.* Idem notant Gloſſa *ibi*, Ancharanus *in 3. notab. n.*5. Cardin. Zabarella *in Summario*, §. *Iuquiſitoribus*, Syluester *verb. Hæreticus*, §.2. *n.*13. Vmbertus Locatus *in iudicial. verb. Inquiſitor, n.*40. Repertoriũ Inquiſ. *verb. Extorquere, & verb. Inquiſitores*; Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.* 14.*n.*44. Eymericus *in direct. inquiſ. p.3. q.*24.*n.*3. Pegna *ibi comment.*73. Sãchez *in decal. lib.*2.*c.*20.*n.*3.

69 Nec ſolùm ſunt ipſo iure excommunicati, ſed priuantur officio, & alijs pęnis puniuntur arbitrio ſuorum Prælatorum, vt ex eadem *Clementina*, vbi dicitur: *Qui equidem Prælati, Inquiſitores, & Commiſſarios prædictos, reos indè repertos, ab officio amouere, & amotos aliàs punire, debitè teneantur.* Et ibi Gloſſa *verb. Valeant, & verb. Amouere*, Ancharanus *notab.*6.*n.*8.9.*&* 10. & alij Doctores.

Prælati negligentes punire Inquiſitores, & Commiſſarios, indebitè pecuniam extorquentes, ſunt ne ex præcepto denunciãdi Sedi Apoſtolicę?

70 RESp. Affirmatiuè, ex eadem *Clemẽtina*, his verbis: *Prælatis autem Inquiſitorum, id negligentibus agere, præmiſſa omnia nunciari, per prædictos locorum ordinarios volumus, quibus, vt ea in Apoſtolicæ Sedis notitiam perferant, in virtute ſanctę obedientię ſtrictè præcipimus, & mandamus.* Et ità ibi etiam notant Ancharanus *notab.*5.*n.*10. Cardin. Zabarella, & alij ſupradicti Doctores.

71 Dum pœnis ſupradictis ſubiacent Inquiſitores, & Commiſſarij extorquẽtes prætextu Sancti Officij pecuniam, nomine pecuniæ, cõpræhenditur quodcunque eſt pretio æſtimabile. Hìc enim pecunia accipitur latiſſimè, vt compræhendat omnem rem, nedum conſiſtentem in numero, pondere, & menſura, ſed etiam pro quocunque commodo pecuniario; quia omnis res reducibilis eſt ad pecu-

pecuniam: vt notat Sanchez *lib.2. in Decal.cap.20.num.9.* & alij, quos ipſe citat.

Si ſpontè via muneris offeratur pecunia, vel quid ſimile, Inquiſitoribus, & Commiſſarijs Sancti Officij, & iſti oblata recipiant, incurrunt ne excommunicationem, & dictas alias pœnas?

72 RESp. Negatiuè; quia textus de ſola extorſione loquitur, quæ autem ſpontè, & ratione muneris, offeruntur, re vera non extorquentur. In officio autem conſtitutus extorquet, qui aliquid à ſubdito exigit violenter, vel metum inferẽs, vel ei recuſans ſuum debitum exequi, non data pecunia, vel quid prætio æſtimabile; quod in ſpontè offerente non contingit. Ità docet Bonifacius *in Clement.1.n.49.* & ibi Gloſſa *verb.Officij*, Imola *n.6.* Ancharanus *notab.3.n.5.* & alij. Ergò in caſu prædicto Inquiſitores, & Commiſſarij non incurrunt cenſuras, & pœnas in dicta *Clementina* contenctas. Immò Suarez *tom.5.in 3.par.diſp.23.ſect.5.n.25.* Sanchez *lib.2.in Decal.c.20.n.7.* docent: id eſſe verum, etiamſi nouit Inquiſitor, aut Cõmiſſarius ſibi donum offerri prætextu officij, & timore vexationis, aut rigoris.

Inquiſitores, & Commiſſarij pecuniam extorquentes, ſed non prætextu S. Officij, incurrunt ne dictas pœnas?

73 RESp. Quod malè agerent, & peccarent ſic facientes, ſed non incurrerent pœnam excommunicationis, & priuationis, &c. Quia in *dicta Clementina* exprimitur: *Ne prætextu officij Inquiſitionis, quibuſuis modis illicitis ab aliquibus extorqueant*. Ergò ſi ex alio prætextu, ſed non S.Officij pecuniam extorqueãt, peccant, ſed non incurrunt in dictas pœnas. Ità Gloſſa in *dicta Clement.2.verb.Prætextu*, et ibi etiam Cardin. Zabarella *in §.Inquiſitoribus in primo notabili*. Imola *n.5.verſ. Gloſſa prætextu*, Bonifacius de Vitalinis *n.47.& ſeq.notab.9.* Tabiena *verb. Excommunicatio 5.caſu 4.q.17.nu.18.* Syluester *verb.Excommunic.9. caſ.42. nu.18.* Sanchez *loc.cit.nu.8.* Farinacius *de hæreſi,q.196.n.140.*

Epiſcopi, prætextu S.Officij, pecuniam extorquentes, incurrunt ne cenſuras, ac dictas pœnas?

74 RESp. Epiſcopos male agere, & peccare pecuniam prætextu S. Officij extorquendo, ſed non incurrere dictas cenſuras, & pœnas, ſicut Inquiſitores, & Commiſſarij, ſed antiquas pœnas: quia *in dicta Clementina* non exprimuntur Epiſcopi: fortè ipſorum dignitati Summus Pontifex deferre voluit, *cap.2.de off.deleg.in 6.* Nec dici poteſt, eos includi nomine Inquiſitorum: quia Epiſcopi ſolent ſpecificè nominari in reliquis ad Sanctum Officiũ ſpectantibus. Eò vel maximè, quod textus exprimit Commiſſarios, Inquiſitorum, & Epiſcoporum, quod non fieret, ſi Epiſcopi, nomine Inquiſitorum clauderentur. Et ità docent Gloſſa *in eadem Clement.2. verb.Commiſſarij*, & ibi Imola *n.5.* Cardin. Zabarella *verb. Inquiſitoribus*, Bonifacius *à n.41. vſque ad 46.* D.Antoninus *3.par.tit.24.cap.8.* Suarez *to.5.3.par.diſp.23.ſect.5. nu.24.* Farinacius *loc.cit.n.141.* Sanchez *lib.2. in Decal.c.20.n.5.* Qui ſimiliter ait, neque includi Prẹlatos, iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudẽtes in propria Diœceſi, nec ipſorum Vicarios. Quia pœnæ non ſunt extendendæ vltrà caſus, & perſonas expreſſas, *cap.Is qui de ſenten. excomm.in 6.*

Abſolutio huius excommunicationis eſt ne Summo Pontifici reſeruata?

75 RESp. Negatiuè, quia hæc excõmunicationis abſolutiò non eſt ſimpliciter reſeruata, ſed cum quadam conditione, nempè: *A qua non poſſit abſolui, præterquàm in mortis articulo, donec illis, à quibus extorſerint, plenè*

nè ſatisfecerint de pecunijs ſic extortis, nullis remiſſionibus ſuper hoc valituris: Ergò vt Confeſſarius poſſit abſolutionem huius criminis, & excommunicationis impertire, oportet, vt anteà cum effectu impleatur reſtitutionis cõditio. At ea impleta, nõ eſt amplius abſolutio reſeruata. Ità docent Bonifacius *in ea Clem.2. n.99.* Suarez *loc.cit.ſect.5.n.27.* Sanchez *n.18.* Farinacius *loc. cit.n.143.* Card.Zabarella *in §.Inquiſitoribus, n.5. in fin.* & alij. Contrarium verò ſuſtinent Eymericus *par.3. direct. q.* 24. Pegna ibi, *comment.* 73. qui docent, hanc abſolutionem eſſe Papæ reſeruatam: præterquàm in mortis articulo.

Si Inquiſitores, & Commiſſarij ſint pauperes, nec reſtituere valeãt, poſſũt ne abſolui nõ facta reſtitutione?

76 RESp. Affirmatiuè: quia illa reſtitutionis conditio eſt intelligẽda: ſi extorquentes ſint ſoluendo: quare quando paupertas excuſat, poterunt abſolui. Ità docent Gloſſa *ibid. verb. Satisfecerint*, & ibi Imola, *nu.7. & 9.* & Card.Zabarella *in 1.oppoſit.n.5.* Bonifacius *n.92.* D.Antoninus *3. par. tit.24.c.* 8. Sylueſter *verb.Excommunicatio 5.caſu 4.q.17.&* 18. Nauarrus *c.27. n.*142. Sanchez *ibid.n.19.* Farinacius *nu.* 142. & alij.

Inquiſitores, & Commiſſarij non procedentes, quando procedendum eſt contra inquiſitos in S.Officio, qua pœna puniuntur?

77 RESp. Quod in ſupradicta *Clementina* ſtatuitur, vt refert Eymericus *par. 3. direct. q.* 24. *Quòd ſi odij, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi tẽporalis obtentu, contra iuſtitiam, & conſcientiam ſuam omiſerunt, contra quemquam procedere, vbi fuerit procedendum ſuper huiuſmodi prauitate: aut obtentu eodem, prauitatem ipſam, vel impedimẽtum officij ſui alicui imponendo, cum ſuper hoc præſumpſerint quoquo modo vexare (præter alias pœnas pro qualitate culpæ imponendas eiſdem) Epiſcopus, aut Superior, ſuſpenſionis ab officio per triennium: Alij verò excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant. A qua quidem excommunicationis ſententia, qui eandẽ incurrent, niſi per Romanum Pontificem nequeant (præterquàm in mortis articulo, & tunc ſatisfactione præmiſſa) abſolutionis beneficium obtinere; nullo in hac parte priuilegio ſuffragante.*

78 Ex quo textu clarè patet: Epiſcopos, & Inquiſitores, qui malitiosè, & fraudulenter odij, vel lucri cauſa aliquem falsò de hæreſi inquiſierint, vel amoris, aut lucri gratia contra aliquem inquiſitum ſcienter procedere omiſerint. Epiſcopos pœna ſuſpenſionis ab officio per triennium, Inquiſitores excommunicationis ſententiam ipſo iure incurrere. A qua ſuſpenſione, & excommunicatione nemo, Romano Pontifice excepto abſoluere poteſt. Ità etiam ibi notant Gloſſa *verb. Fraudulenter, & verb. Excommunicationis*, Ancharanus *n.11.* Imola *n.3.& 4.* Bonifacius de Vitalinis *n.4.in 4.notab.& n.13.in 7.notabil.& ſeq.* & alij, quos refert, & ſequitur Farinacius *de hæreſi, qu.186. num.* 145. *& 146.*

79 Inſuper Epiſcopi, & Inquiſitores negligentes in procedendo contra huiuſmodi inquiſitos, & cum poſſint, omittũt eos capere, & punire, cenſentur eorum fautores, *cap.Qui poteſt obuiare 23. q.3.cap.Quantæ de ſentent.excommunic.* Geminianus *in c.2.nu.10.verſ. Qui autem dicantur fautores*, Ancharanus *n.5. verſ.Quintò quæro*, Sylueſter *verb. Excommunicatio 7.n.11.* Rebuffus *in expoſit. Bullæ Cœnæ, art. 1. verb. Fautores*, vbi probat illos incurrere excommunicationẽ Bullæ Cœnæ, & idem affirmãt Toletus *in ſumm. verb. Excommunicatio 1.n.20.* Farinacius *n.147.*

80 Verum ſi Epiſcopus, vel Inquiſitor omiſerit procedere contra aliquem de hæreſi inquiſitum, non odij, nec amoris, nec lucri cauſa, ſed propter rationabilẽ timorem, & ad euitanda ſcandala, non incurrit dictas pœnas. Ità Gloſſa *in Clement.1. verb.Obtenta de hæreticis*, & ibi

ibi Ancharanus *in §.Sanè,n.*11. Imola *n.*17. *uerſ. In uerbo uerum*, Bonifacius de Vitalinis *n.*162. Vmbertus Locatus *in iudicial.inquiſ.uerb.Inquiſitor*, *nu.*19. Et ſimiliter non incurrit has pœnas, qui ex ignorantia procedere omittit. Papa enim, ait Pegna, *par.3. comment.* 73. noluit prædicta pœna plecti Inquiſitores, omittentes procedere ex ignorantia,ſed eos,qui cùm intelligerent, & ſcirent, eſſe procedendum,odio,vel amore, vel prætio,aut prece,contra iuſtitiam, & conſcientiam propriam omiſerunt procedere,vbi fuerat procedendũ, aut è contra proceſſerunt, cum non debuiſſent. Ità etiam docent Caietanus *in ſumm. uerb. Excommunicatio, c.3.*D. Antoninus *par.3.tit.*24. *c.*7. Farinacius *ibid.n.*150.

CAPVT IV.

De Inquiſitorum Vicarijs foraneis, ſeu Commiſſarijs.

Inquiſitorum Vicarij foranei, ſeu Cõmiſſarij à quo eliguntur?

1 RESp. Quod eliguntur à Summo Pontifice,vel à Supremo Sanctæ Inquiſitionis Tribunali, & eligi etiam poſſunt ab ipſiſmet Inquiſitoribus. Quia Inquiſitores cùm ſint delegati Summi Pontificis habent facultatem, alios delegandi,vt patet ex *cap.Ne aliqui de hæreticis in 6. & ex l. à Iudice*, *Cod. de Iudicijs, & c.Super quæſtionem*, *extra de officio Iudicis delegati*, & ex Bulla Clementi VII. quæ incipit. *Cum ſicut.* Vbi habetur: *Decernimus inſuper, ut ueſtros Vicarios,ſiuè Commiſſarios inſtituere ualeatis*. Ità Eymericus *par.3. quæſt.*13.Pegna *par.3.comment.*62.Decius *in cap. Cum cauſam de appellat. notab.*4.Gondiſſaluus *tr.de hæret.qu.*7.*nu.* 13.Zanchinus *de hæret. c.*30. & ibi Cãpegius,Repertor.Inquiſ. *uerb. Commiſſio*,Royas *in ſingul.fidei, ſing.* 97. & alij. Quæ facultas ità conceditur, vt Inquiſitor ipſe ſolus abſque ſui Ordinis Prælatis poſſit Vicarios, ſeu Commiſſarios ſibi inſtituere,vt probant Eymericus *q.* 14.& Pegna *comment.*63.

Quas conditiones habere debent huiuſmodi Vicarij, ſeu Commiſſarij?

2 RESp.Cum eodem Eymerico *q.*16. quod eſſe debent, viri literati, conſtantes,& firmi,multum circumſpecti, fideique zelatores feruidi, ac ſcientes diſcernere inter lepram,& lepram, hæreſim, & hæreſim, catholicam veritatem,& hæreticã prauitatem; & quod aduerſitates, & labores patienter tolerent,nec trepident,ſed conſtanter,& viriliter negotia fidei exequantur, & vt circumſpectione ſint prouidi, atque prudentes,& ſciant prouidere, quomodò,& qualiter ſit agendum. Ità etiam paucis verbis expreſſit Clemens VII. vbi ſuprà: *Decernimus inſuper, vt veſtros Vicarios,ſeu Commiſſarios inſtituere valeatis, viros veſtra ſententia prouidos, aptos, & idoneos, dummodò ætatis trigeſimum annum attigerint*. Quoad ætatem verò; minor ætas requiritur in his Vicarijs, ſeu Commiſſarijs, quàm in Inquiſitoribus: quia rarò eis committitur integra Inquiſitorum poteſtas, & vt notat Pegna *comment.*65. Regulariter,nec omnia, nec maximè ardua fidei notitia Inquiſitorum Vicarijs demandantur.

Inquiſitor poteſt ne ſibi inſtituere plures Vicarios,ſeu Commiſſarios?

3 RESp.Affirmatiuè,quãdo eius Prouincia grandis eſt,& multas Ciuitates, & loca continet. Quia tunc cũ in ſingulis Ciuitatibus, & locis Inquiſitor perſonaliter intereſſe non poſſit; neceſſe eſt,vt plures Vicarios, ſeu Cõmiſſarios ibi conſtituat. Ità Pegna *comment.*63.Sed iſti non debent excedere numerum Vicariorum foraneorum, quos Epiſcopus deputat in ſua Diœceſi:Quia numerus,quem prudenter Epiſcopus arbitratus eſt ſufficere in ſua Diœceſi, multò magis ſufficiet ad San-

ctum Officiũ: vbi minor numerus cauſarum actitari ſolet, quàm in Epiſcopi Tribunali, vt obſeruat Carena *par.* 1. *tit.* 11. *n.* 4.

Inquiſitores Regulares poſſunt ne inſtituere Vicarios ſuos, Regulares alterius Ordinis, aut Clericos Seculares?

4 RESp. Affirmatiuè, quia in Bullis Pij II. incip. *Cum dudum*, & in dicta Clementis VII. *& in Clementin.* 2. *de hæreticis*, non exprimitur, vt Vicarij, ſeu Commiſſarij aſſumantur ex Ordine ipſius Inquiſitoris; ſed ſolùm quòd *Eligantur viri ſcientia, & probitate prouidi, apti, & idonei, & qui ætatis annum trigeſimum attigerint*. Ergò in Inquiſitorum arbitrio eſt, eligere hos Vicarios alterius Ordinis Regulares, vel Clericos ſeculares, dummodò dictas conditiones habeant; quamuis non deſint eiuſdem ſui Ordinis Patres peritos, & idoneos ad hoc munus exercendum, vt notat Bordonus *to.* 1. *c.* 39. *n.* 7.

Vicarij foranei Inquiſitionis electi à Sede Apoſtolica, & electi ab ipſo Inquiſitore gaudent ne eadem facultate, & ijſdem priuilegijs?

5 RESp. Quod nec in omnibus gaudent eadem facultate, nec ijſdẽ priuilegijs, quia Vicarij electi à Sede Apoſtolica, quamuis ſint ſubdelegati, habent eandem cum delegato facultatem, & prærogatiuas, *l. vlt. Cod. Vt dignitatis ordo ſeruetur, & l. ſuggerente*, *Cod. de officio eius, qui vicem Iudicis obtinet*. Et docent etiam Abbas, & Decius *in cap. Sanè* 2. *de officio delegati*, & alij. Et conſequenter ſicut Inquiſitor, qui eſt delegatus Apoſtolicæ Sedis Superior eſt ordinario, & eius citatio in cauſis fidei præualet citationi Epiſcopi; ità etiam ſuperior eſt Vicarius, ſeu Cõmiſſarius S. Officij electus à Summo Pontifice, & eius citatio præualere debet citationi ordinarij. Quia quamquã ſit ſubdelegatus, non eſt tamen ſubdelegatus à delegato, ſed à Supremo Principe, & propterea par eſt vtriuſque priuilegium, & facultas. Ità Pegna *par.* 3. *comment.* 54. *verſ. Quare in propoſito*. Vicarij autem, ſeu Commiſſarij ab Inquiſitore electi, nec ordinario præferũtur, nec indiſtinctè omnibus alijs priuilegijs gaudent, quibus fruitur ipſe Inquiſitor, vt ibidem ait Pegna. Et Bartolus *in l. Vicarius, & in l. filius, ff. de legationibus*, probat, Vicerectorem conſtitutum à Rectore, non gaudere priuilegijs, & immunitatibus Rectoris. Contrarium verò ſuſtinet Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 13. *n.* 5. affirmans Vicarium, ſeu Commiſſarium, ſiuè electum à Pontifice, ſiuè ab ipſomet Inquiſitore, præferendum eſſe ordinario, ſi ſupponamus Inquiſitorem ordinario præferri. Quia ſubdelegatus delegati Pontificis, Summum ipſum Pontificem repræſentat, & vices ipſius gerit, ſicut ipſe delegatus. Ergò priuilegijs eius gaudet. Et idem ait, docere Molinam *de iuſtit. tr.* 5. *diſp.* 28. *nu.* 17. *verſ. Quod ſapientiſſimus.*

Prædicti Vicarij à quo recipiunt iuriſdictionem ab ipſo Inquiſitore, an à Sede Apoſtolica?

6 RESp. illam eos recipere à Sede Apoſtolica, quia vt notat Carena *par.* 1. *tit.* 7. *§.* 5. *n.* 16. Sacra Congregatio Eminentiſsimorum Cardinalium Supremæ Inquiſitionis decreuit, quod huiuſmodi Vicarij eligantur, ſeu nominentur ab Inquiſitoribus, ſed confirmari debeant ab ipſamet Sacr. Congregat. Ergò ab ipſamet Sacr. Congregat. iuriſdictionem in cauſis fidei exercendas recipiunt: quia conceſſio facultatis exercendi iuriſdictionem tribuitur cõfirmanti, vt probant Canoniſtę *in cap. Si Apoſtolicæ de præb. in* 6. Natta *in conſil.* 669. *n.* 16. Confirmatur, quia ſicut olim Inquiſitorum iuriſdictio, quando ipſi eligebantur ab eorum Generalibus, & Prouincialibus, pendebat à Summo Pontifice, & ipſum repræſentabãt, quia auctoritate Apoſtolica inſtituebãtur, vt

ex

ex Gloſſa *in Clementina 2. de hæreticis in verbo Committi, & in verb. Amouere*, & probant Bernardus Comenſis *loc.cit. n.*1.Panormitanus *in cap.Sanè de officio delegati*,Pegna *comment.* 55. & alij.Ità vtique dicendum eſt de Inquiſitorum Vicarijs, quod eorū iuriſdictio eſt etiā delegata à Sede Apoſtolica,quia auctoritate Apoſtolica eliguntur ab Inquiſitoribus, & confirmantur à Sacra Congregatione.

Prædictis Vicarijs, ſeu Commiſſarijs Inquiſitores quam facultatem, ſubdelegare poſſunt?

7 RESp. poſſe Inquiſitores facultates omnes ſibi conceſſas eis ſubdelegare; quia delegatus Principis poteſt alteri vices ſuas plenè committere, ex *cap. Super quæſtionum de officio Iudicis delegati, & ex l. à Iudice, Cod. de Iudicijs*: Vndè poſſunt eis committere; vt recipiant à quibuſcunque denunciationes, vel accuſationes contra quoſcunq; & liberè procedere valeant, ad informationes capiendas, ad teſtes examinandos, ad reos citandos, arreſtandos, capturandos,ad eorum confeſſiones recipiendas, & eas ſcrutinandas, & probandas, ad teſtificandum alios cogendos; Poſſunt quoque pro dicenda veritate vna cum Domino Epiſcopo, ſeu eius Vicario, reum ad torturam exponere, ac eum ponere in carcerem, qui magis ad pœnam, quàm ad cuſtodiam videatur, conſilium peritorum conuocare, & generaliter omnia facere,quæ ab ipſis Inquiſitoribus fieri poſſent,ſi ibi perſonaliter adeſſent. Ità docent Eymericus *in forma inſtituēdi Cōmiſſarios,par.3.direct.n.*37. *quæſt.*15. & conſtat *ex cap.Vt commiſſi,§.committendi de hæreticis in 6.* & ex reſcripto Vrbani IV.incipiente: *Licet ex omnibus*.Et confirmant Pegna *in dicto nu.*37. *comment.*10.*& comment.*64.Vmbertus Locatus *in iudicial.inquiſ.verb. Inquiſitor, n.*4.Calderinus *tr.de hæretic.rubr.de officioVicarij,n.*1.*& ſeq.*Et ſpectato rigore iuris: Poſſunt etiam eis committere ſententiæ definitiuæ prolationem, vt docent ibidem Pegna, Farinacius, cum alijs pluribus, *q.*186.*n.*29. Molina *de iuſtit.tr.*5.*diſp.*28.*num.*8. Azorius *par.* 1.*lib.*8.*c.*8.*qu.*10. Caſtro Palaus *par.*1. *tr.*4.*diſp.*8.*pun.*12.§.2.*n.*12.

8 Verum,quamuis hoc ità ſit,nunquàm tamen Inquiſitores,eorum Vicarijs,ſeu Commiſſarijs committere debent ſententias pronunciare,præcipuè aduerſus relapſos, & impœnitentes: quia cum agatur de vita hominis, altiori examine,quàm eo,quod fieri poteſt per Vicarium indiget. Immò nec etiam conueniens eſt, vt eis committant teſtium examinationem,niſi in aliquo graui, & vrgenti caſu, quando nec ipſi teſtes ad Inquiſitorem accedere, facilè valent, neque Inquiſitor ad illos. Quia quę ab Inquiſitoribus fiunt, maturius, & prudentius facta eſſe præſumuntur, quàm quæ fiunt ab eorum ſubſtitutis. Ità admonent Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 94.*n.*11. Pegna, & Caſtro Palaus *locis citatis*; Qui etiam referunt ità in Hiſpania cautum eſſe in quadam inſtruct.edita ann. 1484. *c.* 17. Item dicti Vicarij neminem debent carceribus mancipare non auditis Inquiſitoribus, ſed ſemper cum eorum participatione,niſi ineuitabilis eſſet neceſſitas, nempè periculum eſſet in mora, quia inquiſitus ſe præparat ad fugam. *Ità* Carena *par.*1. *tit.*11.§.1.*n.*6.Molina *tr.*5. *de iuſtit.diſ.* 28.*n.*18. Caſtro Palaus *ibid.n.*5.*in fine.*

Prædicti Vicarij, ſeu Commiſſarij poſſunt ne facultatem ſibi conceſſam ab Inquiſitoribus,ſubdelegare alijs?

9 RESp.negatiuè,neque in totum,neque in partem. Tum quia ſi vices ſuas poſſent alijs ſubdelegare, ſecundi, poſſent etiam alios ſubdelegare,& ſimiliter tertij, & quarti, & ſic in infinitum: quia nulla excogitari poteſt ratio,ob quam magis primi, quàm reliqui ſubdelegare poſſent. Proceſſus autem in infinitum omninò vitandus eſt, ex *l.fideicommiſſum,§.Si quis,ff.de legat.* 3. Tum quia lex,quæ delegatis à Principe

cipe concedit poteſtatem ſubdelegandi, non concedit ipſis ſubdelegatis, vt poſſint alios ſubdelegare: quia priuilegium ſubdelegandi eſt perſonale, quod in alijs transferri non poteſt, ex *cap. Priuilegium de regulis iuris in 6.* & notant Gloſſa *in cap. Quam ſit de election. in 6.* Gloſſa *in cap. Super quæſtionum, §. Porrò, verb. Transfert de officio Iudicis delegati*, Gloſſa *in cap. Cum cauſam, verb. Delegatus de appellat.* Archidiaconus *in cap. Quamuis*, & Ioannes Andreas *in cap. Is cui de offic. deleg. in 6.* & Bartolus *in l. ſi is, qui pro emptione, ff. de vſu capien.* Ità docent Pegna *par. 3. comment. 64.* Molina *vbi ſup. n. 8.* Azorius *ibid. q. 10.* Caſtro Palaus *n. 13.* & alij.

Inquiſitorum Vicarij, ſeu Commiſſarij gaudent ne priuilegio, ſe ad inuicem ab excommunicatione abſoluendi, & diſpenſandi ab irregularitate?

10 Reſp. Affirmatiuè, ſi aliquis illorum in excommunicationem, vel in irregularitatem incurrat, alter poteſt abſq; alia diſpenſatione eũ abſoluere. Ità Pegna *par. 3. comment. 72.* vbi poſt quam probauit hoc priuilegio frui Inquiſitores ex conceſſione Vrbani anno 1261. vt referunt Repertorium Inquiſ. *verb. Irregularitas, §. Si tamen*, Campegius apud Zanchinum *c. 31.* Royas *tr. de hæret. par. 2. n. 423.* ſtatim ſubdit: An autem hoc priuilegium Commiſſarijs etiam Inquiſitorum competat, dubitari poteſt: ſed verius eſt competere, fauore fidei. Et idem docet Diana *to. 5. tr. 10. reſ. 69. ex par. 4. tr. 2. reſ. 102.* Incurrerẽt enim irregularitatem, tàm Inquiſitores, quàm eorum Vicarij, ſeu Commiſſarij ſi traderent delinquentem, ſiuè in cuſtodiam, ſiuè in pœnam in carcerem, tã ſeuerum, & aſprum, vt ille ibi moreretur: vt docent Pegna *commẽt. 107. verſ. Veruntamen*, Zabarella *in Clemẽt. vnic. de homicidio*, Abbas *in cap. A nobis de Apoſtatis, & in cap. Qualiter, & quando de accuſation.* Locatus *in opere iudiciali, verb. Carcer, n. 6.*

Inquiſitorum Vicarij præcedere ne debent Vicarios generales Epiſcoporum?

11 Reſp. quod hodiè cùm dicti Inquiſitorum Vicarij eligantur à Sacra Congregatione Supremæ Inquiſitionis, certum eſt eos præcedere Vicarios generales Epiſcoporum: quia electi à maiori præferuntur electis à minori, & inferiori: vt docent Ancharanus *in cap. Per tuas de maior.* Menochius *conſ. 126. n. 34.* Natta *conſ. 637. n. 14. & 41.* Gratianus *cap. 845. n. 34.* & alij. Omnes autem Epiſcopos, nulli dubium eſt, inferiores eſſe dicto Supremo Tribunali. Ergò certum etiam eſt Inquiſitorum Vicarios præcedere Epiſcoporum Vicarios Generales. Sed illi Vicarij, qui per modum prouiſionis in locum præmortui, vel ab officio remoti, conſtituũtur ab Inquiſitoribus, præferendi non ſunt Vicarijs Epiſcopalibus. Tum quia eliguntur ab inferiori, & ad tempus; iſti autem à digniori, & permanenter: Et tum etiam, quia proueniens naturaliter anteponitur venienti, ex accidenti, *l. qui habet, ff. de tutelis*. Vicarij Epiſcopales ſunt naturaliter, & per eſſentiam tales; prædicti autem Inquiſitorum Vicarij caſualiter, & per accidens. Ergò illi debent iſtis præcedere. Ità docent Carena *par. 1. tit. 7. §. 2. num. 10.* Bordonus *to. 1. cap. 39. n. 4. & 5. in fine.*

Vicarij prædicti ſunt ne exempti ab obſeruantijs regularibus?

12 Reſp. minimè exemptos eſſe ab illis obſeruantijs, quę non impediunt S. Officij exercitium; quia ab iſtis neque Inquiſitores exempti sũt, vt omnes Doctores affirmant. Immò ait Carena §. 4. *n. 14.* quantum fieri poteſt obſeruantias regulares peragere debent, & ſeſe cum communi aliorum Fratrum ſui Ordinis vita conformare, ſcientes, quod quantò diligentius hæc cuſtodierint, tantò maiorem à probis viris æſtimationem acquirunt, & malis terrorem incutiunt.

Præ-

Prædicti Vicarij, seu Commiſsarij ſi ſint Regulares, poſsunt ne à ſuis Superioribus Regularibus de loco ad locum remoueri?

13 RESp. negatiuè, quia non poſſunt eos impedire ab officio eis tradito, & ne procedant in cauſis fidei. Nã circa hoc non ſunt eorum ſuditi, ſed Papæ. Solus Inquiſitor poteſt remouere, ac deponere Vicarium ſeu Commiſſarium à ſe inſtitutum, vt probant Eymericus *par. 3. direct. qu.* 17. Pegna ibi *comment.* 66. Locatus *in iudicial. inquiſ. verb. Vicarius, n.* 1. Bernardus Comenſis *in Lucerna Inquiſitorum, verb. Inquiſitor, n.* 2. & alij.

Vicarij prædicti iuriſdictio expirat ne morte Inquiſitoris?

14 RESp. negatiuè, quia inſtituitur ab Inquiſitore, non tanquam ab ipſius perſona, ſed tanquam à Summo Pontifice delegato, & iuriſdictio ei auctoritate Apoſtolica conceditur; quod etiam patet; quia Inquiſitorum Vicarij à Supremo Tribunali confirmantur, per quam confirmationem eorum facultas perpetuatur, vt ſupra dictum eſt, & à Carena *loc. cit.* probatur. Et conſequenter, neque per mortem, neque per quãcumque Inquiſitoris remotionem expirat: vt docent Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 34. *n.* 14. Royas *ſingul.* 114. *nu.* 3. Azorius *par.* 1. *lib.* 8. *qu.* 7. Diana *to.* 5. *tr.* 10. *reſol.* 2. *ex par.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 19. & alij. Quod etiam de iure procedit. Nàm Vicarius electus, etiam poſt mortem Superioris, durat, vt ex *cap.* 1. *de offic. Vicarij in* 6. *& ex Clemẽt. Ne in agro de ſtatu Monach.* & ex Nauarro *conſ.* 12. *de elect.* quia potius à iure, quàm ab homine poteſtatem recipit. Ergò multò magis verificari hoc debet de Inquiſitorũ Vicarijs, ne per mortem Inquiſitoris aliquid S. Officiũ patiatur, & fidei cauſæ periclitentur. Et ità in facti contingentia obſeruatum fuit, teſtè Carena *par.* 1. *tit.* 7. §. 5. *nu.* 17. *in Ciuitate Papiæ*. Vbi mortuis duobus Inquiſitoribus, Vicarij S. Officij omnia negotia S. Tribunalis pertractarunt.

CAPVT V.

De Inquiſitorum Conſultoribus.

Quales eſse debent Conſultores eligendi pro Tribunali S. Officij?

1 RESp. Quod eſſe debent viri prudentes, probatę vitę, Doctores, vel Theologi, vel Canoniſtę, aut Legiſtæ, & S. Fidei eruditi, ac zelatores, ob eaſdem rationes, quas ſuprà dictum eſt, eſſe debere Inquiſitores, & eorum Vicarij, ſeu Commiſſarij. In huiuſmodi enim electionibus virtus ſemper præ oculis habenda eſt, vt notant Symanchas *de cath. inſtit. c.* 41. *n.* 12. Royas *de hæret. par.* 1. *n.* 404. Farinacius *de hæreſi, q.* 185. *nu.* 189. & Carolus Tappia *in Conſtitut. Regni Neapolis, lib.* 2. *n.* 14. relatis à Carena *par.* 1. *tit.* 8. §. 2. *n.* 9. Alij autem eſſe debent Theologi, vt propoſitionum gradus, & qualitates rectè expendantur: & alij Doctores vtriuſq; iuris, vt in ordine iudiciario ritè, & iuſtè abſoluatur abſoluẽdi, & damnentur condemnandi, vt notant Pegna *in direct. par.* 3. *comment.* 126. Decianus *tr. crimin. lib.* 5. *c.* 24. *nu.* 10. Zanardus *in ſumm. diuin. præc. par.* 1. *c.* 6. *n.* 42. & alij communiter. Eligi poſſunt in hoc Sancto Tribunali Conſultores, non ſolùm Eccleſiaſtici, & Regulares, ſed etiam Laici: quia etiam Laici in cauſis Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus conſilium dare poſſunt: vt ait Innocentius *in cap.* 2. *de iudicijs*, & ibi Hoſtienſis, & cæteri omnes. Et Carena *loc. cit. n.* 6. teſtatur, quod ipſe erat, ne dum Laicus, ſed coniugatus, & erat Conſultor, & Aduocatus Fiſcalis S. Officij. Sed hoc non procedit in Regno Luſitaniæ; quia ibi Conſultores habent votum deciſiuum, & in ſententijs ſe ſubſcribunt: teſtè Souſa *in Aphoriſmis S. Officij, lib.* 1. *c.* 1. *n.* 14. Eligi etiam poſſunt plures Conſultores, quia vt notat Pegna

gni vbi ſuprà, *verſ. Cæterum quamuis*, Salomon ait *Prou.c.*11.*&* *c.*24. *Erit ſalus, vbi multa conſilia ſunt.*

Inquiſitores, poſsunt ne ſibi eligere Conſultores, & illos remouere?

2 RESp. Quod Conſultores regulariter eligi poſſunt ab Inquiſitoribus, quia ipſi agnoſcunt, quinam ſint periti, prudentes, timoratæ conſcientiæ, & fidei zelatores. Et Carena *par.*1. *tit.* 8.§.1.*n.*3. *&* 4. refert in multis Ciuitatibus de facto ab eis deputari. Attamen in alijs Ciuitatibus, tàm Conſultores, quàm Aduocatus Fiſcalis, & Cãcellarius, nominantur ab Inquiſitoribus, & eligũtur ab Eminentiſſimis Cardinalibus Supremę Inquiſitionis. Et ſępè etiam abſque Inquiſitorum nominatione eliguntur ab ipſa Sacra Congregatione: Et iſti ab ea dependent, nec ab Inquiſitoribus remoueri poſſunt: quia actus tribuitur confirmanti; vt probant Surdus *conſil.*385.*nu.*33.*vol.*3. & Bordonus *to.*1.*q.* 38.*n.*2. Et ſi renunciare voluerit, eiſdem Cardinalibus facienda eſt renunciatio, iuxtà doctrinam Bartoli *in l.fin.Cod.de defenſ.Ciuit.* Renunciatio enim officij fit in manibus illius, qui illud contulit: Geminianus *conſ.*127.

In quibus caſibus Conſultores vocandi ſunt ab Inquiſitoribus, & cogi poſsunt, vt eis aſſiſtant?

3 RESp. Non ſolùm vocandos eſſe, quando ferenda eſt ſententia condemnatoria, ſed etiam in abſolutoria, vt docent Conradus Brunus *lib.*4.*de hæret.c.*10. & Pegna *loc. cit. uerſ. Periti uerò*, vbi addit: Non modò vocandos eſſe cùm ſententiæ ferendæ ſunt, verum etiam quoties in alijs iudicij actis occurrit aliqua difficultas, vel circa teſtes, vel circa delatos, aut in alijs quibuſcunque articulis. Solent enim emergere dubia, an teſtes benè probent, an reus torquendus ſit, an ob eius verba, vel facta ſit vehementer, vel leniter de hæreſi ſuſpectus, an ſit condemnandus, vel abſoluendus, & his ſimilia. Et in his caſibus poſſunt quoque Inquiſitores cogere, ſi oportuerit, Conſultores, vt eis aſſiſtant, & conſilium præbeant. Quod probat Eymericus *par.*3. *direct. qu.*77. *ex cap.Vt commiſſi,* §. *Aduocandi de hæret.in* 6. vbi dicitur: *Aduocandi quoque prout expedierit peritos quoslibet, vt vobis aſſiſtant, & in huiuſmodi deferendis ſententiam, præbeant conſilium opportunum, ac eis, quod ſuper his vobis humiliter pareant, in virtute obedientiæ iniungendi.* Ex quibus verbis patet, non ſolùm quod Inquiſitores poſsunt Conſultores præcepto obedientiæ cogere, ad eis præſtandam aſſiſtentiam, & conſiliũ; ſed etiam quod teneantur aliquandò illos petere, & eorum conſilio vti, ne ſinè illo non benè ſe gerant: & pręcipuè antè rei ſententiam debent illos requirere. Ità Caſtro Palaus *par.*1. *tr.*4.*diſp.* 8.*pun.*11.*n.*3. Carena *par.*1.*tit.*8. §.9.*n.* 55. Verum ſi cauſas minimè graues Inquiſitores, inauditis Conſultoribus, expedirent, non idcircò malè ſe gererent, ſed validè ſententiam ferrent. Quia vt docent Sylueſter *verb.Conſilium,q.*1.*&* 3, Panormitanus *in cap. ex parte de conſtitut.* Salas *de legibus, diſp.*16.*ſect.*10.*n.* 43. Diana *to.*5.*tr.*12.*reſ.*38.*n.*4. *ex par.* 4.*tr.*7.*reſ.*38.*n.*4. Carena *loc. cit.* In tali caſu conſilium præſumitur præcipi, vt licitè actus præſtetur, non vt validè. Et in dicto *cap.Vt commiſſi,* dicitur: *Vocandos eſſe peritos, prout expedierit,* vndè tacitè inſinuatur, non eſse vocandos, quando ab Inquiſitoribus iudicatur non expedire.

Vota Conſultorum ſunt ne deciſiua, itaut teneantur Inquiſitores, illa ſequi?

4 RESp. Quod in Regno Luſitaniæ vota Conſultorum ſunt deciſiua, vt ait Souſa *in aphoriſ. inquiſ.lib.*1.*c.*1.*n.*14.*&* *lib.*2.*c.*36.*n.*9. Ità etiam eſse dicendum in alijs locis, affirmant Decianus *lib.*5.*c.*14.*n.*10. Zanardus *in direct.Theolog.par.*2.1.*princ.c.*6.*q.*42. Alber-

bertinus *q.26. concluſ.*15. Homobonus de Bonis, *tr.de ſtatib.par.*1.*c.* 6. Et docent eſse periculoſum, & repræhensióne dignum, Inquisitores in tribus casibus à voto Conſultorum diſcordare. Primò, quando cum Conſultoribus conſentit Epiſcopus. Secundò, quando omnes Conſultores ſunt eiuſdem voti. Tertiò, quãdo maior pars cõſentit erga innocentiam inquisiti. Sed alij communiter docent, Conſultorum vota in hoc ſacro Tribunali eſse tantùm conſultiua, non autem decisiua. Ità Bariola *in aphoriſm.litt.V.verb. Vota Conſultorum*, Barboſa *in collect.to.*3.*lib.*5.*tit.*2.*c.*12.*n.* 8. Cenedus *collect.*27.*nu.*2. *in* 6.*decret.* Tabiena *verb.Inquiſitor,n.*12. Lucerna Inquiſ.*verb.Aduocatus* 4. & ibi Pegna *in annot.* Zechius *in ſumm. to.* 1. *de hæret.c.*11.*n.*14. Royas *de hæret.*1. *nu.*409. *& par.*2.*n.*166. Symanchas *tit.* 41. *nu.* 14. Burſatus *lib.*1.*conſ.*90. *nu.*36. & 49. Treuiſanus *lib.*2.*deciſ.*35.*n.*1.

5 Sed quando Inquisitores ſunt Theologi, illos diſcedendos non eſse à Conſultorum iuris peritorum votibus: & quãdo ſunt iuris Doctores, in causis fidei à Theologorum votibus, in notandis propositionibus hæreticis, & catholicis, & earum qualitatibus expendendis: docent Pegna *in direct.par.* 3. *comment.*127.*verſ. Cum verò Inquiſitores*, Aloysius Bariola, & Diana vbi ſupra.

Conſultores S. Officij pro eorum cõſilijs, & laboribus petere ne poſſunt aliquam mercedem?

6 RESp. negatiuè, quia quamuis Aduocatus, & Iuriſdoctor non teneatur gratis conſulere in causis forẽsibus, & temporalibus, ex *cap. Non licet* 69. 11.*q.* 3. tamen Conſultores huius Sancti Tribunalis gratis conſulere, & laborare debent, quia eorum consilia, & labores ordinantur ad bonum ſpirituale Chriſtianæ Reipublicæ, & conſeruationem catholicæ fidei, ad quæ quilibet fidelis gratis tenetur. Ità docent Symanchas *loc.cit.c.*41. *n.* 13. Carena *par.*1.*tit.*8.§.1.*n.*2. Bordonus *tom.* 1.*c.*38.*n.*12. Qui etiam addit: Quod ſi aliquis prætium reciperet, reus eſſet peccati mortalis, putans ſibi licere prætio facere, quod gratis exhibere tenetur, faciens iniuriam fidei catholicæ, quàm gratis propugnare debet.

Conſultores qua obligatione, & ſub qua pœna ſeruare tenentur ſecretũ in cauſis S.Officij?

7 RESp. Quod Conſultores prædicti in actu, quo recipiuntur in Cõſultores huius S.Tribunalis, iurant ſeruare ſecretum de rebus in Congregatione pertractandis, & de his, quæ cõcernunt cauſas S.Officij, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, à qua non poſſint abſolui, niſi ab Eminentiſſimis Cardinalibus Supremis Inquiſitoribus. Et notat Pegna *par.*3. *comment.*129. *verſ. Quamuis autem*, quod quamuis hoc iuramentum non emitterent; adhuc ad cuſtodiendum ſecretum, tenerentur propter multas leges, iubentes ne cauſæ fidei propalentur ob ingẽs periculum, quod indè naſci poteſt. Et P.Maxinus *in praxi Sãcti Officij, fol.*10.*uerſ. Deue parimente*, ait, quod neruus præcipuus cauſarum Sancti Officij eſt ſecretum. Et *in cap. Statutũ*, §.*Et vt eorundem de hæret. in* 6. ſtatuitur, vt etiam Inquiſitores Conſultoribus indicere, poſſint ſecretum in dictis cauſis S. Officij ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda. Et ità teſtantur Eymericus *par.*3. *direct.q.*81. Pegna ibi *commẽt.*130. Lucerna Inquiſ. *verb.Inquiſitor, n.*21. Zanardus *in ſum. c.*6. *de Inquiſitore, q.* 42. *uerſ. Sextò notandum*, Carena §.10.*n.*61. Hoc idem ſecretum ſeruare iurant ipſi Inquiſitores, Epiſcopi, & Eminentiſſimi Cardinales Supremæ Inquisitionis, vt notat idẽ Carena *n.*67.

8 Sed ob hoc iuramentum non prohibentur Conſultores, extrà Congregationem inter ſe loqui, alijs non audientibus de meritis cauſarum in Congregatione ſibi propoſitarum. Ità Zanardus,

dus, Lucerna Inquiſ. Carena *locis citatis*,& Bordonus *tom.1.c.38.n.24.* Notat etiam Carena *n.63.*quod lata,& publicata ſententia, Conſultor poteſt dicere: Ego fui in tali voto, dummodò non adſit ſcandalum,& illi, quibus Conſultor votum ſuum reuelat, non poſſint in cognitionem voti aliorum Conſultorũ venire, nec adſit periculum ex tali reuelatione incitãdas eſſe rixas, & contẽtiones. Vota verò aliorum nunquam ei licet reuelare.

Conſultor S. Officij in aliquo crimine delinquens, à quo eſt puniendus?

9 Reſp. Quod vel talis Conſultor, etiam Religioſus,delinquit in officio Sanctæ Inquiſitionis: & ab Inquiſitore puniendus eſt; quia ratione illius officij eximitur à ſuo Superiore ordinario, & fit ſubditus ipſi Inquiſitori:ſicut Parochus, ratione officij parochialis, fit ſubditus Epiſcopo: *cap.1. & cap.9.de priuileg.in 6.* Et quilibet fit de foro alterius ratione delicti dependentis ab illius iuriſdictione,*cap.fin.de foro competenti*. Ergò ſimiliter Religioſus, Sanctæ Inquiſitionis Conſultor, delinquens in ſuo officio, eſt ab Inquiſitore puniendus. Vel delinquit extrà hoc officium in Regularibus obſeruantijs: & puniendus eſt à ſuo Superiore Regulari, à cuius ſubiectione non eximitur ob honoratum officium Conſultoris:quia ſi hac ratione à punitione ſui Superioris totaliter eximeretur, & fieret de foro Inquiſitoris: ſequeretur,quod poſſet omninò ſe eximere à ſubiectione ſui Superioris, & quod nullatenus teneretur ei obedire:quia ſubiectio maior eſt, quoad Superioris punitionem, quàm quoad regularem obſeruantiam, & diſciplinam. Ergò ſi à punitione regularis delicti Conſultor non eſſet ſuo Superiori ordinario ſubditus,eſſet etiam exemptus ab illius obedientia, & ſubiectione. Valet enim argumentum à maiori ad minus. Confirmatur, quia maior, & efficacior eſt ſubiectio religioſi erga Superiorem, quæ oritur ex obligatione naturali perpetua voti obedientiæ: quàm eiuſdem Religioſi erga Inquiſitorem, cuius ſubiectio eſt accidentalis, ad tempus, amouibilis, & renunciabilis. Ergò per hanc minorem ſubiectionem non eximitur Conſultor à maiori, & conſequenter ſi contra diſciplinam regularem delinquit, à Superiore Regulari eſt puniendus.Et ità etiã docet Bordonus *to.1. c.38. n.30.& ſeq.*

Quænam ſunt priuilegia Conſultorum S.Officij?

10 Reſp.Si Conſultor eſt Canonicus, dum actu eſt in Congregatione S. Officij; vel eſt abſens ex cauſa ad Sanctum Officium ſpectante, lucratur diſtributiones, quæ debentur ſolis interexentibus: quia ſi hæ diſtributiones dantur Clerico abſenti pro euidenti vtilitate Eccleſiæ, ex *cap. vnico de Cleric. non reſid.in 6.* multò magis dari debent Conſultori, qui eſt abſens pro neceſſitate defenſionis cauſæ fidei, in deſtructionem hæreſis. Gaudent etiam priuilegio fori Tribunalis S.Officij in cauſis criminalibus,& in multis locis,etiam in cauſis ciuilibus,vt in c.3.n.23.& 26.dictum eſt. Aſſiſtentes non ſolùm in cauſis hæreſis, ſed etiam in quacunque cauſa criminali, quæ coram Inquiſitore tractatur: ſententiam poſſunt dicere contra reos,qua damnentur, etiam vſq; ad mutilationem membri, & ad mortẽ naturalem incluſiuè, abſquè alicuius cenſuræ, vel irregularitatis incurſu, ex *Conſtitut.* Pauli IV. edita 29. Aprilis 1557. confirmata à Pio V. vt teſtantur Vmbertus Locatus *in opere iudicial.Inquiſ. tit. de decretis*, Pegna *par.2.direct. comment.20. verſ. Quamquam autem*. Poſſunt non ad libitum, ſed ex rationabili cauſa impune deferre arma, nàm Inquiſitores habent priuilegium habẽdi familiam armatam, ex *Clementina Nolentes de hæreticis,& ex Conſtitution.* Ioannis XXII. & in eorum familia numerantur Conſultores. Quotieſcunque conſilium præſtant, vel Congregationi, aut abiurationi aſſiſtunt indulgentiam

trium

trium annorum lucrantur, ex Bulla 16. Alexandri IV. & ſi in proſecutione ſui officij moriantur indulgentiam conſequuntur plenariam, ex Bulla Vrbani IV. Immò Maſinius *in ſuo arſenali, fol.* 11.ait,quod Cõſultores, & alij in quolibet actu ad cauſas Sancti Officij ſpectante indulgentiam plenariam acquirunt, ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & ex Breui Pauli V. dato 29. Iulij 1611. & ità notat etiam Bordonus *loc.cit.*

11 Regulares ſunt etiam exempti à Superioribus ſuis in his, quæ ſpectant ad S.Officium; nec poſſunt impediri,quin accedant ad Congregationem, vel ad abiurationem rei,& ne exequantur,quę ab Inquiſitoribus eis imponuntur. Neque remoueri poſſunt à Conuentu ad Conuentum, quando Inquiſitores indigent eorum auxilio. Verùm ſi ipſe Cõſultor ſpontè remoueri vellet, poteſt alibi diſcedere,& etiam renunciare Cõſultoris officium, quia eſt beneficium honorificum, quod non confertur inuito, nec ab inuito exercetur, vt notat Bordonus *dicto cap.*38.*q.*10.

Ex Conſultoribus poteſt ne aliquis eſſe Aduocatus Fiſcalis S.Officij, vel Aduocatus ipſius rei?

12 Reſp.ad vtrumque affirmatiuè, & quod ſimùl eſſe poſſit Conſultor,& Aduocatus, ſeu Promotor Fiſcalis, patet ex praxi,quàm probat Carena *par.*1.*tit.*9.§.2.*n.*19.*&* 20. & eligi ſolet ab Eminentiſs. Cardinalibus Supremæ Inquiſitionis. Poteſt quoque alter ex Conſultoribus eſſe rei Aduocatus ad ipſius rei petitionem,& benè, ac fideliter eum defendere debet. Ità docent Souſa *in aphoriſ. lib.*2.*c.*3.*n.*8. Carena *tit.*10.§.1. *n.*4. qui etiam teſtatur, ſæpè vidiſſe in rei Aduocatum aliquem ex Dominis Conſultoribus deputari. Sed in hoc caſu non poteſt officium Conſultoris exercere, nec ipſius votum in tali cauſa deferre,vt ijdem Doctores affirmant.

CAPVT VI.

De Aduocato Fiſcali Sancti Officij.

In Tribunali Sanctæ Inquiſitionis, eſt ne dandus neceſſariò Aduocatus, ſeu Promotor Fiſcalis?

1 Reſp.Affirmatiuè,quia dum in omnibus cauſis, in quibus de vtilitate,& iure Fiſci agitur, ſiuè cauſæ ſint ciuiles, ſiuè criminales, deputatur Aduocatus Fiſcalis, ex Imperatorum ſtatutis,vt omnes ſcribentes de officio Fiſcalis obſeruant:multò magis neceſſariò deputandus eſt in hoc Sancto Tribunali,in quo agitur de Chriſtianæ fidei cõſeruatione,& defenſione contra hereticas prauitates. Ideò de hac re dubitare nequit,vt notant Symanchas *de cathol. inſtit.tit.*53.*per totum*, Ludouicus à Paramo *de orig.S.Inquiſ.lib.*3.*qu.*9. *nu.*15. & alij.

A quo eligitur iſte Aduocatus Fiſcalis, & qualis eligendus eſt?

2 Reſp.Quod ſicut in alijs Tribunalibus ciuilibus, & criminalibus, Aduocati Fiſcales à ſolo Rege, vel à Supremo Principe creantur, vt notant Maſtrillus *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 85. Tappia *in iure Regni Neap. lib.*2. *de offic.Aduocat. & Procurat.Fiſcalis, n.* 12. Ità Aduocatus Fiſcalis in hoc S. Tribunali eligitur à Summo Pontifice, vel à ſuprema S.Officij Congregatione, Carena *par.*1.*tit.*9.§.2.*n.*19. Eligendus autem, eſſe debet vir probatæ vitæ, fidei zelator, diligens,induſtrius, & iuris peritus. Ità Symanchas *loc.cit.n.*1.*& in Enchirid.tit.* 29. *n.* 2. & præcipuè debet eſſe verſatus in agnitione delictorum ad Sanctum Officium ſpectantium, & illorum pœnarum, ac Bullarum Apoſtolicarum in materijs huius Tribunalis editarum, vt notant Paramus *vbi ſup. n.*40. Tappia *n.*13. & Carena §.3.*n.*24.

Quodnam eſt munus Aduocati Fiſcalis S.Officij ?

3 RESp.Quod ſicut Aduocatis Fiſcalibus Regijs maximè commendatur Regia iuriſdictio, vt notat Bouadilla *in ſua polit.lib.2.c.19.n.4.* Ità Aduocatis Fiſcalibus S.Officij diligentiſſimè commendatur iuriſdictio huius Sãcti Tribunalis. Et eorum munus eſt porrigere accuſationes contra hæreticos poſt aſſumptam ſummariam informationem contra eos; dicta teſtium exquirere, libros denunciationum reuoluere, vt quos reos cognouerint, poſſint coram Inquisitoribus inſtare, vt carcerentur, & debitis pœnis mulctentur: proceſſus, qui contra reos formantur diligenter ſcrutari, vt tempore relationis poſſint, tàm in facto, quàm in iure, quæ requiruntur allegare: debent etiã coram Inquisitoribus inſtare, vt edicta fidei promulgentur ſæpiùs. Ità docent Paramus *de orig.inquiſ.lib.3.q.4.rubr.de forma,& ordine,n.20.39.& 46.* Symanchas *in alleg.tit.13.n.3.& ſeq.* Carena *vbi ſup.*§.4.*n.*25.*& ſeq.*

In quibus actibus debent Aduocati Fiſcales eſſe præſentes cum Inquiſitoribus ?

4 RESp.quod Carena *par.1.tit.9.*§.4. *n.39.* ait, ſtylum Sanctæ Inquiſitionis in Regnis Hyſpaniarum eſſe, vt refert Symanchas *de cathol.inſtit.tit.53. n.10.* quod Fiſcalis ſi vult in Congregatione præſens eſſe relationi actorum, & ibi allegare in iure, & in facto; id eì conceditur. Abeſt verò cùm teſtium dicta ſcribuntur, & rata habentur, & cũ Iudices, & Conſultores de ſententia ferenda deliberant. Quod eſt magis conforme diſpoſitioni iuris communis, ſecundùm quàm diſpoſitionem, cùm teſtes examinantur, vel repetuntur, vel per eoſdem ratæ habentur depoſitiones, nõ poteſt Aduocatus Fiſcalis eſſe præſens: Sicut nec poteſt præſens eſſe cum reus torquetur, vt pluribus allegatis, probat Afflictus *in Conſtitut. Regni, lib.1.rubr. 61.in conſtitut.incip.Quæſtiones, nu.5.& 6.* Quia ſicuti in examine teſtium abeſſe debent partes, & in actu torturæ accuſator: Ità abeſſe debent partium, & accuſatoris Aduocati, per iura ibi ab Afflicto allegata. Et ideò in Hyſpania ex allegato ſtylo abeſt Fiſcalis, cùm dicta teſtium ſcribuntur, vel rata habentur. Sed in S.Inquiſitionis Tribunali iſta non ſeruantur. Nàm licet examinibus teſtium Aduocatus Fiſcalis non interſit, niſi ab Inquiſitore vocatus. Attamen *ex decreto particulari S.C.Supremæ Inquiſitionis, vt ex literis Eminentiſs. Cardin. Mellini ſub die 27. Iulij 1618.* intereſt examinationibus teſtium ad defenſam, & repetitioni teſtium, ac etiã eſſe debet præſens Congregationibus, dum cauſa vocatur: & ſemper eſſe præſens torturæ vna cum Inquiſitore, qui ſedet medius inter Vicarium Generalẽ à dextris, & Aduocatum Fiſcalem à ſiniſtris. Et in hac re Eliſæus Danza *in tract. de pugna Doct. tit.de officio Fiſci, n.111.* ait, quod quamuis doctrina Afflicti, in iure ſit vera; ipſe tamen ſemper vidit contrariũ obſeruari. Et idẽ vidiſſe teſtatur Carena *n. 42.& n.43.* vbi ait, quod ſi ipſe eſſet Inquiſitor nunquã ad torturã deueniret ſine. Aduocato Fiſcali, & ſi abeſſet, deputaret alium Officialem Tribunalis pro illo actu. Ità Carena.

Poteſt ne reus, Aduocatum Fiſcalem, tanquam ſuſpectũ, recuſare ex cauſa inimicitiæ ?

5 RESp. quod in foro ſeculari, vbi Aduocatus Fiſcalis habet in cauſis votum deciſiuum, poteſt tãquam ſuſpectum recuſari, ſicut quilibet ex ceteris Iudicibus; vt inter alios latè probat Tappia *de iure Regni Neap.lib.3.tit. 33. de ſuſpic. official.* At vbi non habet votum deciſiuum, ſed tantùm interuenit in formatione proceſſus, in teſtium examine, in rei tortura, & in alijs actibus iudicialibus: aliqui Doctores docent, non poſſe in hoc caſu Aduocatum Fiſcalem, vt ſuſpectum recuſari: vt ait

Pe-

Peguerius *in deciſ.* 232. Alij ſuſtinent, quod etiam ſi votum non habeat deciſiuum, adhuc vt ſuſpectus recuſari poteſt: vt probant Rouitus *in Pragm. Regni, tit. de ſuſpic. official. pragm.* 5. *nu.* 2. & Maſtrillus *deciſ.* 414. *vol.* 3. Sed in Tribunali S. Officij Aduocatus Fiſcalis nō habet votum deciſiuum, cùm nec illud habeant Conſultores. Nam ſolus Inquiſitor, & Epiſcopus loci ordinarius cauſas huius Tribunalis decidunt. Et ideò ſuſpiciones Aduocati Fiſcalis regulariter non ſunt admittendæ: eo magis, quia eliguntur ad id munus à Summo Pontifice, vel à Supremo Cardinalium Tribunali Sanctæ Inquiſitionis: et huiuſmodi Officiales, à Principe electi, renūciari ſine vrgenti cauſa non poſſunt, *l. vnica, ff. de officio Præfecti Prætoris*, & probat Cabedus *deciſ.* 20. *n.* 7. *par.* 1. Dixi regulariter, quia ſi contra Aduocatū Fiſcalem allegaretur, & probaretur inimicitia capitalis, ille debet à tali cauſa abſtinere, & Inquiſitor alium Aduocatum Fiſcalem ſubrogare. Ità Carena *par.* 1. *tit.* 9. §. 6. *n.* 60. & 61.

6 Capitalis autem inimicitia dicitur, quæ oritur, quia vel quis conatus ſit, vel minatus inimicum occidere, vel inſidias cōtra illius vitam parauit, aut vulnerauit, vel occidit illius conſanguineū, aut operam dedit, vt occidatur; vel in iudicio illum accuſauit, aut depoſuit contra eundem de capitali crimine, vel grauibus iniurijs affecit, aut illum infamauit, vel carnaliter agnouit illius vxorem, aut ſororem, vel cōſanguineam: vel publicè aſſeruit illum eſſe illegitimum, aut ex ſeruili origine deſcendentem: vel motus ſit litem contra magnā partem illius bonorum, aut pecuniæ quantitatem, aut ei abſtulit aliquid magni valoris, vel contraxit inimicitiam capitalem cum aliquo ex illius familia; vel in natalibus deſcendat ab illius inimico. His cauſis oriri dicitur capitalis inimicitia, vt probat Pegna *par.* 3. *comment.* 116. *per totum.*

Aduocatus, & Procurator Fiſcalis Sācti Officij debent ne præſtare iuramentum calumniæ ſi reus ab ipſis illud petat?

7 RESP. Affirmatiuè, quia hoc iuramentum in omnibus iudicijs, & cauſis præſtari ſolet, quotieſcunque vna pars ab altera illud petat, vt ex *Auth. Principales, Cod. de iure iurando, propter calumniam, cap. fin. de iure iurando, cap. Dudum* 2. *extrà de elect.* & ex alijs teſtibus. Hoc enim calumniæ iuramentum introductum fuit ob publicam vtilitatem, ne veritas occultetur, *l.* 2. §. *Sed quia veremur, n.* 4. *Cod. de iure iurando*, vt notant Colerus *in deciſ.* 117. *num.* 4. Maranta *in ſua pract. actu* 1. *ſub num.* 6. Riccius *in deciſ. Curiæ Archiep. Neapol. deciſ.* 56. Et cùm petitum fuit, ac præſtitum, à Iudice remitti nequit, vt docent Puteus *in deciſ.* 398. *nu.* 1. & 2. *lib.* 2. Ancharanus *in cap. Cæterum, n.* 5. *de iuram. calumn.* Colerus *ibid. nu.* 6. & 7. Menochius *de arbitr. iudic. lib.* 1. *caſu* 20. *nu.* 4. & alij.

8 Et ſimiliter hoc iuramentum præſtādum eſt ab Aduocato, ſeu Procuratore ipſius rei ob dictam rationem, ne veritas occultetur. Et ſi ille iurare recuſauerit, cadit à cauſa, & actione aduocandi, ſeu procurandi, & reus habetur pro confeſſo, & per ſententiam condemnatur, *l.* 2. §. *Quod ſi reus, Cod. de iure iurādo, propter calumn. cap. fin. de iuram. calumn.* §. 1. vt obſeruant dicti Doctores, & videri poteſt apud Riccium *loc. cit.*

Aduocatus, vel Procurator Sancti Officij poteſt ne appellare ab Inquiſitorum ſententia?

9 RESP. affirmatiuè, quia Fiſcum poſſe appellare in cauſa criminali à ſententia, contra ſe lata, nulla lege prohibitum eſt. Immò habere ſpeciale priuilegium, faciendi irritare ſententiam contra ſe latam, probatur ex *l.* 1. *Cod. de ſententia contra Fiſcum lata*. Et quod poſſit appellare à ſententia lata pro rei libertate, licet libertas ſit fauorabilis, colligitur ex *l. iſtud* 2. *de appellat.* quia Fiſcus de iure communi appellat, vt docent

cent De Franchis *deciſ.*148.*n.*6.*&* 7.*&* *deciſ.*270. Grammat. *in dec.*14.Iāfredus *deciſ.*29.Thoming.*deciſ.*21.& alij,quos citat, & ſequitur Riccius *in deciſ.Curiæ Archiep.Neap.deciſ.*81. vbi etiam refert pluries in Curia Archiepiſcopali poſt rei appellationem ad Papam, fuiſſe à delegato reuocatam ſententiam Curiæ, et Fiſcum appellaſſe, & ad eius inſtantiam fuiſſe iterum cauſam commiſſam. Quia de iure communi non eſt Fiſco deneganda appellatio. Igitur in omnibus caſibus in quibus dari poteſt appellatio, concedi etiam debet Aduocato, & Procuratore Fiſcali Sancti Officij, dum nulla de iure reperiatur in hoc Sancto Tribunali illius prohibitio. Et ità etiam docet Carena *par.*1.*tit.*9.§.5. *num.*50.

Aduocatus, vel Procurator Fiſcalis Sancti Officij, tenetur ne recipere depoſitiones teſtium, tàm quæ ſunt contra inquiſitum, quàm quæ in illius defenſionem?

10 RESp.Affirmatiuè, ex illa iuris cōcluſione, quod dictum teſtis acceptandum eſt, cum omnibus ſuis qualitatibus. Sed hoc intelligendum eſt, quatenus ille qualitates reſpiciunt factum. Quia depoſitio teſtis cenſetur indiuidua, nec poteſt pro parte acceptari, & pro parte reijci, ſed aut in totum acceptari, aut in totum reijci, vt docent Alexander *conſ.*87.*n.*1.*vol.*1. Iaſon *in l. Pomponius* 13.§.*Cum quis, n.* 13.*ff.de acquir.poſſeſſ.* & alij. Si verò ille qualitates non ſint iuris, nec ius reſpiciant, poſſunt vtique reprobari, impugnari, & reijci, licet in parte principali acceptentur, vt probat cum Iaſone, & alijs Riccius *in deciſ.* 88. *Curiæ Archiep. Neapol.* quia talis reprobatio, ſeu impugnatio fit à lege non ab homine. Lex enim illas reddit inualidas, & nullas. Et non eſt abſurdum acceptare partem, quæ approbatur à lege, & reprobare eam, quæ reprobatur. Inſuper depoſitiones teſtium, eatenus attenduntur, quatenus factum recipiunt. Teſtis enim deponere debet de ijs, quæ ſenſu corporeo percipiuntur, & sic quæ ſunt facti, *cap. Teſtes*, & ibi Gloſſa *in verb. Qui nouerunt, & viderunt* 3.*q.*9.*&* *l. qui teſtamēto* 20. §.*Et veteres, ff.de teſtamen.*& ibi Bartolus *n.*1. Iaſon *in l.*1.*n.*15.*ff.ſi cert.petat.* Maſcardus *de probat. concluſ.*1166.*n.*4. non verò de ijs, quæ ſunt iuris, & non pendent à ſua poteſtate, *l.confeſſionibus, ff.de intent.act.l.Neratius*, §.*fin.ff.ad Aquiliam*, Grammat. *deciſ.*81.*n.*5. Decianus *conſil.*10.*n.*89. Menochius *conſ.*948 *n.*34. Surdus *conſ.*5.*n.*42.*&* *conſ.*552.*n.* 23. & alij. Ergò omne id, quod de iure à teſtibus refertur, in ea parte, quæ de iure non ſubſiſtit poteſt ab Aduocatis, & Procuratoribus Fſcalibus S. Officij reijci, & impugnari.

CAPVT VII.

De hæretici, vel de hæreſi ſuſpecti, Aduocato, & Procuratore.

Inquiſitores tenentur ne concedere de hæreſi inquiſito, Aduocatum, & Procuratorem?

1 RESp.quod inquiſitus, vel eſt de hæreſi confeſſus, aut conuictus, vel nec eſt de hæreſi confeſſus, nec conuictus. Si primò modò nulla eſt obligatio, aut neceſſitas ei concedendi, nec Aduocatum, nec Procuratorem, neque aliàs defenſiones, ità Eymericus *par.* 3. *direct.de defenſionibus reorum, nu.* 117. & ibi Pegna *comment.*28.*in princip.* Campegius *in addit.ad Zanchinum, tr.de hæret.c.*9.*verſ.Iudiciorum verò*, Vmbertus Locatus *in iudicial.inquiſit.verb.Defenſiones, n.*1. & alij. Quia Aduocatus, & Procurator conceduntur quando delictum defendi poteſt. Sed ſi reus per propriam confeſſionem, vel per teſtium probationes eſt de delicto conuictus, ipſius delictum defendi non poteſt. Ergò ſuperfluum eſt, illi concedere Aduocatum, & Procuratorem. Confirmatur, quia in notorijs, & manifeſtis delictis

non

non dantur defenſiones. Sed nulla clarior, aut efficacior probatio inueniri poteſt, quàm rei confeſſio, vt docent Romanus *conſil. 329. n. 11.* Alexander *lib. 1. conſil. 13.* Felinus *in cap. 1. de exception. & in cap. Cum ſuper de re iudicata*, & Baldus *in Authent. Sed nouo iure, Cod. Si certum petatur*. Ergò reo confitenti ſuam hæreſim eſt ab Inquiſitore reſpõdendum illud *Luc. 11. Ex ore tuo te iudico.* Confirmatur ſecundò, quia quamquam in alijs delictis ſola delinquentis confeſſio non ſufficit, niſi etiam de corpore delicti conſtet, ex *l. 1. §. Item illud, ff. ad Senatus Conſul.* Baldus *in Authent. Sed nouo iure, Cod. de ſero fugit.* & Angelus *in l. 1. Cod. de confeſſ.* Nihilominus in crimine hæreſis ex ſola rei confeſſione ad illius condemnationem procedi poteſt, quia cum hæreſis crimen mẽte committatur, & in animo lateat, non poteſt manifeſtius probari, quã per propriam rei confeſſionem, vt notat Baldus *in l. ſi quis non dicam, Cod. de Epiſcop. & Cler.* Ergò ſuperfluum eſt reo de hæreſi confeſſo, & conuicto Aduocatum, & Procuratorem concedere.

2 Verum, quia hoc S. Tribunal eſt ſummæ miſericordiæ, & pietatis, & defenſiones ſunt de iure naturæ, *l. vt vim, ff. de iuſtit. & iur.* & etiam contra propriã confeſſionem poſſunt multa opponi, vt docent Iulius Clarus *in practica criminal. §. fin. q. 55. & q. 64.* Pegna, & alij, nõ obſtante propria confeſſione, offerri ſolent inquiſito, etiam confeſſo, aut cõuicto, defenſiones, & Aduocatus, ne vnquàm iniuſtè condemnatum conqueratur. Ità Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 17. de defenſionibus reorum, nu. 53. & ſeq.* Pegna *dicto comment. 28. verſic. Et quamquam.*

3 Si autem inquiſitus nec ſit de hæreſi confeſſus, nec conuictus, dandus eſt ei Aduocatus, qui non ſit de fide ſuſpectus, nec ex malo genere natus, ſed ab originarijs Chriſtianis ſtirpem ducat; vt notat Pegna *dicto comment. 28. verſ. Vt ergo.* Sit etiam vir probus, fidei zelator, in vtroque iure peritus, & in materijs, ad hoc S. Tribunal ſpectantibus, non mediocriter verſatus. Qui antequam rei defenſionem ſuſcipiat, iurare debet, ſe fideliter, iuxtà veritatem eum defenſurum, & cuſtoditurum ſecretum de his, quæ audiet, aut videbit, & ad Sanctum Officium ſpectant. Talis autem Aduocatus nullo modo eſt reo denegandus, ſi illum petierit, quia, vt ſupra dictum eſt, iuxtà defenſio eſt de iure naturæ, *d. l. vt vim, ff. de iuſtit. & iure, l. Quoties, Cod. de precib. Imperat. offerend. Clementina Paſtoralis, §. Cæterum de ſentent. & re iudic.* & ibi Doctores communiter.

Munus huius Aduocati quale eſt?

4 RESp. Huius Aduocati munus eſſe totis viribus perſuadere reo, vt veritatem fateatur, & commiſſum crimen Inquiſitori manifeſtet, & pœnitentiam humiliter expoſtulet, & quidquid reus reſpõderit Fiſcali manifeſtare: legitimis tantummodò modis reum defendere, & ſi cognoſcat eius cauſam eſſe iniuſtam, omninò eam deſerere, & in iuris allegationibus breuem eſſe, & ſequi modum Aduocati Fiſcalis; & poſt expletam ſuam aduocationem reſtituere proceſſum ſibi ab Inquiſitore conſignatum. Ita docent Pegna *loc. cit. verſ. Et ſic conceditur*, Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 5. rubr. de Aduocatis, n. 3. & 4.* Vmbertus Locatus *verb. Aduocatus, nu. 1.* Souſa *in aphoriſm. lib. 2. cap. 30. nu. 10.* Caſtro Palaus *par. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 6. n. 5.* Carena *par. 1. tit. 16. §. 2. n. 6. & ſeq.*

Si non adeſſet, qui reum defendere vellet, poteſt ne Inquiſitor aliquem cogere, vt in illius cauſa patrocinetur, & iſte à quo erit ſoluendus?

5 RESp. Inquiſitorem poſſe cenſuris compellere Aduocatum, vt in illius cauſa patrocinetur, vt affirmant Bouadilla *in ſua politica, lib. 2. cap. 17. num. 103.* Carena *ibid. n. 9.* Narbona *in recopilat. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloſſa 22. nu. 63.* Diana *to. 5. tr. 10. reſ. 53. nu. 3. ex par. 4. tr. 8. reſ. 9.* Et iſte Aduocatus erit ſoluẽdus

dus ex bonis ipſius rei ſi pauper non ſit, ſed ſi ſit pauper tenetur patrocinari gratis. Ità Symanchas *loc.cit. n.6.& 7.* Carena *n.*10. & ità in praxi ſeruatur.

Quare ergò *in cap. fin. de hæreticis in 6.* conceditur Inquiſitoribus, vt abſq; ſtrepitu iudicij, & abſque Aduocato in cauſis fidei procedere poſſint?

6 Reſp. Quod, vt ſuprà dictum eſt, Inquiſitores abſq; Aduocato procedere poſſunt in illis cauſis, in quibus rei ſunt confeſſi, & conuincti, & eorum defenſiones nedum non ſunt neceſſariæ, ſed ſunt ſuperfluæ: nec in dicto cap. prohibetur, ne concedatur Aduocatus, vbi rationabiliter concedendus eſt, vt notant Farinacius *de hæreſi, q.*197.*n.*72. *& ſeq.* Caſtro Palaus *loc.cit.*

Si conſtat inquiſitum eſſe hæreticum pertinacem, poteſt ne Aduocatus eius cauſam patrocinari?

7 Reſp. negatiuè, quia in *dicto cap. final. de hæreticis in 6.* prohibetur ne Aduocatus hæretico patrocinium præſtet: eſſet enim defenſor hæretici, vt notant Ancharanus *in cap. Si aduerſus, n.* 2. *de hæreticis*, Repertorium Inquiſ. *verb. Aduocatus*, Syluеſter *verb. Hæreſis* 1.*n.*10. Toletus *lib.*1.*ſect.*4. Vgolinus *in Bull. Cœnæ, verb. Fautores in* 1.*clauſ.n.*6. Graffius *lib.*4.*deciſ.cap.*18.*n.*34. Et conſequenter eſſet excommunicatus in dicta Bulla Cœnæ; vt tradunt Vgolinus, & Graffius ibid. Decianus *in tract. crimin. lib.*5.*c.*20. & alij. Et eſſet etiam infamis, vt patet ex *cap. Si aduerſus de hæreticis*, & docent ibi Hoſtienſis *n.*2. Ioãnes Andreas *n.*2. *& ſeq.* & communiter alij Canoniſtæ.

Inquiſito de hæreſi, cui concedendus eſt Aduocatus, eſt ne ei concedendus, etiam Procurator?

8 Reſp. poſſe de hæreſi inquiſito concedere, etiam Procuratorem, nõnulli affirmant, teſtè Pegna *par.* 3. *comment.* 28. *verſ. Ac quantum ad hoc crimen*: & quæ de Aduocato dicta ſunt eadem, aiunt dicenda eſſe de Procuratore. Sed ipſe Pegna, Locatus *in opere iudiciali, verb. Procurator, nu.*2. Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*8.*pun.*6.*n.*5.*circa finem*, Diana *to.*5.*tr.*10.*reſ.*53.*ex par.*4.*tr.*8.*reſ.*9. docent, raro admittendum eſſe Procuratorem inquiſito de hæreſi: quia ei ſufficit Aduocatus, ad Procuratoris munus ſubeundum. Immò Inquiſitores videntur reorum Procuratores, cum ex eorum officio fiant reorum defenſiones. Sed ſi reus illum petat, non poteſt Inquiſitor illum negare, vt voluit Repertorium *verb. Procurator*, §. *Inquiſitores tenentur*. Eſſet tamen admittendus vir probus, non cauilloſus, & eiuſdẽ conditionis, ac ſupradictus Aduocatus, vt admonet Locatus *loc.cit.*

Si in hoc S. Tribunali inquiſitus, eſſet minor 25. annorum eſſet ne ei dãdus Curator?

9 Reſp. Affirmatiuè, aliàs proceſſus eſſet nullus: & ſi minor crimen commiſſum confiteretur, etiam ſpontè, & cum iuramento ſine Curatore, talis confeſſio ei non præiudicaret. Quia omne quod fit à minori abſque Curatoris facultate in iudicio, id ipſo iure irritum, & nullum eſt, *l. Clerum, Cod. de auctor. præſtanda*. Ità docent Corneus *conſ.* 198. *lib.* 4. Matthæus de Afflictis *deciſ.*208. Alexander *conſil.*115.*incipiẽte, in cauſa Inquiſitionis*, Antonius Gomez *tom.*3.*de delictis, cap.*1.*n.*64. Pegna *dicto comment.*28.*verſ. De hoc Curatore.* Ità etiam *in Madriliana inſtructione anni* 1561. *c.* 25. Monticellus *in praxi criminali, regul.*10.*n.*17. Royas *de hæretic. par.*2.*nu.*318. Vmbertus Locatus *in praxi Inquiſitorum, verb. Curator*, Guazzinus *to.*2.*lib.*1.*defenſ.*30.*c.*4.*n.*21. Diana *to.*5.*tr.*11.*reſ.*31.*ex par.*4.*tr.*6. *reſol.*31. Dãdus eſt igitur minori 25. annorũ inquiſito in Tribunali S. Officij Curator, qui cum defendat, nè vel ob imperitiam, vel ob iuuenilem ætatẽ aliquid di-

dicat, vel taceat,quod ei nocere poſſit. Officium autem Curatoris eſt ſua auctoritate, & præſentia perſonam minoris inquiſiti legitimare ad reſpondendum; an ſcilicet interrogandus ſit: an præſtare debeat iuramentum de veritate dicenda. Non tamen eſſe debet preſens,quando inquiſitus ſuper facto proprio reſpondet, quia reſpondere debet, ſecundum propriam notitiam, non autem ab alio adminiſtratam, vt probat Antonius Gomez *nu.* 65. Neque eius præſentia requiritur in minoris tortura, ſed tantum in deciſione, an ſit torquendus, vel non; vt affirmant Antonius de Bellis *lib.2.variar.tract. q.13. num.*17. Diana *loc.cit.* Curator autem eſſe non poteſt Pater, tum quia Pater in cauſis criminalibus filij non eſt adminiſtrator, vt ait Bartolus *in l.fin.§. Pupillus,ff.de verb.obligat.* Et tum etiam, quia regulariter Pater eſt ſuſpectus, vt potius filio, quàm fidei, & religioni faueat. Et ità videtur in praxi ſeruari.

Aduocatus inquiſiti in S.Officio poteſt ne in eius defenſionem ab Inquiſitorum ſententia appellare?

10 RESp.quod ſi loquimur de Inquiſitorum ſententia definitiua, nulla conceditur hæreticis appellatio: quia appellationis remedium datur, ad defenſionem rei, & ad probandam eius innocentiam, *cap.Cum ſpeciali,§.Et porrò,& cap.Ad noſtram de appellation.*Sed nemo in hoc S. Tribunali de hæreſi dãnatur,niſi,vel ſit confeſſus,vel legitimè conuictus.Ergò dùm innocens ampliùs probari non poſſit, neque concedenda eſt ei appellatio. Confirmatur, quia illius definitiua ſententia, multò præcedenti conſilio, & matura conſideratione lata fuit.Ergò non debet per calumniantis aduocati inſtantiam, nec retractari, nec illius executionem retardari. Eò magis, quod à ſententia definitiua in cauſa ad fidem ſpectante, numquam datur appellatio, & hoc in fauorem fidei,& in odium hæreticorum, ne iudicium prorogetur, *cap.Vt inquiſitionis de hæreticis in 6.* Et Federicus Imperator *in l.commiſſi nobis,*§.7. decreuit his verbis: *Omne inſuper proclamationis,& appellationis beneficium ab hæreticis, & receptatoribus, & fautoribus eorundem, penitùs amouemus.*

11 Vndè data definitiua ſententia contra reum,de hæreſi conuictum, ſtatim executioni mandari debet, nec expectandus eſt terminus dierum decem, à iure conceſſum,vt appellari poſſit, cum appellatio eſſe non poſſit. Et ſic docent Eymericus *par.3.direct. n.*125. Pegna ibi,*comment.*31. *verſ. Sed hæc dubitatio*, Vmbertus Locatus *in iudic.Inquiſ. ver. Appellare,& in verb.Sententia,nu.*3.Royas *ſingul.*179.*n.*2. Decianus *tr.crimin. lib.*5.*cap.*20. *nu.* 26. Paramus *de orig.S. Inquiſ.lib.3.q.*4. *n.*58. Caſtro Palaus *p.* 1.*tr.*4.*diſp.*8.§.7.*n.* 1. Diana *to.*5.*tr.*10. *reſ.*61.*&* 62.*ex p.*4.*tr.*8. *reſ.*20. *&* 32. Thomas del Bene *de offic. inquiſ. tom.*1. *dub.*188.*n.*3.

Poſſet ne de hæreſi condemnatus per definitiuam ſententiam,non per viã appellationis, ſed per viam quærelæ, & ſupplicationis, Superiorẽ adire,vt ſententiam reuocet?

12 RESp.quod negant Carrera *tr.de hæreticis,n.*130.Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.6.n.*2.Diana *loc. cit.reſol.*62.*n.*5. quia eadem ratio, per quàm textus *in cap.Inquiſitionis*, denegat hæreticis appellationem, militat etiam,vt eis denegetur per viam quærelæ,& ſupplicationis. Sed Royas *ſingul.*23. *nu.*5. Felinus *in cap.ad abolendam, n.3.de hæreticis in 6.* Farinacius *de hæreſi, q.*185. *n.*233.& alij,quos ipſe citat,CaſtroPalaus *loc.cit.n.*2.Thomas del Bene *loc.cit. n.*5.*in fin.& ſeq.*probabilius exiſtimant: poſſe reum in dicto caſu ad Superiorem recurrere,non via appellationis,ſed via quærelæ, & ſupplicationis; tum quia in alijs caſibus, in quibus non admittitur appellandi facultas, non cenſetur interdictus recurſus ad Principem, maximè in cauſis,quæ ſunt magni præiudicij: vt

docent

docent Gloſſa *in cap.Ex literis de in integrum reſtitut.verb.Supplicauit*, Decianus *conſil.*533.*nu*.2. Pariſius *lib.4.conſil.* 164. *n*.18. Marſilius *ſingul.* 88. Menochius *de arbitr.q.*70.*num*.18. Rolandus *conſil*.94.*n*.1. & alij. Tum quia non eſt prohibitum Superiori Iudici recognoſcere de prætenſa iniuſta ſententia, & eam ſi ſic ipſe iudicabit, reuocare. Ergò neque reus prohibetur, pro tali cognitione, & reuocatione per viam quærelæ, & ſupplicationis ad ſuperiorem Iudicem recurrere, & ille iterum eum audire. Et tum quia ipſemet Iudex ſuperior poteſt à ſententia lata à ſe ipſo, iterum eam recognoſcere; & ſi iniuſtam inuenerit, reuocare, & annullare. Ergò idem à fortiori fieri poterit in ſententia lata à Iudice inferiori ad ſuperiorem.

A ſententia interlocutoria conceditur ne appellatio?

13 Reſp. affirmatiuè: ità docent Eymericus *3.par.direct. nu*.121. & ibi Pegna *comment.* 31. *verſ. Ab interlocutorijs*, Royas *ſingul.* 19. Symanchas *de cathol. inſtitut. tit*.9. *rubr.de appellat.n.3.& in Enchirid.tit*.65.*n*.2. Paramus *de orig. S.Inquiſ. lib.3.q.4.nu*.60. Zanchinus *de hæreticis, cap.* 29. *num*.2. Squillacenſis *de fide cathol. cap*.45. quia interlocutoriæ ſententiæ, ſeu decreta decernuntur, ad inueſtigandam veritatē, an reus commiſerit hæreſim. Ergò dum hoc non eſt certum, non eſt deneganda appellationis defenſio. Requiritur verò, vt in appellatione aſſignetur cauſa, quæ ſit rationabilis, & non friuola; aliàs appellatio non ſubſiſtit. Ità ex *cap.Vt debitus, cap.Cum remiſſam, cap.Cum ſit Romana de appellat.* & docent Pegna *loc. cit.verſ.Num autem*, Bonifacius de Vitalinis *in Clement.Appellant de appellat. n*.24. *& ſeq.* Farinacius *de varijs quæſt. n*.158.*& de hæret.q*.185.*n*.232. Caſtro Palaus *ibid.n*.4.

14 Vndè à decreto torturæ dari poteſt appellatio, quia eſt actus interlocutorius, ad eruendam veritatem: vt docent Pegna *loc. cit.* Symanchas *in Enchirid. tit*.52. *rubr. de tormen. nu*.11. *& tit*.65. *rubr.de appellat. n*.2. Farinacius *dicta q*.185.*n*.139. & alij. Et quamuis regulariter per appellationem à ſententia interlocutoria non ligentur manus Iudicis, ſed poſſit in cauſa procedere, quouſque à ſuperiore inhibeatur; hoc tamen fallit in decreto torturæ: quia continet damnum irreparabile: vt cum alijs probat Farinacius *q*.38.*n*.12. Dummodò euidenter non conſtet: friuolam eſſe cauſam appellationis: quia tunc omninò reijcienda eſt appellatio, & procedēdum ad torturam: vt probant Textus in *cap. Cum appellat.de appellat. in 6. & in l.2.ff.de appellat. recip.* & Pegna *ibidem verſ.Quædam autem ſunt*; vbi refert inſtructionem *Madrilianam ann.* 1561. hoc confirmantem, & docent etiam Farinacius *de hæreſi, q*.185.*n*.235. Caſtro Palaus *n*.5. & alij.

A quo Iudice cognoſcendum eſt, an cauſa appellationis ſit iuſta, vel friuola?

15 Reſp. quod ſi conſtat manifeſtè cauſam eſſe friuolam: idem Iudex debet illā cognoſcere. Si verò dubium ſit, an cauſa ſit friuola, vel legitima, ſiuè dubium ſit iuris, ſiuè facti; Iudex, à quo ſuperſedere debet, & expectare, quid Iudex ad quem decreuerit, ne periculo exponatur, vt innocens grauetur in ijs, quæ irreparabilia ſunt. Sic docent Pegna *ibid. verſ. Quadam autē*, Farinacius *dicta q*.38. *nu*.3. Caſtro Palaus *n*.5. *in fin.*

Ab interlocutorijs ſententijs, ſeu decretis in cauſis fidei datis ab Inquiſitoribus, ad quem appellatur?

16 Reſp. ad Summum Pontificem, ſeu ad Supremum Sacr.Congregationis Cardinalium Tribunal S. Inquiſ. quia appellatio facienda eſt à Delegato ad Delegantem, ex *cap. Super quæſtione, §.Porrò de officio delegati, leg. Imperator, ff. de appellat. l. Præcipimus, §. Huic, Cod. de appellat.* Et ſimiliter ſi ſen-

ſententia lata ſit abEpiſcopo,& Inquiſitore ſimùl,quia cum procedant tunc, tanquam Delegati Apoſtolici, ad Sedem Apoſtolicam appellandum eſt. Et idem eſt quando Epiſcopus, vt Delegatus procedit contra exēptos. Quando autem non vt Delegatus,ſed vt Iudex ordinarius procedit, etiam ad Sedem Apoſtolicam eſſe appellandum, docent Pegna, & Farinacius *dicta qu.* 185.*n.*240.quia cauſæ graues à ſupremo Tribunali terminandæ ſunt: iuxtà *c. Maiores de Baptiſmo*. Caſtro Palaus verò *dicto punct.7.n.6.* quem ſequitur Thomas del Bene *tom.1.de offic.inquiſ. dub.* 190. *nu.* 5. exiſtimat non carere probabilitate, poſſe in hoc caſu appellari ad Metropolitanum, ſicut in alijs cauſis, iuxtà *cap.Si duobus de appellat. cap.Quoties,& cap.Ad Romanam 2.qu. 6.* Quia cauſa appellationis non eſt ità grauis,quę Pontificis auctoritatem expoſtulat.Si enim controuerſia eſſet: an hoc, vel illud ſit de fide, vtique huius quæſtionis terminatio, ad Pontificem ſpectaret;vtpotè grauis, & toti Eccleſiæ neceſſaria. At quando controuerſia potius eſt de facto, quàm de iure, nempè an talis deliquit contra fidem, deciſio huius quæſtionis non eſt ità Eccleſiæ neceſſaria,vt à ſolo Pontifice, & non ab alijs decidi poſſit. Et idem dicendum de cauſa appellationis. Ità dicti Doctores.

Appellatione admiſſa, ſi ex alia noua cauſa, & hæreſis ſuſpicione fuerit reus ipſe denunciatus, poteſt ne aduerſus eum in hac noua cauſa Inquiſitor procedere?

17 RESp.affirmatiuè, quia appellatio ſolùm ſuſpendit exercitium iuriſdictionis in illa appellationis cauſa, non autem in alia. Niſi cauſa appellationis fuerit ſuſpicio Iudicis: nàm tunc non poterit Iudex,reum compellere, ad reſpondendum; quia Iudicis ſuſpicionis appellatio procedit in omnibus cauſis. Verùm ſi delictum nouiter denunciatum,eſſet,ità graue,& manifeſtum, vt ex ipſamet grauitate, & manifeſtatione reus eſſet conuictus: poſſet non obſtante appellatione prioris delicti,aduerſus eum procedere, & de hoc ſecundò illum condemnare: vt probat Textus *in cap.Propoſuit de appellat.*Vbi habetur:*Iudex tamen à quo appellatur, quia illi omninò ſuſpectus eſt non debet eum ad reſpondendum compellere ſuper alijs: niſi pro crimine adeò graui,& manifeſto,quo ipſo acto meritò ſit damnandus*.

Inquiſitor poteſt ne vt ſuſpectus recuſari?

18 RESp. quod Royas *in ſingularibus fidei,ſingul.* 100.*& in tr.de hæret.par.2. tit.de priuilegijs Inquiſitorum,n.*435.Archidiaconus *in c.Quia plerique de officio ordinarij in 6.* Franciſcus Ripa *tr.de peſte,par.3. num.*140. Menochius *lib.* 1. *de arbitrarijs iudicum, q.*37.*n.*40. exiſtimant: Inquiſitorem vt ſuſpectum non poſſe recuſari: quia præſumitur, quod ſit electus ęquiſſimus, probatiſſimus, prudentiſſimus,& peritiſſimus.Sed hoc non obſtante Eymericus *par.3. direct.n.* 120. *tit.de recuſat.Inquiſ.*Pegna ibi *commen.* 30. *verſ.Cæterùm*, Symanchas *de cath. inſtitut.tit.*17. *nu.*51. *&* 52. Bernardus Comenſis *in Lucerna inquiſ. verb. Recuſatio*, Tabienſis *in ſumma verb.Inquiſitio*,§.4. *nu.*5. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.4.diſp.8.punct.*8. & alij docent.Poſſe Inquiſitorem vt ſuſpectum recuſari: & hæc ſententia ſummo iure verior eſt,& tenenda,ait Pegna, quãuis prior, ſpectata Iudicum probitate, honeſtior videatur. Et *in Madriliana inſtructione* definita videtur an.1561.*c.*15. quia hæc ſententia tutior eſt, & magis remouet ab hoc S. Tribunali omnem iniquitatis ſuſpicionem. Et ità Conſuetudine,& praxi recepta eſt.

19 Grauis tamen cauſa ad hanc recuſationem requiritur,ob dictam rationem ſententiæ prioris; quia Inquiſitoris officium non conceditur, nisi prudentia, do-

doctrina, & virtute prædítis. Et conſequenter ex leui cauſa, ſuſpectus non eſt præſumendus: vt notant Eymericus, Pegna, Symanchas, & Farinacius *de hæreſi, q.* 185. *n.* 236. Cauſa autē grauis à dictis Doctoribus æſtimatur inimicitia capitalis. Ex quibus autē cauſis oriatur capitalis inimicitia dictū eſt ſupra. Quod si in ſuſpicione reus grauetur; sibi defensiones non fuiſſe cōceſſas. Tūc docet Eymericus, quod Iudex reſpondere debet. Ego reduco proceſſum ad illum ſtatum, in quo talis petiuit defensiones iuris, & acquieſco petitioni ſuæ, admittendo eum, ad ſe defendendum, & concedo ei iuris defensiones, & mando sibi dari copiam proceſſus, & concedo talem, quē petit in Aduocatum, & talem in Procuratorem. Et sic ablato grauamine, aufertur cauſa ſuſpicionis, & recuſatio fit nulla, iuxta *cap. cum ceſſante, extra de appellat.* Ità Eymericus. Quod nec reprobat, nec approbat Pegna, quia ea potiùs pertinent, ad ius appellādi, quā ad Inquiſitorem recuſandum.

20 Recuſatione Inquiſitoris iàm expoſita, etsi de rigore iuris arbitri eſſent eligendi. Vnus ex parte Iudicis recuſati, & alter ex parte rei recuſantis: qui de cauſa recuſationis recognoſcerent, iuxtà *cap. Suſpicionis de officio delegati, & cap. cum ſpeciali de appellat.* vt ait Vmbertus Locatus *in opere iudiciali, verb. Recuſatio.* Decentius tamen, & honeſtius eſt, ne iudicium eludatur, & negotium catholicæ fidei differatur, & vt omnibus facilè occasio recuſandi Inquiſitorem auferatur: vt arbitri non eligantur, ſed cauſa recuſationis ad Supremum Inquiſitionis Tribunal deferatur, & ibi ſummariè recognita, Inquiſitor recuſatus, vel reijciatur, vel admittatur, & cōfirmetur, vt notat Pegna. Et ità teſtatur etiam ſeruari in Hyſpania ex *Madriliana instruct. ann.* 1561. *c.* 52.

CAPVT VIII.

De Cancellarijs, ſeu Notarijs S. Officij Miniſtris.

Cancellarij, ſeu Notarij S. Officij Tribunalis à quibus eligi poſſunt?

1 RESp. quod antiquitus Inquisitores ius non habebant eos eligendi pro eorum Sacro Tribunali, ſed vtebantur Cancellarijs, ſeu Notarijs Epiſcoporum, ac etiam Dominorum temporalium illorum locorum, in quibus officium Sanctæ Inquisitionis, sibi commiſſum, exercebant, vt notat Eymericus *in direct. par.* 3. *q.* 18. Hodiè autem illos eligunt, non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam Inquisitores, & eorum Commiſſarij, ex priuilegio Pij IV. incipiente: *Paſtoralis officij*, edito an. 1561. & Iulij III. vbi ſtatuitur, vt Inquisitores, & eorum Commiſsarij in quibuſuis causis fidei, cùm viderint expedire, auctoritate Apoſtolica poſſint vnum, vel plures etiam Clericos ſeculares, vel quorumuis Ordinum Regulares in Notarios eligere, aſsumere, atq; creare. Ità Pegna *par.* 3. *direct. comment.* 67. Farinacius *de hæreſi, qu.* 185. *nu.* 10. Zanardus *in ſumm. par.* 1. *c.* 6. *q.* 45. Symanchas *in Enchirid. tit.* 19. *n.* 2. Maximus *in praxi S. Officij, par.* 2. *fol.* 22. Carena *par.* 2. *tit.* 12. §. *vnic. n.* 2. & alij.

2 Vt autem hæc electio valida sit, requiritur, vt Inquisitor coram alio Notario, & adhibitis teſtibus, tradito illi, quem in Notarium eligit, calamo, & atramento, vt moris eſt, & addito ſolemni iuramento, de fideliter officium ſuum exercendo, & de silentio ſeruando, verbis conſuetis ei dicat: Eſto Notarius, & fidelis, &c. & alter ille Notarius iſtius electionem regiſtret, & fidem faciat.

Religioſi poſſunt ne ab Inquiſitoribus ad Notarij officium creari?

3 RESp. affirmatiuè, & cuiuſcunque Ordinis. Nàm quamuis de iure communi Regulares à tali officio repellantur in *cap. Sicut, Ne Clerici, vel Monachi, & in cap. Vt inquiſitionis*, §. *Verum de hæretic. in* 6. Tum quia Religioſus cenſetur mortuus mundo, *leg.*

Deo

Deo nobis, Cod. de Epiſcop. & Cler. Tum quia non eſt ſui iuris: *cap. Non dicatis 12. q. 2. cap. Ex parte de accuſat.* Et tũ quia non ſe debet immiſcere in negotijs ſecularium, vt ex dicto *cap. de Epiſ. & Cler.* & probat Caniſius *in libello de Tabelli. tit. Quis poſſit facere Notariũ.* Hoc tamen intelligitur de Notarijs publicis, non autem de electis ab Epiſcopis, vel Inquiſitoribus, in quibuſcunque cauſis S. Fidei: vt decreuit Iulius III. & confirmauit Pius IV. in Bulla, quæ incipit: *Paſtoralis officij*, an. 1561. Immò Regulares, etiam compelli poſſunt ab Inquiſitoribus ad Notarij officium exercendum, quando in ſeculo fuerunt Notarij, ob ſingularem fidei fauorem; ex reſcripto Vrbani IV. incip. *Sicut ex omnibus*, & Alexandri IV. incip. *Ne commiſſæ*, vt refert Pegna *vbi ſuprà.*

Notarius, qui in ſui creatione iàm iurauerat, fideliter ſuum officium exercere, tenetur ne electus ab Inquiſitore, iterum hoc iuramentum præſtare?

4 RESp. Affirmatiuè. Quoties enim, vt ait Pegna *comment. 68.* Inquiſitores de nouo aduocant quoslibet Notarios, ad conſcribenda acta S. Officij, denuò ab illis exigere debent iuramentum, de officio fideliter exercendo, & de ſecreto omninò ſeruando de his omnibus, quæ ad S. Tribunal ſpectant. Non obſtante, quod fideliter, ſemèl iurauerint, cuncta exercere, cùm primum Notarij fuerant creari. Quod eſt in cauſa fidei periculare. Quia ita præcipitur *in Clementina 1. de hæreticis, §. Porrò, verſ. Notarij quoque*, & ibi Gloſſa *in verb. Iurabunt.* Et notant etiã Nicolaus Arelatanus *tr. de hæreticis, notab. 36.* Campegius apud Zãchinum *cap. 9. verſ. Adde inſuper*, Royas *ſingul. 141. incip. Notarius quando creatur*, Lucerna Inquiſ. *verb. Notarij*, Farinacius *dicta q. 185. n. 11.* & alij. Hoc autem iuramentum, tàm de fidelitate, quàm de ſecreto ſeruando præſtare debent ſub pœna periurij, & excommunicationis latæ ſententiæ; vt notat Carena *par. 1. tit. 12. nu. 6.* & ità in praxi ſeruatur.

Quodnam eſt munus Notarij huius Sancti Tribunalis?

5 RESp. munus Notarij eſſe, diligenter, ac fideliter, acta Sancti Tribunalis ſcribere, denunciationes corã Epiſcopo, vel Inquiſitore, aut eorum Vicarijs recipere, inſtrumenta, & proceſſus conficere, in teſtium, & reorum examine, tàm quæ contrà reos, quàm quæ in reorum defenſionem dicuntur fideliter notare, interrogationes, & reſponſiones ijſdem verbis, quibus proferuntur, ſcribere; dum reus torquetur, quomodò quæſtionatur, & interrogetur, & quomodò ille reſpõdet, omnia in proceſſu referre, & alia peragere, quæ à Cancellarijs in ſimilibus Tribunalibus fieri ſolent.

Notarij huius S. Tribunalis poſſunt ne recipere ſalarium, ſeu mercedẽ ab inquiſitis?

6 RESp. quod ſalarium hoc deputari ſolet Notarijs ab Inquiſitoribus ex redditibus S. Officij; nec poteſt excedere taxam ab Eminentiſs. Cardinalibus Supremæ Inquiſitionis, definitam, vt ex varijs deciſionibus, probat Carena *par. 1. tit. 12. n. 8.* Si verò eorum ſalarium non fuerit à Sacro Tribunali deputatum, non debet ipſe Notarius ab inquiſitis illud exigere, quia inquiſitiones fieri debent ſine incommodo reorum; ex *Authent. Vt nulli iudic. §. His inſuper, collat. 9.* Ità Pegna *in direct. par. 2. in c. Vt officium, §. Verum quia n. 15.* Sed Farinacius *de hæreſi, q. 185. n. 12.* ait Cardin. Zabarellã *in Clement. 1. §. Notarij, n. 1. de hæreticis*, arguere prò, & contra; et concludere; Notarium poſſe recipere ſalariũ, ſeu mercedem ab inquiſitis, dummodò ab officio Inquiſitionis non fuerit ei

certum ſalarium deputatum. Salarium verò incertum, non debet excedere taxam decretatam à ſupremo Tribunali S. Inquiſitionis.

Notarij ſcribentes, vel præſtantes reis auxilium, conſilium, vel fauorem in cauſis ad S. Officium ſpectantibus, qua pœna puniuntur?

7 RESp. quòd puniuntur pœna infamiæ, & priuationis officij *in cap. Quamquam 23. diſt.* vt refert Eymericus *in direct. par. 2. cap. 11.* vbi habetur: *Aduocatis, & ſcriniarijs firmiter inhibemus, ne hæreticis, credentibus, fautoribus, vel defenſoribus, eorundem in aliquo præſtetis auxilium, conſilium, vel fauorem, nec eis in cauſis, vel in factis, vel aliquibus litigantibus ſub eorum examine, veſtrum patrocinium præbeatis, & pro ipſis publica inſtrumenta, vel ſcripta nullatenus attentetis. Quòd ſi cõtra præſumpſeritis; ab officio veſtro ſuſpenſos, & perpetuæ vos decernimus infamiæ ſubiacere.* Idem confirmatur *in cap. Excommunicamus, §. Credentes, & in cap. Sicut de hæreticis, & in cap. 2. §. 1. de hæreticis in 6.* Et idem decreuit Nicolaus Papa in quodam reſcripto incip. *Nouerit vniuerſitas,* vt notant Pegna *comment.* 10. & alij, quos ipſe, & Farinacius *de hæreſi, qu. 197. §. 3. nu. 67.* citant, & ſequuntur.

Officium exercentes Notarij poſt ſuſpenſionem, efficiuntur ne irregulares?

8 RESp. Negatiuè, ità docent Hoſtienſis *in cap. Si aduerſus extra de hæreticis*, & ibi etiam Ancharanus *n. 3. verſ. Si autem poſt ſuſpenſionem*, Antonius de Butrio *n. 7.* Cardin. Zabarella *col. 2. n. 4. verſ. Quæro nunquid,* Farinacius *de hæreſi, q. 197. §. 3. n.* 84.

Si teſtis neget depoſuiſſe, prout Notarius ſcripſit, cui magis credendum eſt, Notario an teſti?

9 RESp. ſi teſtis fuit examinatus cum interuentu Inquiſitoris: indubitanter magis credendum eſt Notario, & ſcripturæ, quàm teſti. Ità Iulius Clarus, *qu. 54. n. 17.* Couarruuias *var. reſol. cap. 13. nu.* 10. Maſcardus *de probationibus concluſ.* 1049. *nu. 11. vol. 2.* & alij, qui, ſimiliter dicendum, aiunt, si teſtis ſuo examini ſe ſubſcripſerit, & in ſubſcriptione ſuum examen ei lectum fuit, prout regulariter ſeruatur, & idem eſt, quãdo teſtis neſciens ſcribere fecit ſignum Crucis. Ac etiam magis Notario, quàm teſti credendum eſt, quando Notarius habuit ſcriptorem, qui ſcripſit examen: ità Alciatus *de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 13. n. 19.* Menochius *de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 79. n. 16.* Baiardus *§. Falſum, n.* 57. Maſcardus *de probat. lib. 3. concluſ.* 1084. *n. 20.* & alij: ſi verò fuerint plures teſtes, qui Notario contradicerent. Tunc inſpicienda eſt qualitas Notarij, & teſtium: & magis credendum eſt Notario, quã pluribus teſtibus, quando Notarius eſt bonæ conditionis, & famæ; & teſtes parum idonei: & è contra magis credẽdum teſtibus fide dignis, quàm Notario, qui ſit ſuſpectus: & maximè ſi producatur ſcriptura cum aliquo ſpatio albo, itaut poſt productionem ſcriptũ ſit in dicto ſpatio albo. Ità cum nonnullis alijs Doctoribus Riccius *in praxi Eccleſiaſtici fori, par. 1. reſol.* 451.

Notarius qui inquiſito in hoc S. Tribunali modum occultandi veritatem docet, vel aliquid ab illius proceſſu lacerat, quàm pœnam incurrit?

10 RESp. pœnam incurrere fautoris hæretici, & puniendum eſſe, tanquam de hæreſi vehementer ſuſpectũ, ex *cap. accuſatus, §. Sacerdotes de hæreticis,* & ibi Gloſſa, *§. Porrò.* Ità affirmant Eymericus *in direct. par. 2. qu. 56. n. 4.* Pegna *comment.* 81. *verſ. Secundus caſus*, Repertor. Inquiſ. *verb. Impediens, & verb. Pœna,* Sylueſter *verb. Hæ-*

Hæreticus 2.nu.16. Decianus *in tr.crimin.lib.5.cap.51.n.16.* Campegius *in addit. ad Zanchinum, tr.de hæret.c.20. verb.Suſpecti,reſol.4.*

CAPVT IX.

De Inquiſitorum Socijs, & ſacri Tribunalis Theſaurario.

Prælati Inquiſitorum Regularium tenentur ne ipſis Inquiſitoribus ſocios ad eorum ſatisfactionem deſtinare?

1 RESp. affirmatiuè ex priuilegijs Vrbani IV.& Clementis IV.relatis ab Eymerico *in direct. par. 3. qu. 20.* his verbis: *Præſentium auctoritate vobis,diſtrictè præcipiendo,mandamus, quatenus tu fili Prior principalis,ſingulis ex prędictis Fratribus,ſingulos ſocios Fratres videlicet ipſius Ordinis, prouidos, & diſcretos; ac eidem negotio congruentes,de quibus hi, quibus conſignati fuerint,meritò valeant conſolari,ſublata quacunque difficultate,aſſignare procures. Et nihilominus tàm tu, quàm vos alij Priores,Subpriores,Conuentuales, ac Vicarij, quoties ab eiſdem Fratribus, quibus dictum eſt negotium commiſſum, & committetur in poſterum, fueritis requiſiti, & dicto negotio fuerit opportunũ, de alijs etiam Fratribus eiuſdem Ordinis,præter illos, qui eis in ſocios deputati fuerint, cum omni promptitudine prouidere curetis. Ità quod præfatum negotium, nullum ex veſtra negligentia ſuſcipiat detrimentum.* Ex quo decreto patet, non ſolum Prælatos Ordinis teneri ſub præcepto, ſocios Inquiſitoribus gratos, & ad eorum ſatisfactionem concedere: ſed quoties opus fuerit pro ſancti officij negotijs, de alijs eiuſdem Ordinis Fratribus prouidere.

Socius iſte poteſt ne, non obtenta nec petita licentia ſui Superioris, Inquiſitorem Romam iturum comitari, & ſecum ibi commorari?

2 RESp. affirmatiuè ex priuilegio Gregorio XI. relato ab eodem Eymerico *loc.cit.n.4.* tenoris ſequentis; *Vniuerſis, & ſingulis Prædicatorum, & Minorum Fratribus Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis,vbilibet cõſtitutis, præſentibus, & futuris, veniendi liberè ad Romanam Curiam, & in eadem morandi cum vno ſocio ſui Ordinis, non obtenta,nec petita licentia, quorumcumque ſuorum Superiorum,ſeu Prælatorum, & huiuſmodi ſocium mutandi, & alium de ſua Prouincia aſſumendi, quoties fuerit opportunum: non obſtantibus quibuſcũque,& cæteris contrarijs, plenam licentiam tenore prçſentium impartimur.* Ex quo priuilegio ſequitur, quod dum Inquiſitor ad Romanam Curiam ambulaturus, poteſt non obtenta,nec petita licentia ſuorum Prælatorum,ſociũ mutare,& alium nedum ex eadem domo, ſed ex eadem ſua Prouincia aſſumere:neque talem ſocium poſſe ei denegari, neque à Superioris ſui licentia pendere: conſequenter talem ſocium abſque alia licentia Inquiſitorem comitari poſſe, & ſecum commorari.

In Sacro Inquiſitionis Tribunali qualis eligendus eſt Theſaurarius, & quodnã eſt eius munus, & officiũ?

4 RESp. quod vbi adſunt redditus, ſeu prouentus huius Sancti Tribunalis, non ſunt reponendi in alijs manibus, niſi eius Theſaurarij; vt ex decretis Sacr. Congregationis ſtatutũ, teſtatur Carena *par.1.tit. 13. §. vnic.* Qui vel à Sacr. Congregat. vel ab ipſis Inquiſitoribus eſt eligendus vir probus,& locuples, qui ſciat rationes conficere, & referre, & fideiubeat de ipſis redditibus, & prouentibus fideliter ſeruandis,& perſoluendis,& ſæpiùs in anno coram Inquiſitore rationem ſuæ adminiſtrationis reddat:vt de ſtatu vniuſcuiuſque Inquiſitionis Sacra Congregatio certior ſuis temporibus reddatur. Ità Symanchas *de cathol. inſtit.*

ſtit. tit.43. de off.receptoris, & Carena *loc.cit.*

Si S. Officij Theſaurarius ex pecunia fiſcali emat aliquid ſuo nomine, emptio cuiuſnam efficitur?

4 RESp. quod non efficitur ſua, ſed fiſci, quia fiſcus æquiparatur Eccleſiæ, pupillo, & minori. Sed Prælatus, tutor, & curator, ementes ſuo nomine ex bonis Eccleſiæ, vel pupilli, vel minoris, non ſibi, ſed Eccleſiæ, pupillo, & minori rem emptam acquirunt: *leg. rem curator, Cod. Arbitrium tutelæ, leg. ſi proponis, Cod. de rei venditione*. Ergò idem dicendum de Theſaurario S. Officij. Ità ibid. Carena *nu.*5. & latiſſimè de hac re tractant Gregorius Lopez *par.5.tit.5.l.49. gloſ.2.* Peregrinus *de iure fiſci, lib.6.tit.3.n.7.& ſeq.*

CAPVT X.

De ſacri Tribunalis Familiaribus.

Familiares S. Officij quales, & vſque ad quem numerum eligendi ſunt?

1 RESp. quod ſuprà *c.2.n.5.* probatũ eſt: Inquiſitores habere poſſe familiam armatam, & *nu. 6.* eligendos eſſe viros pacificos, fideles, deuotos, & laudabilis conuerſationis, & vitæ; & ſcientes officium ſuum exercere, vt præcipit Ioannes XXII. in ſua *Conſtitution.* quæ incipit: *Exigit Ordinis noſtri Religio*: & notant Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.42.n.15.* Pegna *par.3. direct.comment.105.verſ. Quibus autẽ*, Zanardus *in ſumm.par. 1.cap.6. qu.37.* Carena *par.1.tit.14.§.2.n.2.* Numerus iſtorum non eſt à iure determinatus: conſtituendi verò ſunt tanti, quanti ſufficiunt ad munus S. Officij, & iuxtà determinationem Eminentiſs. Cardin. Sacræ Congregat. Clemens autem IV. præcipit in ſua *Conſtitut.* incip. *Nolentes. Inquiſitoribus ipſis diſtrictius inhibemus, vt nec abutantur quomodolibet conceſſione portationis armorum, nec officiales, niſi ſibi neceſſarios habeant*: Carena verò vbi ſuprà, *n.7.* & Farinacius *de hæreſi, q.182.n.95.* affirmant: Inquiſitores abuti conceſſione portationis armorum; quando licentiam concedunt aliquibus, qui actu non inſeruiunt Sãcto Inquiſitionis Officio. Probat tamẽ Carena *n. 8.* in Villis cuilibet Vicario S. Officij aſſignari poſſe ad minus duo familiares; & in Caſtris maioris conſiderationis, etiam plures familiares quã duo poſſe ibi conſtitui, arbitrio S. Cõgregationis: habita ratione, quod moti fuerunt Pontifices ad hos familiares concedendos: ad capiendos hæreticos, & de hæreſi ſuſpectos, & ad perſonas defendendas ipſorum Inquiſitorum, & aliorum miniſtrorum S. Officio inſeruientium, quales ſunt Cõſultores, Aduocati, Notarij, carcerum Cuſtodes, & ſimiles, vt notant Eymericus *in 3.par. direct.q.56.* Salcedus *in cap.154.* Diaz *n.24.* Farinacius *vbi ſup.nu.91.* & alij.

Familiares iſti poſsũt ne deferre quocunque tempore arma prohibita?

2 RESp. affirmatiuè: ait enim Pegna *par.3.direct.comment.105.verſ. Item hoc priuilegium*: quòd iſti familiares portare poſſunt arma die, ac nocte, non obſtante quacunque lege ciuili, vel municipali in contrarium, edita, vel edenda. Immò quicunque legem conderet, qua prohiberentur officiales Inquiſitorum arma deferre, velut impeditor ſacri officij puniri poſſet: iuxtà doctrinam Gloſſæ communiter receptam in *cap. Statutum de hæreticis in 6.* Ità etiam affirmant Eymericus *par.2. q.54.* Royas *ſingul.21. nu.8.* Farinacius *dicto n.91.* & alij.

Gaudent ne hoc Priuilegio deferendi huiuſmodi arma cæteri huius S. Tribunalis Miniſtri?

3 RESp. affirmatiuè. Ità Pegna ibidem vbi ait: Arma deferre nõ ſo-

ſolum competere dictis officialibus; ſed etiam cæteris miniſtris, qui quauis alia ratione Sancto Officio inſeruiunt: veluti Aduocati, Conſultores, Notarij, Cuſtodes carcerum, & alij. Iſti enim omnes, ratione officij, inuiſi eſſe ſolent malè credentibus, blaſphemis, ac ſimilibus peccatoribus; & propterea ob eandem rationem iuſtiſſimum eſt, vt ipſi, vel eorum famuli armati incedant, maximè in illis partibus, in quibus, vel hæretici abundant, aut ſaltem ſunt de hæreſi ſuſpecti. Et idem dicendum de illis, qui publicè ſcribunt aduerſus hæreticos. Hi enim non ſolùm ſacri officij miniſtri ſunt; verum, quod amplius eſt, fidei ſunt defenſores, qui cum multos habeant inimicos, iuſtum videtur, vt hoc priuilegio delationis armorum vtentur, aut ſaltem iuſtiſſimum eſſet, vt ad hos etiam benignitate Pontificia extenderetur. Ità Pegna.

Familiaris, qui inquiſitum in S. Officio monet ne capiatur, vt ſe abſcōdat, vel fugiat, quàm pœnam incurrit?

4 RESp. pœnam incurrere excommunicationis, & fautoris hæretici, ac periurij; etiamſi id faciat non intuitu hæreſis, ſed amicitię, & cauſa consāguinitatis: quia talis fauor redundat in fauorem hæreſis: & illi ex officio incūbit, vt reum capiat. Ità Syluester *verb. Hæreſis, q.*7. Symanchas *de cathol. inſtitut. cap.*15. *nu.*20. Caietanus *verb. Excommunicatio, cap.*1. Suarez *to.*5. *in* 3. *p. diſp.*24. *ſect.*1. *n.*3. Sanchez *lib.*2. *in Decal. cap.*10. *n.*5. & alij quāplures, quos citat, & ſequitur Farinacius *de hæreſi, q.*182. *n.*95.

Domini temporales, impedientes dictos familiares, ne arma deferant, poſsūt ne puniri ab Inquiſitoribus?

5 RESp. affirmatiuè: puniri enim poſſunt, tanquam turbatores Sanctæ Inquiſitionis: quia, vt ſuprà *cap.*2. *n.*5. probatum eſt: Inquiſitores retinere poſſunt familiam armatam, & illā impedire præſumentes poſſunt ab ipſis Inquiſitoribus puniri, ex *cap. Statutum* 1. *de hæreticis in* 6. & ibi Gloſſa, & probant Cardin. Zabarella *in Clement.*2. §. *Porrò, n.*2. *verſ. Secundò quæro de hæreticis*, Syluester, & alij.

Familiares Sanctæ Inquiſitionis ſeruitio deſtinati, delinquentes, ſiuè in abuſu armorum, ſiuè in alio criminali delicto, ad Sanctum Officium non ſpectante, poſſunt ne ab Inquiſitoribus puniri?

6 RESp. Inquiſitores habere iuriſdictionem, procedendi in cauſis criminalibus omnium miniſtrorum Tribunalis Sanctæ Inquiſitionis. Immò in multis Regnis, etiam in eorum cauſis ciuilibus, vt probatum eſt *cap.*3. *nu.*23. *& ſeq.*1. *par.* conſequēter etiā procedere poſſunt contra dictos familiares delinquentes, tàm ob armorum abuſum, quàm ob quodcumque aliud delictum, præter rebellionis, læſæ Maieſtatis, publicæ ſeditionis, proditionis, & ſimilium enumeratorum, *dicto cap.*3. *nu.*25. vt docent Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.*41. *n.*19. Royas *de hæret par.*2. *n.*422. Caſtro Palaus *tom.* 1. *tr.*4. *diſp.*8. *pun.*12. *n.*9. & alij.

CAPVT XI.

De ſacri Tribunalis Cuſtodibus carcerum.

Cuſtodes carcerum, quales eligendi ſunt, & quomodò ſuum officium exercere debent?

1 RESp. quod, vt notat Eymericus *p.* 3. *direct. qu.*59. *n.*4. *in c. Multorum de hæreticis*, ſtatutum eſt, vt eligantur viri diſcreti, induſtrioſi, & fideles: qui iurabunt coram Epiſcopo, & Inquiſitore, quod ſuum officium fideliter exequentur, & non permittent, quòd aliquis

quis

quis loquatur dictis captiuis ſecretò, & quòd miniſtrabunt eiſdem, prout per Epiſcopum, & Inquiſitorem fuerit ordinatum. Addit etiam Pegna ibi *commēt.* 108. *in fin.* quòd nihil dare debent reis ex his, quæ à conſanguineis, vel amicis ipſorum reorum mittuntur, inconſultis Inquiſitoribus. Sed quæ eis conceduntur ab Epiſcopo, vel Inquiſitore, ſiuè ex ordinatione communi, ſiuè ex liberalitate parentum, abſque vlla fraude eis conſignent, & tradant. Et maximè obſeruandum eſt, vt fideliſſimi, & integerrimi ſint: aliàs vix poterit veritas à reis inueſtigari; ſi de his quæ foris geruntur, per infidos Cuſtodes, & Miniſtros, certiores reddantur: obſeruare quoque debent attentè, ne carcerati apud ſe retineant limas, vel alia ferramenta abſcondita, ad rumpēdum carceres, vt notat Præſes Abauo *in ſuis quæſtion. q.* 13. *nu.* 20. *&* 22.

Cuſtos carceris qua pœna puniendus eſt, ſi ſua culpa reus è carcere fugiet?

2 RESp. quod Iulius Clarus *in praxi*, §. *fin. q.* 68. *verſ. Cuſtos carcerum*, expreſsè ait: quòd quando is, qui aufugit, non erat detentus pro crimine capitali, non punitur pœna capitis, ſed Iudicis arbitrio, iuxtà modum culpæ, & hanc aſſerit eſſe opinionem communem, ex Boſio *in tit. de carcere, num.* 10. quia textus *in l. fin. ff. de cuſtod. reo, & l. carceri, & l. milites, eod. tit.* probare videtur, pœnam hanc Cuſtodis eſſe arbitrariam pro modo ſuæ culpæ, non autē pro modo culpæ illius, qui è carcere aufugit.

3 Sed Farinacius cum alijs Doctoribus, quos ipſe citat, *to.* 1. *de carceribus, q.* 31. *n.* 2. *& nu.* 4. ſuſtinet; dictum Cuſtodem puniendum eſſe eadem pœna, qua puniendus erat carceratus aufugiens; non autem arbitraria: dummodò fuga ſequuta ſit ex nimia negligentia ipſius Cuſtodis: ſed ſi ſequuta ſit ex leuiori ſua culpa, tūc verum eſſe, quod pro modo culpæ, Iudicis arbitrio ſit plectendus. Et in hoc ſenſu ait, loqui Bouium: & omninò negat opinionem Clari eſſe communem. Probat ſuam ſententiam Farinacius: quia in *l. ad Cōmentarienſem, Cod. de cuſtodiendo reo*, expreſsè dicitur: Ad Commentarienſem receptarum perſonarum cuſtodia, obſeruantiaque pertineat, nec patet hominem abiectum, atque vilem obijciendum eſſe Iudici, ſi reus modo aliquo fuerit elapſus. Nàm ipſum volumus huiuſmodi pœna conſumi, cui obnoxius docebitur fuiſſe, qui fugerit: Ex quo textu patet carcerum Cuſtodem plectendum eſſe eadem pœna, qua erat plectendus carceratus fugiens pro ſuo delicto. Et ità ibi notant Bartolus, Baldus *n.* 3. Menochius *de arbitr. quæſt. lib.* 2. *caſu* 303. *n.* 2. Antonius Gomez *var. reſol. tom.* 3. *c.* 10. *n.* 11. & alij. Textus autem quos pro ſe adducit Clarus intelligendi ſunt: quando fuga ſequuta eſt non ex nimia negligentia Cuſtodis, ſed ex leuiori ſua culpa: tunc enim Iudicis arbitrio, pœna remittitur.

Cuſtos, qui prætio corruptus, carceratum fugere dolo permiſit, qua pœna eſt puniendus?

4 RESp. talem Cuſtodem eſſe vltimo ſupplicio afficiendum, etiamſi ille, qui aufugit non eſſet pro capitali delicto carceratus. Ità videtur ſentire Bonifacius de Vital. *in ſuo opere maleſ. rubr. de carcer. c.* 1. *n.* 7. vbi expreſsè ait: ſi carceratus aufugit per fraudem Cuſtodis, qui illum fugere permiſit; tunc Cuſtos capitali pœna punitur. Si autem aufugerit per negligentiam Cuſtodis, tunc punitur eadem pœna, quæ carceratus fuiſſet punitus. Probatur etiam *ex l. fin. ff. de cuſtod. reo* à Iodochio *in pract. crimin. c.* 27. *rubr. de Camerariis, n.* 4. *verſ. Si verò malitia.* Grauior enim pœna eſt intelligenda, quādo prætio corruptus carcerarius carceratum dimittit: quia pecunia ſemper facit delictum magis atrox, & pœnam inducit grauiorem, *l. Cicero, ff. de pœnis*, Farinacius verò *loc. cit. n.* 8. *&* 9. exiſtimat,

mat, tunc capitis pœnam eſſe imponẽdam ex dicto textu, quando carceratus aufugiens capitalem pœnam merebatur.

In dubio an carceratus, ex oſtio aperto, incuria Cuſtodis; an per inſidias, & cum ferro, aut clauibus adulterinis, aufugerit, quomodo præſumendum?

5 RESp. quod quamuis in dubio culpa non præſumatur, *l.2.ff.ſi quis caut.l.in illa ſtipulatione*, §. *Si cadendis*, *ff.de verb.oblig.* Afflictus *deciſ.13.n.18.* immò in dubio præſumitur diligentia, non verò negligentia, *cap.Niſi de præbendis*. Quilibet enim cenſendus eſt diligens in ſuo officio, niſi contrarium probetur: vt probat Farinacius *tom.1. de carceribus*, *q.31.n.* 18. Tamen hæc regula fallit in carcerum Cuſtode: quia in dubio carceratum aufugiſſe culpa, & negligentia ipſius Cuſtodis præſumitur: vt in caſu ſimili deciditur *in l. fin.verſ.Sed ſi*, *& verſ. Ergò ſi caſu*, *ff. de cuſtod. reor.* & notant Paris de Put. *in tr.de ſyn.verb.Carcer*, *& carceratus*, *c.3.* & alij quamplures, quos citat Farinacius *loc.cit.*

6 Verùm hæc præſumptio contra carcerum Cuſtodem tollitur per aliam contrariam præſumptionem; nempè per probationem; ipſum fuiſſe ſemper diligentem, & omnia obſeruaſſe, quæ boni, & fideles Cuſtodes, ſeruare ſolent: & quod toto tempore, in quo cuſtos fuit, nullam culpam, nullumq; dolum commiſit. Hoc enim probato: præſumendus eſt etiam de præſenti ſine dolo, & culpa bonus, & fidelis. Quia ex ante actis, præſumitur vita præſens: *l.3.§.penult.* ibi: *Inſpecto vitæ eius præcedentis actu*, *&c.* *& l.Non omnes.* §. *A Barbaris*, ibi: *Et ſi bonus miles antè æſtimatus*, *ff.de re milit.22.* Bartolus *in leg. Non ſolum*, §. *Sed probari*, *ff.de noui operis nunc.* Maſcardus *de probat. lib.2. conſ.* 864.*n.*30. Franciſcus Becius *conſ.* 44.*n.*4.*& ſeq.lib.*1. & alij. Quod intelligendum eſt, niſi in ſpecie probetur negligentia, vel culpa eiuſdem Cuſtodis: quia præſumptio, & probatio ſpecialis ſemper præferenda eſt præſumptioni, & probationi in genere: ſecundũ Innocentium *in cap. Auditis extra de præſumpt.* & probat Farinacius *n.* 24.

7 Igitur ſi ex oſtio aperto carceratus aufugit, non ſtatim creditur carcerario dicenti, quod carceratus aperuerit oſtium clauibus adulterinis, vel alio ferreo inſtrumento: quia in tali dubio præſumitur ſua culpa, & negligentia aufugiſſe: *ex dicta l. fin. ff. de cuſtod. reor.* & ipſi Cuſtodi incumbit oppoſitum probare. In tali autem caſu conſulit Becius *loc. cit.* quod erunt eligendi periti, qui medio iuramento deponant, ac referant: an illud oſtium, ex quo carceratus aufugit, potuerit cum aliquo inſtrumento ferreo, vel claue adulterina aperiri nec ne: & iuxtà peritorum relationem, Iudex arbitrari debet. Quia expertis, & in arte peritis in ijs, quæ ad eorum artem attinent, & iuſtas rationes adducentibus, credendum eſt: *l.ſemèl*, *Cod.de re milit.* Bartolus *in l.1.ff. de venire inſpicien.* Becius *loc.cit.n.*18. & alij communiter.

In quo caſu excuſatur carcerum Cuſtos à pœna ob carcerati fugam?

8 RESp. quod excuſatur quando carceratus, fracto muro carcerum aufugit, vel quando ipſe carceratus, vel eius conſanguinei, vel amici violẽtiam fecerũt, cui Cuſtos reſiſtere non potuit. Ità ex *l.Item quæritur*, §. *Exercitu*, *ff. locati*: quia cuſtodia aduerſus vim, cui reſiſti non poteſt, parum proficit, vt notat Farinacius *loc.cit.nu.*165. *&* 166.

Carcerum Cuſtos carnaliter cognoſcens mulierem carceratam, qua pœna punitur?

9 RESp. quod Paris de Put. *in tract. de ſyndic.in verb. Adulterium*, *cap.1.n.1. & 2.* docere talem Cuſtodẽ eſſe

eſſe plectendum eadem pœna, qua tenetur tutor, carnaliter cognoſcens pupillam: quia eodem modò carcerum Cuſtos tenetur diligenter, & honeſtè cuſtodire mulierem incarceratam, illāque illeſam ſeruare, ac tutor pupillam: *l. 1. & l. fin. Cod. de cuſtod. reor.* Ideò ſtāte hac eadem ratione, debetur in vtroque caſu eadem pœna. Pœna autem tutoris, rem habentis cum pupilla, eſt deportationis cum publicatione bonorum, *l. vnic. Cod. ſi quis eum cuius tutor*: vt notant Paulus Ghirl. *in tract. de pœnis, q. 7. in 6. fallen. n. 7.* Clarus *in pract. §. Fornicatio, verſ. Cum pupilla.* Et propteteà carcerum Cuſtodem eſſe etiam deportatione, cum bonorum confiſcatione puniendum: & ità latè probat Boerius *deciſ. 317. n. 1. & ſeq.* Si tamen carcerata erat honeſtæ vitæ conditionis, & famæ. Si vero erat meretrix, & Cuſtos eam cognouit ſine vi, Boerius exiſtimat *in dicta deciſ. 317. n. 6. & ſeq.* non eſſe puniendum: ſi cum vi, aliqualiter, & leui pœna. Menochius autem *de arbitrar. quæſt. caſu 292. lib. 2.* ſuſtinet, Cuſtodem carnaliter meretricem carceratam cognoſcentem, etiam ſine vi, Iudicis arbitrio, eſſe puniendum. Farinacius *vbi ſup. n. 123.* & Menochius ibidem docent: ſi mulier ſit honeſtæ vitæ eſſe illi imponendam grauiorem pœnam, quàm ſi extra carcerem eam cognouiſſet: propter carceris violationē. Vtputa ſi mulier eſſet virgo, vel vidua Cuſtos tenebitur de ſtupro: ſi vxorata, de adulterio. Et in vtroque caſu pœna erit aggrauanda, propter carcerum violationem; & eò magis ſi interuenerit vis: et ſi erat meretrix, pœna arbitraria. Carena verò *par. 1. tr. 15.* refert: quendam Cuſtodem, qui carceratam in S. Officio inhoneſtè cognouerat, decreto Sacr. Cōgregat. & Pauli V. fuiſſe per ſeptennium ad triremes addictū cum exilio perpetuo à loco delicti.

CAPVT XII.

De Iudice ordinario contra maleficos & alios ſortilegos, & de hæreſi ſuſpectos.

Iudicium contra maleficos, & quoſcunque ſortilegos, ſpectat ne ſemper ad Epiſcopos, & Inquiſitores priuatiuè quoad Iudices Laicos?

1 RESp. vel maleficium, aut ſortilegium eſt qualificatum, & ſimpliciter hæreticale, quia vel verbis, vel facto manifeſtam hæreſim ſapit: et certiſſimum eſt, apud omnes, huiuſmodi iudicium ſpectare ad Epiſcopos, & Inquiſitores, priuatiuè quoad Iudices Laicos. Vel non eſt qualificatum, nec manifeſtè hæreſim ſapiens; vt ſunt ſortilegia, poculi amatorij, & medicamētum parui lintei tincti ſanguine vulnerati, & ſimilia; et quamuis olim eſſet mixti fori; vt in *cap. Accuſatus, §. Sanè de hæret. in 6.* Tamen nunc de eo Epiſcopi, & Inquiſitores tantum cognoſcunt priuatiuè, quoad Iudices Laicos. Quia in cauſis fidei, ac fidei ſuſpicionis, Iudex laicus non ſe ingerit. In maleficijs autem, & ſortilegijs, etiam ſimplicibus, & non qualificatis, adeſt vt plurimum hæreſis ſuſpicio, & tacita Dœmonis inuocatio. Et ideò locum amplius non habet opinio, quod crimen talis maleficij, vel ſortilegij, ſit mixti fori, vt decretum eſt in Bulla Innocentij *VIII.* quæ incipit: *Summis deſiderantes*; & Alexandri *VI.* quæ incipit: *Cum acceperimus*, ac etiam Sixti *V.* quæ incipit: *Cœli, & terræ Creator*. Et ità etiam docent Farinacius *q. 181. n. vlt.* Souſa *lib. 1. c. 58. n. 3.* Carena *par. 2. tit. 12. §. 15. n. 140.* Diana *tom. 5. trac. 12. reſ. 10. ex par. 4. tr. 7. reſ. 10.* & alij communiter. Et in praxi huiuſmodi cauſæ à ſolis Epiſcopis, & Inquiſitoriqus tractantur. Si verò ſint ſuperſtitiones puræ, quæ nullo modo hæreſim ſapiunt: tunc ſi reus eſt perſona Eccleſiaſtica puniendus eſt ab Eccleſiaſtico Iudice; vt in *cap. 2. de ſortilegijs, & in c. ſi quis Epiſcopus, 26. q. 5.* Si autem reus eſt laicus; à Iudice laico puniendus eſt; vt in *cap. 1. de ſortilegiis*; & affirmāt Suarez *lib. 2. de ſuperſt. cap. 18. n. 11. & 12.* Thomas del Bene *par. 2. dub. 195. ſect. 70. n. 4.* & alij. In

In caſu dubio; an maleficium, ſeu ſortilegium hæreſis ſuſpicionem ſapiat, ad quem Iudicem ſpectat huius cauſæ deciſio?

2 RESp. ad Iudicem Eccleſiaſticum, & priuatiuè quoad laicum. Quia cauſa eſt de obiecto Eccleſiaſtico: dubitatur namque an caſus ſit hæreticalis, vel ſuſpectionem hæreſis habeat: ergò habet pro obiecto formali hæreſim, & conſequenter ſolum Iudex Eccleſiaſticus poteſt huiuſmodi cauſam decidere. Ità Freitas ad Rodericum *de confeſſ. ſolicit. q.5. nu.39.* Carena *par. 2. tit. 12. n. 140.* Turrianus *in ſelectis diſput. par. 1. diſp. 30. cenſur. 2. dub. 5.* Bordonus *tom. 1. cap. 18. nu. 52.* Immò iſti Doctores affirmant, opinionem aſſerẽtem, quod Iudex laicus poteſt iudicare, an aliquod delictum ſpectet, vel non ſpectet ad Sanctum Officium, eſſe temerariam.

Inquiſitor, vel Epiſcopus poteſt ne ſub cenſuris, cogere Iudicem laicum, vt ſibi remittat maleficam, vel quemlibet ſortilegum carceratum cum ſuo proceſſu, & ſcripturis; vt de maleficijs, ac ſortilegijs illum iudicet, ac puniat?

3 RESp. affirmatiuè; quia ratione criminis Eccleſiaſtici Iudices fidei petere poſſunt omnes maleficos, & ſortilegos: & Magiſtratus ſeculares tenẽtur eis obedire; quia de huiuſmodi crimine nullo pacto, nec directè, nec indirectè cognoſcere poſſunt, aut iudicare. Vt ex *c. Vt inquiſitionis, §. Prohibemus de hæreticis in 6.* & ex Conſtitut. Pij V. quæ habetur inter literas Apoſtolicas pro officio S. Inquiſ. *in fine direct. inquiſ.* Et poſſunt etiam ſeculares Iudices, & Magiſtratus compelli per excommunicationem, & cenſuras ab Inquiſitoribus, & locorum ordinarijs ad exhibẽdum proceſſus, & quaſlibet ſcripturas, quæ aduerſus maleficos vtriuſque ſexus aliquid continent, quod cauſam fidei tangat, & iudicium Inquiſitorum iuuare valeat: vt ex argum. textus *in cap. Vt commiſſi de hæreticis in 6.* & notant Ioannes Royas *in ſingularibus fidei, ſingul. 4. §. Edere inſtrumenta*, Pegna *in Lucerna Inquiſitorum, tract. de ſtrigis, fol. mihi 158. verſ. Sed ab hac ſent. & ſeq.* Carena *p. 2. tit. 12. nu. 140. verſ. Taliter*, Bordonus *tom. 1. cap. 18. de ſortileg. nu. 51.* Qui etiam addunt, huiuſmodi remiſſionem illicò faciendam eſſe in qualibet iudicij parte, conſignando proceſſum, & quæcunque alia pertinentia ad cognitionem dictæ cauſę. Quia Iudex Eccleſiaſticus omnium Dominus eſt; vt ad bonum finem cauſam conſeruationis fidei, & deſtructionis hæreſis, deducere poſſit. Et nullus poteſt, sine mortali peccato, iuriſdictionem alienã ſibi vſurpare: vt probat D. Thomas *2.2. q. 60. ar. 6.* Nauarrus *conſ. 2. de hæret. n. 4. §. 2.*

4 Verum si e. g. aliqua malefica capta fuit à ſeculari Magiſtratu pro infanticidio, aut alio delicto ſeculari, & dũ eam interrogaret, conſtitit ſibi de hæresi, vel de alio delicto hæresim ſapiẽte: tunc peracto iudicio hæresis, eidẽ Iudici ſeculari reſtituenda malefica eſt; vt is aliorum criminum cœptum iudicium legibus ciuilibus peragat. Tunc enim non dicitur propriè curiæ ſeculari relinqui; ſed potius priori Iudici reſtitui; qui ratione criminis ſecularis, ſuper malefica illa, legitimam habet iuriſdictionem. Et hæc ſententia veriſſima eſt, & in praxi omninò obſeruanda: vt ex *Conſtitut.* Pij V. ſupradicta: ità Pegna *loc. cit.*

Sicut poteſt Iudex fidei, Magiſtratum ſecularem compellere, ut ſibi exhibeat maleficas, & reos de hereſi ſuſpectos: poteſt ne uice uerſa Magiſtratus ſecularis, Iudicem fidei compellere; ut ſibi exhibeat reos, qui ſecularia delicta commiſerunt, & illos puniat?

5 RESp. negatiuè; quia Magiſtratui ſeculari nulla competit iuriſdictio in Iudicem Eccleſiaſticum. Cùm verò Iudex Eccleſiaſticus in ſuo Tribunali delinquentes punierit; tunc Iudex ſecularis pro criminibus, ad ſuũ forum pertinentibus, eoſdem punire poterit: ità Antonius Gomez *tom.3. variar.reſol.cap.1.n.40.* Pegna *vbi ſupra,verſ.Sed nunquid.*

Facta Inquiſitori remiſſione maleficę, vel ſortilegi, poteſt ne Iudex laicus vlterius in illius causã procedere?

6 RESp. affirmatiuè: dummodò cauſa S.Officij non impediatur. Ità Ioſeph Seſſe *de inhibitione iuſtitiæ, cap.30.§.1.n.111.* Carena *par.2. de ſortil. tit.12.n.140.verſ.Verum ego.* E.g. ſi lamia commiſit infanticidium, vel homicidium, vel aliud graue crimen: ipſa remiſſa Inquiſitori, vel loci ordinario; poteſt Iudex laicus in proceſſu, iàm per eum formato, aſſumere informationes illius infanticidij, vel homicidij. Quia vt docet Pegna *loc. cit. verſ. Arnaldus tamen.* Nihil habet commune cauſa hæreſis cum infanticidij, aut alijs criminibus à lamijs perpetratis. Quorum quidem criminum cognitio ad Inquiſitores minimè pertinet. Et quamuis Pius V. in ſua *Conſtitut.* dicat: *Suſpenſa aliorum criminum cognitione.* Nihilominus hæc verba intelligi debent, vt cum Seſſe, notat Carena, de ſuſpẽſione cognitionis, quæ obeſſe poſſet S. Officio.

Reus condemnatus ab Inquiſitore ad carcerem, vel ad triremes eſt ne remittendus; vt à Iudice laico pro alijs delictis puniatur; ſi pro hac remiſſione impediatur executio ſẽtentiæ Inquiſitoris?

7 RESp. affirmatiuè: quia quoad pœnam carceris, etiam exequitur in carcere laico, dum reus ibi à Iudice detinetur. Pœna autem triremium exequi poteſt expleto iudicio. Si verò à Iudice laico ad mortem damnatur, morte ſoluitur omnis alia pœna, à Iudice eccleſiaſtico impoſita. Neque Inquiſitor remittendo lamiam, vel quemlibet ſortilegum ad Tribunal laicum, in quo ſit condemnandus ad mortem incurrit irregularitatem: Quia cenſetur diſpenſatus à Summo Pontifice: dum Pius V. in ſupradicta Bulla præcipit huiuſmodi remiſſionem ad Iudicem ſecularem. Ait enim: *Suſpenſa aliorum criminum cognitione, ad eoſdem Cardinales, & Inquiſitionis carceres ibidemque ad criminis hæreſis totaliter cognitionem, & expeditionem retinendos. Et poſteà ad eoſdem officiales pro aliorum criminum expeditione remittẽdos, ſine mora tranſmittat.*

Reus, qui à Iudice laico reperitur, penes ſe retinere in tortura ſortilegium taciturnitatis, ad reticendam veritatem, poteſt ne etiam de hoc crimine ab ipſo Iudice iudicari, & puniri?

8 RESp. negatiuè; quia omne ſortilegium, aut eſt coniunctum cum hæreſi, aut cum hæreſis ſuſpicione, vt ſupra probatum eſt. Ergò etiam quando reus reperitur in tortura cum ſecreto diabolico, vt tormenta ſine dolore ſuſtineat, & pro nihilo ea reputet, & immobilis, ac mutus remaneat, eſt iudicandus, & puniendus ab Inquiſitore, priuatiuè quoad Iudicem ſecularem. Huius enim rei cauſa expediri nõ poteſt ſine hæreſis mixtione, aut hæreſis ſuſpicione. Immò poſt Bullam Sixti V. Inquisitores cognoſcunt de omnibus ſortilegijs, etiam ſimplicibus, & non manifeſtè hæreſim ſapientibus. Ità docent Scortia *in Bull. Pontif. epitom. 58.theor.158.* Ioſeph Seſſe *tom.4. deciſ. 464.n.8.& 18.& ſeq.& deciſ.466. n.4. & 17.* Azorius *par.1. lib.9. c.26.qu.4.* Sanchez *lib.2.in Decal.c.38.n.92.* Farinacius *de hæreſi,q.181.n.93.* Molfesius *in ſumm. par.1.tr.11. cap.7. num.145.*

Dia-

Diana *tom.5. tr.12. reſ.10.§.1.ex par.4.tr.7.reſ.10.§.1.*Carena *par.2. de ſortil.tit.12.§.16.n.146.& ſeq.*& alij.

9 Si autem dubitetur, an ſortilegium hæreſim ſapiat: illius cognitio etiam ad Inquiſitores ſpectat; quia, vt ſuprà dictum eſt: cauſa eſt de obiecto Eccleſiaſtico, & ſolus Inquiſitor eſt eius Iudex competens: ex *l.Titia, ff.ſolut.matrim.* & ibi Doctores communiter, & patet ex iure nouo *Conſtitut. Sixti V.* & ità teſtantur Symanchas *tit.30.n.21.* Pegna *in direct.par.2.comment. 63.* Acugna *de confeſſ.ſolicit.q.5.n.13.* Diana *loc.cit.*Carena *n.*148.& alij.

10 Neque obſtat, quod Simon de Pretis *cõſ.*105.conſuluit, & iudicauit quẽdam ſortilegum, hoc ſortilegij genere vſum, ad effectum prædictum, eſſe per Iudicem ſecularem puniendum: quia certum eſt eius conſilia impreſſa fuiſſe anno 1575. & antè Bullam Sixti V. quæ fuit edita anno 1586.die 9.Ianuarij. Hodiè autem per motum proprium huius Pontificis, etiamſi dubitetur, an ſortilegia, diuinationes, & maleficia hæreſim ſapiant, ad Inquiſitores hoc iudicium ſpectat.

11 Neque obſtat, quod huiuſmodi ſortilegium præiudicat Iudici laico, & Fiſco; quia ex rei ore delicti veritatẽ eruere non poteſt. Nàm mediante Inquiſitoris officio frangitur ſortilegium, & reus amittit vires tacẽdi in tortura; & ſic non impeditur iuſtitia. Et conſequenter non ſolum non leditur officiũ Iudicis laici, ſed potius perficitur. Ità Carena *n.*147.Bordonus *tom.1.cap.18. num.55.*

12 Addit etiam Carena *par.2. tit.12.§.16.n.154.* ex ſcripturis huiuſmodi ſortilegia continentibus, penès reum repertis, poſſe Iudicem laicum, indicium validum ſumere contra inquiſitum de delicto, pro quo inquiritur. Vt ſingulariter obſeruauit Anton. Faber *in ſuo C.Fabrian.lib.9.tit.21.de quo definit.3.* vbi loquitur in indiuiduo horum ſortilegiorum. Et licere etiam Iudici laico interrogare talem reum de cauſa, qua ſcripturas illas pœnes ſe retinebat; & etiam à quibus habuerit, & quibus tradiderit, ad effectum veniendi in cognitionem aliorum ſociorum criminis, ac reddendi validius inditium illud, & eum magis aggrauandum de delicto principali, pro quo carceratus in Curia ſeculari reperitur. Sed an hoc ſit licitũ, remittendum eſt determinationi Supremi Tribunalis S.Inquiſitionis, vt ait Carena.

Eſt ne licitum Iudici laico mandare, vt corpus rei totum abradatur, & lauetur, quando ipſe Iudex aduertit, illum ſuſtinere tormenta ex diabolico maleficio ſine dolore?

13 RESP. affirmatiuè, quia licitum eſt aliquid facere, quod per ſe indifferens eſt, vt diaboli pactum expiret, & maleficium dextruatur; abradere autem, & lauare corpus, eſt per ſe quid indifferens. Ergò dum hoc ordinatur, ad deſtruẽdum maleficium, quo rei vti ſolent in capillis, & pilis, vel in corporis vnctione; licitum eſt Iudici, corpus rei abradere, & lauare, vt perdat vires, & facilius confiteatur. Confirmatur, quia id non fit ob aliquam ſuperſtitionem; ſed ſolum ne lateat maleficium aliquod pilis, aut capillis inſperſum: vel ne ſubſint aliquæ vnctiones, quibus maleficus tormentorũ dolorem non ſentiat, & ad veritatem confitendam, non compellatur. Ità Leſſius *lib.2.cap.44.nu.44.& 45.* Thomas del Bene *par. 2. de off.inquiſ. dub.229. ſect.2.n.26.* Bordonus *tom.1. cap.18.n.58.* Neque obſtat, quod ait Victoria *de magia.n.16.* ſi ad expulſionem Dęmonum radant pilos, aut capillos, aut aliquid huiuſmodi, eſt magia manifeſta. Nàm, vt ait Leſſius, ibidem ipſe loquitur de expulſione Dœmonum à corporibus hominum: ad quam expulſionem nihil facit tonſura pilorum; non autem de reis, qui maleficijs vtuntur, vt reddantur in tormentis inſenſibiles; & cogi non poſſint ad confeſſionem commiſſi delicti.

Re-

Retinens ſchedulam cōtinentem ſortilegium, eſt ne ſuſpectus de illius vſu, & ſi neget vſum, eſt ne de hæreſi ſuſpectus?

14 Reſp. affirmatiuè: quoad vtrumq; & quod ſit ſuſpectus de illius vſu probatur. Quia à communiter accidentibus ſequitur præſumptio veritatis, ex *l. Neque natales*, *Cod. de probat.* Retinentes autem huiuſmodi ſecreta communiter ſolent illis vti; finis enim retentionis eſt vſus rei retentæ, *l. certi conditio*, §. *ſi nummos*, *ff. ſi certa petat.* Tuſcus *lit. A. concluſ.* 493. Ergò retinens ſchedulam, continētem ſortilegium, eſt de illius vſu ſuſpectus. Cōfirmatur, quia retentio eſt cauſa proxima vtendi illa re: & poſita cauſa, ſequi ſolet effectus, maximè in ſimilibus caſibus ob curioſitatem, & vanam ſpē conſequendi intentum. Et ſicut retinens librum hæreticum præſumitur illum legiſſe; & ille penès quem reperta ſunt inſtrumenta apta, ad fabricandam falſam monetam, præſumitur illā feciſſe; vt docent Francus, Riccius, Giurba, & alij, quos citat, & ſequitur Carena *par. 2. tit.* 12. §. 24. *n.* 220. Ità ſimiliter qui penes ſe retinet ſcripturas, vel res, aptas ad ſortilegia, præſumitur illis vſus. Ità etiam Genuenſis *c.* 18. *n.* 13. *& c.* 68. *nu.* 12. *verſ. Item ſeruatur.* Vbi quod ità quotidiè practicatur in Curia Archiep. Neap. Petrus Binsfeld *de confeſſ. maleficorum, & ſagarum*, *membr.* 2. *concluſ.* 6. *verſ.* 6. Bordonus *tom.* 1. *c.* 18. *n.* 61.

15 Quod autem ſit de hæreſi ſuſpectus, etiamſi in tortura neget vſum illius, probatur, quia ſicut ſupradictum eſt; ex ſola retentione libri oritur ſuſpicio hæreſis vehemens, vel leuis, iuxtà conditionem perſonæ, & libri qualitatem, & alijs circumſtantijs; vt docet Carena *par. 2. tit.* 10. §. 3. *&* 4. Ergò idem dicendum de retinentibus ſchedulis ſortilegis. Et ità ſuſtinent Carena *tit.* 12. *n.* 245. Bordonus *vbi ſup. n.* 62. Pegna *in direct. par.* 2. *comment.* 67. Genuenſis *in praxi Archiep. Neap. c.* 68. *n.* 8. Zanardus *in ſumm. diuin. precept. c.* 64. *verſ. Contra ſortilegos.*

Inquiſitores permittere ne poſſunt, quod Iudices laici ſecum aſſiſtant in cauſis fidei?

16 Reſp. negatiuè; quia huiuſmodi cauſæ, cum ſint omninò ſpirituales, & Eccleſiaſticæ, nullo modo poſſunt eas Iudices laici cognoſcere, neque iudicando, neque aſſiſtendo. Sunt enim extra ſpheram iuriſdictionis ſecularis. Ex priuilegio tamen, ac permiſſione Summi Pontificis, poſſunt cum Inquiſitoribus aſſiſtere, non vt votum deciſiuum in ſententia, contra hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, habeant; ſed tantum, vt ſint certi, quod iuſtè contrà ipſos reos procedatur. Et ità Venetijs, & in Venetum dominio cum Inquiſitore aſſiſtit vnus ex Senatoribus, ex priuilegio, ſeu permiſſione Summi Pontificis. Ità docent Zanardus *in direct. Theol. par.* 1. *præc.* 1. *cap.* 6. *q.* 29. Diana *tom.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 66. *ex par.* 4. *tr.* 8. *reſ.* 105. Thomas del Bene *de offic. inquiſ. par.* 2. *dub.* 195. *ſect.* 59.

Poſt rei ſententiam pronunciatā, expirat ne Inquiſitoris iuriſdictio in eadem cauſa?

17 Reſp. negatiuè: quia *ex decreto Concilij Narbonenſis*, *cap.* 7. licet Inquiſitoribus pro illorum arbitrio, & voluntate, iniunctis pœnitentijs, addere, vel detrahere ex rationabili cauſa. Immò ex *Concilio Biterrenſe*, *cap.* 22. poſſunt Inquiſitores, etiam ſine noua cauſa, augere quandoque pœnas; ſi viderint ità negotio fidei expedire. Vndè notat Pegna *in direct. par.* 3. *comment.* 44. *verſ. Immò, & Concilium.* Si ex liberatione alicuius pœnitentis damnati ad perpetuum carcerem, timeretur probabile aliquod periculum, quod in detrimentum fidei poſſet redundare: ſanè tunc ille in carcerem iterum detrudi poſſet. Atque hoc vult Concilium Biterrenſe.

terrenſe. Quod non eſt contemnẽdum. Cum quandoque hi caſus accidere poſſint. Nequè tunc iniuſtè quidquam committitur; cum cauſa Religionis, & fidei, quæ cunctis rebus præferenda eſt, hocità fieri poſtulet, & ſuadeat. Si verò cauſa fidei id non poſtulet, non poteſt iuſtè Inquiſitor ob alias cauſas eum, cui ſemèl condonauit carceris pœnam, iterum in carcerem detrudere. Quæ autem ſint cauſæ rationabiles ad augendam, vel minuendam, vel penitùs tollendam pœnitentiam, prudens Inquiſitor conſiderabit, ſpectata pœnitentium conditione, natura, & humilitate. Nàm e. g. detrahere poterit iniunctis pœnitentijs, eaſque etiam tollere, ob infirmam valetudinem, vel etiã ob inſignem pœnitentis humilitatem, & veram conuerſionem. Quod verum eſt etiamſi Inquiſitor, propter obliuionem, aut alias cauſas, hanc poteſtatem pœnitentiam augendi, mutandi, minuendi, ac tollendi, ſibi non reſeruauerit. Ità cum Eymerico, Pegna.

Inquiſitores habent ne iuriſdictionẽ ſuper reos pœnitentes, dum habitum pœnitentiæ geſtant, vel dum pœnitentiã impoſitam exequũtur?

18 RESp. quod vel loquimur de reis pœnitentibus qui violant pœnitentias iniunctas ob crimen hæreſis, vel hæreſim ſapientis, aut è carceribus fugiunt: vel de his pœnitentibus, qui alia delicta ab hæreſi diſtincta, vt homicidia, furta, & ſimilia committunt. Si primò modò: communis Doctorum ſententia eſt cum Eymerico *in par. 3. direct. q. 97.* & Pegna *ibid. comment.* 146 dictos reos pœnitentes, durante pœnitentiæ tempore, ad iuriſdictionem Inquiſitorum pertinere, & Inquiſitores procedere poſſe contra eos violantes pœnitentias, vel è carceribus fugientes. Quia malè videntur ſentire de fide, dum non adimplent id, ad quod ſe ſolemni iuramento obligarunt. Si ſecundò modò; Hoſtienſis *in ſumm. tit. de foro compet.* Auguſtinus Berous *in c. de his, extra de accuſation.* Antonius Butrius *in cap. 2. de for. compet.* & alij indiſtinctè aſſerunt hos publicè pœnitentes, etiam ſi laici ſint, ob alia delicta nec puniri, nec ad punitionem capi, nec ad ſecularem mitti poſſe, nec condemnari, etiam ciuiliter per Iudicem ſecularem: ſed remanère in omnibus ſub iuriſdictione Iudicis Eccleſiaſtici; ſicut & alias eccleſiaſticas perſonas. Sed alij Doctores contrariam ſententiam ſunt ſequuti, docentes hos pœnitentes indiſtinctè conueniri poſſe apud Iudicẽ ſecularem, tàm quoad criminalia, quã quoad ciuilia. Quia ſecundum communem iuris regulam, laici quoad ciuilia, & criminalia ſubſunt Iudicibus ſecularibus, & nunquam in iure ciuili, & Canonico ab hac regula publicè pœnitentes reperiuntur excepti. Et Inquiſitoribus prohibita eſt cognitio aliarum cauſarum, quæ hæreſim non ſapiunt, in *cap. Accuſatus, §. Sanè de hæreticis in 6.* Et ſi tales pœnitentes Inquiſitorum iudicio ſubderentur, ex delicto commodum reportarent. Quia conſequerentur priuilegium exemptionis à proprijs Iudicibus, quod familiares, & officiales inquiſitionis conſequuntur; & illis daretur occaſio delinquendi, dum viderent non eſſe ab Inquiſitoribus, ità ſeuerè puniendi pro ſuis exceſſibus, ac ſi proprijs Iudicibus ſubderentur. Ità docent Innocẽtius *in cap. Significantibus de officio delegati*, Panormitanus *in cap. 2. de foro competenti*, Couarruuias *cap. 34. pract. quæſt. nu. 3.* Symanchas *de cathol. inſtit. tit. 47. n. 19. & ſeq.* Royas *in ſingul. fidei ſingul. 98.* Pegna *vbi ſup. verſ. Cęterum*, Caſtro Palaus *par. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 12. §. 2. n. 10. in fin.*

Si plures Inquiſitores pro vna Prouincia eligantur, poteſt ne quilibet eorum independenter ab alio procedere cõtra ſortilegos, & alios hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos?

19 RESp. affirmatiuè: poſſunt enim ſimùl, & ſeparatim procedere,

re, prout illis magis expedire, viſum fuerit. Ità expreſsè habetur *in cap. Vt officium de hæreticis in 6.* his verbis: *Mandamus, quatenus vbique in præfata Prouincia, ſimùl, vel ſeparatìm, aut ſingulariter; prout negotij vtilitas ſuadebit, contra hæreticos, & eorum receptatores, fautores, & defenſores, necnon contra infamatos de hæreſi, vel ſuſpectos iuxtà ſanctiones Canonicas procedatis.* Et redditur ibi ratio: *Vt ſic officium Inquiſitionis efficacius impleatur; & liberius res fidei tractentur, & hæretici eorumque fautores pluribus Iudicibus comprimantur.* Sic etiam docent Eymericus *3. par. direct. qu.* 56. Pegna *ibi comment.* 95. Panormitanus *in cap. fin. de re iud.* Carrerius *tract. de hæreticis, n.* 94. *in fine*, Farinacius *quæſt.* 186. *nu.* 24. Molina *tract.* 5. *de iuſtit. diſp.* 28. *nu.* 9. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *dub.* 12. §. 2. *n.* 14. Aduertunt autem iſti Doctores, reum ab vno Inquiſitore punitum, ab alio puniri non poſſe: quia pro vno delicto vnica pœna debetur, & non iudicatur bis in idipſum.

Contra lamias, & ſortilegos, ac etiam contra alios hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, ad quid poteſt, vel non poteſt procedere Inquiſitor ſine Epiſcopo ordinario, vel Epiſcopus ordinarius ſine Inquiſitore?

20 RESp. extra Hiſpaniam poſſe Inquiſitores ſine Epiſcopis, & Epiſcopi ſine Inquiſitoribus, denũciationes contra huiuſmodi reos recipere, teſtes examinare, ipſos reos citare, capere, in carcerem detrudere, captos in compedibus ponere, & contra illos inquirere. Ità ex *cap. Multorum quærela de hæreticis in Clement.* Eymericus *in direct. 3. par. q.* 47. Pegna *comment.* 96. Farinacius *de hæret. q.* 186. *nu.* 56. Carena *par.* 1. *tit.* 4. §. 2. *n.* 8. & alij communiter. In Hiſpania autem, ſiuè ex Conſuetudine, ſiuè ex Priuilegio Sedis Apoſtolicæ, Inquiſitoribus hæc iuriſdictio cõceſſa eſt, priuatiuè quoad Epiſcopos, vt teſtantur Molina *lib.* 5. *de iuſt. diſp.* 28. *nu.* 13. & 14. Symanchas *lib.* 8. *cap.* 18. *q.* 8. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 13. *n.* 6.

21 Quando Inquiſitor, & Epiſcopus diuiſim procedunt, & diſtinctum formãt proceſſum, tenentur ſibi inuicem communicare proceſſus; vt ſic veritas melius eluceſcat, & ſententia ſine errore proferatur, vt ex *cap. Per hoc de hæreticis in 6.* Caſtro Palaus *ibid. n.* 7. Carena *n.* 7. Hæc autem communicatio non ſolùm eſt facienda quando procedendum eſt ad diffinitiuam ſententiam; ſed etiam quando vnus non poteſt commodè procedere, niſi viſo alterius proceſſu, & poſtulat ſibi oſtendi: tunc enim ſemèl in toto negotio copia tribuenda eſt: vt habetur in *extrauag.* 1. *de hæret.* inter communes, & notat Caſtro Palaus *ibid.* Eymericus *q.* 53. Pegna *commen.* 102. Thomas del Bene *par.* 2. *dub.* 195. *ſect.* 21.

22 Non poteſt autem Epiſcopus ſine Inquiſitore, neque Inquiſitor ſine Epiſcopo, vel eius Vicario, vel Delegato capitali Sede vacãte primò, reos torturæ ſubijcere. Ità ex *Clement.* 1. §. *Propter de hæreticis.* Vndè ſi Inquiſitor ſine Epiſcopo, vel Epiſcopus ſine Inquiſitore, reum torqueret, & ità reus tortus confeſſus fuerit, ipſa confeſſio ei minimè nocere debet; etiamſi fuerit ratificata: quia ipſo iure nulliter fuit data, & contra iuris ordinem. Ità Farinacius *de hæret. q.* 186. *nu.* 67. & *ſeq.* Michael Zanardus *in direct. Theol. par.* 2. *cap.* 6. *q.* 41. Vmbertus Locatus *in praxi inquiſit. verb. Tortura* 7. 8. & 9. Carena *vbi ſup. nu.* 9. Caſtro Palaus *nu.* 9. Diana *tom.* 5. *tr.* 11. *reſol.* 17. *ex par.* 4. *tr.* 6. *reſ.* 17. Vndè etiam in Hiſpania Inquiſitores ſimùl cum Epiſcopo ſententiam torturæ proferunt, & quando reus torquetur: cum Inquiſitoribus, etiam Epiſcopus, vel eius Procurator præſens aſſiſtit, vt habetur *in inſtruct. Hiſpal. ann.* 1484. & *in inſtruct. Toletana ann.* 1561. *n.* 48. Pegna etiam *par.* 3. *comment.* 39. *n.* 151. ait. Non modò ad pronunciandam tormenti ſententiã, inter-

interuenire debent Epiſcopus, & Inquiſitor, verum etiam ad executionem eius, niſi per infirmitatem, aut aliã iuſtã cauſam alter excuſaretur, quod vbique videtur obſeruandum. Nemo autem preſens eſſe debet cruciatui preter Iudices, tabelliones, atque tortores: vt docent Symancha *in Enchirid. cap.*52. *nu.*28. Suarez de Paz *in praxi tom.*1.*cap.*3.*par.*5.§.12.*n.*84. Villadiegus *in polit.cap.*3.*n.*325.

23 Secundò, neque poteſt Epiſcopus ſine Inquiſitore, nec Inquiſitor ſine Epiſcopo contra reum, ad diffinitiuam ſententiam deuenire, nec eum ad carcerem in pœnam ſui criminis damnare. Sic diſponitur *in Clement.* 1. *de hæreticis*, & docent Eymericus *q.*48. & ibi Pegna, Farinacius *q.* 186. *n.*56. *& ſeq.* Molina *diſp.*28.*n.*11. Sanctarellus *de hæreſi, cap.*40. *dub.* 2. Souſa *in aphoriſ. lib.*1.*cap.*3. Carena *par.*1.*tit.*4.§.2. *n.*9. Caſtro Palaus *dicta diſp.*8.*pun.*13.*n.*7. Ex qua prohibitione non ſequitur reũ incluſum in carcere non tuto, non poſſe in alium ſtrictum, & durum mutari. Quia tunc non ad penam, ſed ad debitam cuſtodiam mutatur. Ità Farinacius *n.*75. Molina *n.*13. Caſtro Palaus *n.* 8. & alij, Thomas del Bene *loc. cit. ſect.* 22. & alij.

24 Tertiò, neque poteſt Inquiſitor ſine Epiſcopi conſenſu, vel eo abſente ſine Vicarij conſenſu, vel è contra, priuare reum beneficijs, & dignitatibus Eccleſiaſticis, antea poſſeſſis. Quia talis priuatio eſt quædam rei condemnatio, & pœnæ impoſitio, quæ ex dicta *Clement.* 1. fieri non poteſt ab Inquiſitore ſolo: & expreſsè prohibetur *in cap. Vt commiſſi de hæreticis in* 6. vt ibi notant Gloſſa, Archidiaconus, Geminianus, & alij, quos citat, & ſequitur Farinacius *dicta q.*186.*n.*77. Symanchas *de catho. inſtitut.tit.*46.*rubr.de pœnis,n.*71. Zanchinus *tr.de hæret.c.*18.*n.*6. Caſtro Palaus *loc. cit. nu.* 10. Thomas del Bene *ſect.*24.

25 Quartò, neque poteſt Inquiſitor ſine Epiſcopo, vel è contra; ſuſpectum vehementer de hæreſi cogere, ad abiurandum: quia hæc abiuratio eſt ignominioſa delinquenti, eiuſque conſanguineis, illumque reddit morti obnoxium, ſi in crimen abiuratum, incidat, & conſequenter reputari debet grauiſſima pœna, ad quam reum condemnare, non licet Inquiſitori ſine Epiſcopo, nec Epiſcopo ſine Inquiſitore. Et quãuis abiuratio non ſit contra reum, qua parte per illam purgat ſuſpicionem hæreſis; eſt tamen contra illum, quatenus infamem, & pœnæ relapſi, ſubiectum reddit. Inſuper hæc abiuratio indicitur per ſententiam; qua reus declaratur hæreticum fuiſſe, & ex vi illius omnia bona cõfiſcantur, quæ omnia grauiſſimæ pœnæ ſunt. Et ideò non debent Inquiſitores ſine Epiſcopo, neque Epiſcopus ſine Inquiſitoribus ad illa procedere. Ità docent Farinacius pluribus relatis *q.*186. *n.*79. Azorius 1.*par.lib.*8.*cap.*18. *q.*16. Paramus *de orig.ſancta inquiſit.lib.*3.*q.*4.*rubr.de expedit.proceſſus in cauſis fidei, num.* 2. Molina *tr.*5.*diſp.*28. *n.* 16. Caſtro Palaus *vbi ſup. n.* 16. *&* 17. & Carena *par.*1.*tit.*4.§.2.*n.*13. ait: Certum eſſe, & vſu quotidiano receptum. Hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, non ſpõtè comparentẽ, minimè poſſe ad abiurationem admitti ſine Epiſcopo, & Inquiſitore. Et *n.*14. ſubdit cum Caſtro Palao. Neque ſpontè comparentibus poſſe abiurationem iniungi, niſi Epiſcopo, & Inquiſitore conuenientibus, vel ſibi viciſſim vices ſuas committentibus. Ità etiam docent Diana *to.*5. *tr.* 10.*reſ.*100.*ex par.*4.*tr.*8.*reſ.*49. Zanardus *in direct.Theol.par.*2. *cap.*6.*qu.*15. Farinacius *de hæreſi,q.*186. *n.*79.

26 Si verò de facto contingeret: Epiſcopum ſine Inquiſitore; aut Inquiſitorem ſine Epiſcopo, huiuſmodi reum ad abiurationem cogere. An ſic abiurans maneret ſubiectus pœnæ relapſi? Affirmat Pegna *par.*3.*direct.q.*47.*comment.*97.*verſ.Rurſus dico*, quia nullibi cautum eſt, hanc abiurationem factam coram ſolo Inquiſitore, vel Epiſcopo, nullam eſſe; etiamsi cautum ſit, fieri non debere coram vno ſolo. Contrarium

rium autem æſtimatur probabilius à Caſtro Palao *loc.cit.n.*18. Quia in dicta *Clement.*1. *de hæreticis*, §. *Duro*, poſtquam Pontifex dixerat, non poſſe Inquiſitorem abſque ordinario, vel è cōtra ad ſententiam contra reos procedere, concludit: *Non valebit, & ſi ſecus præſumptum fuerit, irritum ſit, & inane.* Ex quibus verbis ſequitur, quod hæc abiurationis ſententia non reddit reum obnoxium pœnæ relapſi, qui eſt effectus legitimæ abiurationis. Ità Caſtro Palaus, Thomas del Bene, *ſect.*27.

27 An autem Inquiſitores in cauſis lamiarum poſſint procedere ſoli. Pegna *in Lucerna Inquiſitorum, tr. de ſtrigis, fol.* 157. *verſ. Quod ſi quæras*, ait: Tutius quidem eſſe, ac decentius, vt Inquiſitores perindè in cauſis lamiarum, ac in cauſis hæreticorum procedant, & proceſſus conficiant requiſitis Diœceſanis, ſecundum iuris diſpoſitionem *in cap. Per hoc de hæreticis in 6. extrauag. Ex eo de hæreticis, & Clemen.* 1. *de hæret.* Nihilominus si ſoli velint procedere, id quidem facere poſſunt; & quod ſoli procedentes fecerint, ac decreuerint, siuè condemnando, siuè abſoluendo, id validum erit. Sicut conſtat ex *Conſtitut. Alexandri VI.* cuius verba ſunt.

ALEXANDER PAPA VI.

Dilecto filio Angelo de Verona Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Profeſſori, in Prouincia Lōbardiæ hæreticæ prauitatis Inquiſitori, & ſucceſſoribus ſuis. Dilecte fili ſalutem; & Apoſtolicam benedictionem.

CVm acceperimus, in Prouincia Lombardiæ diuerſas vtriuſque ſexus perſonas, diuerſis incātationibus, & diabolicis ſuperſtitionibus operam dare, ſuiſque veneficijs, & vanis obſeruationibus multa nefanda ſcelera procurare: homines, & iumenta, ac campos deſtruere, & diuerſos errores inducere, magnaque indè ſcandala exoriri. Decreuimus pro Paſtoralis officij, nobis ex alto commiſſi miniſterio, ſcelera huiuſmodi compeſcere, ac ſcandalis, & erroribus præmiſſis, quantum cum Deo poſſumus occurrere. Ea propter, tàm tibi, quàm etiam ſucceſſoribus tuis, per Lombardiam conſtitutis, de quibus in his, & alijs plenam in Domino fiduciam obtinemus, committimus, & mandamus; vt etiam ſoli, honeſto tamen comitatu per nos eligendo, aſſociati, contra eaſdem vtriuſque ſexus perſonas diligenter inquiratis, eaſque iuſtitia mediante, puniatis, & compeſcatis. Et vt melius commiſſionem huiuſmodi exequi poſſitis contra illas, vobis plenam, & omnimodam harum ſerie concedimus facultatem. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon indultis, & conceſſionibus ordinarijs forſan pro tempore factis, cæteriſque contrarijs quibuſcunq; non obſtantibus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris. Hanc etiam ſententiam ſuſtinet Diana *tom.*5. *tr.*10. *reſ.*110. *ex par.*4. *tr.*8. *reſol.*120. Carena *par.*2. *tit.*12. §. 19. *n.*170. Thomas del Bene *par.*2. *de off. inquiſ. dub.* 195. *ſect.*20. *n.*6.

Inquiſitor ſolus, uel ſolus Epiſcopus poteſt ne ſententiam abſolutoriam ferre?

28 REſp. quod communis opinio eſt affirmatiuà; quia *in c. Per hoc de hæreticis, & in Clement.* 1. ſolum prohibitum inuenitur Inquiſitori ferre ſententiā contra reos, ſinè Epiſcopo. Ergò tacitè inſinuat, ſi abſolutoria foret; conſenſum ordinarij non requiri. Ità docent pluribus relatis cum Gloſſa *in dicta Clement.* Eymericus *par.*3. *direct. q.*48. Pegna *ibi comment.*97. Iulius Clarus *practica criminali*, §. *Hæreſis, n.*5. *verſ. Sed quis in fin.* Farinacius *q.*186. *n.*60. Molina *de iuſtit. tr.*5. *diſp.*28. *n.*15. Carena *par.*1. *tit.*4. §. 2. *n.*10. Verum tutius eſt in praxi, vt vnus ſine altero, ad abſolutoriam ſententiam nō deueniant. Quia eadem ratio (ne aliquis

quis error in ſententia committatur) ità militat in abſoluendo reum, ac in eum condemnando. Ergò ne abſoluatur, qui fortè eſſet condemnandus, nullo modò licet Inquiſitori, ad abſolutoriam ſententiam procedere, inrequiſito Epiſcopo. Et quamuis textus de ſola ſententia condemnatoria expreſsè loquatur, tamen indirectè, & tacitè loquitur de qualibet ſententia ob communicationem, & examinationem proceſſus prærequiſitam antè ipſam ſententiam. Ità ſuſtinent Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.3.de abſolutionibus, n.9. & in Enchirid. viol.relig.tit. 51.de abſolut.n.2.* Royas *ſingul.* 27. *n.7.* Vmbertus Locatus *q.29.* Carrerius *tr. de hæreticis, nu.* 72. Zecchius *in ſumm. par.1.tit.de fide,cap.11. rubr. de hæreſi, n.14.* Azorius *par.1.lib.8.cap.18.q.16.* Caſtro Palaus *par.1.tr.4.diſp.8. punct. 43.n.29.in fine,* Carena *vbi ſup.* Farinacius *q.186. n.87.* vbi hanc ſententiam vocat tutiorem,æquiorem,& maturiorem. In Hiſpania verò vſu receptum eſt; vt Inquiſitores ſine Epiſcopo abſolutoriam ſententiam ferant, vt teſtantur Paramus *de orig.S.Inquiſ.lib.3.q.4. rubr.de expeditione proceſſus, n.1.in fine* Molina *diſp.28.n.15.*& alij.

Sunt ne aliqui caſus in quibus Epiſcopus ſine Inquiſitore, & Inquiſitor ſine Epiſcopo procedere poſſunt tàm ad torturam, quàm ad diffinitiuam ſententiam?

29 RESp. affirmatiuè, quando alter ipſorum eſt abſens à Diœceſi, vel intra octo dies non vult conuenire: vt ſtatuitur in dicta *Clement.* Ità Eymericus *3.par.q.49.*& ibi Pegna, Souſa *lib.1.cap.3.n.8.& 10.* Caſtro Palaus *n.11.& 12.* Carena *nu.15.* Quia antequam ad torturam, vel ad diffinitiuam ſententiam deueniatur tenetur vnus alterum requirere,vt proceſſum,ſeu proceſſus inter ſe communicent, & poſt requiſitionem requirens expectare debet requiſitum per octo dies, quibus elapſis ſi requiſitus non conueniat, vel ſubſtitutum, conſilium, vel aſſenſum mittat; tunc requirens ad expeditionẽ cauſæ poterit, procedere ſolus, vt in *Clement.1. de hæret. §.Propter,* Farinacius qui plures allegat *nu.98.* Carena *nu.16.*

Solus Epiſcopus, vel ſolus Inquiſitor poteſt ne mitigare, uel mutare pœnam delinquenti impoſitam in S. Officio?

30 RESp.id fieri poſſe cõſentiente Epiſcopo, & Inquiſitore: *Ex c. Vt commiſſi de hæreticis in 6.* Et ità fuiſſe mandatum ab Vrbano *VIII.* referũt Bariola *in aphor.lit.P. ver.Pœna,* §.15. Diana *tom.5.tr.12.reſ 37. nu.3.ex par. 4.tr.7.reſ.37.n.3.* Et ratio id poſtulat, nàm aliàs fruſtrà vtriuſque auctoritas in pœnarum impoſitione requireretur; ſi quilibet poſſet, illas pœnas immutare,& relaxare: et occaſio daretur fraudi; cùm quilibet conſentire poſſet cõdemnationi ſub prætextu, quod ſtatim eam reuocare, aut mutare poterit; nihilque in hac parte firmum eſſet. Ita Farinacius *q.186.n.76.*& quamplures, quos ipſe citat. In Hiſpania vero, ex ſpeciali priuilegio Summi Pontificis, ſolus Inquiſitor habet poteſtatem minuendi, & relaxandi pœnas his delinquentibus impoſitas, vt teſtatur Royas *ſingul.155.n.5.et par.2.de hæret.nu. 210.et n.282.* & Diana *loc.cit.* Thomas del Bene *par.2.dub.195.ſect.29.*

Si Epiſcopus, & Inquiſitor diſcordant in his, ad quæ ambo concurrere debent, quid eſt agendum?

31 RESp. conſulendum eſſe in tali caſu Summum Pontificem,vel cauſam ad Supremum Inquiſitionis Tribunal eſſe remittendam. Ità in *cap. Per hoc de hæret.in 6.* Quod ſernandũ eſt,non ſolùm in reum condemnando, vel abſoluendo; verum etiam quoties in alijs actibus, non ità grauibus, & arduis, Epiſcopus, & Inquiſitor reperiun-

riuntur diſſentientes. Ità Royas *tract. de hæret. par. 1. nu. 437.* Pegna *in direct. par. 3. comment. 99.* Locatus *in praxi Inquiſ. ver. Tortura, §. Sed pœna,* Molina *de iuſtit. tract. 5. diſp. 28. n. 14.* Farinacius *qu. 188.* Barboſa *in collect. tom. 3 lib. 5. tit. 2. c. 17. n. 15.* Thomas del Bene *par. 2. dub. 195. ſect. 30. n. 5.* Quia cum ex *Clementina* 1. non ſolum ad ſententiam diffinitiuam, ſed etiam ad interlocutoriam torturæ, vel carceris durioris in pœnam, ambo concurrere teneantur: conſequens eſt, quod ſi in aliquo ex his diſcordent, Epiſcopus, & Inquiſitor, talis etiam cauſa ad Summum Pontificem remittenda ſit, & ad Supremum Tribunal. In Hiſpaniarum verò locis ex ſpeciali Summi Pontificis priuilegio Inquiſitori Generali eiuſque ſenatui remittitur; vt prout eis videbitur executioni mandetur. Ità Symanchas *tit. 15. n. 5. & tit. 60. c. 10.*

32 Notat verò Pegna *loc. cit.* procurandum omninò eſſe, vt inter ſe conueniant Epiſcopus, & Inquiſitor. Quod facilè eueniet, ſi diligenter iuri dent operam; vt intelligant quid cuique caſui, & negotio, ſecundum regulam iuris, in tali cauſa conueniat. Nàm ex Iudicum diſcordià, ingentia ſolent oriri incommoda; vt ait Symanchas *tit. 34 n. 19.* Sed in hoc caſu præcipuum incommodum vergit in præiudicium reorum: qui non detinerentur tantò tempore in carceribus, ſi Iudices conſenſiſſent. Vndè grauiſſimè peccant, qui vel ob negligentiam ſtudendi, vel ob alias cauſas, præbent occaſionem; ne in ferendis ſentētijs inter ſe conueniant. Quarè niſi velint ex opere bono detrimentum reportare, diſcordiam fugiant; quàm euitabunt, ſi diligentiſſimè ſtuduerint. Cauſa fidei grauis eſt, & Iudices poſtulat diligentiſſimos.

Vicarius Generalis Sedis vacantis, eſtne Iudex ordinarius ſimùl cum Inquiſitore in cauſis Sancti Officij?

33 RESp. affirmatiuè, ex *cap. Ad abolend. de hæreticis*, & colligitur *ex Clement. 1. §. Propter de hæreticis*, & ità docent Symāchas *in cathol. inſtitut. tit. 25. n. 6.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 21. n. 13.* & alij, quos citat, & ſequitur Diana *tom. 5. tr. 10. reſ. 60. ex par. 4. tr. 8. reſ. 33.* Quia Capitulum Sede vacante ſtat loco Epiſcopi. Et ſicut in cauſis Sancti Officij Epiſcopus eſt cum Inquiſitore Iudex ordinarius: ità Vicarius ſpecialiter Sede vacante deputatus.

Inquiſitores poſſuntne per cenſuras compellere Iudices laicos negligētes exequi ſententiam latam contra ſortilegum hæreticum, vt eam executioni mandent?

34 RESp. affirmatiuè. Tum quia Iudices laici ſunt meri executores dictæ ſententiæ, & tenentur iuxta leges ſtatim hæreticum ad mortem damnare. Tum etiam quia iura iuriſdictionem Inquiſitoribus præbent, puniendi fautores hæreticorum. Iudices autem non punientes pœna mortis hæreticos, tanquam illorum fautores habentur. Ergò poſſunt Inquiſitores per cenſuras illos compellere; vt eorum ſententiam executioni mandent. Et tū etiam quia Alexander IV. in ſua *Conſtitut.* quæ incipit: *Ad euitandam*, tribuit pleniſſimam poteſtatem Inquiſitoribus, aduerſus magiſtratus negligētes, aut differentes ſententias latas in hæreticos. Et præcipitur in *cap. Vt inquiſitioni, §. Prohibemus de hæreticis in 6.* Et ità ſentiunt Eymericus *in direct. q. 36.* Pegna *par. 3. direct. comment. 85.* Cenedus *ad decret. collect. 55. n. 2.* Diana *tom. 5. tr. 10. reſ. 17. ex par. 1. tr. 2. reſol. 135. aliàs 134.* Bernardus Comenſis *in Lucerna, verb. Executio, §. 7. verſ. Immò Inquiſitor.*

35 Neque obſtat, quod ait Anguianus *tract. de legibus, lib. 3. controuer. 31. nu. 42.* Quod ſi Inquiſitores procedere poſſent aduerſus tales Iudices ſequeretur abſurdum, nempè quod incurrerent irregularitatem. Nàm reſpondetur

tur cum Pegna *loc.cit.* quod Inquiſitor in hoc caſu non præcipit Iudici Seculari, vt pœnam combuſtionis, aut mortis imponat. Sed ſub pœna excommunicationis iubet, ac præcipit: vel vt ſẽtentiam, à ſe latam, executioni mandet: qui modus præcipiendi continetur in reſcripto Alexandri IV. quod incipit: *Ad audientiam*, & Leonis X. quod incipit: *Honeſtis petentium votis*: Vel vt ſeruet Conſtitutiones, & leges contra hæreticos editas: qui modus præſcribitur ab Innocentio IV. *in extrauag. Ad extirpanda*, §. *Damnatos verò*. Et hi modi ſufficiunt, ad euitandam irregularitatem: vt ex *cap. Epiſcopus*, *Ne Clerici*, *vel Monaci in 6*. Ità etiam ſentiunt Cenedus *in pract. q.* 15. *n.* 5. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 12. *n.* 5. in Gloſſa *lit. D.* Auila *de cenſur. par.* 7. *diſp.* 5. *ſect.* 2. *dub.* 2. Medina *in ſumm. lib.* 1. *cap.* 11. §. 10. *reg.* 4. Sanctarellus *de hæreſ. cap.* 26. *dub.* 1. *n.* 8. Diana *vbi ſup.* Immò Petrus Lorca *in* 2. 2. *D. Thomæ*, *q.* 11. *art.* 4. *diſp.* 49. *n.* 9. ait: quod Paulus IV. & Pius V. motu proprio decreuerunt, tàm Inquiſitores, quàm quoſcunque miniſtros, & Conſultores ab omni irregularitate immunes eſſe, quomodocunq; ad condemnationem hæretici concurrant. Ideò nullo modò obſtat, quod in contrarium aſſerit Anguianus.

CAPVT XIII.

De obligatione denunciandi ſortilegum, & de hæreſi ſuſpectum.

Differt ne denunciator ab accuſatore?

1 RESp. affirmatiuè; quia accuſator tenetur probare crimen alteri impoſitum; & ſi illud non probet, plectendus eſt pœna talionis, ideſt eadem, quàm ipſe alteri per calumniam inferre intendebat; vt in *l. vlt. Cod. de accuſat. & in l. vlt. Cod. de calumniat.* & docet D. Thomas 2. 2. *q.* 68. *art.* 4. Denunciator autem non habet onus probandi crimen alterius, ſed ſolum illud aperiendi Iudici, vt ex officio ad vlteriorẽ inquiſitionem moueri poſſit. Ità Eymericus 3. *par. direct. de ſecundò modò procedendi in cauſa fidei per denunciationem*, *n.* 68. & ibi Pegna *comment.* 15. *verſ. His peractis*, Farinacius *de hæreſi*, *q.* 185. *n.* 71. & alij communiter. Notandum tamen, quod dicta pœna talionis, accuſatori impoſita, non eſt in vſu, etiamſi accuſator ad eam ſe ſcripto obligaret: ſed ſi per calumniam ad accuſandum acceſſerit, Iudicis arbitrio puniendus erit. Ità Pegna 3. *par. direct. comment.* 14. Farinacius *n.* 33. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 2. *nu.* 2. *&* 3. Souſa *in aphoriſm. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 4. Carena *par.* 3. *tit.* 1. §. 1. *nu.* 7. *& ſeq.* Thomas del Bene *de off. inquiſ. par.* 1. *dub.* 131. *petit.* 7. Notandum etiam, quod denunciator, quamuis probare non teneatur, quod contra alterum denunciauit: tamen ſi conuincatur falsò denunciaſſe, tanquam calumniator, arbitrio etiam Inquiſitoris puniendus eſt. Ità Symanchas *in cathol. inſtitut. tit.* 19. *rubr. de denunc. n.* 17. *& tit.* 64. *rubr. de teſtib. n.* 55. Pegna *comment.* 40. *verſ. Ad hæc*, Caſtro Palaus *pun.* 3. *nu.* 1. & alij. Quia ex ſola ipſa denunciatione ſi falſum deponat, grauiſſimè lędit denũciatũ, cũ aperiat viam Iudici inquirendi aduerſus illum. Et ideò puniri debet vt calumniator.

In quo differt denunciatio iudicialis, à denunciatione charitatiua, & regulari?

2 RESp. differre primò, quia denunciatio iuridica per ſe, ac directè procedit ex motiuo iuſtitiæ vindicatiuè, & fit ſuperiori, tanquam ad Iudicẽ. Finis verò denunciationis charitatiuæ eſt emendatio perſonæ delinquentis, & directè procedit ex motiuo charitatis, ad ſuperiorem, tanquam ad patrem. Secundò, quia iudicialiter denuncians, debet de iure communi nomen ſuum in denunciatione ſubſcribere, & poſteà vocatus coram Iudice tenetur, cõpa-

parere, vt veritatem teſtificet, & reus conuincatur. Denuncians autem denunciatione charitatiua non tenetur ſe ſubſcribere: immò Prælatus non poteſt illum manifeſtare, niſi neceſſitas poſtulet, ad finem correctionis obtinēdæ. Tertiò, in denunciatione iudiciali, quis debet indicia oſtendere: quia ſine ſufficientibus criminis indicijs nō poteſt Prælatus, ad aliquam rei punitionem procedere. In denunciatione autem charitatiua, quis non tenetur ſufficientia criminis indicia oſtendere; quia e.g. ſolus vidit, vel audiuit illius crimen. Quartò, quia denunciatio iudicialis directè tendit, vt reus per teſtes conuictus, vel confeſſus in publicam ſui notitiam, & pœnam deducatur. At in denunciatione charitatiua Prælatus non debet crimen rei occultum alijs manifeſtare; ſi ſolus illud emendare poterit: ſecus verò ſi non poterit: tunc enim manifeſtare debebit alteri, ac etiam duobus, & pluribus, ſi ad criminis emendationem neceſſe fuerit. Ità notat Thomas del Bene *de off. inquiſ. par.* 1. *dub.* 187. *petit.* 9.

Quoſnam maleficos, vel ſortilegos tenetur quis denunciare, & ſub qua pœna?

3 Reſp. teneri denunciare Epiſcopo, vel Inquiſitori, primò maleficū, & quemcumque ſortilegum hæreticū ſub pœna peccati mortalis, & excommunicationis, vt habetur in Bulla Gregorij *VIII.* quæ incipit: *Excommunicamus*, & Innocentij *IV.* quæ incipit: *Nouerit.* Quia crimen hæreſis, cùm tēdat in perniciem Reipublicæ, iure naturali quilibet tenetur illud denunciare: vt bono Reipublicæ ſuccurratur: vt notant Symanchas *tit.* 19. *de cathol. inſtit. n.* 5. Sanctarellus *tr. de hæreſi, c.* 9. *n.* 1. Genuenſis *in praxi Archiep. Neapol. cap.* 18. *n.* 1. Carena *par.* 2. *tit.* 9. §. 1. & alij communiter. Secundò, ſunt denunciandi ſortilegi, & omnes alij de hæreſi ſuſpecti: vt ex *l. Quicumque, Cod. de maleſ. & mathem.* vbi habetur: *Quicunque, maleficiorum labe pollutum, audierit, deprahenderit, occupauerit, illicò ad publicum pertrahat, & Iudicum oculis, communis hoſtem ſalutis oſtendat.* Et ità docent Farinacius *de hæreſi, q.* 197. *nu.* 35. Martinus del Rio *diſquiſ. magic. lib.* 5. *ſect.* 4. *verſ.* 6. Carena *vbi ſup.* §. 2. & alij, quos ipſe citat. Tertiò, etiam leuiter de hæreſi ſuſpecti ſunt Inquiſitoribus neceſſariò denunciandi. Quia quamuis Genuenſis *loc. cit. n.* 10. Lazarius *de blaſph. q.* 12. *n.* 32. Alphonſus à Caſtro *de iuſta hæret. punit. lib.* 2. *c.* 25. Sanctarellus *de hæreſ. cap.* 9. *dub. vnic. n.* 16. *verſ.* 4. opinentur: ſolos de hæreſi vehementer ſuſpectos eſſe denunciandos; non autem ſuſpectos leuiter. Tamen Carena *loc. cit.* §. 2. *n.* 8. teſtatur: Cōtrarium omninò tenendum eſſe, ſtantibus edictis Inquiſitorum, quę loquuntur generaliter, & ſine diſtinctione de ſuſpectis de hæreſi. Vndè etiam videntur generaliter, & ſine diſtinctione intelligenda. Maximè cùm ſuſpicio leuis, in hoc crimine habeatur pro legitima, ad effectum ſaltem cogendi taliter ſuſpectum, ad abiurandum de leui, iuxtà textum *in c. Accuſatus de hæret. in* 6. Et ità practicatur quotidiè in S. Officio: à qua praxi certè nefas eſſet recedere. Sic etiam docent Eymericus in *direct.* 2. *par. q.* 55. *n.* 9. *&* 10. & ibi Pegna *comment.* 80. *verſ. Et vbi quis, &* 3. *par. q.* 87. *comment.* 136. *verſ. Nec refert*, Symanehas *de cathol. inſtitut. tit.* 1. *de abiurat. n.* 18. *& ſeq.* Farinacius *q.* 187. *n.* 31. Decianus *tract. crimin. lib.* 5. *c.* 47. *n.* 2. Scaccia *de iudic. c.* 59. *nu.* 10. *&* 11. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 4. *punct.* 18. Tandem Alexander *VII.* die octauo Iulij 1660. in Bulla, quæ incipit: *Licet aliàs*, decreuit expreſsè: *Non ſolùm hæreticos, ſed de hæreſi quomodocunque etiam leuiter ſuſpectos eſſe denunciandos Inquiſitoribus, vel locorum ordinarijs. Et omnes contrafacientes Sanctitas ſua voluit, & declarauit ſubiacere omnibus cenſuris in conſtitutione Pauli V. die* 1. *Septembris* 1606. *emanata*, quæ incipit: *Romanus Pontifex expreſſis; Nec non priuationis quarumcunque dignitatum,*

tum, ſeu officiorum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad eadem ipſo facto, & abſque alia declaratione incurrendis, aliiſq; ſanctitatis ſuę, ac ſucceſſorum arbitrio infligendis pœnis; quarum relaxationem, ſuſpenſionẽ, abſolutionem, vel diſpenſationem ſibi ipſi, & ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus tantùm, expreſsè reſeruauit.

Tenetur ne quis denunciare maleficum, & quemcumque ſortilegum de hæreſi ſaltem ſuſpectum, ſi illius crimen probare non valet?

4 RESp. affirmatiuè. Nàm quamuis non deſint Doctores contrarium ſentientes, quos refert Diana *tom.5. tr.9. reſol. 1. ex par. 1. tr.4. reſ.1.* quia denunciator, *ex l. Diuus, & ex l. Ab accuſatore, ff. Senatus Conſult.* tenetur, ſuam denunciationem probare; quia vt obſeruat Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub.13. n.111.* quando crimen probari non poteſt, videtur peccari contra iuſtitiam ſi reueletur. Exponitur enim reus manifeſto periculo infamiæ. Tamen hæc opinio, vt notant Diana ibidem *reſ.2. n.10. ex par.7. tr.12. miſc.3. reſ.21. aliàs 19.* Trullenchus *in Decal. tom.1. lib.1. cap.2. dub.18. n.20.* Cardinalis de Lugo *de iuſt. tom.2. diſp.38. n. 24.* & alij, deſtruit Tribunal Sancti Officij, & eſt contra eius generaliſſimam, & communiſſimam praxim, vt probat Eymericus *in direct. inquiſ. par.3. rubr. de ſecundò modò procedendi in cauſa fidei per denunciationem n.68.* Tum quia ſimplex denunciatio ſufficit Inquiſitoribus, vt ipſi inquirere valeant delictũ, etſi denunciator probare illud non poſſit; quia per talem denunciationem, & forſan per aliàs denunciationes, & reuelationes, delictum probabitur, & de remedio prouidebitur. Tum etiam, quia vt obſeruat Carena *par.3. tit.1. §. 3. n.20.* denunciator in hoc Sacro Tribunali ex generaliſſima conſuetudine habetur pro teſte; ex quo ſequitur neceſſariò, quod denunciare tenetur, etiã ſi alios teſtes non poſſet adducere; nàm ideò ipſe pro teſte deſeruit, ad probandum crimen commiſſum, & eius officium non conſiſtit, in inquirendis alijs teſtibus, qui ſuam teſtificationem confirment: ſed vt purè, & ſincerè veritatẽ detegat, vt ex *l.3. §.1. ff. de teſtibus.* Et tum quia in Bullis Pij IV. & Gregorij XV. præcipitur: Confeſſarios ſollicitantes eſſe denunciandos, & tamen pœnitentes non poſſunt tale delictum probare. Ergò in caſibus pertinentibus ad Tribunal S. Officij denunciatio eſt facienda; etiam ſi denunciator crimen probare non poſſit. Et licet ex denunciatione ſequi poſſit ſortilegi, ſeu rei infamia, præponderat tamen publicà vtilitas; ne, dum vnius fama conſeruatur, nonnulli nocumentum ſentiant contra *cap. Sed illud, verſ. Quæ eſt iſta 45. diſt.* vbi dicitur: *Quæ eſt iſta bonitas, quæ iſta miſericordia? Vni parcere, & omnes in diſcrimen adducere?* Et ità ſuſtinent Barboſa *de poteſt. Epiſcop. par.3. alleg.96. n.51.* Peyrinus *tom.2. in Conſtitut.9. Pauli V. §.1. n.25.* Homobonus *de exam. Eccleſ. par.1. tr.7. cap. 2. q.14. & par.2. tr.11. cap.4. q.4. reſ.4.* Zanardus *in direct. confeſſ. par.3. c.31.* Naldus *in ſumma verb. Hæreſis, n.6.* & alij quamplures, quos citat, & ſequitur Diana *tom.5. tr.9. reſ.1. n.3. ex par.1. tr.4. reſ. 1.* Deniquè Alexander VII. damnauit die 24. Septẽbris inter aliàs propoſitiones iſtam: *Quamuis euidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum non teneris denunciare ſi probare non poſſis.* Ergò etiam ſi crimen probari nõ poteſt, illud committens omninò denunciandus eſt.

Huiuſmodi denunciatio fieri ne debet abſque præuia correctione fraterna?

5 RESp. quod denunciatio, ſicut ſupra dictum eſt, alia eſt charitatiua, regularis, & Euangelica, quæ intendit tantum emendationem delinquentis: alia eſt iudicialis, quæ delinquentis punitionem intendit. Si loquamur de charitatiua denunciatione, ſi firmiter ſpe-

ſperatur emendatio delinquentis, præmittenda eſt correptio. Quia præceptum correptionis fraternæ obligat iure naturali, & diuino; quando ſperatur emendatio, vt notant Fagundez *de pręcept. Eccleſ. tr. 2. lib. 4. cap. 3. n. 31.* Peyrinus *tom. 2. in Conſtitut. 4. Gregorij XV. §. 9. n. 26. & in Conſtitut. 9. Pauli V. §. 2. n. 26. & 27.* & alij. Si verò loquamur de denunciatione iudiciali, quæ fieri debet Inquiſitoribus; Alexander VII. in ſua *Conſtitut.* edita die 8. Iulij 1660. quæ incipit: *Licet aliàs*, declarauit: *Etiamſi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmiſſa fuerit, omninò teneri, & obligatos eſſe accedere ad denũciandum Ordinarijs, vel Inquiſitoribus locorum quoſcunque, etiam Confratres, ac Superiores, etiam primarios ſuos eiuſdem Ordinis, & Religionis, quos nouerint eſſe de fide quomodolibet, etiam leuiter ſuſpectos. Ac propterea eoſdem debere omnes, et quoſcunque etiam alios à ſe conſilium, vt ſuprà petentes, monere, et obligare ad denunciandum, nec poſſe illos à denunciando ſub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quouis prætextu retrahere, aut retardare. Et prædictos omnes, tàm Superiores, quàm ſubditos contrafacientes, ſanctitas ſua voluit, et declarauit ſubiacere omnibus cenſuris in dicta Conſtitut. Pauli V. expreſſis, necnon priuationis quarumcunque dignitarum, ſeu Prælaturarum, ſeu officiorum ſuorũ Ordinum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem ipſo facto, & abſque vlla declaratione incurrendis, alijſque Sanctitatis ſuæ, ac ſucceſſorum arbitrio infligendis pœnis, quarum relaxationem, ſuſpenſionem, abſolutionem, vel diſpenſationem, Sanctitas ſua ſibi ipſi, & ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus tantùm, expreſsè reſeruauit.*

6 Notandum, quod his verbis non pręcipitur correctionẽ non fieri, ſed quod quamuis ſit facta, non ob id denunciatio omittatur, quia ſic expedit bono Religionis, & communi. Et finis præcipuus huius denunciationis iudicialis non eſt ſola emenda fratris, ſed etiam publica correctio, & ſecuritas aliorũ fidelium; ad quem finem ſecreta monitio nunquam eſt medium ſufficiens. Quem enim non terrent fulmina excommunicationis aliarumque pœnarum, quibus Eccleſia iuſtiſſimè ſæuire videtur in hos delinquentes, quonam modo exiſtimanda eſt pro futura priuati hominis occulta correctio? illam vtique irridebit, qui totam contemnit Eccleſiam. Nulla igitur præmiſſa correctione parendum erit Summi Pontificis præcepto, & omnes ſortilegi de hæreſi etiam leuiter ſuſpecti, ſunt ſacro Inquiſitionis Tribunali, denunciandi.

Sortilegus, vel quilibet de hæreſi ſuſpectus ſi credatur emendatus eſt ne denunciandus?

7 RESp. nonnullos Doctores docere non eſſe denunciandum, quia finis denunciationis eſt emendatio proximi. Ergò ſi ſortilegus, vel quilibet de hæreſi ſuſpectus, iàm ſit emendatus, ceſſat obligatio illum denunciandi.Ità ſentiunt Sotus *lib. 3. q. 5. art. 5.* Molfeſius *in ſumma tom. 1. tr. 7. c. 24. nu. 21.* Genuenſis *in praxi, c. 18. n. 6.* Naldus *in ſumma, verb. Accuſare, n. 1.* Finellius *de caſib. reſeru. caſu 2. n. 8. in fine*, Zanardus *in director. confeſſ. par. 3. c. 31.* Freitas *de confeſſ. ſollicit. q. 3. n. 34.* Megala *1. par. lib. 1. cap. 5. n. 26.* Portellus *in addit. ad dubia regul. verb. Sollicitare fœminas*, Peyrinus *tom. 2. in Conſtitut. 4. Gregorij XV. §. 6. n. 31.* Souſa *de confeſſ. ſollicit. tr. 2. cap. 6. concluſ. 4. n. 16.* Lezana *qq. regul. cap. 19. n. 34.* Caſtro Palaus *tr. 4. diſp. 9. punct. 10. n. 1.* & alij.

8 Limitat dictam ſententiam primò Fagundez *in 2. præcept. Eccleſ. lib. 6. cap. 4. n. 16.* Si crimen ſit emendatum, & fuit occultum, & nulla illius præceſſit infamia, neque recidiuum prudentis arbitrio, timeri poſſit, non eſſe Inquiſitoribus denunciandum. Secus verò ſi fuerit publicum, aut præceſſit infamia, & *n. 17.* ait: ſi crimen fuit publicum, aut præceſſit illius infamia; & emendatio etiam eſt publica, & alijs nota, tunc neque

que eſſet crimen publicum denunciandum. Quia ſatis purgata eſt infamia per publicam emendationem.

9 Limitat ſecundò Toletus *in ſumm. lib.5.cap.57.n.2.* dicens. Cognouiſti aliquem in hæreſim fuiſſe prolapſum: ſcis tamen illum, iàm omninò pœnituiſſe, & ab hæreſi diſceſſiſſe, non teneris illum accuſare, vel denunciare, niſi ſolum cùm à Iudice interrogatus fueris iuridicè, tunc enim, vt teſtis, teneris verum reſpondere; ſi criminis illius præceſſit infamia, vel probatio aliqua in iudicio. Secus autem ſi crimen ſit omninò occultum, & emendatum, tunc non teneris dicere; quia Iudex non iuridicè procedit.

10 Limitat tertiò Caſtro Palaus *par. 1. tr.4.diſp.9.pun.10.n.1.* Hoc eſſe intelligendum; quando ex mandato Inquiſitorum aliud non conſtat. Ipſi enim ad punitionem delicti commiſſi, & in aliorum exemplum, & coercionem imperare poſſunt, vt delicta iàm emendata ſibi manifeſtentur. Tunc enim ſcientes obligati eſſent, delinquentem etiã emendatum denunciare. Et ità etiam docent Sanctarellus *de hæreſi, c.9.n.11.* Sancius *in ſelectis, diſp.11.n.52.* Suarez *tr. de fide, diſp.40.ſec.4.n.13.* Azorius *p. 1.lib.8.c.19.q.9.* Bonacina *tr. var. diſp. 6.pun.3.n.9.& pun.2.n.3.* Salonius 2.2. *q.68.art.1.de edictis ſuper. regul.3.* Paramus *de orig.inquiſ.lib.3.q.8. n.90.* & alij. Quia denunciatio, & inquiſitio cõtra huiuſmodi delinquentes iudicialiter fieri debet, nec ſolum inſtituitur, ad emendationem delinquentis, ſed etiam ad pœnam, vt tàm ipſe, quàm cæteri metu pœnæ à tali crimine in futurum retrahantur, vt probatum eſt etiam ſuprà *par.1.c.8.n.3.& ſeq.*

Quandonam rationabiliter cẽſeri poteſt delinquentem huiuſmodi eſſe emendatum, itaut ceſſet obligatio, illum Inquiſitoribus denunciandi?

11 RESp. quod vel loquimur de ſortilego hæretico formali, vel de ſuſpecto tantum de hæreſi. Si de formali hæretico, difficillimè æſtimari poteſt verè emendatum. Semper enim iuſtè, & rationabiliter dubitare poſſumus, an re vera ſit emendatus. Et ideò quamuis emendatus videatur, denunciandus ſemper eſt Inquiſitoribus, vel locorum ordinarijs, vt dictum eſt *par. 1.dicto cap.8.n.3.* Sunt namquè hæretici admodum ſubdoli, vt conceptam hęreſim difficillimè verè deteſtentur, ac deſerant. Si verò loquimur de his, qui ſunt de hæreſi tantum ſuſpecti. Ad cognoſcendum, quando quis cenſeatur emendatus; Felinus in *cap. Teſtimoniũ de teſtibus*; exiſtimat confeſſionem ſacramentalem probare aliquem eſſe emendatum; & Genuenſis in *praxi*, *c. 18. nu. 6.* putat, quod poſſit præſumi emendatum, ſi talis deliquens conſequutus fuit Iubilæum. Sed ſi hæ opiniones eſſent in praxi admittendæ, ferè nunquam ſages, & ſortilegi, vel alij de hæreſi ſuſpecti, eſſent denunciandi cõtra commune bonum, non ſolùm Reipublicæ, ſed Religionis. Ideò Homobonus *de exam.Eccleſ.par.1.tr.7.q.33.* Freitas *in addit.ad tr.de confeſſ.ſollicit. q.18.n.32.* Ricciùs *par.2.deciſ.159.nu. 14.* Sancius *in ſelectis, diſp.11. num.15.* Diana *to.5.tr.9.reſ.7.ex par.4.tr.5. reſ. 23.* docent, quòd ſi multi ſint anni elapſi poſt commiſſum crimen, & credatur, veriſimiliter delinquentem eſſe emendatum, non erit ipſe denunciãdus: quia pia conditio humana hoc pati videtur; vt poſt longum tempus admiſſi criminis, non deferatur delinquens ad punitionis Tribunal; ſed præſumatur emendationem iàm eſſe conſequutam. Communis autem iſtorum, & aliorum Doctorum ſententia tres annos exigit ad emendationem delinquentis præſumendam. Aliqui verò docet, vt notat Diana *to.5.tr.9.reſ.6.ex par.1.tr.4.reſ. 3.* hoc tempus arbitrio boni viri remittendum eſſe, qui conſiderata qualitate perſonæ, totum iudicabit cum prudentia, & maturitate. Quia difficilè eſt cognoſcere emendationem huiuſmodi perſonarum. Et ità notauit etiam Freitas *loc.cit.n.39.*

In dubio an delinquens ſit emendatus, vel recidiuus, eſt ne omninò denunciandus?

12 RESp. affirmatiuè; maximè ſi crimen eſt alijs nociuum; vt ſunt maleficia ſuperſtitioſa: quia multi emendationem fingunt, ne denuncientur, cùm re vera emendati non ſint. In tali enim dubio tutior eſt illa pars eligenda, quæ præcipit, denunciari delinquentes. Nàm ſi dubia eſt emendatio, dubium etiam eſt proximi damnum, & nocumentum. In dubio autem magis conſulendum eſt bono publico, vel bono innocentis, quàm bono priuati, & nocentis: cùm in dubio melior ſit conditio innocentis, quàm delinquentis: vt optimè docent Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. à n. 186. vſque ad* 190. Aldretus *lib. 1. de relig. diſcip. cap.* 5. §. 4. *n.* 40. Sayrus *lib.* 11. *c.* 4. *n.* 5. Fagundez *in* 2. *Eccleſ. præcep. lib.* 6. *c.* 4. *n.* 17. Diana *to.* 5. *tr.* 9. *reſol.* 8. *ex par.* 4. *tr.* 3. *reſol.* 61. & alij.

Tenetur ne filius denunciare patrem, vel matrem, & pater, & mater filium, & vxor virum, & vir vxorem, & frater fratrem de commiſſo maleficio, & de hæreſi ſuſpicionem?

13 RESp. huic quæſito reſponſum eſſe *par.* 1. *cap.* 8. *n.* 16. *& ſeq.* ibi enim probatum eſt, quod ſi loquamur de malefico, vel ſortilego hæretico, tenetur filius denunciare patrem, ac matrem, & pater, ac mater filium, & vxor virum, & vir vxorem, & eò magis tenentur fratres, & ſorores inter ſe: quia quilibet magis obligatur Deo, quàm cuilibet homini: Cauſa autem fidei dicitur cauſa Dei. Et quàm ſit graue, crimen hæreſis, vnuſquiſque agnoſcit. Ibi etiam *n.* 22. probatum eſt quid dicendum ſit de ſuſpectis tantum de hęreſi. Quoad huiuſmodi maleficos, & ſortilegos, Petrus Binsfeld *de confeſſ. maleſ. membr.* 2. Homobonus de Bonis *tom.* 1. *tr.* 7. *in* 1. *Decal. præcep. Eccleſ. q.* 16. probant filios teneri denunciare parentem maleficum, & parentes filios. Et ità in praxi ſeruari teſtatur Diana *tom.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 11. *in fine, ex par.* 1. *tr.* 4. *reſ.* 6.

Excuſatur ne quis à dicta denunciatione ob metum damni proprij, vel alterius ſanguine coniuncti, aut amici?

14 RESp. affirmatiuè, ſi metus ſit cadens in conſtantem virum, cũ probabili periculo mortis, vel infamię, vel alterius damni grauis proprij. Quia ſecundum communem ſentẽtiam, metus cadens in conſtantem virum excuſat ab obſeruatione legis poſitiuæ, & humanæ: vt docent D. Thomas 2. 2. *q.* 147. *ar.* 3. *ad* 2. Sotus *lib.* 7. *de iuſt. q.* 2. *ar.* 1. *ad* 2. Syluester *verb. Metus, qu.* 7. Sanctarellus *in tr. de hæreſi, cap.* 9. *n.* 16. Homobonus *de caſib. reſeru. par.* 2. *n.* 1. Peyrinus *tom.* 2. *in Conſtitut.* 4. *Gregorij XV.* §. 9. *n.* 28. Diana *to.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 12. *ex par.* 1. *tr.* 4. *reſ.* 7. & alij.

15 Idem dicendum, ſi quis non ſuum graue damnum, ſed filiorum timeret: quia pater, & filij cenſentur vna perſona, *l. vlt. Cod. de impuber, & alijs ſubſtitut.* & ſimiliter ſi filius timeret graue damnum patris, vel matris, ob eandem rationem; vt expreſsè docent Hoſtienſis *in cap. cum bonum de ſponſalibus*, & ibi Innocentius *nu.* 1. Antonius *nu.* 10. Ioannes Andreas *n.* 2. Ancharanus *nu.* 10. Sanchez *de matrim. lib.* 4. *diſp.* 4. *n.* 5. & alij, quos ipſe citat. Idem dicendum si vxor timeret graue damnum ſui viri, vel vir ſuæ vxoris: quia vir, & vxor ſunt vna caro. Ità D. Thomas in 4. *diſt.* 29. *q. vnica, art.* 2. *ad* 2. D. Antoninus 3. *par. tit.* 1. *cap.* 7. & alij apud Sanchez *ibid. n.* 3. ac etiam Diana *tom.* 5. *tr.* 9. *reſol.* 12. *ex par.* 1. *tr.* 4. *reſol.* 7. Idem dicẽdum si timeatur graue damnum fratris, vel alterius conſanguinei: quia eſt à natura insitus intenſus amor inter fratres, & conſanguineos, tanquam ex eodem ſanguine deriuatos: vt probant

San-

Sanchez *ibid.nu.*8. Idem dicendum ſi timeatur graue damnum perſonæ affinis ex matrimonio: quia huiuſmodi affines ſunt veluti proprij conſanguinei; cùm ſint conſanguinei alterius coniugis, & coniuges ſint veluti vna caro. Ità Præpoſitus *in cap. fin. de appellat.* Menochius *de arbitr. lib.*2.*centur.*2.*caſu* 135. *n.*18. Sanchez *n.* 11. Idem dicendum ſi malum graue eſſet comminatum alicui arctiſſimo vinculo amicitiæ coniuncto: quia Amicus, vt ait *Ariſt.lib.*9.*Eth.c.*4.eſt alter ego,& D. Auguſtinus *lib.*4.*confeſſ. cap.*6. & Oratius *lib.*1. *Oda* 3. vocant Amicum dimidiũ animæ amici,& idem Ariſt.2. *Rethor.c.* 4.ait, amicos eſſe animum vnum in corporibus duobus habitantem.

16 Tandem excuſatur à denunciatione, qui timet probabiliter honoris iacturam, vel infamiam iuris, aut facti, cui non facilè occurri poſſit. Quia grauior eſt iactura honoris ipſa morte: & timor infamię ęquiparatur metui mortis, *l. Iuſta, ff. de manumiſſis vind.* Ità Sanchez *loc.cit.diſp.*5.*nu.*11. Acunha *q.*19. *n.*9.& 10. Peyrinus *tom.* 2. *in* 4. *Conſtitut.Greg.XV.*§.8.*aliàs* 9.*n.*29. & 30. Cauendum verò eſt,ne trepidetur timore,vbi timor non eſt: et ſuadendũ non eſt alicui eſſe inhoneſtum comparere coram Inquisitoribus pro catholicæ fidei defensione,ad denunciandum tales ſupradictos delinquentes.

Tenetur ne quis denunciare perſonas de hæreſi ſuſpectas, quæ ſunt exẽptæ à iuriſdictione Inquiſitorum,& Epiſcoporum,ſi illas Summo Pontifici denunciare non poſſit?

17 RESp.certum eſſe, nonnullas perſonas à iuriſdictione Inquiſitorum,& Epiſcoporum eſſe exemptas: nempè Archiepiſcopos, Cardinales, Patriarchas,Nũtios Apoſtolicos,& Epiſcopos, etiam titulares: vt tradunt Suarez *diſp.*4.*ſect.*4.*de fide*,*n.*25. Molina *tom.*5.*de iuſtit.tract.*5.*diſp.*27.*n.*19. Symanchas *de cathol.inſtitut. tit.*25.*nu.* 11. & 12. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.*3.*punct.*4. *nu.*18.& *ſeq.*& habetur expreſsè *in cap.Inquiſitores de hæreticis in* 6. Ac etiam eſſe à dicta iuriſdictione exemptos omnes officiales Papæ, quorum officium circa negotia Sedis Apoſtolicæ verſatur; vt notant Eymericus *in direct.p.*3. *quæſt.* 26. & ibi Pegna *comment.* 75. ex Bulla Ioannis XXII. Si ergò iſtorum exemptorum aliquis ſit hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus,quamuis à locorum ordinarijs, & ab Inquiſitoribus iudicari non poſſit; Tamen eſt ipſis denunciandus; ac ſi ab ipſorum iuriſdictione exemptus non eſſet: ità docent Suarez *loc.cit.n.* 23.Caſtro Palaus *ibid.n.*20. Tum quia talis denũciatio eſt remedium efficax, ad impediendum damnum, quod ab hæreſi prouenire poteſt. Tum quia ipſi remittent denunciationem ad Sedem Apoſtolicam, quæ ſi firma ei videatur,vices alicui committit, inquirendi, & procedendi contra delinquentem exemptum. Et tum etiam, quia Inquiſitores, & locorum ordinarij, poteſtatẽ habent,recipiendi depoſitionem teſtiũ, ſi qui ſint,qui velint deponere;vt colligitur ex *cap. Inquiſitores de hæreticis in* 6. Ergò denuncians ſaltem vicem teſtis ſubire poteſt, denunciando delictũ exempti; & ideò eſt obligatus denunciare: quia Inquiſitor, vel loci ordinarius ex denunciatione, cauſam inchoare poteſt, etiam ſi illam non poſſit terminare.

Sciens ſub ſigillo ſecreti, aliquem eſſe magum,vel ſortilegum, vel quouis modo ſuſpectum de hæreſi, tenetur ne illum denunciare?

18 RESp. quod vel loquimur de ſigillo confeſſionis ſacramentalis, vel de ſecreto naturali. Differunt enim huiuſmodi ſecreta. Nàm ſecretũ naturale, cum reſpiciat bonum proximi,in multis caſibus, in quibus ſecretũ vergit in proximi detrimentum temporale,vel ſpirituale, vel in damnum publicum, & commune, non obligat.

Lex enim naturalis dictat, vt ſicut nolumus ab alijs noceri, ità nec alijs noceamus. Sigillum autem confeſſionis fortius obligat: nàm eius obligatio eſt à Deo, non ſolùm, vt auctor naturæ, ſed vt auctor gratiæ per ſacramentum confeſſionis. Et ideò ne fiat iniuria ſacramento, ità obligat, vt in nullo caſu, nec etiam pro tuenda fide totius orbis, licitum eſt, reuelare ſecretum confeſſionis ſacramentalis: vt docent D. Thomas *in 4. diſt. 21. q. 3. ar. 1.* Sotus *in 4. diſt. 18. q. 4. ar. 5.* Alenſis *4. par. q. 19. nu. 2. & q. 78. per totam,* Scotus *in 4. diſt. 21. q. 2. ad 2.* Suarez *de fide, diſp. 20. ſec. 4. n. 16. & to. 4. de pœnit. diſp. 33. ſect. 1.* Nauarrus *cap. 8. n. 2.* Henriquez *lib. 3. de pœnit. cap. 19. à n. 3.* Fagundez *in 2. præcept. Eccleſ. lib. 6. cap. 1. nu. 5.* Diana *to. 1. tr. 8. reſ. 1. ex par. 5. tr. 11. reſ. 1.* & alij communiter. Et conſequenter Confeſſarius, ſciens in confeſſione ſacramentali, aliquem fuiſſe hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, nunquam tenetur, immò nec poteſt illum denunciare: vt expreſsè probat Carena *par. 2. tit. 9. §. 5 n. 20.* Symanchas *de cathol. inſtit. tit. 42 n. 14. & in rubr. de abſolut. tit. 3. n. 5.* Farinacius *de hæreſi, q. 197. n. 48.* & alij omnes. Quia fieret iniuria ſacramento, fieret enim odioſum pœnitentibus, qui iuſtè ab eo detraherentur. Ac etiã, quia obligatio ſeruandi hoc ſigillum, eſt præceptum diuinum connaturale ipſi ſacramento. Ergò ſicut poſito præcepto percipiendi hoc ſacramentum cum debita diſpoſitione, in nullo vitæ caſu licitum eſt, indignè illud ſuſcipere: ità in nullo vitæ caſu licitum eſt frangere præceptum ſigilli confeſſionis.

19 Notànt autem Genuenſis *in praxi Archiep. Neap. cap. 18. n. 16.* & alij, quos ipſe citat, ac etiam Carena *n. 21.* Si aliquis hæreticus accederet ad Confeſſarium, non animo confitendi peccata, ſed illum peruertendi, & inducendi ad hæreſim, tunc talis Confeſſarius teneretur hunc hæreticum denunciare: quia hic modus confitendi non eſt ſacramentalis confeſſio, ſed occultus modus dogmatizandi.

20 Si verò loquamur de ſigillo, & ſecreto naturali, dicendum eſt, magum, ſeu ſortilegum, ſeu quouis modo hæreticum, vel de hæresi ſuſpectum, eſſe omninò denunciandum, etiam ab eo, qui eius hæresim, vel hæreſis ſuſpicionẽ ſciat ſub magno ſecreto. Ità Suarez *de fide, diſp. 20. ſect. 4. n. 17.* Pegna *par. 2. comment. 18.* Farinacius *de hæreſi, qu. 197. n. 50.* Freitas *in addit. ad tract. de Confeſſ. ſollicit. q. 21. n. 26.* Royas *ſingul. 3. n. 23. & ſeq.* Lazarius *de monitor. teſt. 2. q. 16. n. 6.* Bonacina *diſp. 2. q. 6. punct. 1. n. 7. & 23.* Barboſa *3. par. allegat. 96. n. 69.* Diana *to. 5. tr. 9. reſ. 66. ex par. 1. tr. 4. reſ. 24.* & alibi, Thomas del Bene *de off. inquiſ. par. 1. dubit. 23. n. 1.* Caſtro Palaus *par. 1. tr. 4. diſp. 9. punct. 10. n. 5.* Quia vt docet D. Thomas *2. 2. q. 70. ar. 2.* quilibet quæ ſibi ſub ſecreto commiſſa ſunt, si vergant in damnum publicum, vel etiam innocentis particularis, tenetur illa reuelare. Sed omnis magus, ſeu ſortilegus, siuè ſit hæreticus, siuè de hæresi ſuſpectus, quamplurimum vergit in damnum publicũ, & priuatum. Ergò quamuis eius crimen ſub ſecreto naturali aliquis ſciat, tenetur illud denunciare: quia ſecretũ naturale, vt ſupra dictum eſt, non obligat, quando ex eo ſequitur damnum proximi ſpirituale, vel temporale. Confirmatur, quia in dicto caſu agitur de malo grauiſſimo delinquentis, & de conſulendo communi aliorum bono. Ergò lex, quæ talem denunciationem præcipit, tanquam fortior, & maioris momenti, præferenda eſt legi, de ſeruãdo ſecreto naturali.

Qui cum iuramento promiſit ſeruare huius criminis ſecretum, tenetur ne illud denunciare?

21 RESP. affirmatiuè: ex textu *in cap. Non eſt obligatorium de regul. iur. in 6.* quia non poteſt aliquis ſe obligare ad ſeruandum ſecretum in detrimentum fidei, & boni communis, cùm talis obligatio ſit de re illicita, & contra ius naturale; & ideò iuramentũ de

de non reuelando huiuſmodi crimen eſt illicitum, & nullum, nec iurantem excuſat à denunciando. Confirmatur, quia ſi hoc iuramentum eſſet validum, & ſeruandum; præceptum de manifeſtando hæreticum, & quemcumque de hæreſi ſuſpectum, eſſet omninò inutile: cùm quilibet poſſet alteri ſub iuramento ſecreti, ſuum crimen detegere, & docere; certus, quod nunquam denunciabitur. Ità ſuſtinent Pegna *in direct.2.par.comment.*18. Suarez *de fide, diſp.*20.*ſect.*4.*n.*16.*&* 17. & alij ſupradicti Doctores cum Diana *to.*5. *tr.* 9.*reſ.*68. *nu.*2.*ex par.*9. *tr.*8. *miſcell.*3. *reſ.*46.

Qui crimen ſortilegi, vel alterius de hæreſi ſuſpecti nouit ex conſultatione ſecreta, extrà confeſſionem ſacramentalem, ſed ordinata ad ipſam confeſſionem, tenetur ne illũ denunciare?

22 RESp. negatiuè, ſi dicta conſultatio verè ſit ordinata, ad intelligendam veritatem, & cauendum peccatum, vel ad alium bonum finem. Quia quamuis non inducat obligationem ſigilli confeſſionis, cùm talis conſultatio non ſit ſacramentalis confeſſio: Tamen vt docent Suarez *to.*4. *de relig.tr.*10.*lib.*6.*c.*10.*n.*28. *&* 29. Sanchez *in Decal.lib.*6.*c.*18.*nu.*57. Caſtro Palaus *par.*3.*tr.*16. *diſp.*5. *pun.*7.*n.*11. eſt quaſi ſigillum confeſſionis ſeruandum, & rarò, vel nunquam hoc crimen per conſultationem ſcitum, eſt denunciandum. Ità dicti Doctores, ac etiam Thomas del Bene *de off. inquiſ. par.* 2. *dub.*198.*ſect.*25.*petit.*2.*nu.*2. Pellizzarius *tom.*1.*tr.*4.*c.*5.*ſect.*5.*ſubſect.*5.*nu.* 289. Quia cum conſultatio ſecreta ex natura rei ſit ſummè neceſſaria ad bonum animarum; quod bonum omnibus alijs eſt præferendum: ideòque ne reddatur nimis onerosa: ad bonum generis humani ſpectat, vt eius ſecretum conſeruetur. Ergò obligatio ſecreti, tali conſultationi debita, quamuis non obliget in omni caſu, & ſine vlla exceptione, ſicut obligat ſigillum confeſſionis ſacramentalis; regulariter ſeruandũ eſt; & dum quis pœnitentia ductus, ſe alicui detegit, gratia petendi conſilij, vt animæ ſuæ bono conſulat; nullatenus poteſt denunciari. Confirmatur, quia huiuſmodi detectio ordinatur ad confeſſionem ſacramentalem. Et ſicut dum quis ſcribit peccata ſua, vt ea fateatur, inueniens hanc cartam deperditam, tenetur, præciſa obligatione ſigilli, quaſi ſacramentalis, peccata tegere, eò quòd ſcriptio illa ad confeſſionem ſacramentalem ordinatur: ità in prædicto caſu conſultatio, dum ordinatur ad confeſſionem ſacramentalẽ, eſt omninò tegenda, & nunquam crimen detectum denunciandum. Dixi rarò, quia ſi delictum, ſub eo ſecreto commiſſum, vergeret in damnum communitatis futurum, tunc eſſet denunciandum: quia ad auertendum damnũ futurum, neceſſaria eſt denunciatio, nè ſequatur. Ità ſupradicti Doctores *locis citatis.*

Aduocatus, vel Medicus, vel quilibet vir doctus, aut valdè amicus, cui delinquens ſuum delictum ſub ſigillo ſecreti aperuit, conſilium, vel auxilium petens, debet ne illum denunciare?

23 RESp. negatiuè, etiamſi cõtra delinquentem ſit infamia, vel ſemiplena probatio ſui criminis. Ità Nauarrus *cap.*25. *n.*46. Molina *de iuſt. tr.* 4.*diſp.*5.*n.*3. Corduba *lib.*1.*q.*33. *dub.* 2. Petrus Nauarra *de reſtit.lib.*2.*c.*4.*nu.* 122. Thomas del Bene *de off. inquiſ.p.* 2.*dub.*198.*ſect.*25.*petit.*2. *nu.*2. Tum quia vergeret in damnum communitatis, ſi delinquens alteri bona fide patefaciens ſuum crimen, consilium, vel auxilium petens, talis petitio ei eſſet nocitura: vnuſquiſque enim auerteretur à consilio petendo; quod eſſet publicum, & commune damnum. Tum etiam, quia tale pactum ſecretò reticẽdi,

di, ſiuè ſit expreſſum, ſiuè tacitum, eſt iure naturali ſeruandum: alioquin miſeris hominibus intercluderetur in ſua neceſſitate, omne iuſtum ſolamen, & remedium. Ergò etiam ſi præceſſit criminis infamia, vel ſemiplena probatio: non licet Aduocato, vel Medico, vel alio, qui, pro conſilio habendo, crimen nouit, illud denunciando, vel teſtificãdo, patefacere, vel confirmare. Si verò ex ſecreti obſeruatione ſequeretur aliquod damnum publicum, vel priuatũ innocentis; & ad illud auertendum, eſſet neceſſaria criminis, ac delinquentis denunciatio: tunc ipſa denunciatio eſſet facienda: quia bonum publicum, vel innocentis, præferendum eſt priuato, & delinquentis.

Qui literas delinquentis aperiendo, vel aliquem per vim, & metum ad reuelandum compellendo, criminis illius notitiam accepit, tenetur ne illum ſecretò retinere, an Iudici denunciare?

24 RESP. ſimiliter, ſicut ſupra dictum eſt, quod vel crimen vergit in damnum publicum, vel innocentis: & tenetur illud Iudici denunciare, ob dictam rationem: ſi autem criminis denunciatio eſſet tantum in damnum delinquentis: non poſſet illum denunciare: ſed teneretur crimen illius celare, etiam Iudici legitimè interrogãti. Quia qui per iniuriam, alterius ſecreti criminis notitiam habet, non poteſt illud patefacere, nec denunciare. Non minùs enim ex delicto, quàm ex voluntario pacto, cõtrahitur obligatio ſecreti. Immò qui, vel aperiendo literas, vel per vim, & metum aliquem compellit, reuelare alterius crimen ſecretum, vt cõtra delinquentem denunciare poſſit: obligatur ex iuſtitia, ad reſarciendum illius damnum. Ità docent Molina *de iuſtit. diſp.* 5. *n.* 5. & alij, quos ipſe citat, ac etiam Thomas del Bene *loc. cit. n.* 5.

Sciens ex aliorum auditu aliquem eſſe magum, vel ſortilegum, vel quomodolibet de hæreſi ſuſpectum, tenetur ne illum Inquiſitori, vel loci ordinario denunciare?

25 RESP. quod iſte talis, vel hoc audiuit ab aliquo fide digno: & certum eſt, quod obligatur illum denunciare; vt communiter Doctores affirmant, quos refert, & ſequitur Diana *tom.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 69. *ex par.* 4. *tr.* 5. *reſ.* 28. *n.* 1. Vel audiuit a perſona fide non digna: & non tenetur illum denunciare; vt docent Corduba *lib.* 1. *quæſt. qu.* 43. *dub.* 2. §. 6. Guttierez *canonic. quæſt. lib.* 1. *c.* 11. *n.* 71. Sanctarellus *de hæreſi, c.* 9. *n.* 16. Carena *par.* 2. *tit.* 9. §. 7. *n.* 31. Diana *loc. cit. n.* 2. & alij. Et idem eſt dicendum de eo, qui non recordatur, à quo audierat, vel vbi, & quando, vt notat Carena cum alijs, & præcipuè cum Farinacio *de hæreſi, q.* 197. *n.* 51. qui alios allegat. Et Rodriquez *in qq. regul. to.* 2. *q.* 6. *ar.* 7. ait: Hoc adeò eſſe verum, vt procedat etiam ſi ſub pœna excommunicationis denunciatio præcipiatur. Iuxtà doctrinam ergò ſupradictorum, & aliorum Doctorum; nemo tenetur denunciare, quod à gente parui momẽti, & æſtimationis audiuit. Tum quia ſi illis fidem dederit, æſtimabitur etiam ipſe à prudentibus vir leuis, & facilis in credendo, non abſque ſui dedecore. Et tum quia reus exponeretur periculo iniuſtæ infamiæ, & pœnæ: Inquiſitor enim, qui neſcit eius denunciationem eſſe ſuſpectam: fortaſſe ei credet; & ex eius teſtimonio pœnam denunciato inferret. Et ità etiam ſuſtinent Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 6. *nu.* 50. Portellus *in addit. ad dub. regul. verb. Sollicitare fœminas, n.* 22. Fagundez *in* 2. *Eccleſ. præcept. lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 81. Homobonus de Bonis *in conſult. mor. tom.* 1. *par.* 4. *reſp.* 51.

26 Sed contrarium docent Thomas à Ieſu *lib. de viſitat. tract.* 1. *cap.* 15. *n.* 11. Spatharius *in praxi de modo corrigendi regulares, tr.* 5. *cap.* 11. *n.* 4. Diana *loc. cit. n.* 3. qui affirmant ſupradictam doctrinam non habere locum in caſibus perti-

tinentibus ad Sanctum Officium: in quibus tenentur omnes, denunciare, quæ audierint à quibuſcunque. Tùm quia non ad ipſos ſpectat, diſcernere, an à viris bonæ famæ, vel à leuibus audierint, cùm hoc iudicium pertineat ad Inquiſitores, & ad locorũ ordinarios. Tum quia in eorum edictis abſolutè, & ſine vlla diſtinctione præcipitur ſub excommunicatione; vt ſi quis ſciuerit, vel audierit delicta, in eorum edictis contenta ipſis denunciet. Tum quia non denunciantes, communi bono nocerent. Et tum etiam, quia ex *cap. In fidei fauorem de hæreticis in 6.* In S. Officio contra reos admittuntur teſtes aliàs inhabiles, vt excommunicati, criminoſi, infames, periuri, & ſimiles. Quia crimen hæreſis, vel hæreſim ſapiens, eſt ità graue, & pernicioſum Reipublicæ; vt meritò in eius deteſtationem tales teſtes admittantur; vt ſic delictum poſſit puniri, & facilius extirpari. Ideò neceſſariò dicendum eſt: delicta in edictis contenta, eſſe Inquiſitoribus, vel locorum ordinarijs denuncianda, licet illa ſint audita ex ore hominum infimę conditionis, & famæ.

In caſibus ad Sanctum Officium ſpectantibus, tenetur ne del nquens denunciare ſe ipſum?

27 RESp. negatiuè, quia ex *cap. Aliquandò de pœn. diſt.* 1. Nemo tenetur ſe ipſum prodere: et ità docent Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.* 42. *nu.* 13. Pegna *par. 3. comment.* 12. Suarez *de fide, diſp.* 20. *ſect.* 4. *n.* 18. Sãctarellus *de hæreſi, cap. 9. n.* 18. Molfeſius *in ſum. par.* 1. *tr.* 7. *c.* 24. *n.* 24. & alij quamplures, quos refert, & ſequitur Diana *tom.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 15. *ex p.* 1. *tr.* 4. *reſ.* 8. Tutius tamen ſemper erit, perſuadere hos delinquentes, vt ſpontè compareant, & iudicialiter confiteantur crimina ſua coram Inquiſitore, vel loci ordinario; Notario eorum confeſſionem recipiẽte. Quia mitius agitur cum ſpontè comparentibus, quàm cùm ab alijs denunciatis, *cap. Præsbyterũ* 50. *diſt.* & Gloſsa *in cap. de hoc verbo, in iure extra de ſimonia*, vbi Hoſtienſis, & ibi Panormitanus, *n.* 6. Eymericus *par. 3. de ſpontè comparentibus*, *n.* 60. & ibi Pegna *comment.* 12. *n.* 58. *lit. G.* & cæteri omnes. Dixi mitius agitur: quia, vt notat Pegna, ſpontè comparentes non euitabũt omnem pœnam: ſed pro qualitate perſonarum, & criminum, arbitrio Inquiſitorum benignè tractabuntur, aut pœnam aliquam pecuniariam ſoluentes, aut eleemoſynas erogantes, aut alia huiuſmodi charitatis opera præſtantes.

In dictis caſibus criminoſi tenentur ne denunciare complices non denunciando ſe ipſos?

28 RESp. negatiuè; niſi in caſu conſentientis ſollicitationi factæ in confeſſione, vel in confeſſionario. Quia ſicut quis non tenetur denunciare ſe ipſum, ità nequè complices; nam, moraliter loquendo, non poteſt quis manifeſtare ſocios ſui criminis ſine periculo ſuæ infamiæ. Si enim Petrus e.g. denunciat Paulum complicem: poſteà Paulus interrogatus, vt reus, tenebitur denunciare Petrum. Ergò Petrus non denunciat Paulum ſine periculo ſuæ infamiæ. Ergò ſicut nemo tenetur prodere ſe ipſum: ità neque tenetur denunciare complicem. Ità docent Suarez *de fide, diſp.* 20. *ſect.* 4. *nu.* 18. qui citat Pegnam, & Symancham; Megala 1. *par. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 30. Portellus *in addit. ad dub. regul. verb. Denunciatio, n.* 10. Diana *tom.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 16. *ex par.* 1. *tr.* 4. *reſ.* 9.

29 Dixi niſi in caſu conſentientis ſollicitationi factæ in confeſſione, vel in confeſſionario. Quia fœmina conſentiens ſollicitationi, ſibi ibi factæ, tenetur denunciare Confeſſarium ſollicitãtem, non manifeſtando proprium conſenſum: & in caſu, quo ſuum conſensũ manifeſtaret, non eſt ſcribendum in actis: neque ſuper hoc poteſt ab Epiſcopo, vel Inquiſitore interrogari. Ità decreuit Sacra Congregatio facto verbo

bo cum Sanctiſsimo die 25.Iulij 1624. vt teſtatur per literas Cardinalis Mellinus Cardinali Federico Borromeo Archiep. Mediol. & refertur à Diana *loc.cit.reſ.64.* & ità etiam docent Acugna *in tract.de Confeſſ.ſollicit.q.*10. *nu.* 10.Bonacina *in tract.var.diſp.6.punct.* 3.*n.*10.Peyrinus *tom.* 2. *in Conſtitut.* 4. *Greg.XV.*§.3.*n.*11. Sanctarellus *de hæreſi,cap.*44.*dub.vnic.u.* 12. & alij.

Tenetur ne quis S.Officio denunciare mulierem, quæ ex ſimplicitate, & ignorantia commiſit ſortilegiũ hæreticale?

30 Reſp. hanc mulierem, & ſimiles eſſe prius monendas, quia ignorantia etiam craſſa excuſat à peccato hæreſis. Taliter enim ignorans ſi corrigi paratus ſit, non poteſt dici habere pertinaciam, quæ eſt ad hæreſim neceſſaria:vt docent Alphonſus à Caſtro *de iuſt. hæret. punit. lib.* 1.*cap.*9. *&* *lib.*2. *cap.* 17. Ricciullus *de iure perſon. extr.lib.*5.*cap.*2.*n.*10.*& ſeq.* Sanctarellus *de hæreſi,cap.* 1.*dub.*5. *nu.*20.*&* 21. qui alios allegat, & idem dicendum docet de ignorantia affectata *num.* 22. *& ſeq.* niſi adſit contemptus Eccleſiæ: idemque affirmant Azorius *par.* 1. *lib.* 1.*cap.*14.*q.*9.*& lib.*8.*q.*4.*& cap.*9. *q.*8. Aragonius 2.2.*q.*11.*ar.*1. Coninch *diſput.*18. *dub.* 7.*concluſ.* 4. *&* 5. Suarez *diſp.*19.*ſect.*3.*à n.*3. *& præcipuè nu.*18. Farinacius *de hæreſi,q.*179. *n.*29.*&* 30. & alij. Ideò ſupradicta mulier, quæ licet ex ſimplicitate, & ignorantia commiſit ſortilegium hæreticale: tamen peccatum hæreſis non commiſit: prius admonenda eſt de ſuo errore; & ſi ſe correxerit abſtinendum eſt à denunciatione, ſi autem non ſe emendauerit, erit denuncianda. Ità Genuenſis *in praxi,cap.*18.*n.*4.Carena *par.*2 *tit.*9.§. 7.*n.*32. Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4. *diſp.* 3.*punct.*2.*n.*6.& alij.

Mulier malum nomen maleficæ habens, & ad quam plures concurrunt pro maleficijs,ſed re vera non apparet, ipſam eſſe maleficam, ſed tantum ſimplices ſuperſtitiones facere,eſt ne denuncianda?

31 Reſp. affirmatiuè, vt docent Genuenſis *loc.cit.nu.*14. Carena *ibid. n.* 32. quia dum nomen maleficæ habet, & plures ad eam pro maleficijs concurrunt; graui infamia laborat, quod ſit de hæreſi ſuſpecta, & graue ſcandalum in cauſa fidei,cum ſuis ſimplicibus ſuperſtitionibus populo tribuit:ideò eſt Sancto Tribunali denuncianda: à quo vel indici ei poteſt purgatio canonica,ad delendam ſuſpicionem criminis: vel iuxtà eius diffamationem inquiri,& procedi. Sola enim diffamatio ſufficit ad inquirendum, & procedendum in crimine hæreſis; vt affirmant Zabarella *in Clement.*1.§.*Verum* 2.*de hæret.n.*5.Ioannes Monachus *in cap.Vt officium de hæret.in* 6.Zanchinus *de hæret.cap.*11.*n.*3.Repert.Inquiſit. *verb. Accuſatio, verſ.Sed ponamus*, Thomas del Bene *de off. inquiſ. par.* 2. *dub.*171.*petit.*8. *n.*5. & alij. Et purgatio canonica similiter indici poteſt, propter ſolã diffamationem, vel ſuſpicionem, ex qua oriatur ſcandalum, ex *cap.Tua de cohabitat. Cleric. & mulier. cap.ex parte de officio ordinarij, & cap. inter ſollicitudines,verſ.Antecedenter de purgat.canonic.*

Qui per impotentiam, vel per ignorãtiam edicti Inquiſitoris non denũciauit delinquentem intra terminum præfixum, tenetur ne poſteà illum denunciare, ſtatim, vel intra eundem terminum, quem edictum ſignauerat?

32 Reſp. certum eſſe, quod elapſo termino, non ceſſat denũciãdi obligatio: quia terminus ille imponitur,ne plus differatur denunciatio:non autem vt eius obligatio extinguatur. Ideò,qui edicti ignarus, vel ob impotentiam, vel ob iuſtam cauſam intra ter-

terminum præfixum non denunciauit, tenetur ædicti conſcius, vel à iuſtis impedimentis expeditus, reum denunciare: vt communiter Doctores affirmant. An verò teneatur ſtatim denunciare, an verò intrà alios dies anteà deſignatos. Bonacina *tom.1.de obligatione denunciandi, diſp.6. punct.2.§.4.* ſuſtinet: quod qui non denunciat intrà tempus præfixum in ædicto, tenetur eo elapſo denũciare, quàm primum commodè poteſt: ſublata ignorantia, vel alia iuſta excuſationis cauſa: & toties ait illum incurrere excommunicationem, quoties poteſt commodè denunciare, & non denunciat: quia toties peccat contra præceptum Superioris, latum ſub excommunicatione. Excommunicatio autem toties incurritur, & multiplicatur, quoties violatur præceptum, ſub excommunicatione latũ. Ità Bonacina.

33 Sed nonnulli alij Doctores docent: quod qui per ignorantiam, vel impotentiam, vel ob iuſtam cauſam non denunciauit intrà tempus præſcriptum, non tenetur ſtatim denunciare, ſed intrà æqualem terminum, ſeu intrà eoſdẽ alios dies, quos ædictum ſignauerat. Quia iſte non debet eſſe peioris conditionis, quàm cæteri, qui notitiam ædicti habuerunt, & illud exequi poterant. Ità ſuſtinent Acugna *tract. de Confeſſ. ſollicit. q.21. n.4.* Sancius *in ſelectis, diſp.11. n.59.* Suarez *de cenſuris, diſp.20. ſect.1. n.14.* Filliucius *tom.2. tr.14. cap.2. nu.42.* Villalobos *in ſumm. to.1. tr.17. diffic.18. n.4.* Diana *tom.5. tr.9. reſ.18. & 19. ex par.3. tr.5. miſcell.1. reſ.96. aliàs 95. & ex par.4. tr.5. reſ.26.*

34 Qui verò tempore præſcripto, non denunciat, vnam tantum excommunicationem incurrit, & manet in eadem, donec denunciando, ædicto obediat: vt affirmant Nauarrus *cap.17. nu.134.* Graffius *1. par. deciſ. lib.4. cap.10.* Lazarius *in monit. ſect.2. q.4. n.8.* Suarez, & Filliucius *loc. cit.*

Tenetur ne quis præuenire tempus denunciationis, ſi timet impedimẽtum in tempore præſcripto in Inquiſitorum ædicto?

35 Reſp. Sancium *in ſelectis, diſp.11. n.60.* docere, probabile eſſe non conſtringi præuenire denunciationem antè impletionem termini deſignati per ædictũ Inquiſitorũ. Quia lex non obligat denunciare, niſi intrà illum terminum, nec cõſtringit præuenire in aliquo caſu denunciationem. Eo modò, quo non tenetur quis præuenire tempus annuæ confeſſionis, & communionis, aut recitandi officium diuinum, antè terminum deſignatum per leges: quamuis ſciat, ſe eſſe reddẽdum impotentem, ad implendas leges.

36 Sed Diana *tom.5. tr.9. reſ.21. n.2. ex par.4. tr.5. reſ.29. n.2.* docet, quod qui præuidet impedimentum denunciandi intrà terminum præſcriptum, tenetur præuenire denunciationem: quia Suarez *tom.4. in 3. par. diſp.36. ſect.5. nu.5.* Fagundez *tract.3. lib.1. cap.6. n.3.* Layman *lib.5. tr.6. cap.3. n.9.* Syluius *in 3. par. q.80. ar.11. diffic.2.* & alij ſuſtinent, teneri præuenire tempus confeſſionis, & communionis illum, qui præuidet impedimentum futurum, quando confiteri, & communicare obligatur; & ſimiliter qui in die feſto præuidet, ſe nõ poſſe audire ſacrum hora Nona; tenetur anticipare tempus, & ſacrum audire hora Tertia e. g. Et ideò ipſemet Sancius affirmat, probabilius eſſe in dicto caſu præuenire denunciationem antè terminum in ædicto Inquiſitorum deſignatum.

Denunciationes ſupradictæ ſunt ne faciendæ neceſſariò antè confeſsionem, vel ſufficit ſi pœnitens promittat illas facere poſt eius abſolutionem?

37 Reſp. denunciationes omnes Inquiſitoribus, vel locorum ordinarijs eſſe faciendas antè confeſſionem. Ità enim præcipitur, non ſolùm in ædicto Inquiſitorum; ſed in Bulla Gre-

Gregorij XV.contrà Confeſſarios ſollicitantes edita die 30. Auguſti 1622. quæ incipit: *Vniuerſi*. Etità affirmant Auila *de cenſuris, par.2.cap.7. dub.7.in fin.* Zanardus *in ſumm. par.2. præc.2.c. 11.in fine*, Lazarius *de blaſph.qu.12.n. 79.verſ. Poſt autem hæc ſcripta*, Carena *par.2.tit.9.§.10.n.48.* Diana *tom.5. tr.9.reſ.22.ex par.1.tr.4.reſ.27.* Quia ſi pœnitens prius obtineret abſolutionē, facillimè omitteret denunciationem. Et ideò in caſibus Inquiſitionis remittendus eſt pœnitens, vt prius denunciet.

38 Verum ſi neceſſitas communionis vrgeret, & pœnitens ſit timoratæ conſcientiæ, & promittat quàm citiùs denunciare; poteſt Confeſſarius antè denunciationem illum abſoluere. Ità ſentiunt Zanardus *loc. cit.* Rodriquez *in ſumm.tom.2.cap.34.n.6.* Peyrinus *tom. 2.in Conſtitut.4.Greg.XI.§.9.n.24.* Sanctarellus *de hereſi,cap.9.dub.vnic.n.16. in fin.* Nauarrus, & alij, quos citat, & ſequitur Diana *vbi ſup.* Carena *par. 2. tit.9.§.10.n.48.* Thomas del Bene *tom. 2.de off.inquiſ.dub.237.ſect.13. petit.6.*

Si ædictum circa denunciationes, ab Inquiſitoribus, & locorum ordinarijs, non publicetur, tenetur ne quis ſub pœna excommunicationis denunciare delinquentes?

39 RESP. affirmatiuè. Quia obligatio denunciandi hereticum, vel de hæreſi ſuſpectum ſub pœna excommunicationis eſt perpetua: vt patet ex decreto, ſeu præcepto Sacræ Congregationis, edito die 3. Ianuarij 1623. tenoris ſequentis: *Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, tàm Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus vtriuſque ſexus, &c. præcipimus, & mandamus, quatenus infrà duodecim dies proximè computandos; quorū primos quatuor pro primò, & reliquos quatuor, primis quatuor immediatos pro ſecundò, & vltimos quatuor pro tertiò termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica aſſignamus; omnes, & ſingulos hæreticos, ſeu de hæreſi quomodolibet ſuſpectos, de quibus notitiam habuerint, debeant nobis, vel R. Commiſſario noſtro, quoad habitantes in Vrbe; quo verò ad alios extrà Vrbem, & vbiuis locorum degentes, Inquiſitoribus, vel locorum ordinarijs, vel eorum Vicarijs Generalibus, ſub excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœna, quàm in contrarium facientes ipſo facto incurrāt, iudicialiter propalare. Cuius excommunicationis maioris abſolutionem S.D.N. Papæ, & nobis reſeruamus.* Eadem perpetua obligatio denunciandi ſub excommunicatione, & alijs pœnis præcipitur ab Alexandro VII. in ſua Bulla, quæ incipit: *Licet aliàs*, edita die 8. Iulij 1660. Ideò etiamſi Inquiſitores, & locorum ordinarij ex negligentia, vel ex alia cauſa, ædictum denunciandi hereticos, & de hæreſi quomodolibet ſuſpectos, non publicarent: adhuc ſub pœna excommunicationis eſſent ipſi denunciandi. Ità expreſsè etiam ſuſtinent Suarez *de fide, diſp.20.ſect.4. nu. 11.* Portellus *in dub. regul. in verb. Denunciatio, n.5.verſ. Hoc tamen*, Carena *par.2.tit.9.§.7.num.34.* Fagundez *in 2. præc. Eccleſ.lib.4.cap.3.nu.31.* Peyrinus *tom.2.in Conſtitut.9. Pauli V. §.2.n.27.* Diana *tom.5.tr.9.reſ.24.ex par.4. trac. 4.reſ.41.* contra Freitam *de Confeſſ.ſollicit.q.21.n.44.& 58.* qui aſſerit fœminam non denunciantem Confeſſarium ſollicitantem; ſi ædictum non publicetur, peccare quidem mortaliter, ſed nō incurrere excommunicationem. Sed omninò dicendum incurrere, etiam excommunicationem; quia etiam Cōfeſſarij ſollicitantes ſunt de hæreſi ſuſpecti, vt probant Genuenſis *in praxi, cap.66.n.2.* Acugna *de Confeſſ.ſollicit. q.2.n.20.* Caſtro Palaus *par.4.tr.4.diſput.9.punct.6.n.1.* Peyrinus, & Diana *locis citatis*, & alij.

Qui non denunciauit, & excommunicationem incurrit, ſi promittat illico denunciare, poteſt ne abſolui virtute Bullæ Cruciatæ?

Reſp.

40 RESp. quod Lucius *in ſumm. cap. 24.nu.*11. Freitas *in tr.de Confeſſ.ſollic.q.*21.*n.*25. vt refert Diana *to.* 5.*tr.*9.*reſ.*23.*nu.* 1.*ex par.*4.*tr.*5.*reſ.*35. *n.*1. aſſerunt de fœmina ſollicitata: illam abſolui poſſe, virtute huius Bullæ ab excommunicatione; quàm contraxit ob omiſſam denunciationem; dummodò cogatur à Confeſſario denunciare Inquiſitoribus:ſicut retinens rem alienam, poteſt abſolui cum propoſito reſtituendi. Sed contrarium docent Sancius *in ſelectis,diſp.*11.*n.*62. Auila *de cenſur.par.*2. *cap.*7.*dub.*7. *in fine*, Trullenchus *in Bull.Cruc.lib.*1.§.7.*c.*2. *dub.*9.*n.*11.Diana *vbi ſup. n.*2. Quia in re tàm graui non eſt facilè adhibenda fides promittenti denunciare. Et ſuppoſita excommunicatione, ſupradicta ſententia non eſt tenenda: quia cùm à peccatis nemo abſolui valeat, niſi à cenſura anteà ſit abſolutus: & à cenſura illa abſolui nequeat per Bullam, niſi priùs ſatisfacta parte, ſcilicet Inquiſitoribus: Ideò quia confitetur poſt terminum elapſum, ſe fuiſſe negligentem in denunciatione criminis ad Sanctum Officium, abſolui non poterit:quamuis promittat ſe illicò denunciaturum. Sicut non eſt abſoluendus excommunicatus ob concubinam: donec illam è domo priùs eijciat; nec ſufficit, quod proponat illam expellere: vt docent Suarez *de cenſur.diſp.*7.*ſect.*5. *num.*45. Guttierez *in quæſt.canon.lib.*1. *cap.*5.*n.* 30.*&* 31.Sotus *in* 4.*diſt.*22.*qu.*2.*&* 3. & alij.

Qui non denunciauit ſortilegum hæreticum, uel de hæreſi ſuſpectum, quando tenetur, eſt ne ipſe de hęreſi ſuſpectus, & vt hęretici fautor ęſtimandus,ac puniendus?

41 RESp. affirmatiuè, ſi ex officio, vel ex ſpeciali præcepto denunciare teneatur. Quia ſicut qui teſtimonium contra hæreticum ferre nolit, aut veritatem celat, aut diminutè manifeſtat,cùm ad veritatem dicendã, ab Inquiſitore aſtringitur, fautor illius hæretici, & vt de hæreſi ſuſpectus puniendus, cenſetur: vt notat Souſa *in Aphoriſ.inquiſ.lib.*1.*cap.*25. *nu.*6.7. *&* 8. Pegna *in* 2.*par.direct.comment.*78.*verſic. Ergò priuati, & ſeq.* & communiter tradunt Doctores. Ità qui ex officio, vel ex ſpeciali præcepto denunciare tenetur hæreticum,vel de hæreſi ſuſpectum,& illum non denunciat,eſt etiam ipſe fautor hæretici,& vt de hæreſi ſuſpectus puniendus. Quia,vt ait Damaſus Papa *in cap.Qui poteſt* 23.*qu.*3.*Impietati fauet, qui poteſt perturbare peruerſos, & non facit.* Ità etiam docent Suarez *de fide,diſp.*24.*ſect.*1.*nu.*6.Sanchez *in Decal.lib.*2.*cap.*10.*n.*15.Megala 3.*par.lib.*3.*cap.*1.*q.*2. *nu.*31. Diana *tom.*5.*tr.*12.*reſ.*21.*n.*8.*& ſeq. ex par.*4. *tr.*7.*reſ.*21.*n.*8. & alij, quos ipſi citant.

42 Dixi,ſi ex officio,vel ex ſpeciali pręcepto denunciare, teneatur. Quia vt notat Caſtro Palaus 1.*par.tr.*4. *diſp.*3. *punct.*5. *n.*7. Communis omnium ſententia eſt:te non eſſe fautorem hæretici, niſi aduerſus iuſtitiam,& obligationem officij pecces. Sic Symanchas *tit.* 15.*n.*13. Pegna *loc.cit.* Sanchez *dict. c.* 10.*n.*15.Suarez *vbi ſup.* Farinacius innumeros referens *de hæreſi,q.*182.*num.* 27. Quia ceſſante obligatiône iuſtitiæ, tibi imputari non poteſt: hæreticum non corrigi; cùm tua non interſit,illum corrigere. At ſi ex iuſtitia obligatus ſis, hæreticum capere, vel denunciare, quæ obligatio oriri poteſt, vel ex officio, vel ex ſpeciali Inquiſitoris mandato; tunc fautor hæretici dicendus es: Ità Caſtro Palaus. Qui tandem concludit: non eſſe fautores hæreticorum ſingulares perſonas, quibus ex officio non incumbit fidei fauere,& hæreſim extirpare,vt docet Eymericus 2.*p.tr.q.* 53.*n.*3.Farinacius *q.*182.§.2.*n.*36.

43 Addit etiam Pegna *par.*2. *comment.* 78.*verſ.At non videtur*. Quandoque, vel metu, vel obliuione, vel alia probabili cauſa contingere poteſt; vt quis, abſque fautoriæ ſuſpicione, denunciationem omittat. Nàm quid ſi e. g. ſola vxor ſciat maritum diebus prohibitis

veſci carnibus,aut alia hæreticalia cõmittere:eumque cognoſcat terribilem, qui facilè eam interimeret, aut male tractaret, ſi illum denunciaret? Dices ne hanc eſſe fautricem? Ego planè ratione metus, putarem excuſandam. In cæteris idem eſt iudicium,plurimumq; ſunt ſingulæ circumſtantiæ conſiderãdæ. Hæc dicimus, vt moneamus, ex omiſſione denunciationis, hæreticorũ fautorem non debere quemquam facilè cenſeri, nec de hæreſi ſuſpectum haberi. Ità Pegna.

Qui tenetur denunciare, & non denũciat, eſt ne ſuſpectus de hereſi uiolenter, uel uehementer, uel leuiter?

44 RESp. Alphonſum à Caſtro *de iuſt. hæret. punit. cap.*25. *lib.*2. aſſerere: ſuſpicionem hanc eſſe violentam. Sed eius ſententia nimis rigoroſa exiſtimatur à Carena *par.*2.*tit.*9. §.9.*n.* 43.& à Symancha,Royas,& Pegna: & poſſet tantum locum habere, quando aliquis non ſolùm non denunciaret, ſed cum hæretico nimiam familiaritatem, & amicitiam haberet.Tunc enim contra non denunciantem oriri poſſet violenta preſumptio:Ità Carena,& Alphonſus Adauarez, Guerrero *in Theſauro Chriſtianæ Religionis,tit. de hæret. n.*9. & Royas, qui alios allegat *ſing.fidei* 5.*n.*18. Alij opinantur,ſuſpicionem hanc eſſe vehementem: vt affirmat Lelius Zechius *in ſumm.tom.*1.*tit.de fide*, *rubr. de hæret.cap.*11.*n.*5.*verſ.Tertia ſuſpicio.* Hæc autem opinio aiunt Pegna,& Carena eſſet vera,quando nulla adeſſet cauſa probabilis, non reuelandi,vel in iudicio interrogatus, ſcienter eos celaret; iuxtà doctrinam Zanchini *de hæret.cap.*5.*n.*5. Vera ergò ſententia eſt: huiuſmodi non denunciantes regulariter eſſe tantùm ſuſpectos de leui. Quia vt plurimum denũciare omittunt, non in defenſionem hæreſis, ſed ex amicitia, vel ex alia cauſa: Ità docent Duardus *in Bulla Cœnæ*, *lib.*2.*canon.*1.*q.*33.*concluſ.*1. *n.*17. Carena *vbi ſup.n.*44.

Suſpicio hereſis quenam dicitur modica, ſeu leuis, quenam uehemens, ſeu magna,& quenam uiolenta,ſeu maxima?

45 RESp. quod ſuſpicio modica, ſeu leuis dicitur illa,quæ oritur ex modicis,& leuibus indicijs, ſeu coniecturis; & modica, & leui defenſione tollitur; vt ex *c.Accuſatus,extra de hæreticis in 6.* Suſpicio magna, ſeu vehemens, & fortis eſt, quæ oritur ex magnis, vehementibus,ac fortibus coniecturis,argumentis, & indicijs; & non tollitur, niſi magnis, vehementibus, & fortibus defenſionibus: vt ex eodem *c. Accuſatus.* Suſpicio tandem violenta, ſeu maxima eſt, quæ ex violentis, & conuincentibus oritur coniecturis, & violentat, ac cogit Iudicem,ad credẽdum,nec tergiuerſatione refellitur; vt ex eodem *c.Accuſatus, & ex cap.Cum contumacia, extra de hæret. in 6.* et ità docent Eymericus *par.*2.*q.*46. *nu.*2.*& ſeq.* Pegna *comment.* 80. Carena *par.*3. *tit.*12.§.3.*n.*4.Farinacius *q.*188. *nu.*23. & alij communiter.

Quiſnam preſumitur de hereſi ſuſpectus, uel leuiter, uel uehementer, uel uiolenter?

46 RESp. quod leuiter de hæreſi ſuſpectus præſumitur, qui frequenter peierat,vel vitam gerit deprauatam, vel blaſphemando verba hæreticalia non frequenter, ſed raró euomit, vt affirmat Eymericus *in direct. p.* 2.*q.*41. *nu.*6. vel Sacramenta miniſtrat in malo ſtatu,vel ſine iuriſdictione, & poteſtate,vel bis repetit Sacramentum non repetendum,vel ſecundas nuptias contrahit, viuente priori coniuge, vel per annum exiſtit in excommunicatione extra cauſam fidei, vel in Sacramento confeſſionis ad venerem,aut ad alia flagitia pœnitentem prouocauit.Et ſimiles. Ità docet Caſtro Palaus *p.* 1. *tr.*4.*diſp.*7.*punct.*1.*n.*1.

47 Vehementer de hæreſi ſuſpectus eſt, qui

qui ex verbis, vel factis efficaciter hæreſim concludentibus, arguitur, quod ſit hæreticus. Vt ſi quis in verbis hæreticalibus blaſphemando nō raro, ſed frequenter, & pluries prorumperet; vt ait Eymericus *loc. cit. nu.*5. Vel diebus prohibitis abſque neceſſitate, & Superioris facultate carnibus veſceretur: aut diceret propoſitiones fidei contrarias, quæ explicitè ſcire debet; quāuis hæc interdum ex ingluuia, & vguloſitate, & ab ignorantia, abſque vllo mentis errore prodire poſſint: vt docet Pegna *par.*2.*direct.comment.*80. *litt.C.* Vel ſi quis vocatus ad reſpondendum de fide, & intra terminum aſſignatum abſque cauſa non compareat: vt ex *c. Cum contumacia de hæret.in* 6. Vel qui ſcienter directè, vel indirectè Inquiſitionis officium impediret: vt ex *cap. Vt Inquiſitionis negotium de hæreticis in* 6. §. *vlt.* quia reputatur hæreticorum fautor, & defenſor. Vel qui impedientibus inquiſitionis officium præſtaret ſcienter conſilium, auxilium, & fauorem: ob eandem rationem, quia faueret hæreſi: vt habetur *in dicto cap. Vt Inquiſitionis.* Vel ſi hæreticos ab Inquiſitoribus citatos, & eorum credentes inſtrueret, quomodò veritatem celare poſſint, vel falſum deponere: *vt ex cap. Accuſatus de hæreticis in* 6. §. *fin.* Vel qui faueret, defenderet, reciperet hæreticum, quà hæreticus eſt: non quia ſibi eſt conſanguineus, vel amiciſſimus, *ex cap. Excommunicamus* 1. §. *Credentes de hæret.* Vel qui cum hæreticis ſpecialiſſimam contraheret amicitiam, & familiaritatem: iuxtà *cap. Inter ſollicitudines de purgat. canonica.* Vel qui in cauſa fidei conuictus, dixiſſe in iudicio falſum; reuocaret quod antea fuerat confeſſus: vt colligitur ex *cap. Litteras de præſumptionibus*. Vel tandem qui in partibus vltramarinis, abſque Superiorum licentia commorantes, detrahunt Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Conſtitutionibus, et alia à fide deuia in ſuis ſermonibus, & ſecretis colloquijs euomere, non verētur: vt ex *extrauag. Ioannis XXII. Ad noſtram de regularibus* inter communes. Supradicti omnes tanquam de hæreſi vehementer ſuſpecti habendi ſunt. Ità Eymericus *q.*56. Caſtro Palaus *loc.cit.n.*2. Thomas del Bene *par.*1. *dub.*166. *n.*3. & alij.

48 Violenter de hæreſi ſunt ſuſpecti, qui verbis, vel factis coarctant Iudicē ad credendum, quod ſint hæretici: vt docent Pegna *par.*2.*q.*55.*comment.*80. *verſ.Tertia ſuſpicio*, Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*50.*nu.*4. Lelius Zechius *in ſumm.par.*1.*tit.de fide,rubr.de hæret. c.*11.*n.*5. Vt ſi quis tranſit, vel redit ad ritus Iudæorum, vel Saracenorum, aut aliorum infidelium, *cap. Contra Chriſtianos de hæret. in* 6. Item ſi quis in cauſa fidei excommunicatus, per annum in excommunicatione animo pertinaci durauerit: quia anno elapſo, vt hæreticus condemnatur, *cap. Cum contumacia de hæret.in* 6. Item ſi quis non fateatur crimen, poſtquam eſt conuictus, nec conſentit abiurare: quia eſt vt hæreticus impœnitens condemnandus, *ex cap.Ad abolendam,eod.tit.* Item ſi quis poſt abiuratam hæreſim, de qua conuictus fuerat, in eandem relabitur: vel poſteà cum hæreticis communicat, eos viſitando, receptando, deducendo, aſſociando, munera eis donando, vel dona mittendo: *cap.Accuſatus*, §.*Ille quoque de hæret.in* 6. Item qui cum eſſent ſanæ mentis, in corporis infirmitate, & morbo conſtituti, petierunt hæreticos, ſe conſolaturos: vt hæretici habentur: ex *cap.Filij de hæret. in* 6. Item qui de hæreſi ſuſpecti, vel diffamati, & morti propinqui petierunt, eoſdem hæreticos conſolantes, quamuis poſt perditam loquelam, vel mentem amiſſam, eam conſolationem, ſeu verius deſolationem receperint, vt ex *dicto cap. Filij*. Ità etiam notant Pegna *par.*3. *comment.*24. cum alijs Doctoribus Farinacius *de hæreſi,q.*187.*à n.* 23. *vſque ad* 53. & alij.

Omittentes denunciare, qui denunciare tenentur, quàm pœnam incurrunt?

Reſp.

49 Reſp. incurrere, primò pœnam excommunicationis, quę quãuis Gregorius IX. *in ſua extrauag.* præcipiat: *Excommunicationis ſententia percellatur*: vt refert Pegna *in 2. par. direct. cap. 2. comment. 2. verſ. Diximus.* Ex quibus verbis patet excommunicationem non eſſe ipſo facto latam, ſed per ſententiam eſſe ferendam. Tamen ex ædictis Sancti Officij, hæc excommunicatio eſt ipſo facto lata, & reſeruata; itaut denunciare omittens, ab ea abſolui non poſſit, quouſque denunciet. Ità Carena *par. 2. tit. 9. nu.* 25. Caſtro Palaus *par. 1. tr. 4. diſp. 2. punct. 4. n.* 21. Thomas del Bene *par. 1. dub. 25. n.* 1. Secundò, qui tenetur denunciare, & non denunciat, redditur de hæreſi ſuſpectus, ſi nulla rationabili cauſa excuſari poteſt: vel in iudicio interrogatus, ſcienter veritatem occultauit; vt ſupra probatum eſt. Tertiò, punitur pœna fautoris hæreticorum: vt etiam probatum eſt ſuprà, & docet cum nonnullis alijs Pegna *2. par. direct. qu.* 55. *comment.* 78. *verſ. Poſtremò*; dummodò nulla probabili cauſa excuſetur.

Denunciatio quomodò facienda eſt, vt quis à Cõfeſſario poſſit abſolui?

50 Reſp. denunciationem eſſe neceſſariò faciendam in ſcriptis, cum expreſſione nominis denunciantis, & illius ſubſcriptione; ſi ſciat ſcribere. Vel ſaltem verbis, quæ à Notario ſtatim ſcribentur. Et non denuncians hoc modò, non poteſt à Confeſſarijs abſolui. Ità Genuenſis *in praxi, cap.* 18. *n.* 2. Carena *par. 2. tit. 9. num.* 27. Qui etiam affirmant, quod denunciationes non ſolent recipi, niſi denuncians cum iuramento examinetur. Et Eymericus *par. 3. direct. fol.* 415. agens de ſecundò modò procedendi in cauſis fidei per denunciationem, inter cætera, docet. Quod Inquiſitor iurare facit ad quatuor Dei Euangelia ipſum denunciantem de veritate dicenda ſuper denunciatis. Et præſtito iuramento, interrogabit eum: vndè ſcit eſſe vera, quæ denunciauit; et ſi vidit, vel audiuit. Si dicat ſe vidiſſe, interrogabit eum, vbi vidit, & quando, & quoties, & per quem modum, & qui erant præſentes. Si dicat, quod non vidit, ſed audiuit: interrogabit eum Inquiſitor, à quibus audiuit, & vbi: & quando, & quoties, & per quem modum, & quibus præſentibus audiuit: formando articulos de quolibet prædictorum ſingulariter, & diuiſim. Et poſtremò iniungitur ei iuramentum, tenere ſecretum, quidquid ibi dixit, vel ab Inquiſitore ei dictum fuit. His peractis nullę ſunt ampliùs denunciantium partes: ſed Iudici totum relinquitur, vt ipſe inquirat de delicto, ac de delinquente.

Si quis nollet ſuam denunciationem ſubſcribere, eſſet ne alicuius momenti eius denunciatio?

51 Reſp. quod aliqui Doctores, quos ſequitur Paramus *de orig. inquiſit. lib. 3. q. 6. n.* 93. reſpondent cum diſtinctione. Vel enim in denunciatione ſunt nominati teſtes, vel non. Si primò modo nominati fuerunt teſtes, eius denunciatio eſt alicuius momenti æſtimanda: Quia Inquiſitor poteſt ad illorum teſtium examinationẽ procedere. Nàm ſi Inquiſitor, vt docent Farinacius *de hæreſi, q.* 185. *nn.* 20. *& q. 12. nu. 39. lib. 1. praxis*, Caſtro Palaus *par. 1. tr. 4. diſp. 8. punct. 2. n.* 7. Clarus *practic. q. 14. verſ. Vlterius dixi*, Decianus *tr. crimin. lib. 3. cap. 25. num.* 7. & alij, poteſt procedere ad examinationem teſtium, quos denunciauit inimicus. Ergò multò magis poterit procedere ad examinandos teſtes, quos denunciauit perſona ſuſpecta: qualis eſt denunciator incognitus, & occultus. Hæc autem ſententia communiter non probatur à Doctoribus, quos refert, & ſequitur Farinacius *q.* 185. *n.* 68. Quia nominatio illa teſtium, cum procedat à perſona incognita, non eſt authentica, ſed potius ſuſpecta. Ergò non debet ſola, Iudici ſufficere: vt ex illa ipſe ſpecialem faciat inquiſitionem, quæ de ſe

præ-

prærequirit infamationem. Et ità ſeruatur in Tribunali Sanctæ Inquiſitionis Generalis Romæ. Ideò dicendum, quod ſiuè denunciator teſtes nominat, ſiuè non: dum proprio nomine ſe non ſubſcripſit:eius denunciatio, tanquam nullius momenti repelli debet. Quia præſumitur falſa: & aliàs daretur improbis occaſio, probos viros infamandi. Ità Farinacius *loc.cit.* Symanchas *in Enchirid.violatæ Religionis,tit.*22.*rubr. de inquiſit.ordine,n.*8. Thomas del Bene *par.*1. *dub.*183.*nu.*11.*&* 12. Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*8. *punct.*3. *nu.*4. Diana *to.*5.*tr.*10. *reſ.*44.*ex par.*4. *tr.*8. *reſ.*41.

CAPVT XIV.

De modo procedēdi contra Sortilegos, & de hæreſi ſuſpectos.

Contra Sortilegos, & Magos, poteſtne Inquiſitor procedere ſummariè, ſimplicitèr, & de plano, & abſque iudicij ſtrepitu,& figura?

1 Reſp. affirmatiuè,quia ità expreſſè deciditur *in cap. Statuta de hæreticis in* 6. & in Conſtitutione Alexandri IV.quæ incipit: *Capientes*,edita anno 1251. & alia Vrbani IV. edita 1261.cuius initium eſt, *Licet ex omnibus*: vt refert Pegna inter litteras Apoſtolicas, & mentionem facit 3. *par. direct.q.*54.*commen.*193.& docent Royas *in ſingularibus fidei,ſingul.* 145.*nu.* 3.Scaccia *de iudic.cap.*52. *nu.*2. *&* 3.& alij communiter.

2 Neque obſtat, quod ait Decianus *tract.crim.lib.*5.*cap.*34.*n.*9. Hoc priuilegium intelligendum eſſe Inquiſitoribus conceſſum, quoad cauſas leues, & non præiudiciales; non autem in præiudicialibus, & in illis, quæ infamiam inferunt; vt ſunt ſupradictæ precipuè,quia *in cap.Vt officium*, §.1. *de hæreticis in* 6. dicitur: *In crimine hæreſis procedendum eſſe, iuxtà canonicas ſanctiones:& in* §. *Si verò*: *iuxtà formā Eccleſiæ.* Quia Textus ſupradicti ſine vlla limitatione affirmant: Inquiſitores in cauſis hæreticæ prauitatis, procedi poſſe ſimpliciter, ſummariè, & de plano. Et iuxtà canonicas ſanctiones, & formam Ecclesiæ proceditur, cùm proceditur ex Priuilegio, & Conſtitutione Sedis Apoſtolicę, ſimpliciter, & de plano, & sine figura iudicij: vt docent Pegna *comment.* 103. Royas *ſing.* 145.*n.*13.Farinacius *q.*185. *num.*13.& alij.

Quid importat procedere, ſummariè, ſimplicitèr, & de plano, abſque ſtrepitu, & figura iudicij?

3 Reſp. hoc determinatum, & declaratum fuiſſe à Clemente V. in Concil. Viennen. anno 1307. *cap.*2. his verbis: *Sæpè contingit, quod cauſas committimus,& in earum aliquibus ſimpliciter,& de plano,ac ſine ſtrepitu,& figura iudicij, mandamus. De quorum verborum ſignificatione à multis contēditur,& qualiter procedi debeat, dubitatur. Nos autem dubitationem huiuſmodi,quantum nobis eſt poſſibile, decidere cupientes, hac in perpetuum valitura Conſtitutione ſancimus. Vt Iudex cui taliter cauſam committimus, neceſſariò libellum non exigat, litis conteſtationem non poſtulet,tempore etiam feriarum, ob neceſſitates hominum, indultarum à iure,procedere valeat: amputet delationū materiam; litem quantum poterit,faciat breuiorem; exceptiones, appellationes,& iurgia, teſtiumque multitudinem ſuperfluam refrenando. Non ſic tamen Iudex litem abbreuiet, quin probationes neceſſariæ, & defenſiones legitimæ omittantur. Citationem verò, ac proteſtationem iuramenti de calumnia,vel malitia, ſiuè de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commiſſionem huiuſmodi intelligimus non excludi.*

4 Ex qua Conſtitutione clarè patet, integra remanere, quæ ſunt iuris naturalis. Nàm probationes neceſſariæ, ad veritatem indagandam, omitti non debent. Et citatio partium, & illarum de-

defenſiones legitimæ conceduntur; ac etiam expoſtulatur iuramentum calumniæ, veritatis, & malitiæ: vt notant Farinacius *de hæreſi,q.*185.*n.*14.*& ſeq.* Souſa *in Aphoriſm.inquiſ.lib.*2.*c.*1.*nu.* 2.*& ſeq.*Carena *par.*3.*tit.*1.*n.*2. & alij.

Quotupliciter in iudicio contra ſupradictas perſonas procedi poteſt?

5 RESp.tripliciter,nempè,vel per accuſationem, vel per denunciationem, vel per inquiſitionem. Proceditur via accuſationis, quando quis aſſumit ſibi onus probandi, quæ contra reum opponit. Proceditur via denunciationis, quando quis refert tantum alterius crimen, & non vult ſibi aſſumere onus probandi. Et in hoc differt accuſator à denunciatore: eò quod accuſatori incumbit onus probandi, non autem denunciatori. Proceditur via inquiſitionis, quando Iudex,non ad alicuius inſtantiam, ſed ex officio procedit, ad commiſſi criminis authorem inueſtigandum. Ità docent Pegna *par.*3.*comment.* 13. Farinacius *de hæreſi,q.*185.*n.*21.*& ſeq.*Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*8.*punct.*2.*n.*1. Carena *loc.cit.*& alij communiter.

Quonam modò proceditur per viam accuſationis in S. Tribunali Inquiſitionis?

6 RESp. hunc modum procedendi per viam accuſationis eſſe in hoc S. Tribunali conſuetudine abrogatum: & loco accuſatoris eſt conſtitutus Miniſter Fiſcalis:qui non ſe ſubſcribit ad penam talionis, aut ad alias, quas falſi accuſatores pati ſolent: ſed iurat:ſe accuſare,non ex malitia,ſed ex neceſſitate officij, & ob bonum publicum compulſus;nec accuſat, niſi teſtes habeat. Ità Pegna *comment.* 14. *nu.*67. Farinacius,Caſtro Palaus, Carena *locis citatis*,& alij. Si autem quis, hoc non obſtante, officium accuſatoris inſtet, & velit pœnis ſubijci: Inquiſitor debet illum acceptare; ità tamen, vt accuſationem proponat in ſcriptis, iuxtà textum *in cap.*1.*&* 2.*qu.*8.*de accuſat.* vbi habetur: *Accuſatorum perſonæ nunquā recipiantur ſine ſcripto.* Hæc autē ſcriptura ſufficit,ſi fiat à Notario, propoſità quærela ab accuſatore coram Iudice: vt notat Pegna cum alijs Doctoribus 3.*par.comment.*14.*verſ.Vbi autem.*Qui etiam docet non eſſe neceſſarium; vt accuſator ſe inſcribat ad pœnam talionis,neque ad hoc eſt compellēdus: ſed ſi in probatione defecerit,acriter coercendus eſt, arbitrio Inquiſitoris. Non tamen puniendus eſt pœna talionis, *l. in prauitatis,ff.ad Turpilit*, Gloſſa *in c. Tuæ,verb.Effectum de procurat.* Quod etiam tenent Couarruuias *lib.* 1.*var. cap.*9.*n.*1. Ioannes Royas *in ſingularibus fidei,ſingul.*6.*n.*6.Caſtro Palaus, & Carena *locis citatis*, & alij.

Si Accuſator verè ſe inſcripſit, & ad pœnam talionis ſe obligauit; qua pœna eſt puniendus, ſi in probationibus defecerit?

7 RESp. quod non erit puniendus ea pœna,quàm reus recepturus eſſet,ſi crimen probatum fuiſſet, ſed mitius. Nec erit tradendus Curiæ ſeculari, ſi formalē hæreſim reo obiecerit, nec probauit. Quia accuſator minus nocet,quàm teſtis: cùm ſolus ipſe non ſufficiat ad conuincendum reum:& teſtes falſi non puniuntur pœna talionis. Et nunquam in hoc S.Tribunali conſuetudine receptum fuit,vt accuſator pœna talionis plectetur. Et ità videtur probare Textus in *cap.Super his de accuſat.* Sed quamuis pœnam talionis ſubire non debeat; tamen ſi defecerit in probatione,grauiter puniendus eſt, arbitrio Inquiſitorum: quia habetur vt calumniator, & tanquam calumniator puniendus eſt. Ità Royas *in ſingularibus fidei,ſingul.*8. Pegna *vbi ſup.* Farinacius *de hæreſi,q.*185.*n.*37.Caſtro Palaus *p.*1.*tr.*4. *diſp.*8.*punct.*2.*n.*2.& alij.

Inimicus capitalis, poteſt ne admitti in dicto crimine,tāquam accuſator?

Reſp.

8 RESp. Eymericum *3.par.direct.qu.* 67. Pegna ibi, *comment.* 116. Campegium *in addit.ad Zanch.tr.de hæreticis*, *litt.D. verb. Omnis*; & alios docere, inimicum capitalem non eſſe admittendum ad accuſandum. Quia inimicus non præſumitur procedere zelo iuſtitiæ, ſed liuore vindictæ; ac proindè præſumitur calumniator. Secundò, quia in quolibet delicto quantumuis graui inimicus capitalis repellitur à teſtimonio dicendo, ex Textu *in l. 3. ff. de teſtibus*, *& l.* 1. §. *Præterea*, *ff. de quæſtionibus*, & Authent. *Si teſtis productus,Cod.de teſtibus*. Sed qui excluditur à teſtificando excluditur, etiam ab accuſando, ex *cap. Teſtes* 2. *q.7.cap.Sanè* 15.*q.3.cap. Super prudentia*,12.*q.*2. & tradit latè Decianus in *tr.crim.lib.3.c.*25. Ergò,&c.

9 Verum admitti poſſe inimicum ad accuſandum, cautè tamen, & vt ſuſpectum, docent Clarus *in pract. qu.* 14. *verſ. Vlterius dixi*, Gigas *de crim. læſ. Maieſt. lib.*2. *rubr. Qui accuſare poſſunt*,*q.* 6.*n.*13. Decianus *loc.cit.n.*7. Pariſius *conſil.*2.*n.*54.*&* 75. *lib.*4. Farinacius *de hæreſi*,*q.*185.*n.*29.*& lib.*1.*praxis*, *q.*12.*n.*39. Caſtro Palaus *par.*1.*tr.* 4.*diſp.*8.*pun.*2.*n.*7. Quia accuſator non probat crimen commiſſum, ſed exhibet probationem. Ergò dum accuſator fidem non facit: quia non aſſumitur, vt teſtis, nulla eſt efficax ratio, illũ excludendi ab accuſatione: præcipuè cùm ex illius admiſſione poſſit, damno publico præcaueri. Et ſi ad hæc crimina accuſanda, nõ admittatur inimicus, difficilè inuenietur, qui accuſet. Ità etiam docent Diana *tom.*5.*tr.*10. *reſol.* 50.*n.*2.*ex par.*4.*tr.*8.*reſ.*45.

Accuſator poteſt ne deſiſtere ab accuſatione incepta?

10 RESp. in multis caſibus accuſatorem poſſe, & debere deſiſtere ab accuſatione incepta. Et primò ſi aduertit, ſe erraſſe, accuſando innocentem pro reo. Vel ſi dubitet erraſſe, & poſt diligentem inquiſitionem, adhuc in dubio perſeueret. Secundò, ſi videat, ſe non poſſe probare, quod in accuſatione dixit contra aliquem: quia tunc in accuſatione perſiſtendo, eſſet calumniator. Tertiò, poteſt deſiſtere, ſi Iudex accuſationem non admittat, vel eam admiſſam reſcindat. Quia hoc facere poteſt Iudex, ſi videat, libellum habere aliquem defectum ſubſtantialem: vel ſi accuſatus non poſſit, ſine magna Reipublicæ perturbatione puniri. Tunc enim poteſt Iudex Supremus, ſeu Princeps accuſationem inchoatam abolere; ne ſequatur damnũ publicum. Et ſimiliter ſi accuſatus, bono publico cenſeatur ceſſionarius, vel valdè vtilis. Iudex verò inferior, quia ad ipſum non ſpectat principaliter, boni publici promotio: ſed iniuncti officij adminiſtratio: non poteſt prętextu maioris boni publici accuſationem admiſſam abolere, & ſe à negotio eximere: quia ſic ſæpè poſſet liberare quos vellet: poteſt tamen, Principem monere, quid iudicet expedire, & interim ſententiam ſuſpendere: donec à Principe de tali re reſolutionem habeat: vt notat Thomas del Bene *par.*1. *de off.inquiſ.dubit.*181.*petit.*6. *nu.*1. *& ſeq.* Non poteſt autem accuſator deſiſtere, quando tenetur accuſare, vel ſine auctoritate Iudicis poſt litem inchoatã. Et ſi aliter quàm conueniens eſt, deſiſtat; poteſt Iudex procedere per inquiſitionem; ex communi Doctorum ſententia.

Si accuſator poſt factam rei accuſationem velit ab illius accuſatione deſiſtere, eſt ne ab Inquiſitore exaudiendus?

11 RESp. non facilè eſſe audiendum: quia huiuſmodi crimen eſt grauiſſimum, & multum Reipublicæ, & bono communi intereſt: vt reus, siuè ille ſit, qui fuit accuſatus, siuè accuſator ipſe, puniatur: quia Iudex non minus accuſatorem ad docenda, quæ detulit: quàm reum ad purganda, quæ negat, debet vrgere: vt ex *l. vlt.in fin.*

*C.de abolit.*Ità Pegna *par.3.direct.comment.*14. *verſ.Item ſi reus.* Qui etiam addit: idem ſeruandum eſſe cum eo, qui denunciauit, ſi dicat,falſum denūciaſſe,aut quid ſimile; non enim eſt facilè audiendus, nè fortè cum denunciato,vel cum teſtibus, ad crimen occultandum,conuenerit.

Si teſtes producti àb accuſatore contra reum,vel nihil probent, vel nō plenè,delictum: poteſt ne aliquandò Inquiſitor,conſulere accuſatori, vt deſiſtat, vel amoueat verbum accuſationis, & apponat denunciationis?

12 RESp. vt ſuprà dictum eſt: hoc non eſſe facilè agendum, vt ait Pegna *loc.cit.verſ.Atque ex his.*Sed aliquandò Inquiſitori hoc licere: vt expreſsè docet Eymericus *3.par.direct.n.*71.*in tit.Modus continuandi proceſſum per accuſationem*,vbi ait: Inquiſitor mandabit accuſatori,quod nomina teſtium producat,quibus productis, citabuntur, & examinabuntur diligenter medio iuramento. Et ſi reperiatur, quod nihil faciant ad factum; Inquiſitor conſulet accuſatori, quòd deſiſtat; & ipſe Inquiſitòr ſuperſedeat. Si autē reperiatur, quòd teſtes non plenè probent: licet eorum dicta indicia magna faciant; conſulet Inquiſitor accuſatori; quod amoueat verbum accuſationis, & apponat denunciationis; vt ſic Inquiſitor procedat ex officio, & non ad partis inſtantiam, propter accuſatoris graue periculum. Hæc Eymericus.

In cauſis ad Sanctum Officium ſpectantibus, inhabilis admittitur ne ad accuſandum?

13 RESp. affirmatiuè: quia ſicuti in cauſis fidei, inhabiles poſſunt teſtimonium ferre; ità etiam poſſunt accuſare. Quia valet argumentum de teſte ad accuſatorem: ex *c.Super prudentia* 12.*q.*2.*l. Qui cum maior*, §.1. *ff. de bonis liberorum*. Et ità docent Farinacius *de hæreſi.qu.*185. *nu.* 23. *& ſeq.* Souſa *in Aphoriſm.lib.*2.*cap.*2. *num.*6. Carena *par.*3.*tit.*1.§.1.*n.*5.*&* 6.

In hoc S. Tribunali accuſator habetur ne loco teſtis,vt denunciator?

14 RESp. affirmatiuè à Carena *loc. cit. nu.* 20. niſi ſit inimicus: & ità etiam ſentiunt Royas *ſingul.*7.Farinacius *de hæreſi,q.*185. *n.*32.Souſa *in Aphoriſm.lib.*2.*cap.*2.*n.*8. & alij, quos ipſe refert. Quamuis in alijs caſibus accuſator non poſſit eſſe teſtis in cauſa, in qua eſt accuſator,ex *cap. in omni negotio de teſtibus*, vt docent Sotus *de tegend.ſecret.membr.*2. *qu.*4. *&* 5. Nauarrus *de iudic. n.*19. Thomas del Bene *par.*1.*dub.*181.*petit.*10.*n.*8.

In dicto Sancto Tribunali quomodò inſtituenda eſt accuſatio?

15 RESp.quod Eymericus *3. par.direct.n.*67. ſatis expreſsè docet modum,quo quis procedere debet per viam accuſationis, & ibi Pegna *comment.* 14. ac etiam Paramus *de origine S.Inquiſ.lib.*1.*q.*9.*n.*17.*& n.*93.Vbi ait non eſſe neceſſarium, exprimi in accuſatione locum loci; vt Canoniſtæ loquūtur: ſcilicet ſpecialem locum.E.g. domū,vel Eccleſiam talis Ciuitatis; & tempus præciſum commiſſi criminis: ſed tantum menſem, & annum, & Ciuitatem,&c.Ne accuſatus, in notitiam teſtium, antequam producantur,deueniat: et quia ſolemnitates *l.libellorum, ff.de accuſat.*non neceſſariò in hoc crimine obſeruari debent: *cap.fin. de hæreticis in 6.* & ità etiam docet Caſtro Palaus *par.*4.*tr.*4. *diſp.*8.*punct.*2. *nu.*4.

Si reus petat exprimi diem, & horam cōmiſſi criminis, vt probet ſe tunc fuiſſe abſentem, eſt ne cogendus accuſator illas exprimere?

16 RESp.quod quamuis Gomez *cap.* 1.*n.*4.cum alijs neget; accuſato-

torem eſſe in tali caſu cogendum, ad declarandum diem,& horam commiſſi criminis: Tamen probabilius docet Clarus *quæſt.*12. *n.* 13. cum nonnullis alijs eſſe cogendum. Quia alioquin tolleretur reo defenſio: cùm non aliter probare poſſet ſe crimen illud non commiſiſſe; niſi oſtendendo,eo tempore non potuiſſe illud committere; vel propter ſui abſētiam, vel infirmitatem, vel ob aliud impedimentum. Verùm ſi accuſator non recordetur diem, neque horam,poteſt iurare, non recordari. Et ſi recordetur diem, & horam; non tamen tenetur probare: quia adhoc non ſe obligauit. Ità Clarus, & alij. Immò ſi non coactè,ſed ſpontè diem, & horã expreſſerit; & poſteà probare non poſſet, crimen eſſe commiſſum illo tempore, ſed in alio; poterit adhuc ſequi rei condemnatio. Quia ſi per teſtes verè probetur, crimen eſſe commiſſum; nihil refert, quod erratum ſit in die, & hora. Quia non punitur ob diem, & horam, ſed quia conſtat crimen eſſe verè commiſſum.

Accuſator, vt rei delictum probet, & calumniator non cenſeatur, quid ſufficit?

17 RESp.ſufficere, ſi probet ſemiplenè rei delictum: nempè vel per vnum teſtem oculatum, & omni exceptione maiorem, vel per notoriam famam,vel per indicia æquipollentia: quia tunc reus,interrogatus à Iudice, debet delictum confiteri; & ſi confiteri nolit, poteſt torqueri. Ità Nauarrus in *ſumm.c.*25.*n.*35. ex Bartolo in *l.fin.nu.* 7.*ff.de quæſt.* Aretinus *in pract.crimin. de accuſat.c.*5.*nu.*6. Farinacius, & alij.

Frequentiſſimus modus procedendi in S.Officio eſt per viam denunciationis, quid ergò eſt denunciatio iudicialis?

18 RESp. quod eſt mera criminis manifeſtatio,qua denunciator crimen ſui proximi Inquiſitori,ſeu Superiori Prælato, tanquam Iudici denunciat; vt ille ex officio faciat, quod ſecundùm ius ei videbitur. Ità colligitur ex *cap.*2.*&* 3.*& ex cap. Super his, & c. Nouit de iudicijs.* Et ità docent Hoſtienſis *in ſumm. de denunciat.* §.1. Pegna 3.*par. direct. comment.* 15. Clarus *in pract.crimin.*§.*fin.qu.*7. & alij communiter. Hæc autem denunciatio porrigi poteſt Iudici, vel in ſcriptis, vel verbo tantùm iurata, & Notario ſcribente, vt aiunt Pegna ibid. Boſſius *tit. de denunciat.n.*14.Carena *par.* 3. *tit.*1. *nu.*21. & alij *in l.ea quidem, C.de accuſat.* Differt denunciatio ab accuſatione. Quia denunciator iudicialis non intendit primò, & per ſe punitionem delicti: ſed tantùm eius reuelationem, ſeu manifeſtationem Iudici: nec tenetur, vt tenetur accuſator, rei crimen probare,vt omnes affirmant;ſed Iudici illud reuelat, vt ipſe prouideat, & iuſtitiam faciat. Vt dictum eſt *cap.præcedenti.*

Denunciatio facta in ſcriptis ſine ſubſcriptione denunciantis,ſi in ea nominentur teſtes; eſt ne ab Inquiſitore recipienda, vt teſtes nominati examinentur?

19 RESp. negatiuè. Quia quamuis Ludouicus Paramus *de orig. S. Inquiſ.lib.*3. *q.*6.*n.*91. *& ſeq.* affirmet, Inquiſitorem poſſe huiuſmodi denunciationem non ſubſcriptam recipere,& teſtes nominatos examinare. Tamen Carena 3.*par.tit.*1. §.3. *n.*22. teſtatur: nunquam ſe vidiſſe, hoc ab vllis Inquiſitoribus ſeruari. Immò Farinacius *n.*68.teſtatur ſeruari contrarium in ſupremo Sanctę Inquiſitionis Tribunali. Quia denunciatio hæc iudicialis fieri debet in ſcriptis, cum expreſſione nominis denunciantis, & eius ſubſcriptione, si ſcribere ſciat. Et non denuncians hoc modo,non debet recipi, nisi cum iuramento examinetur; vt probãt Genuenſis *in praxi, cap.*18. *nu.*2. Zechius *de caſibus reſeruatis, caſu* 2.*verſic.*

ſic. Declaratur. Lazarius *de blaſph. qu.* 12.*n.*74. Riccius *dec.*135. *to.*2.Carena 2.*par.tit.*9.§.7.*n.*27. Denũciatio enim, proprio nomine non ſubſcripta, præſumitur falſa. Alias improbis daretur occaſio, probos, & innocentes infamandi:vt optimè notarunt Symanchas *tr.*43.*de cathol. inſtitut. rubr.de ordine procedendi,n.*10.*& in Enchirid. violatæ Relig.tit.*22. *rubr.de inquiſ.ordin. nu.*8. Farinacius *n.*68.Clarus *q.*5.*n.*4. Franciſcus Porrus *in ſuo faſciculo rerum criminal.fol.*55. *verſ. Memini*, Souſa *in Aphoriſ.Inquiſ.lib.*3.*cap.*3. *num.*11. & alij. Nec admittenda eſt opinio Parami exiſtimantis: poſſe Inquiſitores in dicto caſu ad teſtium examinationem procedere.Quia nominatio illa teſtium non eſt authentica,ſed potiùs ſuſpecta, dum eſt à perſona incognita. Ergò nõ debet ſufficere Iudici, vt ſpecialem inquiſitionem faciat, quæ de ſe prærequirit infamiam. Ità Farinacius *qu.* 185.*n.*68.

20 Forma denunciationis,& ſtylus,quẽ Inquiſitores ſeruare debent,in illis recipiendis optimè ponitur ab Eymerico 3.*par.direct.n.*68.& ibi Pegna *comment.* 13. Facta autem denunciatione Inquiſitor procedit, non ad inſtantiam partis, ſed ex officio, examinando teſtes, quos denunciator allegauit, vel alios, ex quibus veritas innoteſci poſſit. Et ſi denunciator teſtes alios non nominauit; ſed ſolum ipſe de viſu depoſuit; non debet Inquiſitor ſtatim, ad ſpecialem inquiſitionem procedere, ſi denunciatus ſit nobilis Religioſus, aut alias non ſuſpectus, ob grauem infamiam,quæ indè oriri poſſet; ſed matura deliberatione dictum denunciantis expendere debet.

Si denunciator conuincatur falſum denunciaſſe, qua pœna eſt puniendus?

21 Reſp.quod tanquam calumniator,& teſtis falſus eſt puniendus arbitrio Inquiſitoris. Quia ex ſola ipſa denunciatione, ſi falſum deponat, grauiſſimè ledit denunciatum. Aperit enim viam Inquiſitori, ad inquirendũ contra illum. Ergò meritò puniri debet, vt calumniator. Ità Pegna 3. *par. comment.*40.*verſ. Ad hac.*Eſt etiam puniendus,vt teſtis falſus. Quia dum ipſe aſſumitur in teſtem contra reum ex generali conſuetudine inquiſitionis, vt notauit Symanchas *in cathol. inſtitut. tit.*19.*rubr.de denunciat. n.* 17.*& titul.* 64.*de teſtibus,n.*55. Ergò tanquam teſtis falſus puniendus eſt. Ità Carena 3. *par.direct.tit.*1.§.3.*n.*20.Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*8.*punct.*3. *n.*1.& alij.

Quenam modò Inquiſitores procedunt in cauſis fidei per viam Inquiſitionis?

22 Reſp. quod in S.Officio, vt obſeruat Pegna 3.*par. direct.comment.*13.dupliciter proceditur, vel per inquiſitionem generalem, vel per ſpecialem. Inquiſitio generalis eſt, quando expreſsè non proceditur aduerſus aliquem delinquentem; ſed ſolùm in genere proponitur, vt delinquẽtes aliquo modo contra fidem manifeſtẽtur. Et fieri ſolet ab Inquiſitoribus, cùm ſingulis annis proponunt edicta: quæ obligant fideles, ad delinquentes denunciandos.Hæc autem inquiſitio nullam requirit præcedentẽ infamationẽ, quia nemini pernicioſa eſt: ſed potiùs vtilis, cùm inſtituta ſit,ad præcauenda mala, & ad delinquentes repellendos. Ità colligitur ex Textu in *cap. Excommunicamus* 1.*§.Audiuimus,& §.Vltimò de hæreticis.*Specialis autem inquiſitio eſt,quando aduerſus aliquem ſpecialẽ, & nominatum, Inquiſitor procedit: tũ ipſum interrogando,tum teſtes examinando. Hæc autem inquiſitio fieri non poteſt: niſi infamia præcedat, vt habetur in *cap.Qualiter, & quandò de accuſationibus*. Et ità docent Clarus *in praxi,§.fin.q.*5.*verſ.Poterit,& q.*20.*& q.*50.*verſ.Item quia*,Pegna 3.*par.comment.*16.Farinacius *q.*181.*n.*43. Souſa *lib.*2.*c.*3.Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*8.*punct.*4.*n.*1.Carena 3.*par.tit.*1.§.2.*n.* 13. & alij.

13.& alij. Notat verò Pegna *comm.*19. quod hîc modus fabricandi proceſſus per inquiſitionē, laborioſior eſt illo, qui fit per denunciationem, propter incertitudinem infamiæ, qua hìc modus procedendi nititur veluti principio, & fundamento. Et ideò Eymericus *n.*78. docet, quod proceſſus, qui non fit ob accuſationem, vel ob denunciationem alterius, ſed fama publica, vel clamoſa inſinuatione deferente, & ſic non ad inſtantiam partis, ſed ex officio Iudicis: continuabitur ſic. Nàm prædicta inſinuatio, vel famę reclamatio deducta ad aures Inquiſitoris, & inſerta in proceſſu pro ſui fundamento; Inquiſitor faciat citari aliquos teſtes, & præſertim perſonas graues, & bonas; & coram Notario, & duabus perſonis Religioſis, & honeſtis inquiret de fama tantùm cum illis. An ſit veraciter apud bonos, & graues, ille, de quo agitur de hæreſi, infamatus. Hæc Eymericus. Videndus etiam eſt Iulius Clarus *in pract. crim.* *§.fin.q.*5*.verſ.Poterit igitur,& q.*6*.in princip.* vbi eruditè tractat hunc procedendi modum.

Inquiſitores in cauſa ſuſpecti de fide, poſſunt ne procedere ad inquirēdum, ex leui ſuſpicione, & ſine præcedente infamia?

23 RESp. quod, vel loquimur de inquiſitione generali, vel de ſpeciali contra aliquem particularem. Si primò modo, ſuſpicio leuis, etiam non præcedente diffamatione, ſufficit, ad generaliter inquirendum: non ſolū per viam accuſationis, vel denunciationis: ſed etiam per viam inquiſitionis. Ità colligitur ex *cap. Accuſatus de hæreticis in* 6. & ità docent Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*44.*n.*9. Areletanus *de hæreticis notab.*26. Rolandus à Valle *conſ.*8.*n.*6.*lib.*1. Diana *tom.*5. *tr.*10.*reſ.* 29.*ex par.*4.*tr.*8. *reſ.*4. & alij communiter. Quia inquiſitio, & inueſtigatio generalis aſſumitur à Iudice, ad inueſtigandam veritatem: & non eſt fruſtratoria, vt per ſe patet, nec alicui iniurioſa.

24 Si verò loquimur ſecundò modo; nonnulli Doctores ſuſtinent: ſufficere leuem ſuſpicionem de fide, ad inquirēdum contra aliquem in particulari, & ad ipſum interrogandum. Quia hæc inquiſitio, & interrogatio aſſumitur ab Inquiſitore, ad inueſtigandam veritatē: &, vt ſuprà dictum eſt: non eſt cenſenda otioſa, nec iniurioſa, dum delinquens occaſionem illius dedit. Et confirmatur, quia ſi ob indicia vehementis ſuſpicionis, poteſt Inquiſitor non ſolùm inquirere, & examinare: ſed etiam delinquentem torquere. Ergò ob leuia indicia poteſt ſaltem inueſtigare, & interrogare. Ità ſentiunt Sigiſmundus Scaccia *tr.de iudic.cap.*59. *n.*2. Calderinus *tr.de hæreticis filior.& nepot.n.*10. Royas *tr. de hæret.*2.*par.nu.*20. Decianus *tr.crimin.lib.*5.*cap.*20.*n.*21. *& cap.* 35.*n.*20. & alij. Limitant verò aliqui hanc ſententiam, vt procedat in homine vili, improbo, & abiecto; ſecus autem in homine nobili, honeſto, ac Religioſo. Quia ratione vilitatis, & improbitatis augetur ſuſpicio: quæ tamen minuitur ratione nobilitatis, & probitatis. Ac etiam, quia vili, & improbo non grauis iniuria irrogatur, ſi de fide examinetur; dū illius ſuſpicionis, occaſionem dedit. E contra verò ſola inquiſitio hominem honeſtum, ac probū grauiſſimè ledit, & maculat. Ità docent Pegna 2.*par.comment.*12. *ad cap. Excommunicamus de hæreticis,& commēt.* 80.*litt.F.& verſ. Atque ità*, Royas *nu.* 21. Menochius *de præsūpt.lib.*1. *q.*100. *n.*2.*& ſeq.* Diana *to.*5.*tr.*10.*reſ.*30.*n.*4. *ex par.*4.*tr.*8.*rēſ.*39.*n.*4.& alij.

25 Alij verò Doctores hanc ſententiā etiam cum dicta limitatione reijciunt. Quia inquirere, & examinare de alicuius credulitate, fieri non poteſt, niſi quia de eius recta fide dubitatur: ſed ob leuia indicia, & leues ſuſpiciones, dubitare de aliquo hoc graue crimen; iniurioſum eſt, & nunquam licere poteſt. Vt ex communi ſententia ſupponit Leſſius *cap.*29.*dub.*3.*n.*15. Ergò ob leuem ſuſpicionem hęreſis non eſt licitum contra aliquem inquirere, & exa-

mina-

minare. Ità docent Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*50.*n.*28. *& in Enchirid. tit.*41.*de ſuſpectis,n.*7.Clarus *pract.crimin.q.6.n.6.*Nauarrus *conſ.2.n.8. verſ. Septimò,lib.*5.*tit.de hæreticis*, & alij.

26 Alij tandem diſtingunt, & ſupradictas ſententias concordant.Nàm vel leuis hæreſis ſuſpicio oritur ex delicto, cui à iure, vel ex conſuetudine,talis ſuſpicio annexa eſt. Et Inquiſitor inquirere, & interrogare poteſt delinquentem de eius fide,& credulitate. E.g.ſi aliquis reperiatur,quod haberet libros prohibitos, illoſq; legeret abſq; licentia: vel Sacramenta ſine poteſtate miniſtraret; vel viuente prima vxore ſecundas nuptias contraheret; vel in Sacramento confeſſionis, aut in confeſſionario ad venerea prouocaret; vel in excommunicatione per annum inſordeſceret: eſſet leuiter ſuſpectus de fide; vt notat Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4. *diſp.*7.*n.*1. *&* 7.Et tamen Inquiſitores poſſunt, & debent de illis inquirere, & examinare. Ergò etiam ob leuem ſuſpicionem iuridicam ſubijciuntur delinquentes inquiſitioni,& examinationi Inquiſitorum. Quia directè interrogantur, & examinantur, ac etiam torquentur ſuper delicto, cauſante ſuſpicionem tantum indirectè,& per conſequentiam. Ac proindè in tali examinatione, & interrogatione nulla illis fit iniuria: quia eis non imponitur alia ſuſpicio præter eam,quæ à iure,ob eorum delictum, eſt impoſita. Et in hoc ſenſu vera,& certa eſt prima ſententia ſupradicta.

27 Secus autem dicendum eſt, quando nullum præceſſit tale delictum, vel ſimile: ſed ſuſpicio oritur ex alijs delictis, ſeu indicijs,quæ ſolum ex opinione Doctorum habent hæreſis ſuſpicionem. Tunc enim vera eſt ſecunda ſententia ob rationes ibi allatas. Ità docent Symanchas *de cathol. inſtitut.titul.*50.*rubr.de præſumpt. n.*27. Royas *tr.de hæreticis,q.*2.*n.*21. Locatus *in iudicial. inquiſit.verb.Citato,n.*15.Farinacius *de hæreſi,q.*185.*n.*58.Caſtro Palaus *loc.cit.* Diana *to.*5.*tr.*10.*reſ.*30.*nu.*3. *ex par.*4. *tr.*8.*reſ.*39.*n.*3.& alij.

Quænam dicitur ſuſpicio leuis,& modica; quænam magna, & vehemens, & quænam maxima, & violenta?

28 RESp. ſuſpicionem leuem, ſeu modicam dici illam,quæ oritur ex leuibus indicijs, & coniecturis, & leuem,ac modicam probationem facit,& leui defenſione tollitur. Nec dicitur hæc ſuſpicio leuis, quia talis ſimpliciter ſit, ſed per comparationem ad ſuſpicionem magnam, vel maximam, & violentam: vt docent Eymericus *in direct.q.*49.*nu.*1.*&* 2. Pegna ibi, *comment.*80.*lit.B.*Godofredus *lib.*2. *C. de hæreticis,§.Hæreticorum autem*, Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*7.*n.*2. & alij communiter. Huius ſuſpicionis exempla ſunt. Si quis vitam gerat deprauatam, vel frequenter peieret, vel Sacramenta in malo ſtatu miniſtret,libros prohibitos retineat, & legat; & alia ſupradicta, & ſimilia.

29 Suſpicio hæreſis magna, ſeu vehemens eſt, quæ deſumitur ex verbis, vel factis efficaciter, & frequenter hæreſim oſtendentibus: itaut magnam, & vehementem probationem faciat,& nō niſi magna, ſeu vehementi defenſione tollitur. Ità Eymericus *n.*4.Pegna *litt. C.*Caſtro Palaus *n.*2.& alij. Exempla ſunt.Si quis vocetur ad reſpondendum de fide, & intrà terminum aſſignatum, & abſque cauſa non comparet; redditur vehementer de hæreſi ſuſpectus: ex *cap. Cum contumacia de hæreticis in* 6. Vel ſi quis ſcienter directè, vel indirectè inquiſitionis officium impediat:*cap. Vt inquiſitionis negotium de hæret. in* 6. *§.vlt.*quia reputatur hæreticorum fautor, & defenſor. Vel qui, impedientibus inquiſitionis officium,præſtet ſciēter conſilium,auxilium, vel fauorem: ob eandem rationem: quia fauet hæreſi:vt habetur in eodem *dicto cap.*Vel ſi hæreticos,ab Inquiſitoribus citatos, & eorum credentes, inſtruat,veritatem cælare, vel falſum deponere: quia grauiſſimè fauet eorum malitiæ: *cap.Accu-*

ſatus

ſatus de hæret.in 6. §. fin. Vel ſi faueat, defendat, recipiat hæreticum, vt hæreticum,non vt conſanguineum,vel amiciſſimum : *cap. Excommunicamus* 1.§. *Credentes de hæret.* Vel ſi cum hæreticis ſpecialiſſimam contrahat familiaritatem: iuxtà *cap. Inter ſollicitudines de purgat. canonica* . Vel ſi in fidei cauſas conuincatur,dixiſſe in iudicio falſum: eò quod reuocet, quod anteà fuerit confeſſus : *cap. litteras de præſumptionibus* . Et tandem ſuſpecti vehementer de hæreſi redduntur Religioſi, qui in partibus vltrà marinis , abſque Superiorum licentia commorantes , detrahunt S.Romanæ Eccleſiæ Conſtitutionibus, & alia multa à fide deuia in ſuis ſermonibus, & ſecretis colloquijs euomere, non verentur . Vt colligitur *ex extrauag.Ioannis XXII.* incipiente: *Ad noſtram de Regularibus.* Ità Eymericus in *direct.q.*56. Pegna *comment.*81. Caſtro Palaus *loc. cit.* Quibus exemplis addi poteſt illud Pegnæ *comment.* 80. *verſ.Et ob hanc præſumptionem.* Si quis diebus prohibitis,abſque neceſſitate, & Superioris facultate , carnibus veſceretur. Quamuis interdum ab ingluuie, & guloſitate, aut ex ignorantia abſque vllo mentis errore prodire poſſit.

30 Maxima , ſeu violenta ſuſpicio eſt, quæ verbis, vel factis violentat, cogit, & arctat Iudicem , ad credendum aliquem hæreticum eſſe ; Nec tergiuerſatione , aut defenſione ipſa credulitas repellitur;quia ex violentis,& conuincentibus coniecturis oritur. Vt e.g. ſi falſos Deos quis adorauit: ſi eis more hæreticorum reuerentiam exhibuit. Si hæbreus , Chriſtianus factus , redit ad ritus Iudæorum· *cap.contra Chriſtianos de hæreticis in 6.* Si in cauſa fidei excommunicatus per annum in excommunicatione animo pertinaci durauit: *cap. Cum contumacia de hæret. in 6.* Si poſt abiuratam hæreſim,cum hæreticis communicat , eos viſitat, receptat , vel munera eis donat,vel mittit, *cap.Accuſatus, §. Ille quoque de hæreticis in 6.* & ſimilia. Ità Eymericus *ibid.n.*6.Pegna *verſ.Hæc præſumptio*, Caſtro Palaus *n.* 3.Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.* 50. *nu.*22. 23. & 24.& 26.& *in Enchirid. tit.*41.*n.*2.& *ſeq.* Farinacius *de hæreſi,q.* 187.§.2.3.& 4. Locatus *in iudicial. inquiſ.verb.Suſpicio,n.*1.2.3.& 4.& alij.

Vt ritè procedatur in cauſis contra Lamias, ſeu Striges, aut alios ſortilegos,& maleficos, conſtare ne debet de corpore delicti ?

31 RESp. quod quamuis antè omnia Iudici conſtare debeat de corpore delicti, vt ritè, & iuſtè contra reũ ipſe procedere poſſit: vt præcipuè probat Farinacius *de inquiſitione, q.*2.*n.*1. & *ſeq.* Et niſi de eo conſtet , licet reus delictum fateatur;non tamen poteſt ex illa confeſſione damnari; vt idem Farinacius cum alijs affirmat. Nihilominus,quia maleficia connumerantur inter delicta , quæ ſunt difficilis probationis; fieri enim ſolent, occultè,& ſecretò. Ideò pro eorum cognitione,non ſemper eſt neceſſarium ; vt delictum conſtet plenè, & concludenter, per teſtes, aut per euidentiam facti ; ſed ſufficit aliquandò, quod de corpore delicti conſtet per indicia;quę in huiuſmodi delictis habentur pro plena probatione . Vt cum nonnullis alijs docent Farinacius *nu.*6. & 12. Carena *par.*2. *tit.*12.*nu.*174. Martinus del Rio *lib.*5. *diſquiſ.magic.ſect.*3.& 4.

32 Verùm ſunt aliqua maleficia , quæ relinquunt poſt ſe veſtigium : vt ſunt infanticidia,veneficia,& ſimilia. Et de iſtis conſtare debet de corpore delicti; vt Iudex contra reum ritè , & rectè procedat. Sed non dicitur probatum corpus delicti , si tantum probetur mors , vel infirmitas , vel debilitatio membri ipſius maleficiati : quia Sanctum Officium non punit homicidia , percuſſiones,& vulnera. Neceſſe enim eſt probare, quod mors,vel infirmitas, ex maleficio proceſſerit ; vt ſatis conſtet de corpore delicti . Ità Farinacius *loc.cit.* Carena *n.*173.Torreblanca *de magia, lib.*3.*c.*16.*n.*16. & alij communiter.

Si

33 Si autem loquamur de maleficijs, & ſortilegijs, quæ non relinquunt poſt ſe veſtigium facti. Tunc vel malefica, aut ſortilegus confitetur ſuum delictũ; & certum eſt, quod etiamſi non conſtet de corpore delicti per teſtes, Iudex ritè, & iuſtè contra reum procedit. Quia nulla eſt maior probatio, quàm oris proprij confeſſio. Et cum delictum hæreſis ſola voluntate committatur: ex ſola quoque voluntaria confeſſione poteſt quis puniri. Ità Farinacius *loc. cit. n.*25. *&* 26. Albertinus *de agnoſcendis aſſertion.cathol.q.*25.*nu.*1.*&ſeq.*Ludouicus Paramus *de orig. Sanctæ Inquiſ. lib.*3.*q.*6.*n.*28. Carena *n.*172. Si autem malefica, vel ſortilegus non confiteatur ſuum delictum; tunc ſufficiet probare corpus delicti per indicia: quia talis probatio in criminibus occultis habetur pro plena probatione. Nàm vt ait Martinus del Rio *lib.* 5. *diſquiſ. magic.ſect.*16. Certè iniquum eſſet; aliã in hoc delicto exigi certitudinem, quã quæ ex natura delicti haberi poteſt. Et idem affirmant Farinacius *n.*14. Carena *n.*174.*&ſeq.*Bordonus *tom.*1.*c.* 19. *n.*15.& alij. Quæ autem ſint hæc indicia, quæ ſufficiunt ad probationem maleficij, vel ſortilegij dicetur infrà in cap.de indicijs, & de tortura.

CAPVT XV.

De citatione, captura, & carceratis in Tribunali S. Officij.

Quid, & quotuplex eſt citatio?

1 RESp. citationem eſſe actum iudicialem, ſeu iudicij præparatorium, quo is, qui coram Iudice ſiſtendus eſt, eiuſdem Iudicis mandato legitimè vocatur, iuris experiendi cauſa. Hæc autem citatio eſt iure naturæ debita: cùm ſit quædam defenſionis ſpecies: & originem traxit à Deo, *Geneſ.*2: qui Adam inobedientem condemnare volens; quaſi citando vocauit: *Adam vbi es.* Ità in *Clement.Paſtoralis de re iudic.* Abbas *in cap. Cum olim eod.titul.* Maranta *in praxi, p.*6. *cap.de citatione, n.*3. Carena *par.*3. *tit.*2.§.1. *nu.*1. *&* 2. Eſt etiam citatio duplex, alia verbalis, quæ fit verbis, vel ſcriptis: & alia realis, quæ fit per capturam perſonæ. Ità Vveſemberg. *in praxi, tit.Pandectarũ, lib.*2.*de in ius vocando, n.*13. *verſ. Species citationum*, Cantera *in quæſt. crim. prælud.*3.*n.*2. Carena *par.*2. *tit.*12. *n.*3. Farinacius, & alij communiter.

Ad citationis validitatem, quæ requiruntur?

2 RESp. tria requiri, ſcilicet mandatum Iudicis de citando: citatio ipſa, ſeu mandatum Iudicis ſcriptum executioni traditum: & relatio executoris, ſeu nuncij citantis. Hæc enim tria ad validitatem citationis neceſſariò requiruntur, & vna deficiente, citatio non eſt legitima, nec vllum habet vigorem. Ità Maranta *loc.cit.n.*51. Carena *n.*4.& alij communiter. Vndè in hoc Tribunaali omnes inquiſiti, ſiuè ſint hæretici, ſiuè de hæreſi ſuſpecti, citandi ſunt: quia iudicium contra eos inſtituendum, ſine hoc actu præparatorio, ſubsiſtere nequit: vt affirmant Paramus *de orig.S.Inquiſ.lib.*3.*q.*4.*in rub. de forma, & ordine, nu.*62. Souſa *in Aphoriſ.Inquiſ. lib.*2. *cap.* 27. Caſtro Palaus *par.*1. *tr.*4.*diſp.*8.*punct.*5. *nu.*1. & alij. Nec poſſunt Inquiſitores hanc citationem omittere, ſub prætextu facultatis procedendi ſummariè, de plano, & sine ſtrepitu iudicij: quia citatio eſt de iure naturæ. Ità Pegna 3.*par.direct. comment.*104.*in fin.*Souſa *cap.* 1. *nu.*5. Farinacius *de hæreſi, q.*185.*n.*16. Carena *n.*6.& alij.

In citatione eſt ne explicanda cauſa ipſius citationis?

3 RESp. si inquisitus non ſit contumax, nec de illo timeatur fuga, ſed facilè capi poſſit, citandus eſt abſq; expreſſione cauſæ; ſed ſolùm in genere proponendo: Inquiſitorem velle ab

eo

eo aliqua ſcire;ne detur ei occasio, capiendi fugam. Ità Pegna *in direct. comment.33.par.3.n.*131.Paramus *de orig. S.Inquiſ.lib.3.q.*4.*rubr.de forma,& ordine iudiciario,n.*34.Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*43.*rubr.de modo proced. n.*12.*in fin.* Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.*4. *diſp.*8.*punct.*5.*n.*2.Carena *loc.cit.*§.2.*n.* 7. & alij. Si verò ex dicta generali citatione timeatur delinquentis fuga:capiendus ipſe eſt,omiſſa uerbali citatione: ex *l. Nullus, C. de cohibendis reis,& l.fin.C.de cuſtodia reorum*:vt notant Pegna 3.*par.comment.*27.*n.*73. *verſ.Rurſus*,& CaſtroPalaus *vbi ſup.*Similiter ſi citatus non compareat,capiendus eſt,ſi capi poterit: ſin minus, & capi non poſſit: tunc in verbali citatione inſerēda eſt cauſa:videlicet, vt de fide reſpōdeat; iuxtà textum *in cap. Cum contumacia de hæreticis in* 6.Sic Scaccia *de iudic.c.*43.*n.*9.Farinacius *q.*185.*n.*114. Pegna *loc.cit.n.*131. *verſ.Si tamen*, Carena *n.*8. & alij.

Requiritur ne vna, vel triplex citatio, & qua forma fieri debet, & quando ſit neceſſariò facienda; & quonam modo?

4 RESp.ſi delinquens non ſit abſens, nec contumax; ſed præſens,vnica ſufficit citatio, quæ tribus æquiualet,ſignato termino competenti, & peremptorio, ad comparendum. Quia nullibi habetur expreſsè, in hoc caſu trinam requiri citationem: vt notant Caſtro Palaus *loc.cit.n.*3.Carena §.3.*n.* 9.Farinacius *loc.cit. nu.*158. Souſa *cap.* 27.*n.*12.Si verò reus ſit abſens,& contumax:trina citatio expediri ſolet:& in qualibet illarum ſignatur competens terminus; vt ſic proceſſus,& ſententia, magis iuſtificetur. Ità docent Royas *ſingul.*29. *n.*2. Paramus *de orig. inquiſ. lib.*3.*q.*4.*n.*65.Farinacius *qu.*185. *num.* 117.& 157. Symanchas *de cathol. inſtitut.tit.*14.*rubr.de contumacibus, nu.*6. *& in Enchirid.viol.Relig.tit.*45. *rubr.de abſent.nu.*3. & 4. Caſtro Palaus *loc.cit.* Addit etiam Carena *n.*13. quod trina citatio,facta domi,æquiparatur citationi perſonali, ſecundum ſpecialem ritū Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ; de quo Riccius *deciſ.*204. *lib.*1.Secundum quem domi citatus, habetur pro perſonaliter citato; ad effectum,vt poſſit excommunicari. In hac tamen re praxis vniuſcuiuſque Inquiſitionis, & Tribunalis erit diligenter obſeruanda.

5 Quæ autem forma ſit ſeruanda in hac citatione, optimè ponitur ab Eymerico 3.*par.direct. n.*130. & à Pegna ibi,*comm.* 33. Notandum etiam, quod huiuſmodi citatio non ſolum neceſſaria eſt, ad conteſtandam litem, & formandum proceſſum: ſed multò magis, ad ſententiam pronunciandam. Non enim validè ſententia proferri poteſt, niſi prius reus citetur expreſsè, ad illā audiendam; vt colligitur ex *Clement. Sæpè de verb.ſignificat.* Ità Pegna cum alijs *comment.*40.*nu.*165. *verſ. Rurſus*, Paramus *vbi ſup.qu.*4.*nu.*19. Decianus *tract.crimin.lib.*5.*c.*38.*n.*27.Farinacius *n.*155.& alij.

6 Notandum etiam, quod quando reus eſt abſens, vel latitat, ne dum citari poteſt domi ſolitæ ſuæ habitationis: ex *cap.Cauſam,quæ de dolo,& contumacia*: vbi Barboſa *nu.*3. *& ſeq.* Sed etiam per ædictum, ad valuas Cathedralis Eccleſiæ; quod in Tribunalibus S.Inquiſitionis videtur frequentius: vt notant Scaccia *de iudic.lib.*1.*c.*98.*num.* 31.Symanchas *tit.*14.*de contumacibus, n.*5.*& 6.& in Enchirid.tit.*145. *n.*7. *& ſeq.*Farinacius *nu.*116. Barboſa *in cap. fin. nu.*3.*de dolo, & contumacia*, & alij. Reus autem latitare dicitur, quando in domo,vbi vxor,& filij habitant, non inuenitur, Barboſa *ibid.n.*4.

Eſt ne adhibenda fides Nuntio atteſtanti,ſe citaſſe reum,& illum inueniſſe,vel non inueniſſe?

7 RESp. affirmatiuè, credendum eſt tali Nuntio,ex Gloſſa *verb.Vocatus,cap.*28.*de elect.* Nec obſtat,quod ſimiles perſonæ habeātur, vt infames. Quia ratione publicæ ſeruitutis reputantur

tantur habiles. Neque per vulgi opinionem, detrahitur illis de propria fide, & credulitate, in præiudicium iuſtiſtitiæ, quæ ſimilibus Miniſtris indiget. Inſuper Nuntius eſt ſeruus publicus, iuramento firmatus. Ergò ei credendum eſt ex officio, ſicut creditur cuilibet experto in ſua arte; *l. ſeptima de ſtatu hominis*. Et confirmatur, quia creditur cuilibet alio teſti, qui deponit prò, vel contra aliquem. Ergò etiam credendum eſt huic Nũtio, qui in nullo videtur differre à teſte. Eius enim relatio eſt expoſitio facti, quod accidit. Ità docent Carena *par. 3. tit. 1. nu. 17.* Barboſa *in cap. Cum dilect. de dolo*. Et ſic etiam habetur expreſsè in Bullis Innocentij IV. & Alexandri IV. *in direct.*

Si in reuiſione proceſſus oriatur aliqua difficultas circa citationẽ rei, eſt ne præſumendum illam præceſſiſſe?

8 RESp. negatiuè; quia, vt ſuprà dictum eſt: citatio neceſſariò requiritur ad validitatem proceſſus; & eſt de ipſius ſubſtantia illius expreſſio. Subſtantialia autem rei, quæ non apparent, vbi neceſſariò expreſſa eſſe debent, non præſumuntur: ſed probanda ſunt: iuxtà Gloſſam *verb. Vocatos, cap. Quod ſicut 28. de elect.* Ergò dum in reuiſione proceſſus, dubitatur de ipſa citatione, non eſt præſumendum, quod ſit facta: ſi quis enim neget fuiſſe vocatum, aduerſario incumbit probatio: ait Gloſſa.

Inquiſitor poteſt ne citare, & capere reum ſubditum extra ſuum territorium?

9 RESp. negatiuè, niſi de licentia Epiſcopi, vel Inquiſitoris illius Diœceſis, vbi reperitur reus ſuus ſubditus. Quia citatio, & captura ſunt actus iudiciales fori contentioſi, qui non poſſunt exerceri in alieno territorio ſine licentia. Et vnuſquiſque Inquiſitor determinatam habet Diœceſim: itaut extrà illam, nihil agere poſſit ſine licentia illorum, qui ibi præſũt. Vnicuique enim ſeruanda eſt propria iuriſdictio: ne ordo in regimine confundatur: *cap. Peruenit 16. 11. q. 1.* Nec obſtat, quod omnes fideles ſubſint eidem Papæ. Quia id intelligitur mediãte inferiorum Superiorum, quibus fideles immediatè in illorum Diœceſibus ſubduntur, vt notat Bordonus *tom. 1. cap. 32. n. 12.*

Ad condemnandum reum contumacem, vel hæreticum formalem abſentem, quot citationes neceſſariò requiruntur?

10 RESp. quod communis praxis eſt, requiri tres moniriones, ſeu citationes; vbi agitur de condemnatione hęretici formalis contumacis, & abſentis. Quia forſan in tertia citatione conuertetur: & eſt conforme iuri Euãgelico de correctione fraterna: *Matth. c. 10*: & iure communi *cap. Omnes 16. q. 7. cap. Conſtitutionem 9. de ſentent. excommunic. in 6.* Ità Farinacius *q. 185. n. 117.* Carena *par. 3. tit. 1. n. 12.* Diana *to. 5. tr. 10. reſ. 124. ex par. 4. tr. 8. reſol. 42.* Royas *ſingul. 29. n. 2.* Symanchas *in cathol. inſtit. tit. 14. n. 6. & in Enchirid. nu. 3. & 4.* Paramus *de orig. inquiſ. lib. 3. qu. 4. n. 65.* Quoad hæreticum verò non contumacem, neque abſentem, ſufficere vnicam citationem, docent Farinacius *nu. 158.* Souſa *in Aphoriſm. lib. 2. c. 27. n. 12.* Carena *n. 7.* & alij.

Citatus ad reſpondendum de fide, ſi per annum integrum, nullo allegato impedimento, reſpondere neglexerit, habetur ne pro confeſſo, & condemnari debet, tanquam hæreticus?

11 RESp. affirmatiuè. Ità Eymericus *2. par. direct. q. 56. nu. 5.* Menochius *de arbitr. lib. 2. conſil. 374. nu. 10.* Scaccia *de iudic. cap. 98. nu. 4.* Salſedus

c. 116.

*c.116.concluſ.5.*Farinacius *q.192.n.14.* & alij. Quia ſic expreſsè habetur *in cap. Cum contumacia de hæreticis in 6.* Et probatur etiam ratione. Quia qui eſt de fide leuiter ſuſpectus, & ob eam cauſam eſt citatus, vt reſpondeat: ſi intra terminum aſſignatum, reſpondere neglexerit; illa ſuſpicio leuis tranſit in vehementem: & ſi in illa negligentia per annum perſiſtat, ſuſpicio vehemẽs tranſit in violentam: ex *dicto cap. Cum contumacia.* Ergò condemnari debet, vt hæreticus.

12 Notandum autem eſt, quod annus debet eſſe continuus, & cum poteſtate comparendi per ſpatium illius anni; qui incipere, intelligendus eſt, non à die excommunicationis incurſæ; ſed à die ſententiæ, ſeu declarationis: vel vt alij volunt à die notificationis. Quia ex illo die tantum, claues Eccleſię grauiter contemnere, & contumax fieri cenſetur; vt docent Albertinus *de hæreticis, q.13.n.35.& ſeq.* Farinacius *de hæret. q.182.n.28.*& alij.

Citatus ab Epiſcopo, & ab Inquiſitore ad reſpondendum in cauſa fidei, coram quo comparere debet?

13 RESp. ſi hæc citatio fiat pro diuerſis temporibus, ipſe citatus coram vtroque comparere debet: quia cũ ex *cap. Per hoc, n.6. de hæreticis in 6.* tàm Epiſcopi, quàm Inquiſitores ſuper eodem negotio procedere poſſint diuiſim: vtique citatus, coram vtroque ſe exhibere debet. Ità Zanardus *in direct. par. 2. cap.6. qu.13.* Souſa *in Aphoriſm. Inquiſ. lib.1. cap.2. n.13.* Farinacius *de hæreſi, q.186.n.94.* Azorius *par.1. lib.8. c.18. q.8.*

14 Si verò citatio facta ſit ab vtroque, ſcilicet ab Epiſcopo, & ab Inquiſitore pro eodem tempore; citatus comparere debet coram Inquiſitore: quia Inquiſitor procedit auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſibi ſpecialiter delegata: Epiſcopus autem auctoritate merè ordinaria: ſed auctoritas à Summo Pontifice delegata, maior eſt auctoritate ordinaria Epiſcopi; vt ex *cap. Sanè 2. de offic. deleg. & ex l.1. ff. de officio eius cui mandata eſt iuriſdictio.* Et ſic etiam docent Bouadilla *in ſua politica, lib.2. cap.21. nu.59.* Gratianus *diſcept. forenſ. to.1. c.111. n.65.& ſeq.* & alij. Ergò citatus pro eodem tempore ab Epiſcopo, & ab Inquiſitore, comparere debet corã Inquiſitore: & ità ſuſtinent Eymericus *in direct. par.2. q.5. n.4.* Pegna ibi, *comment.54.* Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.43. rubr. de modo procedendi,* Farinacius *loc. cit. §.3. nu.87.* Paramus *de orig. S.Inquiſ. lib.3. q.4. rubr. de forma, & ordine iudiciario, n.69.* Caſtro Palaus *par.1. tr.4. diſp.8. punct.13. n.3.*& alij communiter.

15 Immò etiamſi Epiſcopus auctoritate ordinaria præueniat in citatione Inquisitorem: citatus tenetur comparere coram Inquisitore, vti maiore: quia Inquisitor cum sit delegatus à Summo Pontifice, ipsius vices gerit, & illũ repræſentat. Ergò ei eſt obediendum, tanquàm Pontifici præcipienti; quolibet alio Iudice, etiam præueniente, in citatione poſt habito. Ità docet Guido Fulcodius *de dubit. in negotio Inquiſit. qu.1. verſ. Item ſi ponas,* qui allegat Textum *in l. contra pupillum 54. ff. de re iudicata, & in cap. Qui reſtit. 11. qu.3.* Archidiaconus *in cap. Per hoc, nu.6. de hæreticis in 6.* Eymericus *loc. cit. n.5.* Farinacius *q.186. n.92.* Et Zanardus *in direct. par.2. c.6. q.13.* addit. Quod ſi Epiſcopus primò die citans reum, illum in cuſtodiam poneret, nec altero die ad Inquisitorem ire poſſet; Inquisitor poſſet illum repetere, & obtinere ab Epiſcopo; quamuis prius fuerit ab eo citatus. Si autem præcipiant incompatibilia. Vt e.g. Quod reus eadem hora coram vtroque compareat: vel quod curſor reum capiat; altero iubente ne capiatur; & ſimilia. Erit Inquisitori, vt delegato, & maiori in hoc Epiſcopo, parendum: Hæc Zanardus. Verum Diana *to.5. tr.10. reſ.34. ex par.4. tr.8. reſ.47.* ait: In praxi obſeruari, vt in hoc ſit locus præuentioni; iuxtà *Clement.1. de hæreticis.* Qui etiam ſubdit; quod

hæc quæſtio in Hiſpania non habet locum: quia ibi ſoli Inquiſitores proceſſus formant aduerſus reos in rebus fidei; ac proindè ipſi ſoli ſunt, qui eos citant, non autem Epiſcopi; vt etiam obſeruant Molina *de iuſt. tom.* 5. *diſp.* 24.*n.*17.Souſa *in Aphoriſm. inquiſ.lib.* 1.*c.*2.*n.*15.& alij.

16 Sed ſi Epiſcopus procedat contra aliquem auctoritate delegata; vt cùm proceditur contra aliquem regularem, exemptum ab Epiſcopi iuriſdictione: tunc citatus poteſt, comparere coram quo illi placet. Neque ob id, contumax cenſendus erit à Tribunali, in quo non comparuit: vt affirmant Farinacius *dicta q.*186.*n.*95.Souſa *in alleg.c.*2.*nu.* 15.Caſtro Palaus *vbi ſup.punct.* 13.*nu.* 3.& alij. Quia in hoc caſu Epiſcopus, & Inquiſitor ſunt pares; & citatus non delinquit per electionē illorum vnius, *l.ſi quis,§.Cum omnes,ff.ad Syllan.*& ibi Gothofredus *in ſuis notis*, ex Baldo in re pari:& ideò cui illorum voluerit, cōparere poterit.

Supradicta ſunt ne etiam dicenda de Inquiſitorum Vicarijs, ſeu Commiſſarijs: itaut ſi Epiſcopus, & Inquiſitoris Vicarius aliquem citent in cauſa fidei, Vicarij citatio præferenda ſit citationi Epiſcopi?

17 RESp. quod vel Vicarius eſt ab Inquiſitore conſtitutus; vel à Summo Pontifice creatus.Si ab Inquiſitore conſtitutus; præferri debet Epiſcopi citatio: quia Vicarij non gaudent eadem auctoritate, iiſdemque priuilegijs, quibus fruuntur illi, quorū ſunt Vicarij, *l.Filius,& l.Vicarius,ff.de legat.* Si verò talis Vicarius, ſeu Commiſſarius ſit à Papa creatus; vtique de eo dicendum eſt idem, ac de Inquiſitore: & præferenda eſt eius citatio Epiſcopi citationi. Quia Vicarij ab Vniuerſitate, vel à Principe inſtituti, iiſdē priuilegijs potiuntur, ac Iudices ordinarij, *l.vlt.Cod.Vt dignitatum ordo ſeruetur,lib.*12.*& l.ſuggerente, Cod. de off. eius,qui vicem alicuius Iudicis obtinet.* Vt ibi docet Bartolus, ex communi aliorum conſenſu, & etiam Abbas in *cap.Sanè de offic.ordin.* Pegna 3.*par.cōment.*54.Farinacius *vbi ſup.n.*91. Azorius *par.*1.*lib.*8.*cap.*18.*qu.*8. Carena, & alij.

Inquiſitor poteſt ne rei capturam præcipere ſine Epiſcopo?

18 RESp.affirmatiuè:quia ſic expreſsè habetur in *Clement.*1.*de hæreticis*, his verbis:*Quilibet de prædictis ſine alio, citare poſſit, & arreſtare, ſiuè capere, ac tuta cuſtodia mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis, ſi ei viſum fuerit faciendum. Duro tamen tradere carceri, ſiuè arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad cuſtodiam videatur; vel tormentis exponere illos, aut ad ſententiam procedere contra eos, Epiſcopus ſine Inquiſitore, & Inquiſitor ſine Epiſcopo non valebit.* Vbi verò duo ſunt Inquiſitores, vnus sine altero reū capere non poteſt: si ambo præſentes ſint; altero verò abſente, alter ſolus ad capturam poteſt procedere: conuocatis peritis, vbi opus fuerit. Ità Symanchas *in cathol.inſtitut.tit.*34.*n.*37. Diana *tom.*5.*tr.*10.*reſ.*38. *n.*2.*ex par.*4. *tr.* 8.*reſ.*90. Bordonus *tom.*1. *c.*32.*nu.*17.

Inquiſitores, vt ritè, ac rectè ad reorū capturam procedant, quid ſeruare debent?

19 RESp.quod obſeruare debent, an adſit plena, vel ſaltem ſemiplena delicti probatio; vel ſint maxima indicia, ſufficientia ad torturam: nàm ex leuibus ſuſpicionibus non eſt ad carcerationem veniendum; vbi rei fuga non timetur: & quamuis Inquisitores poſſint ſoli, capturam mandare; ſecurius tamen eſt, maturo Conſultorū conſilio rem tantam aggredi: tum ob delictum omnium grauiſſimum: & tum ob famam, quæ ob ſolam capturam nō parum leditur. Ità docent Pegna *in direct. par.* 3. *comment.* 17. *& comment.* 108.

108. Cantera *in quæſt. crimin. c.* 1. *de probat. per teſtes, q.* 1. *n.* 60. Genuenſis *in praxi Archiep. c.* 68. *n.* 1. Zanardus *in direct. Theol. par.* 3. *c.* 83. Scaccia *de iudic. lib.* 1. *c.* 44. *n.* 4. *&* 5. Boerius *deciſ.* 215. *n.* 34. Symanchas *in Enchirid. tit.* 25. *nu.* 2. Diana *tom.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 39. *ex par.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 11. Carena *par.* 3. *tit.* 2. §. 6. *num.* 24.

Teſtimonium vnius contra reum, eſt-ne ſufficiens ad illius capturam?

20 Reſp. ſi teſtis ſit omni exceptione maior, eius teſtimonium eſt ſufficiens, ad capiendum reum: quia communiter Doctores docent: vnum talem teſtem facere ſemiplenam probationem, ſufficientem ad torturam. Ergò multò magis ad capturam. Si verò accuſatus eſſet nobilis, ac bonæ opinionis, & famæ, ad vnius teſtis delationem non eſſet incarcerandus; ſed plures teſtes; vel certiora indicia requirerentur. Ità Royas *de hæret. par.* 2. *aſſert.* 1. *n.* 22. Acugna *tr. de Confeſſ. ſollicit. qu.* 4. *n.* 27. Sigiſmundus Scaccia *lib.* 1. *cap.* 44. *n.* 4. *&* 5. Diana *loc. cit. n.* 2. Qui *reſol.* 67. *n.* 2. *ex par.* 4. *tr.* 8. *reſ.* 121. *n.* 2. cum Caſtro Palao *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 13. §. 2. *n.* 5. ait: In Hiſpania ſancitum eſſe, vt Inquiſitores particulares nullum Religioſum, nullumue nobilem, aut aliqua ratione inſignem, comprehendant; quin prius certiorem faciant Inquiſitorem generalem; & eius ſupremũ Senatum; miſſis ad eos indicijs, & probationibus habitis contra talem reum; & ex eorum præſcripto procedatur, & non aliter. A qua regula ſolum eſt excipiendus caſus periculi, fugæ, vel alterius grauis mali.

Quæ indicia requiruntur ad huiuſmodi rei capturam?

21 Reſp. quod indicia ſufficientia ad capturam ſunt, quæ talia æſtimantur à prudenti arbitrio Inquiſitoris: vt colligitur ex *l.* 1. *ff. de cuſtodia reorum*, & affirmant Præſes Abauo *in praxi*, §. *captura*, *n.* 7. Farinacius *qu.* 27. *n.* 126. *& ſeq.* Souſa *in Aphoriſm. inquiſ. lib.* 2. *c.* 26. *n.* 7. & alij. Debet autẽ Inquiſitor, dum præcipit, contra aliquẽ capturandum, multum temperare arbitrium ſuum: & ſicut ſuprà dictum eſt, cum conſilio ad eius carcerationẽ procedere: vt notant Pegna *par.* 3. *comment.* 17. Carena *par.* 3. *tit.* 2. §. 6. *nu.* 23. Martinus del Rio *lib.* 4. *diſquiſ. magic. ſect.* 7. circa principium. Et quo crimen eſt atrocius, & communitati perniciosius, eò leuioribus indicijs fretus, poteſt ad capiendum procedere, habẽdo etiam rationem perſonæ; itaut facilius procedat contra vilem, & pauperẽ, ac plebeium, quàm contra nobilem, bonæ famæ, & locupletem Et Farinacius *q.* 187. *nu.* 7. & Carena *num.* 25. qui alios allegant, addunt ex Pegna *comm.* 108. *verſ. Primum ergò*: non eſſe deueniendum, ad capturam alicuius Officialis, vel perſonæ inſignis, niſi conſulto Supremo Tribunali. Secus autem ſi eſſet perſona alias ſuſpecta, vt ſi eſſet ex genere Iudæorum, & eſſet denunciata de aliquibus iudaicis cæremonijs, poſſet carcerari ex dicto, etiam vnius teſtis, aliquam exceptionem patientis: quia ex præſumptione, quæ oritur ex illius origine, addita depoſitioni illius teſtis, coaleſceret ſemiplena probatio. Ità Carena *n.* 26. qui refert: quod in ſupremo conſilio Inquiſitionis Hiſpaniæ ex dicto vnius mulieris, minoris annis 18. capti fuerunt duo homines, pro hæreſi, ex eo quod erant illi de genere Maurorum; & cæremoniæ, de quibus illa mulier teſtabatur, erant Mahometanæ. Et ſic contra eos erat præſumptio: eſſe de illo genere. Nam ex malis parentibus præſumitur contra filios, ex *cap. Quia veriſimile de præſumptionibus*, & teſtatur Cantera *cap.* 2. *de probat. per teſtes, rubr. de indicijs ad torturam, num.* 27. *verſ. Vnum tamen.*

Quomodo ſe gerere debet Inquiſitor in carceratione Strigis, ſeu Lamiæ, & maleficæ?

Reſp.

22 Reſp. quod antequam ad carcerationem Lamiæ Inquiſitor deueniat, diligenter animaduertere debet. Primò, an ſit probatum corpus delicti,& an ſint indicia ſufficientia, ad illud probandum. Secundò,ne ſit facilis ad procedendum contra ipſam ob famæ indicium. Quia quamuis fama, alias ſit indicium magni momenti; tamen ob commune odium, quod in Striges, ſeu Lamias habetur: contra quas omnes immaniter clamant: faciliimè inſurgit huiuſmodi fama contra aliquam mulierem; præcipuè quando eſt vetula,& turpis formæ. Et ideò fama eſt indicium modici momenti: vt notat Carena *par.2.tit.12.§.23.n.203.* Tertiò, fieri debet perquiſitio domus lamiæ in actu capturæ ab Inquiſitore, vel eius Vicario, & Notario, abſque interuentu alicuius conſanguinei, vel familiaris ipſius lamiæ, ne oriantur ſcandala,& fraudes. Et à Notario omnia ſunt ſcribenda; tàm quæ ſunt contra ream,quàm pro ipſa; quia non ſunt omittenda in præiudicium rei,quę pro ipſo faciunt,ſcribendo tantum quæ Fiſco fauent, Carena *nu.*207.& alij apud ipſum. Quartò, diligenter ſunt examinandi Medici, qui maleficiatum curarunt,& alij magis periti, circa circumſtantias,qualitates,accidentia ſingularia infirmitatis; an ipſa eſſe poſſit naturalis: vt notant Maſſinus *in praxi S.Officij,p.7.* Porrus ad Ambroſinum,*lib.1. cap.1.n.15.* Carena *n.*208. Quintò, hæ lamiæ, & maleficæ ſunt cuſtodiendæ ſingulæ in ſeparatis carceribus; & vt nemini ſit facultas conceſſa,ipſas alloquendi; immò etiam cuſtos carceris, cautè cum ipſis ſe gerere debet; nec quidquam eis ſuadere, quod fateri debeant:Maſſinus *vbi ſup.* Carena, *n.*210. Sextò, Iudices ipſi nunquam eas alloquantur,niſi iudicialiter, cùm eas examinent, Souſa *in aphoriſm.inquiſ.lib.2. c.26.n.22.* Carena *n.*211. Pegna *par.3. direct.comment.*108.*verſ. Hæc amplius Inquiſitores.*

Maleficæ, & ſortilegi,poſſunt ne capi in Eccleſia, vel gaudent immunitate?

23 Reſp. poſſe capi in Eccleſia: quia non gaudent immunitate. Tùm quia eorum crimen eſt grauiſſimum,& atrociſſimum; Tùm quia ſunt ſacrilegi, venefici, & homicidæ deliberati,& proditorij. Et tum etiam quia vt plurimum ſunt hęretici,& apoſtatæ. Et nullis iſtorum ſuffragatur immunitas loci ſacri: & quia Inquiſitores, & Epiſcopi non ſubduntur Bullæ Gregorianæ. Ità Martinus de Rio *lib.4.diſquiſ.magic.ſect.7.ver.Capi Sortilegos.ſeu maleficos*, Farinacius *de immunitate, cap.13.n.167.& 175.* Souſa *lib.2.cap.26.n.28.*

Huiuſmodi rei in carcerem coniecti, & cauſa pendente, ſunt ne diebus feſtiuis,ad Miſſam audiendam, admittendi?

24 Reſp.negatiuè. Tum quia ità in Sacro Tribunali, ex conſuetudine,antiquitus recepta ſeruatur:& cõſuetudo habet vim legis. Tum etiam, quia ratio id poſtulat. Nàm cùm in hiis reis magna præſumptio ſit: eos excommunicatos eſſe: conſequenter etiã ſi inſpecto iure communi, antè ſententiam vitare non teneremur; tutius tamen eſt; vt euitemus; cum plura argumenta; eos tunc tales eſſe, ſuadeant: Excommunicatos autem vitare iubemur; vt eſt notiſſimum ex *cap. Nuper extra de ſentent.excommunic.& cap. Ad menſem* 11. *qu.*3. Deindè ſi vincti huiuſmodi ad Miſſam audiendam ducerentur, facilè contingeret, vt ſaltem nutibus, & ſignis, complices, & ſocij criminis, ſibi mutuo indicarent,qualiter eſſet veritas celanda, & iuſtum iudicium ſubterfugiendum.Inſuper cùm in Sancto Officio non ſoleant rei capi, niſi legitimis indicijs, & ſufficientibus teſtibus præcedentibus, & denunciationibus, cum multa diligentia diſcuſſis, vt tradunt Royas *tr. de hæret.par. 2.aſſert.1. nu.12.* Symanchas *de cathol. inſtit.*

inſtit.tit.16. n.1.& 2. & alij. Ergò in carcerem coniecti,& pendente iudicio, iuſtè ad audiendam Miſſam, non admittuntur; cùm per præcedentes probationes, & antè habitas depoſitiones,& informationes; quaſi notum, & exploratum ſit fidei Iudicibus: reos illos tales eſſe; quales denunciati ſunt. Ità docet Pegna *par. 3. comment.* 108. *verſ.cæterum,& ſeq.*

Inquiſitores poſſunt ne capere reum in alieno territorio?

25 Reſp. docere Symancham *de cathol.inſtitut.tit.2.n.14.* Scaccia *de iud^l c.lib.1.cap.23.n.4.& ſeq.* Diana *tom.5.tr.10.reſ.36.ex par.4.tr.8. reſ.7.* Carenam *par.3.tit.2.* §.7. Inquisitores non ſolum ſine vllis litteris requisitorijs Dominorum temporalium:ſed etiã irrequisitis Epiſcopis, & alijs Inquisitoribus: poſſe capere reum ſuum ſubditum,extra ſuã Diœceſim, & in alieno territorio: quia omnes ſubſunt eidem Pontifici Maximo. Sed in praxi Inquisitores mittere ſolent Epiſcopis, & alijs Inquisitoribus literas requiſitorias. Bordonus verò *tom.1. cap.32. n.12.*exiſtimat: Inquisitorem non poſſe, neque capere, neque citare ſubditum, exiſtentem extra ſuum territorium: niſi de licentia Inquiſitoris, vel Epiſcopi illius Diœceſis, vbi tunc reperitur ſuus ſubditus: quia citatio, & captura ſunt actus iudiciales fori contentioſi, qui non poſſunt exerceri in alieno territorio ſine licentia: vt docét Oldr.*conſil.*88.*num.*1.§.*Primò dico*, Federicus de Senis *conſil.16.n.13.§. Item non obſtat*,Genuenſis *cap.69.n.*18.Nec obſtat, quod omnes fideles ſubſint eidem Papæ.Quia id intelligitur mediãte inferiorum Superiorum, quibus fideles immediatè ſubduntur ſingulis in ſuis Diœceſibus: ità quod ſingulis proprium ius obſeruandum eſt: ne ordo peruertatur, *cap. Peruenit 36. 11. qu.1.*

Si aliqua perſona inſignis, vel auctoritatis ſit capienda, nempè Religioſus, nobilis, litteris conſpicuus,incorruptæ vitæ, aut bonæ famæ, in eius captura quid ſeruare debet Inquiſitor?

26 Reſp.quod non prius ad eum capiendum procedere debet,quã Superiores conſuleret, & illi decreuerint; an is in carcerem ſit mittendus. Et quia Superiores deliberare hoc nequeunt, niſi cauſa cognita: Inquiſitor ſummarium proceſſus, & informationẽ delicti, & indiciorum eis mittere debet. Quod etiam ſeruandum eſt,quando Conſultores, de captura, cum ipſo Inquiſitore non conſenſerint. Ità Pegna *par.3. comment.*108. *verſ. Si perſona*,Royas *de hæret. p.2. aſſert.1.nu.22.* Souſa *in Aphoriſm inquiſ.lib.2.cap. 26. n.11.*Farinacius *q.181.n.7.*Carena *p.3. tit.2.§.6.n.25.*& alij.

Si contra reum, & plures complices ſit ad capturam procedendum, ſufficit ne, vt conſignetur executori vnum mandatum executiuum cõtra omnes?

27 Reſp.negatiuè; ſed contra ſingulos ſingulare mandatum eſſe expediendum, & ab Inquiſitore ſubſcriptum: quod ſingulorum proceſſibus inſeretur; vt de huiuſmodi actu, quod eſt magni momenti,conſtare poſſit. Ità docent Paulus Garzia *in praxi. fol.5.*Pegna *par.3.comment.*108.*verſic. Iam vbi captura*,Souſa *loc.cit.n.*17.Carena *ibid.§.8.n.29.*Bordonus *to.1.c.32. n.16.*

Supradictum mandatum eſt ne reo oſtendendum ab executore?

28 Reſp. affirmatiuè; quia aliàs reus non teneretur credere, eum tale mandatum habere contra ſe ipſum:vt in *l.probibitum, Cod. de iure Fiſci*,& ibi Bartolus,& alij,Farinacius *de teſti-*

teſtibus,q.56.n.374. & ſeq. & de carceribus,& carceratis,q.32.nu.31. Clarus *in praxi,* §.*fin.qu.28.verſ. Dictum eſt,* Carena *vbi ſup.n.33.* qui etiam addũt, quòd alias reus impunè poſſet executori reſiſtere. Verum Bordonus *loc. cit.* ait,hoc non obſeruari in praxi, quia huius officij miniſtri noti ſunt.

Executa citatione, ad quid tenetur Nuncius?

29 RESp. teneri in actis Cancellarij S.Officij, cum iuramento referre,ſe talem citaſſe eo modo, quo ab Inquiſitoris mandato, fuit ordinatum: & in hoc plenè ei creditur, vt affirmãt Barboſa *in cap.Cum dilecti,n.4.de dolo, & contumacia,* Carena *par.3. tit.2.§.4. n.17.*Bouadillus *lib.1.cap.13.n.44.* vbi benè notat: Non eſſe credendum Nũcio aſſerenti: citatum ſibi dixiſſe, nolle comparere.

Datur ne appellatio à captura, ſeu à carceratione?

30 RESp. Quod in S.Officio admitti non ſolet huiuſmodi appellatio,quia loca,pro carceribus deputata, ſunt leuia, & humana, non autem auſteriora. Immò Guido *deciſ.235.* ait appellationem non habere locum in captura reorum. Bordonus verò *loc.cit. n.15.*docet, quod,quia carcer ex natura ſua aggrauat appræhenſum, cùm illum ſua libertate priuet: ideò quoad hoc grauamen appellare poteſt: ſed nõ in totum liberatur;cùm tunc detur domus aliqua,vel cubiculum benè viſum Iudici, pro cuſtodia; vel cum fideiuſſione dimittitur in domum ſuam. Ità Bordonus.

Inquiſitus in S. Officio frangens carcerem,& fugiens, habetur ne pro confeſſo de crimine, ob quod ibi detinebatur?

31 RESp. quod Godofredus Abauo *in praxi, & theorica crimin.* §. *Fuga carceribus effractis, num.2.* & alij quamplures, qui de hac materia tractarunt, affirmant: Frangentes carcerẽ haberi in iure pro confeſſis de criminibus,ob quæ detinebantur. Et carceratum pro hæreſi, habendum eſſe pro conuicto,ſi fugiat; & tanquam hæreticum eſſe damnandum:ſuſtinet Zanchinus *de hæret.cap.16. nu.4.* & ibi Campegius *in addit. litt.B.* Sed oppoſitum eſſe dicendum,docent Symanchas *in annotat.ad tract.Zanchini, cap.8. & in cathol.inſtitut.tit.16.n.13.*Royas *de hæret.par.2.aſſert.15.*Pegna *par.3. comm. 35.*Souſa *in Aphoriſm.inquiſ.lib.2.cap. 26.n.37.*Diana *tom.5.tr.12.reſol.15.ex par.4.tr.7.reſ.15.*Carena *par.2. tit.17. §.21.n.72.* & alij. Quia præſumendum eſt eum fugiſſe carceris tedio,vel metu falſorum teſtium, vel ob timorem tormentorum: & non quia haberet errorem in intellectu contra fidem: niſi de hæreſi eſſet in proceſſu conuictus.

Qua pœna talis fugitiuus in hoc Sancto Tribunali eſt puniendus?

32 RESp.Quod quamuis detentus in carcere pro crimine hæreſis, si fugiat, neque pro confeſſo, neque pro conuicto habeatur: tamen ex ipſa fuga reſultat contra ipſum indicium ad torturam:& citandus eſt:& si non compareat,excommunicatur:& si per annum inſordeſcit, declaratur hæreticus; & eius ſtatua de more comburitur. Ità probat Souſa *loc. cit.* Paulus Garzia *in ſuo tractatu ex ordine Supremæ S.Inquiſitionis Hiſpaniarum impreſſo de S. Officio,fol.63.*Diana,& Carena *vbi ſup.* & alij. Si autem fugiens, carceribus fractis,iterum à Miniſtris capiatur, tũc ratione fracturæ, & fugæ: ſi perſona ſit nobilis,vel Doctor,vel Religioſus, aut honorabilis ciuis,puniri ſolet arctiori, & duriori carcere: Si verò perſona ſit vilis, fuſtibus publicè flagellatur. Et cauſa hæreſis, in ſuo ſtatu permanens, tractatur; quamquam & alijs pœnis puniri poſſit.Ità Pegna *par.3.comment. 35.*Paramus *lib.3.q.4.n.72.& ſeq.* Seſſe

ſe *tom.4.deciſ.471. nu. 6.* Diana *loc.cit.* Carena *nu.* 74. Si talis fugiens ſpontè redierit,benignè erit tractandus;& puniri poterit pœna extraordinaria : vt notant Fernandez de Otero *par. 3. diuerſ.quæſt.iuris, q.*113. Cantera *in ſuis quæſt.crimin.par.4.cap.9.nu.*37.Farinacius *q.30.n.*8.Souſa *loc.cit. n.*32. Carena *n.*74.Et ſi fugiens fractis carceribus ſtatim ſe præſentaret Supremo Tribunali,nulla pœna eſſet afficiendus: quia qui ad Superiores vadit, non dicitur frangere carceres;vt docent Iacobus à Sancto Georgio *in l.1.nu.9. Cod.de ſeruis fugitiuis*, Marius Giurba *conſ.deciſiuo 69.nu.*19.Fernandez de Otero *qu. 19.n.vlt.*Carena *n.*77.

Fugiens, fracto carcere ab hoc Tribunali, incurrit ne pœnas Bullæ Pij V. *Si de protegendis*?

33 RESp.negatiuè;quia quamuis aliqui Doctores,quos refert Carena *par.2.tit.*17. §.21. *nu.* 76. opinati sint dictam Bullam compræhendere, non ſolùm eximentem carceratum de manibus iuſtitiæ; ſed etiam ipſummet carceratum ſe eximentem.Tamen contrarium ſuſtinet Carena *ibid. verſ. In contrarium*: quia multò grauius eſt delictum, eximentis alium è manibus iuſtitiæ,quàm eximentis ſe ipſum.Nàm vnicuique licitum eſt,ſuum ſanguinem redimere, *l.prima de his,qui ſibi mortẽ, &c.* Et cum hæc lex ſit pœnalis non eſt amplianda ad ea, quæ in Bulla non exprimuntur. Ideò optimè Carena concludit : In hoc caſu: Inquiſitoris partes erunt, Supremum Tribunal cõſulere, & ab eo congruum reſponſum expectare.

Indebitè carcerati in carceribus S.Officij, ſi carcerem fregerint, & fugiant, ſunt ne puniendi?

34 RESp.negatiuè ;ità Martinus del Rio *lib.4.diſquiſ.magic. ſect.7. verſ.Indebitè carcerati:*vbi ait: Propter talem fugam, etiamſi carcerem fregerint,nec puniendi erunt,neque pro cõfeſſis habendi, neque ad carcerem redire tenentur; etiam ſi redire iurauerint. Sic Couarruuias 1. *var. reſol.c.2. n.7.&* 11. Neque tenentur ad pœnam conuentionalem ipſi,vel fideiuſſores,ſi quos dederunt: Farinacius *q.30. n.*70. Neque ad torturam, propter huiuſmodi fugam rapi poſſunt, (vt poſſent ſi carcer fuiſſet iuſtus) : etiam ſi animo non reuertendi fugiſſent : Farinacius à *n.*85.Sed an in foro conſcientię peccet fugiens ex iuſto carcere: Peccare cenſet Farinacius *n.*90. Couarruuias *lib.1. var.reſol.cap.2. nu.*8. & 14. Sed non peccare cenſuit Maior, & Felinus cum antiquis aliquot Canoniſtis, & ex recenſioribus Lopez *in ſua inſtruct.c.66.* Immò,& teneri fugere,ſi tutò poſſit,voluit Vittoria *in relect.de homicidij.* Hæc Martinus del Rio.

Quare Striges,& Sortilegi non poſsũt ſuis vnctionibus ab ipſo carcere liberari?

35 RESp. Quia Deus non permittit Dæmones exercere potentiam ſuam: vt è carcere illi eripiantur:quia hoc eſſet in ſcandalum ipſorum Iudicum,& Dei ignominiam.Nàm videretur plus poſſe Diabolum in ſuis miniſtris,ſtrigibus,& ſortilegis,quàm Deus in ſuis,qui ſunt Iudices. Ità cum Diuo Thoma communiter Doctores.

Carceris Cuſtos qua pœna puniendus eſt pro carcerati fuga?

36 RESp.Quod huic quæſito reſponſum fuit ſuprà *cap.11.nu.2. & ſeq.* idcircò ſolùm nunc dicitur, quod quamuis *in l.commentarienſem,Cod.de cuſtodia reorum*, aſſeratur talem Cuſtodem puniri debere eadem pœna, qua puniendus erat carceratus fugitiuus. Tamen hìc Textus non eſt abſq; diſtinctione obſeruandus. Nàm maior pœna dicto Cuſtodi debetur pro dolo, quàm pro leui, vel leuiſſima culpa; maior pro fuga carcerati, qui erat de-

delicto cõuictus, quàm pro fuga illius, qui mox eſt relaxandus: vt notant Præſes Abauo *in ſuis quæſt. quæſt.*13. Farinacius *de carceribus, & carceratis, q.*31. *per totam*, Carena *par.*1. *tract.*15.*n.*6. Puniendus eſt etiam pro culpa leuiſſima: quia Cuſtos carceris cùm eligitur ad hoc munus, præſtat iuramentum, adhibendi omnem diligentiam, ac ſollicitudinem pro reorum cuſtodia: & ideò tenetur eos cuſtodire eo modo, quo ſe gerere ſolet diligentiſſimus pater familias: vt docent ſupradicti Doctores *locis citatis*. Nec permittere poteſt, vt aliquis cũ carceratis alloquatur: quia in nullo caſu in hoc Tribunali licitum eſt, alloqui cum ipſis carceratis ſine licentia, vel præſentia Inquiſitoris, aut alterius ab eo deputati: vt notat Carena *num.*7. Et ſi Inquiſitor alios milites addat ad cuſtodiam alicuius rei, non idcircò liberatur ordinarius Cuſtos ab onere ſuo cuſtodiendi: vt aiunt Bartolus *in l.Vt certò*, §.*Si de me, ff.commodati*, Syluester *verb.Cuſtos, n.*4. Auila *in cap.Pratorum, n.*34. Carena *n.*9. & alij.

Carceratus, qui ad inſtantiam Epiſcopi, non habentis tutos carceres, recipitur, & retinetur ab Inquiſitore in carceribus ſuis; ſi ibi frangit carcerem, vel aliud committit delictum, & non poteſt fugere, eſt ne iudicandus ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore?

37 RESp. poſſe illum iudicare, & punire, de hoc tantùm delicto, Inquiſitorem. Quia quamuis ſit carceratus Epiſcopi, & eius ſubditus; tamen quia delictum fractionis carcerum eſt ſpeciale delictum, ſpeciali pœna puniendum, & dum eſt commiſſum in carceribus Inquiſitoris, ipſe Inquiſitor habet ius illum puniendi. Et ità rationibus, & exemplis probat Carena *par.* 2.*tit.*17.*n.*78.*& ſeq.*

Carceratus in S.Officio, qui ſe ipſum occidere tentauit, qua pœna, & à quo Iudice eſt puniendus?

38 RESp. quod huiuſmodi occiſio, vel vulneratio eſt delictum: quia nullus eſt Dominus propriæ vitæ, neque ſuorum membrorum; & nemini licet ſe ipſum occidere, aut vulnerare: vt probant latiſſimè Gomez *de poteſtate hominis in ſe ipſum, lib.*1.*c.* 1. *& c.*5. *per totum*, Farinacius *de homicidio, qu.* 128.*per totum*, & alij communiter. Hæc autem occiſio, vel vulneratio prouenire poteſt carcerato: vel ex conſcientia ſui criminis, ob quod in carcerem coniectus eſt: vel ex impatientia carceris, & doloris, aut ex tædio vitæ. Si ex prima cauſa ſe occidit, & ſaltem ſemiplenè probetur delictum ſuæ occiſionis; ſua bona Fiſco applicantur. Quia qui ſe occidit in carcere, punitur confiſcatione bonorum: vt probant Farinacius *loc.cit.n.*47.*& ſeq.* Gomez *cap.*23.*n.*26. Cantera *in ſuis quæſt.crimin.par.*4.*de homicidio, n.*54. Si verò non ſe occidit, ſed tantum vulnerauit: tunc puniendus eſt pœna extraordinaria, non autem mortis: vt ait Farinacius *nu.* 35. & Gomez *cap.*21.*nu.*1.*& ſeq.* Si ſe ipſum interfecit, vel vulnerauit tædio vitæ, vel doloris, aut carceris impatientia: tunc non punitur. Ità expreſsè habetur *in l.fin.*§.*Si quis autem, ff.de bonis eorum, qui ſibi mortem, &c.* Farinacius *loc.cit. n.*39. Clarus *in praxi*, §.*fin.q.*68.*verſic. Se ipſum occidens*. Si autem dubitatur an ſe occiderit, vel vulnerauerit ex cõſcientia criminis, vel ex tædio vitæ; Cantera *vbi ſup.* diſtinguit: quod ſi carceratus ſe interfecit, poſtquam contra eum in iudicio facta eſt ſemiplena probatio delicti, & ipſe ſcit ſe in carcerem coniectum ob illud delictum; præſumitur certè ſe occidiſſe ex conſcientia commiſſi criminis; aliàs ſecus. Tandem certum eſt: Inquiſirores eſſe Iudices competentes aduerſus iſtos carceratos: cum in Sancto Officio ſe ipſos occidant; vel animo occidendi ſe vulnerant; quia id faciunt, ex conſcientia patrati criminis, ſpectantis ad Sanctum Officium. Ità Carena *par.*2. *tit.* 17. §. 22.*n.*82.*& ſeq.*

CAP.

CAPVT XVI.

De ſpontè comparẽtibus in Tribunali S. Inquiſitionis.

Quis nam dicitur in hoc S. Tribunali ſpontè comparens?

1 Reſp. Quod dicitur ſpontè comparens, qui non vocatus, nec citatus, nec accuſatione, aut denunciatione præuentus, ſpontè coram Epiſcopo, vel Inquiſitore comparet, & omne commiſſum delictum contra fidei documenta, omneſque complices fatetur. Illud autem dicitur fieri ſpontè, quod propria voluntate, & ſine alterius requiſitione efficitur. Ità Gloſſa *in cap. 1. 16. q. 6. verb. Spontè*, Fulcodius *qu. 2.* Carena *par. 2. tit. 18. nu. 19.* Souſa *lib. 4. cap. 8. n. 5. & ſeq.* Requiritur, vt quis dicatur: ſpontè comparens, vt non ſit præuentus accuſatione, vel denunciatione: quia in Bulla 23. Iulij III. incipiente. *In multis*, præcipitur: *Non accuſatos, nec denũciatos, ſi ſe ipſos humili, & contrito corde accuſant; eſſe, vt ſpontè comparentes recipiendos*. Inſuper requiritur, vt plenam, ac integram, tàm de ſe, quàm de alijs ſocijs veritatem fateatur, & de ſuis delictis veniam humiliter petat. Quia quoad hanc integritatem, confeſſio ſpontè comparentis æquiparatur confeſſioni ſacramentali: in qua ſi vnum mortale peccatũ omittatur, committitur ſacrilegium, & peccatorum remiſſio non obtinetur. Ità ſimiliter in hac iudiciali confeſſione, niſi quis plenè, & integrè commiſſa delicta, & illorum complices fateatur, remiſſionis gratiam non conſequitur. Ità colligitur ex Concil. Bitterenſi, *c. 2. ex l. ſpontè de muneribus, & honoribus, l. 4. §. fin. Cod. de ſicarijs, l. 2. Cod. de his, qui latron.* Et ità docent Archidiaconus *in cap. Vt commiſſi de hæreticis in 6.* Pegna *in direct. par. 3. comment. 12.* Farinacius *de hæreſi, q. 193. n. 28.* Carena *par. 2. tit. 18. §. 1. nu. 1.* Bordonus *to. 1. c. 30. nu. 23.*

Spontè comparentes quomodo in hoc S. Tribunali tractantur?

2 Reſp. Satis benignè, ac mitiſſimè, & ſola eis ſalutaris pœnitentia imponitur; nempè orationes, ieiunia, eleemoſynę Sacramentorum confeſſionis, & Euchariſtiæ frequentia, & alia charitatis opera. Ità expreſsè decernitur in dictò Concil. Bitterenſi *c. 2.* his verbis: *Venientes pœnitentes, & dicentes plenam de eo, ac de alijs veritatem, habeant impunitatem mortis, immutationis, exilij, & confiſcationis bonorum.* Et colligitur etiam ex *dicta l. ſpontè de muner. & honor. & l. 4. §. fin. Cod. de ſicarijs*. Quia mitius eſt agendum cùm ſpontè confeſſis, quàm cùm conuictis, *c. Præsbyterum 50. diſt.* & Gloſſa communiter recepta *in c. de hoc verbo in iure, extrà de ſimonia*, vbi Hoſtienſis, & Panormitanus *in 6.* omneſque Doctores confirmant; & in praxi obſeruatur.

Spontè comparentes quomodo interrogandi, & admonendi ſunt ab Inquiſitoribus?

3. Reſp. Quod ſiuè hæretici fuerint, ſiuè de hæreſi ſuſpecti, interrogandi ſunt: an erroribus ſuis firmiter crediderint, vel dubitauerint: quantò tempore in illis permanſerint: à quibus eos didicerint, & quomodo: an illos errores ad alios docuerint, & quibus: an libros prohibitos legerint, & quos, & à quibus illos habuerint, & an illos retineant, vel alijs dederint: qui fuerint eorum complices: an alios agnoſcant hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos: an ſciant, vel ſuſpicentur, in aliquo Tribunali, ſe de prædictis erroribus fuiſſe præuentos, vel inditiatos: an ipſos verè pœniteat, in huiuſmodi errores incidiſſe: an illos errores, & omnes alias hæreſes parati ſint deteſtari, & abiurare, & de cæterò catholicè viuere, & pœnitentiam ſibi iniungendam adimplere. Et tandem monendi ſunt, vt integram veritatem dicant, nec ali-

quid commiſſum celent, vel complices taceant: ne diminuti confitentes, & fictè conuerſi æſtimentur, & puniantur. Et ſic dimittantur cum clauſula: Dummodò in aliquo S. Officij Tribunali nō ſint præuenti: quia qui eſt alibi in S. Officio quærelatus, non dicitur ſpontè comparens, vt ſuprà probatum eſt, & notat etiam Eymericus *par.3. direct.n.56.* & ibi Pegna *comment.* 12. Farinacius *q.193.n.27.* Bordonus *loc.cit.n.24.*

Inquiſitor poteſt ne ipſe ſolus abſque Notario recipere confeſſionē ſpōtè comparentis?

4 RESp. Si error, vel delictum commiſſum fuit, cùm complicæ, vel coram alijs, aut ad aliorum aures peruenit: Inquiſitor debet iudicialiter recipere confeſſionem ſpontè comparentis cùm Notario, qui illam regiſtret: vt ſi ab aliquo poſteà denunciatus fuerit, agnoſcat ex illa denūciatione, ſeu teſtibus, an defecit in ſpontanea cōfeſſione: et ſic appareat an ſit puniendus; ſed mitius, quia venit non vocatus. Si verò denūciatio aſſimiletur cōfeſſioni illius ſpōtaneę, non eſt vlterius procedendū. Ità Eymericus *in direct. par.3. de ſpontè venientibus, nu.60.* & ibi Pegna, Bariola *in par. 3. comment.* 12. *in fin.* & alijs citatis *in Aphor. verb. Inquiſitores*, Bordonus *vbi ſup. nu.* 25. Aliquandò etiam poteſt ſine Notario Inquiſitor recipere ſpontaneam comparitionem. Sed neceſſarium eſt, vt ipſe illam regiſtret.

5 Si autem error, vel factum ſit totaliter ſecretum: vtpotè, quis dubitauit aliquandò de Sacramento Euchariſtię, vel ſimili; & aliquando credidit: Sacramentum hoc nihil eſſe; & aliquandiù ſtetit in hac incredulitate; nulli tamen ſe reuelauit, nec aliquem infecit: tunc quia delictum eſt totaliter ſecretum, nec adeſt, qui illud ſcire poſſit: Inquiſitor in hoc caſu non debet adhibere Notarium: ſed per ſe ipſum oretenus debet, ſine ſcriptis recipere confeſſionem delinquentis, & cum ſalutaribus pœnitentijs illum admittere: indicendo ei, vt ſtet firmiter in catholica fide, & repellat tales tentationes. Quia in hoc caſu, & ſimili, nulla militat ratio, ob quam mouēdus ſit Inquiſitor ad recipiendum in ſcriptis delictum omninò occultum. Ità docent Eymericus *loc.cit.nu.61.* Bordonus *nu.* 27. Farinacius *de hæreſi, q.193. nu.37.* Carena *par. 2. tit.18. §.1.* Notat verò Pegna *loc.cit.nu.61.* Non eſſe contemnendum hoc Eymerici conſilium: ſed tutius eſſe, quod Inquiſitores non audiant ſacras confeſſiones: ſed ſemper perſuadeant ſpontè venientibus, vt iudicialiter confiteantur crimina ſua: hoc eſt, vt Notario eorum confeſſionem recipiente coram Inquiſitore dicant peccatum ſuum: indè ſecreta reconciliatione facta, mox abſoluat eos. Ità Pegna.

Spontè comparitio Confeſſarij ſollicitantis, poteſt ne ab Inquiſitore ſine Notario, & ſine ſcriptis recipi?

6 RESp. negatiuè; ſed neceſſariò recipienda eſt cùm Notario in ſcriptis: quia eſt delictum non omninò ſecretum, ſed in foro externo probabile. Nàm pœnitens ſollicitata nequit abſolui, niſi Confeſſarium ſollicitantē denunciet. Immò Inquiſitor præſumere poteſt, talem Confeſſarium non ſpōtè præcisè, & abſolutè comparuiſſe; ſed potiùs ex metu denunciationis faciendæ à perſona ſollicitata. Ideò Inquiſitor cum aliquo rigore poteſt contra eū procedere: ſemper verò mitius, ac ſi ſpontaneæ non comparuiſſet, quia nec citatus, nec vocatus venit, & illa ſpontanea comparitio debet ei non obeſſe, ſed prodeſſe, vt notant Bordonus, Farinacius, Carena *locis citatis*, & alij.

Spontè comparens, ſed volens detegere crimen ſuum per modum cōfeſſionis ſacramentalis, eſt ne ab Inquiſitore admittendus ad illius ſacramentalem confeſſionem?

Reſp.

7 RESp. negatiuè, tùm quia Inquiſitor eſt Iudex in foro iudiciali externo, non autem in foro pœnitentiali interno. Tum quia nonnulli dubitantes, & timentes, ne præueniantur ab Inquiſitore iudicialiter, per ſe venirēt, & audiri in confeſſione ſacramētali eidē Inquiſitori peterēt, ne ſic cōfeſſi, poſſent detegi, & puniri. Et tum etiam, quia Inquiſitor audiēs aliquem in confeſſione ſacramentali, ſi ille ſuo errore multos infecit, vel in delicto cōplices habuit, & ex iſtis aliquis denunciatus ab alio, & iudicialiter interrogatus, illius confeſſi delictum detegit. Ille etiam citandus eſt, & medio iuramento de ſuo delicto interrogandus. Tunc imponet Inquiſitori, quod ſecretum confeſſionis reuelauit: ideò nunquam Inquiſitor admittere debet ſpōtè comparentes, ad ſibi fatendum in confeſſione ſacramentali ſuos errores, & peccata. Ità admonent Eymericus *par.3.direct.tit.de ſpontè venientibus,n.59.* Campegius ad Zanchinum *cap.34.verſ.Conſiderent etiam Inquiſitores,* Locatus *in opere iudiciali,verſ.Abſoluere,nu.7.* Pegna *par.3. direct. comment.12. num.59.*

Spontè comparens, ſed nolens confirmare in ſcriptis ſuum delictum coram Notario, poteſt ne ad id ab Inquiſitore cogi?

8 RESp. affirmatiuè, ſi delictum eſt de illis, quæ committuntur cùm complice, vel probari poſſunt, vt ſuprà dictum eſt: quia per illam comparitionem Inquiſitor acquiſiuit ius, ad eū iuridicè interrogandum pro foro externo, & conſequenter redigenda eſt in ſcriptis eius confeſſio: vt notat etiam Bordonus *tom.1. c.30. nu.30.*

Spontè comparens non puro corde, ſed ſimulatè, & fraudulenter, eſt ne recipiendus ad miſericordiam?

9 RESp. negatiuè, ità expreſsè *in cap. Vt officium de hæreticis in 6.* his verbis: *Prouiſo ſolerter, nè ſimulata cōuerſione redeant, fraudulenter vos, immò, & ſeipſos fallentes, ſub agni ſpecie lupum gerant.* Vndè vt ibi notat Gloſſa *verſ. Tamen: Inquiſitor debet eſſe cautus, & maximè animaduertere, ne ſpontè comparentes, ſimulata conuerſione, & ad euitandas pœnas, quas ob aliorū denunciationes timent, ſibi proximè futuras, fraudulenter ad veniam comparent.* Ità etiam aduertunt Repertorium Inquiſ. *in verbo Confeſſio, verſ. Nota ſexdecim conditiones, & in verb. Rodiens, verſ. Ex ſupradictis concluditur*; Hoſtienſis *in ſumma de hæreticis, §. Qualiter depræhendatur, n.4.* Symanchas *in Enchirid. violatæ Relig. tit.50. rubr. de pœnitent. n.17.* Royas *de hæret. par.2. nu.375.* Decianus *in tract. crimin. lib.5.c.54.n.5.* & alij.

Fictè ſpontè comparens, & abſolutionem recipiens ab Inquiſitore: ſi poſteà interius reſipiſcit, & verè ſe pœnitet, indiget ne noua abſolutione ab Inquiſitore?

10 RESp. affirmatiuè; quia abſolutio ex falſa cauſa obtenta, tūc ſolum eſt valida, quando ipſa falſa cauſa minimè mouet Iudicem, ad impendendam abſolutionem: quia etiam veritate cognita eam impenderet. Secus quando nullatenus impenderet. Vt cū alijs docent Enriquez *lib.13. de excom. c.30.n.3. & 4.* Sayrus *tom.1. lib.2. cap.21. nu.26. & 27.* Sanchez *in Decal. lib.2. cap.12. n.7.* Et ratio eſt: quia abſolutionis valor ex abſoluentis intentione pendet: & fictio efficit inuoluntariam abſolutionem, quoties cognita veritate ea non concederetur: & conſequēter illa abſolutio eſt irrita, ex defectu intentionis abſoluentis. At in prædicto caſu abſolutio obtinetur ex falſa cauſa, nempè ex ficta conuerſione: quia ſi illam Inquiſitor agnouiſſet, nunquā conceſſiſſet, nec talem comparentem ad Eccleſiæ gremium admiſiſſet. Ergò abſolutio ficti illius pœnitentis ſpontè com-

comparentis, ab Inquiſitore obtenta, eſt irrita; itaut licet ille poſteà interius recipiſcat, peccatum hæreſis prius cõmiſſum, eadem cenſura, & eadem reſeruatione ligatum, manet, ac erat antè illam abſolutionem. Ità in terminis docent Suarez *tom.5.in 3.par. diſp.7.ſect.7.n.12.* Sanchez *loc.cit.* Farinacius *de hæreſi, q.193.n.30.in fin.*

Comparens in S. Officio non citatus, nec vocatus; ſed indicijs præuentus, gaudet ne beneficio ſpontè comparentium?

11 RESP. Quod vel comparet ſciens fuiſſe præuentum, vel hoc omninò ignorans. Si primò modo ſuum crimen, ſeu delictum fateatur, gaudet in parte, non in toto, beneficio ſpontè comparentium: quia mitius punitur, quàm ſi fuiſſet conuictus. Non autem obtinet impunitatem; quia dum ſcit, vel ſuſpicatur, eſſe præuentum; cenſetur, non tàm ſpontè, quàm metu probationum comparuiſſe. Si ſecundò modo; gaudere debet beneficio ſpontè comparentium: quia nullo præcedenti ſtimulo coram Iudice comparet, & crimen commiſſum confitetur. An autem ſciuerit, vel ignorauerit, ſe fuiſſe præuentum: relinquitur conſiderandum ex circumſtantijs ſuæ comparitionis, & prudentia, & arbitrio ipſius Inquiſitoris. Ità docent Nauarrus *conſil.8. tit. de hæreticis, lib.5.nu.7.* Ludouicus à Paramo *de orig.S.Inquiſit.lib.3.qu.4.rubr.de forma, & ordine iudiciario S.Officij*, Farinacius *de hæreſi, q.193. nu.28. & 37.* Pegna *par.3.commen.12.verſ.Poſtremò*, Carena *par.2.tit.18.n.2.& 3.*

Comparens in S. Officio non vocatus, nec citatus, ſed præuẽtus quoad vnum delictum: & ille non ſolum hoc, ſed alia delicta, de quibus nullo modo erat præuentus, fatetur ſpontè, gaudet ne beneficio ſpontè comparentium?

12 RESP. Quod vt ſupra dictum eſt: mitius puniendus eſt de illo delicto, de quo fuit præuentus. De alijs verò aduertendum eſt, an dubitet etiam de illis fuiſſe præuentum: & ſi ità ſuſpicatur, haberi non poteſt pro ſpontè comparẽte: quia tunc eius confeſſio cenſetur facta metu probationis: vt docent Farinacius *loc.cit. nu.37.* Carena *n.4. et 5.* Si verò certò ſciat, non eſſe præuentum: quia illa crimina, ſeu delicta nullis præſentibus commiſit, nec alicui patefecit: & quoad iſta habendus eſt pro ſpontè comparente: quia non eſt indicijs præuentus, nec denunciatus; & neque de illis poterat Inquiſitor eum interrogare: vt docet Pegna *par.3.comment.18.ſub lit.B.* vbi probat quod rei interrogari non poſſunt, niſi de his, de quibus ſunt indiciati: & ità etiam ſupradicti Doctores.

Quænam ſunt pœnæ, quę euitantur in hoc S. Tribunali à ſpontè comparentibus?

13 RESP. eſſe pœnam mortis, pœnam triremium, carceris, aut exilij, & pœnam confiſcationis bonorum. Qualiſcunque ex his pœnis à reo mereatur, ei remittitur; ſi ſpontè ſuum, & complicum reatum fateatur in hoc S. Tribunali. Ità decernitur in Conc. Bitterenſi, *c.2.* his verbis: *Aſſignato eis termino competenti, quod tempus gratiæ vocare ſoletis: quibus tamen aliàs huiuſmodi gratia non eſt facta: infrà quem terminum venientes, pœnitentes, et dicentes plenam de ſe, ac de alijs veritatem, habeant impunitatem mortis, immutationis, exilij, et confiſcationis bonorum.* Hæc ibi. Omnes dictas pœnas euitabunt ſpontè comparentes: & ſolùm aliàs leuiores ſuſtinebunt pro qualitate perſonarum, & criminum, arbitrio Inquiſitorum; nempè ieiunia, eleemoſynas, orationes, & alia charitatis opera: vt notãt Pegna *par.3.direct.comment.12.verſic. Magnam veniam, et ſeq.* Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.44. nu.3.* Bordonus *tom.1.c.30.nu.21.et ſeq.* Carena *par.2. tit.*

*tit.*18.*n.*1.Farinacius *de hæreſi,qu.*193. *n.*1.*et* 2.& alij communiter.

In abſolutione ſpontanei comparentis; debet ne Inquiſitor apponere conditionem: dummodò ex corde ad fidem redierit, & iniunctam pęnitentiam ſeruauerit?

14 RESp. poſſe Inquiſitorem, abſoluendo ſpontè comparentem, apponere dictam conditionem; ſuſtinét Ioannes Calderinus *de hæret.rubr. de ſentent.Inquiſit. n.* 2. Repertorium Inquiſit.*in verb. Abſolutio, verſ. Sed non remanet abſolutus*, Vmbertus Locatus *in iudicial.inquiſ.verb.Sententia,nu.*21. Campegius *in addit. ad Zanchinum de hæret. c.*41. *lit.A. verſ. Nec miremini*, Ludouicus à Paramo *de orig. S.Inquiſ. lib.3.q.4.rubr.de expoſit.cauſæ fidei, nu.* 32. Pacianus *conſil.*19.*nu.*21. *et ſeq.* & alij:quia cùm dicta conditione abſolutus, ſi ex corde ad fidem non redit, & non adimplet pœnitentiam, non dicitur abſolutus.

15 Sed non deberi huiuſmodi comparentem cùm prædicta conditione abſolui,docent Syluester *verb.Hæreſis* 2. *nu.*11. *verſ. Quintum Iudex*,Decianus *in tract.crimin.lib.*5.*c.*38.*nu.*15. *in fin. verſ. Sed aduertendum*, Farinacius *loc. cit.n.*31.*et* 233. quia abſolutio eſſe debet ſimplex,& abſque vlla conditione: & ficta conuerſio reddit irritam abſolutionem; & non ſeruans mandata abſoluentis,reincidit in primum ſtatum. Immò ipſa ficta conuerſio reddit ipsũ comparentem de noua hæreſi ſuſpectum; quia oſtendit,non credere,erraſſe in fide: & Inquiſitorem non habere poteſtatem, pœnitentiam iniungendi: vt notat etiam cùm Guido Fulcodio, & alijs Eymericus *par.*3. *direct.qu.*97. Ergò ſuperflua eſt illa conditio.

Quodnã eſt tempus gratiæ, quod Inquiſitores concedere aliquandò ſolent ſpontè comparentibus?

16 RESp.quod eſt ſpatium illud dierum præfixum, infrà quod hæretici, vel de hæreſi ſuſpecti, ſpontè comparentes ad S. Tribunal Inquiſitionis,& confitendo omnia ſua delicta, & complices, à Sancto Officio, conſequuntur impunitatem pœnarum ordinariarum,auctoritate Apoſtolica. Inquiſitor enim hoc tempus gratiæ aſſignat his,aut ſimilibus verbis:*Ego N. auctoritate Apoſtolica ex ſpeciali gratia aſſigno omnibus hæreticis, credentibus, fautoribus, receptatoribus, et defenſoribus hæreticorum, et de hæreſi diffamatis,vel ſuſpectis, ſi qui ſunt in tota iſta Diœceſi, totum menſem immediatè ſequentem,ſeu tantum tempus: infrà quod liberè veniant ad me; nec expectent, ſe denunciari, accuſari, vel capi. Infrà quod tempus gratiæ ſi liberè, et ſpontanea voluntate ad me venerint, et reatũ ſuum reuelauerint, et veniam petierint, magnam miſericordiam conſequentur, et veniam.Si autem expectauerint,quod accuſentur, denuncientur, citentur, vel capiantur, vel tempus gratiæ tranſire permiſerint, et poſt venerint, tantæ gratiæ non erunt digni. Quare veniant infrà tempus gratiæ aſſignatum.*Hæc autẽ ſententia non ſolùm voce ab Inquisitore profertur,& publicatur: ſed etiam in valuis Eccleſiæ Cathedralis affigitur,vt ab omnibus legi poſſit.

Spontè comparens non eſt qui vocatus, vel monitus comparet: quare ergo habetur pro ſpontè comparente, qui monitus in generali Inquiſitorum ædicto comparet?

17 RESp. Quia non eſt monitus, nec citatus, nec vocatus, nominatim, nec perſonaliter ab Inquiſitore: ideò gaudet gratia impunitatis ſpontè comparentium. Ità enim Guido Fulcodius, *in Conſultationibus ad Inquiſitores,qu.* 2.ait: *Spontè redeunt, qui infrà tempus gratiæ redeunt: licet in generali ſint moniti:nec enim coacti videntur, dũ à nemine ſunt præuenti: l.* 2. §.*Si mater, ff.ad*

ff.ad Tertullian:et ſpontè venit, qui non venit admonitus nominatim: *vt colligitur ex l.vlt. C.de his, qui latrones occultauit.* Et ità etiam docent Archidiaconus, & Ioannes Andreas *in c. Vt commiſſi de hæret.in 6.* & alij,quos citat, & ſequitur Pegna *dict. comment.* 12.*n.*56.

Spontè comparens elapſo hoc tempore gratiæ, gaudet ne impunitate ſpontè comparentium?

18 RESp. ſi intrà tempus gratiæ fuit legitimè impeditus: quia e.g. erat abſens; vel probat, & iuramento affirmat, omninò ignoraſſe ædictum; in quo erat præſcriptum tempus gratiæ; gaudere debet impunitate ſpontè comparentium: quia excuſatur ob ignorãtiam inuincibilem, & legitimum impedimentum. Ità Rota *deciſ.4. de iure iurando in antiq.* Bart.Rom.Iaſon, & alij Doctores *in l.2. §. Quod diximus, ff.Si quis caut.*vt notat Carena *par.2. tit.*18. §.*6.verſ.Secundò ille.*Similiter hoc beneficio gaudere debet, qui nec citatus, nec vocatus, nec præuentus comparet ſtatim poſt tempus gratiæ elapſum: vt ait Guido Fulcodius *in Conſult. ad inquiſ.q.*2. & Carena *loc.cit. verſ.Gaudere tamen*. Alij verò ſpontè venientes non euitabunt omnem pœnam,ſed pro qualitate perſonarum,& criminum benignè tractabuntur: & vt ait Pegna *p.*3. *comment.*12. *verſ. Hi verò.* Qui poſt tempus gratiæ veniunt ſpontè, etiam mitius ſunt puniendi,quamuis non cõſequantur tantam indulgentiam: vt prudẽtiſſimè obſeruat Eymericus hoc loco.

Quandonam Inquiſitores concedere poſſunt hoc tempus gratiæ ſpontè comparentibus?

19 RESp. non eſſe Inquiſitoribus liberum, concedere hoc tempus gratiæ, quoties accedunt ad Diœceſim ſibi deſtinatam:ſed tunc illud aſſignare poſſunt, quando mittuntur ad Ciuitatem,ſeu Diœceſim,in qua de nouò conſtituuntur Inquiſitores, & officium S.Inquiſitionis: vt ait Pegna *dicto commen.* 12.*verſ.Sed animaduertat.* Vel quando in aliquo loco, officium Inquiſitionis intermiſſum, iterum renouatur: vt notat Albertinus *in repet. cap.* 1.*de hæretic. in 6.q.*52. *num.*4. Vel quando totum aliquod Regnum, de hæreſi infectum, ad fidem conuertitur; Aut in aliqua Ciuitate hæretici latenter multos catholicos decipiunt: tunc ad ſubueniendum deceptis, quamuis officium Inquiſitionis ibi non introduceretur: tempus tamen gratiæ eſſet concedendum: vt affirmant Card Albanus *in quadam inſtructione ad Fratres Prædicatores*, & Carena *vbi ſup.* §.5.Vel in literis delegationis talis conceditur à Summo Pontifice facultas, quàm indulgere aliquandò ſolet ob iuſtas, & rationabiles cauſas: vt cùm Symãcha,& alijs,notat Pegna ibidem. Hoc autem tempus gratiæ à ſolo Summo Pontifice concedi poteſt: quia pœnæ illæ mortis, immutationis, exilij, & confiſcationis bonorum, à nemine remitti poſſunt, niſi à Summo Pontifice: vt §.4.notat Carena.

Lamia, quæ commiſit infanticidium, vel aliud immane delictum, ſpontè comparens in S.Officio,gaudet ne beneficio ſpontè comparentium?

20 RESp. affirmatiuè, euadit enim penas, quæ ob tale delictum ei deberentur: nec tradetur curiæ ſeculari, nec duro carceri, ſi verè ſit pœnitens,& ex contrito corde veniam cõmiſſi delicti petierit. Ità expreſsè docent Symanchas *in cathol. inſtit. tit.*37. *rubr.de Lamijs,n.*17. Arnaldus Albertinus *in tr. de agnoſcendis aſſertionibus catholicis,& hæreticis,q.*25.*nu.*26. Farinacius *de hæreſi,q.*181. *nu.*48.Eymericus *in direct.inquiſ.par.*2.*q.*42.*n.*5. vbi generaliter affirmat: ſortilegos omnes pœnitentes ab Eccleſia cum abiuratione recipi ad miſericordiam.

Lamia ob infanticidium, vel aliud

graue delictum à Iudice ſeculari in carceribus detenta, ſponte Inquiſitori ſuum delictum fatendo, euadit ne pœnas ſibi debitas à foro ſeculari?

21 RESp. negatiuè, quia poſtquam Inquiſitor illam de ſpectantibus ad hæreſim examinauerit, & iudicauerit, Iudici ſeculari reſtituere debet: qui illam punire poteſt, etiam de infanticidio, & alijs delictis, hæreſim non ſapientibus, cùm ſuo proprio proceſſu, non autem ex illo ab Inquiſitore fabricato. Ità Symanchas *loc.cit.n.*18. *&* 19. Campegius *in addit. ad Zanchinum in tr.de hæret.c.*22. *lit.C.verſ.Subdit vlterius*, Eymericus *par.*2. *direct.q.*42. *in fin.* Farinacius *loc.cit.*& alij.

Quomodò ſe gerere debet Inquiſitor cùm poligamo ſponte comparente, dum agitur de diſſolutione matrimonij?

22 RESp. ſermonem non eſſe de poligamo, qui, mortua prima vxore, ſecundam duxit: nàm iſte licitè, ſecundùm matrimonium contraxit; vt eſt de fide ex verbis Apoſtoli 1. *Cor.*6. *Si dormierit vir eius, cui vult nubat, tantum in Domino*; et ex Concil. Niceno *can.*8. et ex iure Canonico *in tit. de ſecundis nuptijs*: et probat D.Thomas 4. *ſent.diſt.*42. *& par.*3. *qu.* 63. Sed de poligamo, qui viuente prima vxore ex legitimo matrimonio, ſecundam ducit: quod eſt prohibitum; etiam iure naturali: vt colligitur ex *cap. Gaudemus* 8. *de diuort.* ibi: *Nec vlli vnquam licuit ſimùl plures vxores habere: niſi cui fuit diuina reuelatione conceſſum*: & probat etiam D.Thomas 4. *diſt.*33. *& par.*3. *q.*65. Quia contra legem naturæ eſt, vt quod vni datum eſt, alteri detur: homo autem per primum matrimonium, vsũ ſui corporis tradidit primæ vxori: *Vir enim poteſtatem ſui corporis non habet, ſed mulier*, vt ait Apoſtolus 1. *Cor.*7. Et conſequenter vxoratus nõ poteſt eiuſdem ſui corporis dominium alteri tradere, cùm non ſit amplius illius Dominus. Ergò pluralitas vxorum eſt etiã iure naturæ prohibita. Et hoc idem alijs rationibus probat D.Thomas 4. *diſt.*33. *ar.*1. Verum quia Deus eſt omnium principalis Dñs, per diſpẽſationẽ aliquibus conceſſit, vt corpus, vni vxori debitum, communicaretur pluribus. Ideò Abraham duas vxores habuit, Saram, & Agar. Iacob quatuor, Liam, & Rachelem, & earum ancillas, Zalpham, & Balã: *Geneſ.c.*30. Dauid duas Achinoam, & Abigail: 1. *Reg.*30. et ſic deſpenſatum fuit; vt maior eſſet multiplicatio prolis, ad cultum Dei educandæ: vt ait idem D.Thom. *ibid.ar.*2. Nunquam verò ex diſpenſatione licuit: vt vna vxor plures viros haberet: quia hæc pluralitas directè opponitur generationi prolis: commiſtio enim plurium ſeminum diuerſorum hominũ fœminam reddit infecundam; vt patet in meretricibus. Igitur nulli vnquam licuit ſimùl plures vxores habere; niſi cui fuit diuina diſpenſatione conceſſũ. Et ideò Sac.Concil.Trid. *ſeſſ.*24. *can.*2. decreuit: *Si quis dixerit: licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla lege diuina eſſe prohibitum: anathema ſit.* Ergò qui de facto plures vxores habet, ſuſpectus eſt, quòd credat; licere illas habere; & de hæreſi vehementer ſuſpectus eſt, & ſectam ſequi videtur Maumeti, Anabaptiſtæ, & Lutheri.

23 Cùm poligamo ergo, etiam ſponte comparente; magna cùm circumſpectione procedere debet Inquiſitor. Tũ ad agnoſcendum, an commiſſi delicti grauitatem ſciat, & de illo ſit verè pœnitens. Et tum ad ei inhibendam cohabitationem cùm ſecunda coniuge. Quia pœnitentis confeſſio valet contra ſe ipſum, non verò contra tertium, 14. *qu.*2. *in princ.& cap.*1. *de confeſſis*; nec propriæ confeſſioni eſt credendum in alterius poſſeſſionis præiudicium: vt colligitur ex *cap.Viduæ de regul.* Secũda autem vxor eſt in poſſeſſione prætenſi poligami; cùm ſupponitur, bona fide

fide cùm ſoluto ſe contrahere voluiſſe matrimonium. Ergò non debet ex ſola illius confeſſione, eo ſpoliari. Inſuper ad diſſoluendum matrimonium, minimè ſtandum eſt coniugum confeſſioni, *c. Super eo de eo, qui cognouit conſanguineam* : & redditur ibi ratio : quia *Sæpè aduerſus matrimonium, vt dirimatur coniuges inter ſe conueniunt* : quæ ratio militat in caſu prædicto. Et ideò in eo maxima cùm aduertentia procedere debet Inquiſitor. Et recipiẽdo iudicialiter ſpontaneam poligami confeſſionẽ, nec circa ipſum, nec circa ſecundam vxorem quidquam ſtabilire : ſed procedere ad capiendam informationem vtriuſque matrimonij: & interim prohibere ipſi poligamo, ne debitum petat; quamuis reddere poſſit; nàm mulier habet ius, ad illud petendum: donec conſtet de nullitate matrimonij: vt ex *can. Laudabilem, lite pendente*. Et ità cùm Poligamis ſpontè comparentibus agẽdũ eſſe, docet, Garzia *in praxi Hiſpaniæ S. Officij, fol. 7.* Carena *p. 2. tit. 18. §. 3. n. 16.* Tandẽ Inquiſitor conſtito de vtroque matrimonio: tunc procedit ad declarationem nullitatis ſecundi, ad ſeparationem alterius coniugis, & ad pœnitentiam ſalutarem iuxtà ſuum arbitrium ipſi ſpontè comparenti.

Qui iam vocatus ad iudicium huius Sancti Tribunalis ſtatim compareт, & metu probationum ſpontè ſua crimina confitetur, ad quam miſericordiam eſt admittendus?

24 RESP. Huiuſmodi comparentem puniendum eſſe pœna ordinaria arbitratur, Gloſſa in *c. Presbyterum, diſt. 50. & in c. De hoc, extrà de ſimonia.* Sed Hoſtienſis benignius *in dicto c. De hoc*, docet, in hoc caſu mitius quàm pœna ordinaria puniri debet: quia ſpõtè confeſſus appellatur, cùm nullo precedente ſtimulo Iudicem adit, & crimen confitetur: & ità in *dicto c. De hoc* etiam docet Panormitanus. Quanta autem pœnæ pars remitti debeat, arbitrio iudicantis relinquitur, ait Pegna *par. 3. comment. 12. verſ. Poſtremò.*

Relapſus non vocatus, nec citatus, nec denunciatus, ſpontè comparens, & veniam petens; eſt ne ab Inquiſitore miſericordiam conſecuturus?

25 RESP. Symancham *de cathol. inſtitut. tit. 57. nu. 21. & ſeq.* opinari, non eſſe ad miſericordiam admittendum: quia dum poſt ſui criminis abiurationem, iterum in hæreſis crimen reincidit: videtur fictè, & ſimulatè cõuerti. Quia, vt colligitur ex *cap. Paruuli, 22. q. 5. Qui ſemèl perierauit, cenſetur facilè ſecundò perierare*; iuxtà regulam: *Semèl malus ſemper præſumitur malus in eodem genere mali.* Sed Hoſtienſis *in cap. Ad abolendum, §. Illos de hæreticis*, Albertinus *in lib. de agnoſc. aſſer. qu. 25. n. 25. & ſeq.* Alphonſus à Caſtro *de iuſta hæret. punit. lib. 2. c. 2.* Montaluus *in legibus ſeptipartitis, l. 1. tit. 26. par. 7. qu. 6. verſ. Eſt tamen concluſio*, Pegna *par. 3. comment. 12. verſ. Sed quid ſi relapſus*, & alij docent, etiam relapſum talem eſſe ad miſericordiam admittẽdum, & ei condonandam pœnam mortis, & non eſſe Curiæ ſeculari tradendum. Quia in eo ceſſat ſiniſtra illa ſuſpicio, qua relapſi putantur fictè conuerſi, cùm ſe ipſum penitendo deferat, & veniam poſtulet. Secundò, quia nõ eſt cenſendus incorrigibilis, qui ſpontè crimen fatetur, & veniam deprecatur. Tertiò, quia nullus poteſt dici verè relapſus, niſi qui bis de hæreſi conuincitur; qui autem crimen fatetur non videtur ſecundò conuictus. Quartò, Cõcilium Bitterenſe, *c. 2.* ità videtur ſentire: dum decreuit. *Venientes pœnitentes, & dicentes plenam de ſe, ac de alijs veritatem habẽt impunitatem mortis.* Quę verba nullo modo poſſunt competere, niſi relapſis. Nàm quicunque alius ſpontè comparens, quamuis grauiſſimè deliquerit, mortis pęnam euitat. Et proptereà Concilium de illis videtur loqui; qui ſi fuiſſent conuicti, mortis ſupplicio eſſent plectendi. Ergò relapſi

ſpon-

ſponte comparentes, & dicentes plenã de ſe, & de alijs veritatem, pœnã mortis effugiunt. Ità dicti Doctores. Addit verò Pegna *ver. Quia tamen*, nullo expreſſo iure, cautum eſſe videtur: vt huiuſmodi relapſis parcatur: propterea cùm talis caſus occurreret, tutiſſimum eſſet: vt priuati Inquiſitores Supremũ Senatum Sanctæ Inquiſitionis conſulent; & id circa tales relapſos exequãtur, quod Senatus, cauſa cognita, decernet.

Sortilegus hæreticalis, vel quilibet hæreticus, qui abuſus fuit Sacramẽtis Euchariſtiæ, vel Baptiſmi, vel Extremæ Vnctionis, ſponte comparens; gaudet ne impunitate ſponte comparentium?

26 REſp. affirmatiuè, qui enim abuſus fuiſſet Sacratiſſima Euchariſtia in maleficio; vel aliquem rebaptizaſſet, vel baptizaſſet aliquod animal, vel aliquid inſenſibile; vel ſimile enorme delictum patraſſet; & ex libera ſua voluntate, non vocatus, nec citatus, nec ab alio præuentus, ſponte comparet coram Inquiſitionis Iudice, & ſuum delictum, & ipſius complices, iudicialiter detegit, & verè pœnitens fatetur: ad miſericordiam admittitur, & pęnas ſibi debitas ei condonantur: iniuncta ſolum ſalutari pęnitentia. Ità expreſsè decernitur, vt ſuprà dictum eſt in Concil. Bitterenſi, *c.* 2. in illis verbis: *Omnes, qui ſe, vel alios ſciuerint, in crimine hæreticæ prauitatis deliquiſſe, & comparẽt coram vobis, veritatem dicturi, pœnitentes, & dicentes plenam de ſe, ac de alijs veritatem, habeant impunitatem mortis, immutationis, exilij, & confiſcationis bonorum*. Verbum illud *Omnes* eſt ampliſſimum, & nullum excludens. Ergò in illo includuntur ſortilegi hæreticales, qui abuſi ſunt quocunque Sacramento, etiam Sacratiſſima Euchariſtia. Ità docent Eymericus *par.3. direct. q.1. nu.*58. Pegna ibi, *comment.* 12. *verſ. Magnam veniam*, Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.*44. *nu.*3. Farinacius *de hæreſi, qu.*181. *num.*2. *et ſequenti.*

27 Et ob eandem rationem gaudent eodem beneficio ſponte comparentes, & verè penitentes: qui non eſt Sacerdos, & Miſſam celebrat, vel confeſſiones audit, aut ſi eſt Sacerdos, Miſſam celebrans non conſecrat: qui Sanctorum imagines conculcat, ſputis fędat, cruces deijcit, & hęreticaliter blaſphemat: qui Sacramentalibus Eccleſiæ abutitur: qui Dæmones inuocat, & per characteres, & ignota nomina obſecrat, eiſque cultum etiam latrię tribuit, reuerenter ad eum ſe proſternit, & adorat, animalia immolat, ſanguine proprio deuouet, & obedientiam promittit. Et qui omne aliud nefariũ, & enorme ſacrilegium hæreticale committit. Omnes enim ſponte comparentes, nemine excepto, miſericordiam, & veniã conſequuntur: dummodò nec vocati, nec citati, nec ab alio præuenti ſint: ſed verè pęnitentes, ſua crimina, & eorum complices integrè fateantur. Vt omnes Doctores, & continua praxis confirmat. Magna ergò venia, & miſericordia in hoc S. Tribunali cùm ſponte comparentibus exercetur, vt optimè notat Pegna *loc. cit.*

Sortilegus, qui alios docuit, ſortilegia, & maleficia efficere, ſponte comparens, eſt ne ſimiliter ad veniam, & miſericordiam admittendus?

28 REſp. affirmatiuè. Nàm quamuis grauius cæteris peccauit, dum alios ad grauiter peccandum docuit, & induxit. Tamen quia ſponte comparet, & cum proprio crimine alios, quos recordatur, docuiſſe ſortilegia, ſeu maleficia efficere, integrè confitetur: admittendus eſt ad miſericordiam abſq; vlla pęna ex illis, quas meruiſſet ſi ſponte non comparuiſſet; ſed tantum cum pęnitentia ſalutari. Quia etiam Hæreſiarchæ, Dogmatiſtæ, & omnes hæreſum inuentores, & magiſtri, ſi verè pęnitentes, ſponte comparent, ad miſeri-

ſericordiam admittuntur: ex dicto Cõcilio Bitterenſi, *c. 16.* vbi decernitur: *Perfectis hæreticis conuerti volentibus, vos exhibeatis fauorabiles,& benignos: cùm per tales multum fuerit illuminatum negotium,& promotum: ac ipſorum pœnitentias pro qualitate conuerſionis,et meriti mitigetis; vel quantum vobis viſum fuerit,deferatis*: hæc ibi. Et idem ſancitum eſt in Concil. Tarraconenſi pro officio Inquiſitionis hæreticæ prauitatis. Notat autem Pegna *par.2.comment.64. verſ. Notanda eſt*: verba illa Concil. Bitterenſi: *Per tales multum fuerit illuminatum negotium, & promotum*: quia ijdem illi dogmatiſtæ ſi verè conuertentur, & deceptis prædicent, multos eorum facilè conuertẽt: ac melius intelligent errores, & fraudes, quas ipſi docuerunt, & refutant, vel ſcribendo,vel eloquendo. Et ità etiam docent Suarez *de fide, diſp.23.ſect.2.n.4.*Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.47. n.27.*Royas *ſingul.154.* Farinacius *de hæreſi,q.193.n.5.*& alij.

Sortilegus, ſeu quilibet hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus, qui ſciens eſſe quamprimũ denunciandum, denũciantem præuenit,comparendo, & ſuum crimen Inquiſitori integre confitetur: dicitur ne ſpontè comparens?

29 RESp. quod non deſunt opinãtes, non eſſe dicendum ſpontè cõparentem: nec ſibi deberi omnem impunitatem ſpontè comparentium; quia non tàm ex contritione cordis, & deteſtatione criminis, quã ex imminenti denunciatione,& metu probationum, & pœnæ ſibi debitæ comparet. Vndè eius comparitio potius videtur coacta, quàm ſpontanea: ità ſentiunt Alphonſus à Caſtro *in tract.de iuſta hæret. punit.lib.2.cap.2.* Decianus *in tract. crim. lib.5.cap.56.n.12.* & ità de relapſis docet Farinacius *de hæreſi,q.193. n.37.* & Gloſſa *in c.Præsbyterum 50. diſt. et in c. De hoc extra de ſimonia*,arbitratur, pœna ordinaria,talem comparentem eſſe puniendum: vt refert Pegna *par.3.comment.12.verſ.Poſtremò.*

30 Nihilominus benignior eſt ſententia Hoſtienſis *in dicto c.De hoc*, aſſerẽtis: in hoc caſu comparentem eſſe ad miſericordiam ſpontè comparentium admittendum. Et ità ex generali conſuetudine Sancti huius Tribunalis,docent, Arnaldus Albertinus *in repetit. cap.1.de hæreticis in 6.q.12.nu.2. et ſeq.* Repert.Inquiſ.*in verb. Miſericordia, verſ.Nunc videndum*, Zanchinus *tr. de hæreſis,c.16. nu.5.6.et* 7. Pegna *loc. cit.* Quia non eſt putandus fictè conuerſus, qui ſe ipſum defert, & veniam poſtulat, & ſpontè crimen fatetur. Mitius enim agendum eſt cùm ſpontè confitẽtibus,*c.Præsbyterum,50.diſt.* & Gloſſa in *c.De hoc,extra de ſimonia*, & omnes Doctores confirmant: & illa ſpontanea confeſſio debet illi prodeſſe non obeſſe: vt cùm alijs notat Carena *par. 2. tit.* 18. Debet tamen Inquiſitor (vt admonetur in ſupradicto *c. Vt officium de hæreticis in 6.*& ibi Gloſſa) eſſe cautus,& maximè animaduertere: ne talis ſpontè comparens,ſimulata conuerſione, & ad euitandas pœnas, quas ob aliorum denunciationes timet,ſibi proximè futuras, fraudulenter ad veniam compareat.

Sortilegus pœnitens, qui ſpontè, & non præuentus, vel ſpontè, & præuentus comparet,eſt ne relinquendus impunitus, quando ad miſericordiam recipitur?

31 RESp.negatiuè:quia iuſtum non eſt, vt delicta, & maximè contra fidem,impunita totaliter remaneãt. Ideò in hoc Sancto Tribunali illis,qui nunquam denunciati,aut à Iudice preuenti, ſpontè comparent, iniunguntur pœnitentiæ ſalutares, vt ſæpè dictum eſt, nempè ieiunia, orationes, eleemoſynæ, peregrinationes, frequentia Sacramentorum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ,& ſimiles. Cæteris verò denunciatis,

tis, & à Iudice præuentis, qui ſponté comparent, ad miſericordiam admittuntur, mortis pœna condonatur; ſed commutari ſolet in pęnam, vel temporalem triremium, aut perpetuam carceris: & ſi merebantur pęna triremium; commutatur in carcerem, vel fuſtigationis, vna vicè, aut pluries, vel relegationis, & exilij, vel pecuniarum, vel vt veſtem crucibus ſignatam deferant, vel vt ſtent diebus feſtiuis in foribus Eccleſiæ cùm candela accenſa in manu tempore Miſſæ ſolemnis, præuio ſono campanæ, iuxtà facti, & perſonarum qualitatẽ. Et ſi regularis fuerit puniri ſolet, priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ: vel quod bis in anno, ipſo reo præſente, in publico capitulo, Inquiſitorum ſententia legatur: vel vt è domo egredi non valeat ad tempus: vel quod à ſuis regularibus flagelletur coram Notario Sancti Officij: vel ſimilibus pęnitentijs: vt probant Farinacius *de hæreſi, q.* 193.*n.* 80.*vſque ad n.* 125. Carena *par.* 3.*per totum, titulum* 13. & alij, quos ipſi referunt: & ex inferius dicẽdis magis patebit, cùm de ſingulis pęnis diſtinctè agetur.

CAPVT XVII.

De ſpontè confitentibus in carceribus.

Qui poſtquã ſunt in carceribus depręhenſi, ſpontè confitentur commiſſum ſortilegium, vel aliud delictũ, hæreſim ſapiens; quomodo tractãdi ſunt in hoc S.Tribunali?

1 RESp. non tàm mitiſſimè, ac ſpontè comparentes, ſed mitius, quàm ſi fuiſſent cõuicti, vel coacti confiterẽtur. Quales autem pęnitentiæ eis iniũgendæ ſint, pręſcribi non poſsũt, ſed arbitrio Inquiſitorum relinquitur: qui obſeruare debent, non ſolùm grauitatẽ erroris, ſeu delicti commiſſi, ſed qualitatem perſonæ delinquentis. Ità præcipitur in Concilio Narbonenſi, *c.* 5. his verbis: *Hoc quidem ità perſtringimus, nõ vt vos pœnitentias prætaxatas omnes vbique, vel omnes omnibus imponatis: ſed ut eas ſecundum diſcretionem, uobis traditam à Domino, pro culparum, et perſonarum locorũ, et temporum, et aliorum circumſtantiarum qualitate; ità cautè, ac prouidè diſpenſetis, ut ſiuè plectendo, ſiuè ignoſcendo, uita eorum culpabilis corrigatur: uel ſaltem ualeat apparere, quis in tenebris ambulat, quis uerò ſit pœnitens, quis fictè conuerſus: nec indè ueris catholicis ſcandalum generetur: nec prætextu ſcandali quãtum in uobis fuerit, hæreſis defendi, ſeu nutriri poſſit.* Et idem tradit Guido Fulcodius *in Conſultat. ad Inquiſitores, qu.* 15.*c.* 21.*et* 22. Pegna *par.* 2.*direct. comment.* 65.

2 Vndè obſeruandum eſt: an dicti ſpõtè in carceribus ſua crimina confitentes, ſtatim, vel poſt longum tempus: an ipſi ſpontaneè acceſſerint, ad confitendũ, vel ab alijs ſuaſi: an ſint Clerici, vel laici: an periti, vel ignari: an ætate conſiſtentes, aut ſenes; vel pueri, aut iuuenes, & imprudentes: an viles, vel nobiles: an alij huius generis, vel alterius: vt iuxtà cuiuſque qualitatem, pœnitentiã ſalutarem imponant: cùm mitius ſit agendum cùm his, qui ſpontè reuertuntur, quàm cùm illis, qui conuicti, vel coaptè; mitius cùm his, qui ſtatim, quàm cùm illis, qui poſt longum tempus, &c. Ità etiam præſcripſit Guido Fulcodius, *c.* 21. & Pegna *par.* 3. *comment.* 140.

Spontè confitentibus quid ab Inquiſitoribus iniungendum eſt?

3 RESp. cùm eodem Fulcodio *c.* 21.*et* 22. quòd, vt ſuprà dictum eſt, quid talibus ſit iniungendum, definiri non poteſt; ſed committitur arbitrio Iudicantium, & aliter cùm ſimplicibus eſt agendum, quàm cùm prudentibus. Multi enim ex ſimplicitate in hoc crimine incidunt, & eorum ſimplicitati eſt parcendum; itaut non excuſentur à toto, ſed à tanto: vt in 85.*diſt.* Ità Fulco-

codius. Pegna verò *par.3.commen.*142. ait, quòd hæretici, qui ſtatim poſt quã capti ſunt, tàm de ſe, quàm de alijs, quos hæreticos eſſe ſciunt, plenè, & integrè confitentur, non videntur in perpetuum carcerem detrudi. Et illis etiã videtur, poſſe pœnam carceris perpetui condonari ab Inquiſitoribus: qui puro corde redierint, priuſquam dicta teſtium publicata fuerint: quod arbitrio Inquiſitoris, & Epiſcopi relinquitur. Nàm qui poſt publicata teſtimonia redeunt, ac tunc demum confitentur, cùm vident ſe eſſe conuictos: hi iure optimo in perpetuum carcerem dãnandi ſunt. Hæc Pegna.

Reus captus, ſi incontinenti confiteatur errorem ſuum ſpontè, poteſt ne obtinere veniam, iniuncta ſibi pœnitentia ſalutari?

4 RESp. negatiuam ſententiam ſuſtinere Archidiaconum in *cap. Vt commiſſi poſt n.3.in uerb. Obedientes de hæreticis in 6.* & ibi etiam Ioannem Andream *n.3.col.2.verſ.Poſt tempus uerò gratiæ*, Geminianum *in uerb.Nec nõ, nu. 3.* Ioannem de Anania *in cap. Ad abolendam, nu. 11. extra de hæreticis*, & alios, quia tunc non ſpontè, ſed metu probationum, & pœnæ confitere dicitur. Sed poſſe Inquiſitorem ei veniam concedere iniuncta ſalutari pœnitentia docent, Hoſtienſis *in ſumm.rubr.de hæreticis, §.Qualiter depræhendatur, nu.3. uerſ.*8. vbi ait: Quòd confitenti errorẽ ſuum timore probationis, poteſt Iudex illi parcere, iniuncta illi pœnitentia ſalutari, ſi videt ipſum contritum, & ſperet eius cõuerſionem. Ità etiam Repertorium Inquiſ. *uerb.Rediens, uerſ.1. et uerb.Confeſſio. uerſ.Item nota, & in uerb.Miſericordia, uerſ.Nunc autem uidendum* hanc ſententiam admittit in hæreticis, tàm de iure, quàm de conſuetudine inquiſitionis: & in apoſtatis pariter eam admittit de conſuetudine inquiſitionis; ſed non de iure. Farinacius quoque *de hæreſi, q.193.§.2. n.44.* ait: pœnitens ad miſericordiam recipitur, etiam poſt receptas probationes, & teſtium publicationem ex generali conſuetudine S. Officij. Ità etiam Arnaldus Albertinus *in repet.c.1.de hæreticis in 6.q.12.n.2.et ſeq.* Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*47. *rubr. de pœnitentibus, et conuerſis.n.*30. vbi ait, quod contraria opinio, crudelis, & ab omnibus ferè damnata eſt.

Si in carcerem depræhenſus, & teſtiũ depoſitiones ſint cõtra eum receptæ, ſpontè confiteatur ſiuè ſortilegium, ſiuè aliud hæreticale delictũ commiſſum, quas pœnas euadit?

5 RESp. quod ſi per ſortilegium, vel hæreticale delictum, merebatur mortem, euadit hanc pœnam, & ei cõmutatur in carcerem, vel in relegationem, aut exilium, vel in pecuniariam, vel ſimilem. Et ſi regularis ſit puniri ſolet, vel pœna carceris, vel priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ, ac munere cõcionandi, & audiendi confeſſiones, vel quod vltimum locum inter cęteros regulares teneat, vel alijs pœnitentijs ſalutaribus, habita ratione ad qualitatẽ perſonæ, & grauitatem delicti. Si autẽ ob ſuum delictum non erat morte puniendus; ſed pœna triremium: non ad triremes, ſed ad carcerem, vel quid ſimile condemnatur; ſemper benignius, ac mitius, ac ſi non confeſſus, ſed conuictus damnaretur: & nunquam computabitur inter impenitentes. Et etiam ſi fuiſſet formalis hæreticus, non amplius æſtimatur talis; dum per confeſſionem ſpontaneam oſtendit, ſe paratum corrigi, & emendari; non enim datur hæreſis ſine pertinacia. Ità ex generali conſuetudine Sancti huius Tri- 1
bunalis, affirmat Arnaldus Albertinus *in repetit.cap.1.de hæreticis in 6. qu.12. n.2.et ſeq:* Hoſtienſis *in ſumma uerb. de hæreticis, §.Qualiter depræhendatur, nu. 3.uerſ.Si confitetur*, Repertorium Inquiſit. *uerb.Miſericordia, uerſ.Nunc uidendum*, Zanchinus *tr.de hæreticis, c.16.nu. 5.et ſeq.* Pegna *par.3.comm.12.uerſ.Poſtremò*, & alij.

Vi-

Videns ſe eſſe conuictum, & ad mortem condemnandum, ſi ex corde pœnitens confiteatur ante torturã ſuum delictum, euitat ne pęnam mortis?

6 RESp. affirmatiuè, & mortis pœna ei commutatur in carcerem; quia nullus delinquens hæreticali crimine, ſi ex corde pœniteat, in hoc Sacro Tribunali Curiæ ſeculari traditur, dum crimen ſuum ſpontè confitetur. Ità ſupradicti Doctores, & Symanchas *de cathol. inſtitut. nu. 36. & n. 47. & ſeq.* Eymericus *par. 3. direct. n. 202.* Pegna *loc. cit. & par. 2. comment. 8. verſ. Vnus autem*, & alij.

Qui in tortura confeſſus eſt ſuum delictum, & poſt torturam ſpontè illud ratificat, recipitur ne ad miſericordiam, itaut non condemnetur ad mortem?

7 RESp. affirmatiuè, quia ſubſequens ſpontanea ratificatio tollit metum torturæ, & pręcedentem confeſſionem ſpontaneam reddit. Et quandocunque antè Iudicis ſententiam ex corde pœniteat, & ſponrè integrę fateatur; ad miſericordiam recipitur, & pœnam mortis euadit. Ità Symanchas *loc. cit. tit. 47. n. 45. & 46. & in Enchirid. tit. 58. rubr. de pœnitentibus, n. 54.* Burſatus *conſil. 90. n. 34.* Calderinus *tr. de hæreticis, rubr. de redeuntibus, & conuerſis, n. 10.* Hoſtienſis *de hæreticis, §. Quando, & qualiter, n. 135.* Farinacius *dicta qu. 193. n. 29. & 59.* & alij.

Sortilegus hæreticus impęnitens, & negatiuus: ſi priuſquam ad tabulatum producatur, vel in ipſo tabulatu producto, conuertatur, & ſe offerat abiurare ſuam hæreſim, & aliàs omnes; admittitur ne ad miſericordiam, itaut non tradatur Curiæ ſeculari?

8 RESp. affirmatiuè, ità expreſsè Pegna *par. 3. comment. 42. nu. 175.* Si autem impœnitens extiterit, aut negauerit, non modò antequam producatur ad tabulatum, ſed in ipſo tabulato admonendus eſt, vt reſipiſcat, & cõuertatur: quoniam adhuc durat tempus miſericordiæ; & ſi conuerti ſe velle dixerint, ad carcerem eſt reducendus, & ad pœnitentiam admittendus. Si verò in ſua pertinacia, & impœnitẽtia perſeuerauerit, legenda eſt ſentẽtia, & Curię ſeculari tradendus eſt, vt igne in cõſpectu populi combuſtus, debitas impœnitentiæ pœnas luat: ità Pęgna, ac etiam Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 60. nu. 11.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. c. 39. nu. 3.* Farinacius *de hæreſi, qu. 193. n. 60.*

Sortilegus hęreticus, monitus, & remonitus, ptinax in ſua hęreſi: ſi poſt latã mortis ſententiam, & traditus Curiæ ſeculari, ad fidem conuertatur, eſt ne ad miſericordiam recipiendus? & quonam modo?

9 RESp. quod omnes conueniunt eſſe admittendum ad miſericordiam: ſed non omnes conueniunt circa modum. Zanchinus *in tr. de hæreticis, c. 16. nu. 4.* ait, quod recipitur ad miſericordiam, ſi conuertatur poſt latam ſententiam, itaut euitet pœnas animæ, non autem, vt euitet pœnam corporalem. Et idem ſentiunt Abbas *in c. Excommunicamus 1. n. 19. extrà de hæreticis*, Ioannes de Anania *ibid. n. 7. verſic. Vel poteſt dici*: vbi ſuſtinent, quod hęreticus traditus Curiæ ſeculari, non amplius eſt illi pœna mortis remittenda. Benignius tamen docet Eymericus *par. 3. n. 204. rubr. de decimo modo terminandi proceſſum fidei.* Vbi ait: quando impœnitens ducitur ad ſupplicium, debet aſſociari ab aliquibus viris probis, & fidei zelatoribus; qui eum inducant, & ſuadeant ad fidem catholicam: & ſi reſilire, pœnitere, & abiurare, ſe velle dixerit; etiam ligatus ad palum,

vt

vt comburatur; debet ad miſericordiã recipi;& vt pœnitens hæreticus perpetuò immurari: licet huic conuerſioni non magna ſit adhibenda fides. Hæc Eymericus. Et ità etiam docent Symãchas *de cathol.inſtitut.tit.47. rubr.de pœnitentibus,& conuerſis,nu.73.* Decianus *in tract.crimin.lib.5.c.39.nu.3. poſt medium,& c.54.nu.3.verſ.Immò,& dũ ad ſupplicium*, Campegius *in addit. ad Zanchinum de hæreſ.c.16.lit.B.*

10 Farinacius *loc.cit.n.64.* ait. Licet inter Doctores controuertatur:an pœnitentes hæretici ad miſericordiam recipiendi ſint poſt ſententiam.Hoc tamen remittendum videtur arbitrio Inquiſitoris, & Epiſcopi; qui benè conſiderabunt, an iſtius pœnitentis melioris futuræ vitæ ſpes aliqua adhibenda ſit, iuxtà illius perſonæ qualitatem: & an ſemèl tantum,an verò pluries, vel diu in hæreſi perſeuerauerit, & aliàs ſimiles circumſtantias. Et ità etiam ſentiũt Campegius *loc.cit. verſ.Tandem concludit*; Paulus Ghirlandus *tr.de hæret. qu.5.* Menochius *de arbitr. quæſt.lib.2.conſil.373.n.3.& ſeq.*

Sortilegus hæreticus pertinax ſi poſtquam traditus eſt Curiæ ſeculari, dicit ſe pœnitere velle, & alios ſuæ hæreſis complices reuelare: eſt ne ad miſericordiam admittendus?

11 RESp. certum eſſe, quod dum ait velle ſua crimina confiteri; & ſuos complices reuelare; eſt reſtituendus Inquiſitoribus, vt plenariam confeſſionem faciat; & omnes complices reuelet.An verò ſit iterum brachio ſeculari tradendus, & morte puniendus. Suarez *de fide,diſp.23.ſect.2.n.16.* Fagundez *in decal.lib.1.c.25.n.25.* Eymericus, Symãchas,Decianus *locis citatis*, & alij docent, non eſſe iterum brachio ſeculari tradendum: ſed perpetuò carceri retinendum. Tum quia veram, & integram confeſſionem fecit coram Inquiſitoribus, & ſuam hæreſim deteſtatus eſt,& abiurauit. Tum quia Iudices ſeculares iuri ſuo videntur renunciaſſe,dum reum ſibi traditum,ipſis Inquiſitoribus remittũt. Et tum etiam, quia æquum non eſt, vt qui iàm nec impœnitens,nec relapſus eſt; iterum ſeculari foro tradatur, & morte tanquam ſi impœnitens fuiſſet, puniatur. Pegna verò *par.2.comment.36. verſ.Poſtquam traditus fuerat*, Zanchinus *tr. de hæret. c.16.nu.4.* & alij ſuſtinent, eſſe iterum Curiæ ſeculari tradendum, & ad miſericordiam eſſe admittendum, quoad animam,& ad Sancta Sacramenta confeſſionis, & Euchariſtiæ recipienda ſolum. Quia huiuſmodi conuerſiones nõ præſumuntur, fieri verò, & non ficto corde,& ob dolorem peccatorum; ſed metu mortis imminentis: eò magis; quia antè ſententiam, & priuſquam traderetur Curiæ ſeculari; omnis ſit adhibita diligentia, vt conuerteretur: & experientia ſæpè docuit, hos homines, ad veniam receptos, deteriores fieri. In hac ergò Doctorum varietate; relinquendum eſt, quid ſit agendum prudenti arbitrio Inquiſitorum: qui ob varias, & graues circumſtantias delinquentium, amplectentur illam opinionem,quàm magis expedientem iudicauerint.

CAPVT XVIII.

De Sortilegi, de Hæreſi inquiſiti Confeſſione Sacramentali.

Sortilego de hæreſi in carceribus detentos, eſt ne concedendus Confeſſarius, quoties illum petierit?

1 RESp. Symancham *de cathol.inſtitut.tit.16.nu.30.* exiſtimare: dictis ſortilegis hæreticis non eſſe concedendam Confeſſariorum copiam:niſi plenè Inquiſitoribus ſuas hæreſes, & delicta fuerint confeſſi: aut in extremũ venerint vitæ periculum: quia huiuſmodi homines, cùm pendente inquiſitione reputentur hæretici; indigni videntur tanta benignitate, & conſolatione.

tione. Benignius verò docet Pegna *par.2.comment.*25. *verſ.Ac primum*: affirmans; toties eis Confeſſarios eſſe concedendos, quoties ipſi illos petierint: quia hoc valdè prodeſſe poteſt;vt à Confeſſarijs moneantur, & excitentur, ad liberè Inquiſitoribus confitendum ſua delicta.Sunt autem eis aliqua aduertenda, quæ luculenter præſcribuntur in Madriliana inſtructione,ann. 1561.*c*.71. his verbis: *Si petierint Confeſſarium, debet eis concedi: qui ſit ſpectatæ probitatis, & de quo plurimum confideatur; à quo iuramẽtum exigatur, de cuſtodiendo ſecreto: & quod ſi pœnitens ei dixerit aliquid in confeſſione, quòd velit reuelari extrà carceres; ne in hoc ei vllo modo obtemperet,nec ſimilia mandata reuelet: quod ſi extrà confeſſionem ei fuerit aliquid iniunctum; id Inquiſitoribus manifeſtabit. Ad hæc Inquiſitores Confeſſarium inſtruant,qualiter ſe gerere debeat cùm pœnitente: vt videlicet dicat ei, quod cùm ſit pro hæreſi incarceratus, ac de ea reus accuſatus, non poteſt abſolui, niſi iudicialiter hæreſim ſuam manifeſtet. Et cætera relinquentur iudicio,& conſcientiæ Confeſſarÿ: qui debet eſſe doctus; vt intelligat id,quod in cauſa tali fieri conueniat. Hæc ibi.*

Quid eſt obſeruãdum à Confeſſario in rei ægritudine,& articulo mortis?

2 RESp.quòd ſi reus eſt ægrotus, ſed non in articulo mortis, Confeſſarius non debet illum ſacramentaliter confiteri, & abſoluere niſi prius iudicialiter Inquiſitoribus ſatisfaciat,& ad hoc omni cùm diligentia eum perſuadere debet.Et ſi ille hoc fecerit,priuſquam moriatur reconciliabitur Eccleſiæ, & cùm fuerit iudicialiter abſolutus: tunc Confeſſarius eum abſoluat ſacramentaliter. Si autem reus iſte nedum ſit ægrotus, ſed ſit in articulo mortis conſtitutus, nec in ſtatu, in quo examinari poſſit, & iudicialiter confiteri coram Inquiſitoribus, & verè ſit contritus, & paratus obedire mandatis Eccleſiæ, abſoluendus erit ſacramentaliter: vt habetur in Concilio Arauſicano 1.*c*. 2.quia,iuxtà decretum Cõcil.Trid.*ſeſſ.* 14. *c*.7. in tali caſu nulla eſt reſeruatio.

Si reus crimen hęreſis ſuum manifeſtauit Sacerdoti, non in ordine ad confeſſionem, & pœnitentiam, ſed ſub ſecreto, & proteſtatione illud nunquam reuelandi, ſi producatur ille in teſtem, debet ne illud deponere,& veritatem reuelare?

3 RESp. affirmatiuè; ità Innocentius *in cap.Qualiter, & quando* 1. *dę accuſat.* & ibi communiter Doctores, Panormitanus *in cap.Si Sacerdos de offic.ordin.* Felinus *in cap. Intimauit de teſtibus*,D.Thomas 4.*ſent.diſt*.21.*qu*.3. *ar*.1. Et ratio eſt,quia quod vergit in magnum Reipublicæ detrimentum, obligati ſunt omnes, ſub pœna peccati mortalis, reuelare; nullo obſtante pacto, iuramento, nec voto; vt docent Guido Fulcodius *in Conſultationibus ad Inquiſitores, qu*.8. *lit.B.* D.Thomas 2.2.*q*.70.*art*.1.Sotus *lib*.5.*de iuſt. qu*.5. *ar*. 2. & copioſè Royas *in ſingularibus fidei,ſingul*.5. *n*.15. Crimen autem hęreſis maximè tendit in Eccleſię,& Reipublicæ damnum. Ergò ſemper in quocunq;caſu eſt reuelandum. Prætérquam, quando auditur in confeſſione ſacramentali; tunc enim nullo modo reuelari poteſt:quia Confeſſarius illud audiuit,non tanquam priuata perſona, ſed vt Deus: *c. Dilectus de exceſſibus Prælat. cap. Omnis vtriuſque ſexus de pœnit.& remiſſ.* D.Thomas 2.2.*qu*.70. *ar*.1.*ad* 2.& cæteri Doctores.

Si Confeſſarius, ſiuè imprudenter,ſiuè malitioſè, crimen delinquentis Inquiſitoribus reuelaret, eſſet ne ei adhibenda fides?

4 RESp. negatiuè ob dictam rationẽ: quia talis confeſſio fuit facta tanquam ſoli Deo, & non tanquã ho-

mini. Et quod dictum talis Confeſſarij, nullam faciat fidem, habetur expreſsè in Synodo, celebrato ſub Carolo Magno: vt refert Martinus Victorius *in lib. de Sacramento confeſſionis, &c.* his verbis: *Si fortè Sacerdos peccatum ſibi in confeſſione Eccleſiæ patefactum, reuelauerit, præter depoſitionem, & aliàs pęnas, credi ei non debet: quia reuelando delinquit; & delinquens tanquam infamis à teſtimonio ferendo, in eo præſertim, in quo teſtando peccat, reÿcitur.* Et idem habetur in Concil. Africano, *c. 99.* & Concil. Carthaginēſi 7. *c. 5.* vt referunt Burchardus *lib. 19. decret. c. 127.* & Gratianus *6. q. 2. c. placuit.* Nec ſolùm Confeſſario, confeſſionem reuelanti, non eſt credendum, nec eius dictum facit indicium aliquod contra reum: ſed ipſe eſt grauiter à ſuo Iudice puniendus: vt *in cap. Sacerdos de pœnit. diſt. 6. & in cap. Omnis vtriuſque ſexus, §. Caueat autem extrà de pœnit. & remiſſ.*

Sortilegus, & quicunque hæreticus in mortis articulo conuerſus, confeſſus, & à Sacerdote abſolutus: ſi poſtea conualeſcit, cenſetur ne in hoc Sancto Tribunali etiam abſolutus?

5 RESp. negatiuè, quia abſoluti in foro pœnitentiali interno, non intelliguntur abſoluti in foro iudiciali, & externo: & pœna impoſita à Confeſſario in foro pœnitentiæ quantumcunque ſit magna, nunquam tollit pœnam imponendam in foro externo. Ità Gloſſa *in cap. Gaudemus de diuortÿs, verbo Poterit*: Paulus de Caſtro *in l. cunctos populos, Cod. de ſumm. Trinit. & fid. cathol. nu. 7. gloſſa 1. in fin. in cap. 2. de Schiſmaticis*, & ibi Panormit. Card. & Doctores: Gloſſa in *cap. De his in fin. de accuſat.* vbi Abbas, & alij Doctores communiter docent; & expreſsè declarauit, & decreuit Gregorius XIII. in Bulla quadam Iubilæi, ædita anno 1572. his verbis: *Declaramus tàm præſentes, quàm alias quaſcunque ſuper conceſſione ſimilium, vel diſſimiliū indulgentiarum, à nobis, & à prædeceſſoribus noſtris hactenus emanatas, & in futurū quomodolibet emanandas litteras Chriſti fidelibus, ipſis niſi in foro conſciētiæ, & pœnitentiali tantùm; non autem in foro fori, & contentioſo, niſi ſatisfecerint his, propter quæ cēſuræ huiuſmodi in eos latæ fuerint, vllatenus ſuffragari: eoſdemque Chriſti fideles illis, iuxtà huius noſtræ declarationis formam, & tenorem, & non aliter, nec alio modo vti, aut eis ſe iuuare poſſe, & potuiſſe. Quinimmò eos in eaſdem cenſuras, poſtmodū incidiſſe, & in poſterum reincidere: ſicquè ab omnibus quauis auctoritate fungentibus, cenſeri, & iudicari debere: irritumque, & inane quicquid ſecus à quoquam, quouis prætextu, aut colore, ſcienter, aut ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Non obſtantibus contrariÿs quibuſcūq; &c.*

6 Potiſſima huius rei ratio eſt: quia pœna pœnitentialis fori interioris, & ſacramentalis ſolùm tendit, vt pœnitens ſatisfaciat Deo, & animæ ſuæ. Pęna autem fori externi, & iudicialis ſpectat ad punitionem corporis ipſius delinquentis, & ad vindictam publicam; vt ità etiam bono communi, & Reipublicæ ſatisfaciat, qui ſuo malo exemplo, delinquendo, eam offendit. Ità colligitur ex *cap. 2. de maledicis*, vt ibi notant Abbas, & alij Doctores. Inſuper abſolutus in articulo mortis ab excōmunicatione reſeruata, ſi mortem euaſerit, tenetur Superiorem adire, vt ab eo abſoluatur: aliàs iterum incidet in excommunicationem: vt patet ex cōmuni omnium ſententia. Sortilegus ergo, & hæreticus, abſolutus in mortis articulo à cenſuris; ſi ſalutem poſtea obtinet, & ſtatim ſponté in S. Inquiſitionis Tribunali comparet, & ſua crimina, & illorum complices integrè, & verè fateatur: gaudet impunitate ſpontè comparentium eo modo, quo ſuprà dictum eſt. Si verò ſpontè non comparcat: abſolutio ab excommunicatione in articulo mortis obtenta, non amplius ei ſuffragatur; quia iterum in illā incidit, & conſequenter eiuſdem pœnę

reus

reus redditur, ac ſi anteà non fuiſſet abſolutus. Ità docent Zanchinus *de hæreticis, c.* 34. & ibi Campegius, Repertorium Inquiſit. *verb. Abſolutio*, §. *Sed & abſolutio, & verb. Cõfeſſio*, §. *Vtrum ſi in foro*, Locatus *in opere iudiciali, verb. Abſoluere, n.* 1. *& verb. Hæreticus, n.* 24. Pegna *par.* 2. *commen.* 25. *verſic. Rursùs*, & alij.

7 Notat etiam Pegna *ibid. verſ. Illud hic monebo*: multum eſſe minuendam pœnam in foro exteriori, quoties is, qui punitur, in foro interiori ſine dolo fuit confeſſus delictum ſuum, & obtinuit abſolutionem: maximè ſi iniunctam ſibi pęnitentiam humiliter adimpleuit: cùm ſatis appareat, huic culpã ſuam diſplicuiſſe. Mitius enim agi debet, & leuius cùm eo, qui ſpontè confitetur peccatum ſuum, quàm cùm eo, qui conuincitur: iuxtà doctrinam Abbatis, & cæterorum *in cap. Et ſi Clerici de iudicijs.*

Eſt ne in foro iudiciali procedendum contra ſortilegum de hęreſi inquiſitum defunctum, ſi plures teſtes deponant eum hæreticum impœnitentem deceſſiſſe, & Confeſſarius ſolus teſtetur, antè mortem illum pœnitentem abſoluiſſe?

8 RESp. quod in caſu prædicto Supremum Tribunal eſſet conſulẽdum, & ab eo expectãdã determinationem: quia tàm pro reſponſione affirmatiua, quàm pro negatiua efficaces adſunt rationes. Et quod credendum ſit Confeſſario atteſtanti de pœnitentia defuncti, probatur primò: vt notat Pegna *par.* 2. *comment.* 25. *uerſ. Ergò.* Quia ità in terminis proprijs tenet Gloſſa *in cap. Nuper nobis, in uerb. Niſi iuratus, extrà de teſtibus, & in cap. Teſtimonium, in uerb. In hoc caſu, eod. tit. de teſtibus*, vbi ait: quod cùm quis vult probare ſe egiſſe pęnitentiam, ſatis eſt, ſi id probet per Confeſſarium ſuum. Secundò, quia ſicut ratione officij, creditur Notario in his, quæ ad ſuũ munus ſpectant, *cap. Ad audientiam de præſcript.* vbi Abbas *n.* 6. & alij communiter; ità videtur Sacerdoti credendum. Tertiò, quia non refert, Sacerdotem eſſe vnum teſtem in hoc caſu: nàm vni ſoli teſti ſpectatæ fidei, & probitatis credẽdum eſſe tradit Thomas Grãmaticus *conſil.* 13. *n.* 15. Quartò, quia Clementiæ prærogatiua, & fauor hoc videtur poſtulare, præſertim cùm in hoc crimine prõtiores eſſe debent Inquiſitores ad abſoluendum, quàm ad condemnandum. Quintò, quia non eſt veriſimile in Sacramento confeſſionis, vbi omnia poſtulantur integra, iuſta, & cùm lege Dei coniuncta: aut confitentem, aut Confeſſarium, vſque adeò futuros ſuæ ſalutis immemores, vt mendacium dicere audeant.

9 In contrarium verò militat. Primò, quia non videtur facile admittendum in re tàm graui, ſtandum eſſe potius dicto vnius, quàm teſtibus alijs, & indicijs legitimè probatis. Secundò, quia Inquiſitores, propter dictum Confeſſarij, non debent recedere ab his, quę ordine iudiciario probata ſunt in contrarium: præſertim cùm communis ſit, & recepta, tàm Theologorum, quàm Iuriſperitorum ſententia: ſecundùm allegata, & probata iudicandum eſſe; non autem iuxtà priuata dicta, & indicia: vt docet etiam D. Thomas 2. 2. *q.* 67. *ar.* 2. Tertiò, quia ſi adhibenda eſſet fides Sacerdoti, teſtificanti de pęnitentia defuncti; idem dicendum eſſet de teſtificante pœnitentiam viui: et delinquentes, vt pœnas huius criminis effugerent, facile attentarent, mendacium in confeſſione dicere, & fingere ſe pœnitentes; vt poſteà Confeſſarius ad Iudices eos excuſaret. Ex iſtis rationibus arguit Pegna: Tutius eſſe, vt non credatur Cõfeſſario, ſed vt ordine iudiciario, iuxtà allegata, & probata legitimè procedatur. Sed dum pro vtraque ſententia adſunt rationes valdè ſubſiſtentes, ſecurius erit, vt Inquiſitores, ne pietati, neque iuſtitiæ deficiant, in tali caſu conſulent S. Supremam Congregationem, & illius determinationẽ exequantur.

CAPVT XIX.

De Teſtibus contra Sortilegos, & alios de hęreſi inquiſitos.

Quinam teſtes in Sancto Inquiſitionis Tribunali admittuntur, aut non admittuntur?

1 Reſp. quod admittuntur omnes, etiam alias inhabiles, exceptis inimicis: quia crimen hæreſis, & hæreticalis ſortilegij eſt grauiſſimum, & Reipublicæ maxime pernicioſum: & ideò in ipſius deteſtatione teſtes, etiam alias inhabiles, in hoc S.Tribunali admittuntur in fauorem fidei: vt ſic facilius delictum puniri, & extirpari poſſit. Ità docent Vmbertus Locatus *in iudic. inquiſit. verb.Exceptio, n.4.verſ.Item ſolum,& verb.Teſtis,verſ.Nota.* Caſtro Palaus *par.1.tr.4.diſp.8.punct.15.§.1. n.1.*Carena *par.3.tit.5. n.2.* Farinacius *de hæreſi,q.188.nu.67.&* 74.Et probatur ex *cap. In fidei fauorem de hæreticis in 6.* vbi dicitur expreſsè, quod admittantur in teſtes, excommunicati, criminoſi, infames, ſocij criminum, & qui alias, vt inhabiles habentur.

2 Excipiuntur à teſtimonio ferendo inimici, *in cap.Si teſtes 4. q.3. cap. Meminimus,& cap. Cum oportet de accuſation.& in l.ſi quis,Cod.de teſtibus.* Quia inimicus, falſum deponere, præſumitur, & non ex zelo iuſtitiæ, ſed ex vindicta procedere: ità communiter Doctores, quos citat, & ſequitur Farinacius *loc. cit.n.101.*De quibus verò inimicis hoc intelligendum ſit, dicetur infrà.

Teſtes infames, criminoſi, excommunicati ſocij criminis, admittuntur ne ſine tortura?

3 Reſp.quod quamuis Marſilius *conſil.109.n.13.14.& 15.* Bartolus *in l.cunctos populos,Cod.de ſumma Trinit.& fide cathol.n.12.* Iulius Clarus *in pract.crimin.§.fin.q.21.verſ. Sciat etiã,* ſuſtineant: non eſſe huiuſmodi teſtes admittendos ſine tortura. Tamen Pegna *par.3.direct.comment.113. verſ.Equidem tametſi;* Repertorium Inquiſ.*in verb.Teſtes, verſ.An autem*, Campegius *in addit.ad Zanchinum in tract.de hæreticis,c.9. litt. C. in verb. Inquiſitor, verſ.Adſunt inſuper,*Gundiſaluus *in tr. de hæret.q.13.n.5.* Ioann. Royas *ſingul. 84.n.3.* Decianus *in tract.crimin.lib.5. c.35.n.12.*Farinacius,*q.188.n.69.*& alij docent: quod admittuntur ſine tortura, & indicium faciunt maius, vel minus, ſpectatis perſonarum qualitatibus, & alijs circumſtantijs. Quia ſi huiuſmodi teſtes inhabiles non admitterentur ſine tortura, ad teſtimonium dicendum; facilè auerterentur, à teſtificando in cauſis fidei. Quandoque verò debent Inquiſitores eos torquere ſpectata ipſorum malitia, improbitate, & varietate: vt ijdem Doctores affirmãt.

Satellites, ſeu lictores, faciunt ne plenã fidem, vt teſtes in S.Officio?

4 Reſp. affirmatiuè, quia licet vt infames habeantur, & viliſſimæ ſint perſonæ, & in criminalibus præſertim à teſtificando repellantur: vt probat Farinacius *in tr. de teſtibus, qu. 56.n.370.& ſeq.& in tr. de delictis, & pœnis,q.21.n.147. & ſeq. & in tr. de varijs criminibus,q.108.nu.150.& ſeq.* Tamen in S. Inquiſitionis Tribunali ſatellitibus plena fides eſt adhibenda; iuxtà Conſtitutionem Innocentij IV. incip.*Ad extirpanda*, ædita ann. 1252. vbi dicitur: *Officialibus prædictis plena fides habeatur de his omnibus, quæ ad eorum officium pertinere naſcuntur ſine aliquo ſpecialiter præſtito iuramento, probatione aliqua in contrarium non admiſſa, vbi duo, vel tres, vel plures præſentes fuerunt ex eiſdem.* Et idem ſtatuerunt Alexander IV. in ſua Conſtit. ædita ann.1259.& Clemens VI. in ſua Conſtitut.an.1265. regiſtratis à Pegna inter litteras Apoſtolicas poſt *direct. inquiſ.*

5 Notat verò Farinacius, circa dictas Conſtitutiones, *q.188.nu.71.72.& 73.* quod

quod dicitur, plenam eſſe adhibendam fidem dictis Officialibus; non in ijs, quæ pendent, & ſequuntur ex eorum officio: vtputa quando deponunt ſuper impedimento, aut iniurijs verbalibus, vel perſonalibus ipſis illatis: ſed ſolùm quando deponunt in ijs, quæ ad eorum officium pertinent: vtputa ſi deponant ſuper executione ab ipſis facta, vel nō facta, & etiam, quoad illud, ad quod in ſpecie deputati non ſunt, in leuibus, nō autem in grauibus; niſi illorum depoſitiones eſſent, coadiuuatæ alijs coniecturis, & adminiculis: tunc enim non erit abſurdum dicere, quod plenè probent, etiam in grauibus. Et idem affirmat Carena *par. 3. tit.* 5. §. 7. *num. 33. & ſeq.*

Teſtes inhabiles, excommunicati, criminoſi, infames, ſocij criminis, admittuntur ne in S. Tribunali, non ſolum in defectum aliarum probationum, ſed etiam non exiſtente tali defectu?

6 RESP. Quod Symanchas *in annot. ad Zanchinum de hæret. cap.* 10. *uerſ. Sed hæc opinio*, & Eymericus *par. 3. q. 64. & q. 69.* ſentire videntur: ſupradictos teſtes inhabiles, non eſſe admittendos, niſi in defectum aliarum probationum. Quia *in dicto cap. In fidei de hæreticis in 6.* dicitur: *In fidei fauorem concedimus, ut in negotio Inquiſitionis hæreticæ prauitatis, excommunicati, & participes, uel ſocij criminis, in teſtimoniū admittantur, præſertim in aliarum probationum defectum.* Sed ex ijſdem verbis probat cùm alijs Farinacius *loc. cit. n.* 74. ſupradictos teſtes inhabiles, eſſe admittendos, etiam non exiſtente probationum defectu. Quia dum ait Textus: *Præſertim in probationum aliarum defectum.* Verbum illud *præſertim*, non eſt taxatiuum, ſeu reſtrictiuum, ſed ampliatiuum: & ſignificat idem, quod verbum *Maximè*. Et in hoc ſenſu eſſe intelligendum, docent quoque Ioannes Andreas *ibidem, n. 3.* Roſella *in ſumma, uerb. Hæreticos, n.* 31. Syluester *uerb. eod.* §. 2. *n. 6.* Vmbertus Locatus *in iudic. Inquiſit. in uerbo Excommunicati, n.* 4. Repertorium Inquiſ. *in uerb. Teſtes, uerſic. Eſt tamen*, Ioannes Calderinus *in tr. de hæret. rubr. de his, quæ pertinent ad executionem officij, nu. 9.* Symanchas *in Enchirid. uiol. Relig. tit. 35. de teſtibus, num.* 171. Decianus *in tract. crimin. lib. 5. c. 35. n.* 1. Scaccia *in tract. de iudic. cauſ. ciuil. crim. & hæret. c. 82. n. 2. in fin. uerſ. Vel ponderando illud aduerbium, præſertim*. Ergò ſupradicti teſtes non ſolū admitti poſſunt in defectum aliarum probationum; ſed etiam non exiſtente tali defectu.

Duo ex his teſtibus inhabilibus in cauſis fidei, ſufficiunt ne ad plenam probationem contra reum, & ad pœnam delicti ordinariam, ei imponendam?

7 RESp. negatiuè, ſed tantùm ſufficere ad præſumptionem, ſeu ad aliqualem probationem faciendam, vel ad indicium ad torturam, vel ad pœnā extraordinariam. Ità docent Abbas in *cap. Per tuas, n. 4. de ſimon.* Felinus *in cap. Teſtimonium, n. 22. de teſtibus*, Iaſon *in l. 4. §. Si tibi, nu. 4. ff. de condit. ob turpē cauſam*, Symanchas *de cathol. inſtit. tit. 64. n. 36.* Royas *ſingul.* 189. *n.* 11. Iulius Clarus *in pract. crimin. §. fin. q. 21. uerſ. Sed pone*, Pegna *par. 3. comment.* 113. *uerſ. Cæteris tamen, & ſeq.* Probatur ex verbis *dicti cap. In fidei fauorem*, vbi dicitur: *Si ex uer iſimilibus coniecturis, et numero teſtium, aut perſonarum, tàm deponentium, quàm eorum contra quos deponitur, qualitate, ac alijs circumſtantijs, ſic teſtificantes, falſa non dicere præſumantur*. Ex quibus verbis apertè colligitur: vt probat Pegna *uerſ. Sit ſecundùm axioma*: quod plures quàm duo teſtes inhabiles, & minùs idonei, in hoc crimine, tunc faciunt plenam probationem, & ad condemnationem, ſeu pœnam criminis ordinariam imponendam, ſufficiunt; quando ex circumſtan-

ſtantijs, & coniecturis,& perſonarum qualitate veriſimiliter præſumũtur, verum deponere. Et ità etiam docent Palacius Rubius *in allegatione de hæreſi,§.vltimo*, Aretinus *in cap.fin. in fin. de teſtibus*, Albertinus *de agnoſcendis aſſertionibus,q.34.n.3.*

Duo teſtes, quorum alter ſit valdè dignus, & alter minus idoneus, ſufficiunt ne ad faciẽdam plenam probationem in cauſis fidei contra reum?

8 RESp. negatiuè; quia quamuis in multis alijs cauſis teſtis valdè dignus,& alter minus idoneus, & infamis, ſufficiunt ad plenam probationẽ: quia ſuperabbundans fides vnius ſupplet defectum alterius: vt notant Baldus *in l.ſi quis ex argentarijs*, §.1. *ff.de edendo*, Marſilius *in l.de minore*, §.*Tormenta,ff.de quæſtionibus*, Iaſon *in l.cunctòs populos,n.53. C.de ſumma Trinit.et fide cathol.* & alij. In cauſis tamen ad Sanctum Officium ſpectantibus, hoc, locum non habet: quia præſertim in criminalibus, probationes eſſe debent, luce clariores,& certæ, *l.Sciant, C. de probationibus*. Et ideò vterque teſtis eſſe debet idoneus, & probatæ vitæ. Ità Pegna,cùm alijs, quos ipſe citat *loc. cit. verſ.Sit iàm tertium*. Qui etiam aduertit, quod ſi teſtis minus dignus de ſuo crimine fuiſſet emendatus, & per poſteriores probatę vitę laudabiles actiones,bonæ fidei,& opinionis ſpecimen dediſſet; tunc ſufficeret; quia iàm dici poteſt idoneus: quod videtur ſenſiſſe Concilium Bitterenſe, *c.13.* & Concilium Narbonenſe *c.25*. Et idem dicendum ſi cùm teſte digno, & teſte minus digno concurrerent aliæ coniecturæ, & indicia de crimine perpetrato. Tunc enim alia indicia, teſtimonium teſtis minus idonei coadiuuarent: vt colligitur ex *dicto cap. In fidei fauorem de hæreticis in 6.*

Mulieres lamię,ſeu ſtriges,complices, ſeu socię criminis, ſunt ne admittendæ in teſtes?

9 RESp. eſſe admittendas; quando per alios teſtes veritas veriſimiliter haberi non poteſt,& dummodò ſint plures. Nàm vna tantùm ſocia criminis non facit fidem; cùm vltra defectum ſexus, patiatur etiam defectum infamiæ,& multò magis, ſi eſſet minor viginti annorum. Et in crimine maleficij,& magiæ,nec duæ,neque tres dictæ mulieres ſufficiunt ad condemnationẽ in pœnam ordinariam: vt affirmant Martinus del Rio *lib.5. diſquiſ. magic. in 2.appendice,qu.12.& 13.* Farinacius *de hæreſi,q.188.n.75.ver.Amplia quartò*, qui etiam docent, quod in crimine maleficij, & magiæ,duæ ſociæ criminis ſufficiunt ad torturam, concurrentibus bonis circumſtantijs, & maximè cauſa ſcientiæ, & non adſint contraria virorum teſtimonia.

Meretrices,& lenones admittuntur ne in hoc S.Tribunali in teſtes?

10 RESp.quod licet meretrices,& lenones, etiamſi deſierint meretricari, & lenocinari, ſint infames, vt ex *l.Palam,§.Non ſolùm,ff.de ritu nupt.* & ex *l.Athletas,§.Ait Prætor, ff. de his, qui notantur infamia*; & idcircò in criminalibus, à teſtificando, repellantur niſi de geſtis in lupanari,vt probat Farinacius *de teſtibus,q.56.n.358. & ſeq.* Tamen admittuntur in teſtes in crimine, ad S.Officium ſpectante: quia ſi in crimine læſæ Maieſtatis humanæ,& de geſtis in lupanari,teſtes eſſe poſſunt, vt ait Farinacius, *n.366.* multò magis teſtificari poterunt in crimine hæreſis. Et ità affirmant Souſa *in aphoriſm. inquiſ. lib.2.c.13.n.16.* Carena *par.3.tit.5.§.6. n. 30.* Verum cum admittuntur in teſtes, tàm in hoc crimine, quàm de geſtis in lupanari, non ſunt omni exceptione maiores, vt notat Farinacius *qu. 56.nu.368.& de hæreſi,q.188.nu.83.*& Carena ibidem.

Cæ-

Cæteri, infamia laborantes, poſſunt ne in S.Officio in teſtes admitti?

11 RESp. Quod inter teſtes infames numerantur, vt probat Farinacius *de teſtibus, q.56.à nu.400.vſque ad 456.* Vſurarij, ſpurij, (niſi ſint Religioſi, vel nobiles, & magnæ conditionis, vel probatiſſimæ vitæ;) publici, & ex conſuetudine blaſphematores, luſores cōſuetudinarij in ludis prohibitis, ebrij, hiſtriones, apoſtatæ à Religione, decocti, proditores, fuſtigati, & alij, quos enumerat ipſe Farinacius. Hi omnes infames, ſiuè iuris, ſiuè facti non repelluntur in cauſis ad Sanctum Officium ſpectantibus à teſtificando: ſi ex veriſimilibus coniecturis, & numero perſonarum, tàm deponentium, quàm eorum contra quos deponitur, qualitate, & alijs circumſtantijs, ſic teſtificantes, falſa non dicere præſumuntur. Ità ex *cap. In fidei fauorem, de hæreticis in 6.* & ibi Gloſſa, & communiter Doctores.

12 Notandum verò eſt cùm Farinacio *de hæreſi, q.* 188.*num.*80. & 81. & alijs, quos ipſe citat: hoc intelligendum eſſe: quando deponunt ſuper ipſo delicto, & delicti ſubſtantia: ſecus ſi ſuper adminiculis, et licet admittantur contra hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum; non tamen admitti debent, ſi ab ipſo reo inducantur in ſui defenſionem: vt etiam docent, Repertorium Inquiſ. *verb.Teſtes, verſ.Item an illi teſtes*, Gōdiſsaluus *in trac.de hęreticis, q.*13.*n.*14. Boſſius *in tit.de hæret.nu.3. verſ. Non admittuntur tamen*, Ioannes Royas *ſingular.*188.*n.9.& in tract.de hæret.p.* 2.*n.*177.*aſſert.*46.Diana *to.*5.*tr.*10.*reſ.* 41.*n.3.ex par.*4.*tr.*8.*reſ.*57. *n.*3.

Bannitus poteſt ne, vt teſtis in S.Officio admitti cùm ſaluo cōducto Inquiſitoris?

13 RESp. affirmatiuè; quia ſicut poteſt Bannitus, vt teſtis examinari in cauſis criminalibus, quando delictum non eſt plenè probatum: vt probat Farinacius *de teſtibus, q.*56.*num.* 334. multò magis vt teſtis examinari poteſt in S.Officio in cauſis ad fidem ſpectantibus. Quod autem poſſint Inquiſitores, validum ſaluum conductum ei concedere; vt poſſit, vt teſtis examinari, probatur: quia Iudex debet ſecuros reddere teſtes, quos vocat: vt in *cap.Hortamur 3. qu. 9.* & ibi Gloſſa, Turrecremata, & alij. Et dum de iure communi poteſt quilibet Iudex inferior, validum ſaluum conductum cuicunque Bannito concedere, vt examinari poſſit, tanquam teſtis: vt affirmant Clarus *q.*32.*verſ.Sed hic quæro*, Farinacius *qu.*29.*nu.*82.Guazzinus *de defenſ. reorum, tom.*1.*defenſ.* 12.*n.*58. *verſ.Iudex.* Eò magis id eſt concedēdum Inquiſitori in cauſis fidei, qui maior eſt quocunque Iudice ſupremo ſeculari. Ità expreſsè docet Carena *par.*3. *tit.*5. §.8.*n.* 38.

Teſtis periurus, & varius, eſt ne in cauſis fidei admittendus?

14 RESp. affirmatiuè, tàm contra ſe, quàm contra alios, dummodò ex manifeſtis indicijs appareat: eum non animi leuitate, nec odio, nec pecunia corruptus; ſed zelo fidei velle deponere: aut dictum ſuum, quod anteà, vt teſtis depoſuerat, velle corrigere, & quæ anteà tacuerat reuelare. Si autem prædictæ coniecturæ de veriſimili veritate à periuro dicenda non adſint: tūc non eſt admittendus ſine tortura. Ità colligitur ex *c. Accuſatus, §.licet de hæreticis in 6.* & docent Eymericus *par.*3. *q.*65.Pegna *comment.*114.*verſ.Periuri*, Gondiſſaluus *in tr.de hæreticis, q.*13.*n.* 12. Hieronymus Gigas *in tr.de crimin. læſæ Maieſt. lib.*2. *tit. Quomodo, & per quos probetur, q.*11.Farinacius *de hæreſi, q.*188.*n.*85. & alij, quos ipſe citat,

Iudæus, vel infidelis, aut hæreticus, admittitur ne in S. Officio contra fidelem, & Chriſtianum?

15 RESp. Quod licet regulariter Iudæi, & infideles, à teſtimonio dicendo contra Chriſtianos, non admit-

mittuntur: *Authent.Credentes,C.de hæreticis,c.1.de teſtibus, c.Non poteſt 2.qu. 7.* & tradunt communiter Doctores *in c.1.extra de hæreticis.* Tamen in crimine hæreſis, quicunque infideles, & Iudæi contra Chriſtianos in teſtimonium admittuntur: vt apertiſsimè docet Pegna *par.2.direct.comment.13. verſ.Cæterum in crimine hæreſis*, Farinacius *de hæreſi,q.188.n.124.& ſeq.* & alij, quos ipſi citant. Iudæi enim ſunt idonei teſtes, contra Chriſtianum transeuntem, vel redeuntem ad iudaiſmum; ex *c.contra Chriſtianos de hæreticis in 6.* & ibi Gloſſa in *verb.Iudæos*, Gondiſsaluus *in tr.de hæret.q.13. nu.10.* Maſcardus *de probation.lib.2.concluſ.857.nu.9.& 10.* vbi expreſsè ait: Iudæum admitti in teſtem, non ſolùm contra Chriſtianum in totum deſerentem Religionem Catholicam, ſed etiam in vno tantum articulo delinquentem: & idem cùm Pegna ait Farinacius *n.127.* Nè tàm graue crimen, defectu probationum, impunitum relinquatur.

16 Quando autem huiuſmodi teſtes admittuntur, vtique iurare debent, non ſuper Euangelia, quibus non credunt; ſed Iudæus ſuper legem Moyſi, & infidelis, ſecundùm leges ſuas. Ità Ioannes de Immola *in Clement. 1. de teſtibus.* Antonius Butrius *in proœmio decretalium*, Pegna *in dicto commen.13.verſic.Denique illud monere oportet.* Farinacius *de teſtibus,q.56.nu.238.* Carena *p.3.tit.5.§.5.n.27.*

17 Similiter dicendum eſt de hæreticis, quamuis enim iſti non recipiantur in teſtimonium contra fidelem catholicũ, ex *l. Quoniam, Cod. de hæreticis*, & ibi Gloſſa, & Albericus *nu. 1.* vbi ait: hoc procedere, tàm de iure Ciuili, quàm de iure Canonico: & cùm nonnullis alijs affirmat etiam Farinacius *de hæreſi, qu. 188. nu. 111.* Cæterùm in cauſis fidei contra fidelem admittuntur hæretici: vt docent Calderinus *in tr. de hæretic. rubr. de his, quæ pertinent ad executionẽ officij, n.8.* Symanchas *de cathol.inſtitut. tit.64.rubr.de teſtibus,nu.43.& ſeq.* Cãpegius *in addit. ad Zanchinum in tr.de hæreticis,c.31.verſ.Teſtium quoque.* Pegna verò *par.3.direct. comment.117. verſ.Quantum verò,& ſeq.* affirmat, & probat: in cauſa fidei admittendum eſſe in teſtem hæreticum contra catholicum; ſed eius dictum non ſufficere ad ſemiplenam probationem; non concurrentibus alijs conjecturis, veriſimilibus; nec ei eſſe omninò credendum, ſicut creditur teſti omni exceptione maiori. Et ideò eius depoſitio non eſt ſufficiens, neque ad torturam, neque ad capturam, ſed tantùm ad inquirendũ, & ad aſſumendas ſecretas informationes de eo, de quo hæreticus depoſuit: & ſi alia ſuperuenerint indicia; tunc procedendum eſt ad vlteriora: à qua ſententia non eſt recedendum, vt affirmant Farinacius *n.116.* Lelius Zechius *in ſumma, par.1.tit.de fide, rubr. de hæreſi,c.11.n.14. verſ.Hæreticus etiam.*

Domeſtici familiares, & ſerui admittuntur ne in teſtes in cauſis, ad Sanctum Officium pertinentibus, tàm contra, quàm in defenſionem inquiſiti?

18 RESP. Quod huiuſmodi teſtes admittuntur ſemper in cauſis fidei contra inquiſitum, non autem ſẽper in eius defenſionem: probatur primum: quia cùm crimen ſortilegij, & cuiuſcunque hæreſis committi ſoleat ſecretò, & in occultò, melius per domeſticos, & familiares, quàm per alios probari poteſt. Et ideò huiuſmodi teſtes ſemper nedum admitti, ſed cogi poſſunt ad teſtimonium ferendum: vt probat Pegna *par.3.comment.119.verſic.Quod autem*, Farinacius *de hæreſi,q. 188.n.145.* & alij. Probatur ſecundum, ſcilicet, quod non admittuntur ſemper in defenſionem: quia domeſtici, & familiares, ratione amicitiæ, & familiaritatis, præſumuntur, non dicere veritatẽ; vt à tanto crimine reum poſſint liberare: vt notat idem Pegna *verſ. Quod nõ prò.* Verùm ſi perſona domeſtica eſſet valdè digna, ac ſpectatæ probitatis, plenè

nè etiam in dicto crimine, eius teſtimonium non eſſet contemnendum ad excuſandum reum, iuxtà doctrinam Innocentij, Ioann. Immolæ, & Antonij de Butrio *in c. Cùm litteris de teſtibus*. Nàm ſi non præſumeretur, quod talis perſona peieraret, eius teſtimonium recipiendum eſſet. Vel ſi cùm ipſo teſte domeſtico, conueniret alius teſtis, non domeſticus, & omni exceptione maior; aut alia indicia eſſent ad fauorem inquiſiti. Ità docent Marſilius *in l. de minore, §. Tormenta, ff. de quæſtionibus*, vbi plures citat pro hac ſententia, Farinacius *loc. cit. nu.* 151. Lelius Zechius *in ſumm. par. 1. tit. de fide, rubr. de hæreſi, c. 11. n. 14. verſ. Quo verò.*

19 Seruus autem contra ſuum Dominũ teſtis eſſe non poteſt, *l. penultima, c. Qui accuſare non poſſet, l. prima, C. de quæſtionibus.* At in cauſis ad Sanctum Officium pertinentibus, nedum ad teſtificandum admittitur, contra Dominũ: ſed ad hoc cogi poteſt, & torqueri; quia ſic etiam obſeruatur in crimine læſæ Maieſtatis humanæ, *l. final. Cod. Ad l. Iul. Maieſtatis.* Et ità docent Eymericus *in direct. par. 3. q. 66.* & ibi Pegna *comment.* 115. *verſ. Quod verò*, Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 61. *rubr. de ſeruis, nu.* 13. Gondiſsaluus *in tr. de hæreticis, q.* 13. *nu.* 11. Farinacius *vbi ſupra num.* 144.

Conſanguinei, & affines contra eorum conſanguineos, & propinquos, in dictis criminibus teſtificantes, faciunt ne plenam probationem?

20 Reſp. Quod ad defenſionem non faciũt probationẽ, nec sũt admittendi: Quia, vt ait Apoſt. *Eph. 5. Nemo vnquã carnẽ ſuã odio habuit*: ità nemo pręſumendus eſt: conſanguineos, & affines odio habere: & quia ex hoc crimine oritur infamia; facilè vt eorũ infamiam fugerent, mentirentur. Et ideò horum teſtimonium, non ineptè, in his cauſis, falſum putatur. Contra verò inquiſitum admittuntur, & eorum teſtimonium optimè probat: quia magis efficax: & tantò firmius haberi ſolet, quantò conſanguinei, & affines, à ſuſpicione odij, longius abeſſe, iudicantur. Ità de fratre contra fratrem de hæreſis crimine deponentem loquitur, Textus *in cap. Litteras, extra de præſũptionibus*, Pegna *par. 2. comment. 15. verſ. Et de fratre ſuo, & par. 3. comment. 119. litt. B.* Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 64. de teſtibus, n. 47. & 48.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. c. 35. nu. 9.* Maſcardus *de probat. lib. 2. concluſ. 857. n. 47.* Royas *ſingul. 70.* Farinacius *n. 146.* & alij.

Ad huius criminis probationem admittitur ne filius contra patrem, vxor contra maritum, & è contra?

21 Reſp. affirmatiuè ob dictam rationem; quia eorum teſtimonium eſt magis efficax ad probandum, & magis longius à ſuſpicione inimicitiæ: & optat Eccleſia, tam graue crimẽ in ſuis filijs omninò præcauere, & ſi commiſſum fuerit, punire. Ità Eymericus *par. 3. direct. qu.* 70. Pegna *ibi, comment.* 119. *verſ. Item pater*, Felinus *in c. In litteris de teſtibus, n.* 1. Antonius Blãcus *tract. de indicijs, n. 363.* Farinacius *n.* 147. Menochius *vbi ſup. n.* 18. *& ſeq.* Ioannes Royas *ſing.* 150. Ad probandũ verò inquiſiti innocentiam, non admittitur, nec pater, nec filius, nec vxor, nec maritus. Quia eorum intereſt, vt inquiſitus abſoluatur: cùm illius infamia ad ipſos quoque redundet. Ità in *cap. Filij de hæreticis in 6.* & ibi Gloſſa, & in Cõſtitut. Alexandri IV. ædita ann. 1258. incip. *Ex parte*. Et ità etiam docent Syluester *verb. Hæreticus 2. nu.* 16. Vmbertus Locatus *in iudicial. inquiſ. verb. Vxor, n.* 4. Symanchas *loc. cit. n. 48. & n.* 81. Farinacius *de hęreſi, q.* 188. *n.* 149. & alij. Verum Farinacius *n.* 150. cùm Symanca *tit. 29. de filijs, & minoribus, nu.* 21. affirmat: filios, familiares, atque domeſticos, eſſe idoneos teſtes ad probandum, etiam innocentiam inquiſiti de hæreſi in his, quæ per alios probari non poſſunt.

Minores, & impuberes poſſunt ne in cauſis fidei recipi,& cogi ab Inquiſitoribus ad teſtificandum?

22 RESp.Quod minores, qui habent annum vigeſimum, non ſolùm in cauſis fidei, ſed in omnibus criminalibus recipi,& cogi poſſunt,ad teſtificandum:quia inter teſtes idoneos numerantur. Ità Gloſſa *in l.inuiti, ff. eodẽ tit.*Ioannes Andreas *de teſtibus, nu.* 34. Martinus del Rio *lib.* 5. *diſquiſ. magic. q.*15.*litt.A.in* 2.*append.* Farinacius *qu.* 188.*n.*75.*verſ.Amplia* 5.Carena *par.*3. *tit.*5.§.10. *nu.*847. Minor 20. annis, & maior 14. quamuis in criminalibus regulariter,nec cogitur,nec admittitur,vt teſtis; niſi in caſibus, in quibus veritas aliter haberi nequit. Ità Hoſtienſis, Baldus, Alexander, Ioannes Andreas, Iaſon, Marſilius, relati à Martino del Rio *ibid. litt. B.* & à Farinacio *de teſtibus,q.*58.*nu.*10.Et in defectum probationum, quando Iudex procedit, non per viam accuſationis, ſed ex officio; vt ſentiunt alij relati à Farinacio *ibid. n.*37. Tamen in cauſis ad Sanctum Officium ſpectantibus admittitur, & cogi poteſt ad teſtificandum. Quia ſi in crimine læſæ Maieſtatis humanæ admittitur,vt teſtis ex *l.de minore,ff.de quæſt.* & probat Farinacius *de teſtibus, qu.*58. *nu.*22.multò magis eſt admittendus in cauſis fidei,& in crimine hæreſis. Ita Cantera *de plena probatione,c.*2. *nu.*42. Farinacius *de hæreſi dicta q.*188. *n.*75. *uerſ.Amplia* 5.Carena *loc.cit.n.*55. Minor verò annorum 14. & habẽs ſaltem annos decem cùm dimidio, teſtis eſſe non poteſt, iuxtà *Authent. Sacramenta puberum,Cod.Si aduerſ.uendit.* quia talis etas facilis eſt ad mentiendum, nec talibus iuramentum deferri poteſt, *l. Qui iuraſſe de iure iurando.* Verum licet non admittatur impuberis dictum ad probandum: nihilominus admittitur,ad veritatem indagandam;vt aiunt Farinacius *n.*43.*& ſeq.*Clarus *in praxi* §.*fin.q.*24.*nu.*17. & alij. Et aliquandò admittitur etiam,ad probandum, & ad torturam,ſi ſit adminiculatum eius dictum præſumptionibus,& coniecturis, arbitrio Iudicis validis: vt notant idẽ Farinacius *nu.*52.& Carena *nu.*53. In cauſis autem, quæ ad Sanctum Officiũ ſpectant,etiam impuberes admittũtur, recipiuntur,& coguntur teſtificari. Ità Carena *ubi ſup.n.*55.Cantera *dicto c.*2. *n.*2.Farinacius *de hæreſi,qu.*188.*nu.*75. *uerſ. Amplia* 5. Petrus Binsfeldius *de Confeſſ. maleficor. membr.* 2. *poſt* 6.*concluſ. dub.*2. *uerſ. Dicet iterum aliquis.* Quia admittuntur in cauſa læſæ Maieſtatis humanæ, ex *dicta l.De minore.* Ergò multò magis in cauſis fidei, ad Sanctum Officium ſpectantibus. Tandem infans ſi ſit ſuprà ſeptimum annum, & doli capax,ex eius qualitate, & modo dicendi,arbitrari poſſunt, ac debent Inquiſitores, an ſit examinandus. Ità Cantera *n.*45.*uerſ.Et mihi benè placet,*Carena *n.*57.

Quęnam inimicitia obijci poteſt aduerſus teſtes in hoc S.Tribunali, vt ipſi à teſtificando excludantur?

23 RESp. eſſe obijciendam inimicitiam capitalem, ob quam teſtes non ex zelo iuſtitiæ, ſed ex malignitatis fomite procedere videntur. Ità expreſsè habetur in Concilio Narbonenſi *c.*25.& in Concilio Bitterenſi, *cap.*13. *& in c.Repelluntur in c. Meminimus, & in c.Cum oporteat de accuſat. & in c.Si teſtes* 4.*q.*3. & alibi. Et tradũt communiter Doctores. Quia nunquã reis magis nocere poteſt inimicitia teſtium,quàm in hoc S.Tribunali:cùm in eo nomina teſtificantium non aperiantur,ſicut in alijs delictis fieri ſolet.

Quibus ex cauſis oritur inimicitia capitalis,ob quam in hoc S.Tribunali repelluntur teſtes, à teſtimonio ferendo aduerſus inquiſitum?

24 RESp.Quod aliqui Doctores, relati à Pegna *par.*3.*direct. comment.*116. *uerſ. Sunt qui dicunt,* exiſtimarunt: iudicantium arbitrio eſſe re-

lin-

linquendum, definire, quæ inimicitiæ dicantur capitales; & ipſe etiam affirmat; hanc facultatem non eſſe Inquiſitoribus denegandam;ſed tutius eſſe, in hac re aliorum arbitriū ſequi. Et ideò ait, quod prima cauſa capitalis inimicitiæ oritur cōtra eum, qui occidit cōſanguineū teſtis, vel dedit operam, vt interficeretur. Secunda oritur, quoties quis conatus eſt,occidere eum, contra quem vult teſtificari. Ità Eymericus *3. par.direct.n.* 18. ibi, *Vel mors fuit intentata*. Tertia oritur ex ſolis minis de occidendo. Ità Gloſſa *in l.licet,ff.de recept.arbit.verb.Capitales*.Quartò oritur ex inſidijs paratis vitæ eius, contra quem is, qui illas parauit, vult teſtificari. Gloſſa in *§.Inimicitiæ,verb. Si capitales inſt. de excuſat. tut.* Eymericus *loc.cit. verſ. Repellitur*. Quintò oritur, quando quis accuſauit aliquem de cauſa capitali, vel de delicto, ex quo naſcitur infamia, vel ſi fuiſſet probatū, impoſita ei fuiſſet pœna mortis,vel publicationis omnium,aut maioris partis bonorum, aut exilij. Ità Bartolus in *l. 4.§.fin.ff.de adimend. legatis*, Gloſſa *in l.3.verb.Capitales,ff.de recept.arbit.* Sextò, quando quis aliàs depoſuit contra eum in cauſa criminali. Ità Doctores *in l.3.ff.de teſtibus*. Septimò oritur, capitalis inimicitia ex eo, quòd aliquis eum, qui modo contra ſe teſtificatur, detinuit aliquandò in vinculis, Felinus *in cap.Repelluntur de accuſationibus, n. 3. verſ.Adde quod*. Hæc autem inimicitia ſemper durare præſumitur, niſi contrarium probetur:vt docuit Baldus *in l.non ignorabit,C.de exhiben.*Octauò, inter nobiles,& ingenuas perſonas oritur capitalis inimicitia ob ſolam iniuriarum prolationem: vt notat Baldus *in c.Veniens de iure iurando*. Nonò, ſi quis pudicitiam alterius vxoris,vel ſororis,aut filiæ attentauerit, vel per vim vſurpauerit alterius villam,agrum,domum,& ſimilia: vt notat Marſilius in *l. 1.§.Prætereà,ff.de quæſtion.n.*23. Decimò,ſi quis moueat alteri litem de omnibus illius bonis, aut de maiori corū parte:vt affirmant Felinus *in c.Quoties, n.5.de teſtibus*, Panormitanus *in cap. 1. n.3.de indicijs*.Vndecimò,ſi quis alium offendit in perſona,vel in rebus: vt aſſerit Baldus *in l.in his, ff.ſoluto matrimonio*, Marſilius *in dicta l.1. §.Præterea,ff.de quæſtion.* Duodecimò, ob inimicitiam non poteſt quis eſſe teſtis, ſi dudum fuerat inimicus, & recenter eſt reconciliatus: vt *in c.1. Accuſatores,& teſtes 3.q.5.*& ibi Doctores. Tertiodecimò,deſcendentes ab inimico capitali,præſumuntur etiam inimici; & ideò à teſtimonio repelluntur, *l. Athleta, §. Dat remiſſionem, ff. de accuſat.* & ibi Baldus,& alij communiter. Et Felinus *ibid.n.4.verſ.Item adde*, ait. Si ego cōtraxi inimicitiam cùm vno de vna familia; præſumitur, quod omnes de familia ſua ſint mihi inimici, vſque ad quartum gradum incluſiuè: & ità etiā Angelus *conſil.*248. Alexander de Imola *conſil.*24.& alij. Quartodecimò, præſumūtur inimici mei, qui cùm meis inimicis commorantur, & propterea meritò à teſtimonio repelluntur, *c. Accuſatoribus 3.q.5.& cap.Repelluntur,& cap.Cum oporteat de accuſat.* Et ſimiliter,qui parentelam, ſeu confœderationem fecit,aut amicitiam contraxit cùm inimico meo capitali; inimicus meus rectè dicitur: vt latè probat Thomas Grammaticus *conſil.24.num.6.vol.1.* & Baldus, & Iaſon *in l.liberi, C.de inoffic. teſtam.* & neque ad teſtimonium contra me dicendum eſt admittendus. Quintodecimò, vt inimicus cenſendus eſt,& à teſtimonio repellendus, qui eſt de aliqua familia,ſeu factione alteri familiæ,vel factioni contraria: Baldus in *l.vnica,C.de rapt. virgin.* Royas *ſingul.* 200. incip. *Teſtis inimicus, n.*8. Notat verò Pegna hic: in hac parte multo iudicio opus eſſe: nàm ſi teſtes eſſent ſpectatæ virtutis,& probitatis, ceſſaret talis ſiniſtra ſuſpicio; quamuis in alijs eſſet multum conſideranda. Decimoſextò,ſupradicta locum habent,etiamſi inimicitia contracta eſſet culpa eius, contra quem deponitur, vt communiter Doctores *in dicto cap. Repelluntur de accuſation.* & *in dicta l. Athleta*;

§.*Dat remiſſionem, ff.de accuſat. tut.*

Quæ ſuperius dicta ſunt de inimicitia, admittunt ne aliquam limitationẽ?

25 RESP. affirmatiuè, & primò: quoties inter inimicos interfuit antiqua, & benè fundata reconciliatio; quia tunc, cùm ceſſet inimicitiæ cauſa, ceſſat etiam ratio, ob quam repelli teſtis debeat, argum. Tex. *in l.3.§.fin.& l. ſeq.de adim.legatis*, vbi Bartolus, & cõmuniter Doctores. Quando autem dicatur reconciliatio, recens, vel antiqua, ſeu bene fundata, arbitrio Iudicis relinquitur: vt teſtantur Pegna *par.3. cõment.116.verſ. Superiora tamen*: Farinacius *de teſtibus, q.94.n.*10.& alij. Secundò, quoties inimicitia eſt dolo, & fraude procurata. Sæpè enim homines, cùm intelligunt, aliquem poſſe contra eòs teſtificari; fraudulenter prius, quæſita cauſa, cùm eo rixantur, eique ſpontè iniuriam inferunt: vt poſteà illum repellere à teſtimonio poſſint: & ità libereatur à crimine; quod re vera commiſerunt. Et ideò talis teſtis offenſus, poteſt admitti in teſtem contra offenſorem: quia iuſtum non eſt, vt iſte ex ſua iniquitate commodum reportet. Ità Bartolus *in l.1. §. Cum quis, ff.de quæſtion.* Baldus *in l.Sed & ſi quis, §. Illud, ff.ſi quis cautio*, Pegna *loc.cit. verſ.Rurſùs*, & alij. An autem inimicitia ſit procurata per fraudem, Iudicis arbitrio relinquitur, Farinacius *q.54.n.65*; Tertiò, Campegius *in addit.ad Zanchinum in tract.de hæreticis, c.31. verſ.Teſtium quoque*, ait, quod in cauſa fidei admittuntur ſuſpecti de inimicitia. Et Calderinus *in tr. de hæret. rubr. de his, quæ pertinent ad executionem officij, nu.*8. & 10. declarat: hos de inimicitia ſuſpectos, eſſe in teſtes recipiendos; ſi Inquiſitori viſum fuerit expedire: ſed illis non eſſe credendum: niſi in quantum legitimo adminiculo adiuuentur. Idem ait Farinacius *de hæreſi, q.*188. *nu.*107. Verum contrarium ſuſtinet Hieronymus Gabr. *lib. 1.conſ.*178.*n.*8. & 24. aſſerens, quod à teſtificando repelluntur non ſolùm inimici, ſed etiam de inimicitia ſuſpecti. Quartò, non omnis inimicitia repellit teſtem, à teſtimonio ferendo, ſed illa tantum, quæ capitalis eſt. Aliæ verò inimicitiæ etiam graues: ſed non capitales, non repellunt totaliter teſtes, à teſtificando: eorum tamen dictum aliqualiter debilitant, ità vt eorum atteſtationibus plena fides, non ſit adhibenda; niſi alijs adminiculis, aliorumque teſtiũ depoſitionibus adiuuetur. Ità Eymericus *par.3.direct.n.*118. & ibi Pegna *comment.*28. *verſ.Illis tãtum exceptionibus*, Decianus *in tr.crimin.lib.5.c.31.nu.*10. *verſ. Aduerte tamen*, & alij.

Quinam dicitur teſtis ſingularis? & eſt ne aliqua differentia inter teſtium ſingularitatem?

26 RESP. Quod teſtis ſingularis dicitur ille, cuius depoſitio conteſtem non habet, ſeu cùm aliorum depoſitione non coniungitur. Ità Baldus *in l.De quibus, n.39.ff.de legibus*, Pegna *par.3. direct. comment.*121. *verſ.Teſtis ſingularis*, Farinacius *de teſtibus, qu.64. n.26. & ſeq.* & alij. Teſtium verò ſingularitas tripliciter à Doctoribus diſtinguitur. Alia enim eſt obſtatiua, alia adminiculatiua, & alia diuerſificatiua: vt docent Baldus *in c.Licet cauſam, nu.11.de probationibus, & in l.Teſtium, C. de teſtibus, nu.9. &* 14. Albertinus *in c. Quoniam de hæreticis in 6.q.16.nu.38.* Pegna *ibid.verſ.Sed quo apertius*, Farinacius *dicta q.64.n.4.*& alij. Singularitas obſtatiua eſt, cuius dictum alterius dicto obſtat, & repugnat. Adminiculatiua, ſeu cumulatiua eſt, cuius dictum alterius dicto patrocinatur, & fauet. E.g. ſi vnus deponat de viſu, alter de auditu de eodem delicto: dictum vnius fauet alterius dicto. Diuerſificatiua ſingularitas eſt, cùm ex teſtium depoſitionibus, diuerſus actus in ſpecie, & in ſubſtantia colligitur. Vt ſi vnus diceret: Titium commiſiſſe ſortilegium tali loco, & tempore: & alius deponeret alio loco, & tempore. Dictũ

vnius

vnius non deſtruit dictum alterius; ſed potius coadiuuat,& corroborat,quamuis in aliquo differat.Ità Pegna *loc.cit. verſ.Obſtatiua, & ſeq.* Royas *de hæret. par.2.n.*122.Diana *tom.*5.*tr.*10.*reſ.*41. *n.*7.*ex par.*4.*tr.*8.*reſ.*57.*n.*7. & alij cõmuniter. Teſtes igitur ſingulares ſingularitate obſtatiua nihil probãt; quia ſibi inuicem aduerſantur, & vnius dictum, alterius dictum infirmat: & ideò tàm probant plures,quàm vnus tantũ. Ità Royas *loc.cit.aſſert.*6.*n.*121. Albertinus *in cap.* 1.*q.*16.*n.*62. *de hæret. in* 6. *verſ. Et in hoc ſingulariter*, Farinacius *de teſtibus,q.*64.*n.*41. Teſtes ſingulares ſingularitate cumulatiua, ſeu adminiculatiua, ſibi inuicem adiuuant, vt dictum eſt. Et quamuis ex illis delictum non probetur concludenter; probatur tamen magis,& efficacius:vt patet.Teſtis enim deponens de auditu, coadiuuat deponentem de viſu; & deponens de fama,coadiuuat deponentem de facto. Farinacius *dicta qu.*64. *nu.*113.*&* 126.& alij, quos ipſe citat. Teſtes ſingulares ſingularitate diuerſificatiua probant, ſed non ità efficacius, ſicut adminiculatiua. Quia ex vnius dicto, alterius dictum non infirmatur,ſed potius confirmatur.Sic Pegna *loc.cit.verſic.Vltima eſt.*

Teſtes ſingulares ſingularitate adminiculatiua, vel diuerſificatiua quid probant?

27 RESp. Quod non probant delictũ plenè, quoad pœnam ordinariam;probant tamen illud, quoad pœnam extraordinariam:itaut reus ſit pena extraordinaria, Inquiſitorum arbitio,puniendus: quia delictum, ex illorum depoſitionibus, eſt pluſquam ſemiplenè probatum. Ità Maſcardus *de probationibus,lib.*2.*concluſ.*856.*n.*12.*& ſeq.*Pariſius *conſil.*2.*nu.*93.*lib.*4.Farinacius *loc.cit.n.*218.*& de hæreſi, q.*188.*n.* 163.Pegna *comment.* 121.*circa finem*, Diana *to.*5.*tr.*10.*reſ.*41.*nu.*8.*ex par.*4. *tr.*8.*reſ.*57.*n.*8.

Teſtis idoneus ſingularis, & fama, legitimè probata,de eodem commiſſo ſortilegio, ſufficiunt ne ad condemnandum reum?

28 RESp. Non ſufficere ad condemnandum ſortilegum pœna ordinaria. Quia in criminalibus,ex pluribus imperfectis probationibus, non conſurgit vna integra; & perfecta probatio, quæ luce clarior eſſe debet: vt colligitur ex Gloſſa *in c. Veniens* 1.*in verbo Illorum, extrà de teſtibus*, & ità docent Eymericus *par.*3.*direct. qu.*72. Pegna *comment.*121. *verſ. Quod ſi cùm teſte*, Iulius Clarus *in pract. crimin.qu.* 63.*verſ.Tu ſcis*,Marſilius *in rubr. Cod. de probation.* Sed vnus teſtis idoneus cùm fama,legitimè probata de eodem ſortilegio, eſt ſufficiens; vt ſortilegus arbitrio Inquiſitorum puniatur pœna extraordinaria. Ità Repertorium Inquiſitorum *verb.Teſtes*,§.*An in cauſa*, Eymericus,& Pegna *loc. cit.* Farinacius *de hæreſi,q.*188.*n.*154.Symanchas *de cathol.inſtitut. tit.*51. *rubr. de probationibus,& in Enchirid. viol.Relig. tit.*34. *n.*2.& alij.

Duo teſtes legitimi, & non ſingulares in cauſis fidei, faciunt ne plenam probationem?

29 RESp. Quod communis, & vera ſententia docet affirmatiuè: quia caſus, de condemnandis hæreticis,vel de hæreſi ſuſpectis, per duos legitimos teſtes, non inuenitur exceptus ab illa communi,ac diuina regula: *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum.* Et ideò duos teſtes huiuſmodi ſufficere,ad quemlibet, in cauſis ad Sanctum Officium ſpectantibus, condemnandum. Ità ſuſtinent Ioannes Andreas, Antonius de Butrio, Ioannes de Anania,Marianus,Soccinus,& alij *in cap.Excommunicamus* 1. *de hæreticis in* 6.Carrerius *in pract.crimin.n.*162.Sylueſter *verb.Hæreſis* 2.*qu.*4.Symanchas *de cathol.inſtit.tit.*51.*n.*7. *&* 8. *& titul.* 64.*n.*36.

64.*n.*36.Royas *ſingular.*165.*num.*8.*& ſeq.* Iulius Clarus *in* §. *Hæreſis, verſic. Habet etiam*,& alij quamplures.

30 Sed quamuis de iuris rigore hoc verum ſit: tamen de iuris æquitate nõnulli Doctores docent: non ſufficere in cauſis fidei duos teſtes, ad plenam contra reum probationem: quia propter criminis grauitatem probationes eſſe debent luce clariores: ex *l. Sciant, C.de probat.*Ità Eymericus *par. 3. direct.q.*71.Guido Fulcodius,qui poſteà fuit Clemens Papa IV. *in q.* 15. *ad Inquiſitores*,Archidiaconus *in cap.Vt officium*,§.*Verum de hæreticis in* 6. Albertinus *de agnoſcend.aſſertion. q.*34.*nu.*3. Conradus Brunus *lib.*4.*de hæret. cap.*9. S.Antoninus 3. *par. tit.*18. *cap.* 2.§.5. Tabiena *in ſumma verb. Inquiſitor*, §. 37. Ioannes Royas *in tr.de hæret.aſſertion.*4. *nu.*103. Pegna *par.*3. *comment.* 126. *verſ. Quamuis autem*,*& ſeq.* Qui ait,hanc ſententiam tutiorem eſſe. Tutiſſimum enim eſt; vt, ſi homo videatur ſpectatæ virtutis,& probitatis; non condemnetur ad voces duorum teſtiũ, niſi alia adſint adminicula, & indicia: tunc enim condemnari poterit. Et hoc idem dicẽdũ nõ eſt de inquiſito malæ famæ, qui duobus teſtibus legitimis condemnari poterit.

Si teſtis varius eſt, & contra prius eius dictum teſtatur, cui dicto ſtandum eſt,primo,an ſecundo?

31 RESp. ſtandum eſſe ſecundo dicto; ſi, vt ſuprà dictum eſt, ex manifeſtis indicijs,& coniecturis,appareт, poſterius dictum eſſe veriſimilius, quam primum, & quod non leuitate animi,aut odij fomite, vel corruptione pecuniæ, ſed zelo orthodoxæ fidei prius dictum corrigit, vel reuocat: vt expreſsè habetur *in dicto cap. Accuſatus*,§.*Licet de hæret.in* 6. & ibi Gloſſa *verſ. Quod verum*, & in Conſtitut.Alexandri IV. ædita ann. 1258. incip. *Quod ſuper.* Et affirmant Eymericus, Pegna, & Farinacius *loc. cit.* cùm nonnullis alijs *n.*86.*& ſeq.* Secũdo admittitur ſecundum eius dictum, quando fatetur crimen, quod prius celauerat; vel negauerat de ſe,vel de alijs: vt notat Decianus *in tract. crimin. lib.*5.*cap.* 35.*n.*14. *verſ. Nam & periuri.* Repertorium Inquiſ. *in verb.Teſtes, verſ.Sed ponamus*,Zanchinus *in tract.de hæret.c.* 14.*n.*5.*verſ.Et circa hoc*,& alij. Tertiò, quando iudicialiter examinatus,contra aliquem depoſuit, & poſteà in articulo mortis pro ſuæ conſcientiæ exonerat ione,ſuam depoſitionem reuocat:tunc enim maximè probat innocentiam inquiſiti,ſi appareat, eum non leuitate, aut prætio, ſed zelo catholicæ fidei, & veritatis, ſe velle corrigere, allegando ſuæ retractationis probabilem, & veriſimilem cauſam,quod maximè preſumitur in articulo mortis. Ità docent Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*64.*rubric.de teſtibus*,*n.*66.*& ſeq.& in Enchirid.viol.Relig.tit.*36.*rubr.de retract.teſtium*,*n.*1.*& ſeq.* Ioannes Royas *ſingul.* 205.*n.*1.*& ſeq.* Farinacius *dicta quæſt.* 188.*n.*96.

32 Notat verò idem Farinacius *num.* 99. *&* 100. & Pegna *par.* 3. *comment.* 114.*verſ.Vt autem*,*& verſ. Illud tamẽ*, quod quamuis ſtandum ſit ſecundo dicto teſtis periuri; non tamen videtur admittenda eius probatio: niſi cum tortura; vt agnoſcatur, in quo dicto perſiſtat, quia in hoc caſu maior vrget ratio torquendi periurum, quàm alios teſtes inhabiles, & dùm periurus fuit, non eſt dimittendus,impunitus: ſed tãquam falſus teſtis puniendus: vt etiam docent Zanchinus *in tr. de hæret. c.*14. *n.*1.*verſ.Nec propterea*,Lelius Zechius *in ſumma,par.*1.*tit.de fide, rubr. de hæreſi,c.*11.*n.*14.*verſ.Et generaliter.*

Duo teſtes,omni exceptione maiores, deponentes de ſortilegio hæreticali diuerſo, dicuntur ne conteſtes, ſufficientes ad condemnandũ ſortilegum pœna ordinaria?

33 RESp.Zanchinum *tr.de hæreticis,c.* 13. *nu.* 6. Locatum *in iudic.inquiſ.*

*quiſ.verb.Teſtis, num.*19. Menochium *conſ.*82.*n.*138.*lib.*1.& alios ſubſtinere: iſtos teſtes eſſe conteſtes,& ob eorum depoſitionem poſſe, ſortilegum hæreticalem pœna ordinaria puniri. Quia licet non probent aliquod ſortilegium hæreticale in ſpecie: probant tamen in genere,talem reum eſſe ſortilegum hęreticalem. Nàm per quodlibet ſortilegiũ verè ſortilegus cõſtituitur; & per quamlibet hæreſim verè hæreticus eſt. Ergò dùm in ipſa criminis generalitate teſtes conueniunt, ſequitur, quòd ſint conteſtes, & eorum depoſitiones ſufficientes ſint, ad condemnandum reum pœna ordinaria.

34 Sed hoc non obſtante, probabilior, & communior Doctorum ſententia eſt: quod huiuſmodi teſtes, nec videntur conteſtes, nec eorum depoſiriones ſufficientes ſint, ad condemnandum reum pœna ordinaria, ſed tantùm pœna extraordinaria. Quia reus non poteſt probari ſortilegus hæreticalis, niſi in aliquo actu in indiuiduo ſufficienter probetur,ſortilegium hæreticale commiſiſſe; cùm in indiuiduo tantùm hoc crimen ſit à parte rei, & ſic de illo tantùm poſſint teſtes deponi. Sed reus de nullo actu ſortilego hæreticali in indiuiduo concludenter conuincitur per duos teſtes, deponentes de ſortilegio diuerſo: vt caſus ſupponit. Ergò reus nunquam redditur ſufficienter ex eorũ teſtimonio cõuictus; itaut nõ ad pœnã ordinariam, ſed tantùm ad extraordinariam, & ad torturam condemnari poſſit. Confirmatur, quia nemo poteſt, condemnari, & puniri, tanquam ſortilegus hæreticalis, niſi ſaltem ex duobus legitimis teſtibus fuerit de tali ſortilegio conuictus: ſicut nemo probari poteſt fuiſſe homicidam, vel furẽ, vel ſortilegum:niſi vnum, idemque factum externum per duos teſtes probetur. Sed dictus reus per huiuſmodi teſtes de vno,eodemque hæreticali ſortilegio non eſſet conuictus. Ergò tanquã hæreticalis ſortilegus condemnandus non erit. Confirmatur ſecundò, quia ſi aliquis probare vellet: talem virum Religioſum feciſſe miracula, & per vnum teſtem probaret, quod ſanauit vnum claudum, & per alium teſtem, quod illuminauit cœcum; per tales teſtes non probaret ſufficienter, quod ille vir probus miracula feciſſet; vt pręter alios probat Alexander de Immola *conſ.*104. ex Archidiacono *in c.Nec mirum 26.q.5.* Vincentio *in cap. Venerabili de teſtibus*, Antonio de Butrio *in cap. Cum oporteat de accuſation.* Ergò idem dicendum in caſu noſtro, dictos duos teſtes non eſſe conteſtes; ſed ſingulares,& inſufficiẽtes, ad condemnãdum reum,pœna ordinaria,ſed tantum extraordinaria.Et hanc ſententiam veriorem,ac tutiorem, & firmioribus rationibus, munitam eſſe,affirmat Pegna *par.3. comment.*121. *verſ. Poſtremò*, & eam etiam ſuſtinent Salycetus *in l. Teſtium,nu.*16. *Cod.de teſtibus*, Conradus Brunus *lib.*4. *de hæret. c.9.* Symanchas *de cathol.inſtit.tit.*64.*nu.*69.*& ſeq.* Royas *tr.de hæret.par.*2.*aſſert.*6. *n.*142.*& ſeq.*Caietanus 2.2.*qu.*70.*ar.*2.Albertinus *de agnoſcend. aſſertion. q.*34.*nu.*10. Petrus de Aragon.2.2.*q.*70.*ar.*2.Cantera *in quæſt.crimin.c.*2. *de vera confeſſ. n.*17.Scaccia *de iudic.tom.*2.*lib.*2.*cap.*9. *dub.*10.*nu.*527.Zanardus *in direct.confeſſ.par.*3.*c.*111.*nu.*11. Sayrus *lib.*12.*c.* 21.*n.*16.Royas *tr.de hæret.*2.*par.aſſertion.*6.*n.*142.*& ſeq.*& alij.

Duo teſtes idonei, deponentes: aliquem commiſiſſe ſortilegium hæreticale; ſed deponentes de loco, & tempore diuerſo, ſunt ne conteſtes plenè probantes; itaut ſortilegus ad pœnam ordinariam condemnari poſſit?

35 RESp. Quod Salycetus *in l. Teſtium de teſtibus, n.*16.Leſſius *lib.*2.*c.*30.*dub.*4.*n.*33.*in fin.*Albertinus *in tr.de agnoſcend.aſſertion.qu.*14.*nu.*2. Symanchas *in Enchirid.tit.*37.*nu.*8.*de cathol.inſtitut.tit.*51.*n.*3.*& tit.*64.*num.* 75. opinantur,quòd ſi duo teſtes de aſſerta hæreſi deponant,& ſolùm in tempore,

pore,& loco diſcrepent, plenè probāt: quia in ſubſtantia delicti conueniunt: & quamuis nō ſit idem numero actus; tamen quia eſt idem numero ſignificatum; habetur pro eodem actu. Sed D. Thomas 2.2.*qu.*70.*ar.*2.*ad* 2. Caietanus *ibi*, Sotus *lib.*5.*de iuſt. & iur.qu.*7. *ar.*2.*ad* 1. Royas *tr.de hæreticis*, *par.*2. *aſſert.*6.*nu.*145.& Pegna *par.* 3. *comm.* 121.*verſ.Omiſſa igitur*, docent: hos teſtes loco, & tempore diſcordes; quamuis de eodem ſortilegio, ſeu de eadem hæreſi deponant, ſingulares eſſe; ideòq; non plenè probare; neque ex talium dictis ad pœnam criminis ordinariam imponendam, vllo modo eſſe accedēdum. Et idem ſentiunt Maſcardus *de probationibus*, *lib.* 2. *concluſ.*856. *nu.*13. Farinacius *de teſtibus*, *q.*64.*n.*217. *verſ. Si verò*, Freytas *in addit. ad tract.de Confeſſ.ſollicit.* Scaccia *de iudic. tom.*2. *lib.*2.*c.*9.*dub.*10.*nu.*527. Layman *lib.* 3. *ſect.*5.*tr.*6.*c.*4.*n.*5. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.*4.*diſp.*8.*punct.*15.§.4. *n.* 10. Diana *to.*5.*tr.*12.*reſ.*31.*n.*2.*in fin.ex par.*4.*tr.* 7.*reſ.*31.& alij apud ipſos. Sunt enim teſtes ſingulares ſingularitate diuerſificatiua. Quia dum diuerſimodè deponunt de loco, & tempore; videntur omninò loqui de ſortilegijs, ſeu actibus diuerſis; diuerſitas enim loci, vel temporis, diuerſitatem ſortilegiorum, & actuum oſtendit: & conſequenter reddit teſtes ſingulares ſingularitate diuerſificatiua. Ità communiter Doctores *in c.Cum cauſam de teſtibus*, Cynus, & Baldus *in l.Teſtium*, *qu.*9. *C.de teſtibus*, Archidiaconus *in cap. Nihilominus* 3.*q.*9. Abbas *conſ.*98.*lib.*2. & alij, quos citat Pegna. Probatur etiam *ex dicto cap.Nihilominus*, vbi Leo Papa idem ſanciuit, his verbis: *Nec eorum voces tanquam plurium admittantur, quos tēporum quidem diuerſitas ſimùl interfuiſſe prohibuit.* Et confirmatur *Danieli* 13. Exemplum enim Suſannæ, ſatis oſtendit: ſingulares hos teſtes eſſe cenſendos; nec plenam fidem eis eſſe adhibendam.

37 Nec militat, quod vterque teſtis concordet, in teſtificando, reum eſſe ſortilegum hæreticalem, quia diuerſitas illa loci, & temporis eſt quid extrinſecum ipſi ſortilegio: & conſequēter inſufficiens, ad infirmandum eorū teſtimonium. Nàm quamuis diuerſitas loci, & temporis ſit extrinſeca ſortilegio, non eſt tamen extrinſeca ipſi depoſitioni, cùm faciat depoſitiones diuerſas; immò diuerſitas hæc eſt intrinſeca ſortilegio, quoad eius indiuiduitatem; pro varietate enim loci, & temporis diuerſa numero ſortilegia cōſtituūtur.

37 Certum tamen eſt, quod teſtes iſti ſingulares, teſtantes de ſortilegijs diuerſo loco, vel tempore commiſſis, etſi non faciant contra ſortilegum plenam probationem; efficiunt tamen præſūptionem magnam, & probationem pluſquam ſemiplenam, quæ ſufficit, non ſolum ad torturam, ſed ad pœnam extraordinariam. Ità Caietanus 2.2.*qu.* 70.*ar.*2. Clarus *q.*53.*nu.*19. Farinacius *q.*37.*n.*34.& alij.

Duo teſtes, quorum vnus deponens de ſortilegio hæreticali commiſſo tali loco, & tempore, & alter de eodem ſortilegio ſine expreſſione loci, & temporis, quia iſtorum non recordatur, ſunt ne conteſtes, facientes plenam probationem ſufficientem ad condemnandum ſortilegum pœna ordinaria?

38 Reſp. eſſe conteſtes, ſed non integrè, & plenè probantes, ſortilegium fuiſſe à reo commiſſum. Probatur, quod ſint conteſtes; quia teſtis deponens de commiſſo ſortilegio abſq; ſignificatione loci, & temporis, conuenit cùm deponente de eodem ſortilegio, facta loci, & temporis ſignificatione; cùm vterque de eodem ſortilegio deponant. Ergò quantum ad ſubſtantiam, in illa depoſitione conteſtes ſunt. Quod autem non ſint integrè, & plenè conteſtes patet; quia ad integritatem, & plenam depoſitionem teſtium, requiritur; vt vna depoſitio nihil ſpeciale ha-

habeat diſtinctum ab alia. At in caſu prædicto, vna depoſitio ſignat locum, & tempus, quod alia non ſignat. Ergò non ſunt integrè, & plenè conteſtes. Inſuper in criminalibus neceſſariò requiruntur clariores probationes, quàm in ciuilibus; & teſti deponenti de delicto, non ſignato loco, & tempore, non datur integra, & plena fides: vt pluribus relatis, probat Farinacius *q.64.nu.* 107. Ergò dùm dicti cõteſtes vnus deponit de ſortilegio, & de loco, & tempore; & alter de ſortilegio tantum; eorum depoſitiones non ſunt integrè, & plenè probantes: itaut ſortilegus ad pœnam ordinariam condemnari poſſit, ſed tantum ad extraordinariam. Ità docent Farinacius *dict. q.64.n.*74. Caſtro Palaus *par.1.tr.4.diſp.*8. *punct.*15. §.4.*n.*12. Thomas del Bene *to.2. de offic.inquiſ.dubit.*198.*ſect.*17. Diana *to.5. tr.*10.*reſ.*41.*n.*11.*ex par.*4.*tr.*8. *reſ.*57. *num.*11.

Plures teſtes omni exceptione maiores, ſed ſingulares, deponentes de ſortilegio hæreticali; ſufficiunt ne ad cõdemnandum ſortilegum pœna ordinaria?

37 RESP. non deeſſe Doctores, qui ſuſtinent: plures quàm duo teſtes, omni exceptione maiores, ſingulares, eſſe ſufficientes, ad ſortilegum cõdemnandum pœna ordinaria. Ità Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*64. *nu.*7. Caccialupus *in repetit. l.Admonendi, ff. de iure iurando, columm.*39. *verſ. Patet igitur*, Franciſcus Brunus *tr. de indicijs, & tortura, par.*1.*q.*2.*nu.*6. & alij, quos citat, ſed non ſequitur Pegna *dicto cõment.*121. *verſ. Et quæ actenus*. Quia ſatis rationi conſonum videtur; vt Iudex poſſit tutò, condemnare eum, quem videt per plures teſtes graues, nobiles, probatos, ſpectatæ virtutis, & probitatis, conuinci; quamuis illi ſint ſingulares; quia non eſt veriſimile, tot teſtes iniquo animo aduerſus aliquem conuenire.

40 Sed hoc non obſtante, dicendum eſt: neque in dicto caſu ad pœnam ordinariam eſſe ſortilegum condemnandum. Quia ex pluribus diuerſis nunquam conſurgit vnum integrale: *l.Sancimus, §.Si quis autem, C.de donation. l. Vſura, C.de vſuris.* Et plura imperfecta non faciunt vnum perfectum: *l.vnica*, *C. Qui à tutela ſe excuſat.* Nec probationes, in ſua ſpecie imperfectæ, in criminalibus ad plenam probationem iunguntur: vt ait Gloſſa *in cap. Veniens, verb. Illorum de teſtibus*, & Bartolus *in l.ſi quis ex argentarijs*, §. 1. *ff. de edendo*, Albertinus *in tr.de agnoſcẽd. aſſertion.q.*25.*n.*21. & alij. Et in Concil. Bitterenſi, *c.*11. & in Concil. Narbonenſi ſancitum eſt: *Ad nullius condemnationem ſine lucidis, & apertis probationibus, vel confeſſione propria, eſſe procedendum. Sanctius enim eſt, facinus impunitum relinquere, quàm innocentẽ condemnare.* Hæc ibi, & Guido Fulcodius *in conſultation.ad Inquiſit.q.*15.*c.*17. ait: *Niſi teſtes plenè, & planè in omnibus concordauerint, melius eſt vobis purgationem indicere, vel differre ſententiam, quàm damnare.* Sed manifeſtũ eſt, teſtium ſingularium depoſitiones, ſecundùm regulas iuris, non poſſe dici dilucidas, claras, integras, & aptas probationes. Ergò non ſufficiunt ad condemnandum ſortilegum pœna ordinaria. Inſuper cùm in hoc S. Tribunali nomina teſtium non publicentur; ſemper timendum eſt, ne innocens iniuſtè damnetur. Et quamuis quilibet teſtis, ſingularis probitatis ſit; ignotum tamẽ Iudici eſt, quid à reo illi teſti poſſet opponi; & fortaſſis, ſi reus eum ſciret; iuſtè aliquid ei poſſet obijcere, propter quod, dictum eius, aut repelleretur, aut debilitaretur: & conſequenter non eſt tàm certum, quin de eo timendum non ſit. Ità docent Caietanus 2.2. *qu.* 70.*ar.*2. Sotus *lib.*5.*de iuſt.& iur.qu.*7. *ar.* 2. Royas *tr.de hæret.par.*2. *aſſert.*6. *nu.*146.*& ſeq.* Pegna *par.*3.*comm.*121. *verſ. Cæterum huic opinioni, & ſeq.* Farinacius *de teſtibus, q.*64. *nu.*305. Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*8. *punct.*15. §.4. *n.*15.

*n.*15. Diana *tom.*5.*tr.*10.*reſ.*41. *nu.*13. *ex par.*4.*tr.*8.*reſ.*57.*n.*13.& alij. Igitur depoſitiones ſingulares plurium teſtiũ licet mutuo ſe iuuent,& quælibet magis firma, & probabilis reddatur: hæc tamen maior firmitas, & probabilitas, cùm ſit extrinſeca,& accidentaria, non extrahit quamlibet depoſitionem à probatione imperfecta; ſed illam, in ſuo modo probandi,relinquit. Et ideò ex multitudine depoſitionum ſingularium,quæ ſunt imperfectæ, nunquam vna probatio integra, & perfecta conſurgit. Verum,quia ſortilegium præſumitur commiſſum; etiamſi reus in tortura illud neget; abiurare debet, de vehementi, & puniendus eſt pœna extraordinaria, iuxtà delicti, & perſonæ qualitatem, & teſtimonia, quæ contra ſe habet: & ità docent Farinacius *n.*218.& 219. Maſcardus *de probat.lib.* 2.*concluſ.*856. *nu.*25. & 26. Pegna *vbi ſup.verſ.Quoties quis.*

Duo teſtes, vel plures, vidẽtes per aliquod foramen (ſucceſſiuè vnus poſt alterum) committentem ſortilegium, ſeu aliquod maleficium, eo quod ſimùl videre non poſſent, ſunt ne cenſendi conteſtes, plenè probantes?

41 RESp.affirmatiuè, quia in hoc caſu non præſumitur diuerſitas temporis, ſed potius vnus numero actus,& vna temporis coniunctio;dum, intra breuiſſimum ſpatium,idem ſortilegium continuatum, teſtes vident, & de vno eodemque actu numero teſtificantur. Nec quia,dum vnus vidit,alter non vidit, cenſendi ſunt teſtes ſingulares ex diuerſitate temporis; quia, dum eundem actum viderunt, & incõtinenti vnus poſt alium, ſimùl vidiſſe dicuntur, nec ſingulares ſunt. Ità docet Pegna, cùm alijs, quos ipſe citat *loc.cit. verſ. Poſtremò illud hoc loco,* qui affirmant ſic probari poſſe adulterium. Ergò idem dicendum de ſortilegio.

Duo teſtes,omni exceptione maiores, conteſtes ſufficiunt ne ſemper ad probandum hoc delictum?

42 RESp.affirmatiuè, ſi inquiſitus nõ ſit probatæ vitæ, quia teſtes omni exceptione maiores ſunt, qui nullam exceptionem patiuntur: vt in *cap.Licet de teſtibus.*Ergò neceſſariò ad probationem dicti criminis ſufficiunt. Et sic probatur *in cap. Nullam,* §. *Sed hoc in fin.p.q.*4.vbi dicitur:*Duorum,vel trium teſtium quilibet iure conuinci, & damnari poterit: iuxtà dictum Euangelij: In ore duorum,vel trium ſtat omne verbum*. A qua generali regula nullibi reperitur,hæreſis crimen exceptum. Et ità communiter Doctores docent Albertinus *in repet. cap.* 1. *de hæreticis n.6.q.*16.*n.*131.Antonius Gomez *to.3. variar.reſol.c.*12.*nu.9.* Pegna *par.3.direct.comment.* 120. *verſ.Horum omniũ,* Eymericus *par.3.q.*71. Farinacius *de teſtibus,q.*63.*n.*233.*& ſeq. & de hæreſi, q.*188.*n.*55.Lelius Zechius *par.*1.*titul. de fide,rubr.de hæreſi,c.*11.*n.* 14.*verſic. Quo verò ad numerum,*& alij.

43 Secus verò, si inquisitus sit probatæ vitæ:nàm ad illum condemnandum ad pœnam ordinariam, oporteret tres, vel quatuor teſtes adeſſe; vel ſaltem alia indicia,ex quibus præſumatur,delictum eſſe commiſſum. Quia in hoc crimine multum minuitur rei defenſio, dum ei nomina teſtium non manifeſtantur. Nàm, vt ſupra dictum eſt,ex illorum manifeſtatione poſſet,aliquem defectum obijcere, ob quem eorum teſtimonium non leuiter infirmaretur. Et Guido Fulcodius, qui poſteà fuit Clemens Papa IV. *in conſultat. ad Inquiſit.q.*15. *c.*18. ait: *Non crederem tutum, ad vocem duorum teſtium hominẽ bonæ opinionis damnare, licet videor cõtra ius dicere,quia vbi numerus teſtium non exigitur,duo ſufficiunt. Sed hoc dico, quòd duos,vix duos iudico, eo quod vrgente neceſſitate legitimæ defenſionis ordo truncatur*. Hæc ille. Idem docent Archidiaconus *in cap.Vt officium,*§.*Verum*

rum de hæret.in 6. Hoſtienſis *in ſumm. tit.de hæreticis,*§. *Qualiter, verſ.Vt autem,*Eymericus *par.3.direct.qu.*71.Pegna *ibi, comment.* 120. *verſ. Quamuis autem,*D.Antoninus *3.par.tit.*18.*c.*2.§.5.Royas *tract.de hæret.aſſert.*4. *n.*103. & alij. Quando autem duo conteſtes ſufficiant, ad reum condemnandum,& quando verò non;arbitrio Epiſcopi, & Inquiſitoris,relinquendum eſt: qui diligenter conſiderata, tùm delinquentium, tùm teſtium qualitate,illum, vel in pœnam ordinariam, vel in extraordinariam condemnare debent: vt docet Pegna *ibid.verſ.Poſtremò.*

In dubio an teſtes de diuerſis ſortilegijs,vel de vno deponant,cenſendi ne ſunt conteſtes,an ſingulares?

44 RESP. Quod ſi conueniunt in depoſitione ſortilegij eodem loco, & tempore commiſſi, præſumendi ſunt de vno eodem ſortilegio deponere,& eſſe conteſtes, & non ſingulares; quia pluralitas actus non præſumitur; ex *cap.Cum Ioannes de fide inſtrument.* Si autem in loco, & tempore ſunt diſcordes:ex qua diuerſitate,quia diuerſa ſortilegia inferuntur: præſumendi ſunt,teſtificari non de vno, ſed de ſortilegijs diuerſis: & non eſſe conteſtes, ſed ſingulares. Ità pluribus relatis Farinacius *de teſtibus,q.*64.*nu.*317.*& ſeq.*

Conteſtes deponentes contra inquiſitum de ſortilegio hæreticali, vel de alio delicto, per eadem formalia verba, etiam in minimis circumſtantijs, faciunt ne plenam probationem?

45 RESP. negatiuè, ſed talem conteſtium depoſitionem eſſe ſuſpectam falſitatis: ex Textu *in l.*3. §.1. *ff. de teſtibus,*& ibi Doctores, Maſcardus *lib.*2.*de probationibus,concluſ.*745.*num.*16.*& lib.*3.*concluſ.*1368.*nu.*6. Farinacius, pluribus exoruans,*de teſtibus, qu.*65.*n.*24. Vndè D.Thomas 2.2. *qu.*70. *art.*2. *ad* 2. ait. Quinimmò aliqua diſcordia in teſtibus (ſcilicet in circumſtantijs, non pertinentibus ad ſubſtantium facti) facit teſtimonium credibilius: quia vt Chriſoſtomus *hom.* 1.*ſup. Matthæum,* dicit. Si in omnibus concordarent,etiam in minimis: viderentur ex condicto eundem ſermonem proferre; quod tamen prudentiæ Iudicis videtur diſcernendum. Hæc Diuus Thomas, & idem affirmant Sotus *lib.* 5.*de iuſt.& iure, q.*7. *ar.*1.*ad* 1.Pegna *par.*3.*comment.*121.*verſ.Immò vſque adeò,* Caſtro Palaus *tr.*4. *diſp.*8.*punct.*15.§.4.*n.*13.

Vnicus teſtis idoneus deponens contra ſortilegum,vel alium delinquẽtem facit ne aliquam probationẽ?

46 RESP. eſſe regulam communiter, tanquam indubitatam, receptam, quod dictum vnius, eſt dictum nullius: patet apertiſſimè ex *c. Dicit vniuerſis,c.Veniens,c.Iureiurando, c.In omni negotio,extra de teſtibus.*Et procedit nedum de iure ciuili, & Canonico; ſed etiam de iure diuino: vt probat Textus *in c.fin.*35.*qu.*6.*& in c. Admonere* 33. *q.* 5. Quia ius diuinum eſt: vt *in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum: Matth.*18. prout hæc, & alia notat Farinacius *de teſtibus, qu.*63.*cap.*1. Quod vtique verum eſt de omni teſte; qui quamuis omni exceptione maior ſit, ac in dignitate poſitus;ſi vnicus ſit, plenam non inducit probationem; maximè in ſortilegijs, & in criminalibus: in quibus agitur de periculo famæ, vel vitæ. Et Dominus ait *Deuteronom.* 19. *Non ſtabit teſtis vnus contra aliquem, quicquid illud peccati, vel facinoris fuerit: ſed in ore duorum,aut trium teſtium ſtabit omne verbum.*

47 Verùm quamuis vnicus teſtis idoneus,& omni exceptione maior, non faciat plenam probationem, facit tamẽ illam ſemiplenam: quia dum duo teſtes idonei plenam inducunt probationem: ergò vnus teſtis illam ſemiplenã inducit. Ità Gloſſa *in l. Admonendi,ff.*

de iure iurando, & ibi Bartolus *nu.76.* & communiter Doctores, vt affirmant Pegna *par.3.comment.*110.*nu.8.verſic. Aut vnicum teſtem*. Vndè depoſitio vnius teſtis idonei ſufficit ad ſortilegi, vel alterius delinquentis torturam; vt teſtantur Pegna ibidem, Ioannes de Immola *in Clement.*1.*n.*20.*de hæreticis*, Vmbertus Locatus *in iudicial. inquiſit. in verb.Inquiſitor, verſ.Si autem*, Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.*65.*rubr. de tormentis, n.*23. *& ſeq.* Zanchinus *in tr.de hæreticis,c.9.* & ibi Campegius *in addit.lit.E. uerſ. Nunquid poterit*, Royas *in tr.de hæret.par.2.nu.*24. & Farinacius *de hæreſi,qu.*185. *num.*129. Pegna ait: quod vnus teſtis de viſu, ſi ſit omni exceptione maior, ſine alijs adminiculis indicium facit ad torturã: dummodò talis inquiſitus ſit malæ famæ: nã ſi ſit bonæ famæ, teſtis vnus, ſeu ſemiplena probatio, non facit indicium ad torturam, niſi alia concurrant: vt docent Pegna *ibid. uerſ.Non dubito.tamẽ*, Farinacius *n.*132. Symãchas cùm alijs ab eo relatis *de cathol.inſtitut. titul.65. rubr.de tormentis, n.*23. Decianus *in tr.crimin.lib.5.c.36.n.6.*

Teſtis deponens contra ſortilegum de auditu quandonam plenè probat, & quando non?

48 RESP. Quod auditus eſt duplex, nempè proprius, & alienus; auditus proprius eſt ille, qui immediatè, & in propria audientis perſona percipitur. Vt ſi quis non ex alterius relatione; ſed præſens audiuit aliquod dici, vel fieri. Auditus verò alienus eſt auditus mediatus ex relatione alterius; & quando quis pro confirmatione dicti ſui teſtatur: ſe ab hoc, vel illo, aut ab his, vel ab illis audiſſe: & ſic fundat ſe, non in auditu proprio, ſed in alieno. Ità docent Baldus *in cap. Licet extra de teſtibus, n.6. uerſ. Nota quod interdũ, & in l.ſecunda, §.Idem, n.3.ff.de aqua plur.* Menochius *de arbitr.qq.lib.2.caſu* 475.*n.3.* Farinacius *de teſtibus, q.69.n.* 146. & alij.

49 Hoc igitur conſtituto. Vel teſtis cõtra ſortilegum deponit de auditu proprio: quia e.g. audiuit ipſum ſortilegũ, de aliquo commiſſo ſortilegio, gloriãtem, vel de illud committendo paratũ, & plenè probat: quia deponit de cauſa ſcientiæ: probat enim confeſſionem ipſius ſortilegi: & nulla maior probatio, quàm proprij oris cõfeſſio. Ità colligitur ex Gloſſa in *l. Si arbiter, uerſic. Nàm in quibuslibet, ff.de probationibus.* Et docent Bartolus *in l. 2. §. Idem labeo, uerſic. Sed de auditu*, & alij quamplures Doctores, quos citat, & ſequitur Farinacius, *nu.* 148. Vel teſtis deponit de auditu alieno: & contra ſortilegum non probat: vt ex *dicto cap. licet ex quadam extra de teſtibus*, & ibi Hoſtiẽſis, Imola, Abbas. Et idem ſuſtinent Canoniſtæ *in c. Præterea in c. Tàm litteris de teſtibus*, & communiter Doctores relati à Farinacio *in dicta q.69.nu. 2.& ſeq.* qui etiam cùm nonnullis alijs docet: Teſtimonium de auditu alieno, nec etiam indicium facere ad torturã. Quia, ex communi Doctorum ſententia, teſtis deponere debet de eo, quod certò nouit, & præſens fuit, & conſequenter per proprium ſenſum viſus, vel per proprium auditum; non autem per ſenſum alterius: vt ex *cap.Teſtes 3. q.9.ex cap. Licet de teſtibus.* Neque teſtis de auditu alieno deponere poteſt de cauſa ſcientiæ, prout eius depoſitio eſſe debet: vt ex ea Iudex reddatur certus, in iudicando, vt aduertit cùm alijs Farinacius *dict.q.69.n.3.& 6.*

50 Inſuper teſtis de auditu non probat, etiamſi dicat; ſe audiuiſſe ab homine magnæ auctoritatis: quia teſtis fundans dictum ſuum ſuper alterius auctoritate non probat. Immò nec etiam ſi concurreret fama ſine alijs adminiculis: aut diceret ſe audiuiſſe ab eo, qui præſens fuit in formatione maleficij, ſeu ſortilegij, vel diceret ſe ſcire: talem eſſe ſortilegum; & in reddendo rationem diceret: ſe audiuiſſe: vt cum alijs Doctoribus, docet, & probat Farinacius *à n.20.uſque ad 29.incluſiuè.*

Te-

Teſtes nominati in denunciatione facta in ſcriptis contra ſortilegum ſine denunciantis nomine, ſunt ne examinandi ab Inquiſitoribus?

51 RESP. Quod Ludouicus à Paramo *de orig. S. Inquiſitionis, lib. 3. q. 6. n. 91. & ſeq.* ſuſtinet, poſſe Inquiſitores procedere ad teſtes examinandos in denunciatione facta in ſcriptis ſine nomine denunciatoris. Sed Farinacius *de hæreſi, q. 185. nu. 68.* Symanchas *in Enchirid. uiol. Relig. tit. 22. rubr. de inquiſitionis ordine, nu. 8.* Lelius Zechius *in ſumm. par. 1. tit. de fide, rubr. de hæreſi, c. 11. n. 12. uerſ. Declaratur,* Diana *to. 5. tr. 10. reſ. 44. ex par. 4. tr. 8. reſ. 41.* docent: tutius eſſe, teſtes nominatos in ſchedula, ſine nomine tranſmiſſa, non eſſe examinandos; tùm quia ſunt ſuſpecti; tùm etiam nè detur improbis anſa, infamandi quoſcunque voluerint: & ità ſeruari regulariter in Supremo Sanctæ Inquisitionis Tribunali teſtatur Farinacius.

Ad veritatem dicendam in hoc S. Tribunali, poſſunt ne cogi omnes teſtes?

52 RESP. affirmatiuè, omnes enim teſtes compelli poſſunt ab Inquisitoribus, ad ſe examinandos, & veritatem dicendam, non obſtante quocunque eorum priuilegio. Quia in extrauag. Ioannis XXII. ædita ann. 1318. incip. *Glorioſam, circa finem*, habetur: *Teſtes autem, quos ad præmiſſa uideritis euocandos, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, cogatis, ueritati teſtimonium perhibere.* Et ità etiam teſtatur Archidiaconus *in cap. Vt officium, nu. 9. uerſic. Et quando, de hæreticis in 6.* & ibi etiã Ioannes Andreas, Geminianus, & alij. Omnes ad examinandum, cogi poſsũt, familiares, domeſtici, frater contra fratrem, maritus contra vxorem, & vxor contra maritum, filius contra patrem, & pater contra filium; vt probat Farinacius *de teſtibus, q. 54. nu. 111. q. 55. nu. 94. & ſeq. & q. 78. nu. 12.* & idem confirmat *in tr. de hæreſi, qu. 188. num. 2. & 147. & 148.* Nec ſolùm ſemèl cogi poſſunt; ſed pluries, præcipuè si obſcurè depoſuerunt: vt eorum depositiones declarent. Eymericus *par. 3. qu. 62.* & ibi Pegna *comment. 111.* Decianus *in tr. crimin. lib. 5. c. 35. n. 13. & 35.* Maſcardus *de probationibus, lib. 2. concluſ. 857. n. 16.* Et si teſtis fuit præſens delicto, & nolit de eo veritatem teſtari, torqueri poteſt: vt eam fateatur, si cõtra eum sint aliqua indicia. Ità Boſſius *de tortura teſtium, n. 1.* Scaccia *lib. 1. de indic. c. 86. n. 14.* Bordonus *tom. 1. c. 33. num. 16.*

Teſtis vocatus ab Inquiſitoribus, ad teſtificandum contra aliquem, & non iuſtè impeditus, recuſans venire, poteſt ne haberi, & puniri, vt de hæreſi ſuſpectus, & hæretici fautor?

53 RESP. Quod hìc teſtis, vel vocatur, ad teſtificandum aliquem conſanguineum, vel affinem, aut amiciſſimum; & puniri poteſt ob inobedientiam, & contumaciam; ſed non tanquam de hæresi ſuſpectum, & heretici fautorem: quia cenſendus eſt: affectione potius carnali, quàm aliquo intellectus errore, aut odio contra fidem, nolle teſtari. Si autem vocatur, ad teſtificandum contra alios, & nolit accedere, nec veritatem fateri, cenſeri poteſt quandoque fautor hæretici, & de hæresi ſuſpectus, & vt talis puniendus: considerata qualitate perſonæ, & inobedientiæ, & negotij, de quo agitur. Ità docet Pegna *par. 3. direct. comment. 111. uerſ. Sed opportunè, & ſeq.* Souſa *lib. 2. c. 17. n. 7.* Farinacius *de teſtibus, qu. 75. c. 14. n. 3.* Bordonus *loc. cit. n. 17.*

Teſtis, qui in repetitione contrarium deponit de eo, quod prius dixerat, eſt ne torquendus, ad eruendam veritatem; & primò, an ſecundò dicto ſtandum?

Reſp.

54 RESp.affirmatiuè, quoad torturã, & illi dicto ſtandum, quod in tortura confirmatur. Ità Zanchinus *de haeret.cap.*14.Souſa *in aphoriſm. inquiſ. lib.*2.*c.*16.*n.*2.Carena *par.*3.*tit.*7.*num.* 46.Farinacius *de teſtibus,q.*66.*num.*98. qui quamplures allegat, *& nu.*100. *& ſeq.*ait. Teſtem per ſolam variationem poſſe torqueri, etiam non præcedentibus alijs indicijs, aut adminiculis. Et non ſolùm si teſtis ſit laicus, ſed etiam si ſit Clericus; etiamsi contra eum aliqua fama non præcedat: quia quod dicunt Doctores; Clericum non poſſe torqueri, nisi fama præcedente, tanquã reum ſuper delicto, non militat, quando agitur, de illo torquendo tanquam teſte. Et si ipſe teſtis in ratificatione poſt torturam recedat à dicto in tortura, poteſt iterum torqueri, vſque ad tertiam vicem. Et hoc procedit etiam quando teſtis in iudicio fatetur contrarium eius, quod dixerat extraiudicialiter: & probato dicto extraiudiciali vario à dicto iudiciali, vtique iſte teſtis torqueri poteſt. Ità cùm nonnullis alijs docet Farinacius.

Teſtis falſus tenetur ne cùm periculo propriæ vitæ, vel famæ retractare ſuum teſtimonium; propter quod lædendus eſt proximus in vita, vel fama?

55 RESp. quod, vel teſtis falsi retractatio creditur profutura, ne proximus lædatur in vita, vel fama, & honore; & teſtis tenetur ſe retractare cùm periculo vitæ, si vita proximi periclitatur; famæ, si illius fama periclitatur, honoris, si illius honor. Quia qui eſt cauſa iniuſta alterius damni, tenetur illi occurrere, & obuiare, & impedire cũ ſuo eodẽ periculo damni, in vita, fama, & honore. Et licet quis teneatur magis vitæ ſuæ, & famæ conſulere, quàm alienæ: tamen hoc verum eſt ſolum, quando cætera ſunt paria. Sed in caſu noſtro cætera non ſunt paria: quia teſtis falſus eſt nocens, & inquiſitus innocens: & conſequenter vita, vel fama innocentis præferenda eſt vitæ, vel famæ nocentis. Et ideò teſtis falſus cùm quolibet ſuo damno tenetur ſe retractare, vt ille damnum non patiatur. Ità docent Nauarrus *in ſumma, c.*15.*n.*16. Caietanus 2.2.*q.*70.*art.* 4.*ad* 1. Couarruuias *regul. Peccatum* 1.*n.*6.§.3. Corduba *lib.*1.*qu.*3. *art.*3.*& in ſumm.q.*17. Petrus Nauarra *lib.*2. *de reſtit.c.*3.*n.*235.

56 Similiter, qui alios induxit ad falsũ, contra aliquem teſtificandum, tenetur nedum ex charitate, ſed ex iuſtitia illos admonere; vt ſe retractent; & ſi nolint, tenetur manifeſtare Iudici totam ſuam machinationem, & teſtes illos falſum depoſuiſſe, etiam cùm proprij æqualis damni periculo. Idem enim eſt proximum lædere cùm ſuo, quàm cùm alieno teſtimonio. Si verò eos nõ induxit, tenetur tantùm ex charitate, citra præiudicium ſuæ vitæ, & famæ: quia charitas non obligat cùm ſui ipſius detrimento: vt docent Petrus Nauarra *lib.*2.*c.*3.*n.*253. Leſſius *lib.*2.*cap.* 30.*n.*53.

57 Teſtis verò, qui aliquem ſuo falſo teſtimonio læſit in fama, non tenetur cùm periculo propriæ vitæ, ſe retractare, vt communiter Doctores affirmãt: quia reſtitutio facienda eſt ad æqualitatem, non ex ſuperabundantia. Eſſet autem ſuperabundantia, ſi cùm periculo vitæ teneretur teſtis, qui alium in fama tantùm læſit, ſe retractare; quia prætioſior eſt vita, quàm fama; fama enim eſt bonum recuperabile, vitæ autem non.

58 Si autem teſtis retractatio non credatur profutura; non tenetur ipſe, ad ſe retractandum: ſed ad reſtitutionem dãni illati ſuo iniquo teſtimonio. Quia licet teſtimonium ferre ſit actus Religionis, & non iuſtitiæ; tamen teſtes, quando ad teſtificandum accedunt, tenentur ex iuſtitia, veritatem deponere; quia ex illorum teſtimonio eſt reus cõdemnandus, vel abſoluendus. Et ideò tenentur ex iuſtitia, damna illata reſtituere, ſi falſum depoſuerunt. Ità docẽt Ga-

Gabriel *in* 4.*diſt.*15.*q.6.concluſ.*7. Nauarrus *in ſumm.c.*17.*nu.*34. Leſſius *lib.* 2.*c.* 19.*dub.9.n.*65.Molina *tom.*1.*de iuſtitia.diſp.*83.§.*de teſtibus*, & alij.

Teſtis,qui ex ignorantia falſum depoſuit, & ob eius depoſitioné aliquis notabile damnum patitur, tenetur ne ad reſtitutionem?

59 RESp. quod, vel teſtis falſum depoſuit ex ignorantia craſſa, & vincibili; & ſicut peccauit mortaliter, ità ad reſtitutionem damni illati tenetur: quia iniuſtè proximum damnificauit. Ità patet ex *cap.Si tua culpa de iniur. & damnato*, & docent Leſſius *lib.*2.*c.*30.*dub.*7.*n.*52. Farinacius *q.*62. *n.*5.Fagundez *lib.*8.*c.*42.*n.*1.Si autem falſum depoſuit ex ignorantia inuincibili, aut ex inaduertentia non damnabili,nō tenetur ad reſtitutionem: quia non peccauit mortaliter, vt ſupponitur: & qui non peccauit,ſaltem mortaliter in damno inferendo, non tenetur damnum illatum reſtituere: vt probat Leſſius *lib.*2.*c.*7.*lib.*6.*& dicto c.* 30. *nu.* 55.Caietanus 2.2.*qu.*70. *art.*4. Petrus Nauarra *loc.cit.* quia dum à Dei offenſa excuſatur, multò magis à proximi læſione excuſabitur. Quare computāda eſt hæc materialis damnificatio inter eas,quæ caſu fortuito accidunt; vel ex leuiſſima culpa,quæ non obligat ad reſtitutionem: iniuſtum enim eſſet, obligare aliquem ad reſtitutionem in eo caſu, in quo nullam commiſit culpam.

Teſtis, qui falſum depoſuit, quando reus iam erat per alios teſtes conuictus, tenetur ne ad reſtitutionem?

60 RESp. Quod quamuis iſte peccauit mortaliter contra iuſtitiam, falſum teſtificando; nihilominus ad reſtitutionem nō tenetur, quia etſi iniuriam reo fecit: non tamen eſt cauſa efficax eius damni, quod ex præcedentibus teſtibus cenſetur illatum. De ratione enim cauſæ eſt, vt illa poſita ſequatur effectus. Nec cauſa dicitur illa, ſine qua effectus ſequitur. Ergò dū rei damnum ſequitur ex alijs teſtibus, quàm ex ſupradicto, iſte non tenetur ad aliquid reo reſtituendum. Sicut cōſulens,vel mandans alicui damnum, non obligatur ad reſtitutionem, quando executor erat iàm paratus ad illud inferendum: quia non dicitur damni cauſa: quamuis conſulens,vel mandās, grauiter peccet,etiam contra iuſtitiam; vt probat cùm communi ſententia Leſſius *lib.*2.*c.*13.*dub.*2.*nu.*3.*&* 4. Qui *cap.*30.*dub.*7.*nu.*52. ità etiam docet de ſupradicto teſte,& Fagundez *in* 8.*præcept.c.*42.*n.*3.

Teſtis,ab Inquiſitoribus citatus,ad teſtandum, tenetur ne ad illos accedere,& veritatem teſtari?

61 RESp. affirmatiuè; quia Inquiſitores auctoritatem habent præcipiendi teſtificationem quibuſcūque:& ſi præcipiant ſub pœna excommunicationis, & teſtis non obedit, incurrit excommunicationem,quia tenetur obedire. Teſtis enim in iudicium vocatus, & à Iudice legitimè interrogatus,tenetur ex iuſtitia veritatem fateri: vt docent Nauarrus *c.*17.*n.*34.*&* 35.*& c.*25.*nu.*46.*&* 47. Leſſius *dicto c.* 30. *dub.*6.*n.*43.Fagundez *lib.*8.*c.*42.*nu.* 9.Diana *to.*6.*tr.*1.*reſ.*91.*ex par.*3.*tr.*5. *reſ.*102.& alij.

62 Sed non teneretur teſtari, ſi delictū illud nouit in confeſſione ſacramentali,immò nec vlla ratione poſſet, etiam ſi indè Reipublicæ damnum penderet: vt communiter omnes Doctores affirmant.Quia vt docet D.Thomas 2.2.*q.* 70.*ar.*1. *ad* 2. Maius eſt vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto. Neque teneretur,ſi delinquens, conſilij,vel auxilij petendi cauſa, ad ſalutē eius animæ, & corporis ſuum delictū ſecretò ei patefecerit. Quia non debet miſero homini obeſſe, quod conſilij, vel auxilij petendi cauſa, bona fide alteri patefecit; alioquin delinquentes à conſilio petendo auerterentur; & multa mala ſequi poſſent.Ità Corduba

*lib.*1.

lib.1.qq.q.43.dub.2. Nauarrus *c.25.nu.* 46. Petrus Nauarra *lib.2.c.4. num.222.* qui pro hac ſententia multos citat, Leſſius *lib.2.c.30.dub.6.n.45.* Et Diuus Thomas *loc.cit.* docet; neque ex præcepto Superioris teneri tunc hominem atteſtari. Quia ſeruare fidem, eſt de iure naturali. Nihil autem poteſt præcipi homini contra id, quod eſt de iure naturali.

Teſtis poteſt ne, ſe ſubtrahere à teſtimonio Inquiſitoribus ferendo cōtra delinquentem ob iuramentum, vel votum præſtitum de non teſtificando?

63 Reſp. negatiuè: quia, ad veritatē in iudicio detegendam, omnes tenentur, & non eſt de meliori dono illam celare: & ideò non obſtante iuramento, vel voto non teſtificandi, poteſt quis cogi ad teſtimonium ferendū. Ità expreſsè *in c.fin.de teſtibus cogendis, & in c.Peruenit 1.eodem tit.* Vbi textus loquitur de eo, qui iuramento ſe adſtrinſerat, vt non deponeret contra delinquentem; & inquit: hunc teſtem cōpellendum eſſe, ad detegendum tantæ fraudis, & calliditatis commentum. Et ità docent Pegna *par. 2. direct. in c.Vt officium, §.Verum quia, uerſ.Ex quo patet,* qui citat D.Thomam 2.2. *q.70.art.* 1. *ad* 2. Farinacius *de teſtibus, qu.78.nu.* 149. cùm nonnullis alijs Carena *de teſtibus cogendis, q.8.n.7.*

Si Teſtis in articulo mortis extraiudicialiter teſtetur contrarium illius, quod in iudicio cùm iuramento depoſuerat; tollitur ne iudicialis prima depoſitio per ſecundam extraiudicialem?

64 Reſp. Quod iudicialis illa prima teſtis depoſitio non tollitur, nec redditur nulla per ſecundam contrariam extraiudicialem; etiamſi hæc facta ſit in articulo mortis, & ſiuè lata ſit ſententia, ſiuè ſit ferenda. Ità Couarruuias *lib.2.uar.reſol.c.13.num.7.* & alij quamplures, quos citat, & ſequitur Farinacius *de teſtibus, qu.66. nu.204. &* 206. Quia quamuis in mortis articulo, nemo præſumitur falſum dicturum, nec immemor propriæ ſalutis: vt in *l.ult.C. ad legem Iuliam*, & docet Gloſſa *in c. Litteras de præſumptionibus.* Tamen prima depoſitio iudicialis eſt iuramento firmata, ſecunda verò non; & ideò illa non tollitur per ſecundam, etiam in articulo mortis factam. Verum ob hāc ſecundam extraiudicialem debilitatur prima iudicialis. Et quia in hoc caſu teſtimonium vacillat: idcircò hoc totum arbitrio Iudicis remittendum eſt, attenta qualitate negotij, & perſonarū, & temporis. Ità Couarruuias *lib.2.uariar.reſol.c.14.nu.7.* Farinacius *ibid.nu.* 208. *&* 209. & alij, quos ipſe citat.

65 Si autem in articulo mortis, vel extra hunc articulum, teſtis iuramento firmiter deponit: ſe falſum depoſuiſſe in prima iudiciali ſua depoſitione: tūc neutrum teſtimonium valere, ſuſtinent Couarruuias *loc.cit.* Farinacius *n.* 214. Iulius Clarus *in pract.§.finali, qu.* 53. *uerſ.Primus caſus eſt infert*; & alij quāplures apud Farinacium. Niſi ex coniecturis, & præſumptionibus appareat qualis ex his duobus depoſitionibus ſit magis veriſimilis: quod Iudicis arbitrio remittitur: vt docet Felinus *in c. Cùm in tua de teſtibus, uerſ.Idem dicas,* Aretinus *in cap.Tuas, nu.5. & nu.32. &* 34. *de teſtibus,* Decius *ibid.n.45.* Romanus *conſil.505.n.3. uerſ.Item limitatur,* Tiraquellus *de reuocand. donat.in præfat.num.49.uerſ.Et ſimile,* Couarruuias *ubi ſup.c.23.n.7.*

Qui ſcit aliquem eſſe, falsò accuſatum, vel denunciatum, tenetur ne in fauorem eius teſtificari; etiam cùm damno accuſatoris?

66 Reſp. affirmatiuè; ſi iudicet, poſſe illum ſuo teſtimonio à ſupplicio liberare. Quia vel eſt à Iudice requiſitus, vt teſtimonium ferat, & tene-

tur

tur ex iuſtitia, teſtari, & innocentem excuſare; & ſi veritatem taceat, tenetur ad reſtitutionem damni, quod illi ſua taciturnitate infert; quia teſtis, vocatus, tenetur ex iuſtitia veritatem teſtificari. Hæc enim obligatio eſt iure naturali hominibus iniuncta; ne iuſtitia, qua reſpublica gubernatur, pereat. Si autem non ſit à Iudice requiſitus, & ſcit, quod ſi ad teſtandum ſe offerat, proficiet inquisito, vt eius innocentia agnoſcatur, & à ſupplicio, quod ei imminet, liberabitur; tenetur ex charitate ſub mortali, ad teſtificandum, ſe offerre. Ità docent D. Thomas 2.2. *q.*70.*ar.* 1. Gabriel *in* 4.*diſt.*15.*qu.*6.*ar.*2.*concl.* 7. Nauarrus *in ſumm.c.*15.*n.*16. Petrus Nauarra *lib.*2.*de reſtitut.c.*3. *num.*167. Nec obſtat damnum, quod ſequi poſſet accuſatori: quia licet vterque ſit proximus; tamen fauendum potius eſt innocenti, quàm nocenti; accuſator enim eſt nocens, & ſibi imputandum eſt, si mali aliquid indè patiatur. Ad id enim velit, nolit, à principio ſe expoſuit.

Teſtes, quorum dicta, nec ſunt contraria, nec totaliter paria, ſed admittũt aliquam concordiam quid probãt?

67 RESP. Quod nõ probant tantùm, quantùm ſi teſtes eſſent conteſtes: ſed probant aliquid amplius, quàm ſine illa concordia. Depoſitiones enim conteſtium nulla indigent interpretatione: nam ex eis reſultat probatio clarior: tales autem non ſunt depoſitiones dictorum teſtium: nam indigent interpretatione, & concordia: & ideò non probant tantùm, quantùm depoſitiones conteſtium. Ratione verò concordiæ probant aliquid plus, quàm non probarent ſi non eſſent concordati: quia ex ipſa concordia aliqua probatio reſultat, quæ ſine ea non reſultaret; eò quod tunc teſtes ſe colliderẽt. Ergò ex teſtium concordia augetur probatio, & euitatur periurium. Euitatio enim periurij firmat dictum contra reum: vt docent Abbas *in cap. Cum tu de teſtibus*, *n.*5. Farinacius *q.*65.*n.*76.*&* *q.*66.*n.*320. Carena *par.*3.*tit.*6.*n.*54.*&* 55. Pegna *in praxi Inquiſ.lib.*2.*c.*45.*n.* 1. Cantera *de vera confeſſ. c.*2.*num.*25. Souſa *in aphoriſm. Inquiſ. lib.*2. *c.*6.*nu.* 19. Bordonus *tom.*1.*c.*33.*n.*38. Quanta autem fides iſtis teſtibus ſic concordatis ſit adhibenda, vtique arbitrio iudicantis poſitum eſt, ait Carena.

Teſtis, qui in confirmationem ſuę depoſitionis alium nominat; ſed iſte poſtea vocatus, contrarium deponit, cuinam eſt credendum?

68 RESP. ſi teſtes ſunt in qualitate pares, neutri credendum eſt. Non primò, qui alterum vocauit: quia dum illum allegauit in confirmationẽ ſuæ veritatis, & iſte eam negauit; vtiq; ille redditur ſuſpectus de falſitate. Neque credendum eſt ſecundò; quia pari ſuſpicione cùm primò redditur. Si verò inter iſtos teſtes ſit diſparitas, & vnus ſit dignior altero; tunc Iudex obſeruare debet vtriuſque conditiones, & vtriuſque modum deponendi, & indicia, quæ referunt: & ex illis iudiciũ ferre ſuper credulitate dictorum, & teſtium. Iſtis autem paribus, digniori credendum eſt. Ità docent Roſa *deciſ.* 337.*n.*5. Giurba qui alios citat *conſ.*37. *n.*26. Caſtillus *deciſ. Regni Siciliæ* 161. *n.*29. Carena *loc.cit.num* 42. Bordonus *nu.*40.

69 An autem in hoc caſu ſit locus torturæ: diſtingunt dicti Doctores; quòd vel teſtis nominatus conuincitur à duobus teſtibus; & poteſt torqueri; & ſi tortus in negatiua perſiſtet, nec ipſi, nec alijs teſtibus, qui eum nominarũt, credendum eſt. Vel conuincitur ab vno tantum teſte: & tunc, vel agitur de probando indicio proximo, & ſi teſtis conuincitur ab vno digniore, torqueri poteſt: ſi verò teſtes ſint dignitate pares, neutri creditur, & torqueri non poteſt. Et ſi agitur de indicio remoto, nullo modo deueniri poteſt ad torturam. Ità cùm Maſtrillo *deciſ.*192. Giurba *conſil.*23. Farinacio *de teſtibus*, *q.*79. *n.*21.

*nu.*21.Carena *par.3.tit.6.* §.*6. num.*42. & 43.

Vt teſtes ſint conteſtes quidnam requiritur?

70 RESp. requiri, vt in quatuor conueniant, primò in eodem delicti nomine, & ſubſtantia; ſecundò in circumſtantijs eius; tertiò in tempore; quartò in loco. Si verò in aliquo iſtorum quatuor diſcordent, dicuntur ſingulares in eo, in quo diſcordant; & dicuntur conteſtes, in quo conueniunt; ſed non plenè probant: magnam tamẽ præſumptionem contra reum, & pluſquam ſemiplenam probationem efficiunt. Quæ ſpectatis circumſtantijs, ſufficere poteſt ad torturam, & aliquãdo etiam ad inferendam pœnam extraordinariam. Ità docent Iulius Clarus *q.*53.*n.*19. Caietanus 2.2.*q.*70.*art.* 2. Farinacius *de teſtibus,q.*64.*num.*113. Layman *lib.3.tr.6.c.4.n.*5. In dubio autem non ſingulares, ſed conteſtes præſumuntur, vt cùm nonnullis alijs ait Farinacius *ibid.n.*217.

Teſtis pro ferendo teſtimonio, poteſtne aliquid accipere, & illud iuſtè retinere?

71 RESp. quod, vel loquimur de ferendo teſtimonio iuſto, & verò, vel de iniuſto, & falsò. Si de teſtimonio iuſto, & vero: nec poteſt teſtis aliquid accipere, nec acceptum retinere: peccat enim accipiendo, & reſtituere illud tenetur: quia cenſetur inuolũtariæ, & coactè datum: nemo enim voluntariæ alteri ſoluit, quòd ei iniuſtè debetur. Teſti namque nihil iuſtè debetur, cùm teſtimonium verum non ſit vendibile, & ex iuſtitia, vel ſaltem ex charitate omninò ferendum ſit: vt ſuprà probatum eſt. Et qui ob id aliquid accipit, ad reſtitutionem obligatur: quia iniuſtè accipit, & iniuſtè retinet. Niſi aliquid acciperet pro expenſis in itinere eundo ſtando, & redeundo, vel pro prætio alicuius laboris, vel teſtando veritatem eſſet illi damnoſũ, tunc poſſet aliquid exigere, & retinere ratione expenſarum itineris, aut laboris, vel damni, & periculi, quod timetur. Vt docent Leſſius *lib.2. c.14. dub.* 8.*nu.*63.& 65. Fagundez *lib.8.c.42.nu.* 17.& *ſeq.* Nauarrus *c.25.nu.*45.& *in cap.Inter verba* 11.*q.3.concluſ.6.coroll.* 63. Molina *tom.1.de iuſt.diſp.*83. §.*Teſtis,litt.B.col.*2.

72 Maius dubium eſt, an teſtis teneatur reſtituere id, quod pro iniuſto, ac falſo teſtimonio recepit. Quamuis enim indubitatum ſit apud omnes: teſtem falſum teneri, reſtituere damnum ſuo teſtimonio illatum alteri; non eſt tamẽ certum, an teneatur etiam reſtituere prætium illud, quod pro iniuſto, & falſo teſtimonio dicendo, vel dicto recepit. Nonnulli Doctores negant, quia etſi iniuſtum teſtimonium, pro quo vnus dedit, & alter recepit, non ſit vendibile, nec prætio æſtimabile, vt malũ, & offenſa Dei; tamen vt eſt vtile danti, & periculoſum recipienti, inter homines prætio æſtimabile iudicatur. Ergo pro hac ratione abſque reſtitutionis obligatione recipi poteſt. Sicut meretrix, quæ prætio copiam ſui corporis alteri exponit, non tenetur ad reſtitutionem talis prætij. Et qui accepit aliquid pro homine occidendo, & illum occidit, non tenetur illud reſtituere; quamuis teneatur reſtituere damnum, ex occiſione ſequutum. Et D.Thomas 2.2.*q.*32.*ar.*7.& *q.*62.*ar.*5.*ad* 2. docet, poſſe quemlibet retinere id, quod accepit pro opere malo. Ità ſuſtinent Leſſius *lib.2.c.14.dub.*8. *nu.*52. & *ſeq.* vbi ait, non teneri Iudicem reſtituere id, quod pro iniqua ſententia accepit. Eadem enim eſt ratio de teſte, qui aliquid pro ferendo falſo teſtimonio accepit. Molina *tom.1.de iuſt.diſp.*89. Nauarrus *c.*17.*n.*30.& *c.*25.*n.*45. Toletus *in ſumma,lib.5.c.*21.& *c.*59. Petrus Nauarra *lib.4.de reſtit.c.2.poſt dub.*12.*num.*132. Rodriguez *in ſumm.par.2.c.*40.*concluſ.* 2.& alij.

73 Contrarium verò docent Caietanus 2.2.*qu.*32.*art.*7. Couarruuias *in regul.*

Pec-

Peccatum,par.2.§.2.n.7. Alexander de Ales *par.3.ſumm.qu.40.membr.6.ar.3.* §.2.Gabriel *in 4.diſt.15.qu.6.ar.3.dub.* 1.Paludanus *in 4.diſt.15.qu.3.ar.5.*Sotus *lib.4.de iuſt.qu.7.ar.1.ad* 2.Corduba *in qq.q.32. in 4.propoſit. dub.1.& 4.* Valentia *to.3.diſp.5.q.6.pun.5.* §. *Quidnam reſtituendum ſit,*Ludouicus Lopez *par.1.c.106.q.2.*& alij.Qui omnes docent: teſtem, vel Iudicem teneri reſtituere id,quod pro falſo teſtimonio,vel iniuſta ſententia acceperunt. Probatur primò ex D. Auguſtino *Epiſt.* 54. *ad Macedonium,*vbi ait: *Redde,quod accepiſti, quando contra veritatem extitiſti, iniquitati aſſuiſti,Iudicem fefelliſti, & falſitate viciſti.Reſtituendum eſt alienũ, quod per furtum clanculum aufertur:et non eſt reſtituendum alienum, quod in ipſo foro, vbi peccata puniuntur, legibus id prohibentibus, obtinetur? Sceleratius accipitur pecunia pro ſententia iniuſta, quàm pro iuſta, & pro teſtimonio falſo, quàm pro vero.*Hæc Diuus Auguſtinus. Quibus verbis ſatis explicat, tàm falſi teſtis, quàm iniuſti Iudicis reſtituendi obligationem;& quàm grauius peccatum ſit illa eorum iniuſta pecuniæ acceptio, quàm acceptio furti. Furtum enim ſolùm cõtinet iniuſtitiam ex parte furantis; illa verò acceptio iniuſtitiam continet ex parte dantis,& ex accipientis parte.

74 Probatur ratione,et primò.Sicut de ratione virtutis iuſtitiæ eſt, præcipere opera iuſtitiæ, ità ad eandem virtutem pertinet,prohibere opera iniuſtitiæ.Sed illa Iudicis, vel teſtis iniuſta acceptio ordinatur, ad iniuſtitiam faciendam. Ergò prohibetur per virtutem iuſtitiæ. Ergò tenetur accipiens reſtituere id, quod iniuſtè accepit: quia contra iuſtitiam accepit. Secundò, quia ſicut ad iuſtitiam ſpectat, ius ſuum vnicuique tribuere: ità ad illam ſpectat,prohibere ne damnum alteri inferatur: lex enim naturalis præcipit: *Quod tibi fieri non vis,alteri ne feceris.* Ergò tàm Iudex, quàm teſtis, ex lege naturali tenentur, vitare iniuſtitiam. Et ſicut, qui tenetur ſoluere mille aureos, tenetur illos ſoluere gratis: ità Iudex tenetur gratis facere iuſtitiam, & iniuſtitiam gratis vitare; & teſtis gratis verum teſtimoniũ ferre, & falſum vitare: & conſequenter contra facientes ad reſtitutionem obligantur. Tertiò,quia leges humanæ iuſtè poſſunt reddere homines,inhabiles ad iniuſtos contractus, & illos annullare, & ad reſtitutionem obligare contrahentes: vt omnes teſtantur. Sed leges inhabiles reddunt huiuſmodi contrahentes, ad aliquid dandum, vel accipiendum; vt ex *l.Generaliter,ff.de verb.obligat.ex l.2.& 3.ff. de condict.ob turpem cauſam,& ex l.Iuriſgentium,* §. *Si ob maleficium,ff.de pactis.*Ergò dans, inualidè, & nulliter dat, & Iudex, vel teſtis accipiens,inualidè,& nulliter accipit. Ergò tenentur ex iuſtitia reſtituere,quod contra iuſtitiam acceperũt. Quartò, opus contra iuſtitiam non eſt vendibile,nec prætium meretur, quia eſt intrinſecè malum, & Dei offenſionem continet. Ergò id, quod pro iniuſto opere accipitur,iniuſtè accipitur;ergò accipiens ad reſtitutionem tenetur; quia quod contra iuſtitiam accipitur, neceſſariò reſtituendum eſt. Nec obſtat,quod opus illud,cùm ſit delectabile danti, & periculoſum,& laborioſum recipienti: idcircò illius prætium non iniuſtè datur, & non iniuſtè recipitur. Quia tàm ex parte dantis,quàm ex parte recipientis,iniuſtitia committitur cũ talis contractus ſit in damnum tertij,& pro iniuſtitia efficienda.Ergò dum prętium illud iniuſtè recipitur, retineri nullo modo poteſt: ſed omninò eſt reſtituendum. Neque obſtat, quod nonnulli dicunt: valere illam conuentionem: tanquam donationem merè gratuitam,& liberalem, virtualiter in ipſo contractu incluſam. Quia eſt contractus,ex vtraque parte oneroſus,qui excludit omnem liberalem donationem, tàm formalem,quàm virtualem.Vt optimè docet Ludouicus Lopez 1.*par. inſtruct.c.*100.*quæſ.*2. Ob has ergò rationes hæc ſecunda ſententia probabilior,communior,ac tutior eſt, & iuxtà eam ſemper conſulendum: quamuis pri-

prima ſua probabilitate non careat. Vndè ſi aliquis pœnitens primam ſententiam ſequi velit, non eſt ei denegan da abſolutio, ſi patrato delicto reſtituere nolit: vt notat Sayrus *lib.10. c.2.nu.16.* ſed ſecunda ſemper conſulenda.

75 Hæc autem reſtitutio facienda eſt, ſi non ſit patratum delictum, ipſi danti, quia antè patratum opus, reſciſſus, & nullus eſt contractus, & conſequenter reſtituendum eſt prætium danti: vt docent Caietanus 2.2.*qu.32. art.7. ad 2.* Molina *tom.1.de iuſtit. diſp.94. concluſ.* 2. Couarruuias *in regul. Peccatum, par.* 2.*n.*1.& alij. Si verò opus ſit impletũ, nempè teſtimonium falſum ſit datum, vel Iudicis iniuſta ſententia ſit lata; reſtitutio facienda eſt Fiſco, affirmant Sayrus *loc.cit.n.2.* Sotus *lib.4.de iuſtit. q.7.ar.1.ad 2. verſ.Interrogans autem,* & alij.

De teſtibus hæc pauca cum dictis Doctoribus notaſſe, ſufficiant, nàm hæc materia latiſſima eſt, & integro volumine indigeret: illam pleniſſimè, ac perfectè tractāt Farinacius *de teſtibus*, Maſcardus *de probationibus*, Pegna *par.3. comment.111.& ſeq.* & alij. De pœnis contra falſos teſtes, vide aliqua infra dicenda cum de reorum pœnis.

CAPVT XX.

De Reorum defenſionibus in Tribunali S. Officij.

Reis in Tribunali S. Officij ſunt ne concedendæ defenſiones, & tempus aptum ad illas probandas, etiamſi illas non petierint?

1 RESp. affirmatiuè: quia defenſiones iure naturali debentur: vt expreſsè habetur in *Clement.2. de ſent. & re iudic.* & multis relatis docent Pegna *par.3.direct.comment.28.verſic. Ac defenſiones*, Symanchas *de catholic. inſtitut.tit.17.n.53.* Boſſius *de hæreticis, n.9.verſ.Nec etiam defenſio*, Farinacius *q.185.n.210.* & alij communiter. Quod autem huiuſmodi defenſiones ex officio Iudicis cõcedendæ ſint, etiam reis non petentibus, probatur ex *l. Etſi non defendantur, ff.de pœnis, & ex Auth. Qui ſemèl, Cod. Quomodo, & quando Iudex.* Et ratio eſt, quia Iudex ex officio tenetur, veritatem inueſtigare: ſed nulla adeſt via aptior, ad veritatem elucidãdam, quàm conceſſio defenſionum, iure debitarum; vt probat Farinacius alios etiam referens *lib.1.prax.tit.5.q.39.nu.97.& de hæreſi loc.cit.n.211.* Ergò etiã reo defenſiones non petente, concedẽdę illæ ſunt.

Reo confeſſo, vel conuicto ſunt ne dandæ defenſiones, tùm antè, tùm poſt ſententiam?

2 RESp. affirmatiuè: quia quamuis delictum defendi non poſſit, quando reus propria confeſſione, vel teſtibus, eſt conuictus; & in notorijs, & omninò manifeſtis, non dantur defenſiones: et in crimine hæreſis ex ſola propria confeſſione poteſt Iudex, ad condemnationem procedere: quia eſt crimen in animo exiſtens, & ſola confeſſione, ſufficienter probatur: vt cùm alijs docet Pegna *par.3.comment.28.n.117. verſ. Et quamquam.* Tamen, his non obſtantibus, dandæ ſunt reo defenſiones, etiamſi delictum confeſſus ſit, & teſtibus probatum, docet Pegna *loc. cit.* non ſolùm ne reus vllo vnquam tempore conqueratur: ſe iniuſtè, & abſque defenſione condemnatum fuiſſe. Sed etiam quia opponi poſſet aduerſus propriam confeſſionem, ex timore, vel tormentis illam feciſſe; & aduerſus teſtes, à fortiori alijs oppoſitionibus, poſſet ſe defendere. Ergò non obſtante propria confeſſione, & teſtium probatione, dandæ ſunt reo defenſiones. Et ità etiam docet Farinacius *q.185.num.213.* Quæ doctrina extenditur quoque poſt fulminatam ſententiam, dum reuocabilis eſt.

Reus, qui re vera deliquit, poteſt ne ſuas defenſiones quærere ſine peccato?

Reſp.

3 RESp.poſſe quærere ſuas defenſiones licitas, ad euadendam condemnationem. Nempè poteſt ſe defendere, opponẽdo quod Iudex ſit incompetens, vel eius inimicus, aut quod delictum non fuit plenè, & iuridicè probatum, vel ex alio capite proceſſus ſit nullus: quia in his caſibus retinet ius, ad ſe defendendum, ne puniatur, cùm de iure tunc Iudici non ſubdatur.

Quænam defenſiones ſunt reis in Sãcto Officio concedendæ?

4 RESp. concedendum eſſe Aduocatum, qui ſit vir probus, de legalitate non ſuſpectus, vtriuſque iuris peritus, & fidei zelator, & procurator pariforma, ac etiam ei dare totius proceſſus copiam, ſuppreſſis tamen teſtiũ, ac denunciantium, & accuſantium nominibus. Ità Eymericus *par. 3. de defenſ. reorum, n.* 117. Pegna ibi *comment.* 28. Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 5. *&* *in Enchirid. tit.* 42. Souſa *lib.* 2. *c.* 30. *n.* 2. Farinacius *qu.* 197. *n.* 72. & alij. Et prudenter cautum eſt in Madriliana quadam inſtructione ann. 1561. *c.* 23. Vt Aduocatus priuſquam ſuſcipiat defenſionem rei, iuret ſe benè, ac fideliter eum defenſurum, & cuſtoditurum ſecretum in his, quæ audiet, & videbit, etiamſi iurauerit, cùm primum aſſumptus fuit à S. Officio, ad hoc munus exercendum. Aduocati verò, & Procuratoris partes erunt admonere reum: vt veritatem fateatur, pœnitentiamque petat pro culpa, ſi quam habet, & legitimis modis debet reum tueri, & ſi cognoſcet cauſam eius eſſe iniuſtam, eam omninò deſerere: de cauſa cùm nemine loqui, & finitis defenſionibus, proceſſum S. Officio reconſignare. Et ità etiam docet Pegna *par.* 3. *comment.* 28. *uerſ. Dandus eſt*, Carena *par.* 1. *tit.* 10. §. 2. *& par.* 3. *tit.* 9. §. 2. *nu.* 8. Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 5. *n.* 5.

Eſt ne Reo Procurator neceſſariò cõcedendus?

5 RESp. Si reus Procuratorem petat, Inquiſitor illum denegare non poteſt: vt tradit Repertorium *uerbo Procurator*, §. *Inquiſitores tenentur*, Pegna *par.* 3. *comment.* 28. *uerſ. At quantum*. Verùm rarò nunc conceditur Procurator, quia Aduocatus munus Procuratoris ſufficienter exercet. Immò in Sãcto Officio ipſi Inquiſitores videntur reorum Procuratores, cùm ex eorum officio fiant reorum defenſores. Et in Madriliana inſtructione ann. 1561. *c.* 35. habetur, dari non debere Procuratores. Quia experientia docuit, multa incommoda indè ſolere prouenire; & ob modicam vtilitatem, quàm rei indè conſequebantur, nõn eſt in vſu, vt amplius dentur; quamquam aliquandò, ob magnam neceſſitatem, ſolet concedi Aduocato; vt reos defendat: Hæc ibi: vt refert Pegna *ubi ſup. uer. De Procuratore*. Et ità hodiè non datur reo hæretico Procurator, ſed tantum Aduocatus: vt notant Symanchas *de orig. inquiſ. lib.* 3. *q.* 4. *nu.* 48. Royas *ſingul.* 53. Diana *to.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 53. *ex par.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 9.

6 Notandum primò, poſſe Inquiſitores cenſuris compellere ſeculares Aduocatos; vt alicuius rei cauſæ patrocinium ſuſcipiant: ità Alphonſus Narbona *in recap. lib.* 4. *tit.* 1. *leg.* 20. *gloſ.* 22. *n.* 63. Diana *loc. cit.* Bobadillus *in ſua polit. lib.* 2. *c.* 17. *n.* 103. Carena *par.* 1. *titul.* 10. §. 2. *n.* 9.

7 Notandum ſecundò, quod huiuſmodi Aduocatis ſolui debent ſalaria, & honoraria ex bonis reorum, ſi pauperes non ſint. Si verò ſint pauperes, tenentur patrocinari gratis: vt notat Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 5. *de Aduocatis*, *n.* 6. Carena *loc. cit.*

8 Notandum tertiò, ſi reus petat alium Aduocatum, præter eos, qui ſunt ordinarij Aduocati conſtituti in Tribunali Inquiſitionis, ei concedi poteſt ab Inquiſitore: quia cùm non reperiatur in iure, ſibi denegandum, concedendum eſſe videtur: iuxtà Textum *in c. Vt cõmiſſi*, §. *Aduocandi de hæreticis in* 6. vt notat Pegna *par.* 3. *comment.* 30. *uerſic.* *Et con-*

Et concedo. Si verò ei nouus Aduocatus concedatur: obſeruandæ cùm eo ſunt omnes ſupradictæ ſolemnitates, requiſitæ cùm Aduocatis ordinarijs, deputatis ab ipſo Tribunali S.Officij, vt idē Pegna affirmat. Et ſi iſte nouus Aduocatus eſſet vnus ex Conſultoribus: abſtinendus poſteà erit in illa cauſa à Congregationis voto, vt docent Souſa *in aphoriſm.lib.2.c.3.n.*8. Carena *vbi ſup. n.*4.

9 Notandum quartò, cùm diſputatur in Tribunali S. Officij: an reus ſit torquendus, vocādus eſt eius Aduocatus, vt illum iuſtè tueatur, & videat, num ſufficientia ſint indicia, ex quibus eſt torquendus, ne indefenſus remaneat, cùm grauiſſimo illius præiudicio. Vt admonet Auctor Repertor. Inquiſitor. *verbo Aduocatus*, §.*Sed an Aduocatus. Et verb.Tortura*, §.*An Aduocatus*, Pegna *par.3.comment.*110.*in append.verſ. Poſtremò.*

In Tribunali S. Inquiſitionis admittitur ne Procurator, ad allegandas cauſas, ob quas reus eſt abſens?

10 Reſp. Affirmatiuè, admittitur enim ad allegandas cauſas rationabiles abſentiæ; vtpotè infirmitatis: ac etiam admittitur, ad opponendas alias exceptiones dilatorias, quæ opponi ſolent antè litis conteſtationē. Ità Farinacius *q.*185.*nu.*101. Souſa *lib.*2.*c.*49.*n.*11. Carena *par.3. tr.*11. §.13. *nu.*53. Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4. *diſp.*8. *punct.*16.§.3.*nu.*2. vbi refert, quod in Compoſtellana Inquiſitione an. 1619. in quadam cauſa fuit ex decreto Supremi Tribunalis ad inſtantiam Procuratoris prorogatus reo terminus quatuor menſium, ad comparendum. Quia ad huius defenſionem admittitur excuſator, allegans, reum, ſic citatum, non poſſe intra terminum ſignatum comparere: & pro qualitate excuſationum ſolet prorogari terminus ad comparendum. Hæc Caſtro Palaus.

In defenſionem rei, eſt ne ab Inquiſitore admittendus articulus, quo probato, reſultaret etiam in defenſionem complicis abſentis?

11 Reſp. quod, vel producens huiuſmodi articulum, intendit ſolū ſuam defenſionem; & vtique eſt admittendus; aliàs tolleretur ei naturalis defenſio. Ità Farinacius *conſil.*73. *vol.*1. & alij, quos citat, & ſequitur Carena *par.3.tit.9.*§.20.*nu.96.* qui etiam refert; ità fuiſſe iudicatum in Curia Prætoris Mediolani anno 1608. Vel articulum illum vellet producere, vt prodeſſet etiam complici abſenti. Et tunc talis articulus non eſt admittendus: niſi cùm expreſſione, quòd probationes faciendæ prodeſſe non poſſint illi abſenti. Quia abſentes, in criminibus ad S.Officium ſpectantibus, non audiuntur per Procuratorem; ſed tantum in carceribus ex ore ipſorum veritas exquiritur. Vt docent Præſes Abauo *in praxi*, §.*Procurator*, *n.*1. Farinacius *qu.*185.*n.*98. Carena *par.3.tit.*11.§.13.*nu.*50. & 51. Et ità ſeruari in Supremo Vrbis Tribunali teſtatur Farinacius *n.99.*

Poteſt ne reus ſuis defenſionibus renunciare, & Iudex hanc renunciationem acceptare?

12 Reſp. Quod cauſæ criminales, aliæ ſunt graues, ex quibus timetur pœna mortis, vel mutilationis, aut triremium, aut exilium ad longum tempus, aut carceris perpetui, vel diuturni, &c. Aliæ ſunt leues, ex quibus leuis pœna temporalis timetur; vt pœna breuis exilij, vel pœna pecuniaria, & ſimilis. Reus igitur in cauſa criminali, ob quam grauem pœnam timere debet, non poteſt defenſionibus ſuis renunciare: quia nemo renunciare poteſt iuri naturali, cum præiudicio propriæ vitæ, quæ eſt Dei, non ipſius renunciantis. Nemo enim eſt Dominus vitæ ſuæ, vel membrorum ſuorum: vt habetur *in l.Liber homo, ff.ad l. Aquiliā.* Si autem reus renunciaret ſuis defenſioni-

ſionibus, exponeret ſe manifeſto periculo, conſentiendi ſuæ occiſioni, vel grauis pœnæ patiendi, ſine defenſionibus legitimis, & iure naturali inductis. Ità docent Gloſſa *in l. Pactum inter hæredem, ff. de pactis*, Iaſon *in l.Si quis in ſcribendo,n.*18.*Cod.de pactis*; *& in Authent.Videmus,nu.*7. *Cod.de iudicijs*, Hyppolitus *in l.Si quis vltro,n.*62.*ff.de quæſtionibus*,Guttierez *de iuram.confir. par.3.c.*10.*nu.*1.*&* 2.Antonius Gomez *to.3.var.c.*13.*de tortura reorum,nu.*33. Riccius *in praxi,reſ.6. nu.* 4. Fagundez *in Decal.tom.*2.*lib.*8.*c.*35.*num.*2. & alij communiter. Nec poſſunt Iudices, huiuſmodi renunciationes acceptare: vt affirmant ibidem Guttierez, Gomez, Fagundez *nu.3.* Couarruuias *in* 4.*de ſponſal.*2.*par.c.*8.§.12.*n.*16.Royas *de hæret.*2.*par.aſſert.*4.*num.*113.& alij. Et idem eſt dicendum, non poſſe reum in cauſa graui criminali, licitè dare pro reproductis, & ratificatis teſtibus, ſũmariæ informationis acceptæ contra ſe ipſum. Nec poſſe Iudicem, licitè dictam renunciationem acceptare; quia ex ea tollitur reo defenſio, quæ iure naturali ei debetur. Poteſt enim contingere, quod aliquis teſtis in ratificatione aliquid addat, vel mutet, vel declaret in fauorem ipſius rei, vt ait Guttierez *vbi ſup. nu.* 3. Poteſt tamen reus renunciare terminum, aſſignatum à Iudice pro ſuis defenſionibus: quia hic terminus eſt de iure poſitiuo, quod patet; quia ſtatuitur arbitrio Iudicis: vt dicti Doctores affirmant.

13 Si autem cauſa criminalis ſit leuis, ob quam leuis pœna temporalis ſit imponenda. Eò magis poteſt reus renunciare terminum, ei datum à Iudice, ad ſuas defenſiones probandas. Et Iudex poteſt hanc ſuam renunciationem acceptare. Ità docent Imola *in l.Cuſtodis, ff.de publicis indic.col.*2.Ananias *in cap. Cum dilecti, n.3.de accuſat.*Guttierez, Gomez, & Fagundez *n.*5. *loc.cit.* & alij communiter.

Quando non timetur pœna grauis corporalis, ſed tantum iactura famæ, vel bonorum externorum, poteſt ne Reus renunciare termino, ſibi à Iudice aſſignato, ad ſuas defenſiones probandas: & Iudex poteſt ne hanc renunciationem acceptare?

14 RESp.quod, vel ſequimur opinionem D.Antonini 3. *par. tit.*8. *c.*4.§.1.Caietani 2.2.*q.*73.*ar.*2. *& in ſumma verb.Detractio*, & aliorum dicentium: hominem non eſſe Dominũ ſuæ famæ, ſicut nec propriæ vitę: & cõſequenter dicere debemus; non poſſe reum cum iactura ſuæ famæ, renunciare termino, ei aſſignato, ad ſuas defenſiones producendas; nec Iudex talem renunciationem acceptare: quia ſicut non eſt Dominus propriæ vitæ; ità nec propriæ famæ. Vel ſequimur opinionẽ D.Thomæ 2.2.*qu.*57.*ar.*4.Couarruuij *lib.*1.*variar.c.*2.*nu.*8. Molinæ *tr.*4.*diſp.* 37.*concluſ.*2.Leſſij *lib.*2.*c.*11.*dub.*6.Soti *lib.*5.*de iuſt.q.*10.*ar.*1.*verſ.Celeberrimum autem*; & aliorum docentium: hominem eſſe verum Dominum propriæ famæ, ſicut & propriorum bonorum: quia vita eſt bonum irrecurabile fama autem, & bona externa ſunt bona recuperabilia: vndè longè diuerſa eſt ratio; inter vitam, & famam. Iuxtà hãc ſententiam ergo, poteſt reus renunciare ſupradicto termino cùm iactura propriæ famæ, & bonorum externorum; & Iudex poteſt hanc renunciationem acceptare. Ità docent Guttierez *de iurament. confirm.par.3.c.*10.*nu.*1. Couarruuias *in* 4.*de ſponſal.*2.*par.c.*8. §.12.*n.* 16. & alij.

Eſt ne aliquis caſus, in quo nullæ cõpetant reo defenſiones?

15 RESp.affirmatiuè, ſcilicet quando delictum eſt ità notorium, vt nulla tergiuerſatione excuſari poſſit; & quando repertus fuit reus in fragranti crimine, in quo nulla afferri poteſt excuſatio. In his duobus caſibus non conceduntur defenſiones: ſed in proceſſu

ceſſu conſtare debet cauſa, quare ipſi reo negatæ fuerunt defenſiones. Ita Menochius *lib.1.de arbitr.q.17.nu.15.* Decianus *conſil.18.nu.6.uol.1.* Farinacius *q.39.n.103.*Souſa *lib.2.cap.29.nu.8.*& alij.

Hæreticis ſunt ne concedendæ defenſiones, vel negandæ?

16 RESP. Vel hæreticus eſt notorius, & pertinax, aut hæreſim damnatam ab Eccleſia, probare intendit, nõ eſſe hæreſim: & non ſunt ei concedendæ defenſiones: quia nemini licet, eſſe fautorem hæreſis: qui enim hæreſim defendit, hæreticus eſt: vt notant Farinacius *de hæreſi,q.197.n.70.*Souſa *cap.29.nu.10.*Pegna *par.2.comment.10.*Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.17.n.1.*& alij. Vel hæreticus non eſt notoriè talis: quia verba, vel facta, ei obiecta, ſunt dubia, an ſint hæretica, vel non: quia non dum conſtat ex teſtibus, & alijs probationibus, ipſum eſſe hæreticum: & in hoc caſu non ſunt, ei denegandæ defenſiones: vt docent Pegna *ibidem, & par.3.comment.28.verſ.Dandus eſt,* Farinacius *loc.cit.nu.71.* Carena *par.3.tit.9.§.1.nu.3.* Qui Doctores etiam affirmant, eſſe concedendas defenſiones hæretico conuicto, ſed non confeſſo, vt cõtra ſibi obiecta, & perſonas teſtium, poſſit opponere. Immò etiam hæretico conuicto, & confeſſo: quia etiam contra propriam confeſſionem poteſt quis, aliqua deducere, & opponere ob timorem illam feciſſe. Ità docent Pegna *dicto comment.28.ver.Quamquam,* Farinacius *q.183.n.215.*Souſa *cap.29.nu.4.*Caſtro Palaus *par.1.tr.4.diſp.8.punc.6.n.3.*Carena *n.4.& 5.*Maximus *in praxi S.Officij,par.5.in fin.* & alij.

17 Quod ſuprà dictum eſt de hæretico, idem dicendum eſt de relapſo: qui ſi eſt notorius, & pertinax, vtique non ſunt ei concedendæ defenſiones. Secus verò ſi talis non ſit, & velit probare, ſe non fuiſſe relapſum. Ità Farinacius *ubi ſup.n.217.*Souſa, Maximus *ibidem,* Carena *n.6.*

Reus quandonam poteſt ſe defendere ob nullitatem proceſſus?

18 RESP. Quod proceſſus pluribus modis eſſe poteſt nullus. Et primò, quando in illius formatione deficit aliqua ex quatuor circumſtantijs: quæ ſunt de ſubſtantia, & eſſentia ipſius proceſſus. Et primò, quando non conſtaret quærela, & Inquiſitores procederent, nec per viam accuſationis, nec per viam denunciationis, neque per viam Inquiſitionis ob rei infamationem. Secundò quando teſtes, examinati non eſſent, præſtito iuramẽto. Tertiò, quando reus non fuiſſet vocatus, ad reſpondendum, ad quærelam ſibi datam, & ſaltem ſemiplenè probatam. Et quartò, quando non fuiſſent datæ ipſi reo defenſiones antè cõdemnationem. Hæc enim quatuor neceſſariò requiruntur pro validatione proceſſus, vt tradunt Panormitanus *in cap. Dilecti de iudic.*Sylueſter *verb.Iudex 1.qu.5.*Coriolanus *par.2.de caſib. reſeru.caſ.5.de iudic.Regul.§.6.*Nauarrus *conſil.5.de appellat.in fin.*& alij. Secundò, redditur nullus proceſſus, quando delictum eſt alicuius rei permanentis; vt homicidij, mutilationis, &c.& non conſtaret de corpore delicti: vt docent Farinacius *de inquiſ.q.2.n.26.* Albertinus *de cathol.aſſert.q.25.n.24.* Carena *par.3.tit.12.nu.173.*Marſilius *conſil.12.nu.34.& conſil.14.n.15.* Tertiò, ſi proceſſus ſit formatus coram Iudice, iuſtè recuſato, vel incompetenti, vel ſit formatus contra formam reſcripti, aut parte non citata; vt probant Maranta *par.4.diſt.16.n.4.* Calderinus *de indic. conſil.12.*Genuenſis *c.6.nu.2.* Barboſa *in cap. Tuis de teſtibus,*Carena *loc.cit.* & alij.

Poteſt ne reus ſe defendere contra teſtes, qui contra eum depoſuerant?

19 RESP. Quod hæc defenſio rarò admittitur in S.Officio: quia nomina teſtium non ſignificantur reo, vt contra ipſos valeat ſe defendere; ità

ſta-

ſtatuerunt Bonifacius VIII. *in cap. Statuta*, §. *Iubemus de hæreticis in 6.* & Innocentius IV. & Vrbanus IV. vt referunt Eymericus *par. 2. pag. 145. direct.* & Pegna *par. 3. comment. 124. verſ. Hoc ipſum.* Conſtat enim, quod ex publicatione nominum ipſorum teſtium, ac denunciantium, graue damnum, & periculum ipſis immineret: vt notatur in Hiſpalenſi inſtructione ann. 1484. *c. 16.* Vnde ad Inquiſitores ſpectat, pro reo diligenter inquirere de vita, & moribus teſtium, ſupplẽdo partes, quæ aliàs competerent reo, ne ab ipſis teſtibus, vel denunciante grauetur; vt communiter Doctores teſtantur.

20 Si autem reus ſciat denunciantem, vel teſtes, qui contra ipſum depoſuerunt: tunc non poteſt cõtra illos ad ſui defenſionem aliquid opponere, niſi tãtùm inimicitiam capitalem. Ità deciſũ fuit in Concilio Bitterenſi, *cap. 12. & 13.* & in Concilio Narbonenſi, *cap. 14. & 15.* his verbis: *Quamuis in huiuſmodi crimine, propter ipſius enormitatem omnes criminoſi, & infames, & criminis etiam participes ad accuſationem, vel teſtimonium admittantur. Illis tantum exceptionibus fidem teſtium ex toto euacuantibus, quæ non ex zelo iuſtitiæ, ſed de malignatis fomite procedere videantur: vt ſunt conſpirationes, & inimicitiæ capitales. Alia vero crimina, etſi debilitent, non repellunt, præſertim ſi teſtes de crimine fuerunt emendati.* Hæc dicta Concilia: vt refert Pegna *par. 3. comment. 28. n. 118.* & idem docent Eymericus *par. 3. direct. de defenſion. reor. nu. 117. verſ. Nec putas*, Symanchas *de cathol. inſtit. tit. 64. n. 80.* Zanchinus *c. 13. nu. 3.* Caſtro Palaus *par. 1. tr. 4. diſp. 8. punct. 15. §. 1. n. 15.* & alij.

21 Inimicitia verò capitalis non ſolùm eſt illa, quæ oritur ex occiſione alicuius conſanguinei, vel ex minis, aut inſidijs ad occiſionem ordinatis: ſed etiã, quæ contrahitur ex lite omnium, vel maioris partis, bonorum, vel ex accuſatione criminali, aut detentione in carceribus, aut ex infamatione, aut graui Iniuria, & ſimilibus; vt latiſſimè probant Pegna *par. 3. direct. comment. 116.* Farinacius *q. 49. nu. 1. & ſeq.* Carena *p. 3. tit. 10. §. 12.* & alij, quos ipſi referunt. Quando ergò ex dictis cauſis, & alijs, arbitrio prudentis Inquiſitoris cognoſcendis, reus probat contraxiſſe inimicitiam cum denunciante, vel teſtibus, contra ſe deponentibus, vtique iuſtè ſe defendit, & illos repellit, quamuis illi dicerent, ſe non eſſe inimicos.

22 Hoc tamen limitandum eſt, quoties inter inimicos interceſſit bene fundata reconciliatio: (quæ quando re vera interceſſit, arbitrio Inquiſitoris relinquitur.) Nam tunc cum ceſſet inimicitiæ cauſa, ceſſat etiam ratio, ob quam à reo repelli poſſunt teſtes: vt communiter Doctores affirmant. Item limitatur quoties inimicitia eſſet dolo, & fraude procurata. Sæpè enim rei, cùm intelligunt in aliquo delicto graui, aliquem poſſe contra eos teſtẽ eſſe, fraudulenter prius, quæſitã cauſa, cum eo rixantur, eique iniuriam inferunt; vt poſtea eum à teſtimonio repellere poſſint, & ità liberentur à crimine, quod re vera commiſerunt. Talibus enim non debet ſua fraus patrocinari. Ideòque talis offenſus poterit admitti in teſtem contra offenſorem. Ità Bartolus *in leg. prima*, §. *Cum quis, ff. de quæſtion.* Baldus *in l. Sed, & ſi quis*, §. *Illud, ff. Si quis cautio*, Gomez *tom. 3. variar. reſol. cap. 12. n. 14.* Pegna *loc. cit. verſ. Rurſus.*

23 Vt autem de inimicitia in criminali iudicio habeatur ratio, eſſe debet plenè probata per duos teſtes conteſtes, qui ſint omni exceptione maiores; vt notat Carena *par. 3. tit. 10. §. 13. nu. 95.* Propter aliam verò inimicitiam non capitalem, quantùm debilitentur dicta teſtium, relinquitur arbitrio iudicantis Inquiſitoris: qui ex perſonarum, & negotij qualitate, facilè poterit agnoſcere, *l. Teſtium, ff. de teſtibus*, Pegna *par. 3. comment. 28. verſ. Aliorum verò*, & alij, quos ipſe citat.

Qui propoſitionem, vel blaſphemias hæreticales protulit, quomodo defendi poteſt; non eſſe hæreticum?

24 RESp. poſſe, primò ſe defendere probando ignoraſſe verba, quę protulit, eſſe contra fidem, & hæreticalia: quia quamuis non ſit alleganda ignorantia in manifeſtis articulis fidei, quos omnes ſcire tenentur: tamen ignorantia non ſolùm inuincibilis, ſed craſſa, & affectata, ab hæreſi excuſat, quando taliter ignorans eſt paratus corrigi; quia in eo non eſt pertinacia, quæ neceſſariò requiritur in hæreſi. Ità docent Alphonſus à Caſtro *de iuſta hæret. punitione, lib.* 1. *c.* 9. *& lib.* 2. *c.* 17. Ricciullus *de iure perſon. lib.* 5. *c.* 7. *nu.* 10. *& ſeq.* Sanctarellus *de hæreſi, cap.* 1. *dub.* 5. *n.* 20. *&* 21. Farinacius *de hæreſi, q.* 179. *n.* 23. *& ſeq.* & alij.

25 Hæc autem ignorantia non excuſat eos, qui errant in rebus manifeſtis cõtra fidem. Ideò non excuſantur ob ignorantiam, blaſphemantes hæreticaliter: quia nullus quamuis ruſticus præſumitur, ignorare, blaſphemiam eſſe illicitam: vt probat Præſes Abauo *in praxi, §. Blaſphemia, n.* 18. Sicut nec etiam excuſantur ſortilegi, qui vtuntur verbis, vel rebus ſacris, ad res profanas, & ad maleficia componenda: quia nullus eſt, quamuis ſimplex, qui neſciat ſortilegia, & maleficia eſſe illicita. Similiter excuſari non poſſunt poligami, & deturpantes ſacras imagines quia omnes ſciunt, nemini licere habere plures vxores ſimùl; & Sanctorum imagines eſſe venerandas: vt notat Zanardus *in ſumm. par.* 2. *tract. de pœnis minuendis.* Et ſic de ſimilibus.

26 Poteſt quis ab hæreticalibus verbis dictis defendi, vel probando, fuiſſe tũc temporis amens, vel ebrius, vel furioſus, non habens totalẽ vſum rationis; ut potuiſſet ſcire, ſe erraſſe contra fidem; & dùm cognoſcit errorem ſuum, non poteſt dici pertinax: & conſequenter neque hæreticus. Vel probando illa dixiſſe, ex lubrico linguæ inaduertenter; aut ioco, uel recitatiuè, ut notant Souſa *lib.* 2. *de aphor. inquiſ. c.* 13. Carena *p.* 3. *tit.* 9. §. 8. *n.* 35. Bordonus *tom.* 1. *c.* 36. *n.* 49. *& ſeq.* Farinacius *de hæreſ. q.* 179. *n.* 40. Proferens enim his modis hæreſim, errorem non habet in intellectu: & ideò probabiliter excuſari poteſt. Quia hæreſis requirit, ut eam proferens, ſciẽter, & aduertenter credat contra fidẽ.

27 Huiuſmodi autem defenſiones non ſolùm fieri poſſunt per Procuratorem rei, ſed per Procuratorem conſanguineorum ipſius rei, ut probat Carena *par.* 3. *tit.* 9. §. 15. *n.* 71. ubi ait. Poſſe per Procuratorem conſanguineos, uel alios audiri, ad probandum furorem delinquentis. Et ità in facti contingẽtia fuit decifum in Senatu Sabaudiæ in terminis noſtris, ut refert Præſes Abauo in *q.* 23. *n.* 22.

28 Notandum tamen eſt, quod ſi amẽtia, uel ebrietas, uel furor in totum tollit rationis uſum, excuſat reum à tota pœna: ut expreſsè docet Cantera *in quæſt. crimin. c.* 7. *de homicidio, nu.* 68. Si autem non tollit, ſed tantum diminuit uſum rationis, & tunc excuſat à tanto, ſed non à toto; & reus non eſt puniendus pœna ordinaria, ſed extraordinaria; & modo grauius, modo leuius, iuxtà diminutionem vſus rationis. Ita Farinacius *q.* 92. *n.* 1. Carena *vbi ſup.* §. 10. *n.* 42. Gregorius Gomez *in l. quinta, tit.* 8. *partita* 7. Souſa *in aphoriſ. inquiſ. lib.* 3. *c.* 53. *n.* 1. & alij.

29 Inſuper notandũ eſt, quod ſi amẽs, vel furioſus, lucida habeat interualla, & ignoratur, an tempore ſanæ mentis, vel infirmæ, deliquerit; præſumendum eſt, deliquiſſe tempore furoris, & amẽtiæ: vt docent Antonius Gomez *to.* 3. *var. c.* 1. *n.* 70. Farinacius *q.* 94. *n.* 8. Souſa *in aphoriſ. inquiſ. lib.* 2. *c.* 33. *n.* 4. & alij. Verum ceſſat hæc præſumptio, ait Farinacius *n.* 9. ſi delictum veriſimiliter intelligatur commiſſum tempore ſanæ mentis.

30 Si verò crimen hæreſis ſit commiſſum tempore ſanæ mentis: & poſtea ſuperuenit amentia, vel furor, & perſeueret; tunc delinquens cuſtodiendus eſt in carceribus S. Officij: & citatis hæredibus proſequenda eſt cauſa priuationis ſuorum bonorum. Ità Pegna *p.* 3. *comment.* 22. *verſ. Sed quid ſi re vera,* Maxinus *p.* 10. *aſſert.* 290. Farinacius

loc.

loc.cit.num. 16. Præſes Abauo *in quæſt. variar.q.*28.*nu.*27. Cantera *de homicidio,c.*7.*n.*65.Souſa *vbi ſup.nu.*5. Clarus §.*fin.q.*10.*verſ.Item quæro*, Carena *p.* 3.*tit.*9.§.15.*n.*68. Admonēt etiam Archidiaconus *in cap.filij de hæreticis in* 6.Eymericus *par.*4.*n.*96.Pegna,& Carena ibidem, vt Inquiſitores diligenter inquirant, an amentia ſit vera, vel ſimulata. Sæpè enim delinquentes, vt ſupra etiam notatum eſt, vt pœnam euadant,amentiam ſimulant. Ità etiam Farinacius *loc.cit.*

31 Blaſphemus hæreticaliter defendi poteſt,quod blaſphemauit, non ex habitu, ſed raro, & in ira,& indignatione magna tantùm. In iſto enim caſu talis blaſphemus redditur tantùm, leuiter de hæreſi ſuſpectus: vt docent Eymericus *par.*2.*q.*41.*nu.*6.Præſes Abauo *in quæſt.reatuum,q.*35.*n.*41.Farinacius *de pœnis temperandis,q.*91.*n.*1. *& ſeq.* Pegna,Carena,& alij.Et colligitur ex *l.*2. *Cod. de abolit.* quia grauis iracundia inebriat animum, & impedit vſum rationis,ne ſciat, diſcernere verba, à ſe prolata,continere hæreſim,& eſſe contra veritatem fidei.

32 Obſeruandum verò eſt cauſa iracūdiæ, an proueniat ex cauſa rationabili: & in hoc tantùm caſu in S.Officio præſtat diminutionem pœnæ ordinariæ. Nàm tunc blaſphemus excuſari poteſt, quod aliter protulit, aliud credidit, protulit peruerſe, ſed credidit catholicè. Secus verò ſi ex cauſa iniuſta,vt ex conſuetudine, vel ex ludo, aut non ex vehementi ira. Quia ſi huiuſmodi blaſphemus, vt ait Eymericus *loc.cit.nu.*5. pluries,& frequenter in ludo,& extra ludum,& ob leuem turbationis motum in tales hæreſes prorupiſſe inueniatur; etiamſi non conſtet clarè de mala credentia in mente: debet tractari, vt vehementer ſuſpectus propter frequentiam habituatam, quæ ſuſpectum vehementer de hæreſi illum reddit: iuxtà *cap.Accuſatus de hæreſi in* 6.

In Tribunali S.Officij poteſt ne quis ſumere defenſionis argumentum ex eo, quod reus ſolitus non ſit cōtra fidem delinquere?

33 Reſp. affirmatiuè; quia ſicut ex multiplicatione criminis contra fidem, poteſt Fiſcus arguere, eſſe augendam pœnam: ità etiam ex paucis vicibus, vel ex vna vice commiſſi delicti, poteſt quis defenſionem ſumere pro diminuenda pœna: vt docēt Tiraquellus *de pœnis temperandis cauſa* 51.Farinacius *de delictis, & pœnis, qu.* 23.*nu.*32.Souſa *in aphor.inquiſ. lib.*3.*c.* 34.*nu.* 10. Præſes Abauo *in ſuis quæſt. reatuum,q.*23.*nu.*54. Carena *loc. cit.* §. 13.*n.*58.& alij.

Poteſt ne allegari in defenſionem rei minor ætas in S.Officio?

34 Reſp. affirmatiuè; quia dum in alijs Tribunalibus, vbi non eſt tantæ miſericordiæ locus, ætati parcitur,& mitius ſemper punitur: vt ex *l.*4. §.*vlt.& l.infamis, ff.ad l. Cornel. de ſycar.& ex c.Eos quos*, §.*Pueris autem de conſc. diſt.* 4. & docent Ludouicus Gillatus *c.*5.Præſes Abauo *de reatibus, q.* 23.*n.*5.*& ſeq.* Farinacius *de pœnis temperandis,q.*92.*n.*41.qui alios quamplures citat. Multò magis id obſeruari debet in S.Officio, quod eſt Tribunal miſericordiæ,& pietatis. Confirmatur, quia difficilius credi poteſt iuuenes, in hoc crimine hæreſis, ex malitia,& animi improbitate peccare; ſicut in alijs peccatis,nempè,fornicationibus, adulterijs,furtis,& ſimilibus.Sed errant in fide à parentibus ſeducti, & in errore nutriti, vel à præceptoribus, & magiſtris decepti. Tales ergò ſi corrigi parati ſint, mitiſſimè ſunt tractandi,& leuiſſimæ pœnitentiæ eis iniungendæ, vt ex *c.Apoſtolus* 24.*q.*2. & docent Pegna *par.*1. *direct. comment.*13. *verſ. In hac verò,& comment.* 22. *verſ. Si ſeptima regula*,Carena *par.*3.*tit.*9.§.6.*n.*25.Symanchas *de cathol.inſtit.tit.*29.*nu.*56.*et* 58.Decianus *in tract.crimin. par.*1.*lib.* 3.*c.*12.*n.*25.*et lib.*5.*c.*37.*nu.*56.Farinacius *d.q.*92.*n.*108.*et de hæreſi,q.* 194.*n.* 2.& alij.

35 Verum quamuis ætati parcendum ſit, non propterea omninò impunitum eſt relinquendum crimen, quod adoleſcens commiſit,dùm doli capax erat, §.*Impunitas*, *Cod.de pœnis*,*Can.Si quis cuiuslibet in fin.& ibi Gloſſa* 22.*q*.5.Secus verò ſi doli capax non erat: nàm iſte nullo modo punitur: *l.Illud relatū*, *ff. de iure iurando*, *c.Illud* 15. *q*. 1. Ita Pegna *loc.cit. verſ.Tametſi.* Qui etiam notat,quod ſi delinquens, propter teneram ætatem, aut mitius, aut nullo modo punitur, non poteſt effectus maior de ipſo eodem delicto puniri: Ita etiam Hyppolitus Marſilius *in leg.Infans*, *ff. de ſycarijs*,*& in l.De minore*, *ff. de quæſt.*Tiraquellus *tract. de pœnis tēperandis*,*aut remittendis*,*cauſa* 7. *nu*.8.

36 Si verò quis in minori ætate in hæreſim incidit,& in ea perſeuerat in maiori:tunc non eſt mitius puniendus ratione minoris ætatis: quia dum etiam in hæreſi deliquit in maiori ætate,minor ætas ei ſuffragari nequit:vt probāt Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*29.*nu.* 59.Farinacius *de hæreſi*,*q*.197.*n*.10.qui quamplures allegat, Carena *vbi ſup. n.* 27. Et idem dicendum de alijs delictis ad Tribunal S.Officij ſpectantibus, à delinquente minori commiſſis.

37 Pœna etiam minuitur ratione ſenectutis: vt docent Tiraquellus *de pœnis temperandis*,*cauſa* 8. *num*.4. Antonius Gomez *de delictis*,*c*.1.*n*.68. Farinacius *q*.92.*n*.23.*& ſeq.*Bordonus *tom*.1.*c*.36. *n*.32.Senes enim dicuntur infirmi,cùm ſenectus ipſa ſit morbus. Quinam autem dicatur ſenex, non omnes idem ſentiunt; Aliqui enim ſuſtinent, qui annum quinquageſimum attigit, alij qui annum ſeptuageſimum, alij probabilius,qui ſexageſimum: vt refert Diana *to*.5.*tr*.2.*reſ*.70.*ex par*.9.*tr*.4.*reſ*.60.

Vis, & metus excuſant ne ab hæreſi formali?

38 RESp. affirmatiuè; quia qui ob metum, & vim ſibi præſtitam hæreſim profert, vel facto oſtendit,non præſumitur habuiſſe in intellectu errorem catholicæ fidei contrarium; ſed id dixiſſe,aut feciſſe,ad euitandum periculum mortis, vel alterius mali. Vndè vi, & metu probatis, Iudex præſumere debet: delinquentem non eſſe formaliter, & intrinſecè, ſed tantum extrinſecè,& materialiter hæreticum. Metus enim excludit conſenſum, & cauſat inuoluntarium: vt ex *l.Nihil de regul. iur. c. Locum* 14. *c. Veniens* 13.*c. Conſultationi* 28.*de ſponſalibus*: & docent Theologi cùm D.Thoma 2.2. *qu*. 6. *ar*. 5. Inſuper metus in ſe includit ignorantiam: iuxtà *l. Si cùm exceptione*,§.*In hac actione*,§.*Quod metus.* Hæreſis autem formalis requirit, vt hæreſiam proferens,vel faciens,ſcienter, & aduertenter credat contra fidem. Sed ſcientiam, & aduertentiam non præſumitur habere ille,cui metus fuit incuſſus, ſed potius mentem perturbatam: ergo proferens,vel faciens aliquod hereticale,timore,& metu mortis, aut alterius mali, non præſumitur habere errorem in intellectu: ſed illud præſtare tantùm ad effectum, euadendi periculum; & conſequenter non eſt iudicandus hæreticus formalis. Etità docent Pegna *par*.1. *direct*. *comment*. 24. Farinacius *de hæreſi*,*q*.183.*n*.23.26.29. *&* 31.Azorius *par*.1.*lib*.8.*c*.9.*q*.9.Souſa *lib*.1.*c*.17.Carena *par*.1.*tit*. 1. *de hæreſi*,§.11. & alij.

39 Notandum verò, quod vt grauius, vel mitius talis delinquens puniatur, attendi debet qualitas metus incuſſi, & qualitas ipſius delinquentis: an ſcilicet ſit puer, vel iuuenis,vel vir;an doctus,vel indoctus; an Laicus, vel Clericus, aut Religioſus; an vir, vel mulier, & alia ſimilis circumſtantia, quæ grauitatem delicti minuere,aut augere ſoleat.

40 Notandum etiam, quod metus etiā mortis cadens in conſtantem virum, quamuis diminuat culpam, illam tamē à mortali nunquam excuſat: vt expreſsè habetur *in cap. Sacris de his*,*quæ vi*. Quia metus extenuat libertatem ad culpam requiſitam, ſed nunquam illā,ità extenuat: vt eam omninò tollat, & ex

ex peccato mortali faciat illud veniale: vt docent Salas 1.2.*q.6.art.6. tract. 3.diſp.3.ſect.*1.*n.*28. Syluester *ver. Metus,q.*7. Sanchez *lib.*4. *de matrim. diſp.* 1.*n.6.* Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*2.*diſput.* 1.*punct.* 13.*n.*2. Et præcipuè nunquam metus mortis excuſat in his, quæ ſunt intrinſecè mala. Hac enim ratione, ob tuendam vitam, non licet mentiri, neque adulterari, aut fornicari, & ſimilia committere:quia ſunt intrinſecè mala. Et ideò omnes ſupradicti Doctores affirmant: dictum, vel factum hæreticale ad euitandam mortem, ſemper etiam eſſe mortale peccatum: quia eſt intrinſecè malum: & ſolùm excuſat à tanta, ſed non à tota pœna, & pœna non ordinaria, ſed extraordinaria puniri debet.

Qui finxit ſe hæreticum, vel Maurum, vel Iudæum, & interius Chriſti fidē non negauit, poteſt ne hac ratione tueri; vt mitius puniatur?

41 RESp. negatiuè ſecundum ſententiam Caietani 2.2.*q.*12.*ar.*2.*in fine*, quia Eccleſia non iudicat de internis,ſed ſolum de externis.Sed communiter cæteri Doctores docent; fingentem ſe hæreticum,vel Maurum,vel Iudæum, & interius Chriſti fidem non negantem, non eſſe verè, & formaliter hæreticum; ſiue exterius fidem neget, ob metum cadentem in conſtantem virum, ſiue ob auaritiam, & ſpem lucri, ſiue ob aliam cauſam. Quia deficit ei error in intellectu: & hæreſis, vel infidelitas, in pertinaci aſſenſu mentis cōſiſtit. Ergo iſte talis propriè, & formaliter dici non poteſt hæreticus, vel infidelis, dùm fidem Chriſti non deſerit, & ſolùm exterius fidem deſerere ſimulat. Ergò non innodatur pœna ordinaria,qua punitur, qui verè eſt hæreticus,& fidem exterius, & interius negauit. Et conſequenter tueri poteſt, vt mitius puniatur pœna extraordinaria iuxtà textum *in cap. Sacris de ijs, quæ vi*, vbi dicitur: *Licet metus attenuet culpam,non tamen eam prorsùs excuſat, & in l.ſeruus. Cod. Ad legem Iuliam de vi publ.*& ibi Baldus, & Salycetus poſt *n.*3.& alij.Quando autem Eccleſia punit delictum illud imperfectum ob defectum actus interni, non exercet iuriſdictionem in actum interiorem, nec illum punit; ſed temperat pœnam, quā poſſet imponere actui exteruo, ne in ea compræhendatur, etiam actus internus prauæ intentionis.Ità docent Sotus 4. *diſt.*22.*q.*2.*ar.*3.*poſt* 5.*concluſionem, caſu* 1.Nauarrus *in ſumm.c.*11.*nu.*27.*& c.*27.*nu.*56.Suarez *tom.*5.*in* 3.*par.diſp.* 4.*ſect.*2.*n.*22.*et diſp.*21.*ſect.*2.*nu.*3.Symanchas *de cathol.inſtitut. tit.*31.*nu.*3. Toletus *in ſum.lib.*4.*c.*4. *n.6.* Valentia 2.2.*diſp.*1.*q.*12.*punct.*1.*colum.*2. Azorius *tom.*1.*lib.*8.*c.*9.*qu.*10.*et* 11.*et c.*21. *q.*5.*et* 6. Bannez 2.2.*q.*11.*ar.*4. *diſp.*2. *concluſ.* 3. Sanchez *in Decal. lib.* 2. *c.*7. *n.*8.Leſſius *lib.*2.*c.*43.*dub.*2.*n.*11.Fagūdez *in* 2.*præc.Eccl.lib.*8.*c.*8.*n.*39.Thomas del Bene *de offic.inquiſ.par.*1. *diſp.* 13.*ſect.*2.& alij.

42 Ob eandem rationem idem dicendū de ijs,qui propoſitiones hæreticales dixerunt,vel Sanctorum imagines deturparunt, vel carnes tempore prohibito comederunt,vel idolo, aut Mahumeto reuerentiam exhibuerunt; ſi hæc fecerint metu compulſi, vel ſpe lucri, aut ira, vel quacunque alia paſſione moti, nullum errorem in Chriſti fide interius habentes: vt notat Thomas del Bene *loc.cit.n.*3.

43 Verùm cùm intentio ſoli Deo nota ſit:nullo modo,vel difficillimè probari poteſt, aliquem ſigna hæreſis, vel infidelitatis externa dediſſe, & interius fidem catholicam retinuiſſe. Ideò talis tanquam verè hæreticus in foro exteriori ab Inquiſitoribus punitur. Quia præſumitur fidei diſſenſum internum in actu externo habuiſſe: & Eccleſia non iudicat de internis, ſed tantum de externis.Alias hæreticis aperiretur via, vitandi cōdemnationem. Omnes enim ſe excuſarent,abſque intentione verba hæreticalia dixiſſe, & facta præſtitiſſe. Neque illis aliqua ratione eſſet credendum; quia quilibet ad pœnam effu-

fugiendam, præſumitur peierare, & eſſe mendacem. Nulli enim credendum eſt in caſu proprij commodi, niſi per teſtes probet, quod dicit. Ità docent Albertinus *tract. de agnoſc. aſſert. cathol. q.8.n.12. & q.32.n.17. & q.34. nu.53.* Royas *tract. de hæreticis, par.1. nu.276. & ſeq. & nu.583. & ſeq.* Graffius *lib.4. ſuarum deciſ. c.18. nu.28.* Symanchas *in Enchirid. tit.29. rubr. de confeſſis, num.8.* Caſtro Palaus *par.1. tr.4. diſp.8. punct. 10. n.6.* Diana *to.5. tr.12. reſ.34. ex par. 4. tr.7. reſ.34.*

Poteſt ne reus tueri, vt ei mitigetur pœna ob ſortilegium amatorium, vi vehementis amoris factum?

44 RESp. affirmatiuè; quia inter cauſas mitigandi pœnas, enumerant Doctores vehementem amorem: qui furori comparatur; vt ex *c. Cum in iuuentute de præſumpt.* Et ità docent Tiraquellus *de pœnis temperandis, cauſa 4.* Farinacius *q.98. n.77.* Giurba *conſ. crimin. 47. n.8.* Et in terminis ſortilegij amatorij, ex vehementi amore facti, minuendam eſſe pœnam, affirmant Oldradus *conſ.* 210. Monaldus *conſ.* 101. Farinacius *n.88.* Præſes Abauo *in praxi, §. Venenum, n.32. & 36.* Zanardus *in ſumma, par.2. tr. de pœnis minuendis, c. 12. verſ. Quartò dico,* Carena *par.3. tit. 8. §.11. n.50.* Pœna autem abiurationis non minuitur. Nàm etiam ſortilegi ob amatoria ſortilegia hæreticalia abiurãt de vehementi: vt notat Carena *ibidem, num.53.*

Inquiſitus quomodo probare poteſt ſuam innocentiam?

45 RESp. poſſe multis modis ſuam innocentiam probare: & primò, ob euidentiam facti, probando rem aliter ſe habere, ac quærelationem factam: E.g. ſi quis quærelatus fuit occidiſſe infantem maleficio; & infans reperiatur viuus. Vel denunciatus fuit imaginem Crucifixi in tali altari fregiſſe, & illa imago non ſit fracta. Ex euidentia facti directè probatur inquiſiti innocentia. Ità Clarus *§. fin. qu.52.* Carena *par.3. tit.9. §.3. nu.9.* Bordonus *to.1. c.36. n.24.* & alij. Secũdò, ſi inquiſitus plenè probaret ſe, tempore commiſſi delicti, fuiſſe in loco multum diſtante ab illo, in quo delictũ commiſſum fuit. E.g. Confeſſarius denunciatus, ſollicitaſſe talem mulierem tali die, ac hora in tali Eccleſia, & tali confeſſionario: & per teſtes legitimos probaret, ſe tali die fuiſſe extra illam Eccleſiam, nec audiuiſſe confeſſionem: vtique oſtenderet ſuam innocentiam: probando negatiuam, coarctatam loco, & tempore, quoad ſe ipſum. Ità dicti Doctores *loc. cit.* Clarus *verſ. Item poteſt,* Carena *n.10.* Bordonus *n.23.* Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.17. nu.7.* Cantera *in quæſt. crimin. de reo, q.12. nu. 2.* Tertiò, probatur innocentia indirectè, per negatiuam, coarctatam loco. & tempore, quoad teſtes: c.g. teſtes deponunt, tali die vidiſſe, Titium in tali loco deturpaſſe ſacram imaginem: & Titius probaret, dicta die dictos teſtes fuiſſe in alio loco: certè huiuſmodi probatio eliderct probationes teſtium: qui puniri poſſent de falſo. Ità Cantera *loc. cit.* Bordonus *n.23.* Carena *n.11.* qui *nu.12.* admonet: Teſtes, qui ad defenſam deponunt ſuper huiuſmodi negatiua coarctata, examinandos eſſe præſente Fiſco, & eſſe dimittendos cũ fideiuſſione, ſe conſignandi toties quoties, ſub certa pœna: vel cum præcepto, ſi ob paupertatem non poſſent, fideiuſſorem inuenire. Quartò, probatur innocentia, vel ſaltem contrariæ probationes valdè eneruantur: ſi inquiſitus probaret actus Religionis factos, qui eſſent contrarij ſibi oppoſitis: vt ſi denunciatus fuit negaſſe purgatorium: & probaret: quod pluries pro defunctis Miſſas celebrari iuſſit, & alia ſuffragia pro ipſis obtulit: ex iſtis probationibus maxima reſultaret ſuæ innocentiæ probatio: vt notãt Symanchas *dicto tit.17. n.58.* Carena *n.13.* Bordonus *nu. 24.* & alij. Quintò, ſi ille, qui denunciauit, ſe exculpet in articulo mortis, vel in alio tem-

tempore,quod quærelatus ab ipſo,nullo modo eſt reus, ſed innocens delicti oppoſiti. Sextò,ſi iuridicè conſtet, delictum illud ab alio fuiſſe commiſſum: vel verus malefactor ſe ipſum denunciet, & inculpet. His omnibus modis inquiſitus ſuam innocentiam efficaciter probare poteſt:vt per ſe patet. Sunt etiam, & aliæ probationes, ſed minùs efficaces: vt quando denunciatus eſt verbaliter citatus,& non fugit,ſed prõptè comparet; vt notat Alciatus *reſpõſ.* 453.*nu*.5. ex Bartolo *in l. Si quis fugitiuus*, §. 1. *ff. de edil.edic.* Vel quando denunciatus ſua spontè ſe offert Inquiſitori iudicandus: vt affirmant Blancus *in ſua praxi,par.*1.*defenſ.n.*191.Marſilius *in ſua praxi*, §.*Diligenter*, *nu*.104. Spontè autẽ dicitur aliquid fieri, quãdo fit propria auctoritate ſine alterius requiſitione: Gloſſa *verb.Spontè*, *cap*.1. 16.*q*.6.Fulcodius *qu*. 2. Carena *par*.2. *tit*.18.*n*.19.Souſa *lib*.4.*c*.8.*à n*.5.& alij.

Inquiſitor poteſt ne ob aliquam cauſam à reo recuſari,ne ſit eius Iudex?

46 RESp. non defuiſſe Doctores, qui affirmarunt, Inquiſitorem, vt ſuſpectum recuſari non poſſe:quia præſumitur, quod ſit electus æquiſſimus, probatiſſimus, & prudentiſſimus. Ita docuit Ioannes Royas *in ſingularibus fidei,ſingul.*100.*& in trac. de hæreticis*, *par*.2.*tit.de priuileg. Inquiſ. nu*.435. & Bernardus Comenſis *in Lucerna Inquiſ.verb.Recuſatio*, §. 1. Sed alij non inferioris auctoritatis Doctores affirmant: poſſe recuſari aliquando Inquiſitorem, iuxtà Textum *c. Suſpicionis de officio delegati*, *c.Cum ſpeciali de accuſation.& l. Apertiſſimè*, *Cod.de iudicijs*. Et hæc ſententia ſummo iure verior eſt,& tenenda,quamuis prior, ſpectata Iudicum probitate, honeſtior videatur, vt notat Pegna *par*.3.*comment*.31.*verſic. Cæterum*. Et ità etiam ſuſtinent Symãchas *de cathol.inſtitut.tit*.17. *nu*. 51. *&* 52. Locatus *in opere iudiciali*, *verb.Recuſatio*,Tabiena *in ſumma verb. Inquiſitio*,§.4.*n*.5.Diana *tom*.5. *tr*.10.*reſ*.54. *ex par*.4.*tr*.8.*reſ*.5. Bordonus *tom*.1. *c*. 36.*q*.10.*n*.13. & in Madriliana inſtructione ann.1561.*c*.15. nominatim hæc ſententia definita videtur. Tamen recuſationis cauſæ ſunt afferendæ, quæ graues eſſe debent, nempè. Vel quia Inquiſitor, reum, non ſeruato ordine iuris,aggrauauit, ei denegando legitimas defenſiones; vel quia eſt eius inimicus capitalis: quia inimicus in qualibet ſua actione præſumitur,machinari contra ſuum inimicum, *l.Si inimicus*, *ff.de his,quibus vt indign. cap.Quod ſuſpecti* 14.3.*q*.5.*l.Apertiſſimè*,*Cod.de iudicijs*,Eymericus *par*.3.*direct.tit.de reuocat.Inquiſit.n*.120.& ibi Pegna *comment*.30.Farinacius *q*.185.*nu*.236. de cauſis inimicitiæ,Souſa *lib*.2.*c*.34.*num*. 11. Poteſt etiam Inquiſitor à reo recuſari,ſi ſit conſanguineus,vel affinis cum denunciantibus,aut teſtibus. Ità docet Pitignanus 4.*ſubſt*. *c*. 3. Spatharius *tr*. 10.*c.num*.3.Bordonus *to*.1.*c*.36. *nu*.15. Tandem recuſari poſſet, ſi eſſet Inquiſitor publicè excommunicatus,vt patet ex *cap.Exceptionem* 12. *de exception.& cap.Ad probandum* 24.*de appellat*.

47 Huiuſmodi autem cauſa recuſationis, ad Supremum Inquiſitionis Senatum, vel ad Summum Pontificem, remittenda eſt; vt ſummatim re cognita, vel Inquiſitor recuſatus reijciatur, ſeu prohibeatur, ne in ea cauſa iudicet; vel è contra iudicare iubeatur. Semper autem aduertendum,ob friuolas, & leues recuſationis cauſas,non eſſe prohibendum;ne Inquiſitor iudicet: vt notat Pegna *ibid.verſ.Si ob ſecundam*.

Datur ne appellatio à ſententia Inquiſitorum?

48 RESp.quod,vel loquimur de ſententia definitiua, vel de interlocutoria. Si primò modo, non datur appellatio: neque à definitiua ſententia contra hæreticos, neque contra eorum fautores,& receptatores. Patet ex *c.Vt inquiſitionis de hæreticis in* 6.& docent Symanchas *de cathol.inſtitut.tit*.6. *n*.2.Royas *ſingul*.19.1.*& ſeq*. Paramus

de

*de origine inquiſ.lib.3.q.4.nu.*58. Decianus *in tr.crimin.lib.5.c.20.n.26.& cap.* 58.*n.*1. Farinacius *de hæreſi, qu.*185.§. 15.*n.*227. Pegna *par.3.comment.*31.*nu.*121. Carena *par.3.tit.*14.*nu.*1.& alij. Si verò loquamur de ſententia interlocutoria, ideſt de grauamine illato, antè definitiuam ſententiam, & de decreto torturæ: vtique datur appellatio. Quæ vt valida ſit, duo neceſſariò continere debet; ſcilicet grauamen illatum, & cauſam ſpecialem, per quam grauamē impugnatur; vt ex *c.Cum ſit Romana, & c.Vt debitus honor de appellat.* & docent Pegna *loc.cit.verſ.Non autem*, Farinacius *vbi ſup.nu.*232.& 235. Calderinus *tract.de hæret.c.*29.*nu.*2. Carena *n.*2. Diana *tom.*5.*tr.*10.*reſ.* 61. *ex par.* 4.*tr.*8.*reſ.*20. Paramus *n.*60.*& ſeq.* Symanchas *tit.*52.*nu.*11.*& tit.*65.*num.*2. & alij.

49 Hæc autem appellatio in Sancto Officio fieri debet ad Summum Pontificem: ſed in Tribunali Sanctæ Inquiſitionis Hiſpan. ex priuilegio Apoſtolico fit ad Supremum Inquiſitorem, quia à delegato ad delegantem appellatio eſt facienda. Inquiſitor autem extra Hiſpaniam Sedis Apoſtolicæ eſt delegatus. Ergò, &c. Ità Pegna *vbi ſupra*, Farinacius *q.*185.*n.*240. Diana *loc.cit.* Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*8.*punct.* 7.*n.*6. & alij. Appellatione admiſſa nō debet Inquiſitor vlterius in ea cauſa procedere; ſed expectare reſponſum Supremi Tribunalis. Sed hoc, locum non habet in cauſa diuerſa ab ea, à qua fuit appellatum: vt docet Pegna *loc. cit.comment.* 31.*verſ. Si autem Inquiſitor*, Eymericus *par.3.n.*127. & probat Textus *in c.Ad hæc de appellat.* vbi ſtatuitur poſſe reum conueniri coram Iudice, à quo appellauit, in alia cauſa: niſi cùm velut ſuſpectum, velit recuſare. Verùm ſi crimen fuerit manifeſtum, in quo non poteſt commodè afferri excuſatio, aut ſuſpicionis iuſtæ ratio, ob quam poſſit Iudex recuſari: tunc locum non habebit ſuſpecti recuſatio: ex *cap. Propoſuit de appellat.* Ità Pegna *verſ.Si autem Inquiſitor.*

Sicut eſt interdicta appellatio à ſententia definitiua condemnationis, eſt ne etiam interdictus recurſus ad Sacram Congregationem Inquiſitionis, per viam quærelæ, & ſupplicationis; vt ſententia data, quam reus iniuſtam exiſtimat, reuocetur?

50 RESp. Quod Symanchas *de catholic.inſtit.tit.6. rubr.de appellat. n.*2. Carrera *tract.de hæret.n.*130. Diana *tom.*5.*tr.*10.*reſ.*62.*nu.*5.*ex par.*4.*tr.* 8.*reſ.*32.*n.*5. ſuſtinent, non poſſe reum, poſt ſententiam condemnatum, per viā quærelæ, & ſupplicationis ad Supremū Inquiſitionis Tribunal recurrere. Quia eadem ratio, ob quam ei denegatur appellatio, militat, ne Supremum Tribunal adiri poſſit per viam quærelæ. Indignus enim eſt beneficio Eccleſiaſtico, qui iam eſt ab Eccleſia inimicus declaratus. Sed contrarium eſſe probabilius docent Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.*4.*diſp.*8.*punct.*7.*nu.*3. Carena *par.*3. *tit.*14.*n.*7. Quia, interdicta appellatione, non cenſetur interdictus recurſus ad Principem in cauſa grauis præiudicij: vt latè probat Rolandus *lib.*1. *conſil.*94.*n.* 1. *& ſeq.* Menochius *de arbit. q.*70.*n.*18. Secundò, quia ſuperior Iudex non prohibetur, de prætenſa iniuſta ſententia cognoſcere, & eam reuocare. Hoc enim rectè gubernationi cōuenit. Ergò non ſunt prohibiti rei, ad eum ſupplices, & quæruli pro tali cognitione, & reuocatione, accedere. Tertiò, ipſemet Iudex ſuperior ſupplicari poteſt à ſententia à ſe lata, vt iterum illam recognoſcat; & ſi inuenerit iniuſtitiam, reuocet, & annullet. Ergò id à fortiori fieri poterit in ſentētia lata ab inferiori. Et ità tradit in crimine hæreſis Felinus *in cap. Ad abolendam, n.*3. *in fin.de hæreticis, verſ.Sed aduerte*, Royas *ſingul.*19.*n.*5.*& ſeq.* Decianus *tr. crim. lib.*5.*cap.*58.*nu.*5. Farinacius *qu.*185.*de hæreſi, n.*233.

CA-

CAPVT XXI.

De examine Reorum in Tribunali Inquiſitionis.

Quomodo examinandi ſunt huiuſmodi rei ab Inquiſitoribus?

1 RESp. hunc modum examinandi ab Inquiſitoribus reos, optimè doceri ab Eymerico *par.3.direct.n.*85. *& ſeq.* & ibi à Pegna *comment.* 21. à Carena *par.3.tit.*2.§.9. & alijs. Exprexius autem à Michaele Zanardo *in direct.Theolog.par.3.c.*87. & à Diana *to.* 5.*tr.*10.*reſ.*51.*ex par.*4.*tr.*8.*reſ.*88.Qui docent examinandos eſſe primò de genere ſuo,de parentibus,de natione, & patria,de educatione, & diſciplina, de bonitate,& prauitate, de ſocietate, & amicitia,ac de moribus. Deindè an ſciat,propter quam cauſam ſit captus, an aliquos habeat ſuſpectos;& quinam ſint,& qua de cauſa; & inſiſtat Inquiſitor in omnibus, quæ ad negotium fidei faciunt; ſuperflua, & aliena omninò omittendo. Secundò, intra primos dies capturæ erunt hi ſuſpecti de fide benignè admonendi, ad dicendam veritatem; & dum examinantur, poterit Inquiſitor eis concedere humile ſedile, ad hoc, vt magis quietum animum habeant. Tertiò, ſciſcitentur ab eis indicia conſequentia catholicæ Religionis, & eorum ſtatus: nempè, quas deuotiones habeant,quando,& à quibus confeſſi ſint, ſi ſe communicauerint, ſi Eccleſias frequentauerint,quas præces ſoleant in præcipuis Eccleſiæ diebus fundere: & ſimilia ab eis perquiret. Quartò, debet Inquiſitor abſtinere ab interrogatorijs ſuggeſtiuis, iuxtà Textum *in l.*1. §.*In cauſa,ff.de quæſtionib.* & ibi Godofredus. Quia confeſſio ipſius rei, ex vi ſimilis ſuggeſtionis extorta,non ſufficit, ad eum condemnandum: vt affirmant Souſa *in aphoriſ. lib.* 2.*c.*20. *n.*60. Farinacius *de reo confeſſo, & conuicto,qu.*83.*&* 84. Carena *loc.cit. n.*51. Quintò,dum eos interrogat, non debet interrogare extra id, de quo ſũt inquiſiti, niſi ipſi rei dum reſpondent, occaſionem dederint, ad alia interrogatoria deueniendi, vt aduertit Pegna 3.*par.comment.*18. *verſic.Et ſic prudens Inquiſitor*,qui etiam *verſic.Quod ſi delinquens*,notat,quod ſi reus veritatem fatere cæperit,nullo modo eſt interrũpendus, niſi ad aliena à cauſa vagetur, ità etiam Carena *n.*40.*&* 52.

Si reus in ſuo examine petat dilationem, ad reſpondendum, eſt ne ei illa concedenda?

2 RESp.negatiuè, quia dum de facto proprio interrogatur, debet ſtatim reſpondere. Ità docent Baldus in *l.Cum falſam,n.*2. *ff.de acquirenda hæredit.* Clarus *in praxi,*§.*fin. q.*45. *nu.*7. Carena *loc.cit.nu.*41. & alij,quos ipſe citat.

Tenetur ne Inquiſitor antequam reũ examinet ei manifeſtare, quod legitimè eum interroget?

3 RESp.negatiuè;quia,quamuis reus non teneatur reſpondere,& veritatem dicere, antequam ſaltem aliqualiter ei conſtet, Iudicem iuſtè, & legitimè interrogare: vt docent Caietanus in 2.2.*q.*69.*ar.*2. Sotus *de iuſtit. lib.*5.*qu.*6.*ar.*2. Nauarrus *c.*25.*nu.*3.& qamplures alij: & conſequenter, vt reus teneatur veritatem dicere, debet Iudex ei ſtatum proceſſus, & quod ipſe iuridicè procedit notificare:Tamen hoc non procedit in cauſis contra fidẽ, & ideò non tenentur Inquiſitores notificare reis ius ſuum,quod habent, eos interrogandi. Ità Peguera *in praxi crimin.c.*12.§.5.*nu.*13.Diana *tom.*5.*tr.*10. *reſ.*52.*ex par.*4.*tr.*8.*reſ.*130.

Inquiſitor poteſt ne licitè,reo promittere impunitatem, ſi veritatem ſui criminis negatam fateatur?

4 RESp. negatiuè; quia Inquiſitor omninò non poteſt pœnas à iure

re taxatas reis remittere,vt docent Zãchinus *tr. de hæreticis, c.19.n.*1. Scaccia *de iudicijs,lib.*1.*c.*87.*n.* 25. Symanchas *de cathol.inſtit.tit.*13.*nu.*12. Pegna *par.* 3.*comment.*23.*n.*106.*per totum*, Diana *tom.*5.*tr.*10.*reſ.*71.*ex par.*4. *tr.*8. *reſol.* 22. & alij. Benè tamen poteſt, reis offerre amplam miſericordiam, & gratiam; ſi protinus veritatem fateantur. Nàm Inquiſitores poſſunt temperare omnes illas pœnas, quæ arbitrio eorũ relinquuntur: quales ſunt pœnæ pœnitentiales. Et in hac promiſſione, in genere loqui debent; non autem promittendo, quæ ſine peccato præſtare non poſſunt: vt cum Eymerico affirmat Pegna *par.*3.*direct.comment.*23. *verſic. Iam in hoc.* Et gratiam poſteà faciendo, quantumuis minimam, fidem datam adimplebit. Relapſis verò hæc impunitas, aut gratia promitti non poteſt, vt notat Pegna.

5 Nec obſtat primò dicere; quod poteſt Inquiſitor impunitatem reo promittere, ad indagandam veritatem exẽplo Salomonis: quia licet hac de cauſa aliquid aliquando ſimulare, & fingere, vt in *cap. Afferte de præſumptionibus.* Tamen vt optimè notat Iulius Clarus *in pract.crimin.*§.*fin.q.*55. *verſ.Circa primum*: aliud eſt ſimulare, & fingere, quod iudicando fecit Salomon; aliud mentiri, & decipere, quod fit cum promittitur impunitas, nec præſtatur: quod etiam docent Pegna, & alij, quos ipſe citat *loc. cit. verſ. Hæc tamen.* Et ideò non militat Salomonis exemplum.

6 Neque obſtat ſecundò, dicere, non poſſe Inquiſitores, reis promittere amplam miſericordiam, & gratiam, ſi veritatem fateantur: quia hæc Iudicis promiſſio videtur, facta dolo, nec rei confeſſio iudicari poteſt ſpontanea, ſed potius extorta: dum fit ob promiſſionẽ miſericordiæ, & gratiæ: et ideò non ſufficere ad condemnationem. Nàm reſpondetur cum eodem Pegna *verſ. Poſtremò.* Quod vt ex ea confeſſione reus condemnari poſſit, requiritur neceſſariò, vt ipſe illam Iudici ratificet, ſicut ratificatur illa, quæ fit in tormentis; & docent etiam Immola *conſil.*109. Marſilius *in l.*1.§.*Quæſtioni, ff. de quæſtionibus*; & latiſſimè *in ſingul.*177. incipiente: *Malitijs hominum, & ſingul.*201. incipiente: *Inconfeſſum*, vbi pro hac ſententia plures citat. Quæ confeſſionis ratificatio fieri debet; etiamſi aliæ eſſent contra reum coniecturæ. Semper verò erit leuius puniendus, & ordinaria criminis pœna temperanda: ne Inquiſitor deeſſe videatur fidei datæ, & gratiæ promiſſæ: cùm tutò poſſit, prædictis modis eam facere. Ità Pegna *vbi ſup. verſ. Nos in hoc crimine.*

7 Ad id, quod dicitur, quod talis confeſſio non eſſet ſpontanea, ſed extorta. Reſp. cum Lugo *de iuſtit. tom.* 2. *diſp.* 37. *ſect.*15. *nu.*180. quod quando conſtàt; reum eſſe legitimè interrogatum, & iniuſtè negare delictum à ſe commiſſum, non videtur illicitum, aliqua anphibologia, vel æquiuocatione eum decipere; vt aperiat veritatem. Iudex enim ius habet, illã extorquendi. Sicut ergò eã poteſt extorquere per vim tormentorum, cur nõ poterit per dolum? dummodò ſit dolus iuſtus, & ſine mendacio.

Inquiſitor ſi promiſit reo, ſeruare impunitatem, confitendo commiſſum delictum, tenetur ne ſeruare illi fidem promiſſam?

8 RESp. duas eſſe in hac difficili quæſtione oppoſitas ſententias. Nõnulli enim negant ob talem promiſſionem reo eſſe impunitatem concedendam. Primò, quia promiſſio de re impoſſibili eſt nulla, nec aliquis ad eam ſe obligare poteſt; quia illam præſtare, non eſt in ipſius arbitrio, & poteſtate, *l. Impoſſibilium, ff. de re iur.* Sed non eſt in arbitrio, & poteſtate Iudicis, pœnam reis remittere, nec veniam eis concedere, *l.*1.§.4. *ff. ad Senatus Conſultum Turpillianum.* Ergò promiſſio impunitatis, facta reo ab Inquiſitore, eſt nullius momenti, nec à pœna debita eum liberat: cùm ſit de re Iudici impoſſibili, & ſit apertè contra legis prohibitionẽ.

Se-

Secundò, quia quamuis ſit aliquis dolus in hac promiſſione; tamen ad publicam pertinet vtilitatem; vt intellecta veritate, reus condemnetur, & delicta non remaneant impunita. Tertiò, quia in malè promiſis, fides non eſt ſeruanda; *cap. In malis de regulis iuris in 6.* conſtat autem, promiſſionem de impunitate delinquentium eſſe contra publicum bonum. Ergò, &c. Quartò, quia parum refert, quomodo veritas habeatur, dummodò habeatur: *l. Cum ſeruus, ff. de verb. oblig.* Quintò, quia dũ licitum eſt Iudici, reos torquere, & fame, ac vigilia afficere, ad extorquendã veritatem: multò magis licebit Inquiſitori, eam exquirere blandis verbis, & fictis promiſſis. Ità docent Geminianus, & Præpoſitus *in c. Nos in quemquã 2. q. 1.* Felinus *in c. Accedens 2. vt lite nõ conteſt. & in c. Afferte de præſumptionibus*, Archidiaconus *in cap. Vtilem 22. q. 2.* Iaſon *in l. Si mora, n. 4. ff. ſoluto matrimonio*, & alij.

9 Secunda verò ſententia eſt huic oppoſita, quæ ſuſtinet, dictam Inquiſitoris promiſſionem eſſe, ab eo ſeruandam reo: quia fides, & promiſſio, etiam inimicis præſtita, ſemper eſt ſeruanda; nàm eius implementum eſt iure naturali debitum; quod violare non licet, *l. Conuentionem, ff. de pactis.* & ibi Doctores communiter. Secundò, quia iuramentum, & fides, æquiparantur, *cap. Ad aures de eo, quod metus cauſa.* Sed iuramentum ſemper eſt obſeruandum; vbi ſeruari poteſt, ſine interitu ſalutis æternæ, *cap. Cum dilectus de eo quod metus cauſa, cap. Si verò de iure iurando.* Ergo ſimiliter ſeruanda eſt fides promiſſ. Tertiò, quia mendacium ſaltem eſt peccatum veniale, quod nullo modo eſt committendum; pro quacunque veritate habenda. Et tutius eſt, facinus impunitum relinquere, quàm per illicitos modos illud inueſtigare, & detegere. Nunquam enim ſunt mala facienda: vt indè bona eueniant. Et illas cautelas vſurpare, licet in praxi, quæ ſine vlla mendacij ſpecie, poſſunt ad vſum reuocari. Ità docent Iacobus Beluiſius *in pract. crim. in rubr. de quæſtionibus*, Decius, & alij *in l. Ea eſt natura, ff. de regulis iuris*, Imola *conſ. 109.* incipiente: *Viſa Inquiſitione*, Fortunius Garzia in *l. Conuentionem, ff. de pactis*, Marſilius *in ſingul. 201. n. 4.* & alij multi.

10 Sed hæ pugnantes ſententiæ conciliari poſſunt ex doctrina Fagundez in *Decal. to. 2. lib. 8. c. 11. nu. 16.* & Dianæ *tom. 6. tr. 1. reſ. 109. ex par. 11. tr. 7. reſ. 16. miſcell. 7.* Qui docent, quod vel promittens impunitatẽ eſt ſupremus Princeps, & Iudex; qui poterat, eam impunitatem concedere; & iuxtà ſecundam ſententiam, tenetur promiſſam impunitatem concedere ob ſupradictas rationes. Vel eſt Iudex inferior; & non tenetur, eam impunitatem reo obſeruare: quia fuit promiſſa ab eo, qui non poterat, eam concedere: & quoad hunc Iudicem, vera eſt prima ſententia. Et tunc reus ſibi imputare debet, quod tali promiſſioni credidit. Addit verò Iulius Clarus *§. fin. q. 55. verſ. Circa ſecundum.* Nunquam huiuſmodi reum ex tali confeſſione ad pœnam ordinariam eſſe condemnandum, niſi alijs indicijs grauatum, quia per iniuriam, & contra ius fuit illa confeſſio extorta, & ità etiam ſentiunt Gomez *de delictis, c. 12. nu. 6.* Leſſius *lib. 2. c. 29. dub. 18. num. 173. verſ. 4.* Imola *conſ. 106.* Remigius *de immunit. Eccl. fallentia 26.* Igitur vel impunitas eſt reo promiſſa à Supremo Tribunali Sancti Officij, ſi ipſe veritatem fateatur; & ei danda eſt: vel ab inferiore Inquiſitore; & non eſt ei concedenda; ſed tantum erit mitius, ac benignius puniendus.

11 Vndè optimè aduertit Pegna *par. 3. direct. comment. 23. verſ. Hoc ſemper.* Punienda eſſe quidem delicta, & coercendos malefactores, & adhibendam eſſe omnem diligentiam, vt veritatem ab inuitis ſceleratis, iudices extrahant: At ſeruato iuris ordine, id eſſe faciendum, nec committendum quidquam, quod æquitas, & iuſtitia non admittat. Quòd ſi ità haberi veritas non poſſit, nec malefactores puniri: meminerimus veriſſimi illius Theologici dogmatis:

Multa relinqui punienda iudicio diuino. Eſt æquidem valdè laudanda Iudicum quorundam ſollicitudo in inueſtigandis, & coercendis ſceleribus: Sed magnoperè vituperanda, & deteſtanda conſuetudo: illicita quæque committere, ad veritatem eruẽdam: ità Pegna.

Sortilegus, qui in ſuo examine fatetur, feciſſe ſortilegium, ſed cum proteſtatione, eſt ne cenſendus hæreticus?

12 RESp. Quòd ſi conſtat de proteſtatione, & quod ipſa non fuerit contraria facto, non erit cenſendus hæreticus. Quia proteſtatio, quæ fit in rebus ad fidem ſpectantibus, eſt profeſſio, ſeu confeſſio fidei exterius facta, ad oſtendendum, quid proteſtans interius de fide ſentiat: vt docent Albertinus *tract. de agnoſc. aſſertion. qu. 12. n. 2.* Pegna *in direct. par. 1. comment. 26. verſ. Proteſtatio*, Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 55. rubr. de proteſtat. n. 3.* Hæc autem proteſtatio fidei excuſat proteſtantem, ſi poſteà hæreſim committat, ne præſumatur, commiſiſſe ſciẽter, & cum pertinacia: ex Textu *in c. Dixit Apoſtolus 24. qu. 3.* & ibi Gloſſa *verbo Pertinaci*, & tradunt Symanchas *n. 4.* Albertinus *n. 6.* Farinacius *de hæreſ. q. 178. n. 150.* & alij. Et ideò dùm conſtat de hac proteſtatione non eſt cenſendus ille hæreticus.

13 Dixi: dummodò ipſa proteſtatio nõ ſit contraria facto. Nàm ſi proteſtans ſciat verba, quæ profert, vel materiam circa quam operatur, vel actionem ipſam, eſſe ſuperſtitioſam, & hæreticalẽ: tunc proteſtatio non excuſat ab hæreſi: quia per factum contrarium proteſtans recedit à proteſtatione: vt notat Gloſſa *in c. Tua nos, verb. Mulierem de ſponſal. & c. Olim cauſam de cenſibus, verb. Proteſtatus*, & communiter Doctores *in l. Non ſolum, §. Morte, ff. de operis noui nũciat. & in c. Cum mi de conſtitut.* & alij, quos citat, & ſequitur Pegna *par. 1. comment. 26. verſ. Hactenus explicui.* Vndè qui proteſtatur ſe credere, & tenere, quod tenet, & credit Eccleſia; & tamen in ſortilegio admiſcet Eccleſiæ Sacramenta, vel alias res ſacras, ſeu ſacramẽtales, vt aqua benedicta, candelæ benedictæ, & ſimilia, vel verba Euangelij, Symboli fidei, Pſalmi, & ſimilium orationum, vel præces nefarias Dœmonibus fundit, aut illis ſacrificat, vel idolis genua flectit; quæ omnia manifeſtã hæreſim ſapiunt. Tunc proteſtatio eſt contraria facto, & proteſtans non excuſatur ab hæreſi: quia factum directè contrariatur proteſtationi.

Ignorantia probabilis, ſeu inculpabilis, vel inuincibilis excuſat ne reum ab hæreſi?

14 RESp. affirmatiuè, ſiuè ſit ignorantia iuris, ſiuè facti. Dicitur autem ignorantia iuris, quando quis ignorat legem aliquid prohibentem. Dicitur ignorantia facti, quando quis ignorat aliquam actionem eſſe peccaminoſam, quàm ſi ſciret, talem eſſe, illã non faceret. Hæc autem ignorantia, ſiuè iuris, ſiuè facti, dicitur probabilis, iuſta, inculpabilis, & inuincibilis, quia inculpabiliter priuat cognitione, & ſcientia malitiæ actus, & nec directè, nec indirectè eſt voluntaria; & omnem voluntatis actum antecedit; & ſine culpa, & bona fide contracta eſt. Ad differentiam ignorantiæ vincibilis, culpabilis, iniuſtæ, & improbabilis, quæ culpabiliter contracta eſt: & verè volita eſt: aut directè; vt cùm eſt affectata; aut indirectè; vt cùm ignorans poteſt, & tenetur illam expellere, & non expellit. Et ideò ab actus malitia non excuſat, & eſt cauſa peccati. Igitur ignorantia, ſiuè iuris, ſiuè facti, probabilis, inculpabilis, & inuincibilis, excuſat à peccato, præſertim mortali: vt docent omnes Doctores: & probatur ex Sacra Scriptura *Geneſ. 20. Domine nùm gentem ignorantem, & iuſtam interficies?* Et *Ad Timotheum c. 1. ait Diuus Paulus: Miſericordiam Dei conſequutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Et quod ignorantia probabilis excu-

ſet

ſet à peccato, docet etiam D.Thomas *1.2.q.76.ar.3.*quia efficit, vt actus non ſequatur voluntarius : & nullum eſt peccatum,niſi voluntarium.Dum ergo excuſat à peccato;ſequitur,quòd ſi aliquis errat ignorantia probabili, ſeu inuincibili in his, quæ fidei ſunt, ab hæreſi excuſandus eſt ab Inquiſitore, maximè ſi diligentiam adhibuit,in veritate inueſtiganda. Ità docent Maior *lib.2.ſent.diſt.22.q.2.*Symanchas *de cathol.inſtit.tit.26.nu.6.*Pegna *in direct.p.1.comment.22. regula 4.& 5.* Carena *par.2.tit.1.§.11.nu.63.* Caſtrus *de iuſta hæreticorũ punitione,lib.1.c.9.* Ricciullus *de iure perſon.extr.lib.5.c.7.num.6.* Sanctarellus *de hæreſi c.1.dub.5.nu.20.* Farinacius *de hæreſi,qu.179.nu.23.25.& 26.*

15 Similiter, qui errat in his, quæ ſunt fidei:quæ tamen ipſe credere explicitè non tenetur; deceptus verò ab aliquo viro docto,quem pium, & catholicum eſſe credit,& talis ab alijs communiter habetur:ab hæreſi,& hæreticorum pœnis,ac etiam à peccato, videtur excuſandus. Ità Magiſter Sentent. *lib.4. diſtin.30.c.1.verſ.Si quis hæreticus,*Diuus Bonauentura *ibid. verſ. Si quis hæreticus,* Pegna *loc.cit.regula 6.* Qui *in regula 7.* ſubdit: Idem prorsùs ſentiendum eſt,cùm filij errant in fide,à parentibus ſeducti,& in errorem nutriti. Item diſcipuli à Præceptoribus, & magiſtris: ſubditi ab Epiſcopis, & Parochis, aut alijs ſimilibus; ſi decepti errant in his, quæ explicitè ſcire non tenentur. Nàm hi etiam ab hæreſi,& eorum pœnis excuſantur; vt docet Ioannes Lupus Decanus Segouienſis *tr. de hæret:* quẽ refert,& ſequitur Montaluus *in l.1. tit. 26.partita 7.q.14.* Et hæc regula videtur apertiſſimè *in c. Dixit Apoſtolus 24. q.2.*Hæc Pegna.

Reus,qui ab Inquiſitore examinatur, tenetur ne veritatem fateri; ita vt non poſſit, ad illam occultandam, neque anphibologia vti?

16 Reſp. affirmatiuè; dum Inquiſitor legitimè illum interrogat. Ad interrogandum autem legitimè reum,requiritur primò; vt Iudex ſit competens in cauſa: ſic omnes Doctores docent *in tract.de foro compet.& de recuper.poſſeſ. remed. 8. 13. & 17.* Quod autem Inquiſitor ſit Iudex competens, certiſſimum eſt, nec indiget probatione. Requiritur ſecundò, vt delictum ſit semiplenè probatum:vt docent D.Thomas *2.2.q.68.ar.1.*Nauarrus *tom.4.de iudicijs,n.53.& in ſumm.c.25.n.36.* Leſſius *lib.2.c.31. dub. 5.* & alij. Semiplena probatio habetur, vel per vnicum teſtem,omni exceptione maiorem, vt cũ nonnullis Doctoribus, ait Pegna *par. 3.comment.110. verſ.Cæterum:* vel per diffamationem rei probatam:vt ait Eymericus *par.3.q.61.n.3.& 4:*vel per indicia æquipollentia,ſimiliter probata: vt cum Marſilio *in pract.crimin. §.Diligenter,& in l.prima,§.Idem,ff.de quæſtion.*& alijs,ait Pegna *loc.cit. verſ.Iam indicia.* Requiritur tertiò, vt notificetur reo, commiſſum crimen ſuum in proceſſu conſtare,& eſſe probatum: vt videat, ſe teneri obedire ipſius Inquiſitoris mandato:vt docent D.Thomas, Nauarrus *locis citatis,*& alij; aſſerentes Notarium copiam depoſitionum debere,tradere reo ſine teſtium nominibus: vt ſciat de ſuo delicto conſtare.Stantibus his requiſitis,tenetur reus veritatẽ Inquiſitori fateri, & nulla amphibologia illã occultare: alias peccaret mortaliter, & à Confeſſario non eſſet abſoluendus, niſi proponeret ſuum delictum fateri.Quia,vt rectè aſſerunt Nauarrus ibidem,& Sotus *lib. de ratione tegen.membr.2.q.7.* talis reus,non confitendo, non ſe pœnitet commiſſi peccati: immò in eo perſeuerat, dum eſt inobediens, & iuramentum datum non ſeruat. Et conſequenter nec veniam, nec abſolutionem meretur: iuxtà *cap. Peccati venia de regulis iuris in 6.*

Reus legitimè ab Inquiſitore interrogatus, tenetur ne fateri veritatem, etiam ſi ſit morte plectendus?

Reſp.

17 Reſp. affirmatiuè; quia dum Inquiſitor iuridicè, ac legitimè reum interrogat, eſt verè illius ſuperior, & iuſtè præcipit. Ergo reus tenetur obedire, nec poteſt occultare veritatem. Confirmatur, quia nulla datur legitima cauſa, per quam quis poſſit excuſari à peccato mendacij, & periurij: cùm hoc ſit intrinſecè malum, & per nullam circumſtantiã cohoneſtari poſſit. Ergò reus, qui præſtito iuramento, legitimè ab Inquiſitore interrogatur, tenetur veritatem fateri, etiãſi ſit morte plectendus: & neque æquiuocatione vti poteſt; quia, iuxtà mentem Inquiſitoris reſpondere debet. Ità docent D. Thomas 2.2.*q.*69.*ar.*1. Caietanus ibi, Pitignanus *in pract.crim.par.*1.*c.*7.*in addit.* Sotus *lib.*5.*de iuſt.q.*6.*ar.*2. Corduba *in quæſt. lib.*1.*qu.*43. *dub.*3. Azorius *par.*3.*lib.*13.*c.*25.*qu.*3. Sayrus *lib.* 12.*c.*16.*n.*1. Valentia *tom.*1.*diſ.*5.*q.*13. *pun.*1. Nauarrus *c.*25.*n.*36. & alij quãplures.

18 Et quamuis alij Doctores, quos citat, & ſequitur Diana *tom.*6. *tr.*1.*reſol.* 101.*ex par.*2.*tr.*15.*miſcell.*1.*reſ.*27. affirmẽt: reum, cuius crimen non eſt plenè probatum, poſſe Iudici, celare veritatem, non ſolùm ad mortem euitandã; ſed etiam quando agitur de pœna triremium, mutilationis, cõfiſcationis omnium bonorum, & alicuius magni dedecoris. Quia eſt hominibus à natura inditum, vt ſe defendant, & ab his malis ſe liberent. Tamen reſpondetur, quod lex naturalis concedit defenſionem propriæ vitæ; ſed cum moderamine inculpatæ tutelæ: quando enim quis iniquè ab inimico inuaditur, poteſt iuſtè ſe defendere, etiam cum damno vitæ alienæ. Sed Iudex inquirendo veritatem, nullam reo infert violentiam iniuſtam, ſicut inimicus aggreſſor: immò inquirendo veritatem, quærit gloriam Dei: vt docet D.Thomas *loc. cit.* Et patet per illud, quod Ioſuè dixit ad Acham: *Fili mi da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris ne abſcondas*: vt habetur *Ioſuè* 7. Ergò nõn poteſt reus ſub prætextu defenſionis de iure naturali, celare Iudici veritatem, & mentiri, & periurare, quod eſt intrinſecè malum. Quod præcipuè militat pro Inquiſitoribus, qui tuentur cauſam fidei, & religionis, & boni publici. Alias facilè euacuaretur iuſtitia huius Sancti Tribunalis: cùm maior pars grauium delictorum huius fori puniantur, vel pœna mortis, vel triremium, aut carceris perpetui, ac etiam in multis locis confiſcatione bonorum.

Reus, qui dubitat, an Inquiſitor legitimè interroget, tenetur ne illi veritatem fateri?

19 Reſp. affirmatiuè; non ſolùm ob rationem Sancij *in ſelectis, diſp.* 43. *n.*18. quia Iudex, qui eſt in poſſeſſione iudicandi, non eſt ab illa remouendus ob dubium ius rei: ſed quia Inquiſitor eſt Iudex in cauſis fidei, & religionis. Vndè ob fauorem fidei, & ob bonum publicum, in dubio ſemper eſt pro Inquiſitore præſumẽdum, quod legitimè procedit, & interroget; niſi contrarium conſtet euidenter. Et ideò, etiam ſi reus dubitet, an ille legitimè interroget, tenetur, iuxtà eius mentem reſpondere, & veritatem fateri.

Inquiſitor agnoſcens reum, difficilem ad confitendum ſuum delictum, debet ne illi iuramentum imponere, vt veritatem fateatur?

20 Reſp. affirmatiuè; quia praxis omnium Iudicum eſt, deferendi iuramentum reis, de veritate dicenda; et ſi adſit periculum periurij, reo imputandum eſt. Inquiſitor enim vtitur iuri ſuo, & licitè poteſt, reum cogere omnibus vijs, ad illam perſcrutandã. Sicuti ob eandem rationem poteſt reũ cogere per torturam. Iuramentum enim, vt ait Panormitanus *in c.Per tuas de probationibus quædam tortura ſpiritualis eſt.* Si verò Inquiſitor iuramentũ non imponeret, teneretur etiam reus, legitimè interrogatus, ei veritatem di-

ce-

cere: quia Iudex non acquirit ius, interrogandi reum, per iuramentum illi præſtitum; ſed quia eſt Iudex competens, & legitimè interrogat: vt notat Sayrus *lib.12.c.16.n.7.§.Quando.*

Reus, ſciens nón conſtare in proceſſu de corpore ſui delicti, tenetur ne illud fateri?

21 RESp. negatiuè, ſi ſuum delictum eſt de illorum genere, quæ poſt ſe relinquunt aliquod veſtigium: vt lamiarum infanticidium, vel infirmitatis maleficium, vel ſacræ imaginis deturpatio, & ſimilia: quia in his caſibus Iudex non procedit, neque reum legitimè interrogat: quando ei non cōſtat de corpore delicti: cùm hoc ſit de ſubſtantia iudicij, vt ſupra dictum eſt; & docent Albertinus *de cathol. aſſert. q.25.n.24.* Farinacius *de inquiſit. q.2.nu.26.* Carena *par.3.tit.32.nu.173.* & alij. Verum quia ſortilegium, ac maleficiū connumeratur inter delicta, quæ ſunt difficilis probationis; cùm fieri ſoleat clam, & occultè. Idcircò pro eorum cognitione non eſt neceſſarium, quòd delictum conſtet plenè, & concludenter per teſtes, aut per euidentiam facti, ſecundum dictos Doctores: ſed ſufficit, in dictæ probationis defectum, quod de corpore delicti conſtet per indicia: quia in huiuſmodi delictis hæc habentur pro plena probatione: vt docent Doctores allegati. Et conſequenter quando ità in proceſſu conſtat de corpore delicti; reus legitimè ab Inquiſitore interrogatur; & ſub mortali ad illius mentem tenetur, abſque amphibologia reſpondere, & veritatem ſui delicti fateri.

In Tribunali S. Officij quandonam confeſſio rei dicitur qualificata?

22 RESp. Quod tunc dicitur confeſſio rei qualificata, quando reus fatetur delictum hæreticale: ſed illud qualificat, negando intentionem hæreticalem habuiſſe. E.g. fatetur feciſſe ſortilegium, vel maleficium, vel ſollicitationem in confeſſione, vel poligamiam, & ſimilia. Sed negat habuiſſe intentionem hæreticam, ſed catholicā, aſſerendo, ſemper credidiſſe, quod docet Sancta Eccleſia; & illud delictum patraſſe ex auaritia, aut libidine, aut ex odio; & non ex praua intentione infidelitatis. Tunc igitur rei confeſſio dicitur qualificata, quando confeſſioni ſuæ addit qualitatem tollentem, vel minuentem delictum. In hoc autem caſu Inquiſitor acceptat confeſſionem delicti; & reo remanet onus probandi qualitatem ſuæ intentionis. Ità Farinacius *de reo confeſſo, & conuicto, qu.81. n.110.* Cantera *in ſuis quæſt. crimin. c.1. de vera confeſſione, n.18.* Souſa *in aphoriſm. Inquiſ. lib.2.c.20.nu.28.* Maſtrillus *deciſ.246.* Carena *par.3. tit.8.§.1.nu.1.* & alij communiter.

Si reus non probat qualitatem ſuæ intentionis fuiſſe bonam, & catholicā, quid eſt cōtra ipſum agendum?

23 RESp. Quod illa qualitas bonæ, & catholicæ intentionis, vel ex communiter accidentibus eſt veriſimilis, vel inueriſimilis. Si eſt veriſimilis, eſt in arbitrio Inquiſitoris; vel reum punire pœna extraordinaria; vel illum torquere ſuper intentione: vt ſine qualitate reſpondeat, & fateatur: tortura autem eſſe debet, non acris, ſed moderata: vt cum alijs Doctoribus ait Carena *par.3.tit.8.§.1.nu.8.* Vndè ſortilegi confitentes ſortilegium hæreticale cōmiſiſſe, ſed cum intentione catholica. Poligami confitentes delictum poligamiæ; ſed cum excluſione hæreticæ intentionis, & ſimiliter Confeſſarij ſollicitantes, blaſphemi, & alij, quamuis habeant contra ſe ipſos præſumptionē iuris; quia ex facto, & dicto hæreticali, præſumitur etiam intentio hæretialis: vt ait Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 50. nu.18.* Tamen quia à communiter accidentibus rei, non ex errore intellectus, ſed ex auaritia, libidine, ira, vt plurimum mouentur, ad delictum illud

com-

committendum: ideò illa qualitas catholicæ intentionis,addita confeſſioni, eſt veriſimilis à communiter accidentibus. Et vel puniri debent pœna extraordinaria: vt affirmant Abbas *in cap. Auditis,nu.33.de præſcript.* Farinacius *de reo confeſſo,& conuicto,q.*81.*nu.*157. Cantera *in ſuis quæſt. de probationibus, c.*1.*n.*18. Vel ſunt torquendi; vt ſine vlla conditione fateantur, & ſine dicta qualitate reſpondeant:vt ſentiunt Baldus *in l.*1.*n.*45.*verſ.Si tamen Iudex de confeſſis*, Boſſius *in tit.de confeſſis, n.*27. Maſcardus *de probat.concluſ.*867.*n.*13. Tortura autem in hoc caſu non eſt inferenda,tàm grauis,quę omnia indicia rei torquendi, purgare poſſit,& non ſit locus pœnæ extraordinariæ. Si autem reus ſit talis cōditionis; vt omnem torturam ſuperare poſſet; melius eſt eum puniri abſque tortura, pœna extraordinaria: vt cum alijs Doctoribus aduertit Carena *loc. cit. n.*15.*& ſeq.*

24 Si verò qualitas illa catholicæ intētionis, addita confeſſioni, non ſolum habet præſumptionem iuris contra reum: ſed à communiter accidentibus eſt multum inueriſimilis;& reus in hoc caſu non probat, ſuam intentionē catholicam fuiſſe; puniendus eſt pœna ordinaria delicti. Quia ſi ſola allegatio qualitatis, minuentis pœnam delicti, abſque probatione ſufficeret, ad euitādam mortem, & alias grauiſſimas pœnas; nullus vnquam puniretur pœna ordinaria. Nàm ſolent omnes rei fateri cum circumſtantijs, diminuentibus delicti grauitatem, & pœnam. Confirmatur, quia quod veriſimile non eſt, habet ſpeciem falſitatis: vt affirmant Baldus, & Iaſon *in l. Si extraneus,ff.de condit.cauſ.data*,Decius *conſil.*644.*n.*6. Maſcardus *de probationibus, concluſ.* 140.*n.*35.Menochius *conſil.*2.*n.*300. & alij. Ergò nulla habenda eſt ratio huiuſmodi qualitatis ex circumſtantijs inueriſimilibus: Ità docent Cantera *de hæreticis,c.*1.*n.*58.*verſ.Ego vidi in inquiſitione*,Carena *vbi ſup.n.*5. *& ſeq.*

Reus,qui ambiguè,incertè,& æquiuocè Inquiſitori reſpondet, poteſt nē torqueri; vt clarè ſuum delictum fateatur; & quid agēdum ſi ſit mutus,vel ſurdus?

25 RESP. Rei confeſſionem neceſſariò debere eſſe indiuidualem, ſpecificam,& certam, nec ſufficere dubiam,incertam, ambiguam, æquiuocā, & generalem. Quia Iudex incerta iudicare non poteſt: *cap. Si quis* 9. §. *Incerta* 30.*q.*3. Et in ambiguis rebus non poteſt eſſe abſolutum iudiciūm, *cap.final.diſt.*33.Et ità docent Farinacius *de reo confeſſo,& conuicto,q.*81.*n.*31. Boſſius *de confeſſ.n.*43.Peguera *deciſ.crim.* 17.*n.*4.Carena *par.*3.*tit.*8.§.9.*nu.*46.& alij. Et ideò ſi reus ſpontè nolit ſe declarare, poteſt cogi per torturam: quia Iudex tenetur,diligentiam adhibere,ne iudicium reddatur nullum, ex defectu in inquirendo: *cap. Iudicantem* 11.30. *q.*3.Ità Boſſius *de confeſſ.nu.*34. Menochius *lib.*1.*de præſumpt.qu.*89.*num.*42. Souſa *in aphoriſm.lib.*2.*c.*20.*nu.*12.Carena *loc.cit.* & alij. Vndè confeſſio ſurdi, & muti, quæ per ſe ipſos ſpecificari non poteſt,niſi nutu,& ſignis;vti dubia, & incerta; non eſt ſufficiens, ad illos condemnandos, niſi per depoſitiones teſtium ſint conuicti.Vt docent Baldus *in l.*1.*nu.*27. *Cod.de confeſſis*, Antonius Gomez *tom.*3.*var.c.*1.*n.*69. Farinacius *q.*98.*nu.*162.Symanchas *de catholic.inſtit.tit.*13.*de confeſſis,n.*2.*& ſeq.* & alij, quos citat, & ſequitur Carena *nu.*48.

26 Requiritur etiam,vt confeſſio ſit ſpecialis, quæ ſufficienter hæreſim ſpecialem declaret. Si enim quis generaliter fateretur, ſe hæreticum fuiſſe, nec declararet particularem hæreſim; non eſſet ſufficiens eius confeſſio: ſed exprimere debet; e. g. an Lutheranus, vel Caluiniſta fuit, & declarare ſuum particularem errorem in fide: Ità Symanchas *de cathol.inſtit.tit.*13. *nu.*3.*&* 4.*& in Enchirid.tit.*29.*n.*2. Farinacius, Carena,& alij.

Si reus reuocat confeſſionem factam

in ſuo examine, eſt ne ab Inquiſitore admittenda illius reuocatio?

27 RESp. quod, vel reus confeſſionē reuocat incontinentì, & in eadem præſentia Inquiſitoris: & eſt admittenda talis reuocatio: nam ex illa confeſſione condemnari nō poteſt: quia cenſendum eſt ex lapſu linguæ, vel ex metu torturæ, vel ex alia cauſa extrinſeca illam feciſſe. Ità Royas *tr. de hæreticis 2. par. n.*260. Farinacius *q.*81. *num.* 348. Souſa *in aphoriſm. inquiſ. lib.* 2. *cap.* 20. *n.*55. Carena *par.* 3. *tit.*8. §. 11. *n.*51. Vel confeſſio fuit cum aliquo temporis interuallo ab Inquiſitore, aut à Fiſcali acceptata, ſed cum aliquo errore ipſius rei. Et tunc admittenda eſt erroris probatio, etiam ſi pro confeſſione eſſent mille indicia: et errore probato, valida eſt reuocatio, & ex prima confeſſione reus condemnari non poteſt. Ità Symāchas *tit.*13. *n.*13. *&* 14. Farinacius *de hæreſi, q.*188. *n.*75. & vbi de reo confeſſo, & conuicto, *q.*81. *n.* 335. Debet autem ipſe probare, non ſolum errorem, ſed etiam cauſam, quarè ſic errauit. Hoc autem ſufficienter probabit ſi probet, quòd ob metum à Iudice, vel ab alio extrinſeco illatum, confeſſus fuit: vel ſi multum temporis præceſſit, in quo obliuio præſumi poteſt: vt ait Farinacius *dicta qu.*81. *nu.*344. Si verò reuocatio neque fit incontinentì, & antequam reus ab Inquiſitoris præſentia diſcedat, neque error probetur. Et tunc nullius valoris eſt confeſſionis reuocatio: ſed poteſt, & debet Inquiſitor illum condemnare: quia prima illa confeſſio ſemper firma conſiſtit; quoties error, in ea commiſſus, non probetur: nàm nullus præſumitur, contra ſe dicere teſtimonium falſum: et ideò non eſt admittenda reuocatio. Alias nullus hæreticus confeſſus damnari poſſet, cum omnes antè condemnationem confeſſionem factam poſſent reuocare. Ita docent Paris de Puteo *tr. de ſyndicatu, verb. Tortus, c.*8. *n.*1. *verſ. Et ſi confeſſionem reuocat*, Farinacius *de reo confeſſo*, *q.*81. *nu.*344. *&* de *hæreſi, q.*187. *nu.*75. Seſſe *deciſ.*472. *to.*4. *n.*7. Souſa *in aphoriſm. lib.*2. *c.*48. *n.*22. Carena *vbi ſup. n.* 55. *&* 56. Treuiſanus *lib.*2. *deciſ.*31. Royas *de hæreſ. par.*2. *aſſert.*25. *num.* 265. Diana *to.*5. *tr.*12. *reſ.*22. *ex par.*4. *tr.*7. *reſ.*22. & alij.

Si reus in S. Officio incidenter in ſuo examine confiteatur aliud delictum extra cauſam principalem, de qua agitatur, eſt ne de illo puniendus pœna ordinaria, an extraordinaria?

28 RESp. Eſſe puniendum pœna ordinaria, dummodò delictum, incidenter confeſſum, ad forum S. Officij pertineat: quia quamuis in vigore iuris, tunc ſolum huiuſmodi delictum punitur pœna ordinaria, quando tangit delictum cauſæ principalis: ex Textu *in c.*1. *de except.* & docet Bartolus *in l.*2. §. *Si publico, n.*2. *ff. ad legem Iulianam.* Quando autem delictum incidenter confeſſum non tangit cauſam principalem: in eodē Textu habetur, quod pęna ordinaria mulctari non debet. Ex quibus uerbis colligitur, eſſe puniendū pœna extraordinaria: vt affirmant Farinacius *de reo confeſſo, & conuicto, qu.* 81. *n.*264. Souſa *lib.*2. *c.*20. *n.*38. Cantera *de vera confeſſione, c.* 1. *num.*6. & alij. Hæc tamen doctrina locum non habet in S. Officio: quia in hoc Tribunali cū ſint remiſſæ omnes ſolemnitates, & rigoroſitates iuris; intelligitur etiam remiſſa rigoroſitas iuris dicti Textus. Inquiſitores enim procedunt in crimine hæreſis, incidentibus, & connexis, ſummariè, & de plano, ſine forma, & figura iudicij: vt habetur in *cap. Statuta de hæreticis in* 6. & in Conſtitut. Alexandri IV. quæ incipit *Cupientes*, & Vrbani IV. *Licet ex omnibus, & in Clementina* 2. *de verborum ſignificat.* & docent Farinacius *de hæreſi, q.*185. *n.*14. Souſa *in aphoriſm. inquiſ. c.*1. *nu.*2. *& ſeq.* Caſtro Palaus *par.*1. *tr.*4. *diſp.*8. *punct.*1. *per totum*. Ideò in hoc Tribunali reus, qui incidenter de alio crimine confitetur, vtique ex ea incidenti confeſſione pœna

na ordinaria puniri poteſt. Ità Carena *par.3.tit.*8.§.4.*nu.29. & 30.* Bordonus *tom.* 1.*c.*34.*n.*20.

Rei confeſſio facta per Iudicis ſuggeſtionem, quid contra ipſum reum operatur?

29 RESp. Huiuſmodi confeſſionem non eſſe ſufficientem, ad ipſum reum condemnandum: quia Iudex debet reum generaliter interrogare, non autem in ſpecie; & ei prohibitum eſt interrogatorijs ſuggeſtiuis vti, in *l.prima*, §. *In cauſa, ff.de quæſtionibus*, vt ibi notant Godofredus, Farinacius *de reo confeſſo, & conuicto, qu.*83.& 84. Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.*2.*c.*20. *n.*60. & alij communiter. Poteſt enim Iudex, vt ait Farinacius, hoc modo reum interrogare: An à tanto tempore cum aliquo fuerit rixatus, cum quo, quo loco, quo tempore; an vulnera aliqua fuerint illata, quę, quot, & in qua parte corporis. Nunquam verò dicere, nonne verùm eſt, vel ſcio, te vulneraſſe, vel occidiſſe Titium, & aliquid ſimile. Ità ſeruandū eſt, etiam ab Inquiſitore in caſu ad Sāctum Officium ſpectante. Nàm omnes Doctores conueniunt: confeſſionem extortam ſuggeſtiuis interrogationibus, non nocere reo: Boſſius *de examine reorum, num.*12.*verſ.Et illa confeſſio*, Scaccia *de iudicijs, lib.*1.*c.*86. *n.*7.40.*&* 41.Farinacius *n.*84.Carena *par.3.tit.*8. §.6.*n.*34.Bordonus *loc.cit.n.*24. Et idē ſeruandum eſt in examine rei in tortura: tunc enim ſufficit ſi Iudex illum per duas, aut tres vices illum moneat, vt veritatem, de qua alias interrogatus fuit, liberè fateatur, nec ſinat amplius, ſe tormento cruciari. Ità Carena *n.37.* qui *n.38.* ſubdit, declarādum eſſe; quod reus generaliter eſt interrogandus non in ſpecie, quando Iudex extra torturā non habet ſemiplenam probationem, & in tortura pluſquam ſemiplenam. Quia tunc poteſt reum interrogare in ſpecie; an tale delictum commiſerit: ità tamen vt prius in genere, & mox in ſpecie id faciat; vt docent Scaccia *de iudicijs, lib.* 1.*c.*86.*n.*38.*& ſeq.*Farinacius *nu.97.* & alij, quos ipſi citant.

Quando reus in renunciatione defenſionum ſe remittit benignitati, & miſericordiæ S.Officij, cenſetur ne fateri delictum?

30 RESp. quod, vel hæc remiſſio fit in iudicio coram Iudice, ſedente pro Tribunali, & vtique per eam inducitur confeſſio delicti commiſſi abſque reuocatione. Nec Iudex neceſſitatur, ad illam reuocandam, ob gratiam, & miſericordiam ei faciendam. Vel hæc remiſſio fit extraiudicialiter, & tunc non intelligitur facta delicti confeſſio. Ita Carena *par.3.tit.*3.§.19.*n.*95. Qui etiā ait ità fuiſſe deciſum à Sacr.Congreg. vt teſtatur Anna Senior ..1. *de vaſſall. decrepitæ ætatis, n.*57. Hæc tamen confeſſio, quoniam non eſt explicita, ſed tacita, non eſt ſufficiens ad reum condemnandum.

Confeſſio minoris, inquiſiti in S.Officio, eſt ne illi præiudicialis, ſi fiat ſine Curatore?

31 RESp. negatiuè, ſiuè talis confeſſio ſit ſpontanei comparentis, ſiuè inquiſiti, ſiuè ſit iuramento firmata, ſiuè ſit ratificatio poſt torturam. Ità docent Monticellus *in praxi crimin.regula* 10.*n.*17. Royas *de hæret. par.* 2.*n.* 318. Pegna *in direct. par.3. comment.* 28.*verſ.Hoc tamen*, Vmbertus Locatus *in praxi inquiſ.ver.Curator*, Guazzinus *to.* 2.*lib.*1.*defenſ.*30.*c.*4.*n.*21. Diana *to.* 5.*tr.*11.*reſ.*31.*ex par.*4.*tr.*6.*reſ.*31.Qui omnes affirmant, quod in hoc S.Tribunali minori 25.annis inquiſito, dandus omninò eſt Curator, cuius auctoritate defendatur: ne vel ob imperitiam, vel ob iuuenilē ætatem, aliquid taceat, vel dicat, quod ſi fuiſſet probatum, vel non dictum, prodeſſe ei poſſet. Et in inſtructione S. Inquiſitionis Madrilianæ ann. 1561.*c.*25. cautum eſt, vt refert Pegna: *Si reus fuerit minor viginti quinque annis, priuſquam accuſationi reſpondeat, ſibi*

ſibi dabitur Curator, cuius auctoritate ratificabit confeſſiones factas, & formabitur totus proceſſus: Sed Curator non ſit ex Officialibus Sancti Officij, & poteſt eſſe Aduocatus eius, vel qualibet alia perſona, grauis, fidelis, & bonæ conſcientiæ.

32 Si quid verò minori geſtum ſit abſque huius Curatoris auctoritate, id ipſo iure irritum eſt, & nullum, *l. Clarum, Cod. de auctor. præſtan.* Corneus *conſ.* 198. *lib.* 4. Afflictus *deciſ.* 208. Alexander *conſ.* 115. Gomez *to.* 3. *de delictis, c.* 1. *n.* 64. Et Monticellus *loc. cit.* quē ſequitur Diana, ait. Si minor ſit reus; Iudex debet ei dare Curatorem, aliàs proceſſus nullus eſt; & ſi minor confiteretur, etiam ſpontè ſine Curatore, talis confeſſio ei non noceret. Immò ſi diceret ſine Curatore Iudici: Non me torqueatis, quia iuro omnia confiteri; talis confeſſio, facta etiam cum iuramento, non præiudicabit ipſi minori. Hæc Monticellus, & alij penès ipſum. Sed in aliquibus locis, vt refert Diana *loc. cit.* conſuetudo eſt in contrarium, quàm non improbat Eymericus à Roſbach. *in pract. crimin. tit.* 5. *c.* 21. *n.* 3.

33 Eſt etiam notandum, quod minor cogi non poteſt in iudicio S. Inquiſitionis: vt ſibi nominet in Curatorem aliquem de Officialibus Inquiſitionis. Quia zelus talis Officialis præiudicare poſſet minori. Sic Doctores communiter, qui citant inſtructionem Toletanã anno 1561. *n.* 25. Neque minor poteſt, ſibi nominare in Curatorem proprium parentem: quia iſte, propter affectum paternum, præſumitur parum ſincerus; & ſic ſeruatur in praxi. Quamuis in contrarium ſentiat Gomez *lib.* 3. *var. c.* 1. *n.* 64.

Quomodo ab Inquiſitore examinandę ſunt Lamiæ, ſeu Maleficæ?

34 RESP. cum Carena *par.* 2. *tit.* 12. *n.* 212. quod in prima audientia eas interrogare debet: An ſciant, vel præſumant cauſam ſui examinis: deindè de inimicis, & cauſis inimicitiarum: quis fuerit earum Confeſſarius: quomodo frequentauerint Sacramēta, & ſimilia; vt de earum vita, & moribus notitiam recipiat. Mox in ſecunda, & alijs audientijs; An ſciant aliquod ſortilegium, & ad quem effectum: An vnquã eo vſæ fuerint. Et ſi negauerint, poſſunt eis fieri alias interrogationes in genere, paulatim obijciendo ea, quæ conſtant in proceſſu, ſuppreſſis ſemper nominibus, & cognominibus teſtium, & circumſtantijs, ex quibus ille poſſent in teſtium cognitionem venire. Ità etiam aduertit P. Maximus *in praxi S. Officij, p.* 7. *fol.* 179. Qui etiam addit ſi maleficę apoſtaſiam fateantur, & quod iuerint ad ludos diabolicos; diligenter debet eas Inquiſitor interrogare ſuper omnibus circumſtantijs; quæ ſi in iudicio ſint verificabiles, curare omninò debet, vt quantum fieri poteſt verificentur.

Si Lamia, vel ſortilegus, vel quiuis alius confiteatur factum hæreticale; ſed neget intentionem, eſt ne ab Inquiſitore cenſendus hæreticus?

35 RESP. affirmatiuè, ſi factum hæreticale fuit ſpontaneum. Quia ſatis conuincitur de mala intentione, conuictus de ſpontaneo facto hęreticali: Factum enim malum, ex mala intentione factum eſſe, ſupponitur: *cap.* 1. *de præſumptionibus.* Confirmatur, quia ſi ex negata intentione ceſſaret negatio hæreſis ex verbis, vel factis hæreticalibus, aperta eſſet via omnibus hęreticis, vitandi condemnationem: cùm omnes ſe excuſare poſſent, abſque mala intentione verba illa protuliſſe, & facta præſtitiſſe. Hoc autem videtur abſurdum. Ergo dicendum non eſt, hanc fallaciã ei patrocinari poſſe. Ità docent Ioannes Royas *de hæret. par.* 1. *n.* 276. *& nu.* 573. Albertinus *de agnoſc. q.* 8. *n.* 12. *qu.* 32. *n.* 17. *q.* 34. *nu.* 57. Symanchas *in cathol. inſtit. tit.* 13. *n.* 16. *& in Enchirid. titul.* 29. *n.* 8. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſput.* 8. *punct.* 10. *nu.* 6. Torreblanca *de magia, lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 49.

36 Cantera autem *in qq. crimin. rubr. de hæret. c.* 1. *dub.* 6. *n.* 69. Pegna *in ai-*

rect.par.2.comment.59.§. Quod ſi non, Lazarius *tr. de blaſphem.q.6.nu.*13.Iacob de Graffis *in deciſ.par.1.lib.2.c.5. n.*15. affirmant; quod ſi reus,ſiuè confeſſus tantum,ſiuè conuictus,& confeſſus, de facto hæreticali intentionem neget; torquendus ſit ſuper intentione. Et idem dicendum affirmant Royas *loc.cit.n.306.*& Albertinus *q.*8. *nu.*12. *q.34.n.*52.*&* 53.*& q.36. nu.* 18. ſi aliquis confiteatur non facta, ſed verba hæreticalia dixiſſe, & neget intentionem:tanquam de hæreſi ſuſpectus, poteſt ſuper intentione torqueri.

Lamiæ, & ſortilegæ dicentes, feciſſe maleficia,vel ſortilegia, ignorantes eſſe contra fidem: debent ne Inquiſitores eis credere, & admittere talem excuſationem?

37 RESP. Quod quamuis in foro cōſcientiæ ignorantia,etiam craſſa, immò,& affectata, quæ ſit cauſa erroris, excuſet à peccato hęreſis,cui excommunicatio aliæque pœnæ ſunt impoſitæ: iuxtà ſententiam Azorij *par.* 1. *lib.1.cap.14.q.9.& lib.8.c.8.q.4. & c.9. q.*8. Aragonij 2.2.*q.*11.*ar.*1.*verſ.Propter hæc argumenta,*Bannes *art.2.verſic. Sed quæret quis,* Coninch *diſp.*18.*dub. 7.concluſ.*4.*&* 5. Suarez *diſp.*19.*ſect.*3. *n.9.&* 18. Farinacij *de hæreſi, q.*179.*n. 29.&* 30.Quia cùm ignorantia, etiam affectata,quæ ſit cauſa erroris, non ſtat pertinacia, contradicendi Eccleſiæ auctoritati,quæ requiritur in peccato hæreſis. Tamen in foro externo, & iudiciali, errans in fide, ſi alleget ex ignorantia erraſſe, ei non creditur: ſi error commiſſus, ſit in his, quæ quis ex officio ſcire tenetur,& ſcire nolit, vel quæ paſſim, & communiter omnes illius qualitatis ſciunt. Ità Souſa *in aphoriſ. Inquiſ.lib.2.c.12. nu.*14. Caſtro Palaus *par.1.tr.4.diſp.3.punct.2.n.*5. Carena *par.2.tit.1.§.*11.*n.*68. Menochius *conſ.* 82.*n.*75. Farinacius *de hæreſi,q.*179.*nu.* 27.*&* 28.Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.27.rubr.de fide cathol.n.*13. Pegna *in direct.par.1.q.7. comment.22. verſic. Sit ſecunda regula,*vbi ait. Qui errat in his,quæ ſunt fidei ignorantia affectata, & præſertim in his,quæ ſcire debet,aut ſcire præſumitur:hæreticus eſt cenſendus. Nàm qui ignorantia affectata errat:ex malitia propria, & animi iniquitate errare putatur. Et *verſ.Tertia regula*, addit. Qui errat ex ignorantia craſſa, & ſupina in his, quæ fidei ſunt, ac ſcire debet,nec probabile eſt,ea à fidelibus, vel à ſuæ conditionis hominibus ignorari: hæreticus etiam cenſendus eſt.

38 Notandum ignorantiam affectatam eſſe illam,qua quis nō vult ſcire, quod ſcire tenetur, vt liberius,& abſque cōſcientiæ contradictione operetur.Craſſam,ſeu ſupinam eſſe,qua quis ignorat, quod communiter omnes ſui ordinis ſciunt,& nullam diligentiam adhibet, ad illud ſciendum; quæ ignorantia dicitur indirectè voluntaria:ſicut affectata dicitur directè voluntaria, vt communiter Doctores docent.

CAPVT XXII.

De Indicijs, ex quibus reus torqueri poteſt in Tribunali S.Inquiſitionis.

Quid,& quotuplex ſit indicium?

1 RESP. Quod indicium dicitur ab indicando; & à Syluestro *verb. Indicium,n.*1.deſcribitur,quod ſit medium intellectuale,veritatis eliciendæ, inſurgens ex aliqua circumſtantia ſingulari:ità ex *l.Indicia,Cod.de rei verit. & ex l.fin. Cod.de probat.*Vel dicendū, vt aiunt Souſa *lib.2.c.25.*Farinacius *de indicijs,& tortura,q.36.num.*35. & alij: quod indicium ſit ſignum demonſtratiuum rei geſtæ, inducens Iudicem in cognitionem delicti. Vel vt ait Carena *par.3.tit.10.§.1.n.4.*cum Baldo *in l.Nō hoc, Cod.Vndè cognati,* quod ſit: coniectura ex probabilibus, & non neceſſarijs orta, à quibus poteſt veritas abeſſe,

ſe, ſed non ſimilitudo veri, quæ quandoque mentem Iudicantis, ità arctat, & conſtringit, vt cogat eius conſcientiam, ſecundùm eam iudicare. Vel tādem vt alij dicunt: Indicium eſt omne id, ex quo aliquo modo colligi poteſt, quiſnam ſit criminis auctor.

2 Diuiditur autē indicium, quod aliud ſit indubitatum; quia ità arctat mentē Iudicis; vt non poſſit contrarium arguere. Aliud dubium, quod non ità arctat mētē Iudicis: quod nō poſſit inclinare in partem oppoſitam. Ità Farinacius *loc. cit.* Carena *par. 3. titul. 10. §. 2. n. 5.* Cantera *in ſuis quæſt. crimin. tit. de probat. c. 2. q. 6. n. 1.* & alij. Inſuper aliud eſt indicium proximum, quod reſpicit veritatem delicti immediatè per proprium ſenſum viſus, vel auditus, iuxta exigentiam delicti. Vt E. g. Ego vidi Titium adorare Idolum, vel auribus meis illum audiui blaſphemantem. Aliud eſt remotum, quod non indicat ſubſtantiam delicti, ſed circumſtantias, ob quas deuenitur in delicti agnitionē. Huiuſmodi ſunt, confeſſio delinquentis extraiudicialis, fama, dictum ſocij criminis, vel mandatarij, conſuetudo delinquendi, & ſimilia. Ità Farinacius *n. 44.* Souſa *in aphoriſm. inquiſ. lib. 2. c. 39. n. 16.* Carena *nu. 6. & 7.* & alij communiter. Item indicium aliud eſt leue, ex quo raro, & non facilè infertur crimen, & à nonnullis dicitur ſuſpicio coniecturalis: Aliud eſt graue, & vrgens, ex quo delictum facilè, & frequenter deduci ſolet. Aliud grauiſſimum, ex quo ferè ſemper delictum deducitur; quia frequentiſſimè fieri ſolet. In particulari verò quænam ſint indicia leuia, quæ grauia, & quæ grauiſſima, cùm dari nō poſſit certa regula, relinquitur arbitrio Iudicis. Ità Maſcardus *lib. 1. q. 10. num. 17.* Farinacius *de indicijs, & tortura, qu. 36. n. 110. & 118.* Souſa *lib. 2. c. 23. à n. 11.* Eymericus *in direct. par. 2. q. 55. n. 1.* Pegna *ibi, comment. 80. & par. 3. comment. 110. litt. H. verſ. Quinta regula*, & alij.

Sortilegus, vel Lamia, vel quilibet reus, ex indicijs indubitatis; poteſt ne damnari ad pœnam ordinariam, vel ſolum ad torturam?

3 Reſp. diſtinguendo, inter delicta occulta, & difficilis probationis; & non occulta, quæ faciliter probari poſſunt: item inter Tribunalia Suprema: & Iudices inferiores: & inter pœnā mortis, & alias pœnas corporales; vt fuſtigationis, triremium, & pecuniarū. Si enim loquimur de non occultis delictis, & facilis probationis, non poteſt reus, ob indicia indubitata pœna mortis, nec alia corporali puniri; ſed neceſſariò probandum eſt delictum contra reum: quia ad hoc requiruntur probationes certiſſimæ, & luce clariores. At indicijs ſemper ſubeſt aliquod dubiū. Ità Caſtrenſis *in conſ. 299. nu. 3.* Gregorius Lopez *in l. 26. tit. 1. gloſ. 4. partit. 7.* Carena *par. 2. tit. 12. §. 2. nu. 262.* & alij, quos iſti citant.

4 Si verò loquimur de delictis atrocibus, occultis, & difficilis probationis; quale eſt crimen hæreſis, & ſortilegij, & lamiarum, iterum eſt diſtinguendum. Quia vel loquimur de Iudicibus Supremis, vt eſt Sacra Congregatio Vrbis Romæ: & certum eſt, poſſe in hoc delicto, & ſimilibus ex indicijs indubitatis, pœna corporali, ac etiam mortis, reos punire: vt probat Carena *loc. cit. n. 263.* Vel loquimur de Iudicibus, & Inquiſitoribus inferioribus; & iſti non poſſunt ex indicijs indubitatis, ſortilegum, vel lamiam, & hæreticum damnare in pœnam ordinariam vltimi ſupplicij: ſed benè poſſunt ad torturam, vel ad aliam pœnam extraordinariam: vt ait ibidem Carena *n. 264.*

Quænam indicia proxima, & quænam remota ſunt ſufficientia ad torturā?

5 Reſp. Quod regulariter vnicum indicium proximum, ſufficit ad torturam: quia, vt ſupra dictum eſt, indicium cùm ſit per ſenſum viſus, vel auditus: vt exigitur ad agnitionem delicti, indicat immediatè veritatem, & facit

cit ſemiplenam probationem ipſius delicti: & ideò etiam ſi vnicum ſit, ſufficit ad torturam. Remota autem indicia plura requiruntur ad torturam: quia non indicant immediatè veritatem delicti: ſed per circumſtantias, & per iſtas peruenitur ad delicti notitiam. Ità docent Bartolus *in l.fin.nu.6.ff. de quæſt.* quem ſequuntur communiter Doctores, quos refert Farinacius *de indic.& tort.q.37.n.45.& ſeq.* Guazzinus *de defenſ.reorum, defenſ.30.c.4.n.12.* Peguera *in praxi, c.12.§.9.n.8.* Præſidens Abauo *in tract.reatuum, qu.19. num.21.* & alij.

6 Sed Clarus *in q.64.n.14.verſ.Cæterum*, ſuſtinet, etiam ex vnico indicio remoto, poſſe reum torqueri à Iudice. Quod limitat Cantera *in ſuis quæſt.crimin.c.2.de probat.per teſtes, q.1. rubr. de indicijs ſufficientibus ad torturam, n.61. dub.19.* quem ſequitur Carena *par. 3. tit.10.§.4.n.18.* tunc ſolum vnicum indicium remotum ſufficere ad torturam, quando facit ſemiplenam probationẽ; quia ex Gloſſa communiter recepta *in l.Si quis, ff.ad l.Iul.Maieſt.* & ex Bartolo *in l.Maritus, & l.fin.ff.de quæſt.* Ea quæ in ciuilibus faciunt ſemiplenam probationem in criminalibus ſufficiũt ad torturam. Vnicum autem indicium remotum non ſemper facit ſemiplenam probationem, & conſequenter, neque ſemper dare poteſt Iudici ius ad reum torquendum. Æquitas enim non patitur; vt quis tàm graui tormento ſemper vrgeatur, pro indicio remoto; quod vt plurimum leue reputatur: & ità etiã docent Farinacius *loc. cit.* Seraphinus Freitas *in addit.ad tract.de Confeſſ.ſollic.q.4.n.25.* Miranda *de ordin. iudic.to.2.q.26.ar.4. concluſ.4.* Diana *tom.5.tr.11.reſ.4.ex par.4.tr.6.reſ.4.* & alij.

Huiuſmodi indicia, vt ſufficiant ad reũ torquendum, debent ne per duos teſtes probari?

7 RESp. Quod ſi indicia ſint proxima, & illorum teſtis ſit omni exceptione maior, ſufficit, vt probentur per vnicum teſtem; vt patet cum communi ſenſu omnium Doctorum. Si verò indicia ſint remota, debent ſaltem per duos teſtes probari, qui ſint omni exceptione maiores, & conteſtes in ſuis indicijs: quia indicia remota, vt dictũ eſt; vt plurimum ſunt leuia, nec indicãt immediatè veritatem delicti, nec delictum ipſum; ſed tantum illius circumſtantias: & ideò teſtes, qui deponunt de huiuſmodi indicijs remotis, debent eſſe plures, vel ſaltem duo omni exceptione maiores; & deponentes de ijs, quæ animum Iudicis ſuadere poſſint, reum verè deliquiſſe. Ità Farinacius *loc.cit.& de hæret.q.185.n.146.* Maldonadus *conſ.9.par.1.n.6.* Giurba *conſ.87. nu.29.* Diana *to.5. tr.11. reſ.4.& 5.ex par.4.tr.6.reſ.4.& 5.* Carena *par.3. tit.10.§.6.n.25.* Cyriacus *controuerſ.forenſi 106.n.41.* Guazzinus *defenſ.30. c.31. n.3.* & alij quamplures apud eoſdem.

Si plura indicia remota ſint contra reum, & plures etiã teſtes; ſed omnes ſingulares, deponentes vnus de vno indicio, & alter de altero, & ſic de cæteris, ſunt ne ſufficientia ad torturam?

8 RESp. Quod, vt ſupra dictum eſt, indicia remota, vt ſufficiãt ad torturam, debent ſingula per duos ad minus teſtes, omni exceptione maiores, & conteſtes probari: ſed quãdo ſunt plura, quam duo indicia, & plures teſtes ſingulares, omni exceptione maiores: tunc Iudex obſeruare debet, an indicia ſint inter ſe diuerſa, & valdè à delicto remota, vt e. g. ſi delictum ſit homicidium Petri, & vnus teſtis deponeret de fama, quod Titius illum occidit; alter de inimicitia, quæ erat inter mortuum, & Titium, & alter de fuga Titij. In hoc caſu non poſſet Titius torqueri: quia teſtes ſunt ſingulares, & deponũt de indicijs valdè à delicto remotis. Quãdo verò teſtes ſingulares ſunt omni exceptione maiores, & deponunt de indicijs non valdè à delicto remotis. Vt

c.g.

e. g. vnus deponeret vidiſſe Petrum vulneratum in terra iacentem, qui aſſeruit, ſe à Titio vulneratum fuiſſe: alter deponeret vidiſſe Titium, cum gladio ſanguinolento fugientem: & alter vidiſſe eundem Titium ſe abſcondẽtem: vtique Iudex poſſet Titium torquere: quia teſtes, quamuis ſint ſingulares: tamen deponunt de indicijs, non valdè à delicto remotis, & ad eundem finem tendentibus. Ità docent Farinacius *de indic.& tort.q.37.n.38.& de hæreſi, qu. 185.n.145.* Giurba *conſ.87.n.29.& 30.* Souſa *in aphoriſm.inquiſ.lib.2.c.39. nu. 20.* Vmbertus Locatus *poſt praxim inquiſ.q.35.* Freitas *in addit.ad tract.de Confeſſ.ſollicit.q.22.n.20.* Albertinus *de agnoſcend. aſſert.cathol.q.25.n.20.* Layman *lib.3.ſect.5.tr.6.c.4. n.7.* Diana *to. 5.tr.11.reſ.5.ex par.4.tr.6.reſ.5.* Carena *par.3.tit.10.§.6.n.26.*

9 Qui Doctores etiam docent, quod cùm teſtes ſingulares, qui deponunt de indicijs remotis, sũt plures quàm duo, & omnes omni exceptione maiores, & plura ſint indicia, poterit reus, prudenti arbitrio Iudicis, torqueri, vt ibidem notat Diana.

10 Notat etiam Carena, *n.27.* quod vbi Iudex procedit ad torturam ex pluribus indiciis, probatis per plures teſtes ſingulares, omni exceptione maiores; tunc debet maximè temperare arbitrium ſuum, & reum valdè moderatè torquere: cùm procedat ad actum grauiſſimi præiudicii, ex probatione priuilegiata, ex pluribus indicijs non plenè probatis. Et ità etiam docuit Giurba *conſ.87.n. 30. in fin.* Guazzinus *de defenſ.reorum defenſ.30.c.32.n.1. verſ.Et iſto caſu.* Qui etiam addit: Facilius poſſe, ad torturam procedere ex huiuſmodi indicijs, non plenè probatis, Iudices ſupremi, quàm alij inferiores.

Depoſitio vnius teſtis, omni exceptione maioris, eſt ne indicium ſufficiens ad torturam, non ſolum inquiſiti malæ famæ, ſed etiam bonæ famæ?

11 Reſp. Si reus ſit malæ famæ, & teſtis ſit omni exceptione maior, ſufficiens indicium eſt ad torturam. Quia communiter Doctores affirmant: vnum talem teſtem, etiam in criminalibus, facere ſemiplenam probationem; & per conſequens indicium ſufficiens ad torturam; quamuis nulla alia indicia concurrant. Ità docent Eymericus *par.3.direct.q.61.n.5.* Pegna ibi, *comment.110.litt.G.* Romanus *conſ. 451.n.4.* Clarus *in pract.crimin.qu.21. verſ.Si vnus teſtis,* Gomez *to.3.var.reſol.c.13.n.7.* Cantera *in quæſt.crimin.c. 2.de probat.per teſtes, q.1.nu.5.* Ludouicus Peguera *in praxi, c.12. §.9.nu.7.* & alij quamplures, quos citat, & ſequitur Diana *to.5.tr.8.reſ.6.ex par.4.tract.6. reſol.6.*

12 Aduertunt autem Rolandus à Valle *vol.3.conſil.2.n.38.* Burſatus *lib.1.cõſil.37.* Maceratus *variar.reſol. lib.3.reſ. 44.caſ.4.* quamlibet maculam, & minimum defectum impedire, teſtem eſſe omni exceptione maiorem; & non probare indicium eſſe ad torturam; quia teſtis omni exceptione maior eſt ille, cui nihil opponi poteſt.

13 Si verò inquiſitus ſit bonæ famæ, vitæque integræ, vel talis qualitatis, vt facilè delictum præſumi non poſſit; ad illum torquendum, non ſufficit vnicus teſtis, etiam ſi ſit omni exceptione maior; ſed neceſſe eſt, vt alia etiam indicia probentur; quia tortura eſt pœna grauiſſima, quæ non eſt imponenda alicui bonæ famæ, niſi delictum ſit pluſquam ſemiplenè probatum. Ità Symanchas *de cathol.inſtit.tit.65.n.23.* Sanchez *cõſil.lib.6.c.3.dub.15.n.3.* Sanctarellus *de hæreſi, c.41.dub.1.n.1.* Decianus *tom.1. lib.5.c.36.n.6.* Souſa *in aphor.inquiſ.lib. 2.c.39.nu.17.* Pegna *loc.cit.* Zanardus *in direct.Theol.par.3.c.95.* Diana *vbi ſup.* & alij.

14 Contrarium verò docet Petrus Caballus *in reſol.crimin. cent.1.caſ.84. nu. 15.* aſſerens, ad torquendum reum bonæ famæ, etiam vnicum teſtem ſufficere. Alias vix poſſet aliquem reum torqueri, quia nullus eſt tàm deprauatæ

vitæ,

vitæ, qui non facilè his temporibus reperire poſſet teſtes, eius bonam famam probantes.

15 Notat etiam ibidem Diana, ſæpius in S.Tribunali vocatus, cõſuluiſſe: poſſe reum malæ vitæ ex vnico texte de viſu torqueri, etiamſi dictus teſtis non ſit omni exceptione maior; & ità etiam affirmant Baiardus *in addit. ad Iul.Clarum, q.21.n.15.* Carerius *in praxi crim. leges obſeruare conabis, num.*110. Menochius *lib.1. de præſumpt. q.*89.*c.6.* & Farinacius *q.37.n.65.*

16 Notandum etiam cum Symancha *n.16.& ſeq.* qui plures citat: Non ſtatim vbi ſemiplenè probatum eſt delictum, veniendum eſſe ad torturam; ſed reo dandam eſſe copiam indiciorum, & cõcedendam dilationem, & appellationẽ, niſi hæc friuola ſit, vt ſe defendat.

Depoſitio ſocij criminis, eſt ne ſufficiens indicium ad reum torquendum?

17 RESp. quod, vel loquimur de crimine excepto, vt de hæreſi, de maleficio, de ſortilegio, de crimine læſę Maieſtatis, vel falſæ monetæ, vel de ſodomia, vel de furto famoſo: vel loquimur de crimine non excepto: ſi primò modo, dicendum eſt, ſufficere depoſitionem ſocij criminis cum iuramento, & iudicialiter factam, ad torquendum reum. Ità docent Cynus *in l.vlt.Cod. de accuſationibus*, Panormitanus *in c.1. de confeſſis*, Leſſius *in lib.2.c.30.dub.5.n.39.* Petrus Caballus *cent.1. caſ.84.n.7.* Antonius Gomez *var.reſol.to.3.c.12.n.18.* Blanchus *in tract. de iudicijs ad leg. fin. de quæſt.n.378.& 379.* & alij. Si verò loquimur ſecundò modo, ideſt de criminibus non exceptis; dicendum eſt: depoſitionem ſocij criminis non eſſe indicium ſufficiens ad rei torturam: ex *l.fin.Cod.de accuſat.& cap. Veniens* 20. *de teſtibus*. Tum quia hic facilè alium nominat, vt illius auxilio, vel priuilegio veniam ſperare poſſit: vel quia ex odio cupit, illum eodem ſupplicio puniri: & tum etiam, quia eo ipſo, quod quis ęſt ſocius criminis, non eſt teſtis omni exceptione maior, vt requiritur ad ſemiplenam probationem, & ad fadiendum indicium ad torturam. Si verò cum dicto ſocij criminis concurrat alia præſumptio, vel aliud adminiculum; tunc erit indicium ſufficiens. Ità docent Didacus Cantera *in quæſt. crimin. c.2. de probat. per teſtes, q.1.nu.57.* D.Thomas *de iuſtitia Iudicis, q.10.concluſ.2.nu.10.* Sanchez *in conſil.lib.6.c.3.dub.15.nu.7.* Syluester *ver. Indicium, n.5. eodem verbo*, Armilla *n.6.* Angelus *n.5.* Tabiena *n.4.* Layman *lib.3.ſect.5.tr.9.c.5.num.7.* Souſa *in aphoriſm.inquiſ.lib.2. c.39.nu.51.* Martinus del Rio *in diſquiſ.magic. append.2.lib.5.q.1.* Diana *to.5.tr.8.reſ.7.ex par.4.tr.6.reſ.7.* & alij.

Quęnam ſunt hæc adminicula, quę requiruntur, vt dictum ſocij criminis ſit indicium ad torturam?

18 RESp. eſſe multa, quorum primũ eſt: ſi cum dicto ſocij criminis concurrant teſtes de auditu: quia licet teſtes de auditu non faciant indicium ad torturam, nec probent, *l.Teſtium, ff. de teſtibus, l.Si arbiter, ff. de probat. c.Licet ex quadam de teſtibus*: tamen cum negari non poſſit, facere aliqualem pręſumptionem; hæc præſumptio, addita depoſitioni ſocij criminis, ęquiualet depoſitioni teſtis omni exceptione maioris. Secundum eſt, quando cum dicto ſocij criminis concurrit fama contra nominatum: quia fama ſupplet defectũ deponentis. Tertium, ſi cum dicta depoſitione concurrat fuga nominati ob eandem dictam rationem. Quartum, ſi concurrat ſtricta amicitia, & intima familiaritas nominati cũ tali ſocio: quia habere cum ſceleratis amicitiam, non leue reddit indicium ad torturam; immò in crimine hæreſis eſt ſpeciale delictum, cum hæretico familiaritatem habere. Quintum, quando concurrit frequens, & ſecreta collocutio inter nominatum, & ſocium. Ità docent Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.2.c.26.n.24.* Antonius Quauedo *lib. de indic. & tort. par.2.c.5.*

2.c.5.*n*.5.Grammaticus *vol.6. n.3.* Antonius de Bellis *lib.1.var.tract.q.26.n.9.* Binsfeldius *in comment. de malef.& math.leg.9. de indic.* §.5. Caſtro Palaus *par.1.tr.4.dub.8.punct.9.n.7.* Diana *vbi ſupra.*

19 Menochius verò *de arbitr. lib.2. cap.* 474.*n*.47.Peguera *deciſ.crim.5.n.33.*& alij exiſtimant; huiuſmodi adminicula, (qualia eſſe debeãt,vt dictum ſocij criminis ſit indicium ad torturam) remittendum eſſe Inquiſitorum arbitrio: qui perpendere debent qualitatem perſonæ nominatæ, & nominantis, & modum depoſitionis; itaut ex illis certò credatur depoſitionem eſſe veram, & nominatum eſſe delinquentem. Et colligitur ex *c.In fidei fauorem de hæret. in 6.*

Depoſitio duorum ſociorum criminis, eſt ne ſufficiens indicium, ad reum torquendum?

20 Reſp. affirmatiuè; dummodò hæc depoſitio ſit cum iuramento, & in tortura facta: ità concludunt Pegna *in direct.par.3.comment.*110.*in append.* Menochius *de præſumption.lib.1.qu.91. n.3.* Clarus *in pract.crimin. §.fin.q.21.* Carena *par.3.tit.*10.§.8.*num.37.& 38.* Peguera *deciſ.crimin.5.n.37.& 38.* Gothofredus *in l.fin.Cod.de accuſat. verbo Ne interrogari*, Cyriacus *controu.80.n.3.* Ciarlinus *controu.forenſ.iudit.cap.*10. *n*.119.Diana *to.5.tr.11.reſ.7. ex par.4. tr.6.reſ.7.* Caſtro Palaus *par.1. tr.4.diſput.8.punct.9.n.7. in fin.* Martinus del Rio *diſquiſ. magic.lib.5.ſect.3. verſ. Ad torturam,& in 2.append.q.1. concluſ.2.* Farinacius *q.185. n.152.* Quia illa duplex depoſitio videtur æquiualere depoſitioni integri teſtis.

Si duo criminis ſocij non ſint conteſtes, ſed ſingulares, eorum depoſitio eſt ne indicium ad torturam?

21 Reſp. quod, vel huiuſmodi ſocii deponunt contra nominatum ſuper diuerſis criminibus, ad vnum minimè tendentibus; vel ſuper diuerſis actibus eiuſdem criminis, ſeu delicti. Si primò modo: Quamuis Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.2.c.39. nu.55.* Clarus *dicta q.21.verſ.Sed pone*, Binsfeldius *de confeſſ.malef.& ſagarum, membr.2. poſt concluſ.6.ver.Primum an teſtes*, & Diana *to.5.tr.8.reſ.7.n.5.ex par.4. tr.6.reſ.7.n.5.* affirment, quod duo ſocii criminis, etiamſi ſint ſingulares, indicium faciunt ad torturam. Tamen Carena *par.3.tit.10.n.41.* Pegna *in direct.par.3.comment.110.in append.verſ.An autem ſocius*, Decius *conſ.*189.*nu*.8.Natta *conſil.*298.*n*.9.Petra *de fideicomm.q.12. num.*325. Guazzinus *de defenſ. reorum, defenſ.32.c.8.n.4.* conſtanter ſuſtinent, dicta duorum ſociorum criminis, ſi non ſint adminiculata, non facere indicium ad torturam; niſi ipſi ſocii ſint conteſtes. Quia teſtes ſingulares tantum probant, quantum vnus, & tantum vnus, quantum mille: iuxtà vulgatam regulam Baldi *in l.Iuſiurandi, Cod.de teſtibus*, de qua latiſſimè Giurba *conſil. crimin.79. nu.24.* & idem docent Farinacius *de indicijs,& tortura,q.45. nu.45.* Præſidens Abauo *de reatibus, q.19.nu.102. & 103.* Adminicula autem, quæ requiruntur, vt dictum duorum ſociorum criminis ſingularium ſufficiat ad torturam; ſuprà notata ſunt. Si ſecundò modo, & ſocii criminis deponunt ſuper diuerſis actibus eiuſdem delicti, tunc faciunt indicium ad torturam: quia re vera deponunt de eodem delicto; & illi actus diuerſi idem delictum inferunt. Ideò ſingularitas depoſitionis talium ſociorum obſtare non poteſt; quin reus torquendus non ſit. Ita docent Giurba *conſil.crim.87.n.29* Præſes Abauo *dicta qu.19.nu.53.* Carena *loc.cit.n.47.*

Depoſitio adminiculata ſocij criminis, qui habet plures defectus, eſt ne indicium ſufficiens ad reum torquendum?

22 Reſp. Quod ſocius criminis, vt faciat indicium, ad reum torquendum, requiritur; vt non patiatur

alium defectum, niſi fuiſſe ſocium, ſeu complicem delicti ipſius delinquentis. Quia ſi alio delicto ſit infamatus, vel ſit criminoſus, vel periurus, vel etiam vilis, abiectus, vel alias inhabilis; tunc eius depoſitio non faceret indicium ad torturam: etiamſi in tortura ſuam depoſitionem confirmaſſet. Ità docent Ioannes Royas *ſingul.* 188.*n.*5. Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.*2.*c.*25.*n.*25. *& cap.* 39.*n.*53. Gigas *de crimine læſæ Maieſtatis,lib.*2.*q.*7.*n.*7.Menochius *de arbit. lib.*2.*caſ.*474.*nu.*54.Antonius de Bellis *tract.var.lib.*1.*q.*26. *nu.*25. Farinacius *q.*62. *n.*381. *& ſeq.* Maſcardus *de probat.to.*3.*concluſ.*1311.*n.*13.*&* 42. Martinus del Rio *in diſquiſ. magic. lib.* 5. *ſect.*3.*fol.mihi* 711.

23 An autem in caſu hæreſis ſocius criminis, qui alios defectus patitur, faceret indicium ad torturam: negat Ioſeph Seſſe *to.*4. *deciſ. Regni Arag.* 477. *n.*32.vbi ait, licet in crimine hæreſis admittatur ſocius, hoc procedit; quando talis ſocius non eſt ex alio delicto infamatus, & ſic non datur contra eum duplex exceptio, & defectus. Nàm ſicut plura adminicula probant depoſitionem, ſic plures defectus eam deſtruunt. Cuius ſententiæ inhæret Diana cum aliis, *to.*5.*tr.*11.*reſ.*8.*n.*1.*ex p.*4. *tr.*6.*reſ.*8.*n.*1. Sed Martinus del Rio *in dicto lib.*5. *in append.*2. *qu.*17. *fol.mihi* 877.docet. Socium criminis in caſu hęreſis admittendum eſſe; etiamſi alios defectus patiatur. Quia lex criminoſos, & infames admittens, ad teſtificandum in criminibus exceptis, non diſtinguit inter eos, qui vno, vel pluribus criminibus, inuolutus, aut ratione criminum, ſæpiùs infamis notatus ſit. Ergo nec nos diſtinguere debemus. Confirmatur, quia malefici, e.g. plurimis, & hòrrendis criminibus, vt plurimùm ſunt innodati. Et ſi maleficos alijs criminibus carere, neceſſe eſſet; nullus vnquã eſſet teſtis idoneus. Et ità ait Martinus del Rio ſentiendum eſſe: quia Reipublicæ, & iuſtitiæ vtilius eſt. Et pro hac ſententia citat Baianum, Boſſium, & Ludouicum.

Depoſitio duorum ſociorum criminis contra nominatum bonæ famæ, eſt ne indiciun ſufficiens ad torturam?

24 Reſp. negatiuè: quia bona fama talem effectum operatur; vt per eam elidatur illud indicium, quod ex dicto duorum ſociorum criminis, reſultat. Ità docent Grammaticus *conſil.*70. *n.*7.Pariſius *lib.*4.*conſil.*151.*nu.*13. Rolandus à Valle *vol.*1.*conſil.*16.*n.*24. *& ſeq.*Bertazolius *lib.*1.*conſil.*61.*n.*19.Peguera *deciſ.crimin.*5.*nu.* 32.Sed Diana *to.*5.*tr.*11.*reſ.*9.*ex par.*4.*tr.*6.*reſ.*9.Carena *par.*3.*tit.*10.§.8.*nu.*50. Farinacius *q.*37.*n.* 188. hoc remittendum eſſe aiũt prudenti Inquiſitorum arbitrio, quia ſi cõcurrerẽt alia adminicula, & præſũptiones, quæ ſuperarent bonam famam, eſſet omninò nominatus, torturæ ſubijciendus.

Socius criminis, qui nulla præcedente interrogatione, alios complices nominat, facit ne indicium ad torturam?

25 Reſp. affirmatiuè: quia quamuis teſtis, ſpontè ſe offerens examini, ſuſpectus à iure exiſtimatur: tamen eſt diſpar ratio in ſocio criminis; qui ſpontè alios ſocios nominat: quia iſte in noſtro caſu non ſe ſubijcit examini ſpontè, ſicut dictus teſtis, ſed coactè: quia cùm à Iudice, dato ei iuramẽto, imponitur; vt veritatem fateatur ſuper facto, de quo inquiritur, implicitè interrogatur de ſocijs, qui interuenerunt. Ità docent Farinacius *loc. cit. nu.* 189. Iulius Clarus *in pract.lib.*1. *q.*21. Diana *loc.cit.*Bordonus *tom.* 1. *c.*35.*nu.* 16. qui etiam ait. Idem eſſe dicendum, quando ſocius criminis ſpontè comparet: quia, vt exoneret ſuam conſcientiã, tenetur complices fateri, ac ſi in proceſſu ab Inquiſitore interrogaretur. Teſtis autem ſpontè ſe offerens, ad hoc nullo modo tenetur. Et ideò teſtis reputatur ſuſpectus, ſed non criminis ſocius.

Cri-

Criminis ſocius ſi ad ſuggeſtionem Iudicis nominet alium complicem, facit ne contra illum indicium ad torturam?

26 RESp. negatiuè: quia Iudex debet tantum in genere, non autem in ſpecie reum interrogare de alijs ſocijs. Et ideò in caſu dicto nominatio illa nihil nominato nocere debet. Ita docent Clarus *vbi ſup. q.* 21. *verſ. Retēta*, Gilhauſen *in arbore Iud. crim. c.6. p.* 7. *n.* 42. Farinacius *q.* 43. *n.* 132. Carena *par. 3. tit.* 10. §. 8. *n.* 53. & alij.

Criminis ſocius, vt fidem faciat contra nominatos complices, debet ne torqueri: vel ſufficit, vt ipſe eius depoſitionem iuramento confirmet?

27 RESp. Certum eſſe, vt criminis ſocio credi poſſit, illum debere ſuam depoſitionem iuramento affirmare: quia dum deponit contra alium, fungitur vice teſtis: ideòque non eſt ſibi præſtanda fides, niſi cum iuramento. An verò ei credendum ſit, ob ſolum iuramentum, præſtitum abſque tortura: Negat Iulius Clarus *in pract. crimin.* §. *fin. q.* 21. *verſ. Scias etiam.* Quia cum ſocius criminis, ex proprio delicto ſit effectus infamis, non debet, in teſtem admitti ſine tortura. Et idem ſentiunt Hyppolitus Marſilius *conſil.* 109. *nu.* 13. 14. *&* 15. Genuenſis *in pract. Archiep. c.* 68. *n.* 11. Martinus delRio *lib.* 5. *diſquiſ. magic. ſect.* 9. Riccius *par.* 3. *deciſ.* 298. Turrianus *lib.* 2. *deciſ.* 39. *n.* 7. Antonius Quaucdo *de indicijs, & tort. par.* 2. *c.* 5. *nu.* 10. Alphonſus Narbona *in recopil. p.* 2. *lib.* 8. *tit.* 12. *leg.* 2. *gloſ.* 5. *nu.* 39. *&* 40. Zanardus *in direct. Theol. par.* 3. *c.* 94. & Carena *par.* 3. *tit.* 10. §. 8. *n.* 38. Sed ſocium criminis fidem facere contra nominatos abſque tortura, & ſolo iuramento præſtito; & indicium facere maius, vel minus, pro perſonarum qualitate, & criminum circumſtantijs, affirmant Iacobus Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.* 53. *n.* 38. Ioannes Royas *de hæret. par.* 2. *aſſert.* 7. *n.* 155. Pegna *in direct or. par.* 3. *comment.* 113. *verſ. Sed magis mihi placet*, Seraphinus Freitas *in addit. nouiſſ. ad tract. de Confeſſ. ſollicit. q.* 4. *n.* 42. *& ſeq.* Antonius de Bellis *lib.* 1. *var. tract. q.* 26. *n.* 6. Diana *to.* 5. *tr.* 11. *reſ.* 10. *n.* 3. *ex par.* 4. *tr.* 6. *reſ.* 10. *n.* 3. Qui etiam affirmant, poſſe, & debere quandoque torqueri. Quod quando fieri debeat arbitrio Inquiſitoris relinquitur.

Vt ſocij criminis depoſitio, alijs indicijs adminiculata, faciat plenum indicium ad torturam, quid amplius debent Iudices diligenter animaduertere?

28 RESp. Quod debent animaduertere primò, qualitatem perſonæ nominatæ, & ipſius ſocij criminis nominantis, & modum depoſitionis; itaut certò credant, nominatum eſſe delinquentem. Ità Maſcardus *lib.* 1. *de probation. concluſ.* 158. *n.* 3. *& lib.* 3. *concluſion.* 1311. *nu.* 45. Menochius *de arbit. lib.* 2. *caſu* 474. *n.* 58. Farinacius *q.* 43. *n.* 177. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *punct.* 9. *n.* 7. Secundò, an inter ſocium criminis, & ab eo nominatum, adſit inimicitia, vel odium: quia inimicorum dictis nulla fides eſt adhibenda: facilè enim, mentiuntur. Ità Giurba, qui alios latiſſimè cumulat *conſil. crim.* 13. *n.* 7. *verſ. Ad torturam*, Farinacius *q.* 89. *nu.* 102. Cantera *in ſuis quæſt. crim. c.* 2. *de probat. per teſtes in rubr. de indicijs ad torturam, n.* 16. & alij communiter. Tertiò, conſiderare debent, an ſocius criminis aliquem nominet, ſpe gaudendi impunitate, conceſſa, vel à lege, vel ſpeciali Principis ædicto; quia tunc, cum falſa dicere, præſumi poteſt. Ità docent Farinacius *q.* 43. *n.* 192. Cyriacus *controu. foren. tom.* 3. *controu.* 488. *n.* 47. Giurba *conſ. crim.* 22. *n.* 29. Riccius *in collect. p.* 8. *collect.* 1562. Carena *loc. cit. num.* 55. Quartò, quod ſicut dicta ſociorum criminis, nominatos modis ſupradictis afficiunt, ità, & eorum exculpatio multũ reis

reis prodeſſe debet: ità contra Menochium *de arbitr.Iud.caſu* 474.*n.*13.dixerunt Farinacius *dicta q.*43.*n.*12.Pręſes Abauo *in tract.reorum*, *q.*19.*n.*16. Carena *vbi ſup.n.*57.& alij.

Socius criminis in cauſa fidei quiſnam dicitur?

29 RESp.dici primò, qui mandat, ſeu committit maleficium, vel ſortilegium, vel aliud crimen: vt ex *c.Ita planè* 23.*qu.*4. Secundò, qui particeps eſt eiuſdem maleficij, vel ſortilegij, vel alterius criminis, vt notat Archidiaconus *in cap.Quicumque de hæreticis in 6. verſ.Nec te moueat*. Tertiò, qui delinquentibus fauet; vt patet *in l.Quoniam liberi*, *C.de teſtibus*, & ibi Gloſſa, & Salycetus. Quartò, qui eſt criminis cauſa, vel occaſio; vt qui aliquem induceret, ad maleficium, aut ſortilegium faciendum: quia ei cooperaretur, ad illud crimen committendum, vt ibi notat idem Salycetus.

Mala fama, præbet ne indicium ſufficiens, vt Inquiſitores reum torquere poſſint?

30 RESp. Malam famam ſolam non eſſe indicium ſufficiens, ad torquendum reum: quia multitudo hominum credula, facilè ſequitur dictũ vnius: & quàm maximè proni ſunt homines, ad malum ſuſpicandum, credendum, & publicandum. Ità Gloſſa *in c. Qualiter, verb.Et famam de accuſat.& cap.Cum in iuuentute, cum Gloſſa, verb. Sequitur de purgatione canonica*, Bartolus *in l.Milites, Cod.de quæſt.* Panormitanus *c.*1.*num.vlt.de purgat.canon.* Angelus *tr.de maleſ.verbo Quod fama, nu.* 41.Eymericus *in direct.qu.*61.*nu.*8.Pegna ibi, *comment.*110.*verſ.Primum ergo*, Clarus §.*fin.q.*21. *verſ.Fama ſola*, Giurba *conſil. crimin.*43. *nu.*18. *&* 19. Carena *par.*3.*tit.*10.§.10.*n.*64. Caſtro Palaus *par.*1. *tr.*4.*diſp.*8.*punct.*9. *nu.*9. Diana *to.*5.*tr.*11.*reſ.*13.*ex par.*4. *tr.* 6. *reſ.*13.& alij communiter.

Vt maleficus, vel ſortilegus, vel quiuis alius de hæreſi ſuſpectus, ob malam famam torqueri poſſit, quæ requiruntur?

31 RESp. requiri, vt talis reus ſit vilis, & infamatus, & quod mala fama non ſit orta à maleuolis, aut leuibus hominibus, ſed ab honeſtis, & fide dignis, & per teſtes idoneos probata, nec ſatis eſt, vt teſtes dicant; hanc eſſe publicam famam, niſi etiam rationem addant; qua id neceſſariò concludant. Ità Symanchas *tit.*65.*n.*37.Sanchez *cõſil.lib.*6.*c.*3.*dub.*15.*n.*19. Sylueſter *verbo Indicium, qu.*4. *& eodem verbo*, Angelus *n.*4.Armilla *nu.*5. Tabiena *nu.*3. Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.*2.*c.*39. *n.*59. Diana, & Pegna *loc.cit.*

Mala fama vehemens, eſt ne ſufficiens indicium ad torturam abſque alijs adminiculis?

32 RESp. quod Petrus Binsfeldius *in comment. de maleſ.& math. leg.* 9.*de indicijs*, §.6. & Petrus Caballus *in reſol.crimin.cent.*1.*caſ.*84.*nu.*14. exiſtimant; malam famam vehementem de ſe ſola non eſſe ſufficiens indicium ad torturam. Sed communis ſententia Doctorum eſt in contrarium: nempè famam vehementer malam ſufficere ad torturam. Ità docent Farinacius *q.* 47. *n.*28.Menochius *de præſumption. lib.*1. *q.*89.*n.*52.*& conſil.*788.*n.*27. Miranda *de ordin.iudic.to.* 2.*q.*26.*ar.*5.*concluſ.*1. Peguera *deciſ.*17.*n.*16. Aldouinus *conſil.*26.*n.*2.Pegna *vbi ſup.*Carena *par.*3. *tit.*10.§.10.*n.*75.Giurba *conſil.*87.*n.*21. *& conſil.*13.*n.*18.& alij.

Quonam modo Iudex agnoſcere poteſt, malam famam eſſe vehementem?

33 RESp. Quod Iudex, vt agnoſcat, malam famam eſſe vehemennon ſolum animaduertere debet, quod rumor de reo, per maiorem partem

Col-

Collegij,aut Viciniæ,vel Vniuerſitatis, in quo ipſe commoratur,ſparſus fuerit. Sed animaduertenda eſt cauſa, vndè talis fama orta ſit. Et ideò ſi fama ortum habuit à mille perſonis, & nulla apparet cauſa, vndè talis fama orta ſit; non eſt vehemens,nec habenda in conſideratione, nec eſt indicium ad torturam. Et ſimiliter fama non dicitur vehemens, quando illa ortum habuit à perſonis inhoneſtis, & non fide dignis; & numerus aliorum teſtium bonorum minimè ſupplet illorum inhabilitatem in probatione famæ. Igitur tantum eſt dicere, famam vehementem facere indicium ad torturam, quantum dicere, famam adminiculatam,ad torturam indicium facere. Et conſequenter ſupradictas ſententias inter ſe non pugnare. Ità explicat Symanchas *tit. 65. nu. 37. malam famam vehementem eſſe ſufficiēs indicium ad torturam.* Ac etiam Pegna *par.3.direct̄or.cemment.* 110. *verſ.Verū hæc,& ſeq.* Cantera *in quæſt.crimin. c.2. de probat.per teſtes,q.*1.*n.*2.Bertazolius *vol.*1.*conſil.*213.*n.*3.Pitignanus *in practic.crimin.par.3.c.7.in addit. lit.B.* Michael Zanardus *in direct. inquiſ.par.3. c.95.* Diana *to.5.tr.*11.*reſ.*13.*ex par.*4. *tr.6.reſ.*13.

Mala fama illius, qui ob alia crimina eſt malæ vitę, & deprauatis moribus præditus, eſt ne indicium ſufficiens ad torturam?

34 RESp.affirmatiuè,qui enim deprauatos habent mores,facilius in errores, & hæreſes incidūt, quàm alij qui rectam vitam ducunt: & præſertim in illis erroribus, qui oriuntur ex eo vitio,in quo ſunt irretiti. Sic ad venerem multum procliues,facilius inducuntur,ad credendum,fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum: Et ideò aduerſus tales ob ſolam malam famā legitimè probatam, poterit Inquiſitor, ad torturam procedere. Ità docent Pegna *par.3.comment.*110.*ver.Ad hæc ſola fama*,& alij,quos ipſe citat,Peguera *deciſ.*17.*nu.*13. Carena *par.3. tit.*10.§. 10.*n.*78.

Bona fama inquiſiti, tollit ne indicium malæ famæ contra eundem?

35 RESp.Pegueram *in dicta deciſ.*17. *n.*13.Laurentium *deciſ.Aueniōnis* 20.*n.*13.opinari,bonam famam alicuius in genere tollere malam famam eiuſdem in genere, & præſumptionem ex ea reſultantem. Sed Gilhauſen *in arbore Iud.c.6.p.5.n.*136. Farinacius *q.* 47.*nu.*193.Carena *loc.cit.nu.*78. & 81. docent opinionem magis probatam eſſe, quod non obſtante probatione bonæ famæ in genere,non tolli malam famam in genere, ſed aliqualiter tantum diminui. Et ità etiam aſſerit Boſſius *de inquiſit.nu.* 35. Et ideò non eſt inutilis probatio bonę famę,vt reus leuius torqueatur, vt ibidem notat Farinacius *n.* 192.Igitur probata bona fama in genere pro reo ex indicijs ſufficientibus, etiam ipſe torquendus eſt;quamuis leuius.Alias facillimè poſſent rei tormēta euadere; vt cum nonnullis alijs Doctoribus notat Gilhauſen. Probatio autem bonæ famæ in genere, non tollit indicia ſpecialia contra reum exiſtentia: vt probat Clarus *q.60. verſ. Frequens etiam.* Et probatio malæ famæ in genere,auget ſuſpicionem delicti ipſius inquiſiti,dummodò ſit in eodem genere delicti,iuxtà regulam: ſemèl malus ſemper præſumitur malus in eodem genere mali. Ità Farinacius *num.*199. Gilhauſen *n.*143.Peguera *loc.cit.*Carena *n.*82.& alij.

Mala fama alicuius criminis, de quo reus alias fuit infamatus, eſt ne indicium ad torturam?

36 RESp.affirmatiuè; quia fama præcedens adiuncta poſteriori,iſtā auget,& dum illa fortificatur nouo adminiculo præſenti, facit vehementem præſumptionem;itaut torqueri poſſit;vt docet Clarus *qu.*21. *nu.*1. Thomas del Bene *tom.*1.*de offic.inquiſ.dubit.*192.*ſec.* 40.*petit.3.n.3.*

Mala

Mala fama quomodo probanda eſt;vt ſit indicium ſufficiens ad torturam?

37 RESp.probandam eſſe, primò per duos teſtes ad minus:vt docēt Gloſſa *in cap.Deus omnipotens* 20.*q*.21. *& in l.3.§.Eiuſdem,ff.de teſtibus*,Bartolus cum nonnullis alijs *in l.De minore, §.Plurium,ff.de quæſtion. nu.*19. Clarus *q.6.n.*12.Farinacius *q*.47.*n*.210. Carena *par.3.tit.*10.*n.66*. Secundò requiritur,vt dicti duo teſtes ſint omni exceptione maiores: quia cum fama ſit indicium valdè remotum; eius teſtes, vt fidem habeant, debent eſſe omni exceptione maiores. Ità cum Canoniſtis *in c. Qualiter* 24.*de accuſat.*Maſcardus *de probat.lib.*2.*concluſ.*749.*n*.73. Miranda *q.26.n*.95.Farinacius,&Carena *locis citatis*,Diana *to*.5.*tr*.8. *reſ*. 13. *ex par*.4. *tr*.6.*reſ*.13.Tertiò,quod dicti teſtes nominent perſonas, à quibus delictum audierunt: quia cum fama,vt plurimū, ortum habeat ab incerto auctore:*c.Veſtra de cohabit. Cler.* vt probet,neceſſe eſt, quod nominentur perſonæ, à quibus fama delicti ſparſa, audita fuit. Ità Farinacius *q*.47.*nu*.229.*&* 330.Miranda *n*.98.Carena *n.67*.Diana *vbi ſupra.* Qui etiam docent perſonas nominatas debere eſſe bonæ opinionis, & famæ, qui deponere debēt, ſe audiuiſſe à maiori parte viciniæ, vel loci: quia multiplex rumor populi inducit famam: vt ait Gloſſa in *c. Cum in tua* 27. *ver.De plano,de ſponſalibus*. Quartò, quod interrogati de quiditate famæ, debeant reſpondere,quid illa ſit:quia nemo poteſt deponere de eo,quod ignorat. Verum ſufficit rudis cognitio, iuxtà capacitatem teſtium, non enim tenentur reſpondere per terminos iuris. Ità Scaccia *de iudic.cap*.84.*n*.32.Carena *loc. cit. n*.72.& alij.

Mala fama, orta poſt carcerationem rei, ſi ſufficienter probetur, eſt ne indicium ſufficiens ad torturam?

38 Reſp.negatiuè: quia tunc fama non præſumitur orta ex veritate delicti: ſed ex illo actu carcerationis; quæ ſicut nō eſt indicium ad torturam; ità neque fama, quæ ex ipſa orta eſt. Ità Giurba *conſil.*91.*nu*.44. Carena *par.3. tit.*10.§.10.*n*.73.& alij,quos ipſe citat.

In delictis occultis, & difficilis probationis, ſola fama facit ne indicium ad torturam?

39 RESp. affirmatiuè; & ſic teſtatur Clarus *q*.21.*verſ.Fama circa medium*,ità paſſim vidiſſe obſeruari, & idem docent Farinacius *q*. 47. *num*.11. Giurba *conſil*.13. *nu*.18. vbi alios citat Gilhauſen *in arbore Iudic.c.6.p.5.n.*27. Peguera *deciſ*.17.*n*.17.Carena *vbi ſup. nu*.77.Aduertendum verò eſt,an fama hæc ortum habuerit à maleuolis. Quo caſu ait Carena *nu*.68. quod nihil probat. Sed contrarium affirmat Scaccia *dicto c*.84.*n*.31.

Si teſtis dicat ſe audiuiſſe: ità publicè dici;vel ità eſſe publicam vocem,& famam: eſt ne admittenda talis teſtificatio, vt ſufficiens ad torturam?

40 RESp.Pegueram *deciſ*.17.*num*.25. Paulum Granatum *theor*.22.*n*.6.Burſaum *lib*.1.*concluſ*.90.*n*.6.& alios, quos citat Maſcardus *de probat. lib*.1. *concluſ*.496.*nu*.19.*& lib*.2. *concluſ*.749. *n*.4.*&* 5. affirmare huiuſmodi teſtificationem admittendam eſſe, vt ſufficientem ad reum torquendum. Sed hæc sētentia intelligenda eſt, quando teſtes adducerent cauſas,& coniecturas veriſimiles, ex quibus ortum habuit talis fama. Quia alias non probarent famā; dicendo tantùm,ſe ità publicè dici,audiuiſſe; vel ſic eſſe publicam vocem,& famam. Et ideò Bartolus *in l.de minore,§.Plurium,nu*.12.& ibi Marſilius *nu*.54.*in fin. ff. de quæſt.* Nauarrus *in tractatu de fama,& infamia,cap.Non ſunt audiendi* 2.*q*.3.*n*.13.*&* 14. Symancha *tit*.65. *n*.37. Miranda *de ordin.iudic.to*.2.*qu*.26.*ar*.5. *concluſ*. 2. Farinacius *vbi ſup*. & alij docent: non ſatis eſſe, quod te-

teſtes dicant,ità eſſe publicam famam, niſi etiam rationem reddant; quare id neceſſariò concludant. Et ſi teſtes, etiã non interrogati, dum deponunt ſuper famam,debent exprimere cauſas,indicia,& coniecturas,quibus orta fuit fama,aliter non probant.Et ità etiam affirmant Carena *par.3.tit.*10.§.10.*n.*67. & alij.

Si teſtes,deponentes ſuper mala fama, eſſent diuerſi, in nominibus perſonarum, à quibus illam audiuiſſent, vel in tempore,& loco auditus;probarent ne contra reum?

41 RESp.Si vnus teſtis diceret ſe audiuiſſe, e.g. à Titio,& Seio; & alius à Marco,& Caio: & vnus diceret ſe audiuiſſe menſe Aprilis in platea:alter menſe Auguſti in Palatio N. probarent malam famam: quia eorum teſtificatio in eundem finem dirigitur· & quamuis videantur teſtes ſingulares: tamen ſingularitas non obſtat probationi famæ, quæ non variatur, quoad ſubſtantiam; ſed tantum quoad circũſtantias accidentales. Ità colligitur ex *l.Ob carmen*, §.*fin. ff. de teſtibus*, & ità docent Bartolus in *l.de minore*, §.*Plurimum*,*n.*24.*ff.de quæſt.* Innocentius *in c. Qualiter,& quando.verb. Et famam de accuſation.*Pegna *in direct.par.3.comm.* 19.*verſ.Rurſus ſi teſtes*,Carena *n.*69.& alij. Similiter ſi teſtes non conueniant in cauſa ſcientiæ. Quia videlicet vnus dicit: Scio; quia ab eo audiui, vel audiui à talibus. Et alius dicit: Scio;quia ab hoc ortum eſt ſcandalum in vicinia. Tamen quia omnes iſtæ cauſæ in eundem finem diriguntur, verè probant famam, aut infamiam. Quia vt teſtes probent famã ſatis eſt,ſi dicãt, ſe audiuiſſe, aut à talibus,aut à talibus publicè dici. Ità cum Innocentio, & Pegna *verſic. Præterea loc.cit.*

42 Notandum etiam cum eodem Pegna: famam de aliquo in eo loco eſſe quærendam, in quo ille verſatur, vel verſatus eſt: iuxtà Textum *in l.De minore*,§.*Plurimum*,*ff.de quæſtionibus*, vbi dicitur: Cuius exiſtimationis quiſque in Ciuitate ſua eſt.

Fama,& vnicus teſtis, faciunt ne indicium ad torturam?

43 RESp.affirmatiuè;quia, vt ait Eymericus *in direct.par.3.qu.*61. *n.*3.vnus teſtis,& fama dicuntur, facere ſemiplenam probationem: & ideò dum ſimul concurrunt,pleniſſimum faciunt indicium ad torturam. Ità ſatis apertè probat Textus *in c. Præterea de teſtibus*, Gloſſa *in l. 3. verb. Conuictus, Cod. Ad legem Iuliam Maieſt.* vbi Cynus,Bartolus,Albericus,Baldi, Salycetus, & Doctores communiter; & probat plenè, & efficaciter Antonius Gomez *to. 3.variar.reſol.c.* 13.*nu.*7.*&* 10. Vndè ſi aliquis e.g.ab vno teſte viſus fuerit,imagines Sanctorum conculcaſſe, fregiſſe,aut deleuiſſe:ſimulque orta fuerit fama contra eum de hoc delicto, iſque coram fidei Iudicibus negaret; proculdubio ex dictis illius teſtis,& fama,torqueri poterit. Ac talis quidem doctrina, communis eſt, certiſſima, & tutiſſima: vt affirmant Eymericus *loc. cit.*& Pegna *par.*3. *comment.* 110. *nu.*4.

Criminis confeſſio ipſius rei, extraiudicialis, eſt ne indicium ſufficiens ad torturam?

44 RESp. affirmatiuè, ſi in ipſa confeſſione quatuor circumſtantię concurrant,quarum prima eſt,quod talis confeſſio,ſit veriſimilis, quia nemo præſumitur falſo ſibi crimen imponere. Si autem veriſimilis non ſit, non eſt indicium ad torturam ſufficiens; quia quod inueriſimile eſt habet ſpeciem falſitatis. Secunda, quod confeſſio non ſit generalis, ſed ſpecialis criminis cõmiſſi cum expreſſione loci,& temporis. Tertia, quod non ſit facta iocosè, ſed ſeriò; neque calore iracundiæ: quia hæc nullam habere ſolet veritatem. Quarta, quod ſit plenè probata à duobus teſtibus: quia vnus teſtis deponens de

de indicijs delicti, inſufficiens eſt ad torturam; vt pluribus rationibus probat Antonius Gomez *variar.reſol.tom.3.c.3.rubr.de tortura reorum*, *nu*.18. & ità etiam docent Clarus *in pract. crim. q.22.in princ.* Menochius *de præſumpt. lib.1.præſumpt.89.nu.17.& ſeq.* Pegna *par.3.direct.comment.*110. *verſ. Cæterũ non video*, Carena *par.3. tit.*10. §.9.*nu*.58.*& ſeq.* Diana *to.5.tr.11. reſ.12.ex p.4. tr. 6. reſ.* 12. & alij apud Dianam ipſum.

45 Sed Antonius de Bellis *in tract.variar.lib.1.q.13.n.3.* Boſſius *in tit.de confeſſ. n.*45. affirmant, confeſſionem extraiudicialem non requiri, vt ſit cum expreſſione loci, & temporis; vt faciat indicium ad torturam; quia non videtur veriſimile, aliquem extra iudicium velle, narrare integrum factum commiſſi criminis cum dictis circumſtãtijs loci,& temporis.

Confeſſio extraiudicialis commiſſi criminis ſi non probetur per conteſtes, ſed per teſtes ſingulares, eſt ne indicium ſufficiens ad torturã?

46 Reſp. Farinacium *q.82.n.45.& q.64.n.*145. cum alijs, quos ipſe citat, affirmare huiuſmodi confeſſionẽ, probatam per teſtes ſingulares, non ſufficere ad torturam: quia vtraque illa depoſitio non ęquiualet probationi cõcludenti, factæ à duobus conteſtibus. Sed Souſa *in aphoriſm.inquiſ.lib.2. cap.21.n.*10. Albertinus *de agnoſcen.q.25.n.*20. docent: in crimine hæreſis confeſſionem extraiudicialem ſufficiẽter probari per teſtes ſingulares; itaut vnus teſtis deponat de vna confeſſione,& alter de altera: quia licet vnuſquiſque per ſe ſolum non faceret indiciũ ſufficiens, tamen hæ duæ atteſtationes, ſimùl iunctæ, indicium faciunt ad torturam. Sicut, vt ait idem Souſa *ibid.c.39. nu.*55. Duo ſocij criminis, etiamſi ſint ſingulares, indicium faciũt ad torturam. Sed Caſtro Palaus *par.1.tr.4.q.8.pun.9.nu.*4. hoc admittit quando teſtes ſingulares plures, quàm duo concurrerent ad probandum; & ipſi eſſent probatæ vitæ, & omni exceptione maiores: tunc enim ſufficienter ex eorum depoſitione reus poſſet torqueri. Quia veriſimile non eſt, tot teſtes depoſuiſſe talia, niſi reus culpabilis eſſet. Item cuiuslibet teſtis depoſitio, etſi non concludenter probet indicium; aliquam tamen, ſaltẽ leuem facit præſumptionem; ergo multiplicatis his depoſitionibus, ex illis reſultare poteſt maior pręſumptio, quã ex concludenti probatione vnius tantũ indicij. Ità etiam docent Albertinus *de agnoſcendis aſſertionibus cathol. & hæret.q.25. nu.*20. Clarus *in pract.qu.*21. *verſ.Sed pone*, Farinacius *vbi ſup. n.*38.

Confeſſio extraiudicialis per teſtes probata, ſi à reo negetur, eſt ne indicium ad torturam?

47 Reſp. Quod Menochius *de præſumptionibus,lib.1.q.89. nu.*25. Carrerius *in praxi leg. obſeru. nu.*121. Marſilius *ſingul.* 310. Albertinus *de agnoſcend. aſſert.q.25. nu.*22. Sanchez *conſil.lib.6.c.3.dub.15.nu.*8. & alij aſſerunt; reum reuocantem confeſſionem extraiudicialem, non eſſe torquendum, cùm ſit confeſſio nudi facti. Sed contra hanc ſententiam inſurgunt Iulius Clarus *q.21.n.*112. Petrus Caballus *reſol. crim.cent.1.caſ.81.n.4.* Farinacius *q.82. n.*28. Boſſius *tit.de confeſſ.n.*55. Binsfeldius *in comment. de malef. leg.9. de iudicijs*, §.9. Miranda *tom.2.in ordin.iudic. q.26.ar.7. concluſ.*1. & alij probantes, quod ſi error talis confeſſionis non probetur, ſemper ipſa facit indicium ad torturam; & ità teſtantur de praxi.

Qui factum, vel dictum hæreticale cõfitetur extraiudicialiter, ſed negat intentionem habuiſſe hæreticandi, eius confeſſio eſt ne indicium ad torturam?

48 Reſp. affirmatiuè; ob talem enim confeſſionem poteſt torqueri, vt eius intentionem declaret: dũ actus ex-

externus fuit hæreticalis; & conſequẽter examinandus à Iudice. Ità Albertinus *de agnoſcend. aſſert. q. 36. circa finem*, Symanchas *de cathol. inſtitut. titul.* 52. Pegna *par. 3. direct. comment.* 110. *in append. verſ. Ad hæc ſi factum*, vbi ait. Quicunque ſe iactando, vel gloriãdo, vel referendo, dixit, ſe commiſiſſe aliquid hæreticale; & per teſtes legitimos conſtiterit de eius confeſſione extraiudiciali; vocari poteſt à Iudice, & interrogari; & vbi expediens erit in carcerem mitti, & ſi neget, torqueri poterit ob illam confeſſionem. Hæc Pegna.

Ob confeſſionem criminis extraiudicialem, in tortura iterum confeſſã, & confirmatam, ſed poſt torturam non ratificatam, poteſt ne quis ad pœnam ordinariam condemnari?

49 RESP. Quod Antonius Gomez *to. 3. variar. reſol. n. 8. verſ. 2.* refert aliquos Doctores exiſtimaſſe: quãdo reus in tormento confitetur delictum, confeſſum extraiudicialiter, non requiri poſteà aliam ratificationem. Quia ſufficit illa confeſſio extraiudicialis, quæ præceſſit, vt poſteà plenè probet confeſſio, quæ ſequitur in tormento; vt reus definitiuè condemnetur ſine aliqua alia ratificatione; licet hæc alias ſemper regulariter requiratur. Sed hæc ſententia in praxi obſeruanda non eſt: quia nullo iure nititur; tum quia generaliter lex diſponit: confeſſionem factam in tormentis, ratificãdam eſſe. Et tum quia, cùm confeſſio extraiudicialis iàm ſit operata ſuum effectum; ſcilicet vt ex ea reus torqueri poſſit, non debet alium effectum operari; itaut non requiratur ratificatio. Ità docent Antonius Gomez *loc. cit.* Pegna *par. 3. comment.* 110. *in appẽdic. verſ. Verum*, Martinus Becanus *in 2. 2. D. Thom. de iuſt. q. 67. & de iniuſt. Iudicis, q. 10. concluſ. 2. nu. 9.* Petrus Caballus *in reſol. crimin. cent. 1. caſ. 84. n. 6.* Suarez *de paz in praxi, tom. 1. par. 5. c. 3. §. 12. n. 26.* Diana *tom. 5. tr. 11. reſ. 12. ex p. 4. tr. 6. reſol. 12.* & alij apud ipſum.

Variatio, vacillatio, vultus mutatio, mendacium, rei, dum ipſe Iudici interroganti reſpondet, eſt ne indiciũ ſufficiens ad torturam?

50 RESP. Quod ſola variatio, aut vacillatio, vultus pallor, ac mendacium, non ſunt indicia, quæ ſufficiãt ad torturam: quia ſæpè reis occurrũt, vel ob verecundiam, vel ob pœnæ timorem, vel ob doloris magnitudinem, vel ob futuræ infamiæ recordationem, vel ob Iudicis ſeueritatem. Ideò non probant indicium ad torturam, neque ſignum proximum delicti, ſed tantum remotum. Ad torturam autem requiritur indicium vehemens, vrgens, & luce clarius. Et hanc ſententiam vocat communem Carrerius *in pract. crimin. n. 119. verſ. Quintum indicium.* Vbi aſſerit, ſolam variationem, aut mendacium, aut pallorem, titubationem, trepidationem, & ſimilia, quæ coram Iudice fiunt, non facere indicium ad torturam, ſed quandam ſuſpicionem, cùm hoc ſit indicium remotum. Idem docent Marſilius *in pract. crimin. §. Diligenter, & conſil.* 51. Grammaticus *deciſ.* 34. Pegna *par. 3. comment.* 110. *verſic. Quamobrem*, Caſtro Palaus *par. 1. tr. 4. diſp. 8. punct. 9. nu.* 11. Diana *to. 5. tr. 11. reſ. 15. ex par. 4. tr. 6. reſ.* 15. & quamplures alij, quos ipſi citant.

51 Verùm ſi ipſa variatio, & mendaciũ, alio indicio adiuuetur, tunc erit ſufficiens ad torturam. Ità Eymericus *in direct. par. 3. q. 61. n. 2. verſ. Prima regula*, Farinacius *q. 52. nu. 12. & 29.* Iulius Clarus *in pract. §. fin. q. 21.* Zanardus *in direct. Theol. par. 3. cap. 93.* Leſſius *lib. 2. c. 29. dub. 17. n. 164.* Souſa *in aphor. inquiſ. lib. 2. c. 39. nu. 80.* Miranda *in ordin. iudic. to. 2. q. 26. ar. 12. concluſ. 1.* Cantera *in quæſt. crim. c. 2. de probat. per teſtes, q. 1. n. 20.* & alij.

52 Giurba verò *in conſil. crimin. conſil. 87. n. 26. & 27.* cum multis alijs docet: mendacium ſuper facto principali per ſe

ſe ſolum indicium eſſe ad torturam. Et multò magis,quando plura adſunt mẽdacia, quia vnum ab altero adminiculatur ad torturam.

53 Carena *par.3.tit.*10.§.14.*n.*98. exiſtimat cum nonnullis alijs remittendũ eſſe prudentis Iudicis arbitrio: an, & quando ex variatione,& mendacijs rei oriatur indicium ad torturam,conſiderata qualitate rei, & mendacij:an ſcilicet ſit circa ſubſtantialia, vel accidentalia; an reus incontinenti ſe correxerit, nec ne, & præcipuè an adſint alia adminicula.

Minæ faciendi maleficium alicui, ſunt ne indicium ad torturam?

54 REſp.Si minæ ſint plenè probatæ, & minans ſit potens, & ſolitus eas exequi, & poſt eas intra breue tẽpus maleficium ſequutum fuit: faciunt indicium ad torturam. Secus verò ſi huiuſmodi minæ non habeant dictas qualitates, vel prolatæ ſint ex iracundia,vel ex iactantia, aut ex inconſideratione: tunc non ſunt indicium ad torturam; dummodò non adſint alia adminicula indicantia maleficium. Nã ſi hæc adeſſent; ex ipſis minis, & ſubſequuto maleficio,poſſet quis torqueri:etiãſi nõ eſſet ſolitus ille eas exequi. Ità arg.*l.Metum,Cod.Quod metus cauſa*,Clarus §.*fin.q.*21. *verſ.Minæ*, Præſes Abauo *de reatibus,q.*19.*n.*49.Giurba *conſil.*91. *n.* 34.*& ſeq.*Farinacius *q.* 50.*n.*7.*&* 9.*& conſ.*102.*n.*44. Peguera *deciſ.*17.*n.*11.*ver.Vndè neceſſariò*,Martinus del Rio *lib.*5.*diſquiſ. magic. ſect.* 3. *verſ. Sextum eſt indicium*, Carena *par.*3.*tit.*10.§.13.& alij.

55 Limitanda tamen eſt hæc doctrina, primò ſi offenſus, haberet alios inimicos, præter minantem. Tunc enim debet Iudex,eſſe valdè circumſpectus, & conſiderare; an fortè alius inimicus illum offenderit. Secundò,quando delictum non eſſet ſubſequutum incontinenti poſt minas,ſed poſt notabile tempus, quod Iudicis arbitrio eſt decernendum; qui conſiderare debet qualitatem perſonarum; & an anteà habuerit opportunitatem delicti committendi: vt notat Farinacius *nu.*14.Tertiò,ſi minæ fuerunt ambiguæ, quæ poſſent, indicare vindictam legitimam via iuris. E.g.ſi dixerit, vlciſcar; ſolues, pœnitebit te, non ſic abibis, & ſimilia. Et minator, ſolitus ſit, via iuris ſe vlciſci. Verum ſi conſueuit, ſe vindicare via facti, tunc hæc verba eſſent indicium ad torturam: vt ait Farinacius *nu.* 12. Quartò, conſiderare debet Iudex,an ſubſequutum delictum fuit ſpecificè iuxtà ipſas minas. Nam ſi delictum fuit alterius ſpeciei,nec continetur ſub ſpecie comminata, neque eſt gradus, ſeu præparatio ad illam; vt ſi minæ ſint occidẽdi, & effectus ſequutus fuit vulneratio:eſſet quidem gradus,ad minas occidendi: quia vulnera nequeunt ad certam menſuram dari. In hoc caſu minæ eſſent indicium ad torturam.Secus autem ſi delictum ſequutum eſſet alterius ſpeciei; vt ſi minæ fuerunt vulnerandi,& delictum fuit furti. Ità Farinacius *n.*24. Quintò, ſi minæ non fuerunt abſolutæ,ſed conditionatæ.Nempè faciam tibi hoc, ſi egeris illud; tunc nihil operantur minæ, niſi conditione impleta: Farinacius *n.*32. Sextò, debẽt minæ probari per duos teſtes concordes in qualitate minarum,quamuis ſint diſcordes in loco,& tempore. Farinacius *n.* 40. aliàs ſi eſſent omninò ſingulares,vel eſſet vnicus teſtis,minæ non facerent indicium ad torturam,ſed tãtum ad inquiſitionem faciendam. Septimò, ſi minæ fuerunt reuocatæ animo ſedato, & reuocatio per teſtes probetur, Farinacius *nu.*27. Octauò, ad torturam ſufficerent minæ,ſi perſiſteret ipſarum cauſa,nempè honor læſus, odiũ, vtilitas, aut quid ſimile, & minans habeat conſuetudinem exequendi. Secus ſi cauſa defeciſſet: Farinacius *n.*30.36. *&* 39.& alij,quos ipſe allegat.

Si penès ſortilegum,vel lamiam inueniantur inſtrumenta magica,vel libri, ſortilegia continentes, eſſet ne hoc indicium ad torturam?

Reſp.

56 RESP. affirmatiuè; vt e.g. ſi inueniatur illa cum vnguentis, mēbris humanis, imaginibus cereis tranfixis, & ſimilibus. Quia ſicut, ſi penès aliquem reperirentur inſtrumenta, apta ad monetas tondendas, vel falſificādas, eſſet ille ſufficienter indiciatus ad torturam: vt docent Francus *deciſ.*440. Riccius *par.2. dec.*43. Giurba *conſ.*85. *nu.* 26. Nouarius *in ſuis collectis ſuper Pragm.Regni, collect.* 136.*nu.*12. & alij communiter. Ità ſimiliter dicendum eſt de ſortilego, vel malefico, penès quem reperiuntur inſtrumenta magica. Ità Petrus Binsfeldius *in l. fin.Cod. de malef.& mathem. verſ.Octauum indicium*, Carena *par.2.tit.*12.§.21.*num.* 177. Qui refert ità fuiſſe deciſum à S. Romana Inquiſitione anno 1599. etiāſi nulla alia indicia adſint, hoc ſolum ſufficere ad torturam: vt teſtatur Genuenſis *in praxi Archiepiſc. Neapol. c.* 18.*n.*13.

57 Indicium etiam ad torturam eſt, ſi penès ſortilegum reperiantur libri ſortilegia continentes: vt Clauicula, quæ dicitur Salomonis, Almadel, centum Regum, opus Mathematicum, opera Petri de Abano, & ſimiles. Quia ex talium librorum retentione inſurgit hæreſis ſuſpicio: & ſi retentores ſint malæ vitæ, & malæ famæ, aut alias de hæreſi diffamati, ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti. Sic Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*38.*n.*24. Zanchinus *tract.de hæreticis,c.*7.*n.*7. Petrus Binsfeldius *in comment. l.Culpa, Cod.de malef.& mathem.* Albertinus *tract. de agnoſcendis aſſertionibus cathol.qu.*28.*nu.*25.*&* 26. Pegna *par.2.direct.comment.3. verſ. An autem hæc ſuſpicio*. Martinus del Rio *lib.*5. *diſquiſ. magic. ſect.*17. Genuenſis *in praxi Archiep.Neap.c.*68.*nu.*12. Farinacius *de hæreſi,q.*180. *n.*28. & alij.

58 Notat autem Pegna, quod in hac librorum retentione habenda eſt ratio perſonarum, & librorum, & opus eſt, conſilio, & iudicio peritorum. Nàm fieri aliquando poteſt, vt abſque vlla hæreſis ſuſpicione, huiuſmodi libri penès aliquem reperiri poſſint. Vt ſi illos retinens ſit omninò imperitus, qui eos nec intelligat, nec legere ſciat. Vel ſi quis cum hæreditate, vel mercibus illos ſuſcepit occluſos, nec adhuc ex oluit. Vel ſi libri, licet ab hæreticis ſint conſcripti, nihil tamen contra fidem contineant; ſed tantum, quæ ad grammaticam, vel medicinam, vel ad ſimiles profanas artes ſpectaret. Vel qui illos retineret, eſſet probatiſſimus vir, à quo procul omnis malitia abeſſe putaretur. Hęc Pegna; ex quibus verbis clarè patet, quod retinēs dictos libros, non ſēper eſt de hæreſi ſuſpectus, nec ſēper talis retentio eſt indicium ad torturā.

Si huiuſmodi libros retineret aliquis Iudæus, eſſet ne etiam indicium ad torturam?

59 RESP. Quod quamuis talis prohibitio intelligenda ſit pro fidelibus baptizatis; quia iſti ſolum ſunt Eccleſiæ ſubiecti: tamen Iudæi, qui Chriſtianorum dominio ſubduntur, dictos libros retinentes, incidunt in eaſdem Chriſtianorum pœnas, & puniri debent ab Inquiſitoribus S.Officij, iuxtà Conſtitutionem Gregorij XIII. æ dita anno 1581. quæ incipit: *Antiqua Iudæorum*. Vbi inter cauſas, & caſus in quibus Inquiſitores procedere poſſunt aduerſus Iudæos, recenſuit Pontifex quoque, retinentes libros prohibitos: vt refert Pegna *par.2.comment.3. verſ. Quare prudentiſſimè*. Et ità etiam docent Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.* 35.*rubr.de Iudæis,nu.*11. Farinacius *de hæreſi,q.*180.*n.*10. CaſtroPalaus *par.*1. *tr.*4.*diſp.*8.*dub.*2.*n.*7.

Fuga malefici, aut ſortilegi, vel alterius delinquentis, eſt ne indicium ad torturam?

60 RESP. Aliquando eſſe indicium ad torturam; aliquando verò non. Nàm ſi fuga arripiatur antè accuſationem, vel antè tranſmiſſam inquiſitionem, eſt indicium ad torturam: quia præſumitur capta ob conſcientiam cri-

minis, & ob timorem accuſationis, vel inquiſitionis: vt docent Farinacius *de indicijs,& tortura,q.*48. Peguera *deciſ.* 17.*n.*31.Giurba *conſ.*13.*n.*19. Binsfeldius *in l. fin. Cod. de maleſ.& mathem. verſ.Septimum fuga*:& alij, quos citat, & ſequitur Carena *par.3. tit.*10. §.11. *n.*83. Similiter fuga eſt indicium ſufficiens ad torturam: ſi reus viſus eſſet, exire fugiens,& pallens ab eo loco,in quo inuentus eſt aliquis maleficiatus, vel res malnciata; vt affirmant Martinus del Rio *lib.*5. *diſquiſ. magic.ſect.*4. *verſ.Decimum*,Iulius Clarus *q.*21. *nu.* 38.Farinacius *de hæreſi,q.*65. *n.*48.

61 Si verò fuga arripiatur poſt accuſationem,vel inquiſitionem,tunc non eſt indicium ſufficiens ad torturam; niſi comitetur alijs adminiculis: Quia talis fuga non præſumitur capta,ob conſciẽtiam delicti, ſed ob timorem moleſtiarum,& vexationum,quæ ex inquiſitione,& carcere oriuntur. Ità Carena *ibidem,n.*84.Peguera *deciſ.*17.*n.*32.Giurba *n.*20.Maſtrillus *deciſ.*296.*n.*230.*& ſeq.*Similiter non eſt indicium ſufficiẽs, quando aſſignari poteſt aliqua cauſa, ſaltem colorata illius fugæ: vt affirmãt Peguera *loc.cit.n.*35. Farinacius *qu.*48. *n.*36.Carena *n.*86.& alij.

62 Fuga autem è carcere, etiam ſi ſolũ ſit attentata, animo non redeundi, nec accedendi ad Superiorem, vtique eſt indicium de delicto, ſufficiens ad torturam; vt docent Souſa *in aphor. inquiſ.c.*26.*n.*34. Farinacius *qu.*30.*nu.*85. Diana *to.*5.*tr.*11.*reſ.*14.*ex par.*4. *tr.*6. *reſ.*14. & alij. Secus verò ſi quis è carcere arriperet fugam, cum proteſtatione accedendi ad Superiorem, & ad illum verè accederet; etiamſi carceres frangeret: quia non dicitur fugere, qui ad Superiorem vadit: ille enim dicitur fugitiuus, qui malitioſè fugit, *l.fugitiuus* 225.*ff.de verb.ſignificat.*Recurſus autem ad Superiorem non eſt vitioſus, cùm iura illum concedant: vt affirmat, & latiſſimè probat Maſtrillus *dec.* 296. *n.*22.*&* 29.& Carena *n.*86.

63 Torqueri etiam poteſt, qui quomodocunque fugam arripuit, etiam poſt accuſationem,& inquiſitionem; ſi cum eius fuga coniungatur aliud indicium, nempè fama, communis ſuſpicio, vel aliqua alia coniectura,ſeu præſumptio. Ità Iulius Clarus *qu.*21.*nu.*18.*pract.§. fin.*Gomez *tom.*3.*var.c.*13.*nu.*10. Maſcardus *de probat.lib.*2. *concluſ.*819.*nu.* 4.& alij.

64 Qui fugam arripuit, & citatus comparet,abſtergit omnem ſuſpicionem,vt notant ſupradicti Doctores, & multò magis ſi ſpontè reuertatur: quia ex ſpontanea comparitione purgatur prę-ſumptio: vt probat Farinacius *qu.*48. *num.*48.

65 Qui quæritur, vt iuſtè in carcerem tradatur, poteſt licitè fugere, ſed non poteſt vim inferre miniſtris iuſtitiæ, dũ ipſum capere volunt. Quia iuſtè captus, poteſt fugere; vtitur enim iure ſuo: at non poteſt vim inferre captoribus, vel cuſtodibus; quia ex parte ipſorum bellum eſt iuſtum, & iuſtè officium capturæ exercent. Ità Sylueſter *verb.Fugere,n.*1.Angelus *ibid.n.*2.Sanchez *conſil.lib.*6.*cap.*4.*dub.*7.*n.*6.

Ex contumacia oritur ne indicium ad torturam contra delinquentem?

66 RESp. Quod Giurba *conſil.*13.*nu.* 22.*&* 24. quem ſequitur Bordonus *tom.*1.*c.*35.*n.*26.affirmat,contumaciam cum ſubſecuta ſententia condemnationis; facere indicium ad torturam; quando inquiſitus non probat ſuam innocentiam: ſed Carena *par.*3. *tit.*10.§.17.*n.*117. ait; quod contumax quandocunque venerit, etiam ſi eius ſtatua fuerit combuſta, eſt audiendus, & admittendus, ad probandam ſuam innocentiam. Sed quamuis concludẽter eam probauerit, adhuc ex contumacia ſola,& ſententia contra eum iuris ordine ſeruato, lata: eſſet arbitrio iudicãtium torturæ ſubijciendus. Quia nimirum eius contumacia, iuncta cum ſententia, ſufficienter præbet indicium ad torturam.

Dictum Dæmonis per Exorciſmos

ex-

extortum,facit ne indicium ad torturam contra Lamiam, vel ſortilegum,ab eo nominatum?

67 REſp. negatiuè; quia Dœmon eſt pater mendacij. Vndè Inquiſitores cautiſſimè procedere debent ob aſſertiones exorciſtarum. Nam in iſtis materijs Exorciſtæ ſæpè falluntur; & niſi ſignum aliquod efficax adducat, non eſt eis adhibenda fides. Ità docent Faber *in ſuo Codice Fabriano, lib.9.tit. de maleſ.& mathem.def.3*.Homobonus de Bonis *de caſib.reſeru.par.2.c.2.verſ. Maleficum veneficium*, Carena *par. 2.tit.12.§.27.n.27.in fin.*

Depoſitiones de viſu duarũ Lamiarũ, atteſtãtium, ſe vidiſſe inquiſitam in earum conuentu dæmoniaco, faciunt ne indicium ad torturam?

68 REſp. negatiuè; quia Lamiæ deponentes de viſu, poſſunt per illuſionem diabolicam decipi; nam licet aliquandò verè ad ludum, & conuentum corporeliter transferantur à Dœmone: Tamen negari non poteſt, quin quandoque etiam decipiantur: & non corporaliter,ſed per illuſionem ipſius Dęmonis,in illo loco, ſeu conuentu, ſe eſſe, opinentur. Et ſic earum depoſitio de viſu poteſt eſſe falſa. Et ideò abſurdum eſſet, dicere, quod ex talibus depoſitionibus oriatur indiciũ ſufficiens ad torturam; cùm huiuſmodi indicia eſſe debeant certa, & luce clariora,non autem dubia, & æquiuoca. Ità docent Symanchas *de cathol. inſtit. tit.37.de lamijs,n.14*.Sigiſmũdus Scaccia *de iudic.ciuil.crimin. & hæret. lib.1. c.82.n.10*.Farinacius *de hæreſi,q.185.n. 151.ver. Aduerte tamen*,Caſtro Palaus *par.1.tr.4.diſp.8.punct.16.§.5.n.2*. Tãnerus *tom.3.diſp.4.q.5.dub. 2*. Layman *lib.3.ſect.5.tr.6.c.15.n.8*. Diana *tom.5. tr.11.reſ.30.ex par.4.tr.6. reſ. 30*. Carena *par.2.tit.12.§.26.& 27.num.226. & 227.*

69 Contrarium ſuſtinent Martinus del Rio *diſquiſ.magic.lib.5.poſt ſect.16. append.2.q.8.per totam*,Binsfeldius *de cõfeſſionibus ſagarum, membr. 2. poſt concluſ.6.dub.2*. Valentia *tom.3.diſp.6.qu. 13. punct.4.§.2.& 3*. Qui affirmant ex huiuſmodi depoſitionibus lamiarum oriri vrgentiſſimum indicium ad torturam. Sed non eſt recedendum à dicta negatiua ſententia; dum illa in praxi ſeruatur in S.Officio., teſte Carena, & Farinacio *vbi ſup.* qui etiam referunt ità fuiſſe decretum à S.Romana,& Suprema Inquiſitione. Et Scaccia *loc. cit.* atteſtatur:quendam ignarum Commiſſarium tormentis ſubieciſſe quandam mulierem ex talibus depoſitionibus; Qui propterea ex decreto Supremę Inquiſitionis, debitas pœnas luit. Addit etiam Scaccia *ibid.* depoſitiones dictarum lamiarum, neque ſufficere, ad inquirendum: & ità fuiſſe à dicta Suprema S. Inquiſitione deciſum; vt refert Carena *dicto n.227.*

Sunt ne alia indicia ad torturam contra Lamias, Sortilegos, & alios de hæreſi ſuſpectos?

70 REſp.affirmatiuè, & primò eſt indicium ad torturam, ſi penès lamiam,vel ſortilegum,reperiatur Chirographum obligationis, inter ſe, & Diabolum: vt notant Zangerius *in tr. de quæſt.& tortura,c.2.n.200*. Faber *in ſuo Cod. Fabriano, tit.de maleſ. & mathem.lib.9.definit.verſ.Sed ſi quod*, Carena *par.2.tit.12.§.23.n.198*.Secundò, ſi lamia, tangendo aliquem, ſtatim ille, vel moriatur, vel afficiatur aliquo morbo. Ità Faber,& Carena *loc.cit.*Tertiò, ſi ſaga, ſeu lamia loquatur cum Dœmone, & aſtantes audiant, ſed non videant Dœmonem reſpondentem:vt ait Ludouicus Gilhauſenius *in arbore Iudic.crimin.c.6.par.7.ſect.2.nu.106*, Carena *nu.195*. Quartò, ſi quis ſe offerat, docere incantationes ad alios: ità Gilhauſenius *ibid.n.103*. Carena *nu.197*. Quintò,inducitur hoc indicium ad torturam contra Iudices, qui negligunt punire maleficos, ad quos puniendos te-

tenentur ex iuſtitia ratione officij: vt ex argumento *c. Qui poteſt 23. q. 3. & c. Negligente 2. qu. 7.* & docent Symanchas *in praxi, tit.* 15. Capycius *deciſ.* 110. *nu.* 67. Martinus del Rio *lib. 5. diſquiſ. magic. ſect. 4. n.* 1. & alij. Sextò, eſt indicium contra habitantes in domo, ſi in ea inueniatur maleficio læſus, vel occiſus aliquis, & conſtet non potuiſſe ab alijs occidi. Quia delictum, in domo factum, præſumitur factum ab exiſtentibus in domo: vt notat Nouellus *in pract. crimin. n.* 102. & 108. Farinacius *de indicijs, & tort. n.* 98. Miranda *q.* 26. *n.* 174. Carena *par. 3. tit.* 10. *n.* 18. Sicut etiam res furto ſublata, inuenta in domo alicuius malæ famæ, facit indicium ad torturam; niſi ille probet, ab alio talem rem habuiſſe; vt inquit Clarus *q.* 21. *nu.* 30. Septimò, indicium ad torturam eſt, ſi quis viſus eſſet fugiens, & pallex exire de loco, in quo inuentus eſt aliquis læſus à maleficio, vel res maleficiata; vt probat Martinus del Rio *loc. cit. verſ. Decimum*, Farinacius *q.* 50. *n.* 55. Ottauò, ſi quis inuentus eſſet cum inſtrumentis maleficij, vel ſortilegij, & in loco delicti, vel valdè propinquo, & quaſi contiguo: hoc indicium eſt valdè proximum, nec indiget alio adminiculo ad torturam: quia concurrunt duo indicia, nempè inſtrumentum, & locus. Si verò eſſet inuentus ſine inſtrumentis; tunc opus eſt ad torturam, vt concurrant aliæ præſumptiones. Ità Farinacius *loc. cit. nu.* 33. Martinus del Rio *ibid. verſ. Decimumſextum.* Nonò, ſpontè patrocinari maleficis, & contédere, non eſſe credendum ad ea, quę de illis certò narrantur, ſed vana eſſe, ac leuia; eſt indicium ad torturam: Martinus del Rio *verſ. Secundum eſt.* Decimò defendere errores ſortilegi, vel hæretici; vt Aduocati, & Notarij, qui ſcienter, & ſpontè, & à Iudice non deputati, ſua defenſione Iudicis officium impediunt: indicium etiam eſt ad torturam: vt colligitur *ex cap. Accuſatus, §. vlt. de hæreticis in 6.* Vndecimò, huiuſmodi delinquentes fauere, receptare, abſcondere, ſi ſcienter hoc fecerint, vel non vi coacti: eſt ſimiliter ad torturam indicium: vt ait Turrecremata *2. par. ſumm. de Eccleſ. lib. 4. c.* 20. Martinus del Rio *verſ. Tertium, & ſeq.* Duodecimò, non denunciare maleficum, vel ſortilegum de hæreſi ſuſpectum Iudicibus: nam qui hoc non faceret, meritò præſumeretur ſocius criminis: argumento fautorum, & receptatorum. Ità dictus Martinus *verſ. Sextum tenentur omnes.*

Leuia indicia contra reum, ſufficiunt ne ad illum torquendum?

71 RESp. negatiuè, quia cum tortura ſit damnum irreparabile, & graue, non eſt inferenda, niſi præcedétibus indicijs grauibus, & vrgentibus, ac legitimè probatis; itaut ſola rei confeſſio deeſſe, videatur: vt patet ex *l. prima, ff. de quæſt. & ex l. Milites, §. Oportet, & l. Cum cognitionaliter, Cod. eodem tit.* & ità etiam docent Souſa *in aphoriſm. inquiſ. lib. 2. c. 39. n. 9.* Sanctarellus *de hæreſi, c. 41. dub. 1. n. 1.* Symanchas *in Enchirid. tit. 52. n. 5.* Diana *tom. 5. tr. 11. reſ. 2. n. 2. ex par. 4. tr. 6. reſ. 2.* Pegna *par. 3. commen. 110. n. 6. in fin.* vbi ait. Ex leuibus autem indicijs, quemadmodum nemo capiendus eſt in hoc crimine, nec in carcerem mittendus, iuxtà veriorem ſententiam: ità nemo eſt torquendus.

Conuerſatio cum hominibus infamatis de eodem genere delicti; eſt ne indicium ad torturam?

72 RESp. negatiuè, quia talis conuerſatio eſt indicium valdè generale, & remotum, tendens potius ad diffamationem, quàm vt per ſe ſit indicium delicti ſufficiens ad torturam. Ità docet Martinus del Rio *loc. cit. nu.* 11. Verum ſi talis conuerſatio eſſet cum hæreticis; dicendum eſt cum Carena *par. 2. tit. 4. §. 7. nu.* 68. quod aliquandò eſt indicium vehemens, ſufficiens ad torturam contra conuerſantem: vt etiã affirmant Royas *in tract. de hæret. par.* 2. *n.* 77. Eymericus *in direct. par. 2. q. 56 nu.* 8. Pegna *comment.* 81. *litt. D.* Farinacius

cius *de hæreſi, q.*182. *nu.*172. & alij. Et aliquandò eſt indicium leue; & ideò conſideranda eſt qualitas perſonarum, loci, temporis, & aliarum circumſtantiarum: prout dixerunt Locatus *in Iudic. in verbo Credentes, n.*2. Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.*11. *nu.*9. & Farinacius *loc. cit. n.*166.

Qui commiſſo maleficio confeſtim inſtat inquiri contra maleficum, quando ad eum hoc non pertinet, dat ne indicium aliquod, eum commiſiſſe delictum illud?

73 Reſp. Si quis commiſſo maleficio, ne ſibi imputetur, confeſtim veniat ad Tribunal S. Officij, & ſollicitet inquiri, & procedi contra delinquentem; cum hoc non pertineat ad eum, ſollicitare, dat indicium inquirendi contra ipſum, non autem ad torturã: quia hæc ingeſtio, & ſedulitas inſtantię ſuſpectum illum reddit de patrato maleficio, non verò ſufficienter indiciatũ: vt exemplis oſtendit Marſilius *in prac. crimin. n.*150. §. *Diligenter*, & Nouellus *in pract. crim. n.*110.

Conſuetudo alicuius peccati, quod nam indicium eſt?

74 Reſp. eſſe ſolum indicium ad inquirendum, non ad torturam, e.g. Si quis conſueuerit frequenter peierare, vel blaſphemare, vel obſceniſſima verba proferre, aut Dœmonem ſępè nominare, & imprecãdo dicere. Rapiat te Diabolus: Exeas indè in nomine Diaboli, & ſimilia. Quia hoc indicium ad malam famam reducitur, vt notat Martinus del Rio *lib.*5. *diſquiſit. magic. ſect.*4. *n.*10. Binsfeldius *comment. in l. fin. verſ. Vndecimum*: & fama ſola ſine alijs adminiculis non facit indiciũ ad torturam: vt aſſerunt Clarus *qu.*21. *verſ. Fama ſola*, Giurba *conſil. crimin. conſ.*43. *nu.*18. & 19. Torreblanca *de magia, lib.*3. *c.*17. *n.*4. Carena *par.*3. *tit.*10. §. 10. *n.*64. & alij, quos ipſe citat.

Malum nomen alicuius, & mala illius phiſiognomia, eſt ne indicium alicuius delicti?

75 Reſp. eſſe indicium, ſed leue: quia malum nomen ob malos mores non eſt ſufficiens ad probandum ſpeciale aliquod delictum: quod nomen illud ſignificat: & ſimiliter mala phiſiognomia, quamuis ſoleant malefici, ac ſortilegi vultum deformem, atq; terribilem habere: quia ſicut tractantes venenum argenti viui, efficiuntur tremuli, ac pallidi: ità tractantes cum Dęmonibus, deformes, & horribiles redduntur: vt notant Eymericus *par.*3. *direct. tit. De ſignis exterioribus Negromãtici*, Carena *par.*2. *tit.*12. §. 21. *nu.*181. Hæc autem indicia dicuntur leuia, & non ſufficiunt ad torturam: quia ſunt inanes præſumptiones, & potius probant, aliquem eſſe malum hominem in genere, quàm maleficum, aut ſortilegum. Et ità ſentiunt dicti Doctores, & Binsfeldius *in commeut. legis finalis, verſ. Vndecimum, nu.*13. Martinus del Rio *lib.*5. *diſquiſ. magic. ſect.*4. *verſ. Vigeſimum.*

Origo ex mala patria, in qua ſint multi ſortilegi, & natus ex malefica matre, quodnam indicium eſt?

76 Reſp. Eſſe ſimiliter leue inſufficiens ad torturam, quia ex hoc nimis generalis ſuſpicio deducitur: vt docet Symanchas *de cathol. inſtitut. cap.*30. *n.*8. & 9. Martinus del Rio *ibidem, verſ. Vigeſimum ſecundum.* Leue etiam indicium eſt: ſi quis natus ſit, ex matre malefica, ſeu ſaga, quamuis talis fuerit etiam eius auia, vel ab iſtis parentibus educatus fuerit. Quia licet indicium hoc ſit maius ſupradicto de patria, quia eſt periculoſius, vt patet experientia; Tamen leue ęſtimatur, & inſufficięns ad torturam: quia eſt incertum, niſi alijs vehementibus præſumptionibus iuuetur. Ità docent Martinus del Rio *ibid.* Bodinus *lib. vlt. c.*4. Binsfeldius *loc. cit. n.*15. Carena *vbi ſup. n.*183.

Stigma,

Stigma, ſeu ſignum, quod Diabolus ſuis maleficis, & lamijs, ſolet in aliqua parte corporis imprimere, quodnam indicium eſt?

77 RESP. Quod quamuis Lambertus Dunæus in *Dialogo de ſortiarijs*, & Ioannes Bondino *lib.* 2. *Dæmonomaniæ*, *c.*4. *& lib.*4.*c.*4. hoc indicium approbent, vt indicans ſeruitutem, & ſocietatem cum Dœmone. Tamen Martinus del Rio *verſ.Vigeſimo octauò*, & Binsfeldius *verſ.* 14. leue illud exiſtimant; quia non eſt in omnibus vna, & eadem forma ſtigmatis, & ſigni, nec in eadem parte corporis. In virorum enim corpore ſæpè imprimitur, ſub labijs, ſub axillis, in humeris, in brachijs; & in fœminis etiam in mammis, & mulieribus locis. Et ideò incertum eſt indicium, & conſequenter leue, & ad torturam inſufficiens: quia indicia ad torturam eſſe debent certa, legitima, & à iure canonizata, vt notat Carena *par.* 3.*tit.*10.*n.*184.

Muliercula, quæ vel ratione amoris, aut odij, vel ratione commodi, & vtilitatis cauſam habuit efficiẽdi alicui maleficium; talis cauſa eſt ne indicium commiſſi delicti?

78 RESP. Quod prius conſtare debet de maleficio, & de corpore delicti. Deindè, quia cauſa dicitur illa, propter quam aliquid fit. Si ergò muliercula iſta, de maleficio inquiſita, de ſui natura inclinat ad illam cauſam, ob quam deliquiſſe imputatur: nempè in cauſa amoris, ſi probetur eam eſſe libidinoſam: in cauſa odij, eam eſſe nimis vindicatiuam: & in cauſa cupiditatis, eam eſſe valdè pecuniæ auidã, & auaram: tunc hoc eſſet commiſſi delicti, ac maleficij indicium; & eo magis ſi alius non imputaretur de tali delicto, vel habuiſſe cauſam illud committendi. Ita docent Franciſcus Caſon *de indic. tr.*2. *c.*3.*n.*5.*&* 11.Soccinus *conſ.* 54. *circa fin.lib.*3.Baldus *conſil.*427.*n.*5.*in vltim. vol.*Farinacius *de indicijs, & tortura, q.*52. *nu.*147. Cauſa verò huius delicti probanda eſt in ſpecie, non autem in genere: quia teſtes deponentes in genere, & non in ſpecie, non probant: vt docent Doctores *in cap. Cum oporteat de accuſat.* & dictus Caſon *loc.cit.c.*2.*n.* 5.*&* 6.Farinacius *n.*151. qui etiam affirmant: vt cauſa delicti faciat contra reum indicium, debere eſſe grauem, & non leuem, ac veriſimilem: quia nemo præſumitur, ex leui cauſa delictum graue commiſiſſe: vt ait Maſcardus *de probat.lib.*2.*concluſ.*904.*n.*21.& requiritur etiam, vt reus ſit malę famę, vel aliquid aliud concurrat; vt notant Farinacius *n.* 153.Martinus del Rio *lib.* 5. *diſquiſ. magic.ſect.*4.*verſ.Decimum octauum*, Carena *par.*2.*tit.*12.§.21.*nu.*185.

Inuentio maleficæ in loco infanticidij, vel alterius maleficij, eſt ne indiciũ ſufficiens ad torturam?

79 RESP. Quod ſola inuentio maleficæ in loco maleficij, de ſe non eſt ſufficiens indicium ad torturam, niſi alia concurrant, & pręcipuè mala fama, quod ſit ſolita, ſimilia committere; aut aliud indicium interueniat: tunc erit indicium ad torturam. Alias erit ſolum quædam præſumptio, ſufficiens ad inquirendum, & ad capturam, non autem ad torquendum. Ità Blanchus *in practica criminali de indicijs, num.*301. *verſ.Indicium hoc*, Carrerius *in practic. crimin.in* 2.*tract.de indicijs, & tortura in tertiodecimò indicio, n.*11.*&* 13.Menochius *de præſumpt.lib.* 1.*q.*89.*n.*100. Farinacius *de indicijs, q.*52.*n.*137. Verum ſi inueniatur in loco delicti, vel loco propinquo cum inſtrumentis maleficij, poſſet torqueri: quia tunc concurrunt duo indicia, nempè locus, & inſtrumenta; & eſſet indicium valdè proximum: vt ait Martinus del Rio *lib.* 5. *ſect.*4.*verſ.Decimum ſextum.*

Malefica, vel ſortilegus, ſæpè poſt ſui diffamationẽ, vel complicis capturam,

ram, habitationem mutans, eſt ne indicium ad torturam?

80 RESp. ſimiliter, vt ſuprà, negatiuè, niſi accedant alia indicia; & eo magis ſi probet, iuxtam cauſam migrandi habuiſſe de loco in locum. Ita docet Martinus del Rio *loc. cit. verſic. Vigeſimumſextum*, Carena *par. 2. titul. 12. n.* 183.

Malefica, vel ſortilegus vtens quadam ſanctitatis oſtentatione externa, eſt ne indicium ſui delicti, & ad torturam?

81 RESp. Quod quamuis maleficę, & ſortilegi vti ſoleant quadam ſingularitate, & ſanctitatis oſtentatione, nimirum veſtitu aſpero, diuturna in Templo mora, & ſimilibus: tamen hoc eſt indicium valdè leue, & remotum, & potius probans hypocriſim, quam maleficium, aut ſortilegium. Ità Binsfeldius *in commen. l. finalis, verſ.* 17. Carena *loc. cit. n.* 184. Martinus del Rio *verſic. Vigeſimumprimum.*

Si cadauer ex maleficio occiſi, coram malefico homicida, ſanguinem emittere, incipiat, vel ex naribus, vel ex ore, aut ex alia corporis parte, eſt ne ſufficiens indicium ad torturam ipſius malefici?

82 RESp. Nonnullos Doctores affirmare, hoc eſſe indicium magnum, verum, credibile, & proximum: Tum ob experientiam, quæ eſt rerum magiſtra, *cap. Cum ſit de elect. in 6.* tum etiam à communiter accidentibus: *leg. Neque natales, Cod. de probat. cap. Si Iudæos extra de iudic.* Referunt enim Parides de Put. *in tract. de ſyndic. in verb. Tortura. c. 3. n. 19. verſ. Si occiſus exbibeatur*; Marſilius *in pract. §. Diligenter, num.* 181. *verſ. Et memini me alias*, Boerius Blanchus *de indic. ad l. fin. ff. de quæſt. n.* 408. Carrerius *in pract. in 2. tr. de indic. & tortur. in* 27. *indicio, num.* 2. Nouellus *in pract. crimin. n.* 94. *& in regula* 184. incip. *Sanguis interfecti*, & alij, certum eſſe: per præſentiam occiſoris, cadauer, vel ex vulnere, vel ex naribus, aut ex ore, ſanguinem emittere: & quod iſta ſanguinis emiſſio non prouenit ob incantationem, ſeu ſortilegiũ; ſed eſt quodam à natura inſitum; de quo ratio reddi non poteſt, vt ait præcipuè Boerius. Et Nouellus *in dicta regula* 184. teſtatur: hoc eueniſſe in Ciuit. Venetiarum; dum eſſet Aſſeſſor Clariſſimi D. Federici Raynerij anno 1531. Et idem accidiſſe in multis Italiæ locis. Item Nicolaus Florentinus *ſerm. 5. tract. 1. c. 6.* relatus ab Antonio Gomez *tom. 3. variar. reſol. c. 13. de tortura reorum, n.* 15. etiam teſtatur: quòd ſuo tempore, occiſi cadauer ſanguinem emanauit in præſentia interfœtoris: & ex hoc fuit captus, & tortus, & confeſſus eſt delictum, & diffinitiuè condemnatus. Ledeſma quoque refert anno 1546. vidiſſe proceſſum originaliter, in quo duo interfectores coram occiſo poſiti, ex eius cadauere ſanguis effluxit: & torti, ac confeſſi, fuerunt ad mortis pœnam condemnati. Ex his ergo caſibus, & alijs relatis à Carena *par. 2. tit. 12. §. 22. nu.* 188. & ex Doctorum auctoritatibus nonnulli exiſtimant: ſãguinem emiſſum ab occiſi cadauere, coram occiſore, eſſe grauiſſimum indicium contra occiſorem, & ſufficiens, ad illum torquendum.

83 Sed his non obſtantibus Antonius Gomez *tom. 3. variar. reſol. c. 13. de tortura reorum*, Martinus del Rio *lib. 5. diſquiſ. magic. q. 5. ſect. 4. num.* 20. Ioannes Zangerius *de indicijs, & tortura, c. 2. n.* 160. Ludouicus Gilhauſen. *in ſuo arbore iudiciali criminali, c. 6. p. 7. de quæſt. & tortura, ſect. 2. n.* 78. *&* 79. Gothofredus Abauo *in ſuo tract. de reatibus, q. 19. n.* 54. Matthæus Stephanus *in ſuis quatuor centurijs, quæſt. iuris, centur. 4. q.* 17. Farinacius *de indicijs, q. 52. n.* 156. & alij Doctores docent, verius eſſe affirmare: talem effuſionem ſanguinis, de ſe tantùm, minimè ſufficere ad torturam: & ità in praxi eſſe ſeruandum. Tum

quia hoc indicium eſt nobis incertiſſimum, & ex cauſis nobis incognitis, & valdè remotis proueniens. Tum quia tortura eſt actus grauiſſimi prẹiudicij,& ſtante incertitudine,ſanctius eſt,nocentem impunitum relinquere, quàm innocentem condemnare, *l. Abſentem*, *ff. de pœnis*. Et tum etiam,quia licet indicia ſint arbitraria, debent nobis, eſſe certa, & à iure approbata. Sed iſtud indicium nullo iure, vel cauſa, iuridicè concludente,nobis conſtat. Ergo reus non eſt ex tali indicio torquendus. Et Carena *par.2.tit.12.nu.192.* refert:ita fuiſſe conſultũ,& iudicatum à D. Conſaluo Salamanca in Senato Mediolanenſi 28. Februarij 1636. in contingenti caſu.

84 Notat verò Marſilius *in pract.§.Diligenter,n.181.in fine*, quod ipſe fidem non præſtitit huic indicio, cùm nullo iure probetur: ſed alijs ſuperuenientibus indicijs, talem reum poſteà capi fecit,& ei tortura illata,confeſſus fuit. Vndè fama concurrente, minis, inimicitia,aut alio adminiculo,tunc talis sãguinis effuſio indicium erit ad torturã. Quod etiam omnes ſupradicti Doctores approbant. Quando enim alia adſunt indicia vrgentia, in hoc caſu vtiq; poterit Iudex, contra reum ad torturã deuenire. Et vt ait Carena *nu.193.* aliquandò etiam pro qualitate indiciorũ illum condemnare. Si verò nulla alia adſint indicia, ſanguinis effuſio è cadauere ſolũ ſufficiens erit, ad inquirendũ contra reum,vt *n.192.* ait Carena. Nũquam verò erit indicium innocentiæ, ſi ad præſentiam prætenſi rei, ſanguis è cadauere non exierit.

Potens impedire maleficium, & non impediens, eſt ne indicium ad torturam?

85 RESp. Quod ſi quis tenebatur ſolum ex charitate impedire, & non impediuit: & non adeſt alia coniectura indicans illius cooperationem, circa maleficium, hoc indicium non eſt ſufficiens ad torturam: ſecus verò ſi tenebatur ex officio impedire, & non impediuit: arg. *c. Qui poteſt 23. q. 3. cap. Negligere 2. q. 7.* & ità docent Symanchas *in praxi,tit.15.dec.130.n.7.* Martinus del Rio *lib.5.diſquiſ.magic.ſect.4. num.1.*

Sine legitimis indicijs, poteſt ne quis aliquandò torqueri?

86 RESp. Certum eſſe; indicia debere omninò torturam præcedere,in quibuſcunque caſibus, etiam atrociſſimis, & difficillimæ probationis, vt ſuprà dictum eſt, probatque Farinacius *q.37.n.79.& ſeq.* In aliquibus verò caſibus dari poteſt tortura,non ad eruendam veritatem commiſſi delicti, nam tunc requiruntur indicia,ſed ob aliquã aliam iuſtam cauſam. Et primò,quandò reus non vult,reſpondere Iudici interroganti: tunc dari poteſt tortura, ad extorquendam reſponſionem: vt docét Baldus *in l. Accuſationem poſt n.11. Cod. Qui accuſare non poſſ.* Brunus *in tract. de indicijs,q.5.n.4.* Carauita *ritu 259.n.14.* Miranda *in ordin. iudic. to.2. qu.26. ar.4.concluſ.5.* Gomez *tom.3. variar.c.12.n.5.* Clarus *lib.5.§.fin.q.45.* Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.2.c.39. n.48.* Vmbertus Locatus *in praxi inquiſ. verb. Tortura,§.Et ſcias etiam*, Carena *par.3.tit.10.§.18.nu.119.* & alij, quos allegat,& ſequitur Diana *tom.5. tr.11. reſ.34. ex par.4.tr.6.reſ.34.* Secundò,quãdo reus eſt aſſaſſinus, & aliquem occidit, & inter ipſum,& occiſum, nulla aderat inimicitia,nec occiſionis cauſa,poteſt torqueri, vti mandatarius, ad ſciendum mandantem. Ità Farinacius *q.37.n.154.* Paulus I.C. *in l. Et ſi certus,ff. ad Syllan.* Carena *n.120.* Tertiò, poteſt torqueri Bannitus ad mortem damnatus; vt interrogetur in tortura ſuper alijs criminum ſocijs, & receptatoribus, vt ait Carena *n.121.* Quartò, poteſt torqueri Cuſtos bonorum, ſuper furto bonorum, quorum erat Cuſtos: vt affirmat Farinacius *in dicta q.37.nu.159.& ſeq.* Quintò, poteſt torqueri reus confeſſus, & conuictus, ad extorquendum compli-

plices. Ità adeſt decretum Pij V. ſub die 28. Iulij anno 1569. his verbis: *Inhærendo decretis factis per felicem recordationem Pauli IV. Sanctiſſimus Dominus noſter Pius V. decreuit: omnes, & quoſcumque reos conuictos, & confeſſos de hæreſi, pro vlteriori veritate habenda, & ſuper complicibus, fore torquendos, arbitrio iudicum*: Sic Pius; vt refert Diana *tom. 5. tr. 11. reſ. 27. n. 2. in fin. ex par. 4. tr. 6. reſ. 27.* Sextò, torqueri poteſt, qui ne de commiſſo delicto puniatur, furioſum, vel fatuum, ſe eſſe ſimulat. Vt Iudex agnoſcat, an verè talis ſit. Ità ait Carena *loc. cit. n. 119.* decreuiſſe Senatū Sabaudiæ *lib. 9. ſui Cod. tit. 21. def. 1.*

CAPVT XXIII.

De Tortura Sortilegi, & de hæreſi ſuſpecti.

Quid eſt tortura, & quando inferenda?

1 RESP. Quod tortura eſt corporis cruciatus ad veritatem eruendam, ſeu detegendam, vt aiunt Abbas *c. Cum in contemplatione de regulis iuris*, Gilhauſen. *in arbore iudic. crimin. c. 6. §. 7. n. 1.* Souſa *in aphoriſ. inquiſ. lib. 2. c. 30. n. 2.* & alij communiter. Tortura autē non eſt inferenda in hoc S. Tribunali priuſquam de dicto, aut de facto hæreticali conſtiterit: quia non tam infertur ad inueſtigandum dictum, vel factū, quàm ad detegendam veritatem ex ore ipſiuſmet delinquentis. Nam delictum conſtare debet per ſemiplenam probationem, & per ſufficiēs indicium; vt tortura infligi poſſit: vt docent Frāciſcus Brunus *tract. de indic. & tortur. par. 2. q. 5. n. 10.* Clarus *in pract. crimin. §. fin. q. 64. verſ. Debet autem Iudex*, Pegna *par. 3. comment. 110. verſ. Primum ergo*: & cæteri omnes. Ad torturam autem non eſt deueniendū, quando abſq; illa, plenè probari poteſt delictum: quia vt cum nonnullis Doctoribus probat Pegna *ibid. verſ. Rurſus*; ad torturam non deuenitur, niſi in defectum aliarū probationum: eſt enim ipſa ſubſidium quodam extremum, ad inueniendam veritatem. Vndè potius in delictis occultis, & difficilis probationis: quàm in claris, & manifeſtis tortura infertur: vt patet ex *l. vlt. Cod. de quæſtionibus*. Et ideò quia crimen hæreticale, vt plurimum fit occultè, & in intellectu conſiſtit; in eo frequenter illa locum habet: vt intelligatur, quid reus credat.

2 Verum priuſquam ad illam deueniatur, neceſſariò indicia ſufficientia præcedere oportet. Regula enim communis eſt: non eſſe à tortura inchoandum, *l. 1. ff. de quæſtionibus*. Et hæc eſt ſententia communis: vt teſtatur Iulius Clarus *vbi ſup. verſ. Dixi etiam*. Indicia autem probata eſſe debent, ac etiam legitima, & à iure recepta, vel ſaltem à communi Doctorum voto: vt tradunt Eymericus *3. par. in tertiò modo terminandi proceſſum fidei*, & ibi Pegna, Marſilius *in pract. crimin. §. Diligenter, & in l. 1. §. Item, ff. de quæſt.* Bartolus *in l. fin. n. 7. ff. de quæſt.* & pleniſſimè probat Iulius Clarus *in pract. crimin. §. final. q. 22.*

Epiſcopus ſine Inquiſitore, vel Inquiſitor ſine Epiſcopo Diœceſano, poteſt ne reum ad torturam exponere?

3 RESP. negatiuè; ſed vterque interuenire debet, ſi commodè eſſe poteſt, ad illum condemnandum, vt torqueatur: iuxtà expreſsè prçceptū *in cap. Multorum de hæreticis in Clement.* his verbis; *Tormentis exponere reos, aut ad ſententiam procedere contra eum, Epiſcopus ſine Inquiſitore, aut Inquiſitor ſine Epiſcopo Diœceſano, aut eius Officiali, vel Epiſcopalis capituli Sede vacante ſuper hoc delegato: ſi ſui ad inuicem copiam habere valeant intra octo dierum ſpatium, poſtquam ſe inuicem requiſierint, non valebit. Et ſi ſecus præſumptum fuerit, nullum ſit, & irritum ipſo iure.* Vndè patet, quòd ſi Epiſcopus ſine Inquiſitore, vel Inquiſitor ſine Epiſcopo loci,

reum torqueret: & ille in tortura delictum fateretur, talis confeſſio ei nocere non debet: etiamſi fuerit ratificata, quia eſt omninò nulla. Ità quoque docent Eymericus *par.3.direct. qu.*47. *&* 61. Pegna *comment.* 110. Farinacius *qu.* 186.*n.*67. Diana *tom.*5.*tr.* 11.*reſ.*17.*ex par.*4.*tr.*6.*reſ.*17.& alij.

In cauſis Lamiarum poſſunt ne procedere Inquiſitores ſine Epiſcopis Diœceſanis contra eas ad torturã?

4 RESp. affirmatiuè, ex Conſtitutione Alexandri Papæ, quæ refertur à Pegna *in addit. ad Lucernam Inquiſitorum in tract. de ſtrigibus.* Vbi inter alia ait Pontifex: *Committimus, & mandamus; vt etiam ſoli* (ideſt Inquiſitores) *honeſto tamen comitatu, per vos eligendo, aſſociati, contra eaſdem* (ideſt Lamias) *vtriuſque ſexus perſonas, diligenter inquiratis, eaſque iuſtitia mediante puniatis, & compeſcatis. Et vt melius commiſſionem huiuſmodi exequi poſſitis contra illas, vobis plenam, & omnimodam harũ ſerie concedimus facultatem. Non obſtãtibus, &c.* Ipſe autem Pegna *loc. cit.* notat: tutius quidem eſſe, ac decentius: vt Inquiſitores perindè in cauſis Lamiarum, ac in cauſis hæreticorum procedant, & proceſſus conficiant, requiſitis Diœceſanis, ſecundum iuris diſpoſitionem. Nihilominus tamen ſi ſoli velint procedere, id quidem facere poſſunt; & quod ſoli procedentes fecerint, ac decreuerint, ſiuè condemnando, ſiuè abſoluendo, id validum erit: ſicut conſtat ex præcitata Conſtitutione Alexãdri VI. Ità etiam Carena *par.* 2. *tit.* 12. §.19.*n.*170.

Antequam reus torqueantur, eſt ne ei danda copia indiciorum, expreſſis etiam teſtium nominibus?

5 RESp. Eſſe dandam reo, antequam torqueatur, indiciorum copiam cum dilatione ad ea diluenda, communiter Doctores affirmant. Ità Symanchas *in Enchiridion. tit.*52.*n.*8. Genuenſis *in praxi Archiep. c.*68.*n.*5. Souſa *in aphoriſ. inquiſ. lib.*2.*c.*39.*n.*22. Paramus *de orig. inquiſ. lib.*3.*q.*4.*n.*53. Diana *vbi ſup. reſ.*28. Carena *par.*3.*tit.*10. §.21.*n.* 159. Immò danda eſt reo huiuſmodi copia, etiamſi ab ipſo non petatur, vt docent Hieronymus Laurent. *deciſ. Auenion.* 15. Farinacius *de indic. & tort. q.*39.*n.*90. Carena *ibid.* & alij.

6 Nomina verò teſtium, ei danda non ſunt. Nàm quamuis in *in c. Qualiter, & quando extrà de accuſát.* ſtatuatur, eſſe reo publicanda, non ſolum dicta, ſed etiam nomina teſtium: hoc tamen non procedit in cauſa hæreſis: vt obſeruant Symanchas *loc. cit.* Iulius Clarus *in pract. q.*49. Miranda *in ordin. iudic. tom.* 2.*q.*26.*ar.*14.*concluſ.*1. Et ità decreuit Sacr. Congregatio Cardinalium die 14. Maij 1566. his verbis: *Illuſtriſſimi Cardinales Inquiſitores Generales in Congregatione ordinaria decreuerunt: dari nuda teſtium dicta, prout eouſque obſeruatum fuit abſque nominum publicatione, aliarumque circumſtantiarum, propter quas poſſet deueniri ad ipſorum teſtium notitiam. Et quoad reſponſiones teſtium ſuper rei interrogatorijs pariter decreuerunt; non eſſe dandas, ſi ex illarum publicatione deueniretur in notitiã, quinam fuerint teſtes ipſi.* Et hoc idem, de non publicandis teſtium nominibus in cauſis fidei, ſancitum fuit ab Innocentio IV. in reſcripto, quod incipit: *Cũ negotium fidei*; & ab Vrbano IV. in reſcripto incipiente: *Fræ cunctis*, §. *Quod ſi teſtibus.* Et in Concil. Bitterenſi, *c.*30. & Narbonenſi, *c.*22. & in inſtructione Hiſpalenſi Anno Domini 1484.*c.*16.& tandem à Pio IV. in Breue, quod incip; *Cum ſicut.* Ità notat Pegna *par.* 3. *commẽt.*124. Qui etiam addit. Quod ſi reus inſtaret, poſtularetque, vt ſibi concederetur defenſio, ſecundum iuris ordinẽ, & per conſequens, vt teſtium nomina, ſimul cum dictis eorum ſibi ederentur, audiendus non eſſet. Et ſi ob id grauari ſe diceret, & appellaret: talis appellatio nullo modo eſſet admittenda. Sed ea non obſtante, immò reiecta, tanquã friuola, & iniuſta, ad vlteriora iudicij

acta

acta eſt intrepidè procedendum.

Eſt ne ab Inquiſitoribus admittenda rei appellatio à ſententia torturæ?

7 RESp. affirmatiuè, quia quamuis beneficium appellationis denegetur hæreticis, eorumque fautoribus *in cap. Vt inquiſitionis de hæreticis in 6.* quia appellatio introducta eſt, ne innocentes grauentur: *cap. Ad noſtram de hæreticis.* Hæretici autem in cauſa hæreſis innocentes non ſunt, immò ſunt toti Eccleſiæ nocentes. Et ideò appellatio eis denegari ſemper debet: quando ab Eccleſia per ſententiam declaratoriam tales iudicantur. Et ità communiter omnes Doctores affirmant. Qui etiam docent: pronunciatam ſententiã definitiuam aduerſus hæreticum, poſſe ſtatim executioni mandari, nec opus eſſe, expectare terminum decem dierũ, à iure conceſſum, ad appellãdum: quia ab ipſa appellari non poteſt. Ità Vmbertus Locatus *in iudic. inquiſ. ver. Appellatio, & in verb. Sententia, n. 3.* Royas *ſingul. 179. n. 2.* Decianus *tract. crimin. lib. 5. c. 20. n. 26.* & alij. Quamuis igitur hæreticis appellatio non concedatur ab hæreſis ſententia declaratoria: conceditur tamen à ſententijs, & actibus interlocutorijs: vt teſtantur Eymericus *3. par. direct. rubr. de appellat. nu.* 121. & ibi Pegna *comment. 31. verſ. Ab interlocutorijs,* Farinacius *q. 185. n. 232.* Paramus *de orig. S. Inquiſ. lib. 3. q. 4. n. 60.* Symanchas *de catholic. inſtitut. tit. 9. de appellat. n. 3. & in Enchirid. tit. 65. n. 2.* Carenà *par. 3. tit. 14. §. 1. n. 1. & ſeq.* Et ratio eſt, quia huiuſmodi actus, & ſententiæ interlocutoriæ ordinantur, ad eruẽdam veritatem: vt ex *l. 2. Cod. de appellat. recipiend.* & tradunt Pegna *loc. cit.* Symanchas *in Enchirid. tit. 52. nu. 11. & tit. 65. n. 2.* Farinacius *vbi ſup. num. 139.* Clarus *in §. fin. q. 64. verſ. Sed quid agẽdum.* Tortura datur etiam ad eruẽdã veritatem: & ideò ab illius decreto poteſt appellari. Solum excipiendus eſt caſus, in quo euidẽter conſtet, friuolam allegari cauſam appellationis. Tunc enim reijcienda eſt appellatio, & ad ipſam torturam procedendum: vt probat Textus *in c. Cum appellationibus de appellat. in 6. & in l. 2. ff. de appellat. recip.* & docent Pegna *loc. cit.* Farinacius *de hæreſi, q. 185. n. 235.* & alij.

8 Quando autem appellatio dicatur friuola, remittendum hoc eſſe arbitrio Inquiſitorum; affirmant Souſa *in aphoriſm. lib. 2. c. 35. nu. 6.* Symanchas *in Enchirid. tit. 52. nu. 11. & in cathol. inſtitut. tit. 65. n. 2.* Suarez de Paz *in praxi, tom. 1. par. 5. c. 3. §. 12. n. 81.* Sanchez *in Opuſ. conſ. lib. 9. c. 3. dub. 15. nu. 4.* & alij, quos refert, & ſequitur Diana *tom. 5. tr. 11. reſ. 20. ex par. 4. tr. 9. reſ. 20.* Pegna *par. 3. comment. 31. verſ. Quæ autem.*

9 Farinacius verò *qu. 38. nu. 27.* docet, tunc appellationem friuolam, & calũnioſam eſſe arbitrandam: quando in proceſſu apparent legitima, ad torquẽdum indicia, & illa non fuerunt in termino conceſſo, ad defendendum, purgata. Ità affirmat etiã Scaccia *de iudic. tr. 1. lib. 1. c. 97. n. 85.* & determinatur in inſtruct. Tolet. ann. 1561. *n. 50.*

10 In dubio autem an appellatio ſit friuola, & calumnioſa, ſiuè dubium ſit iuris, ſiuè facti, Inquiſitores ad executionem torturæ procedere non debent; quia in dubio ſemper eſt appellationi deferendum: ex tortura enim oritur præiudicium irreparabile: ideò ſuperſedendum eſt, & expectandum, quod Iudex determinet: an ſit admittenda, vel reijcienda ipſa appellatio: ne periculo exponatur, grauandi iniuſtè innocentem in ijs, quę irreparabilia ſunt. Ità docent Pegna *par. 3. comment. 31. verſ. Quædam autem,* Farinacius *q. 38. n. 30.* & inſtructio Toletana ſupradicta.

11 Notat etiam Pegna *ibid. verſ. Num autem*: Quod appellatio ab interlocutorijs, ſiuè à grauamine, quo reus ſe grauari dicit, duo præcipuè continere debet. Primum eſt grauamen, à quo appellatur, *cap. Cum ſit Romana extrà de appellat.* Alteram cauſa, per quam grauamen impugnatur, quæ in appellatione exprimi debet, *cap. Vt debitas,* & *c. Cum cauſam extrà de appellat.* Si quis

ergo

ergo ſimpliciter diceret: appello à tali interlocutoria: talis appellatio non valeret: quia in ea nulla grauaminis cauſa exprimitur. Similiter ſi quis appellaret, cauſam ſolum in genere, non ſpecificè proponendo: dicens: appello à tali ſententia interlocutoria; quia eſt iniuſta: huiuſmodi appellatio non eſſet valida; quia talis expreſſio, propter nimiã generalitatem, pro non facta habetur: arg. *l. Si in rem, ff. de rei vendit. & l. Prætor dixit, ff. de iniur.* In appellatione igitur ità exprimenda eſt cauſa, vt ex inſpectione tenoris appellationis concludatur euidenter, appellantem fuiſſe grauatum; & vera ſint, quæ in appellatione continentur. Ità Bonifacius in *Clement. Appellanti de appellat. nu. 27. & ſeq.* Pegna *loc. cit.*

12 Ab interlocutoria ſententia appellari poteſt in cauſis fidei in Italia ad Sac. Congregationem Cardinalium Romanæ Inquiſitionis: in Hiſpania ad Inquiſitorem Generalem: In alijs verò partibus ad Summum Pontificem. Si ſententia ab Inquiſitore ſolum lata ſit: à delegato ad delegantem appellatio eſt facienda: ex *cap. Super quæſt. §. Porrò de officio delegati, ff. de appellat. & l. Præcipimus, §. Huic, Cod. de appellat.* Inquiſitor autem Sedis Apoſtolicę eſt delegatus. Si verò lata ſit ſententia interlocutoria ab Epiſcopo, & Inquiſitore ſimul, etiam ad Sedem Apoſtolicam appellatio facienda eſt, quia vt Delegati Sedis Apoſtolicæ procedunt.

13 Quando autem Epiſcopus ratione officij, & ex iure ordinario, aduerſus non exemptos procedit. In hoc caſu Pegna *dicto comment. 31. uerſ. Hæc poſtrema aſſertio,* Farinacius *q. 185. n. 240.* exiſtimant, ad Sedem Apoſtolicam etiã eſſe appellandum, cuius eſt cauſas graues terminare: qualis eſt cauſa, quæ ad fidem ſpectat. Caſtro Palaus tamen *p. 1. tr. 4. diſp. 8. punct. 7. n. 6.* affirmat, non carere probalitate, in tali caſu appellari poſſe ad Metropolitanum, vel ad Pontificem, ſicut in alijs cauſis, iuxtà *c. Si duobus de appellat. c. Quoties, & c. Ad Romanam 2. q. 6.* Neque obſtat Textus *in c. Maiores de Baptiſmo,* vbi deciditur cauſas graues, non niſi Pontificis auctoritate, terminandas eſſe. Quia iudicare de legitima appellatione, & de cauſa, ob quam appellatur non eſt ita grauis, quæ Pontificis auctoritatem expoſtulet. Alias neque in prima inſtãtia ab Epiſcopo iudicari, & terminari poſſet. Si enim controuerſia eſſet: an hoc, vel illud de fide ſit: huius quæſtionis terminatio, ad Pontificem ſpectaret, vtpotè ſummè Eccleſiæ neceſſaria. At quando controuerſia eſt: an aduerſus fidem hic deliquerit; quæ potius eſt quæſtio de facto, quam de iure; deciſio illius non eſt ità Eccleſiæ neceſſaria, quæ non poſſit ab alijs, præter Pontificem decidi. Hæc Caſtro Palaus.

14 Inquiſitor, appellationem admittẽs, definit in ea cauſa eſſe Iudex *c. Cum appellationibus, §. Si uerò Iudex, de appellat. in 6.* Pegna *par. 3. comment. 31. uerſic. Attendat autem,* & omnes communiter: Dixi, in ea cauſa: quia ſi appellãs fuerit ex alia noua cauſa denunciatus, in illa Inquiſitor, Iudex remanet, prout antea erat, *c. Ad hæc de appellat.* & cũ Eymerico, Pegna, & alij. Quia appellatio ſolum ſuſpendit exercitium iuriſdictionis in illa cauſa, in qua contingit appellatio, non in alia. Niſi cauſa appellationis fuerit ſuſpicio Iudicis. Tunc enim, quia æqualiter in omnibus cauſis procedit, non poteſt Iudex reum cõpellere, ad reſpondendum in alijs cauſis; niſi fuerint adeò graues, & manifeſtæ; vt ex ipſamet grauitate, & manifeſtatione reus condemnatus exiſtat. Vt probat Textus in *c. Propoſuit de appellat.* Et ſi illius punitio omitteretur, populus, aut multi ſcandalizarentur. Ita Pegna *ubi ſup. uerſ. Et quamquam,* Caſtro Palaus *par. 1. tract. 4. diſp. 8. punct. 7. nu. 7.*

Eſt ne prohibitum torqueri in cauſis fidei omnes illas perſonas, quæ à iure torqueri prohibentur?

55 RESp. In iure nonnullos ratione dignitatis priuilegium habere, vt

vt torqueri non poſſint, qui tamen in cauſis, ad Tribunal Sancti Officij ſpectantibus, hoc priuilegio non gaudent. Et primò in iure non torquentur Nobiles, nobilitate antiqua: vt notat Clarus §.*fin.q.64.uerſ.Vlterius quæro*, Cãtera *c.2.de probat.per teſtes,n.69.* Præſes Abauo *de reatibus,q.19.n.69.& ſeq.* & alij. Secundò, neque torquenrur Feudatarij, niſi eorum priuilegijs renuncient. Ità Clarus *loc.cit.uerſ.Item quæro*, & Carena teſtatur *par.3. titul.*10.§.19.*n.*129. ſic in praxi ſeruari in Senatu Mediolanenſi. Tertiò, Officiales non torquentur durante officio: finito autẽ ſic: niſi ob illud officium acquiſiuiſſent dignitatem perpetuam, vel etiam finito officio eſſent priuilegiati, Cantera *loc. cit.n.*71.*uerſ.De magiſtratibus autem*, Queredus *de indicijs, & tortur.2.par.c.*12.& alij. Quartò, prohibentur torqueri Doctores: vt affirmant Boſſius *in tit. de indic.n.3.* Clarus *ubi ſup.uerſ.Quæro*, Præſes Abauo *loc.cit.n.73.* Farinacius *q.*41.*n.*56. Quintò, milites etiam torqueri non debent, *l.Milites, Cod.de quæſtionib.* Clarus *dicta q.64.uerſ.Quæro etiã*, Cantera *n.73.* quamuis hoc non ſeruetur in Gallia, teſte Dioniſio Gothofr. *in dicta l.Milites*, nec in Germania, vt ait Zanger. *de quæſt.& tort.c.2.n.*56. nec in ſtatu Mediolani, vt teſtatur Clarus *ibid.* Sextò, tandem prohibentur torqueri Decuriones, ex *l.Omnes, Cod.de Decurionibus,lib.*12. *& l.Decuriones* 16.*Cod. de quæſtion.*& ità Clarus *uerſ. Prætereà quæro*, & alij.

16 Omnes autem ſupradicti in cauſis fidei, & ad Tribunal Sancti Officij ſpectantibus, dicto priuilegio non gaudẽt. Quia dum priuilegia ſupradicta ceſſant in crimine læſæ Maieſtatis humanæ; ex *l.4.Cod.ad l.Iuliam Maieſt.* Ergò multò magis ceſſare debent in crimine læſę Maieſtatis diuinæ: cum longè grauius ſit diuinam, quàm humanam offendere Maieſtatem, *c.Vergentis de hæreticis.* Ità docent Præſes Abauo *in tract.de reatibus,q.19.nu.*87. Pegna *par.3. comment.* 110. *uerſ. In hoc tamen*, Angelus *tract. de maleſ. uerb. Fama publica*, Couarruuias *lib.2.uariar.reſol.c.9.n.*4. Paulus Grilandus *tract.de quæſtion.& tortura, q.6.circa finem*, Antonius Gomez *to.3. uariar.reſol.c.13.n.3.* Ioannes Royas *in ſingularibus fidei, ſingul.* 209. Symanchas *de cathol. inſtitut.tit.*95. *nu.*44.*& ſeq.* Carena *par.3. tit.* 10.§.19. *nu.*136. Diana *ubi ſup.reſ.*29.*n.*4. Nobiles vero leuius eſſe torquendos in S.Officio, docẽt Martinus del Rio *lib.* 5. *diſquiſ.magic.in append.qu.*23. Symanchas *tit.*65. *nu.* 62. quia magis timent, ac ſentiunt tormenta, quàm ignobiles.

In cauſis ad Tribunal Sancti Officij ſpectantibus, ſunt ne torquendi minores annis 14. ſenes, mulieres prægnantes, à Dœmone obſeſſi, & laborantes febre quartana?

17 RESp. primò, quoad minores annis quatuordecim; in dictis cauſis poſſe torqueri, affirmant Ioſeph Seſſe *in deciſ.Regni Aragoniæ,tom.4.deciſ.*476.*n.*20. Villadiegus *in polit. c.3.n.* 322.& 323. Guazzinus *tom.2.lib.1. defenſ.30.c.9.* Caſtro Palaus *par.1.tract.* 4.*diſp.8.punct.9.n.*14. Cantera *in quæſt. tangentibus reum,q.9.nu.*1. Carena *par.* 3.*tit.*10.§.19.*nu.*140. dummodò proximi ſint pubertati, & medicorum iudicio periculum non adſit, vt eorum ſalus periclitetur, & moderatè torqueantur. Et colligitur ex *l.De minore, ff.de quæſtionibus*, vbi habetur. Exemptionem minoris 14. annis non procedere in crimine læſæ Maieſtatis, in quo omnes omninò ſi ad teſtimonium prouocentur, cũ res exegerit, torqueantur. Si ergo torqueri poſſunt, pro teſtimonio dicendo in crimine læſæ Maieſtatis humanæ; à fortiori torqueri debent, ob commiſſionem criminis læſæ Maieſtatis diuinæ.

18 His tamen non obſtantibus: non eſſe torquendos minores annis 14. ſed tantum eſſe terrendos, etiam terrore reali, vt nudando, ligando, ad tormẽtum adducendo, non tamen ponendo, ſed ferula cedendo; ſuſtinent Symanchas *in cathol.inſtitut.tit.*65. *nu.* 45. Pegna *par.*3. *com-*

comment. 110. §. *Minores verò*, Martinus del Rio *lib.* 5. *diſquiſ. magic. ſect.* 9. *verſ. Quoad perſonas*, Suarez de Paz *in praxi, tom.* 1. *par.* 5. *c.* 3. §. 12. *nu.* 50. Sanchez *conſil. lib.* 6. *c.* 3. *dub.* 15. *n.* 12. Mirãda *in ordin. iudic. tom.* 2. *q.* 26. *art.* 13. *cõcluſ.* 6. Royas *ſingul.* 208. *n.* 5. Guazzinus *tom.* 2. *lib.* 1. *defenſ.* 30. *c.* 9. Cantera *in quæſt. crimin. c.* 2. *de probat. per teſtes, q.* 1. *n.* 71. Diana *tom.* 5. *tr.* 11. *reſ.* 29. *nu.* 4. *ex par.* 4. *tract.* 6. *reſ.* 29. *n.* 4. & probatur ex Textu ſingulari *in l.* 1. §. *Impuberi, ff. ad Senatus, C. Syllanian.* vbi dicitur: De impubere, ne quæſtio habeatur, & aliàs ſolet, hoc in vſu obſeruari, vt impuberes non torqueantur, terreri tantum ſolent; & debent, vel ferula cędi. Hæc Textus, & Pegna *par.* 3. *comment.* 39. *verſ. De illis.* Si verò minores ingreſſi fuerint annum 14. erunt torquendi, ſed mitius, quam maiores. Ità Martinus del Rio *loc. cit.*

19 Quoad ſenes ſexagenarios. Sentiunt Clarus *q.* 64. *verſ. Non etiam*, & Carena *par.* 3. *tit.* 10. §. 19. *n.* 141. eſſe torquendos, ſi ſint robuſti: & referunt Senatum Mediolanenſem iuſſiſſe torqueri quendam ſenem ſexagenarium; immò & aliũ, qui habebat annos ſexagintaquinque; quantum tamen poterat; habita ratione ætatis. Secus autem ſi ſint infirmæ ſalutis, ac debiles, ait Queredus *de indic. & tort. par.* 2. *c.* 12. *nu.* 11. Senes autẽ decrepiti torqueri nequeunt: vt ait Cãtera *c.* 2. *de probat. per teſtes, num.* 71. vbi etiam affirmat: quod decrepitudo incipit anno 75. Poſſunt autem decrepiti terreri, vt terrentur impuberi, affirmant Farinacius *q.* 41. *n.* 24. & alij. Sed quod neque terreri poſſint, niſi ex cauſa graui decidit Senatus Sabaudiæ apud *Fabrum in ſuo Codice, lib.* 9. *tit.* 21. *def.* 6. & notat Carena *par.* 3. *tit.* 10. §. 19. *n.* 142. Sed in caſu contingenti, quando ſenectus excuſet à tortura, remittendum eſſe arbitrio Dominorum Inquiſitorũ, attenta valetudine, robore, & qualitate delinquentis, & delicti: docent Diana *tom.* 5. *tr.* 11. *reſ.* 29. *n.* 4. *ex par.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 29. *n.* 4. Sebaſtianus Guazzinus *to.* 2. *lib.* 2. *defenſ.* 30. *c.* 12. *nu.* 2. & alij Doctores, quos citat, & ſequitur Eymericus à Rosbach. *in pract. crim. tit.* 5. *c.* 21. *n.* 12.

20 Mulieres prægnantes, nec torqueri poſſunt, nec terreri, affirmant Clarus *in dicta q.* 64. *verſ. Quæro modo*, Carena *loc. cit. n.* 144. Zanger. *c.* 1. *nu.* 41. *&* 42. & alij communiter. An ſint verè prægnãtes: viſitandæ ſunt ab obſtetricibus, ex mandato Iudicis, & ſecundum iſtarum relationem eſt procedendum, vel non procedendum ad torturam: & ità ſeruatur in S. Officio: vt notant Carena *ibid.* Diana *ibid.* & Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *punct.* 9. *n.* 14. Poſt partum, neque torquentur, niſi poſt 40. dies, vt sẽtiunt Præſes Abauo *in tract. de reatibus, q.* 19. *n.* 92. Cantera *in quæſt. crimin. q.* 10. *nu.* 1. Paulus Ghirlandus *de quæſt. lib.* 4. *q.* 6. *n.* 7. Brunus *de indic. par.* 2. *qu.* 4. *n.* 2. & alij.

21 Energumeni, & à Dœmone obſeſſi minimè torqueri poſſunt, neque in Tribunali Inquiſitionis: quia Dœmon poſſet, pro reo mendacium reſpondere, & Iudici interroganti illudere. Ità Ruginellus *pract. quæſt. c.* 38. Carena *ibid. nu.* 146. & alij.

22 Laborantes febre quartana torqueri poſſe leuiter, & ſine ſquaſſis, & non in die febris; affirmant Franciſcus Marcus *dec.* 790. Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. n.* 64. *n.* 73. Caualcanus *in brachio regio, par.* 3. *n.* 117. Antonius Queredo *lib. de indic. par.* 2. *c.* 12. *n.* 13. Sed tutius conſulit Diana *loc. cit. n.* 7. in hoc caſu Inquiſitores debere Medicorum iudicium adhibere. Qui etiam ſubdit. Non eſſe torquendos laborantes morbo gallico, brachio debilitato, vel difficultatem anhelitus patientes: iuxtà doctrinam Lãderchij *conſ.* 184. Grammatici *conſil.* 40. Deciani *reſponſ.* 93. & Guazzini *to.* 2. *lib.* 1. *defenſ.* 30. *c.* 16. *n.* 1.

Minores annis 25. poſſunt ne in Tribunali S. Officij torqueri, non dato eis Curatore?

23 RESp. negatiuè. Omnes namque Doctores affirmant: in hoc Sãcto Tribunali dandum omninò eſſe inquiſito

quiſito minori 25.annis Curatorem,cuius auctoritate defendatur: an ſit torquendus, vel non: aliàs illius confeſſio, ſiuè in tortura, ſiuè extra torturam, etiã ſi ſit iuramento firmata, vel poſt torturã ratificata, ei nec nocere,nec præiudicare debet. Ità docent Monticellus *in praxi crimin.regula* 10.*n.*17. Royas *de hæreticis,par.*2.*nu.*318. Pegna *in direct. par.* 3.*comment.*28.*verſ.Hoc tamen*, Vmbertus Locatus *in praxi inquiſit. ver. Curator*, Guazzinus *tom.*2.*lib.*1. *defenſ.* 30.*cap.*4.*n.*21. Diana *tom.*5.*tr.*11. *reſol.* 31. *ex par.*3.*tr.*6. *reſ.*31. Et in inſtruct. S. Inquiſ. Madrilianæ anni 1561. *c.*25. cautum eſt,vt refert Pegna: *Si reus fuerit minor* 25.*annis,priuſquam accuſationi reſpondeat,ſibi dabitur Curator, cuius auctoritate ratificabit confeſſiones factas, & formabitur totus proceſſus.*

24 Si quid verò minori geſtum ſit abſq; Curatoris auctoritate,id,ipſo iure, irritum eſt, & nullum; ex *l.Clarum,Cod.de auctor.præſtan.* Corneus *conſ.*198. *lib.*4. Afflictus *deciſ.* 208. Alexander *conſ.* 115. Gomez *tom.*3.*de delictis,c.*1.*n.*64. Et Monticellus *loc.cit.* ait: Si minor ſit reus, Iudex debet ei dare Curatorem: aliàs proceſſus nullus eſt. Et ſi minor confiteretur,etiam ſponte ſine Curatore,talis confeſſio ei non noceret. Immò ſi diceret ſine Curatore Iudici: Non me torqueatis; quia iuro omnia fateri: talis confeſſio,facta etiam cum iuramẽto, non præiudicabit ipſi. Hæc Monticellus,& alij,quos ipſe citat.

25 Verùm Diana *loc.cit.*refert:in aliquibus locis conſuetudinem eſſe in contrarium; quàm non probat Eymericus à Rosbaſch. *in pract.crimin.tit.*5.*c.*21.*nu.* 3.Sed quicquid ſit de iuſtitia talis conſuetudinis: certum eſt,eam non adeſſe in Tribunali Sãctę Inquiſitionis,vt ſup. dictum eſt.

Quiſnam eſſe poteſt Curator minoris inquiſiti in dicto S.Tribunali?

26 Reſp. non debere eſſe ipſius minoris patrem, quia propter affectum paternum præſumitur parum ſincerus; & ſic ſeruatur in praxi; quamuis contrarium ſentiat Gomez *lib.* 3. *variar.cap.*1.*n.*64. Neque cogi poteſt, vt in Curatorem ſibi nominet aliquem de officialibus S.Inquiſitionis: quia zelus talis officij præiudicare poſſet minori. Ità communiter ſupradicti Doctores. Sed poteſt eſſe eius Aduocatus, vel quęlibet alia perſona grauis, fidelis, & bonæ conſcientiæ. Didacus verò Cantera docet *in quæſt. crimin. q.*6.*de reo, nu.*3. quod Curator eſſe poteſt aliquis ex officialibus huius S.Tribunalis.

Curator poteſt ne eſſe præſens, quando minor à Iudice interrogatur, vel torquetur?

27 Reſp.negatiuè:quia quando à Iudice interrogatur, reſpondere debet, iuxtà rei veritatem, & ex propria ſcientia,& non ſecundum ea,quæ à Curatore ſomminiſtrari poſſent. An autem poſſit Curator eſſe præſens in minoris tortura: affirmat Rolandus *lib.* 1.*conſil.*3.*nu.*8. *ex l.Clarum,Cod.de auctor. præſt.* Sed conſuetudo in Trib.S. Inquiſit.eſt in contrarium. Quia in tortura non eſt neceſſaria auctoritas Curatoris; cùm adſit præſentia Iudicis, ad quem pertinet officium torquendi. Ita docent Paulus Garzia *in ordine proceſſandi in S.Offic.fol.*29. Antonius de Bellis *in tract.var.lib.*2.*q.*13.*nu.*17. Villadiegus *in polit. c.*3.*n.*325. Catharius *de interrogat.reorum,lib.*4.*c.*1.*n.*49. Diana *loc.cit.n.*2. & alij. Nullatenus ergo in minoris tortura requiritur Curatoris præſentia: ſed tantum in defenſione articuli: an ſit,vel non ſit ipſe minor torquendus.Et quando poſt torturã ratificat, quæ fecit, vel dixit in tortura: tunc vt talis ratificatio valeat, neceſſe eſt, vt fiat præſente Curatore: alias minor cõdemnari non poſſet, ſaltem ad pœnam ordinariam: vt docent Paulus Garzias, Antonius de Bellis,Catharius, Diana, Villadiegus *locis citatis*, & alij apud ipſos.

Clerici, & Religioſi denunciati, & in-di-

diciati,ſed non diffamati,ſunt ne ab Inquiſitoribus torquendi?

28 RESp. fuiſſe nonnullorum Doctorum ſententiam; Clericos, & Religioſos de crimine non diffamatos, non poſſe torqueri,etiam ſi multa eſſent contra ipſos indicia. Ità Abbas in *cap. Grauis de depoſit.* vt refert Eymericus *par.3.direct.q.61.n.4.* Ità etiam Cantera *in quæſt.crimin.q.11.de reo,nu.1.* Bernardus Diaz *in pract. crimin. cap.125.* Guazzinus *tom.3.lib.1.defenſ.30. c.1.n.7.* Decianus *vol.4.reſponſ.124. nu.38.* & alij, quos refert, ſed non ſequitur Diana *tom.5.trac.11. reſ.36. ex par.4.tr.6. reſ.36.*

29 Sed Panormitanus *in dicto c.1.de depoſit. n.6.* Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.65.n.48.* Pegna *par.3. comment.110. verſ.De Clericis,& verſ.Et tametſi,* Salcedo *in pract.crimin.c.128.verſ.Et licet opinio hæc,* Farinacius *conſ.38.nu.16.vol.1.* Symanchas *in cathol. inſtitut.tit.65.n.48.* Bordonus *tom. 1.c.35.nu.60.* & alij, quos citat, & ſequitur Diana *l.c.* docēt, quod quamuis Clerici,& Religioſi non poſſint torqueri, ob alia crimina, niſi ſint diffamati, tamen in crimine ad Sāctum Officium ſpectante, ad eos torquendos, ſufficiunt legitima indicia: quia crimen eſt exceptum, & adeſt maius periculum in Clericis, & Religioſis delinquētibus, qui poſſunt magis alios lædere,labeque hæreticali inficere:quā in laicis. Et confirmatur,tum quia,etiāſi infamia,ad eos torquendos,eſſet neceſſaria; hæc ſufficienter oritur ex ſemiplena probatione,alijſque indicijs, quæ eos ſuſpectos,& infamatos reddunt. Tū etiam,quia delicta Eccleſiaſticorum, vt plurimum remanerent impunita: quia ſolent eſſe ſecularibus occulta. Et tum tandem,quia nullo iure,nec ratione ſufficienti probatur, ad eorum torturam neceſſariò requiri diffamationem.

30 Verum quando Clerici,vel Religioſi ab Inquiſitoribus torquendi ſunt,mitius torquendi ſunt, quàm laici,cæteris paribus in eadem qualitate delicti, & indiciorum,ob eorum dignitatem,qua decorantur. Ità Pegna *par. 3. comment. 110.verſ.De Clericis,* Maceranenſis *variar.reſol.lib.3.reſol.44.caſu 4.nu.4.* Ludouicus Miranda *in ordine iudiciario, tom.2.q.26.ar.2.concluſ.2.* Salcedus *in pract.crimin.Bernardi Diaz,c.125. litt. A.* Zanardus *in direct.Theolog.par.3.cap.94.* Diana *loc.cit.n.3.* Secus verò ſi delicti enormitas, & indiciorum grauitas, arctiorem torturam infligendam,ſuaderent. Ità etiam dicti Doctores.

31 Notandum quoque, quod indicia ad torquendum Clericum,vel Religioſum non debent eſſe ordinaria, quæ ſufficiunt contra Laicum,ſed requiruntur grauiora,& vrgentiora, ob præſumptionem bonitatis, quàm habent Religioſi,& Clerici: vt obſeruant Guazzinus,& Diana *locis citatis*, Farinacius *q.41.n.9.* Miranda *in ordin.iudic.tom.2.qu.26.art.13.concluſ.2.* & alij.

Confeſſarius eſt ne torquendus, ob denunciationem vnius fœminæ bonę famæ, quod eam in confeſſione ad turpia ſollicitauit?

32 RESp. negatiuè:quia quamuis Zanardus *in direct.Theolog. par.3. c.88.* affirmet: Confeſſarium ſollicitantem in confeſſione, poſſe, torqueri, ſuper dicto vnius optimæ mulieris, non patientis aliquam exceptionem ex voluntarijs,cùm ſimus in crimine occulto. Tamen hæc ſententia non eſt admittēda,& à Doctoribus improbatur. Tum quia Confeſſarius minimè detrudendus eſt in carcerem,ex vnius fœminæ,quantumuis honeſtæ,denunciatione: vt docent Royas *de hæret.p.2. nu.32.* Symanchas *in Enchirid.tit.25.n.5.& tit.16. de cathol.inſtitut.n.2.* Carena *par. 2, tit. 6. §.12.n.62.* Souſa *de Confeſſ.ſollicit. trac. 2.c.21.n.6.* Multò magis dicendum eſt, ex tali delatione minimè torquendum eſſe. Tum quia mulier nunquam eſt teſtis,omni exceptione maior,vt aiūt Carena *par.2.tit.6.§.12.n.62.* Diana *tom.5. tr.11.reſ.21.ex par.4.tr.6.reſ.21.* Molfeſius *tr.7.c.24. n.39.* & alij, teſtimonium enim

enim fœminæ patitur exceptionem ſexus. Tum etiam, quia vnica fœmina nõ facit ſemiplenam probationem; nàm ſi duæ fęminæ hoc delictum minimè probant, vt teſtatur Sanctarellus *de hæreſi, c. 44. concluſ. 4. n. 6.* vbi latè hoc probat, & vt declarauit Sacra Congregatio Supremæ Inquiſitionis, teſte Genuenſis *in praxi Archiep. Neap. c. 66. in noua ædit. & c. 81.* in antiqua. Ergo vnicæ fœminę teſtimonium non facit ſemiplenam probationem. Ad torturam autem deueniri non poteſt, cùm delictum, non ſit ſemiplenè probatum: vt latè Pegna *in direct. par. 2. comment. 110. litt. G.* Ergò nõ eſt torquendus Confeſſarius ob denunciationem vnius fœminæ bonæ famæ. Numerus verò teſtium in tali caſu ſufficiens, ad Confeſſarium torquendum, remittitur prudenti iudicio Inquiſitorum, qui conſideratis circumſtantijs qualitate rei, & teſtium, quid agendum ſit, prudenter determinabunt. Ità Diana *loc. cit.* Carena, & alij.

Tortura eſt ne danda Confeſſario ſollicitante, ne dum ad eruendam ueritatem ſollicitationis, ſed etiam ſuper intentione, ſi ſit confeſſus, & cõuictus?

33 RESp. affirmatiuè: quia ſi Confeſſarius non ſit confeſſus, nec cõuictus, & adſunt indicia ſufficientia ad tortutam, eſt torquendus, vt fateatur veritatem ſollicitationis. Si autem ſit confeſſus, & conuictus, torquendus eſt ſuper intentione: An ſcilicet crediderit: licitum eſſe, abuti Sacramento Pœnitẽtiæ, ad venerea obtinenda. Quia in hoc Sancto Tribunali eſt certa, & vulgata regula: Quod confitens factum hæreticale, vel non merè hæreticale, ſed potuit cum mentis errore fieri, eſt ſuper intentione torquendus. Ità Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 75. nu. 52.* Cantera *in ſuis quæſt. crim. rubr. de hæret. c. 1. nu. 69. & 70.* Graffius *lib. 2. deciſ. c. 5. nu. 15.* Genuenſis *in praxi Archiep. Neap. c. 84.* in antiqua ædit. & in noua, *c. 69. num. 8.* & alij.

Si Confeſſarius fateatur dixiſſe uerba, quæ ſollicitationem important, ſed non habuiſſe intentionem ſollicitandi: eſt ne admitenda eius excuſatio, uel de hac ſua intentione torquendus?

34 RESp. diſtinguendo. Vel enim eius verba directè, & clarè important ſollicitationem; & neque admittẽda eſt eius excuſatio, neque ſuper hac ſua intentione eſt torquendus: tum quia talis proteſtatio intentionis eſt contraria facto. Tum quia ſic facilè rei euitarent pœnas huius Sancti Tribunalis. Et tum etiam, quia ſi in tortura perſiſteret, negando, habuiſſe intentionem ſollicitandi, oriretur præiudicium Fiſco S. Officij; qui alias haberet contra reum fũdatam ſuam intentionem. Vel eius verba ſolum indirectè, & remotè importãt ſollicitationem; quia ſunt verba dubia e.g. quia laudatur fœminæ pulchritudo. Et tunc cum verba dubia in caſu noſtro accipiantur in deteriorem ſignificationem: vt notant Rodericus Acugna *de Confeſſar. ſollicit. q. 5. n. 21.* Peyrinus *tom. 2. Conſtitut. 4. Gregor. XV. §. 6. nu. 21.* Carena *par. 2. tit. 6. §. 14. 73. verſ. Secundus caſus.* Ideò ſi Confeſſarius ſit malæ famæ, poteſt ſuper eius intẽtione torqueri; ità tamen, vt etiamſi in tortura in negatiua perſiſtat; adhuc ſuſpendatur ad tempus à confeſſionibus mulierum. Ità Molfeſius *tract. 7. c. 24. n. 43.* Genuenſis *in praxi Archiep. Neap. c. 81.* Freitas *in addit. ad dictam quæſtionem 7.* Roderic. Acugn. *n. 40.* Carena *loc. cit.* Si verò Cõfeſſarius ſit bonæ famæ, ipſi credendum erit ſine tortura; ità tamen, vt ſuper ſua intentione, qua verba illa protulit diligenter interrogetur, & omnes circumſtantiæ, & qualitates, tàm Confeſſarij, quàm pœnitentis conſiderentur. Ita Molfeſius *n. 42.* Souſa *in aphoriſ. inquiſ. lib. 1. c. 34. n. 53.* Carena ibi.

Eſt ne facilè deueniendum, ad reum torquendum, & quæ ſeruari debent in eius tortura?

35 RESp. Ad torquendum reum, non eſſe faciliter deueniendum, vt ſuprà dictum eſt: quia tormenta non inferuntur, niſi in defectum aliarum probationum: & ideò prius perquirendæ ſunt aliæ probationes: quæ ſi non reperiantur, & Epiſcopus, & Inquiſitor probabiliter exiſtiment: denunciatum eſſe culpabilem; ſed metu, vel malitia, negare veritatem: tunc bonis modis, & interdum adhibitis eius amicis, inducentibus ad veritatem dicendam, diligenter procurent, vt veritatem ex eius ore fateatur. Et ità pluries monendus eſt, ac etiã ei breuiſſimè obijciẽda omnia indicia, contra eum militantia; & tempore congruenter prorogato, & expectato: ſi adhuc perſiſterit in negatione veritatis; tunc Epiſcopus, & Inquiſitor, facto decreto, vt torqueatur citra præiudiciũ probatorum, ducendus eſt reus à birruarijs ad locum tormentorum, vt pro executione decreti torqueatur. Et dum ligatur, iterum eſt monendus, vt veritatem dicat; quàm ſi dicere nolit, & in negatiua perſiſtat, torquendus eſt vſitatis tormentis, non autem inſolitis. In Tribunalibus enim S. Officij regulàriter datur tortura moderata, iuxtà qualitatẽ delicti, & indiciorum, ac etiam perſonarum, ſine ſquaſſis, aut pondere ad pedes, nec vnquam vltra ſpatium horæ; & ad hunc effectum horologium adhibetur. Et dum reus eſt in tortura eleuatus, nõ eſt deponendus, ſub prętextu, quod valdè pati videatur, vel quod velit veritatem fateri: niſi eam prius in tortura, ſaltem quoad ſubſtantiam, fateatur. Quia experientia docuit, in illa depoſitione, per quantumuis breue tempus, reum aſſumere vires, & difficilius veritatem fateri. Dum eſt in tortura dicti Iudices animo ſedato, non inſolenti, nec importuno, bis, aut ter monere, illum debent, duobus, vel tribus interrogatorijs, vt veritatem, de qua alias interrogatus fuit, dicat, nec ſinat, ſe amplius tormento cruciari: & generaliter non in ſpecie illum interrogent: niſi extra torturam habeant, quaſi plenam probationem, & in tortura pluſquam ſemiplenam. Quia tunc poteſt reus interrogari in ſpecie, an tale delictum commiſerit; ità tamen, vt prius in genere, mox in ſpecie id fiat: vt ait Scaccia *de iudicijs, lib. 1. c. 86. nu. 38. & ſeq.* Farinacius *de reo confeſſo, & conuicto, q. 83. num. 97.* qui alios allegat, & docent Eymericus *in direct. par. 3. tit. inſtructio circa quæſtiones reorum, n. 153. & ſeq.* & ibi Pegna *commen. 39.* Gilhauſen. *in arbore iud. crimin. c. 6. p. 7. ſect. 3. n. 22.* Clarus *quæſ. 64.* Carena *par. 3. tit. 12. §. 22. n. 164. & ſeq.* & alij.

Sortilegus, vel quilibet alius conuictus de hæreticali actu, & negans habuiſſe intentionem contra fidem catholicam, eſt ne admittendus ad torturam, ut probare poſſit ſuam negatiuam intentionem?

36 RESp. Quod, vel teſtes depoſuerũt, non ſolum de ſortilegio hæreticali, ſeu de alijs factis, vel verbis hæreticalibus; ſed de illius intentione cõtra fidem: quia e. g. teſtati ſunt ab illo audiuiſſe, firmiter credere, ſortilegium illud non eſſe peccatum, vel non eſſe prohibitum. Et in hoc caſu, non eſt admittendus ad torturam: ſed puniendus pœna ordinaria. Quia per ſuam negatiuam nullo modo infringit dicta teſtium: neque illi eſt aliqua ratione credendum: quia, vt ſupra dictum eſt, quilibet ad pœnam euitandam, præſumitur mendax. Nec tortura inuenta eſt ad delictum negandum, ſed vt reus cogatur fateri illud: & ex eadem cauſa oriri non debent contrarij effectus, *leg. Meminerint, Cod. Vnde vi, l. Quod labeo, ff. de compenſ.* Et quod introductum fuit in fauorem iuſtitiæ contra reum, non eſt retorquendum in fauorem rei contra iuſtitiam. Et ità docet Farinacius *quæſ. 179. de hæreſi, n. 60.* Carena *tit. 1. de hæretic. n. 76. & 77.*

37 Si autem teſtes depoſuerunt de actu externo tantum hæreticali, & non de intentione, & errore in intellectu; quia nunquam auditus fuit ipſe quærelatus,

ſe

ſe dixiſſe aliquam hæreſim credere, tūc ſine dubio torquendus eſt: quia Tribunal Sancti Officij non poteſt ſe certificare ſuper delinquentis intentione, niſi mediante tortura. Si verò reus in negatiua perſiſtat, puniendus eſt, non vt hæreticus formalis, ſed vt de hæreſi ſuſpectus. Ità docent Farinacius *de tortura*, *q.40.n.16*. Carena *lib. 1. de hæreſi*, §.15. Diana *tom.5. tr.11. reſ.32. ex par.4.tr.6.reſ.32*. Præmittenda autem eſt clauſula in torturæ decreto: abſque præiudicio probatorum: & in tortura reus non eſt examinandus ſuper delicto, de quo iam conſtat: ſed tantum ſuper intentione, de qua eſt vehemens ſuſpicio. Ità dicti Doctores.

38 Similiter ſi reus citatus comparet, & hæreticales actus feciſſe fateatur, neget tamen feciſſe cum intentione agendi contra fidem, & nullam rationabilem cauſam adducit huius negatę intentionis; torquendus eſt cum dicta clauſula: & ſi in negatiua perſeueret, damnandus eſt, non vt hæreticus, ſed vt de hæreſi ſuſpectus. Ità Pegna *par.2.comment.59. verſ.Quod ſi non compareant ſponte*, Symanchas *de cathol.inſtitut. c. 65. nu.52.* & alij.

39 Si verò ſponte comparet, antequam denunciatus ſit, optimè tuetur: quia dū ſic ſe manifeſtat, præſumitur veritatem integrè manifeſtare: quia nullam vtilitatem ex dimidiata confeſſione conſequi poſſet; & leuiori pœna punitur.

Si reus coram Iudice laico factum hæreticale, à ſe commiſſum, fateretur ſpontaneæ, & abſque ullo metu, ſufficeret ne talis confeſſio Inquiſitori ad illum condemnandum, uel torquendum?

40 RESp. Non ſufficere Inquiſitori ad illum condemnandum, ſed ſufficere ad illum torquendum. Primum probatur, quia quamuis nulla ſit maior confeſſio, quam proprij oris; nemo enim præſumi poteſt ſibi falsò crimen imponere, vt habetur ex Gloſſa in *cap.quinto, ff.de adult.* & docent Antonius Gomez *tom.3.var.cap.13.n.8. & 9.* Iulius Clarus *pract.§.fin.q.21.ver.Confeſſio extraiudicialis*, Farinacius *q.37.n.47*. Tamen eſt confeſſio coram Iudice incompetenti, & conſequenter inſufficiens ad rei condemnationem: vt omnes Doctores fatentur *in c. At ſi Clerici de iudic.* quos ibi recenſet Barboſa, Farinacius *de reo confeſſo, & conuicto, q.81.nu.188*. Souſa *lib.2.c.20.n.36*. Cantera *c.1.de vera confeſſ.n.2.verſ.Requiritur etiam*, Carena *par.3.tit.8.§.3.n.22.* & alij. Probatur ſecundum, nempè ſufficere ad reum torquēdum: quia talis confeſſio habet vim confeſſionis extraiudicialis coram Iudice competenti. Et ideò ſufficit Inquiſitori ad reum torquendum, etiamſi ipſe reus coram Inquiſitore talem confeſſionem reuocaret. Ità docent Boſſius *de confeſſ.n.55*. Clarus *loc.cit.verſ.Sed quid ſi reus*, Farinacius *n.216.* Carena *nu.23.* Bordonus *tom.1.c.34.n.18.* & alij. Quod autem confeſſio extraiudicialis ſit ſufficiens ad torturam, patet ex dicta ratione, quia nulla eſt maior probatio, quàm proprij oris confeſſio, & magis patet ex dictis ſuprà de indicijs ad torturam.

Rei cōfeſſio à Iudice metu tormentorum extorta, eſt ne valida, uel nulla?

41 REſp. Quod Iudicis terror, vel eſt propinquus tormento, e.g. ſi terror inferatur in loco tormenti, & ibi reus ſpolietur, & ligetur prope torturam, vt fateri cogatur commiſſum delictum. Tunc ſi confiteatur, eius confeſſio æquiparatur confeſſioni factæ in tortura: quæ nulla eſt, niſi poſteà extra torturam ratificetur: quia paria ſunt confiteri in tormentis, ac metu tormentorum propinquorum: vt docent Baldus *in l.Nouiſſimè, ff.Quod falſo tutore*, *& in l.Interpoſitas, Cod.de tranſactionibus*, & ibidem Raphael Cumanus, Gandinus *tract.de maleſ. rubr. de quæſtionibus, verſ.Quod confeſſio dicatur facta vi tormentorum*, Pegna *par.3. comment.39. verſ.Illa verò eſt*, Bordonus *tom.1.cap.*

34.*n.*

34.*n.*31.& alij. Vel terror, qui reo infertur eſt remotus à tormento, & verbis tantum à Iudice comminatur, e. g. Se miris modis eum excruciaturum,niſi fateatur: & tunc ſi reus perterrefactus, fateatur,eius confeſſio valet, etiam ſi non ratificetur; & tanquam ſpontanea, & ſine tormentis facta, cenſenda eſt. Quia ſupradicta regula: paria eſſe torturam, & terrorem,locum habet in terrore,qui propinquus eſt tormento; vt notarunt Antonius Gomez *tom. 3. variarum reſolutionum*,c.13.*num.*4. *verſ.Et ità debet procedere*, Bartolus *in l.*1.§. *Diuus Seuerus*,*nu.*2.*ff.de quæſtion.*Gandinus *loc. cit.* Igitur ſi Iudex confeſſionem rei extorqueat, metu tormentorum remotorum, valet confeſſio abſque ratificatione. Si autem illam extorqueat metu tormentorum propinquorum, nō valet, niſi poſteà ratificetur.Et ità etiam docent Maſcardus *l.*2.*concluſ.*357.*nu.*4. Farinacius *q.*81. *nu.*83.*de reo confeſſo*, *& conuicto*, Souſa *lib.*2.*c.*20.*n.*23.& alij.

In tortura, quæ nam interrogationes reis faciendę ſunt ab Inquiſitoribus?

42 RESp.cum Eymerico *par.*3.*nu.*86. & ibi Pegna *comment.*21. Conſiderandum eſſe; quod ſicut non omnium morborum eſt eadem medicina, ſed potius diuerſorum, & ſingulorum diuerſæ,ſunt,& ſingulæ medicinę:ſic nec ad omnes hæreticos,vel de hæreſi delatos,idem modus interrogandi, inquirēdi,& examinandi,eſt ſeruandus: ſed ſecundum varietatem, ac diuerſitatem perſonarum, & errorum, varius, & diuerſus modus interrogandi,inquirendi, & examinandi,prudenter eſt tenendus. Curet ergo prudens, & induſtrius Inquiſitor;occaſionem, & modum accipere,inquirendi hæreticos,& delatos, ſiuè ex accuſantium, vel denunciantium dictis,ſiuè ex teſtium reſponſis,ſiuè ex his, quæ experientia docuit,ſeu ex his, quæ proprij ingenij acumen aperit. Hæc Eymericus, Royas etiam *de hæret. par.*2.*n.*295.Suarez de Paz *in praxi*,*tom.*1.*par.*5.*c.*3.§.12.*n.*92. Miranda *in ordin.iudic. tom.*2.*q.*26.*art.*15.*concluſ.*7.Symanchas *in cathol.inſtitut.tit.*65.*n.*17. Diana *tom.*5.*tr.*11.*reſ.*19.*ex par.*4. *tr.*6. *reſ.*19. notant: Inquiſitores fidei, cautè reos in tortura debere interrogare,ne eis detur occaſio, mentiendi contra ſe, & alios. Ideò generaliter, & non particulariter, vel nominatim ſunt interrogandi, nempè vt veritatem dicant de omnibus, de quibus ſunt accuſati,& nullo pacto falſum contra ſe,vel alios proferant. Nàm ſi particulariter de re aliqua, vel perſona,interrogentur,eſſet potius irritare ad falſum,& ſuggerere,quàm inquirere.

Quæ interrogationes faciendę ſunt Lamijs, quæ accedunt ad nocturnos ludos magicos,& cum Dœmonibus conueniunt,ac miſcentur?

43 RESp.Cum Martino del Rio *lib.*5. *diſquiſ.magic.ſect.*9. *de tortura*, vbi ait:Poſſe Inquiſitorem inſtituere interrogationes,iuxtà formulam traditam à Grillando *q.*7.*n.*7.nempè: Quid ſit illa profeſſio, quam faciunt cum Dœmone,& quo modo,& ordine,ad illam accedant,& quibus ceremonijs, & ſolemnitatibus in ea vtantur? Ad quid ſe Dœmoni obligent; & ſub qua forma verborum fiat ipſa obligatio? Quæ ſint ab eis ſeruanda, & ad quæ teneantur? Quæ præmia habeant, & quæ habere ſperent ab earum Principe Dœmone? Ex quibus rebus, ſimplicibus, vel mixtis, componant vnguenta, quibus liniant corpora ſua,dum vadūt ad ludos? Cum quibus etiam rebus faciant alia maleficia venefica? Quem ordinem teneant, quando acceſſuræ ſunt ad ludos prædictos? Sit ne verum, quod vadant corporaliter, vel illa ſit illuſio, ſiuè viſio quædam in apparentia in mente, & in intellectu? Et caſu quo accedant corporaliter, an ambulēt pedibus proprijs, vel aliter deferantur, & quomodo, & per quem? Item quomodo, & qualiter celebrent ſacrificia, offerant præces, & munera Dœmoni. Item, quæ ſint illis, in præcipua obſeruantia in dicta profeſſio-

ſione. Et alia huiuſmodi, quæ Iudici ex præcedenti inquiſitione, vel denunciatione, videbuntur exquirenda. Poſteà poterit interrogare de ſingulis: et quãdo, & cum quibus, hæc fecerit? In his vtile erit à leuioribus, quæ facilius confitentur, ad grauiora progredi. Ideòque vltimo demum loco de copula cum Dæmone interrogare? Hæc Martinus del Rio.

Si plures pro eodem crimine torquendi ſint, à quonam eſt inchoandum?

44 RESp. Inchoandum eſſe, à quo veriſimilius eſt veritatem faciliter eſſe dicendam, ideſt ab eo, qui timidior, debilior, & deterior ſit. Ità Binsfeldius *in l. Si excepta, qu.* 1. *concluſ.* 9. *C. de malef. & mathem.* Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 65. *nu.* 66. Peguera *in praxi crimin. c.* 12. §. 11. *n.* 5. & alij plures, quos citat, & ſequitur Diana *tom.* 5. *tr.* 11. *reſ.* 26. *ex par.* 4. *tr.* 6. *reſ.* 26. Vndè prius torquendus eſt, qui teneræ eſt ætatis, quàm qui robuſtioris; prius fœmina, quàm maſculus, prius vxor, quàm maritus, prius filius, quàm pater. Ità ex *l. Vnius facinoris, ff. de quæſtion. & l.* 1. §. *Idem, ff. eod.* & ibi Gothofredus Gilhauſen. *ſect.* 3. *nu.* 36. *& ſeq.* Præſes Abauo *de reatibus, q.* 19. *n.* 64. *&* 67. Carena *par.* 3. *titul.* 10. §. 21. *n.* 162. Quando autem plures torquendi, eſſent æquales, præcipuè quoad vires: tunc prius torquendus eſſet, magis indiciatus: vt docet Villadiego *in polit. c.* 3. *n.* 326. Iulius Clarus *in pract. lib.* 5. §. *fin. q.* 64. *nu.* 29. & alij apud Dianam *loc. cit.*

Quomodo ſe gerere debent Inquiſitores, quando vident reum, ſuſtinere ſine dolore torturam, & exiſtimant ſupra ſe habere maleficium taciturnitatis?

45 RESp. Certum eſſe multos, torturam, & alia tormenta, cum taciturnitate, & ſilentio ſuſtinere, vel quia dolorem non ſentiunt; vel quia loqui non poſſunt, etiamſi dolorem ſentiant; vel quia nec dolorem ſentiunt, nec loqui poſſunt: quia profundo ſomno opprimuntur. Hoc autem euenit artificio Dæmonis multis modis, & diuerſis maleficijs. Ità Sprengerus *de malef. par.* 3. *qu.* 14. *&* 15. & Martinus del Rio *lib.* 5. *diſquiſ. magic. ſect.* 9. *de tortura, verſic. Quoad tertium*, & alij, qui etiam referunt: hoc maleficium componi, ex corde, & alijs membris infantuli non baptizati: violenter necati, & in puluerem redacti. Quibus cineribus corpori inſperſis, vel occultatis, rei hanc vim taciturnitatis, & ſilentij, in tormentis conſequuntur. Solet etiam Dæmon aliquãdò corpus ipſum rei ſubleuare, & funes, quibus ligatur extendere, & laxare: vel efficere per quædam, habentia naturalē vim, obſtupefaciendi ſenſus, vt rei, aut dolorem non ſentiant, vel leuior, ac tolerabilior eis videatur. Aliquandò verò tormenta, quæ corpori infligi videntur, Dæmon aliò euertit, aut vim eorũ tollit, priuſquam corpus contingant: aut interponit inter tormentum, & corpus, aliquod medium denſum, & ſolidum, quod ab aſtantibus non aſpiciatur; & ſic dolor non ſentiatur. Quæ omnia, Deo permittente, Dæmoni ipſi facillima ſunt. Interdum etiam Dæmon, ſilentiũ inducere, ſolet, præcluſis faucibus, & ore ipſius rei, ea tamen moderatione, vt non præfocetur, ſed loqui non queat; vel organum auditus ſic ei obturat; vt Iudicis interrogantis voces omninò nõ audiat. Quorum omnium exempla refert Nicolaus Remigius *lib.* 3. *Dæmon. c.* 8. Interdum etiam reo propè aſſiſtit, & dehortatur à confeſſione, hortaturque, vt breuia illa tormenta, ſpe vitæ præſentis longioris, fortiter ferat, & Seuiora ei tormenta minatur, ſi fateatur. Deniquè ſolet, vel magica vnguẽta reo miniſtrare, vel membranulas, ſeu cartulas varijs characteribus, & ſignis inſcriptas, ſuppeditare, quæ in locis ſecretiſſimis corporis abditæ, ex pacto ſenſum adimunt doloris. Nonnunquam etiam, vt ait Sprengerus *loc. cit.* per alia inſtrumenta, rei maleficiantur, vt nihil fateri poſſint.

Ad

46 Ad eruendas has diabolicas fraudes, & incantamenta, vtilitatis plurimũ præſtabit. Primò carceris calamitates reo proponere, multiplicatas informationes proborum virorum contra eum narrare, & verbis, ac rationibus, & ſpe dubia addita, quòd fortè non damnabitur ad mortem, ſi veritatem non celet, ſed liberè fateatur. Et ità referũt Sprengerus *in malleo maleſ.par.3.q.*14. & Martinus del Rio *lib.*5*.diſquiſ.magic.ſect.*9*.verſic. Vt his*, per huiuſmodi informationes, & verba, maleficam taliter confortatam fuiſſe, vt in terram ſpuans, quaſi in faciẽ Diaboli, dixit: Faciam, quod iuſtum erit, & crimina ſua confeſſa fuit. Secundò, vt dum Miniſtri ſe parant, ad torquendum, alij interea reum expolient, & ſi fuerit fœmina à fœminis expolietur, ne aliquid maleficij in veſtimentis lateat, & alijs induatur. Ità dicti Doctores *locis citatis*, ac etiam Pegna *in direct.par.*3*. comment.*39*. verſ. Aduerſus has*. Tertiò, non ſolum veſtes eſſe detrahendas, ſed omnes capillos capitis, barbæ, & omnes pilos per totum corpus, etiam in partibus ſecretioribus abradendos eſſe. Et ſi fœminæ ſint à fœminis; ſi viri à viris; & ſic cauebitur inhoneſtas, & inuerecundia. Et in hac tonſione eſt obſeruandũ, ne maleficium lateat in aliquo ex corporis foraminibus. Referunt enim Iodocus Damhaudenus *in ſua pract.crim. c.*37*.n.*21.& Diana *tom.*5*.tr.*11*. reſ.*37*. ex par.*4*.tr.*6*.reſ.*37.quod quædam mulier, quæ fucata ſanctimoniæ ſpecie, ab omnibus venerabatur, veluti vera Chriſti Apoſtola: quia multarum matronarum filios, & filias, quaſi miraculosè curabat. A Senatoribus deindè iuſſa fuit capi, & in carcerem mancipari. Et ob conſtantem negationem ſui criminis, torturæ tradita; ſed nec lamentabatur, nec dolebat, immò ſubridebat, & Iudicibus ipſis inſultabat: vndè à tortura relaxatur, & in carcerem recluditur. Verum poſteà noua indicia habita, torturæ iterum adiudicatur: ſed prius omnes corporis pilos, & crines abradi, Iudices curarunt, etiam in pudendis, in quibus reperta fuit pergamena quædam, cui inſcripta erant aliqua Dœmonum vocabula, & cruces aliquæ inter ſe diſtinctæ. Hæc autem pergamena Senatoribus exhibita, & illa rurſus torturæ tradita, plenè paſſibilis facta, omnia nudè fatebatur, addens: Niſi à me ſchedulam iſtam abſtuliſſetis, nunquam à me quicquam perquirere potuiſſetis, quia per illam facta eram impaſſibilis. Et factum ſimile accidiſſe, teſtatur Ambroſinus *de proceſſu informatiuo, lib.*4*.c.*7*.nu.*13. Vbi admonet in tali caſu rei os, foramina narium, & aurium, anum, vel vuluam cauterium, & ſimilia inquirenda eſſe, ne quid ſuperſtitioſum in his locis lateat. Quartò, ne aliqua vnctio magica in rei corpore adſit; totum eius corpus prius aqua calida eſt abluendum diligenter, & poſteà aqua benedicta aſpergendum, quæ in eius ore etiam effundatur. Vtile quoque erit, rei torquendi collo ſacras reliquias, vel agnum cereum benedictũ appendere; dummodò non adſit irreuerentiæ periculum. His enim modis Dęmonis vires infringi ſolent. Ità docent Martinus del Rio *lib.* 5. *diſquiſ. magic. ſect.*9*.verſ. Octauò loco, & q.*25. Diana *vbi ſup.* qui commendant etiam cum Sylueſtro *in lib. de ſtrig. magic. admitt.* præmittendam eſſe exorcizationem. Quintò, deuotas ad Deum orationes, iunctas ieiunijs, & bonis operibus, indicere debent Inquiſitores in tali caſu, ad inuocandum diuinum auxilium in generali: vt contra Dœmonum quaſcunque infeſtationes, cælitum auxilia implorentur, iuxtà illud 2.*Paralipp.*20. *Cũ ignoramus, quid agere debeamus, hoc ſolũ habemus reſidui, vt oculos noſtros ad Deum dirigamus*: vt notat Martinus del Rio *vbi ſup. verſ. Septimus ergo.*

Reus ſufficienter tortus ſi in negatiua perſtiterit, & poſteà noua indicia contra illum ſuperuenerint, eſt ne iterum torquendus?

47 RESp. Si noua indicia differant ſpecie à primis, & de ſe ſint ſufficientia ad torturam: vt e. g. ſi reus

fuit

fuit tortus ob indicium famæ, & alia adminicula, & poſteà ſuperueniat indicium ſuæ confeſſionis extraiudicialis, cũ alijs adminiculis, eſt iterum torquẽdus: quia indiciũ famæ differt ſpecie, quoad ſubſtantiam, ab indicio confeſſionis extraiudicialis, & per primam torturam fuit purgatum indicium famæ tantum; vt ergo purgetur etiam ſecundum, confeſſionis extraiudicialis, cum alijs adminiculis, eſt iterum torquendus. Ità docent Pegna *par.3.comment.39.verſ.Noua autem*, Farinacius *de indicijs, & tortura, q.38.n.79.* Clarus *qu.64. verſ.Vltimò videndum*, Queredus *de indicijs, & tortura, par.2.c.7.n.6.* Carena *par.1.titul.10.§.20.n.148.& ſeq.*

48 Secus autem dicendum: ſi noua indicia non differant à primis: vt e.g. reus tortus fuit pro indicio famæ: & poſtea ſuperueniant alij teſtes, deponentes ſimiliter de fama: non eſt iterum torquẽdus. Tum quia non dicitur nouum indicium ſuperueniſſe; ſed noua probatio prioris indicij: vt optimè notant Clarus *loc.cit.* Locatus *de iudic. inquiſ.in verbo Tortura, verſ.Nota ſecundum*, Caballus *reſol.crimin.tom.1.cent.2.caſu 195. n.43.* Tum etiam, quia indicia priora fuerunt per torturam ſublata; nec poſſunt amplius pro indicijs deſeruire: vt docent Farinacius *de inquiſitione, q.4. n.29. in eius addit.poſt 3.vol.conſil.* Francus *deciſ.577.* Giurba *conſ.50.n.42.* Carena *loc.cit. n.150.* & alij.

Si reus fuit leuiter tortus, & indicia cõtra eum ſint valdè vrgentia, poteſt ne iterum torqueri, etiamſi noua nõ ſuperueniant indicia?

49 RESp. affirmatiuè: quia tunc non cenſentur plenè purgata priora indicia; & ità ex conſuetudine ſeruatur. Cauendum verò eſt, ne quid nimis ſeuerum committatur. Sæpè enim contingit ob ſeuitiam tormentorum multos fateri, quæ non commiſerunt. Tortura non poteſt repeti, niſi poſt tres dies interpellatos, dummodò qualitas perſonæ multum debilis, hoc non impediat. Ità docent Farinacius *q.38.nu.7.* Pegna *loc.cit. verſ. Sit ſecunda regula*, Martinus del Rio *lib.5. diſquiſ.magic.in 2.append. qu.31.n.32.* Carena *n.154.* Vt autem intelligatur, quãdo per torturam indicia ſint plenè purgata, iudicio prudentis Iudicis commenſuranda eſt qualitas perſonæ, & inflicta tortura, cum grauitate indiciorum.

Reus ſufficiẽter de delicto conuictus, ſi torquendus ſit ſuper intentione, & complicibus, quomodò ei danda eſt tortura, ne perſiſtendo in negatiua, purget probationes, quæ contra ſe extant?

50 RESp. Quod in tali caſu danda eſt tortura cum clauſula: citra præiudicium probatorum: & dum reus torquetur, non eſt interrogandus de delicto principali, de quo eſt conuictus: ſed tantùm de his, quæ ſpectant, ad inueſtigandam intentionem ſuam, & complices. Si enim reus interrogaretur ſuper delicto principali, & perſiſteret in negatione, purgaret omnes probationes contra ſe ipſum factas, nec puniri poſſet pęna ordinaria: ſed tantùm extraordinaria. Et tunc proteſtatio nihil operaretur: quia eſſet contraria facto. Secus vero ſi reus non interrogaretur, niſi ſuper intẽtione, & complicibus. Nàm tunc ſi in negatiua perſiſteret, damnandus eſſet ad pœnam ordinariam: quia per dictam proteſtationem, ſaluum redditur Fiſco, ius puniendi illum. Ità docent Boerius *deciſ.163.nu. 13.* Villaut *in pract.lib.7.c.2.concluſ.4.* Boſſius *tit. de indicijs ante torturam, n.130.* Decianus *conſil. 93. nu. 20. vol.2.* Pitignanus *in pract. crimin.p.3.c.6.in addit.litt.B.* Binsfeldius *in comment.de maleſ.& mathem.leg.7.q.1. concluſ.3.* Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.2.c.39. n.44.& 45.* Martinus del Rio *lib. 5. diſquiſ.magic.ſect.9.§.Cæterum ſi reus*, Diana *tom.5.tr. 11.reſ.32.ex par.4. tr.6.reſ.32.* Carena *par.3.tit. 10.§.24.* & alij cõmuniter.

Reus,qui ſufficienter tortus, noluit veritatem fateri,ſed illam omninò negauit, eſt ne indeciſè relinquendus; vel eius cauſa eſt debito fine terminanda?

51 RESP.Quod quamuis Salycetus in *l.Si ſibi,Cod.de adulter. & in l.3. Cod.ad l.Iuliam Maieſt. & in l.Ea quidem*, *Cod. de accuſat.* & Antonius Gomex *tom.3.variar.reſ.c.*13.*n.*23.teneant reos pluries tortos, & negantes delictũ: eſſe eorum cauſam indeciſè relinquendam.Tamen Eymericus *par.3.in inſtructione circa quæſtiones reorum,num.*159. Pegna *ibi,commen.39. verſ.Et ſi omninò*: docent,quod verior ſententia eſt:in hoc caſu reum eſſe expediendum, & eius cauſam decidendam, & debito fine terminandam: quia eſt vulgaris illa regula: quod Actore non probante, reus debet abſolui, *l.Actor, Cod.de probat.leg. Qui accuſare,Cod.de edendo*,quod latiſſimè probat Gomez *loc.cit.* Et ab hac ſententia non eſt recedendum. Et *verſ. Vbi autem*,ait Pegna cum Eymerico:reũ ſufficienter tortum liberandum eſſe abſque alijs pœnitentijs.

In tormentis expoſitus reus ſi noluerit detegere veritatem,quomodo eſt dimittendus?

52 RESP. Si requirat Iudices, quod per ſententiam expediatur; illã non poterunt ei denegare, & ferenda eſt,quod de tali crimine,de quo fuit delatus, meritis proceſſus diligenter diſcuſſis, non inuenitur probatum aliquid legitimè contra eum. Ità Eymericus *loc. cit.n.*157.vbi notat Pegna *n.*157.(ex errore 156.) Quod ſingularis eſt,& tutiſſima,& penitus obſeruanda hæc Eymerici doctrina, de non iterandis tormentis,niſi noua indicia ſuperueniant:quam ſententiam tradunt communiter Doctores,Bartolus *in l.Vnius,*§.1.*ff.de quæſtionibus,* Odofredus, Cynus,& Salycetus *in l.fin.Cod.de quæſtionibus*,Alexander *lib.*1.*conſil.*5.*n.*5. & alij. Noua autẽ indicia dicuntur, quæ à primis differunt ſpecie, & ſubſtantia. Ità Pegna cum nonnullis alijs.

Poſt torturam quid animaduertendum eſt circa reum ab Epiſcopo, & Inquiſitore?

53 RESP. Quod poſtquam mandauerint, vt à tortura reus deponatur, brachia adaptentur, & reueſtiatur, mandare etiam debent, vt ad locum ſuum reportetur cum clauſula: Illum torturæ iterum ſubijciendum,quatenus opus ſit: vt aduertunt Clarus *q.64.verſ. Vltimo videndum*,Gilhauſen.*vbi ſup.nu.* 51.Cantar.*in praxi interrog. reorum,lib.* 4.*c.*1.*n.*116.Carena §.23.*n.*173. Deindè ſi reus confeſſus ſit, vt ad eius condemnationem procedatur, neceſſarium eſt confeſſionem ſuam ratificare: vt patet ex Gloſſa *in l.Seruus, Cod.ad leg.de vi public.* & docent Symanchas *de cath. inſtitut. tit.*65.*n.*67. Suarez de Paz *in praxi,tom.*1.*p.*5.*c.*3.§.12.*n.*23.& 24.

Ratificatio delicti commiſſi,& confeſſi in tortura, quomodo, & quando fieri debet?

54 RESP. Quod fieri debet extra locũ tormentorum, vt notatur in Gloſſa *in l.*2.*verb.Aliquid,Cod.Quarum appellat. non recip.& in l.Seruos, Cod.ad leg.Iul.de vi publica*, & à Symancha *de cathol.inſtitut.tit.*65.*n.*67.& ab alijs. Et vt docet Farinacius *de hæreſi,qu.*185.§. 8.*n.*150. Ad effugiendam ſuggeſtionẽ, non lecta præcedenti confeſſione, moneatur reus, ad repetendum, quod in ſua confeſſione per torturam, vel per quid aliud ſimile in effectu dixerit. Sicque per ipſum repetita dicta confeſſione in ſubſtantia; legatur poſteà per extenſum eadem confeſſio, & requiratur ab ipſo reo: an ea,quæ ipſi lecta fuerũt, ſint illa eadem, quæ confeſſus fuit per torturam, vel per quid aliud ſimile; & an ea tanquam vera confirmare, ſeu ratificare,velit,& intendat.

55 Quãdo autem fieri debeat huiuſmodi ra-

ratificatio, Bartolus,& alij in *l.prima*, §. *Diuus Seuerus,ff. de quæſt.*docent, relinquendum id eſſe arbitrio Iudicis. Antonius Gomez *tom. 3. variarum reſol.c. 13. nu.* 24. putat, quod tranſire debeat ſpatium vnius diei naturalis 24.horarũ, & idem ſentiunt Pegna *par. 3. director. comment.39.nu.*158.& Souſa *in aphoriſ. inquiſ.*qui rectè ſubdunt benignius eſſe, hanc ratificationem fieri poſt duos, vel tres dies ex tempore, quo inflicta fuit tortura; ne adhuc tormentorum dolor, & vehemens animi turbatio,durare videatur. Et ideò Inquiſitores in tertium diem ratificationem rei differre ſolent: vt notant Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.65.n.*71.Miranda *in ordin. iudic.tom. 2.q.26.art.*17.*concluſ.*5.

56 Si verò reus confeſſionem factam in tortura reuocauerit,& poſt reuocationẽ iterum illam confeſſus fuerit, valet hæc eius confeſſio, vt ad pœnam ordinariã poſſit condemnari. Ità Cantera *in quæſtionib.crimin.c.* 2.*de probat.per teſtes,qu.* 1.*n.*67.cum nonnullis alijs Doctoribus quos ipſe citat.

57 Item ſi confeſſio in tortura fuerit extra torturam ratificata, & poſteà reus allegauerit ſe erraſſe in dicta confeſſione,& illam reuocauerit: ſi errorem probauerit,cenſenda erit reuocata. Ità Iulius Clarus,Boſſius,& alij, quos citat,& ſequitur Caballus *in reſolut. crim. cent. 2.caſu* 186.*n.*4. Si autem errorem non probauerit, non iterum ad torturam deueniendum erit; ſed ad condemnationem.

Si reus in tortura confeſſus ſit delictũ, & deindè noluit illud ratificare, ſed confeſſionem factam reuocauit, poteſt ne iterum torqueri?

58 RESp. affirmatiuè, etiam ſi alia indicia non ſuperueniant.Quia ea confeſſio primum facta in tortura,dicitur nouum indicium ſufficiens ad nouã torturam.Ità Bartolus in *l.Vnius,§.Reus in fin.ff. de quæſt.*& hanc opinionem eſſe communem, dicit Boſſius *tit.de tortura*, & alij, quos refert,& ſequitur Iulius Clarus *pract.crimin.§.fin.q.*21.*verſicul.Vlterius quæro, & q.64. verſic.Vbi vero.*Confirmatur, nàm alias prima tortura eſſet omninò infructuoſa,quia omnis reus,vt pœnam euaderet, nunquam delictum confeſſum ratificaret. Verum in hoc caſu vitanda eſt crudelitas: vt notat Pegna: immanis enim carnificum ſæuitia eſſet, nimis reum in tormentis detinere,quia ratificare noluit.

Reus,qui bis tortus, bis confeſſus delictum,ſed bis etiam ſuam confeſſionem reuocauit,nolendo illam ratificare,eſt ne tertio torquendus?

59 RESp. Iulium Clarum *in practic. crimin.§.fin.q.*21. *ver.Vlterius quæro*;Antonium Gomenſem *tom.3.variar.reſol.c.*13.*n.*27. & alios affirmare, talem reum eſſe tertiò torquendum. Ioannem Baptiſtam Baiardum *in addit. ad Iulium Clarum,q.*21.*n.*140. aſſerere: Hoc eſſe relinquendum arbitrio Iudicis: qui conſiderare debet grauitatem delicti,qualitatem rei,& qualia præceſſerint indicia: quæ omnia eſſe poſſunt adeò vrgentia; vt ipſe Iudex rectè poſſit arbitrari, reum etiam tertiò eſſe torquendum. Sed Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.65.nu.*82.Cantera *in quæſt.crimin.c.2.de probat.per teſtes,q.*1.*n.*67.Locatus *in praxi inquiſ. verb. Tortura*, §. *Sed pone*,Souſa *in aphoriſ. inquiſ. lib.2.c. 39.n.39.*Sanchez *in conſil.lib.6.c.3. dub. 15.n.*14.Pegna *par.3. comment.39.verſ. Maior tamen difficultas*,Farinacius *qu. 38.n.*106.Diana *tom.5.tract.*11. *reſ.*24. *ex par.4.tr.6.reſ.*24. & alij docent:reũ, qui bis tortus fuit, & bis in tortura cõfeſſus, & bis etiam noluit ratificare ſuã confeſſionem: ſed illam reuocauit, negando,commiſiſſe illud delictum, non eſſe tertiò torquendum: niſi in vno tantùm caſu, quando bis leuiſſimè fuerit tortus, & in poſteriori tortura noua indicia priori confeſſioni addiderit. Quia confeſſio in ſecunda tortura facta ex ſe non addit aliud nouum indicium,nàm eſt

eſt eadem cum prima confeſſione; ergo non eſt ſufficiēs, vt reus tertiò torqueatur. Confirmatur, quia nulla aſſignari poteſt ratio,cur ter torqueri poſſit,& nō quater, & pluries. Ergo ſicut hoc eſſet inconueniens,& nimis crudele, ità etiā ſi tertiò eſſet torquendus.

Reus tortus,& negatiuus,poteſt ne puniri pœna extraordinaria?

60 REeſp. quod, vel reus fuit tortus cum ſemiplena probatione tantum,& fuit negatiuus; & non eſt puniēdus, neque pœna ordinaria; neque extraordinaria: ſed eſt abſoluendus. Vel fuit tortus cum pluſquam ſemiplena probatione; & ſi fuit negatiuus, non purgauit in totum qualitatem delicti:& ideò non eſt ſimpliciter abſoluendus: ſed aliqua pœna arbitraria puniendus. Ità adeſt determinatio InſtructionisToletanæ anno 1561.*n.*54. & Cantera *in quæſt.crimin.c.* 2.*de probat.per teſtes*, *qu.* 22.*de reo*, teſtatur, ità communiter ſeruari in S.Officio S.Inquiſ.Hiſpaniarum. Idem docent Aloyſius Riccius *par.*1. *deciſ.*73.*n.*8.Binsfeldius *de maleſ. leg.*7. *q.*1.*concluſ.*16.Boſſius *tit.de inquiſit. nu.* 30.Clarus *q.*64.*n.* 38.Diana *loc.cit.reſol.* 33.Et quamuis Symanchas *in cathol.inſtitut.tit.*65.*n.*64. affirmet,quod ſi reus, in tortura negatiuus perſeuerauerit, purgat omnia præcedentia indicia. Tamen interpretandus eſt ſano modo: nēpè ſi indicia arbitrio Inquiſitorum erāt talia, vt per torturam cēnſeantur purgata: vt notat ibidem ipſe Diana. Igitur quando indicia fuerunt grauia, & valdè vrgentia non purgantur per torturam: quoad pœnam extraordinariam.

CAPVT XXIV.

De Sententia cōtra Sortilegos, & alios in S.Officio inquiſitos.

Quid, & quotuplex eſt ſententia, & quonam modo ferenda?

1 REſp. Quod ſententia eſt legitima determinatio, facta à Iudice ſuper aliquod factum: vel eſt iudicialis definitio,controuerſię finem imponens: vel vt alij dicunt:eſt pronunciatio Iudicis, continens abſolutionem, vel condemnationem: ſunt & aliæ definitiones ſententiæ, quæ cum prædictis conueniunt. Vt notat Scaccia *de ſententia*, *& re iudicata*,*gloſ.*14.*q.*2.*nu.*1. *& num.*47. *& ſeq.*

2 Sententia alia eſt definitiua,quæ cauſam terminat: alia interlocutoria, quæ determinat articulos incidentes, & emergentes in progreſſu cauſæ, dum adhuc principale negotium pendet: alia eſt condemnatoria, quæ ſubijcit reum pœnæ: & alia eſt abſolutoria, quæ inquiſitum à pęna liberat: Ità Iaſon *in leg. Ne quidquam*,§.*Vbi decretum*, *ff.de offic. proconſ.*Sylueſter *verb.Sententia*,Miranda *q.*27. *n.*7. & communiter omnes.

3 Differt ſententia à decreto: nam decretū eſt conſiderata prouiſio Iudicis, citra abſolutionem, vel condemnationem. Sentētia verò eſt pronunciatio Iudicis continens abſolutionem, vel condemnationem:vt notant Simoncellus *de decretis in præfat. num.* 2. Sigiſmundus Scaccia *vbi ſup.n.*47.*& ſeq.*

4 Modus autem ferendi ſententiam, expreſsè, ac diſtinctè docetur à Pegna cum Eymerico *par.*3.*comment.*40.*verſ. Ergo poſtquam*,*& ſeq.* & à Diana *tom.*5. *tr.*10.*reſ.*58.*ex par.*4. *tr.*8. *reſol.* 106. & alijs,nempè,quod cum ab Inquiſitore, & Epiſcopo,vel eius Vicario, & cōſilio peritorum decretum fuerit, reum confeſſum, vel conuictum, eſſe ad pęnam condemnandum; & qua die, & hora, & quo loco pronuncianda ſit ſententia:citandus eſt reus, & vocandus, vt perſonaliter ſentētiam audiat, recepturus debitam ſui delicti pęnam. Quam ſententiam ferre debent in die,non in nocte: niſi multitudo negotiorum aliter fieri non permittat: & in publico in ſcriptis illam proferant: aliter non valeret: poſſunt tamen per alium illam proferre.

Sententia condemnatoria quomodo ferenda eſt?

Reſp.

5 RESp.Eſſe ferendam,itaut in ea primò, errores delinquentis declarentur: deindè diligens criminum inueſtigatio, citationes, monitiones, confeſſiones,probationes legitimæ,induciȩ,ad pœnitendum,competentes datæ, obduratus ipſius rei animus, & reliqua, quæ ad iuſtum proceſſum conficiēdum enumerantur. Tandem pro qualitate criminis,ſecundum leges,& regulas in huiuſmodi criminibus obſeruandas, ſubiungatur ipſa ſententia: Ità Pegna *loc. cit.* Brunus *lib.4. de hæret. c.*10. Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*60.*n.*2. & alij.

Sententia abſolutoria quomodo eſt ferenda?

6 RESp. In ſententia abſolutoria declarari non debere delatum innocentem,& à culpa immunem, ſed tātùm,quod contra illum nihil probatum ſit. Quia contingere poteſt,vt quod nūc in proceſſu probatum non eſt, poſteà probetur;& decens non eſt, vt in eodem iudicio diuerſæ proferantur ſententiæ. Vt ergo hæc diuerſitas vitetur,expedit, quod delatus non abſoluatur, vt innocens; ſed ſolum declaretur, nihil contra ipſum probatum fuiſſe: Ità docent Eymericus *par.3.direct.rubr.de formà abſoluendi delatum,n.*143. & ibi Pegna *comment.37.verſ.Caueatur*, Scaccia *de iudic.c.59.n.*1.Farinacius *q.*185.*nu.*172. & alij. Verùm ſi manifeſtè probatum fuerit,denunciantem,vel accuſatorem, & teſtes, falſum depoſuiſſe: tunc poſſet delatus,vt innocens abſolui,& declarari. Quia tunc non adeſſet probabile periculum, retractandi ſententiam abſolutoriam:cùm conſtet de iniquitate delatoris,& teſtium, & etiam de innocentia delati. Ità Pegna *loc.cit. verſ. Quod verò*, Farinacius *ibid.n.*173.& alij,quos ipſi citant. Si autem delator, & teſtes dicta ſua retractauerint: tunc maxima circumſpectione videndum eſt, nè forte,prætio corrupti,id fecerint: vt notant dicti Doctores.

Sententia ſi feratur ſine citatione partis condemnandæ,vel non feratur in ſcriptis,eſt ne inualida,& nulla?

7 RESp. affirmatiuè; quia,quoad primum quæſitum, citatio in caſu prædicto eſt de iure naturæ: cum ſit ſpecies defenſionis: vt ex *Clement.Paſtoralis de re iudicata*, & probat Marāta *in praxi p.6.cap.de citat.n.3.*& conſequenter eſt de ſubſtantia iudicij: nec ſine citationis actu ſubſiſtere poteſt ſententia contra hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum; vt notant Ludouicus à Paramo *de orig.S.Inquiſ.lib.3.q.4. in rubr. de forma,& ordine,n.*62. Souſa *in aphoriſ. inquiſ. lib.2.c.*27. Caſtro Palaus *par.1.tr.4.diſp.8.punct.5.nu.*1. Decianus *tr. crimin.lib.5.c.32.n.*1. Farinacius *q.*185. *n.*154.Pegna *par.3.direct. commen.*104. Carena *par.3.tit.2.§.1.n.6.*& alij.

8 Similiter dicendum, quoad ſecundū quæſitum: ſententiam tàm abſolutoriā, quàm condemnatoriam eſſe inualidam, & nullam,niſi feratur in ſcriptis; vt conſtet de eius iuſtitia, & ne deinceps, ex defectu ſcripturæ, contingat occultari veritatem,ſemèl prolatam, & in iudicio definitam. Ità Gloſſa in *Clement.Sæpè de verbor.ſignific.verb.In ſcriptis*, & ſic videtur ſanciuiſſe Concilium Narbonenſe *c.6.*vt affirmant Pegna *par.3.commen.*40.*n.*165.*verſ.Prætereà in ſcriptis*,Farinacius *vbi ſup.n.*166. Souſa *ibid.c.36.n.*6.Maſſinus *in praxi S.Officij,p.10.aſſert.*184. Scaccia *de ſentent. & re iudic. gloſ.*12.*per totam*,Carena *par.3.tit.*11.§ 4.*n.*8. Thomas del Bene *de offic. inquiſ. par.*1.*dub.*194.*ſect.*4.& alij. Et vt in iudicio probet, debet auctenticari à Iudice, vel à Notario,ſeu Actuario:ex *l.2.Cod. de ſentent.& breu.recit.*Alias neque per teſtes,qui fuerunt præſentes,probari poſſet: vt notat Lanfrancus *in cap. Quoniā contra de probationibus, nu.*72. Verallus *par.2.deciſ.*90. Bordonus *tom.1.cap.37. num.*4.

In ſententia, ſiuè condemnatoria, ſiuè abſolutoria,ſunt ne narrandi,ſeu exprimendi omnes errores, de quibus reus fuit quærelatus?

Reſp.

9 RESp.affirmatiuè; & quoad ſententiam condemnatoriam, omnes Doctores docent: eſſe exprimendos in ea omnes errores, quos reus grauatus, conuictus,& confeſſus fuit,& tempus,in quo in ipſis permanſit: Ità docent Pegna *par. 3. comment.* 40. *verſ. Poſtremò ſententia*,Souſa *in aphoriſ.inquiſ. lib.*1.*c.*36.*n.*25.Symanchas *de cathol.inſtitut.titul.*60.*n.*3. Caſtro Palaus *par.*1.*tract.*4.*diſp.*8.*punct.*11.*n.*10.*verſ.Verum.*In sẽtentia autem abſolutoria eſſe etiam exprimendos omnes errores, de quibus culpatus fuit abſoluendus: affirmat, & probat Bordonus *tom.*1.*c.*37.*n.*7.Quia vtraque ſententia cõdemnatoria, & abſolutoria componitur, ex condemnatione, vel abſolutione alicuius delicti, tãquàm ex materia, & forma; eſt enim quoddã compoſitum morale. Sed ſententia non poteſt exiſtere, nec intelligi in ratione ſui compoſiti, neque in ſeipſa, ſine ſuis partibus componentibus. Ergò neceſſariò hæ partes in illa ſunt exprimendæ; & conſequenter narranda in ea ſunt delicta, quibus reus quærelatus fuit; vt per condemnationem pœnis debitis plectatur: aut per abſolutionem declaretur ab illis exemptus.Ità Bordonus, qui hoc idem alijs rationibus probat.

10 Sed his non obſtantibus:non eſſe in ſententia abſolutoria errores commemorandos,affirmant Pegna *par. 3. comment.*37.*verſ.Attendentes*; Farinacius *de hæreſi,q.*185.*nu.*175. Caſtro Palaus *loc. cit.n.*8.Maſſinus *in praxi, par.*10.*aſſert.*118.Carena *par.*3.*tit.*11.§.7.*n.*23.*verſ. Tertiò notandum*. Et ità habetur in Inſtructione Madriliana ann. 1561.*c.* 62. Quia nullius vtilitatis eſt talium errorũ expreſſio, cùm probati non ſint; & potius audientibus, poſſunt ſuſpicionem generare contra indebitè inquiſitum. Notant verò Albertinus *de agnoſcend. aſſertion.q.*25.*nu.*70. Souſa *in aphoriſm. lib.*2.*c.*28.*n.*18.Carena *loc.cit.n.*25.Bordonus *n.*8.& alij,quod ſi reus confeſſus ſit homicidium coram Inquiſitore, pro quo poſſet à Iudice laico puniri pœna mortis; in ſententia quàm contra eum fertur in Tribunali Inquiſit. non eſt exprimendum hoc delictum: ne ex illius narratiua Iudex laicus poſſit contra eũ agere.Secus verò ſi cauſa ſit principaliter ſup homicidij delicto.E.g.ſicommiſſum ſit ex maleficio; tunc enim eſſet vtique exprimendum, vt ſententia ſit libello conformis.

Sententia abſolutoria, vel condemnatoria proferri ne poteſt ab Epiſcopo ſine Inquiſitore, vel ab Inquiſitore ſine Epiſcopo?

11 RESp.Quoad ſententiam condemnatoriam certum eſſe,non poſſe proferri ab Inquiſitore ſine Epiſcopo, vel eius Vicario; neque ab Epiſcopo ſine Inquiſitore,ſiuè ſententia ſit definitiua,ſiuè interlocutoria; & ſi ſecus præſũptum fuerit, nullum eſt, & irritum ipſo iure. Ità enim expreſsè definitur in *Clement.*1.§.*Propter quod,verſ.Duro tamen de hæreticis*, vt notant Eymericus *in direct.par.*3.*q.*49.Pegna ibi, *& comment.* 40.*n.*165. *verſ. At hæc ſententia*, Tabiena *in ſumm.verb.Inquiſitor*,§.5.Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*34.*n.*38.& alij communiter.

12 Quoad ſententiam verò abſolutoriã, definitiuam,qua reus abſoluitur ab omni pœna,vel interlocutoriam, qua reus abſoluitur à tortura, vel ab alio cruciatu,an poſſit Epiſcopus ſine Inquiſitore, vel Inquiſitor ſine Epiſcopo, aut eius delegato illam proefrre, controuertitur inter Doctores. Alij enim negant.Quia antequam Inquiſitor contra reum proferat ſententiam, debet Epiſcopum requirere:& vice verſa, Epiſcopus Inquiſitorem; & inter ſe communicare proceſſum,& examinare, an reus ſit condẽnandus,vel abſoluendus. Ergo aſſiſtentia vtriuſque requiritur in actu ſententiæ, ne aliquis error committatur: abſoluendo eum,qui fortè damnari meretur; vel condemnando eum, qui debebat abſolui. Ità docent Ancharanus *in dicta Clement.*Bartholomæus,& Marianus Soccinus *in rubr.ff. de acquir.poſſeſ. n.*66.

n.66.& ſeq. Symanchas *de cathol. inſtit. tit.3.n.9.*& alij.

13 Sed Eymericus *in direct.par.3.q.48.* Pegna ibi *comment.97. verſ.His poſitis*, Iulius Clarus *pract.crimin.§.Hæreſis, n. 5. verſ.Sed quis in fin.* Farinacius *q.186. n.60.*Molina *de iuſt.diſp.28.n.15.* & alij quamplures,quos citat Pegna, communiter ſuſtinent,poſſe Epiſcopum ſine Inquiſitore, & Inquiſitor ſine Epiſcopo, ſententiam abſolutoriam proferre.Quia recedendum non eſt à iure antiquo,niſi in quantum ius nouum expreſsè illud corrigit: *l.Sancimus,Cod.de teſtamen.leg. Præcipimus de appellat.Authent.de non alienan.aut permut.rebus Eccleſiaſt. §.final. cap.Ad noſtram de regular.* Sed indubitatum eſt,Epiſcopũ,iure antiquo,ſe ſolo poſſe totum negotium fidei definire. Et in iure nouo non inuenitur,Epiſcopo, vel Inquiſitori prohibitum,proferre ſententiam abſolutoriam: ſed tantum condemnatoriam: vt conſtat *ex dicta Clement.*Ergo etiam iure nouo benè poterit, tàm Epiſcopus, quàm Inquiſitor ſolus,ſententiam abſolutoriam pronunciare. Et hoc idem alijs rationibus probat Pegna *loc.cit.verſ.At plenè.*

14 Sed nihilominus,tàm ipſe Pegna,quã alij exiſtimant:quod quamuis hæc Doctorum opinio ſit communior,& verior; & propterea fortaſſis non erraret,qui eã in praxi vſurparet. Tamen prior opinio tutior eſt.Non enim quidquid iure permittente fit,id ſemper tutò fit. Quare ſalubrius,& tutius eſt, etiam in ſententia abſolutoria mutuum conſenſum viciſſim adhibere, ſicut in condemnatoria: ne quid vnquam incautum in fidei cauſis committatur;cùm maturius,& ſanius ſit illa determinatio, quæ plurimorum conſilio roboratur. Et ità in praxi ſeruari debet. Eò magis, quia licet textus Clementinæ de ſola ſententia condemnatoria expreſsè loquatur;implicitè tamen loquitur de qualibet ſententia,quę prærequirit communicationem, & examinationem proceſſus. Et ità ſentiunt Pegna *vbi ſup.verſ.Ex his omnibus*, Caſtro Palaus *par.1.tr.4.diſp.8. punct. 13. n.20.in fin.* Farinacius *dicta q. 186. nu. 81.*Royas *ſingul.27.n.7.* Azorius *par.1. lib.8.c.18.q.61.* Carena *par.1.tit.4. §.2. num.10.*

15 In Hiſpania certum eſt: non poſſe Inquiſitorem ſine Eiſcopo, neque Epiſcopus ſine Inquiſitore ferre ſententiam abſolutoriam: quia hoc prohibitum eſt in inſtructionibus datis particularibus Inquiſitoribus, quas ipſi obſeruare tenentur: quia iuxtà illas iuriſdictio ab Inquiſitore Generali conceditur; vt teſtantur Symanchas *de cathol.inſtitut.tit. 3. rubr.de abſolutionibus, nu.9.& in Enchirid.viol.relig.tit.51.rubr.de abſol. n.2.* Caſtro Palaus *par.1.tr.4.diſp.8.pun.13. num.19.*

Inquiſitor, & Epiſcopus, in ferendis huiuſmodi ſententijs, tenentur ne, peritorum conſilium exequi?

16 Reſp. Albertinum *tract. de agnoſcendis aſſertionibus catholicis,q. 26.n.11.& ſeq.* Decianum *tract. de crimin.lib.5.c.24.n.10.* Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.1.c.1.n.14.& lib.2.c.16.nu.9.* & alios, quos citat, & ſequitur Farinacius *q.185.nu.192.* opinari: Inquiſitorem, & Epiſcopum, in ferenda ſententia, tàm abſolutoria, quàm cõdemnatoria, ſequi debere conſilium peritorum. Tum quia *in cap.Statuta de hæreticis in 6.* habetur: *Et ex ipſorum conſilio ad ſententiam, vel condemnationem procedi volumus.* Ex quibus verbis indicari videtur obligatio,ſequendi conſilium peritorum.Tum etiam, quia ſi poſſent Epiſcopus, & Inquiſitor à conſilio peritorum recedere; ipſorum ſententia non diceretur, ex peritorum conſilio procedere: ſed potius contra illorum conſilium:quod eſt contra dictum Pontificis ſtatutum.

17 Sed multò probabilius dicendum eſt: Epiſcopos,& Inquiſitores non obligari peritorum cõſilium ſequi. Sed poſſe ſi ſic melius iudicabunt; ſententiam contrariam ferre. Ità docent Tabiena *verb.Inquiſitor, nu. 12.* Lucerna Inquiſ. *verb.Aduocatus,c.4.*Zecchius *in ſumm. tom.1.tit.de hæret.c.11.n.14.*Treuiſanus *lib.2.deciſ.35. nu.1.* Cenedus *collect.27. n.2.*

*n.2.in 6.decret.*Bariola *in aphoriſ. litt.V. verſ.Vota conſiliorum*, Barboſa *in colle-ctan.tom.3.lib.5.tit.2.c.12.nu.*8. Pegna *par.3.comment.*127.*verſ.Cæterum quid-quid*, Royas *tr.de hæret.par.*1. *n.*409.*&* *par.*2.*n.*166.Symanchas *de cathol. inſti-tut.tit.*41.*rubr.de Miniſtris,n.*14.Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*8.*punct.*11.*nu.*5. Bordonus *tom.*1.*c.*37.*nu.*15. Diana *vbi ſup.n.*2. Thomas del Bene *loc.cit.ſect.*3. *per totam*,Carena *loc.cit.n.*51.Quia vota peritorum, ſeu Conſultorum ſunt con-ſultiua,non deciſiua; & in ſupradicto *c. Statuta*,ſolum mandatur, vt ſententia procedat ex conſilio peritorum: quod ſatis rectè intelligi poteſt,requiſito con-ſilio peritorum: etiamsi illud non exe-quatur. Hæc autem explicatio cùm ſit benignior, & Inquiſitorum dignitati conuenientior, aſſeri potius debet, quã oppoſita.Et confirmarur,nam ſi Inquiſi-tores tenerentur, ſequi peritorum, ſeu Conſultorum conſilium, Iudices potius eſſent ipſi periti, & Conſultores; quam Inquiſitores dum iuxtà illorum conſi-lium ſententiam neceſſariò proferre de-berent, & ſolum executionem eis ſpe-ctare, videretur. Et ità in inſtructione Matriliana,*cap.66.*ſtatuitur, his verbis: *Si Inquiſitores,& Ordinarius fuerint cõ-formes, quamuis Conſultores diſcrepent, & ſint numero plures;decretum Inquiſito-rum, & Ordinarÿ executioni mandetur.*

18 Verum licet Inquiſitores non teneã-tur, neceſſariò conſilium peritorum ſe-qui:tamen ratio dictat; vt quotieſcunq; manifeſta ratio in contrarium non vr-geat, tutius, ac conuenientius eſt, quod ipſi conſilio peritorum acquieſcant. Im-mò, quia negotium fidei grauiſſimum eſt,non ſolum in ferendis ſententijs,ve-rum etiam in alijs grauibus totius iudi-cij actibus tutius erit,nuſquam diſcede-re à peritorum ſuffragijs.Nam ſi quan-doque contingeret: Inquiſitores auda-cius vti ſua poteſtate, & libertate, facile poſſent errare, & committere id, quod vel in fidei, vel in reorum detrimentum verteretur.Ità notant Pegna *par.3.com-ment.*127.*verſ.Quamquam autem*, Bor-donus *tom.1.c.37.n.15.*Thomas del Be-ne *par.*1.*dub.*194.*ſect.*3.*nu.*5. Ancharã-nus *in cap.Si ad Epiſcopum,notab.8.ver-ſic.Circa ſecũdum,lib.6.* Bariola *in apho-riſ.litt.V.verſ.Vota Conſiliorum*,Zanar-dus *in direct.Theolog.par.2.prac.1.c.6. quæſit.* 42. Iudex enim non debet rece-dere ab opinione peritorum, §.*Reſponſa prudentum Inſtitut.de iure natur.* Et illa ſententia eſt melior, quæ pluribus au-ctoritatibus corroboratur:*cap.Qui rece-dit,diſt.4.de pœnit.*& in iudicando non eſt recedendum à communi opinione: vt ait Bartolus cum alijs *in l.2.Cod.de pœnis iur. qui malè iud.* Felinus, Decia-nus,& alij *in cap.1.de conſtitut.*

19 Notandum etiam, quod Iuriſconſul-ti in agnoſcendis propoſitionibus hæ-reticis, & catholicis, & eorum qualita-tibus expendendis, aſſentire debent Theologis:& Theologi, Iuriſperitis, in capturis reorum decernendis, in indi-cijs ad torturam aptis, in teſtium dictis admittendis,vel repellendis,in appella-tionibus admittendis,aut refutandis, in ſententijs interlocutorijs, & definitiuis ferendis,& in toto ordine iudiciario ob-ſeruando. Hæc enim Theologi à Iuriſ-peritis petere debent; vt notant Alber-tinus *in cap. Quoniam de hæreticis in 6. q.*10.*n.*17.Pegna *loc.cit. verſ.Cum vero.*

Periti, ſiuè in Theologia, ſiuè in Iure Canonico, vel Ciuili, tenentur ne mandato Inquiſitoris cõſilium præ-ſtare?

20 Reſp.affirmatiuè, ex *cap.Vt com-miſſi de hæreticis in 6.* vbi dici-tur: *Aduocandi quoque,prout expedierit peritos quoslibet, vt vobis aſſiſtant, & in huiuſmodi ſententÿs præbeant conſilium opportunum; ac eis ſuper his verbis humi-liter pareant,in virtute obedientiæ iniun-genda.* Ex quibus verbis inferunt Do-ctores: peritos teneri mandato Inquiſi-toris conſilium præſtare: etiamſi ipſis nullum ſalarium aſſignatum, & nulla pecunia detur: Dum abſolutè dicitur, quod Inquiſitores in virtute obedien-tiæ peritis iniungere poſſint, vt conſiliũ

præ-

præſtent, nulla facta mentione ſolutionis. Quia fidei negotium omnes defendere, & procurare, independenter à ſolutione, tenentur. Verum ſi eis offeratur ſalarium, vel prætium, poſſunt illud, pro labore impenſo, licitè recipere, cum nulla appareat indecentia. Ità Pegna *par.2.direct.in c.Vt commiſſi, nu.5. & 6.* Symanchas *de cathol.inſtitut. tit.41.rub. de Miniſtris, n.13.* Zanchinus *tr. de haeret.c.15.n.3.* Decianus *tr.crimin.lib.5.c. 14.n.10.* Farinacius *q.185.n.190.* & alij communiter.

Peritis, ab Inquiſitoribus vocatis, eſt ne communicandus totus reorum proceſſus, & teſtium nomina manifeſtanda?

21 RESp. Eſſe eis totum proceſſum communicandum: Tum quia ità præcipitur *in cap. fin. §. Iubemus de haereticis in 6.* his verbis: *Iuris peritis totũ proceſſum, ſuper quo deliberandum eſt, ſerio manifeſtari, & integraliter explicari, & ipſorum conſilio ad ſententiam, vel condemnationem procedi, volumus.* Tum etiam, quia niſi intelligerent integrè, & perfectè totam cauſam, non poſſent perfectè conſulere, neque incorruptum ferre iudicium, cùm nemo de incognitis rectum iudicium facere poſſit: vt cum Eymerico notat Pegna *par.3. comment. 128.* Paramus *de orig. inquiſ.lib.3. qu.4. rubr.de forma, & ordine Iudic. S. Officij, n.56.* & alij paſſim.

22 Nomina verò teſtium, an ſint eis explicanda, maior eſt dubitatio. Non enim videtur hoc neceſſarium: quia abſque tali nominum publicatione rectè periti conſulere poſſunt. Et laudabilis eſt Inquiſitorum conſuetudo; vt nec Conſultoribus teſtium nomina publicentur: ſed abſque his nominibus, proceſſus eis datur, ſuper quibus conſulere debẽt. Qualitates tamen teſtium omninò debent peritis manifeſtari. Nempè an teſtes ſint Religioſi, vel ſeculares, an probatæ vitæ, vel minus probatæ, an periti graues, ac prudentes, vel imperiti, plebei, pauperes, iuuenes, & ſimiles. Vt his qualitatibus cognitis, facilius periti intelligant, quantum ſingulis teſtibus ſit deferendum, vel detrahendum. Ità Pegna *par.3. commen. 129.* Farinacius *q.185. n.196.* & alij.

23 Quandoque verò videtur neceſſariũ: vt nomina teſtium, & delatorum, ſeu reorum peritis notificentur. Si enim dubium ſit: an teſtes fuerint cum reo inimici, & periti eos nouerint, ꝙ inimici fuerint; tunc Inquiſitores poſſunt, & debent nomina teſtium, & delatorum ipſis peritis manifeſtare. Quia talis manifeſtatio, ad decidendam cauſam, videtur neceſſaria, vel ſaltem valdè conueniens. Et in tali caſu debẽt ſecretum peritis indicere ſub iuramento, & ſi opus fuerit ſub pœna excommunicationis: iuxtà textum in *cap. Statuta de haereticis in 6.* Ità Pegna, & Farinacius *loc.cit.*

Si Periti ſint inter ſe diuerſę opinionis, & alter opinetur in fauorem rei, alter in fauorem Fiſci, cuinam iſtorum Inquiſitores, in ferenda ſententia, aſſentiri debent?

24 RESp. Quod in tali caſu probabilius eſt: teneri Inquiſitores ſequi opinionem probabiliorem. Sed ſi amborum peritorum opiniones ſint æquè probabiles: ſiuè ex parte iuris, ſiuè ex parte facti: Inquiſitores illam ſequi debent, quæ magis fauet reo. Tum quia in dubio fauorabiliores ſunt partes rei. Nemo enim condemnandus eſt ad pœnam, niſi pro certa cauſa: vt probant Farinacius *de reo confeſſo, & conuicto, q.86. n.1. & ſeq.* Guazzinus *de defenſ.reorum, tom.2.defenſ.33. c.14.n.1. & ſeq.* Carena *par.3.tit.3.§.1.n.3.* & alij. Tum etiam, quia in dubio quilibet præſumitur bonus; & delictum non præſumitur, niſi probetur. Ità docent Diana *tom.5.trac. 10.reſ.58.in fin.ex par.4.tr.8.reſol.106.* Thomas del Bene *par.1.de offic.inquiſit. dubit.194.ſect.1.n.8.*

25 Verum, quia peritorum, ac Conſultorum ſuffragia non ſunt deciſiua, ſed tantum conſultiua. Si Epiſcopus, & Inquiſitor

ſitor conueniant in opinione: eorum ſententiæ ſtandum eſt, quamuis Conſultores, & periti numero plures, contrarium ſentiant,vel inter ſe diſcrepent. Ità docet Pegna *par.3.direct. inquiſ.cõment.127. verſ.Et in Hiſpania.* Vbi refert Inſtructionem Madrilianam anni 1561.*c.66.*his verbis: *Si Inquiſitores,& Ordinarius fuerint conformes, quamuis Conſultores diſcrepent, & ſint numero plures, decretum Inquiſitorum, & Ordinarij executioni mandetur.*

Sententia, ſiuè abſolutoria, ſiuè condemnatoria ſi ab Inquiſitore, & Epiſcopo feratur abſque peritorum conſilio,eſt ne valida, vel nulla?

26 RESp.Sententiam eſſe nullam, affirmant Morla *in Empor. iuriſ. tit.12.q.10.n.2.*Caſtro Palaus *par.1. tr. 4.diſp.8.punct.11.nu.4.*& alij.Quia in *c. Statuta,* §.*Iubemus de hæret.in 6.*Inquiſitoribus præcipitur, aduocare peritos, his verbis:*Iubemus peritos adduci,& vti eorum conſilio,ſe velle; vt ad ſententiam, vel condemnationem procedatur.*Et idem ſtatuitur in *cap. Vt commiſſi,de hæret. in 6.* Quod mandatum videtur, inducere formam iudicij. Ergo eius omiſſio annullat ſententiam. Nam forma deficiẽte,actus non ſubſiſtit: vt patet ex *c. Delecta de reſcript.*Confirmatur, quia ex *c. Nouit de his, quæ fiunt à Prælato;* & ex *cap.Cum in veteri de elect.* irritatur electio, propter omiſſum conſilium. Et Gloſſa in *cap.Non eſt,de conſuetud. in 6.* ait; *Quod ſi ſententia proferenda ſit cum alterius conſilio, & eo non expectato proferatur,ſententia non valeat, neque appellatione opus ſit.* Ergo ſimiliter ſententia Inquiſitoris, & Epiſcopi, ſiuè ſit abſolutoria, ſiuè condemnatoria, abſque peritorum conſilio lata, eſt inualida, & nulla.

27 Sed his non obſtantibus opinio probabilior, & ſequenda, docet oppoſitum, nempè omiſſionem conſilij peritorum, non inualidare ſententiam latam.Quia conſilium in tali caſu præſumitur mandari,vt ſententia feratur rectè, non autẽ vt feratur validè. Quandocunque enim præcipitur, aliquid agendum cum alterius conſilio, habenti iuriſdictionem, conſilium additum non habet rationem formæ ſubſtantialis illius actus, ſed per id tantum admonetur Iudex, vt alterius conſilio utatur: nè ſine illo, malè ſe gerat contra proximum. Vndè illud præceptum ſignificat monitionem, non autem actus conditionem. Vt docent Canoniſtæ cum Gloſſa *in Clement. de officio delegati,verſ.Reperierint,*Syluestet *verb. Conſilium,q.2.& 3.*Nauarrus *c.27.n.37. verſ.Dixi,& conſil.3.de ſtatu mon.n.37.* & Gloſſa *in Clement. de ſequeſtr. verſic. Nullatenus*, & alij. Sed Inquiſitores prius quam Pontifex præcepiſſet in ſententia adhiberi peritorum conſilium: ab Vrbano IV.& à Clemente IV. habebãt poteſtatem ferendi ſententias, abſque peritorum conſilio. Ergo prætermiſſo peritorum conſilio,eorum ſententia non eſt inualida.Ità ſuſtinent Carena *par.1. tit.8.§.9.nu.55.*Diana *tom.5.tr.12.reſol. 38.n.4.ex par.4.tr.7.reſol.38.*Bordonus *tom.1.cap.37.nu.18.& 19.* Thomas del Bene *par.1.de offic.inquiſ. dub.194.ſect. 2. verſ. Quamuis contra.* Confirmatur, quia *in cap.Vt commiſſi de hæreticis in 6.* tribuitur facultas Inquiſitoribus, vocãdi peritos: (prout expedierit,) Ergo tacitè inſinuatur, eos non eſſe neceſſariò vocandos, ſi iudicatum fuerit, non expedire.

Inquiſitores ferre ne poſſunt ſententiam, ſecundum probabilem peritorum opinionem in fauorem rei,relicta probabiliori contra eum?

28 RESp. Eſſe diſtinguendum, inter ſententiam ferendam contra hæreticum, & ferendam contra ſuſpectum de hæreſi. Si enim aliquis ſit condemnandus,vt hæreticus. Inquiſitores non ſolum ferre poſſunt,ſed debent ſententiam ſecundum probabilem opinionem peritorum in illius fauorem,relicta probabiliori contra eum. Ità docent

Syman-

Symanchas *de cathol.inſtit. tit.*51. *n.*11. *& in Enchirid.tit.*34.*n.*6. *&* 7. Pegna *in annotat. ad Ambroſ. de Vignate de hæreticis,q.*11.*ar.*2.*nu.*146.Ludouicus à Paramo *de orig.Sanctæ Inquiſ.lib.*3. *q.*6. *n.* 88.Farinacius *de hæreſi,q.*187.*nu.*6.Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*8. *punct.* 10. *n.*1.Carena *par.*3.*tit.*3.§.1.2.*&* 3. Diana *tom.*8.*tr.*1.*reſ.*21.*n.*3. *&* 4.*ex par.*3. *reſ.*13.*in addit.*Et ratio eſt: quia hoc delictum eſt grauiſſimum , & grauiſſima pœna punitur. Ergo ſi in alijs delictis criminalibus, probationes eſſe debent, luce meridiana clariores; vt omnes Doctores teſtantur: & deciditur *in l.Sciant cuncti,Cod.de probationibus* , *& in capite Sciant cuncti* 2. *quæſt. vltim.* & probant Farinacius *de reo confeſſo* , *& conuicto, quæſt.*86.*num.*1. & Carena *loc.cit. nu.*1. à fortiori in delicto hæreſis probationes clariſſimæ eſſe debent.Sed tales non ſunt quando delictum probatur probabilius, & adeſt defenſio probabilis in fauorem delati. Ergo Inquiſitores non poſſunt condemnare reum , vt hæreticũ ob probabiliorem opinionem; ſed tenẽtur ſequi illam probabilem in ſui fauorem.

29 Neque obſtat, quod ait cum alijs Clarus *in* §.*Hæreſis, verſ.Debet etiam hoc crimen*, quod in atrocioribus delictis,minores probationes,ſufficere videntur. Quia, vt benè notat Cantera *in ſuis quæſt.crimin.de probat.per teſtes,c.*2.*q.*1. *n.*60.hæc opinio eſt falſa: non enim valet hoc argumentum : aliquis eſt accuſatus de enormi crimine.Ergo vel commiſit illud, vel præſumitur commiſiſſe. Et ibi repræhendit Iudices, præſertim ſupremos, qui contrarium ſeruant;& inter leuia,& atrocia delicta,reſpectu probationum, nullam faciunt differentiam, niſi ſolum reſpectu pœnæ. Nimis enim durum videtur,cùm poſſit Iudex abſoluere reum, ſtante opinione probabili in eius fauorem; debere illum ad mortem damnare. Et ſi opiniones verſentur circa factum; omninò dicendum eſt : Iudicem non poſſe damnare reum ſecundũ opinionem probabiliorem , relicta opinione probabili in eius fauorem:vt cum citatis Doctoribus docet Diana *loc. cit.*

30 Si verò ſit condemnandus aliquis; vt ſuſpectus de hæreſi ; tunc Inquiſitores nullam habere debent rationem, quod in ſui fauorem adſit opinio probabilis, & non ſequi probabiliorem:quia ad cõdemnandum reum, tanquam ſuſpectum de hæreſi,ſufficit, nedum opinio probabilior,ſed etiam probabilis, cum ſit res indubitata, quod etiam ſuſpiciones, & præſumptiones ſufficiunt, ad illum reddendum; vt de hæreſi ſuſpectum; nec in tali caſu vlla ei irrogatur iniuria ; ſi vt taliter ſuſpectus declaretur, & vt talis puniatur abiuratione, & pœna extraordinaria, iuxtà textum *in cap.Accuſatus de hæreticis in* 6. Ità ſentiunt Albertinus *tr. de agnoſcend. aſſertion. cathol. & hæret.q.*34.*nu.*56. Menochius *conſil.*82. *n.*144.*lib.*1.Pegna *par.* 2.*direct.commen.* 80.*verſ. Sed hanc ſubſtantiam*, Symanchas *de cathol.inſtit.tit.*50. *de præſumpt. n.*21.*& tit.*51.*n.*12. Royas *de hæreticis,* 2.*par.n.*304.*& ſeq.*Farinacius *de hæreſi, q.*187.*n.*9.40.*&* 42. Caſtro Palaus *par.* 1.*tr.*4.*diſp.*8.*punct.*10.*n.*1. Carena *par.* 3.*tit.*3.§.3.*n.*13.& alij.

In ferendis ſententijs Inquiſitores poſſunt ne, ſibi reſeruare facultatem, augendi,vel minuendi; vel commutandi pœnitentias, reis impoſitas?

31 RESp.affirmatiuè, & vt ait Pegna *par.*3.*comment.*44.*nu.*194. Hoc eſt inſigne Inquiſitorum priuilegium; vt etiam poſt ſententiam pronunciatam, iuriſdictio eorum in eadem cauſa non expiret. Et ità ſtatutum fuit in Concilio Narbonenſi,*cap.*7.his verbis : *Illa ſemper retentione cautè adhibita,vt liceat vobis,ſeu alijs Inquiſitoribus ,ſeu quibus hoc Romana Eccleſia , vel illi cui ex officio competit,duxerit committendum , pro veſtro,& illorum arbitrio, ac voluntate iniunctis pœnitentijs addere , vel detrahere ex cauſa rationabili .* Et idem decretum fuit in Concil. Bitterenſi, *c.* 22. Vndè Eymericus notat, & Pegna dicto *n.*194. quod Inquiſitores in eorum ſen-

tentijs ſemper addunt: retinentes nobis ex certa ſcientia,& expreſsè, quod poſſimus liberè dictam ſententiam, ſeu pœnitentiam, mitigare, aggrauare, commutare, &c. Neque tunc iniuſtè quidquã committitur, quia cauſa Religionis, & fidei, hoc ità fieri, poſtulat, & ſuadet. Hæc enim cauſa cunctis rebus præferẽda eſt, *l.Sunt perſonæ, ff. de religioſis, & ſumpt.fun.*

32 Cauſæ autem rarionabiles augendi, vel minuendi, vel etiam penitus tollendi pœnitentiam, prudens Inquiſitor cõſiderabit, E.g. ob infirmam valetudinẽ, vel ob inſignem pœnitentis humilitatẽ, & veram conuerſionem. Sunt enim quidam, qui poſt lapſum, ità commiſſa ſcelera deteſtantur; vt ſpontè aſperrimã agant pœnitentiam, & etiam maiorem illa, quæ illis fuit iniuncta. His autem poterint Inquiſitores minuere, vel mutare pœnitentiam in aliam leuiorem; aut etiam totam remittere: vt ait Eymericus *n.196.verſ. Conſiderandum autem eſt*, & cum eo Pegna *loc.cit.verſ.Quę autem ſunt cauſæ.* Similiter addũt grauiores pœnitentias ob rei indeuotionem, malitiam, contentionem, ſeu rixam, & ſimilia, quæ eorum mentem, & animum, parum legi Dei, & iniunctis ſibi mandatis, obedientem indicant. Ità dicti Doctores: qui etiam ibidem docent, quod Epiſcopus, & Inquiſitor, etiamſi per obliuionem, vel alias cauſas, hanc poteſtatem expreſsè ſibi non reſeruaſſent, adhuc poſſent pœnitentias minuere, vel augere, vel mutare, ac tollere. Quia hoc eis de iure ſpectat, vt in *cap. Vt commiſſi de hæreticis in 6.* Tutius tamen eſt, expreſsè in ipſa ſententia huiuſmodi facultatem ſibi retinere. In Hiſpania verò inferiores Inquiſitores non habent hanc facultatem, abſque Generalis Inquiſitoris eorum Regnorũ poteſtate: ità Royas *ſingul.155. nu.4.& 5.& de hæret.par.2.nu.200.& 382.* Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.19. nu.20.* Souſa *cap.37.n.12.lib.3.*& alij.

33 Eſt autem notandum non poſſe Inquiſitores in Italia dictas pœnas minuere, nec augere, neque commutare ſine Epiſcopo, nec Epiſcopus ſine Inquisitore, ex decreto Sacræ Congregationis, ex mandato Vrbani VIII. vt refert Bariola *in aphoriſ.ſub littera P. in verbo Pœna, n.13.*& notat Carena *par.3. tit.11.§.6.n.21.* Farinacius *de hæreſi, qu. 186.n.76.*

34 Immò quando rei condemnantur ex mandato Sacræ Congregationis, etiási Epiſcopus ordinarius, & Inquisitor, ferant ſententiam, facultas augendi, minuendi, & commutandi pœnas, reſeruãda eſt Sacræ Congregationi. Et ità praxis obſeruat, teſte Carena *loc.cit.§.7. num.30.*

Sententiæ latæ in cauſis fidei tranſeunt ne in rem iudicatam: itaut nouis ſuperuenientibus probationibus, Inquiſitores non poſſint, de eodem crimine condemnare abſolutum, neque abſoluere condemnatum?

35 RESp. in causis fidei ſententias nũquam transire in rem iudicatã, & poſſe Inquisitores, si nouæ ſuperueniant probationes, de eodem crimine, abſolutum condemnare, & condemnatum, vel abſoluere, vel mitius, ac grauius punire. Ità decreuit Pius V. in ſua Conſtitut. quæ incipit: *Inter multiplices curas*: vt refert Pegna *par. 3. comment. 37. verſ.Verum omiſſis.* Et ità colligitur ex *c.Vt commiſſi, §. Nec non, de hæreticis in 6.* & docent Royas *tr.de hæret.par.2. aſſert.49.& de priuilegijs inquiſit.n.449.* Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.60. nu. 13.* Pegna *loc.cit.* Farinacius *q. 197.num. 28.* Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.2. c.36.nu. 31.* Diana *tom.5. tr.10. reſ.76.num.3.ex par.4.tr.8.reſ.10.n.3.* CaſtroPalaus *par. 1.tr.4.diſp.8.punct.11.num.10.* Igitur si reo, tanquam innocenti declarato, vel abſoluto, nouæ ſuperueniant delicti probationes; poterit, non obſtante priori ſenrentia abſolutoria, denuò inquiri, examinari, & condemnari. Quia, fauore fidei, ſententia in hoc crimine nunquam transit in rem iudicatam. Vndè probationes ſuperuenientes coniungi poſſunt

cum

cum præcedentibus inſufficientibus, & ob quarum inſufficientiam fuit reus abſolutus. Nam licet citatio,& litis conteſtatio prius facta, perit; eo quod, perempta inſtantia, pereant acta ordinatoria,quæ inſtantiam illam ſequuntur: iuxtà *l. Properandum*, §.*Etſi quidem de iudic.& l.Cum lite mortua*, *ff.Iudicatum ſolui*. Tamen non pereunt confeſſiones, probationes, declarationes teſtium, & ſimilia,quæ ad litis deciſionem ſpectāt: vt ex dicta *l. Properandum*,§.*vlt.& ex l. Iubemus*, *Cod.de liberali cauſa*, & tradit Alexander *conſ.*58. *incipiente*, *viſa petitione*,*lib.*1.Pegna *par.3.direct. comment.* 92.*verſ.Quod ſi fortaſſis*, Farinacius *qu.* 185.*n.*200. Symanchas *de cathol. inſtit. tit.*18.*rubr.de defuncto*,*n.*20. Et ſicut ex ſuperuenienti probatione delicti, reuocatur ſententia abſolutoria: ità ex ſuperuenienti probatione innocentiæ, auferri debet condemnatio: vt notāt Carena *par.3.tit.*11.§.5.*n.*15.

36 Reus autem condemnatus pœna arbitraria,eo quod legitimæ criminis probationes non extiterint: Superueniente poſteà conuincenti delicti probatione: ſi pœna arbitraria non eſt executioni demandata, ceſſat, & punitur pœna ordinaria. Quia eſt noua ſentētia, & nouū iudicium, & pœna non excedit delictū. Si verò prior pœna arbitraria reperitur executioni demandata: Tunc detrahēdum eſt à pœna ordinaria, nouiter imponenda, quantum arbitraria importauerat: ne reus pro vno delicto grauius, quàm meretur,puniatur, nempè pœna ordinaria commenſurata delicto,& pœna alia arbitraria:contra Textum *in cap. Cum afferamus* 24.*qu.*1.Ità docent Royas *c.2.aſſert.*50.*nu.*391. Farinacius *qu.* 185.*n.*199. Caſtro Palaus *par.*1.*trac.*4. *diſp.*8.*punct.*11.*n.*11.& alij.

Sententia,tàm abſolutoria, quàm condemnatoria vnius, eſt ne etiam abſolutoria, vel condemnatoria alterius complicis?

37 Reſp. quod ſi loquamur de ſententia abſolutoria: vel pronunciata fuit ſuper facto, & cum declaratione, quod non fuit commiſſum delictum: ſeu talem propoſitionem non eſſe hæreticam: vel talem actionem non eſſe ſuperſtitioſam; & tunc ſententia abſolutoria vnius prodeſt alijs ſocijs,& complicibus. Vel sētentia non fuit lata ſuper facto, ſed ſuper tali perſona, exprimendo talem inquiſitum eſſé abſoluendum: quia non commiſit delictum, de quo grauatum fuit. Et tunc ſententia hæc lata in fauorem vnius, non prodeſt alijs, niſi ipſis requiſitis,& auditis. Ità docent Menochius *de arbitr. caſu* 351. *nu.*12. *& ſeq.* Guazzinus *defenſ.2.caſu* 8.*n.*12. Decianus *tract.crim.lib.9.c.33.n.*7.Farinacius *de conſult.q.*134.*n.*33.Carena *par. 3. tit.* 9.*n.*101.Qui etiam addit *n.*102. Si mandatarius,& mandans vnus ſit confeſſus; alter negatiuus: hic abſoluitur, & ille damnatur. Si vnus ſit præſens, alter verò abſens:contra iſtum proſequitur proceſſus,& ille expeditur.

38 In ſententia autem condemnatoria, ſi vnus appellauit,altero non appellante: poteſt Iudex ſententiam non appellantis executioni mandare,ſed non poterit contra appellantem; vt patet ex *l. De vnoquoque*, *ff.de re iudicata*,*& ex l.Minoribus*,*Cod.de his quibus*,*vt indignis*: & ſic appellatio vnius non prodeſt alteri, non appellanti. Similiter ſententia condemnatoria,mandantis delictum, e.g.nō præiudicat mandatario; quia poteſt mādatarius,probare,ſe graui metu coactū, illud commiſiſſe: & ſic ſaltem in partē liberari à pęna mandanti definita.Et ità etiam, ſi mandatarius ſit condemnatus, ex eius condemnatione non intelligitur mandans condemnatus;quia poteſt probare, ſe nunquam dediſſe illius delicti mandatum.

39 Crimen autem hæreſis, quia punitur etiam pœna amiſſionis omnium bonorum,condemnatio vnius,nocet alteri;nā ſi pater condemnatur, vt hæreticus,eius ſentētia nocet etiam filijs, quia redduntur inhabiles,ad beneficium Eccleſiaſticum, & ad officium ſeculare, & ipſi, & omnes alij, qui poſt hæreſis crimen ab

eo

eo commiſſum, aliqua eius bona acceperunt, ſiuè donatione, ſiuè alio contractu, illis bonis per confiſcationem priuantur: ex Textu *in lege Quiſquis*, §.*Filij verò, Cod.ad legem Iul. Maieſt.& in cap. Cum ſecundum leges de hæret. in 6.* & probant Antonius Gomez *tom.3.var.c.1.n.90.* Bartolus *in leg. Cum filius familias, ff.de verbor. obligat. col.2.* Item ſententia lata contra ſeruum ob delictum capitale, nocet Domino, dū poteſt executioni mandari, non audito ipſo Domino. Et ſic de ſimilibus.

Sententiæ in cauſis fidei fieri ne poſſunt in diebus feſtiuis?

40 RESp. affirmatiuè ex ſpeciali priuilegio huius Tribunalis, nā die 26. Iulij 1605. ità decreuit Sacra, & Suprema Eminentiſſimorum Cardinalium Congregatio, vt notat Carena *par.2.titul.1.§.33.n.191.* Et ità valdè conueniēs videtur fieri: vt ait Ioannes Andreas *in cap. Vt commiſſi de hæreticis in 6.* Quia in diebus feſtiuis maior adeſt confluentis populi multitudo, ad ſententiam audiēdam, & ad videndos reorum cruciatus, & pœnas: vt indè diſcant timere, & à malo committendo, auocentur. Horrendum enim, ac tremendum ſpectaculum; & quaſi imago futuri iudicij eſt, videre, & audire, huiuſmodi cōdemnatorias ſententias ferre, & pronunciare. Et ideò in diebus feſtiuis publicandas eſſe, docent Pegna *par.3.comment.45.num.197. verſ. Verumtamen*, Carena *loc.cit.* Diana *tom.5.tit.10.reſ.64. ex par.4.tr.8.reſ.98.* Bordonus *tom.1.c.37.n.10.*

Sententia in cauſa fidei contra fugitiuū, vel abſentem, quomodo ferēda eſt?

41 RESp. Si delictum fugitiui, vel abſentis, non ſit plenè probatum, ipſe citandus eſt domi, vbi habitabat, & Eccleſiæ Cathedrali, ac Parochiali ſuæ domus, vt intra triginta dies, ad reſpondendum, compareat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Quæ citatio fit tribus vicibus, & in qualibet illarum idem tempus aſſignatur, & accuſatur eius contumacia. Vel talis temporis citatio eſſe debet peremptoria, ideſt vna pro tribus: vt notat Pegna *par. 3. comment.49.verſ. Primò modo*, in qua citandus eſt reus ad omnia, & ſingula iudicij acta, cum expreſſione, quod Inquiſitores ſententiam contra ipſum pronūciabunt, niſi compareat. Iuxtà Textum *in l. Ad peremptoriam, cum l.ſeq.ff.de iudicijs, & c.de illicita 24.q.3.* Quo termino tranſacto, declaratur reus in excommunicationem incidiſſe. Et annus integer expectatur, vt compareat. Quo elapſo, & non comparente, tanquam hæreticus contumax per ſententiam declaratur, *c. Cum contumacia de hæreticis in 6.* Et ſtatua cum eius effigie in publicum producitur, cui titulus affigitur, continens nomen, & cognomen abſentis cōtumacis, qui condemnatur, & Curiæ ſeculari traditur comburenda, & eius bona confiſcantur; vt notant Farinacius *q. 190.§. 12.n.22.* & cæteri Doctores.

42 Si autem rei delictum abſentis contumacis ſit plenè probatum, non expectatur annus, ad eius ſententiam proferendam: vt ait Symanchas *in Enchirid. tit.46.n.5.* Sed accuſata eius contumacia in Tribunali, publicè condemnatur. Admiſſo tamen ad illius defenſionem excuſatore, qui allegare poſſit, reum ſic citatum, fuiſſe legitimè impeditum, ad comparendum intra terminum ſignatū. Et pro qualitate excuſationis denuò prorogari ſolet terminus, ad comparendum: vt notat Caſtro Palaus *par. 1. tr. 4. diſp.8.punct.16.§.3.n.2.*

Elapſo anno, requiritur ne contra reū contumacem, ſententia condemnatoria, uel cenſetur ipſo iure lata?

43 RESp. Cenſeri ipſo iure latam: quia lex illum condemnat, iuxtà textum *in Authent. Gazaros, C.de hæreticis*, vbi dicitur: *Si ſic per annum permanſerint ex tunc omnes, tanquam hæreticos condemnamus.* Ex quibus verbis clarè arguitur: iàm elapſo anno ipſo iure eſſe factam condemnationem. Et ità docent

etiam

etiam Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Ioã-nes Anania, Panormitanus, Felinus, & cæteri communiter *in c. Excommunicamus* 1.§. *Qui autem de hæreticis*, & Philippus Francus *in c. Cum contumacia de hæreticis in 6.n.2.*

44 Neque obſtant dicti textus *in c. Excommunicamus, & c. Cum contumacia*, vbi habetur: *Ex tunc velut hæretici condemnentur*: verbum enim illud, *Condemnentur*, indicat non latam ipſo iure sẽtentiam, ſed potius ferendam: quia, vt citati Doctores notant, prædicta *Auth. Gazaros* fuit in hoc crimine approbata *in cap. Vt inquiſitionis de hæreticis in 6.*

45 Nihilominus Inquiſitores neceſſariò ferre debent ſententias declaratorias elapſo anno, contra huiuſmodi abſentes contumaces: incurriſſe in pœnas, à lege ſtatutas contra hæreticos contumaces, & coram omni populo eorum ſtatuas producere, & illa Curiæ ſeculari tradere, comburendas: vt ſup. dictum eſt. Ita Eymericus *par. 3. direct. nu. 216.* Pegna ibi, *comment. 49. verſ. Sententiam diffinitiuam, & ſeq.* Symanchas *de cathol. inſtit. tit. 2. n. 8.* Caſtro Palaus *par. 1. tr. 4. diſp. 8. punct. 16. §. 3. n. 1.* Carena *par. 3. tit. 11. §. 13. n. 56.* & alij.

Qui per ſententiam poſt annum, uelut hæreticus contumax eſt declaratus, & Curiæ ſeculari tradendus, ſi poſtea comparet, eſt ne audiendus?

46 RESp. Eſſe audiendum, quantum attinet, ad excuſandum crimen, & probandam ſuam innocentiam: non obſtante quocunque tempore, ei aſſignato, iàm elapſo: iuxtà textum *in l. annus, ff. de requirendis reis*: vbi dicitur: *Sciendum eſt nulla temporis præſcriptione à cauſæ defenſione ſummoueri eum, qui requirendus, adnotatus eſt.* Et ità docent Symanchas *vbi ſup. n. 20. & tit. 14. n. 10.* Pegna *loc. cit. n. 214. verſ. Aduenientè*. Quantum vero attinet, ad ſua bona recuperanda, non auditur, niſi conſtiterit, vel de eius innocentia, vel de legitimo impedimento: vt docent ijdem Doctores.

Si talis reus profugus, & contumax in ſacris ordinibus fuerit conſtitutus, quonammodo erit degradandus?

47 RESp. Quod Epiſcopus Pontificalibus indutus cũ Inquiſitore degradabit eum, non realiter auferendo ab eo perſonaliter ea, quæ ſunt ſui officij, cùm non ſit præſens: ſed verbaliter, & vt mandant canonicæ ſanctiones, cõtra eum ſententiam depoſitionis, ac degradationis ferentes in ſcriptis, deponentes eum ab omni officio ſacerdotali, & à ſacris ordinibus; ac etiam à verbi Dei prædicatione, & à confeſſionibus audiendis. Et ſi volunt Epiſcopus, & Inquiſitor, poſſunt eum relinquere per sẽtentiam brachio ſeculari, & à foro Eccleſiaſtico expellere, licet non realiter tradendo, quia non eſt præſens. Et poſſunt etiam, ſi volunt, mitius ſe habere, declarando eum impœnitentem hæreticum, ſed non eum relinquendo brachio ſeculari, nec à ſuo foro expellendo; ad finem, quòd ſi voluerit pœnitere, poſſit liberè, & abſque quæſtione admitti ad miſericordiam, vt abiuret. Ità Eymericus *par. 3. n. 215.* Et Pegna *comment. 49. verſ. Ex his, & alijs*: notat, quod iſte ſecundus modus eſt potius in praxi ſeruandus. Vt ſi degradatus conuerti voluerit, abſque controuerſia poſſit ab ipſis Inquiſitoribus recipi; & ne Iudex ſecularis dicat, ſe acquiſiuiſſe iuriſdictionem, & poteſtatem ſuper eum per talem fictam traditionem ſibi factam.

In ſacris conſtitutus contumax, uerbaliter degradatus, & fictè relictus Curiæ ſeculari, poteſt ne à Iudice ſeculari puniri, & ultimo ſupplicio affici?

48 RESp. poſſe: ſed tutius eſt, & humanius: vt realiter degradetur: quia iura, quæ de degradatione loquuntur ad effectum, vt aliquis Curiæ ſeculari tradatur, de actuali, & reali videntur loqui: vt ex *c. Quoniam de hæreticis in 6. c. Degradatis de pœnis, c. Excommunica-*

nica-

nicamus 2.de hæret. In quibus locis nomine degradationis intelligitur vera, propria,& realis degradatio. Verbalis autem depoſitio vocari ſolet; ficta, & impropria: vt optimè aduertit Iulius Clarus *in pract. crimin.§.fin.q.*44. Alias populus, non ſine ſcandalo, ſuſpicaret Clericum in Sacris conſtitutum,abſque actuali degradatione, vltimo ſupplicio puniri. Ità Pegna *loc.cit. verſ.Præterea.*

Sententia in cauſa fidei,eſt ne etiam ferenda contra defunctum?

49 RESp. affirmatiuè; ſi clarè,& dilucidè probetur in hæreſi deceſſiſſe. Nàm quamuis cætera crimina morte committentis extinguantur, ex *l. Defuncto,ff.de publicis iudicijs, ex l. Primo cum alijs, Cod. Si reus, vel accuſator mortuus fuerit,l.Pupillum,§.In hæredem, ff.de regul.iur.*& ex legibus alijs.Tamen hæreſis crimen per mortem committẽtis non extinguitur; vt clarè habetur in *cap.Accuſatus, §.In eo verò, & c. Si quis Epiſcopus, cap. Filij de hæreticis in 6.* & alijs pluribus, quæ congerit Farinacius *q.*10.*nu.* 36. Nunquam tamen debent Inquiſitores defunctum citare, & cauſam eius proſequi, niſi plenam, dilucidamque probationem, in hæreſi deceſſiſſe,habeatur.Quia ſi quis viuens,damnari non poteſt, niſi legitimè confeſſus, vel conuictus. Multò magis, nec defunctus,qui ſe defendere non valet. Ità docent Royas *tr.de hæreticis 2.par. nu.*30. Symanchas *de cathol.inſtit.tit.*18. *de defunctis,n.*12.*&* 19.*& in Enchiridion.titul.*62.*de mortuis,n.*3. Farinacius *q.*197. *n.*120.Pegna *par.*3. *comment.*92. *verſic. In hac cauſa*,& alij.

50 Si verò aduerſus hæreticum viuentẽ inſtituta erat inquiſitio, & pendente proceſſu mortuus fuit impœnitens, poteſt Inquiſitor cauſam illius proſequi, ſi hæreſis probetur ſufficienter. Nam ſi illa probatio,ipſo viuente,erat ſufficiens, ad illum declarandum hæreticum, & condemnandum: cur mortuo ipſo, ſufficere non debet? Sic Decianus *lib.*3.*crimin.c.*57.*n.*6.*&* 9. Farinacius *loc. cit.nu.* 99.*&* 100. Pegna *vbi ſup. verſ. Ad primum quidem.*

51 Idem dicendum de illo, qui cùm in carceribus erat pro hæreſi detentus, ſe ipſum occidit:quia vt impœnitens damnandus eſt: & ſe ipſum occidendo, crimen ſuum videtur confeſſus. Vt ſcripſit Cynus *in l.*2. *Cod. Qui teſtamentum facere poſſunt,q.*4.*n.*6.Cēſendum eſt enim, ex conſcientia criminis,ſe interfeciſſe: neque de illo voluiſſe pœnitere. Ita Farinacius *q.*197.*nu.*9. Symanchas *tit.*18. *n.*31.Pegna *loc.cit. verſ.Quod ipſum.*

Hæreticus condemnari non poteſt,niſi citatus, defunctus autem quomodo citandus eſt,vt condemnari poſſit?

52 RESp. Quod in tali cauſa citandi ſunt filij, & hæredes, ſiuè ſint præſentes, ſiuè abſentes, quia iuſta defenſio nemini eſt deneganda.Et eo magis, quia filij, & hæredes grauiſſimum damnum patiuntur,ex declaratione, & condemnatione defuncti hæretici.Ergo citari debent: vt ſi velint,poſſint inquiſitum defendere. Et vt hoc facere poſſint, danda eſt illis copia indiciorum, & accuſationum. Sic Decianus *tract. crimin.lib.*5.*cap.*57. *n.*8. Pegna *dicto cõment.*92.*verſ.Cum reus moritur*, Farinacius *q.*197.*n.*106.qui etiam docet; poſſe filios, & hæredes per Procuratorem comparere,& auditi.

53 Nec propterea dici poſſunt, hæretici defenſores: quia donec reus condemnatus non ſit, non conſtat illum hæreticum eſſe. Solum enim conſtat ipſum, eiuſque filios hæredes, & conſanguineos in periculo grauiſſimi damni verſari: quod ſi iuſtè auerti poteſt, charitas petit, vt auertatur. Sic Symanchas *cap.*18,*n.*15.*de cathol.inſtitut. & in Enchiridion.tit.*62.*de mortuis,nu.*8. Decianus *n.*31. Farinacius *n.*108.Pegna *verſ. Eo termino elapſo.*

54 Si reus defunctus, nec filios, nec hæredes habeat, Inquiſitor ſuis ædictis citare debet, ad comparendum eos, qui defunctum velint defendere; ſtatuto eis termino 30.vel 40.dierum,vt ait Pegna *verſ.*

verſ. Ne quis autem, Zanardus *in ſumma diuin. præcept. par. 2. c. 142. verſ. 6.* Catena *par. 2. tit. 19. §. 6. num. 12.* Quemlibet enim volentem illius defenſionem ſuſcipere, admitti debet. Et ſi nullus cõparet, Inquiſitor aſſignare debet ipſe illius defenſorem: ità docent Doctores ſupradicti.

55 Obſeruandum etiam eſt diligenter, vt proceſſus contra defunctum breui tempore conficiatur, nec in cauſa ſuperſedeatur ob defectum probationum, niſi fortè ſit veriſimile, quod intra breue tempus alia probationum genera ſuperueniēt. Cum autem reus defunctus plenè probationibus nõ ſit cõuictus, ſtatim abſoluendus eſt. Alias id cederet in grauiſſimum filiorum, & conſanguineorum præiudicium: quia interim non inuenirent, cum quibus matrimonia contraherent, nec poſſent diſponere de bonis à defuncto relictis, vt ex inſtructione Abulenſi, *cap.* 4. ann. 1498. notat Pegna *verſ. Obſeruandum.*

Si defunctus ſit abſoluendus ab hæreſi, eius ſententia quomodo ferenda eſt?

56 REſp. Quod eius ſententia abſolutoria publicè pronunciari debet. Quia cum ædicta contra ipſam publicè propoſita fuerunt, non ſine illius famæ detrimento: vt etiam fama eo modo, quo poteſt, reſtituatur, publicè pronunciandus eſt abſolutus. Nec defuncti ſtatua in publicum producenda eſt, nec errores, de quibus accuſabatur nominandi ſunt, cum probati non fuerint: & ità ſanciuit Madriliana inſtructio ann. 1561. *cap. 62.* Verum ſi poſt abſolutum defunctum, alij teſtes contra eum ſuperuenirent, iterum cauſa tractari poteſt: quia in hoc crimine, fauore fidei, ſententiæ latæ non tranſeunt in rem iudicatam, vt ſuprà probatum eſt; & priora teſtimonia vim ſuam integram conſeruabunt, & cum his, quæ ſuperuenerunt coniungi poterunt, ad faciendam plenam probationem.

Si defunctus ſit de hæreſi condemnandus, quomodo eius ſententia eſt ferenda?

57 REſp. Si damnanda fuerit defuncti memoria de hæreſi: eius ſtatua in publicum producenda eſt, cui maioribus caracteribus deſcriptum affigitur nomen illius: & coram illa, ac ſi defunctus ipſe viuens, & præſens eſſet, recitantur omnes errores hæreticales, quem legitimè contra defunctum probati fuerunt, & ſic condemnatur, & eius ſtatua Curiæ ſeculari traditur; quam Iudex ſecularis comburit, ac combuſſiſſet defunctum illum, ſi vixiſſet, & impenitens deceſſiſſet; & defunctus exhumatur, eiuſque oſſa Eccleſiaſtica ſepultura priuantur, & eius filij declarantur inhabiles ad officia publica, & beneficia Eccleſiaſtica, *c. Quicũque de hæreticis in 6. & Concil. Conſtantien. ſeſſ.* 8. Et hæc S. Officij conſuetudo pro lege ſeruanda eſt ad terrorem alijs incutiendum, vt notat Pegna *comment. 92. circa finem.*

Qui nititur probare, defunctum non deceſſiſſe hæreticum, quomodo hoc probabit?

58 REſp. Quod hoc probabit: primò ſi conſtare fecerit defunctum, dũ viuebat, non fuiſſe de hæreſi ſuſpectum, nec diffamatum, ſed laudabiliter vixiſſe, & Sacramenta Eccleſiæ, more Chriſtianorum, debitis temporibus recepiſſe, & feciſſe ea, quæ à veris, & Catholicis Chriſtianis fieri ſolent. Quia bona fama antenatæ vitæ, aut tollit indicia hæreſis, contra aliquem orta, & talem ſuſpicionem omninò excludit, iuxtà doctrinam Baldi *in l. 1. Cod. Locati, n. 7. verſ. Et in ſimili*: vel ſaltem valdè elidit, ac minuit: vt colligitur ex Textu *in c. Filij de hæreticis in 6.*

59 Secundò excuſari poteſt defunctus, probando, quod quando illa hæreticalia dixit, aut fecit, non erat ſanæ mentis, & in hoc articulo neceſſariò oſtendendum eſt errorem fuiſſe commiſſum tẽpore furoris. Tunc enim nec ad culpam, nec ad pœnam imputandum eſt. Si autem

tem dubium ſit, an tempore furoris, vel ſanæ mentis, defunctus hæreticale crimen commiſit: tunc ſi quis probet, illũ aliquandò fuiſſe furioſum: præſumendũ eſt, tempore furoris illud commiſiſſe; & ſi fiſcalis contrarium exiſtimet; debet ipſe probare, delictum fuiſſe factum tempore ſanæ mentis. Ità probat Textus in *cap. Iudicas 3. quæſt. 9. & ibi Gloſſa communiter recepta in verb. Oſtenderis, & Gloſſa in cap. vlt. de ſucceſſione ab inteſt.* & ibi etiam Doctores. Et ratio etiam id probat; quia furor eſt morbus, qui poſtquam eſt radicatus, præſumitur durare: vt teſtantur Medici, & probat Textus in *l. Humanitatis, Cod. de impuber. & alijs ſubſtit. & in l. 1. ff. de Curatore furioſi*: & docet Zabarella *in cap. Cum inter canonicas de electione in 5. oppoſit.* Sed ſi defunctus antè delictum non fuit furioſus, & eius defenſor ait tempore delicti furioſum fuiſſe, debet id probare, alias præſumitur delictum commiſſum tempore ſanæ mentis: quia ſemper quis cẽſetur eſſe talis, qualis naturaliter eſse debet, argum. ex *l. Nec Codicillos, Cod. de Codicillis*: vbi hoc idem notant Baldus, Paulus de Caſtro, & Angelus *tr. de maleficijs in verbo Scienter, & dolosè, verſic. Quid in furioſo*, Archidiaconus *in Clem. 1. de homicidio*, Salycetus *in l. Furioſum, Cod. Qui teſtamenta facere poſſunt, n. 2.* Pegna *par. 3. comment. 92. verſ. In hoc ergo dubio, & ſeq.* Conſiderandæ etiam ſũt aliæ circumſtantiæ, ex quibus intelligatur, an hæreticalia dici, & fieri præſumãtur, potius ex defectu ætatis, aut vi alicuius morbi, vel alterius afflictionis, quã intellectus errore.

Si reus contumax moriatur intra annum, & eius delictum non ſit plenè probatum, & contra ipſum procedebatur, non ut hæreticus, ſed tanquam ſuſpectus de hæreſi, eſt ne procedendum ad eius condemnationem?

60 RESp. Negatiuè, ſed ſiſtendum eſt, & ad ſententiam condemnatoriam non procedendum amplius: quia ſuſpiciones in hoc crimine morte reorum extinguntur. Huiuſmodi enim de hæreſi tantum ſuſpecti, diuino iudicio ſubijciuntur, & ab humano ſunt exempti; vt docent Pegna *loc. cit. verſ. Alterum caput*, Farinacius *q. 197. n. 104.* Caſtro Palaus *par. 1. tract. 4. diſp. 8. punct. 16. §. 3. n. 4.* Carena *par. 2. tit. 19. §. 3. n. 7.* Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 46. nu. 77.* Benè tamen poterit declarari ſuſpectus de hæreſi, ex dictis ſuſpectionibus, & probationibus: vt aduertunt Symanchas *in Enchirid. tit. 62. nu. 6.* Decianus *tract. crimin. lib. 5. cap. 57. nu. 6. verſ. Quo intellige*, Carena *ibid. n. 10.* Non tamen poterunt Inquiſitores, ob illam ſuſpicionem, pœnam pecuniariam, hæredibus illius ſuſpecti, imponere: vt aiunt Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 118. n. 13.* Royas *de hæret. par. 2. n. 107.* Carena *dicto n. 10. §. 5.*

Actio, procedendi contra defunctos, ob hæreſis crimen, extenditur ne contra eorum fautores, receptatores, & defenſores mortuos?

61 RESp. Negatiuè ob ſupradictam rationem: quia poſt mortem procedi, non poteſt niſi contra hæreticos formales, & eorum hæreſibus credentes. Eorum autem fautores, receptatores, ac defenſores, ſunt tantum de hæreſi ſuſpecti: & in tali crimine ſuſpicio, quantumuis vehemens, poſt mortem reorum extinguitur. Ità ex *c. Accuſatus, §. Si verò de hæret. in 6. notab. vltimo, n. 2.* Philippus Francus, Gundiſſaluus *tr. de hæret. q. 22. n. 8.* Pegna *dicto commen. 92. verſ. Alterum caput*, Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 4. de accuſatoribus, n. 5. & tit. 18. de defunctis, n. 13.* Royas *in ſingularibus fidei, ſingul. 134. n. 11. & 12.* Carena *vbi ſup. n. 7.*

Hæc actio procedendi contra defunctos in cauſa hæreſis, quantum durat, & intra quod tempus extinguitur?

Reſp.

62 RESp.Diſtinguendum eſſe. Nàm duplici modo Inquiſitores contra defunctos hæreticos procedere poſſunt. Primò, poſſunt agere, ad finem dãnandi eorum memoriam, declarando eos impœnitentes deceſſiſſe, & hæreticorum pœnas incurriſſe. Secundò, ad effectum confiſcandi, ſeu potius declarandi eorum bona confiſcata, vt à tertiò poſſeſſore auferantur, & Sacro Inquiſitionis officio applicentur. Si loquamur de primo modo procedendi, dicendum eſt: nullis temporum ſpatijs hanc actionem Inquiſitoribus impediri, vel terminari: ſed quocunque tempore crimen detectum fuerit, & legitimè conſtiterit, aliquem deceſſiſſe hæreticum, poterunt Inquiſitores, procedere contra eum, ad illius memoriam damnandam, & declarandum excommunicatum deceſſiſſe, & inhibendum, ne quiſquam pro illo oret, ſed extumulentur oſſa, ſi fieri poſſit, & comburantur. Nàm cui viuo communicare non licet, nec mortuo licebit. Ita docent Felinus *in c.Cum à nobis, extra de præſcriptionibus, nu.*12.*&* 13. Brunus *lib.*5.*de hæret.c.*17. *in fin.* Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*18. *n.*14. Pegna *par.*3. *commen.*92.*verſ.His ità poſitis*, Sanchez *in Decal.lib.*2.*c.*22.*n.*43. Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.*2.*cap.*50.*nu.*1. Carena *par.* 2.*tit.*19.§.8.*num.*17.*&* *par.*3. *tit.*9. §.5. *num.*18.

63 Si autem loquamur de ſecundo modo procedendi, ad effectum confiſcationis bonorum; hoc ius durat per 40. annos integros: ſiuè applicatio fiat Fiſco Eccleſiæ; ſiuè Fiſco ſeculari, ſiuè alijs. Quia ius confiſcandi bona hæretici durat per hoc tempus. Nàm ad præſcriptionem bonorum hæretici 40. anni requiruntur, dummodò bona fide poſſideantur, ex *cap.fin.de præſcriptionibus in* 6. Ergo ius procedendi contra defunctũ ob confiſcationem bonorum durare, etiam debet per 40.annos. Nec militat diſtinctio Panormitani *in c. Cum nobis, de præſcription.n.*9. & aliorum dicentiũ. Quando bona hæreticorum defunctorũ applicantur Fiſco ſeculari: poſt quinque annos non poſſe Inquiſitores, procedere contra defunctos, quoad hunc effectum, iuxtà Textum *in l.*2.*Cod.de Apoſtatis, & in l.*2.*Cod. de vectig. com.* Si autem huiuſmodi bona adiudicentur Fiſco Eccleſiæ, tunc ſpatio 40. annorum hæc actio, durabit. Non inquam militat hæc diſtinctio, indiſtinctè enim affirmandum eſt: durare hanc actionem confiſcandi per 40.annos, ſiuè bona applicanda ſint Fiſco ſeculari, ſiuè Fiſco Eccleſiæ, iuxtà Textum *in cap.*2. *de præſcript. in* 6. vbi Summus Pontifex loquitũr indiſtinctè de hac confiſcatione, nulla facta differentia, inter Fiſcum ſecularem, & Eccleſiaſticum. Ergo indiſtinctè eſt hic Textus accipiendus, *l.*1.*§.Generaliter, ff.de legat.præſt.* Et vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l.*3. *ff.de offic. Præſid.* Neque obſtat dicta *l.*2. *Cod.de Apoſtatis*, vbi quinquennium tantum poſt mortem datur, ad procedendum contra defunctos: quia ius Canonicum, quod poſteà ſuperuènit illi derogauit. Et in delictis Eccleſiaſticis puniendis, ſtandum eſt diſpoſitioni iuris Canonici, potius quam iuris Ciuilis. Et ità ſuſtinent Pegna *loc. cit. verſ. Hoc tamen diſtinctione*, Sanchez *in Decal.lib.*2.*c.*22.*n.* 43. Symanchas *de cathol.inſtitut. tit.*18. *n.*14. Sylueſter *verb.Hæreſis* 1.*n.*14. Carena *vbi ſup.* Tabiena *verb. Hæreſis, nu.* 12. Gloſſa *in c.fin.de præſcript.ver. Hæretici*, Diana *tom.*5.*tr.*12.*reſ.*28.*nu.*6. *&* 7.*ex par.*4.*tr.*7.*reſ.*28.

Ab Inquiſitorum ſententia datur ne appellatio?

64 RESp. Quod ab Inquiſitorum ſententia definitiua non datur appellatio, ſed datur ab interlocutoria: quia, vt optimè docet Pegna *par.* 3.*direct.comment.*31.*nu.*121. Appellationis remedium fuit inſtitutum, ad præſidium innocentiæ, non ad defenſionem iniquitatis: vt habetur *in c.Cum ſpeciali, & cap. Ad noſtram de appellat.* Sed manifeſtum eſt neminem de hæreſi definitiuè damnari, niſi vel confeſſus, vel legitimè conuictus fuerit. Ergo à definitiua ſententia, in cauſis fidei, nulla concedenda eſt ap-

appellatio. Inſuper huiuſmodi reis non conceditur, à definitiuis, appellatio ob fidei fauorem,& odium hæreticorum, nè eorum iudiciũ prorogetur. Sententia enim,quæ multò præcedenti conſilio, & matura deliberatione lata eſt, non debet, per iniquas calumniantium voces retardari. Et hac ratione, & in hoc ſenſu iura vbique clamant; hæreticis beneficium appellationis eſſe denegandũ *cap. vt inquiſitionis, de hæreticis in 6. & in l. Commiſſi nobis, de appellat.* §.7. Vbi Imperator ait: omne inſuper proclamationis, & appellationis beneficium ab hæreticis,& ab eorum receptatoribus,& fautoribus; penitus amouemus. Et in Concilio Coſtantienſi *ſeſſ.*15.ità in praxi ſeruatum fuit. Et ità docent etiam Royas *ſingul.*1.*n.*19.Paramus *de origin. S.Inquiſ.lib.3.q.*4.*n.*58.Souſa *in aphoriſ. inquiſ.lib.*2.*c.*35.*n.*2. Caſtro Palaus *par.* 1.*tract.*4.*diſp.*8.*punct.*7.*n.*1.Diana *tom.* 5.*tr.*10.*reſ.*61.*ex par.*4.*tract.*8.*reſol.*20. Farinacius *de hæreſi,q.*185.§.15.*nu.*227. & 230.& alij.

65 A ſententia autem interlocutoria non eſt deneganda appellatio; ſi rei ſe grauati indebitè ſenſerint, & in appellatione grauamen exprexerint, & cauſam,ob quam grauamen impugnatur. Ità ex *c. Cum ſit Romana,& cap.Vt debitùs, & c. Cum cauſam, extra de appellat.* Et docent citati Doctores, & Bonifacius de Vitalinis *in Clement. Appellanti,de appellat.n.*24. *& ſeq.* Zanchinus *tract.de hæreticis,cap.*29.*n.*2. Symanchas *de cathol. inſtitut.tit.*7.*n.*3. Squillacenſis *de fide cathol.c.*45.Eymericus *par.*3.*q.*216. Pegna *vbi ſup. verſ. Ab interlocutorijs*, & *ſequ.*

66 Appellationis cauſę eſſe debent iuſtę, nam friuolæ nullo modo ſunt admittendæ, *c.Cum appellationibus de appellat. in* 6. Quæ autem dicantur friuolæ appellationes, arbitrio iudicantium relinquitur definire: nam iure non videtur expreſſum. Verum Inquiſitor conſilio peritorum ſtatuere debet: an appellationis cauſa ſit friuola, vel non. Idem etiam eſt dicendum,quando interponitur cauſa fruſtatoria,vel moratoria,aut cauillo-ſa,vt rei iudicium euidens, vel dilatent, Inquiſitorũ ſententiã,vel impediant; vt animaduertunt Eymericus,& Pegna *locis citatis.*

67 Interpoſita appellatione, ſiuè recepta ſit,ſiuè nõ:hoc medio tempore nihil innouari oportet,vt notat Vlpianus *in l.*1. *ff.Nihil nouari appellat interp.*Sed expectandum eſt reſponſum à Sacr.Congregatione. Hoc autem non habet locum in cauſa diuerſa ab illa, in qua fuit appellatum, vt docent Pegna 3. *par. comment.*31.*verſ.Si autem Inquiſitor*, Carena *par.*3.*tit.*14.*n.*5. Caſtro Palaus *par.* 1.*tr.*4.*diſp.*8.*punct.*7.*n.*7.& alij.

Ad validitatem ſententiæ condemnatoriæ hæretici impœnitentis, requiritur ne præſentia Iudicis ſecularis?

68 Reſp.Negatiuè;quia præſentia Iudicis ſecularis ſolum requiritur in prolatione ſententiæ, vt executione ſine dilatione ſtatim mandetur. Iudex enim ſecularis in hoc crimine iudicando,vtpotè Eccleſiaſtico,nulla ratione ſe intromittere poteſt. Ergo independenter ab ipſius præſentia, ſententia valida eſt. Nec ob eius valorem,ſed ob eius executionem præſentia Iudicis ſecularis requiritur. Et in hoc ſenſu dicitur in *c. Excommunicamus,§.Damnati,eod.titul. Dãnati præſentibus ſecularibus poteſtatibus*. Expoſtulatur enim Iudicis præſentia,non pro ſentẽtia,ſed pro debita eius executione. Epiſcopus namque, & Inquiſitor poteſtatem habent, inquirendi, & condemnandi hos delinquentes ratione officij ſibi commiſſi: Ergo præſentia Iudicis ſecularis,expoſtulari non poteſt,vt neceſſaria valori ſententiæ. Ità docent Pegna *par.*3.*comment.*48.*n.*210. Carena *par.*3.*tit.*11.§.7.*num.*32.Caſtro Palaus *loco infrà citato*. Quapropter ſi Iudex laicus prolationi ſententiæ præſens eſſe non poſſet,vel nollet,poſſet Inquiſitor in eius abſentia, ſententiam proferre, & per Notarium intimare, & condemnatum eius poteſtati relinquere: vt aſſerit Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.*4. *diſp.*8.*punct.*11.*n.*13.

Iudex laicus obligatur ne,pęna mortis punire hęreticum, ſibi puniendum traditum?

69 RESp. Affirmatiuè; tum quia hæc pœna eſt aduerſus illum per leges Imperiales,à Pontificibus approbatas,ſtatuta. Tum etiam, quia ex *cap. Vt inquiſitionis,§.Prohibemus,de hæreticis in 6.* tenetur ſtatim, & abſque vlla dilatione exequi Inquiſitorum ſententiam. Et cum tandem, quia non poſsunt Iudices laici, & ſeculares Magiſtratus examinare cauſas, & proceſsus condemnatorum in S.Tribunali Inquiſitionis: neque de tali crimine, vtpotè Eccleſiaſtico, cognoſcere, & iudicare, neque ſententiæ executionem impedire. Hoc enim eſt eis expreſsè prohibitum: in dicto *cap.Vt inquiſitionis:* vt notant etiam ibi Gloſsa *in verb.Indi latè, verſ.Vndè ſentētia*, Ioannes Andreas *n. 1. antè finem,col.2.* Vmbertus Locatus *de iudic.inquiſ. verb.Iudex,n.57.* Ioannes Calderinus *tr. de hæreticis,rubr.de pœnis,n.40.* Pegna multis relatis *par.3.comment.85. verſ.De canoniſta,* Farinacius *de pœnis temperandis,q. 97.n.103.& de hæreſi,q.186.n.161.* Carena *par.3.tit.14.n.8.* Diana *tom.5.trac. 10.reſ.18.ex par.4.tr.8.reſ.26.*

Verbum illud,ſtatim,& abſque ulla dilatione, quomodo eſt intelligẽdum, ne Inquiſitorum ſententia indebitè differatur?

70 RESp. Non eſse tàm rigoroſè intelligendum, vt ſtatim ac reus Iudici ſeculari traditur, ad mortis ſupplicium ducatur,ſed ſufficere,vt ſententia infra ſex dies executioni demandetur. Sic enim Innocentius VIII. declarauit in ſua Conſtitut.quæ incipit: *Dilectus filius*,& refertur à Pegna,& Farinacio *loc.infrà cit.* Inquit namque: *Eiſdem Officialibus ſecularibus ſub excommunicationis pœna,& alijs cenſuris Eccleſiaſticis,præcipiatis,atque mandetis;vt infra ſex dies,poſtquam legitimè fuerint requiſiti, ſine aliqua dictorum proceſſuum per vos agitatorum viſione,ſententias per vos latas,contra huiuſmodi hæreticos,promptè exequantur,appellatione remota.* Et ita etiam docent Pegna *par. 3 qu.36.comm. 85.verſ.Ex quibus declaratur*, Farinacius *q.97.nu.105.& de hæreſi,q.186.nu. 162.& 165.* Diaz *pract.crim.canon.cap. 144.n.2.* Caſtro Palaus *par.1. tr.4. diſp. 8.punct.14.n.6.* & alij.

Iudex laicus, agnoſcens reum eſſe iniuſtè, uel nulliter ab Inquiſitoribus cōdemnatum, tenetur ne eorum ſententiam exequi,uel poteſt ab illa ſuperſedere?

71 RESp. Quod Iudex ſecularis, vel agnoſcit iniuſtitiam, aut nullitatem ſententiæ euidenter, & abſque vlla tergiuerſatione, & vlla proceſſus viſione:& tunc abſtinere debet ab ipſius ſententiæ executione: quia innocentem, vt talem euidenter cognitum,vt nocentem probatum,morte punire, eſt intrinſecè malum: quia Iudex nullam habet auctoritatem in vitam innocentis: cùm hæc ſoli Deo ſit ſubiecta. Ità docent Conradus Brunus *tract. de hæreticis, p. 4.c.15.n.10.12.& 23.* Decianus *tr. crimin.lib.5.c.25.n.3.& 4.* Gundiſſaluus *de hæreticis,q.19. nu.6.& 7.* Leſſius *lib.2.c. 29.dub.10.n.78.* Caſtro Palaus *par.1.tr. 4.diſp.8.punct.14.nu.7.* Vel nullitas,aut iniuſtitia non eſt ità euidens, clara, & aperta,vt ad illam agnoſcendam, altiori examine non requiratur. Et tunc indubitanter Iudex ſecularis tenetur ſententiam latam ab Inquiſitore,& Epiſcopo, vel eius Vicario exequi. Quia ipſe examinàre non poteſt proceſſum, nec illius acta cognoſcere. Quod ſi ea,vt priuatus legit: ex eius ſciētia,vtpotè priuata, moueri non poteſt,ad ſententiæ executionē ſuſpendendam. Quia in executione ſententiæ gubernari non debet ob ſcientiā priuatam, ſed publicam, quàm conſtituunt teſtes,& probationes. Ità ſuſtinēt ſupradicti Doctores. Et confirmatur ex *cap.Paſtoralis, §. Quia verò,de officio, &* *pote-*

poteſtate Iudicis delegati: vbi Innocentius III. ait: *Quæſiſti: an ſi ipſam ſententiam, iniuſtam eſſe cognouerit, debeat eam executioni mandare, an ſit ei potius ſubſiſtendum? Attendentes itaque, quod non cognitio, ſed executio tantum demandatur eidem. Reſpondemus, quod cum ordinarius teneatur obſequi delegato, & ſi ſciat ſententiam illam iniuſtam, exequi nihilominus tenetur eandem: niſi apud eũ efficere poſſit, vt ab hoc onere ipſum abſoluat.* Ex quibus verbis colligitur, quod cum Iudici laico ſolũ executio, & nulla cognitio demandetur; efficitur, vt etiãſi exiſtimet ſententiam latam cõtra reum eſſe iniuſtam, vel nullam, debere illam exequi.

72 Addit verò Pontifex: *Niſi apud eum efficere poſſit, vt ab hoc onere ipſum abſoluat.* Quia ſi Iudex laicus agnoſcat euidenter, nullo modo poſſe talem innocentem, ad mortem condemnare, debet Inquiſitores rogare; vt ab hoc onere illum abſoluant. Sed non poteſt, probationes recipere in fauorem rei, ad effectum ſuperſedendi à ſententiæ executione, & cauſam remittendi Superiori: Nàm eſtò in alijs delictis hoc fieri poſſit, quando incontinenti offeruntur probationes: vt docent Nauarrus in *cap. Cũ contingat* 1. *n.* 7. *&* 8. *de reſcriptis*, Salzedus *in addit. ad pract. Bernardi Diaz*, *c.* 154. *n.* 14. Farinacius *quæſt.* 97. *nu.* 91. *&* 92. In crimine autem hæreſis ob fauorẽ fidei, hoc prohibitum eſt, ex reſcripto Vrbani VIII. & docet etiam Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.* 36. *nu.* 7. Farinacius *loc. cit. n.* 108.

Iudex ſecularis differens, pluſquam quinque, vel ſex dies, abſque legitimo impedimento, ſententiam exequi, eſt ne ab Inquiſitore, & Epiſcopo, cogendus, vt illam exequatur?

73 Reſp. Affirmatiuè, cogẽdus enim eſt, ſub pœna excommunicationis, & alijs pœnis arbitrarijs, pro qualitate dilationis, & cõtumaciæ, abſq; irregularitatis timore, vt ſententiam exequatur: quia non debet præcipere Inquiſitor, vt Iudex pœnam mortis in reũ exequatur: ſed vt exequatur ſententiã à ſe latam; vel melius, vt ſeruet Conſtitutiones, & leges contra hæreticos ęditas. Hi enim modi præcipiendi continentur in reſcriptis Alexandri IV. incipiente: *Ad euidentiam*, Leonis X. incipiente: *Honeſtis petentium votis*, & Innocentij IV. in extrauag. *Ad extirpanda, §. Damnatos verò*: vt notat Pegna *par.* 3. *comm.* 85. *verſ. Quare omiſſo, & ſeq.* Et ſic cùm mors directè non petatur, nulla eſt ratio irregularitatis contrahendæ: & ità docet cum Pegna Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſput.* 8. *punct.* 14. *nu.* 10. Catena *par.* 2. *tit.* 11. §. 6. *nu.* 31. Diana *tom.* 5. *reſ.* 17. 18. *&* 19. *ex par.* 1. *tr.* 1. *reſ.* 134. *& par.* 4. *tr.* 1. *reſ.* 59. *& tr.* 8. *reſ.* 26. Campegius *in addit. ad Zanchinum*, *c.* 8. Vmbertus Locatus *in praxi inquiſ. verb. Iudex*, *n.* 57. *&* 66. Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.* 66. *n.* 3. & alij communiter. Qui etiam affirmant, poſſe Inquiſitorem, inquirere contra talem Iudicem, tanquam fautorem hæreticorum, etiamſi differat ſententiæ executionẽ ſub prætextu, quod ſit iniuſta. Quia nullo modo Iudex laicus poteſt ſe intromittere in cognitione cauſarum Tribunalis S. Officij.

CAPVT XXV.

De Abiuratione, eiuſque Requiſitis.

Quid eſt Abiuratio?

1 Reſp. Quod eſt ſolemnis deteſtatio criminum contra fidem, cum aſſertione catholicæ veritatis, & promiſſione, iuramento firmata, nunquam incidendi in errores abiuratos, & permanẽdi in Chriſtiana fide. Ità ex *c. Ego Berengarius, de conſecrat. diſt.* 2. *ex c. Ad abolendam, & ex c. Accuſatus, de hæret. in* 6. & ex alijs pluribus Iuris Canonici, Conciliorum, & Sanctorum Patrum locis: vt notant Pegna *in direct. par.* 3. *cõment.* 40. *verſ. Eſt autem abiuratio*, Ro-

yas

yas *ſingul.* 1.*n.*2. Vmbertus Locatus *in iudicial.inquiſ.verb.Abiuratio,nu.* 1. Symanchas *de cathol.inſtitut. tit.* 1. *de abiurat.n.*2. Farinacius *de hæreſi,q.*194.*nu.*1. Carena *par.* 3.*tit.*12.§.1.*n.*1. & alij communiter.

Quotuplex eſt Abiuratio?

2 RESp. Quod eſt quatruplex; alia enim eſt abiuratio de leui, alia de vehementi, alia de violenta ſuſpicione hæreſis, & alia de hæreſi formali: quia omnis, cui iniungitur in hoc S. Tribunali abiuratio, aut eſt de hæreſi leuiter ſuſpectus, aut vehementer, aut violenter, aut eſt verè, & formaliter hæreticus. Ità docent Eymericus *in par.* 3. *direct.num.* 161. Pegna *ibi, comment.* 40. *verſ. Abiurationem hanc*; Souſa *in aphoriſ. inquiſ. lib.* 2.*c.*40. Farinacius *de hæreſi, q.*188.*n.* 23. Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4. *diſp.*7.*pun.* 1.*nu.*1. Carena *par.*3.*tit.*12.§.3. *num.*4. & alij.

Huiuſmodi abiurationes, in quo differunt inter ſe?

3 RESp. Quod differunt: quia leuis abiuratio imponitur, quando delatus de hæreſi, non conuincitur talis, nec dictis, aut factis euidentibus: nec teſtium productione legitima, nec propria confeſſione, nec contra eum adſunt grauia, ſeu vehementia indicia: ſed tantum leuia, & modica, ex quibus leuiter, aut rarò infertur crimen ſuſpicatum. Et ſi poſt abiurationem in eandem hæreſis ſuſpicionem relabitur, non punitur pœna relapſis debita, quamuis grauius puniatur, quàm ſi anteà non abiuraſſet: vt ex *c. Accuſatus, de hæreticis in* 6. docet Eymericus *de quarto modo terminandi proceſſum fidei per abiurationem de leui.*

4 Abiuratio autem de hæreſi vehementer, eſt quando quis, licet nec facti euidentia, nec teſtium productione legitima, nec propria confeſſione conuincitur, quod in hæreſim inciderit: tamen adſunt grauia, & magna indicia probata, quæ illum reddunt de prædicta hæreſi vehementer ſuſpectum, & efficaciter, & frequenter hæreſim concludunt: & ideò de vehementi talis dicitur abiurare. Qui ſi poſteà relabitur, punitur pœna relapſis debita, ideſt traditur brachio ſeculari, vltimo ſupplicio puniendus: iuxtà dictũ *c. Accuſatus de hæret.in* 6. Ità Eymericus *ibid.num.*166. Pegna *par.* 2.*comment.*80. *verſ. Et ob hanc*; Locatus *in iudiciali inquiſit.verb.Suſpicio, nu.*10. *&* 19. Lelius Zecchius *in ſumma, tit.de fide, rubrica de hæreſi, c.*11.*n.*5. Caſtro Palaus *loc.cit.n.*2. Verum pro hæreſis ſuſpicione vehemẽti nullus eſt, tanquam hæreticus condemnandus: vt expreſsè his verbis habetur *in cap. Litteras,* §. *Quo circa, extrà de præſumptionibus*: *Propter ſolam ſuſpicionem, quamuis vehementem, nolumus illum, de tam graui crimine* (ideſt de hæreſi) *condemnari*: Ità Eymericus 2. *par. direct.q.*46. *aliàs* 55.*n.*10.

5 Abiuratio verò de violenti fit, quãdo hæreſis ſuſpicio ex verbis, aut factis eſt maxima; itaut violentet, cogat Iudicem, ad credendum, ſic facientem, vel dicentem, hæreticum eſſe, & vt talem eſſe damnandum. Quia eſt præſumptio iuris, & de iure, quæ in contrarium probationem directam non admittit: vt cõſtat ex *cap. Contra Chriſtianos, cap. Quicunque, cap. Excommunicamus,* §. *Qui autem, de hæreticis in* 6. & notant Eymericus *loc.cit.* Pegna *comment.*80. *verſ. Violenta ſuſpicio,* Farinacius *q.*187.*nu.*46. & alij communiter. Verum licet violenta præſumptio, probationem in contrariũ directam, non admittat: indirectam tamẽ admittit: nempè ſi inquiſitus probare velit: falſos eſſe teſtes contra ipſum examinatos: aut indicia, ex quibus violenta præſumptio ducitur, non eſſe vera. Ità etiam docent Pegna *loc.cit.verſ. Quamuis,* Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.*51. *rubr.de probationibus, n.*13. Farinacius *n.* 5. Qui ergò de hæreſi violenter ſuſpectus inuenitur, prout de hæreſi conuicto, vt hæreticus habendus eſt, & per omnia iudicandus: ex dicto *cap. Excommunicamus* 1. §. *Qui verò, extrà de hæreticis in* 6. *& ex cap. Cum contumacia, & cap. Vt officium, eod.tit.* Vndè, vel fatetur crimẽ, & vo-

& voluerit hæreſim abiurare; & ad pœnitentiam eſt recipiendus: ex *c. Ad abolendam, & ex c. Excommunicamus* 2. §. *ſin.* Vel fatetur crimen, ſed noluerit abiurare,& tradendus eſt Curiæ ſeculari puniendus: ex *cap. Ad abolendam*, allegato. Vel noluerit crimen,poſtquam eſt conuictus, fateri, neque abiurare, & tanquam hæreticus impœnitens eſt cōdemnandus,per dictum *cap. Abolendam.* Ità Eymericus *loc.cit.n.*16. Pegna *ibi,cōment.*80.*verſ.Violenta enim.* Notandum tamen eſt, quod ex ſtylo Supremi Tribunalis Generalis Inquiſitionis,abiuratio,ex violenta ſuſpicione,non eſt in vſu: ſed omnes abiurant, vel de leui, vel de vehementi, vel de formali: ità teſtantur Farinacius *q.*187.*n.*51.Caſtro Palaus *p.*1.*tract.*4.*diſp.*7.*punct.*1.*nu.*12. Carena *par.*3.*tit.*12.§.3.*n.*7.

6 Abiuratio tandem de formali iniūgitur hæretico pœnitenti, qui iudicialiter confeſſus,vel conuictus fuit de hæreſi formali,& manifeſta;& vult ad Eccleſiæ gremium redire. Talis enim, quamuis multis annis ſteterit in hæretica prauitate,ac etiam dogmatizauerit,multoſque in errores induxerit: ſi poſteà cum effectu illas hæreſes conſenſerit abiurare,& ſatisfactionem congruam, ad arbitriumEpiſcopi,& Inquiſitoris,exhibere; non eſt tradendus brachio ſeculari,vltimo ſupplicio feriendus: & ſi eſt Clericus,non eſt degradandus;ſed ad miſericordiam eſt admittendus: iuxtà *cap. Abolendam*, §.*Præſenti, extrà de hæreticis.* Sed abiurata hæretica prauitate, eſt in perpetuum carcerem detrudendus; iuxtà *c.Excommunicamus* 2.§.*Si quis.*Quia illius conuerſio, & abiuratio præſumitur,eſſe facta plus metu mortis, quàm amore veritatis: & propterea non eſt liberè dimittendus; ne ſi fictè fuerit conuerſus,alios corrumpere poſſit.Ità Concilium Tholoſanum *c.*10. Eymericus *p.*3.*direct.de octauo modo terminandi proceſſum fidei,nu.*188.Pegna *comment.* 44. *& comment.*46.*n.*201.Vmbertus Locatus *in iudicial.inquiſ.verb.Abiuratio,n.*1. *verſ.Qui namque*,Farinacius *de hæreſi,q.*194.*nu.*24.*&* 25. Et ex his patet,in quo differant inter ſe abiurationes de leui, de vehementi,de violenti, & de formali.

Vt abiuratio ritè, & iuris ordine fiat, quidnam neceſſariò requiritur?

7 RESp. Requiri primò, vt hæreſis ſuſpicio, ſiuè ſit de leui, ſiuè ſit de vehementi, ſit plenè probata per teſtes, vel per propriam rei confeſſionem; vt docent Farinacius *q.*187.*n.*34.& alij ab ipſo allegati, Caſtro Palaus *par.*1. *trac.*4.*diſp.*7.*punct.*1.*n.*9.Carena *par.*3. *titul.*12.§.5.*n.*18. Secundò,vt abiurantes nō ſolum damnent,& deteſtentur hæreſim, quàm tenuerunt; ſed etiam eius auctores,& auctorum libros, *c. Saluberrimum* 1.*qu.*7. Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*1.*rubr.de abiurat.n.*4.*&* 6.Tertiò, vt nō tantùm dictam hæreſim abiurent,ſed cū ipſa abiurare debent omnes,& quaſcūque alias hæreſes generaliter: non ſolū quando abiuratio eſt de vehementi, vel de violenti, vel de formali, ſed etiam quando eſt de leui, neque enim tunc debet omitti, generalis deteſtatio omnium aliarum hæreſum. Ità teſtantur ſeruari in Officio Sanctæ Romanæ Inquiſitionis Pegna *par.* 3. *comment.* 40. *verſ.Hæc dum ſcribo*,Diana *tom.*5.*tr.*10. *reſ.*97.*ex par.*4.*tr.*8.*reſol.*98. Farinacius *de hæreſi,q.*194.*n.*13.Decianus *in tract. crimin.lib.*5.*c.*47.*n.*10. Zecchius *in ſumma, par.*1.*tit.de fide,rubr.de hæreſi,c.*11. *n.*5.*verſ.Secunda ſuſpicio*,Carena *par.*3. *tit.*12.*n.*38.& alij. Quartò,vt confiteantur catholicam fidem veram eſſe; vt præcipitur in Epheſina Synodo, & probat Symanchas *de cathol. inſtitut.lib.*1.*rubr. de abiurat.num.*4.*&* 7. Quintò,neceſſariò in abiuratione requiritur iuramentum, deteſtandi omnem hæreſim, & ad illam amplius non redire, & confiteri ſemper fidem catholicam,& ad omnem Eccleſiæ mandatum obedire: vt in *cap. Quoties* 1.*q.*7.*& in cap.Ego Berengarius de conſecrat.diſt.*2.& notant Royas *ſing.*1.*n.*16.*in fin.uerſ. Additur iuramentum*, Farinacius *loc.cit.n.*16.Symanchas,Decianus,& alij. Sextò requiritur, vt abiuratio fiat per ſcripturam, ſcriptam, vel ſal-

ſaltem ſubſcriptam manu abiurantis, quæ contineat deteſtationem præteriti erroris,& verè fidei confeſſionem: vt ſi forte ipſe abiurans relabatur,poſſit,ſua propria manu conuinci, *cap.Si quis noluerit,cap.Quoties,& cap. Maximum 1.q.7.& in cap.Ego Berengarius*, & alibi; ſi verò ſcribere neſciat: tunc Inquiſitor, & Notarius ſe ſubſcribant. Ità Decianus *vbi ſup. nu.6.& 9.* Martinus del Rio *diſquiſ.magic.lib.5.ſect.12.verſic.Hæc omnia*,Farinacius *n.* 15.Pegna *par.3. comment.*49. *verſ.Iam quid continere,& alij*. Septimò,hæc autem ſcriptura eſſe debet ſcripta in lingua vulgari, vt ab omnibus intelligatur. Niſi abiuratio ſit facienda coram perſonis Eccleſiaſticis tantùm, linguam latinam intelligentibus. Ità Eymericus *par. 3. direct.rubr. De quinto modo terminandi proceſſum,num.*169.*& in rubr. De ſexto modo terminandi proceſſum,n.*176.*in fine*, Royas *ſingul.*1.*n.*16.*in fin.* Zecchius *in ſumma,par.*1. *tit.de fide, rubr.de hæreſi,c.*11.*n.*18. Farinacius *loc.cit. n.*18. Octauò, abiuratio fieri debet cum veſtitu pœnitentiæ,duplici cruce ſignato: vt affirmant Symanchas *de cathol.inſtit.tit.*47.*n.*9.*& ſeq.*Royas *ſingul.*1.*nu.*23.*in fin.& n.*24.vt ſic magis humilientur hæretici. Verum qui tantum ſuſpecti ſunt de hæreſi,etiam de vehementi, non eſt eis iniungenda pœnitentia, delationis habitus cum cruce:quia huiuſmodi cruces ſunt inſignia hæretici pœnitentis: ſuſpecti autem de hæreſi non habentur vt hæretici.Vt notant Eymericus *par.3.n.*175. *verſ. Prouideat etiã*, Pegna *ibi,comment.*41.*lit.F.* Farinacius *qu.*193.*nu.*92.Nonò,abiuratio fieri debet publicè,& in loco publico,ac etiã, vt plurimum in die feſto: vt reus tali rubore,& verecundia, cum pœnis adiunctis ſuffuſus, deinceps talia non cõmittat:& multitudo populi,facilius cõgregari poſſit,ad videndum rei pœnas, & cruciatus; & indè diſcant omnes timere, & hæreticam prauitatem fugere:vt notat Farinacius *vbi ſup.n.*4.*&* 5. *ex cap. Ad abolendam*, §. *Prætereà in verb.Publicè, extrà de hæreticis*; & extat Conſtitutio Martini V. ædita anno 1418. quæ incipit: *Inter cunctas, verſ. Alij uerò*, quæ refertur à Pegna inter litteras Apoſtolicas. Decimò, fieri debet abiuratio, poſt ſententiam latam ab Epiſcopo,& Inquiſitore,non antea: vt ſeruatur in Generali Sacroſanctæ Inquiſitionis Officio Romæ. Ità Pegna *par.3.comment.*41.*uerſ.Hoc tamen loco*, Symanchas *de cathol.inſtit.tit.*1.*rubr.de abiurat.n.*29.*in fine*, Farinacius *ubi ſup. num.*17. Vndecimò,tandem de abiuratione facta, fieri debet inſtrumentum publicum, iuxtà ſtatutum Concilij Narbonenſi *c.6.*Pegna *par.3.comment.*40.*uerſ.Iam conſtito*, Farinacius *n.*20.

Abiuratio quandonam fieri poteſt nõ publicè,ſed priuatè ?

8 RESP. Fieri poſſe non publicè, ſed priuatè. Primò, quando reus antequam ſit denunciatus, ſpontè corã Inquiſitore comparet, & ſuum errorẽ fatetur,paratus corrigi,& pœnitentiam agere. Ità Symanchas *de cathol.inſtit. tit.*1.*de abiurat.nu.*24.Royas *ſingul.*23. *n.*8.Locatus *in iudic.inquiſ. in uerb.Ordinarius, n.*2. Farinacius *ubi ſup.num.*8. Carena *par.3.tit.*12.*§.6.n.*23.Iſte enim abiurat tantummodò coram Inquiſitore,Ordinario,Notario,& duobus teſtibus in ſecreto auditorio S. Officij. Secundò,quando denunciatus, non vocatus, comparet: vel denunciatus, eſt nobilis,aut eſt Sacerdos bonæ famæ. Cũ iſtis enim agi poteſt honeſtiori abiuratione; vt affirmant Locatus *in 3. caſu Placentię deciſo*, Rolandus *lib. 3. conſil.* 63.*n.*7.Farinacius *de hæreſi, q.*194. *nu.* 91. Carena *par.2.tit.*7.§.13. *nu.*70. *& par.3.tit.*12.*§.6.n.*26.Vbi ait. In S.Officio Cremonæ hoc arbitrio vſi ſunt aliquandò Reuerendiſsimi Inquiſitores: dum aliquos nobiles admiſerant ad abiurationem de vehementi in aula Illuſtriſsimi Epiſcop. & aliquando in aula S.Officij ianuis apertis, & aliquãdo ianuis clauſis coram Congregatione tantum. Tertiò, non debent Inquiſitores, in vllo caſu cogere Confeſſariũ ad

ad venerea ſollicitantem, ad abiurandum de vehementi publicè; ne ſeculares ex hoc retrahantur à Sacramento Pœnitentiæ. Sed talis abiuratio ad ſummum fieri debet, coram Inquiſitore, Conſultoribus Eccleſiaſticis, & alijs Sacerdotibus,& Curatis. Ità Carena *par.3.tit.*12.§.*6.num.29.*Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.9.punct.*11.*n.*11. Ludouicus Paramus *de orig. S. Inquiſ. lib.3. q.*10. *n.*165. Quartò, abiuratio de leui regulariter non fit publicè, ſed ſecretò in domo Epiſcopi,vel Inquiſitoris. Ità Pegna *par.3. comment.*40. *verſ. Præterea*, Symanchas *de cathol.inſtit. tit.*1.*n.*24. Farinacius *q.*194. *n.*10. Genuenſis *in praxi Archiep.Neap.c.*84.*nu.9.* Scaccia *de indicijs,c.*59.*n.*10. Carena *loc.cit. n.*28.Dixi regulariter, quia aliquando ob crimen publicum, & ſcandaloſum etiam abiuratio de leui fieri debet publicè: quia publicè errantes, publicè, etiam ſunt corrigendi ad aliorum exẽplum, vt affirmant Eymericus *par.3. rubr. de quarto modo terminandi proceſſum fidei per abiurationem de leui*, Carena *vbi ſup.* Royas *ſingul.*1. *nu.*26. Diana *tom.5.tract.*10.*reſ.*93.*nu.3.ex p.*4.*tr.*8.*reſ.*81.*num.*3. & alij. Quintò, ex cauſa benè Inquiſitoribus viſa,abiuratio etiam de vehementi fieri poteſt ſecretò: vt docent Rolandus à Valle *lib. 3.conſil.*637.Farinacius *vbi ſup. num.9.* Carena *n.26.* Decianus *in tract.crimin. lib.5.c.47.n.7.& c.*38.*n.6.* E.g.Si abiuratio indicenda ſit Patri familias, habenti filias nubiles, & ſi publicè abiuraret,eius filiæ, ob id, matrimonio carere cogerentur; tunc adeſſet rationabilis cauſa, ob quam poſſent Inquiſitores arbitrari,vt abiuratio ſecretè fieret. Ità Carena *par.3.tit.*13.§.4.*n.*61.Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.4.c.*13.*n.6.* Et ſic in caſu ſimili.

Abiuratio eſt ne ſecretò facienda, quãdo quis hæreſim commiſit mente, & corde tantum, abſque vllo exteriori actu hæreſim denotante?

9 Reſp.Fuiſſe aliquorum ſententiam affirmantium,abiurationem eſſe faciendam ſecretò, etiam ob hæreſim tantum mentalem: vt refert Farinacius *de hæreſi,q.*194.*n.6.*quia hoc peccatum ſola mente conſummatur, & credendo quis pertinaciter,aliquid contra fidem, eſt perfectè hæreticus. Ergo incurrit omnes hæretici pœnas, & conſequenter abiurare tenetur ſecretè, dum peccatum eſt occultum. Sed hoc non obſtante omninò dicendum. Neminem incurrere hæreſis pœnas, niſi aliquo verbo,vel facto, hæreſim in mente latitãtem,explicat. Quia quamuis hoc crimen verè, & perfectè, ſola mente conſummetur; tamen Eccleſia caret iuriſdictione, iudicandi de actibus internis, & omninò occultis. Ergo punire nequit eum,qui mente,& corde, abſque vllo exteriori ſigno,hæreſim commiſit, neque ad abiurandum illum damnare; quia hæreticus purè mentalis, nec reconciliatione, nec Inquiſitorum abſolutione indiget; ſed à quouis Confeſſario abſolui poteſt: vt docent Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*32.*nu.*17.Couarruuias *regula Peccatum* 2.*p.n.*7. Farinacius *vbi ſup.nu.*7. Guttierez *quæſt. Canon.lib.*1.*c.*13. *nu.*8. Sanchez *in Decal.lib.*2.*c.*8.*n.3.*& alij communiter.

Eſt ne aliquis pœnitens hæreticus, ad miſericordiam admittendus abſq; abiuratione?

10 Reſp. Negatiuè omnes enim hæreticos pœnitentes, aut de hæreſi ſuſpectos,abiurare debent. Quia iura,de abiuratione loquentia,generaliter loquuntur, & generaliter intelligi debent, *l.*1. §. *Generaliter*, *ff.de legat. præſtan.*Et ideò ab abiuratione nullum priuilegium, nec vlla dignitas excuſat, & ſiuè ſint Reges, ſiuè Imperatores,ſiuè Prælati, ſiuè Cardinales,ſi in hæreſim incurrerint, abiurare tenentur. Vt omnes abiurationis rubore,quaſi quodam vinculo aſtricti, & alligati, in catholicæ Eccleſiæ vnitate permanere, cogantur. Ità docent Eymericus *par.*

3.di-

3.*direct.rubr.de quarto modo terminandi proceſſum*, Pegna *ibi, commen.*40. Decianus *in tract.crimin.lib.*5. *c.*47. *nu.*4. Lelius Zecchius *in ſumma, par.*1. *tit.de fide, c.*11. *rubr.de hæreſi, nu.*17. Farinacius *de hæreſi, q.*194.*n.*24.

Suſpectus vehementer de hæreſi, ſi nõ ſit confeſſus, nec conuictus, tenetur ne abiurare?

11 RESp. Affirmatiuè; quia hæreſis ſuſpicio vehemens, quamuis non ſufficiat, ad condemnandum aliquem, vt hæreticum, ad pœnam ordinariam; benè tamen ſufficit ad eum condemnandum in pœnam extraordinariam, & ad abiurandum. Ad hoc enim minor probatio requiritur in crimine hæreſis: vt docent Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.*50. *rubr.de præſumptionibus, n.*21.*& tit.*51.*n.*12. Vmbertus Locatus *in iudicial.inquiſit.in verb. Suſpicio, n.*7. Repert.Inquiſ. *in verb. Abiuratio, verſ.Sed abiurationis*, Menochius *de præſumpt.lib.*1.*q.*100.*nu.*11. Decianus *loc.cit. n.*2. Eymericus *par.*2.*direct. q.*55.*n.*12.*ex par.*3.*num.*166. Didacus Cantera *in quæſt. crimin. rubr.de hæreticis, c.*1.*n.*56. Farinacius *q.*187.*n.*40.*& q.*194.*n.*26.

Cuius ætatis homines compelli poſſunt ad abiurandum?

12 RESp. Quod in Concilio Tholoſano anno 1229. celebrato, *c.* 11. & in Concil. Bitterenſi paucis poſt annis ædito, *c.*31. ſtatutum fuit, vt maſculi à quartodecimo anno, & fœminæ à duodecimo, & ſupra, abiurent omnẽ hæreſim. Ità refert Pegna *par.*3.*direct. commen.*40.*verſ.Sed hæc difficultas*. Qui etiam addit: ſi quis ergo infra hanc ætatem deliquerit, alijs pœnis erit coercendus, non autem ad abiurationem compellendus. Sed in quadam inſtructione Valladolitana, ædita Anno Domini 1488. indicari videtur, quod in minori ætate delinquentes, ſi fuerint doli capaces, abiurare etiam debeant. Quæ quidem ſententia, ait Pegna, non eſt admittenda, niſi de malitia pueri, & de errore illius intellectus, & notitia contrariæ veritatis, ac de cæteris, quæ ſolent delictum hoc comitari, conſtiterit; quia abiuratio eſt grauiſſima pœnitentia ob pœnas, ad quas ſe obligat, qui abiurat: & propterea in tali ætate non eſt facilè imponenda. Et quando imponitur in pupillari ætate, de leui tantùm eſt iniungenda: quia ætas fragilis, iudicium incoſtans, rationabilis ignorantia credendorum, & aliæ circumſtãtiæ, multùm detrahunt delictis puerorum, & plurimum etiam minuunt hæreſis ſuſpicionem. At ſi de hæreſi formali conſtaret, nec ſupradicta excuſarent: abiuratio de formali eſſet facienda. Hæc Pegna. Et ità etiam docent Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.*2.*c.*40. *nu.*4. Farinacius *de hæreſi, q.*194.*n.*3. Carena *par.*3.*tit.*12.§.9.*per totum.*

Abiuratio eſt ne pœna, vel tantum ſignum pœnitentiæ abiurantis?

13 RESp. Eſſe pœnam, & inter graues ipſius abiurantis numerãdas: tum quia abiuratio per ſententiã iniungitur: ex ſtylo Supremi Tribunalis de Vrbe: vt notant Pegna *par.*3. *comment.*41.*verſ.Verum tamen*, Farinacius *q.* 194. *nu.* 17. Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.*2.*c.*40. *nu.*7. Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*1.*de abiurat.n.*29. Carena *par.*3.*tit.*12.§.4.*n.*12. Tum etiam, quia abiurantes de leui, ſi ſint regulares, redduntur inhabiles ad officia, & dignitates Religionis, ex decreto Sacræ Congregationis Sancti Officij, annuente Vrbano VIII. vt refert Diana *tom.* 5.*tr.*10.*reſ.*83.*ex par.*4.*tr.*8.*reſol.*64. Et abiurantes de vehementi non admittuntur ad confeſſiones audiendas, vt ait ibidem idem Diana, & Carena *num.* 11.*&* 14.

Quinam ſunt caſus in iure expreſſi, in quibus incidentes, ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti, & de uehementi abiurare debent?

14 RESp. Quod decem huiuſmodi caſus enumerantur ab Eymerico *par.2. direct.q.56.* Quorũ primus eſt: quandocunque aliquis vocatur,ad reſpondendum in cauſa fidei, & non comparet infra terminum competentem aſſignatum,eſt de hæreſi vehementer ſuſpectus: vt ex *cap. Cum contumacia,extrà de hæreticis in 6.* & ex conſequenti debet de vehementi abiurare.

15 Secundus eſt, quicunque ſcienter impedit directè, vel indirectè,aut quouis modo inquiſitionis officium;vt colligitur ex Conſtitut. Vrbani IV. edita ann.1261. quæ incipit: *Præ cunctis noſtræ mentis.* Et probatur etiam ratione: quia impediens Inquiſitionis Officium, eſt excommunicatus,in qua excommunicatione ſi per annum inſorduerit, eſt violenter de hæreſi conuictus,& vt hæreticus condemnandus: ex *cap. Vt inquiſitionis,extrà de hæret.in 6.* Sed violenta hæreſis ſuſpicio,non oritur ex leui ſuſpicione,ſed ex vehementi. Ergo impediens inquiſitionis officium, antequam annus tranſeat, eſt vehementer de hæreſi ſuſpectus, & vt talis abiurare debet.Ità notat Pegna *comment.*81.

16 Tertius caſus eſt, quando quis ſciẽter præſtat auxilium,conſilium, vel fauorem impedientibus inquiſitionis negotium, vehementer de hæreſi ſuſpectus habendus eſt: ex *dicto cap. Vt inquiſitionis,§.fin.*Notat verò hic Pegna *comment.61.verſ.Et quamquam,& ſeq.* Quod ſaltem in his, qui indirectè impediunt Sanctæ Inquiſitioni Officium: vel impedientibus præſtant auxilium, conſilium,& fauorem,conſideranda eſt qualitas perſonarum,& factorum. Nã ſi quis ratione affectionis erga conſanguineos, aut amiciſſimos impedierit, vel auxilium,conſilium, aut fauorem dederit in cauſis,ad Sanctum Officium ſpectantibus; quamuis ſit acriter puniendus,non eſt tamen credendus, de hereſi ſemper vehementer ſuſpectus.Et hoc præſertim habet locum in illis, qui non adeò callent fidei cauſis; quales ſunt ruſtici,& plebei. Quamobrem antequam abiuratio de vehementi talibus imponatur, diligenter eſt perſonarum qualitas perpendenda, ob periculum relabendi,& traditionis Curiæ ſeculari.

17 Quartus caſus eſt, quando quis,citatos hæreticos,vel eorum credentes, inſtruit, quod ſubticeant veritatem, vel vt afferant falſitatem; is enim de hæreſi vehementer ſuſpectus habendus eſt; vt patet ex *cap.Accuſatus, §.fin.de hæret. in 6.& in cap.Non inferenda 23. qu. 2.* vbi dicitur cum D.Ambroſio *lib. 1. de offic*ÿ*s, c. 36.* Qui non repellit à ſocio iniuriam ſi poteſt,tàm eſt in vitio, quã ille, qui facit. Et ideò de vehementi abiurare debet.

18 Quintus caſus eſt, quando excommunicatus,ex cauſa fidei citatus,contumaciter ſe abſentat,nec comparet: vel captos pro hæretica prauitate liberat: vel fidei negotio ſe opponit: vel alio quouis modo, excommunicationem per annum,animo pertinaci,ſuſtinuerit, eſt ipſo iure de hæreſi vehementer ſuſpectus: tum quia contumacia in cauſa fidei inducit ſuſpicionem vehementem de hæreſi. Tum quia videtur de Sacramẽtis Eccleſiæ malè ſentire:vt ait Hoſtienſis *in ſumma.tit.de hæret.* §.*Qualiter.*Et tùm etiam,quia, vt ſupra dictum eſt,antequam annus tranſeat,eſt de hereſi vehementer ſuſpectus: nam cum annus tranſierit, non vehementer, ſed violenter eſt ipſo iure ſuſpectus, & vt hæreticus condemnandus: ex *dicto cap. Vt inquiſitionis.* Et ideò abſque dubio de vehementi debet abiurare.

19 Sextus caſus eſt, quod omnes hæreticorum fautores,defenſores, & receptatores, debent etiam de vehementi abiurare,quia ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti: & ſunt excommunicati: vt patet ex *cap.Excommunicamus 1.§.Credentes,extrà de hæret.5.*

20 Septimus caſus eſt,quod quicunque propter agnitorum hæreticorum familiaritatem eſt de hæreſi infamatus: ratione dictæ familiaritatis, vehementer eſt de hæreſi ſuſpectus; ex *cap. Inter ſollicitudines,extrà de purgat. canonica.* Vbi apparet,quod ratione infamiæ de hæ-

hæreſi fuit cuidam indicta publica abiuratio.

21 Octauus caſus eſt, quod quicunque eos,quos ſcit hæreticos,ſcienter receptat,deducit,viſitat,ſiuè aſſociat, ac dona, ſeu munera eis dat, ſeu mittit, ſeu alios fauores impendit, & excuſari non poſſit, quin ſint in fauorē magis culpæ, quàm perſonæ; ſuſpectus vehementer de hæreſi eſt habendus: patet ex *c. Accuſatus*, *extrà de hæreticis in* 6. §.*Illis quoque.* Vbi apparet, quod is abiurauit ex ſuſpicione vehementi. Notat autem hic Pegna *verſ.Sex aliàs,& ſequ.* quod huiuſmodi receptatores, ſi ratione ſanguinis,& naturalis affectionis,non fidei contemptu, aut hæreſis amore, id fecerint: putandum eſt, eos receptaſſe conſanguineos, non tanquam hæreticos,ſed tāquam conſanguineos, & mitius eſſe puniendos; non tamen eſſe ab omni pœna excuſandos, quia non ſunt omninò immunes à delicto. Vndè filius receptans patrem hæreticum,vxor virum, frater fratrem, leuius puniendi ſunt, quàm ſi alios non ità coniunctos receptaſſent,aut defendiſſent. Verum neceſſe eſt,vt receptans non participet in crimine cum receptatis. Nàm ſi particeps eiuſdem criminis fuerit, ordinaria pœna puniendus erit.Ità docet Pegna,cum alijs,quos ipſe citat. Qui etiā affirmant, idem dicendum de amicis, non de quibuslibet,ſed de amiciſſimis. Quia amicitia, vt ait Valerius Maxim. *lib.*14.*c.*7.eſt vinculum potens, & prævalidum,& nulla ex parte ſanguinis viribus inferius. Et in *l.Virum,ff. pro ſocio*, notat Soccinus *conſ.*263. & Iaſon *in l. Quæ dotis,ff.ſol.matrim.*quod amicitia veluti quædam fraternitas eſt.

22 Nonus caſus eſt, quando quis in cauſa fidei examinatus iudicialiter, & conuictus, negat, quod antea affirmauit,vel mendacium aſſeruit, vel periurium commiſit, ſuſpectus ſit de hæreſi vehementer:vt in *cap.Litteras,extrà de præſumpt.* & conſequenter ad vehemēter abiurandum cogendus eſt.

23 Decimus caſus habetur in Concil. Tarraconēſi, & refertur ab eodem Eymerico *ibid.* quod qui dicit, aut facit aliquid ſemèl contra fidem, ſuſpectus ſit leuiter de hæreſi; qui autem bis, vel ter, ſuſpectus ſit de hæreſi vehementer; qui autem pluries,& frequenter, ſuſpectus ſit de hæreſi vehementiſſimè.Et ità ſimiliter abiurare debet. Præter hos decem caſus ab Eymerico enumeratos, ſunt & alij multi, ex quibus vehemens hæreſis ſuſpicio oriri poteſt. Et in quibus qui inciderit de vehementi, etiam abiurare debet. Sed ad ſupradictos reducuntur.

Non denunciantes hæreticos Inquiſitoribus, uel locorum ordinarijs, quomodo abiurare debēt de uehementi an de leui?

24 RESp. Quod abiurare debent de vehementi; quia ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti,& præſumuntur hæreticorum fautores. Et maximè ſi denunciantes ſint Cruce ſignati, qui ex officio, & iuramento præſtito tenentur hæreticos denunciare. Ità Pegna *in directi. par.* 2. *comment.* 81. *verſ. Illis ex Ioanne*,Decianus *in tr.crimin.lib.*5.*cap.*51.*n.*25.Royas *ſingul.*5.*n.*6. *& ſeq.* Lelius Zecchius *in ſumma,tom.*1.*tit. de fide,rubr.de hæret.c.*11.*n.*5.*verſ.Tertia ſuſpicio*. Sed hoc locum habere, affirmat cum Pegna,& Royas,Carena *par.* 2.*tit.*9.§.9.*n.*43.*verſ.Quod locum*: quādo nulla adeſt probabilis cauſa, non reuelandi; vel in iudicio interrogatus, eos ſcienter celaret: & ità etiam docēt Zanchinus *de hæret.c.*5.*nu.*4.Farinacius *q.*197.*nu.*48. Si enim ob metū,cadentē in conſtantem virum,denunciare omitteret, non eſſet de hæreſi ſuſpectus; vt aſſerunt Sanctarellus *de hæreſi, c.*9.*nu.*16.*verſ. Tertiò non tenetur*, Farinacius *de hæreſ.q.*197.*nu.*53.Et ſi denunciare quis omitteret,non in defenſionem hęreſis,ſed ob conſanguinitatem, vel amicitiam cum hæretico, eſſet tantum de leui ſuſpectus; vt docent Duardus *in Bull.Cœnæ,lib.*2.*canon.*1.*q.*53.*concluſ.*1. *n.*17.& Carena *loc.cit.nu.*46.Qui etiam notat, quæ dicta ſunt habere locum, in

non

non denunciante hæreticos. Secus verò dicendum in omittente denunciare ſuſpectos de hæreſi;licet poſſint iſti puniri pœnis in ædictis Inquiſitorum ſtatutis.

Retinentes libros ſortilegos, aut hæreticos prohibitos, abiurare ne debẽt de uehementi an de leui?

25 RESp. Quod abiurare debent aliquando de vehementi,aliquando de leui, & aliquando nullo modo. Nàm ſi ſint omninò ignorantes, vel legere neſciant,omittenda eſt abiuratio: quia ceſſat in totum hæreſis ſuſpicio:vt docent Zanardus *in ſumma, par.2.cap. 94.rubr.de tort.in cauſis fidei, verſ.Primò inſpiciendum eſt;* Farinacius *qu.*180. *n.*44.Carena *par.2.tit.*10.§.8.*nu.*44. & alij.Et ſimiliter ſi ſint bonæ famæ,& vitæ, nec vnquam alias de hæreſi ſuſpecti,aut diffamati fuerint. Vel ſtatim, ac huiuſmodi libros repererint,ſe habere, aut ad eorum manus peruenerint, illos ad Inquiſitores conſignarunt, vel conbuſſerunt,aut lacerauerunt. Ità Farinacius *n.*48.Carena *n.*45. Decianus *trac. crim.lib.5.cap.46.nu.26.verſ.Limitatur ſecundò,* & alij. Item ſi in dictis libris non adſint propoſitiones hæreticæ, nec directè, nec indirectè ad hæreſim ſpectantes; ſed tantum temerariæ, & ſcandaloſæ: illos retinentes, puniendi ſunt pœnis arbitrarijs, non tamen ad abiurandum ſunt cogendi: quia vbi non eſt materia hæreſis,vel eius ſuſpicio, neq; adeſt locus abiurationis. Ità Burſatus *vol.4.conſ.*344.*n.*18. Carena *ibid. n.*47.

26 Si verò requiſiti ob retentionem dictorum librorum nõ ſint verſati in materijs illis, de quibus libri tractant; & interrogati ab Inquiſitore, veritatem ſtatim,ac ſincerè fatentur,tàm quoad ſe ipſos, quàm quoad complices: tunc abiurare debent de leui. Sicut de leui etiam abiurare debent, quando negant illos libros legiſſe, vel affirmant ibi appoſitos fuiſſe ab eorum inimicis,ſi hoc probent. Quia præſumptio militat cõtra eos, libros illos legiſſe ex diuturna ipſorum retentione: neque veriſimile eſt, fuiſſe ab inimicis ibi appoſitos, niſi probetur. Si autem dicti inquiſiti ſint homines docti, & libri hæreſes contineant, & illos legerint,vel cum diligẽtia ex longinquis regionibus tranſportari ſibi,curauerint: tunc præuia tortura ſuper credulitate propoſitionum hęreticarum,& ad ſciendum complices, à quibus libros habuerunt,aut hæreſim docuerunt, ſi in ea tortura ſe ipſos non grauent,ad abiurationem de vehementi cogendi ſunt. Ità Pegna *par.2.comm. 59.verſ.Quod ſi non compareant,* Carena *loc.cit.n.*44.Farinacius *q.*180.*n.*8.*&* 9.qui pro hac ſententia multos Doctores allegat.

Sortilegi, quandonam abiurare debent de vehementi hæreſis ſuſpicione?

27 RESp. Quod abiurare debent de vehementi hæreſis ſuſpicione. Primò, quando Dœmonibus exhibent cultum latriæ, qui ſolo Deo debetur. Nempè ſi in ſortilegijs Dœmonem adorant,vel ei ſacrificium offerunt, vel ſeruitutem, & obedientiam promittũt, vel ab eo petunt; quæ à ſolo Deo fieri poſſunt:vt mortui reſurrectionem, cæci illuminationem, infirmi inſtantaneam ſalutem, certificationem propriæ vitæ, transformationem hominis in animal brutum,intima cordis alterius ſcire, & ſimilia, quæ ſoli Deo reſeruata ſunt. Quia qui Dœmonem inuocat, ad faciendum, vel indicandum, quæ à ſolo Deo fieri,& indicari poſſunt, tribuit ei honorem diuinum; & conſequenter eſt vehemẽter de hæreſi ſuſpectus. Ità docent Eymericus in extrauag. Ioannis XXII.*n.*12.*& par.2.direct.qu.*43.& ibi Pegna, Scaccia *de iudic.crim.& hæretical.lib.*1.*c.*12.*n.*26.*& ſeq.*Farinacius *de hæreſi,q.*181.*n.*5.Martinus del Rio *diſquiſ.magic.lib.5.ſect.*15.*verſ.Primum axioma,* Zanardus *in ſumma,tom.2.cap. 64.verſ.Hæreticalia,*Carena *par. 2. tit.* 12.§.4.*n.*26.*& ſeq.*Notandum autem eſt nomine ſortilegi contineri, etiam diui-

diuinatores, maleficos, incantatores, magos, ariolos, aruſpices, & alios; vt affirmant Zanchinus *in tr. de hæreticis, c. 22.n.1.& ſequ.*& ibi Campegius *lit. A. verſ.Primo,& ſequ.*Farinacius *loc.cit.n.* 3.& alij.

28 Secundò, abiurare debent de vehementi, qui Dœmoni tribuunt cultum Duliæ, debitum Angelis, & Sanctis, qui ſunt in Patria: nempè, qui in ſortilegijs inuocant Dœmonem, vt Sanctũ, vel venerantur, vt gubernatorem mundi, vel in eius honore altare erigunt, cãdelas, & lampades accendunt, genua flectunt, humi ſe proſternunt, prçces effundunt, laudes, & hymnos canunt, carnem ſuam ieiunijs, & mortificationibus macerant; & ſimilia: quia hi omnes ſunt ſimiliter de hæreſi manifeſtè ſuſpecti, vt ſupradicti Doctores notant *locis citatis.*

29 Tertiò, qui ineunt pactum expreſsũ cum Dœmone, etiamſi ſortilegia ſint circa ea, quæ Dœmonis facultatem nõ excedunt, abiurare debent de vehemẽti: quia inire pactum cum Dœmone, ſpecies eſt idololatriæ, & apoſtaſiæ à fide: vt ait Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.63.rubr.de ſuperſtit.* & ideò ſunt vehementer de hæreſi ſuſpecti: vt affirmant Eymericus *par.2.q.43. nu.7.* & ibi Pegna *comment.68.*Martinus del Rio, Zanardus, Carena *locis citatis*, Genuenſis *in praxi Archiep.Neap. c.18. num.11.*& conſequenter debent de vehementi abiurare.

30 Quartò, qui in ſortilegijs, diuinationibus, maleficijs, & ſimilibus abutũtur Sãctiſſima Euchariſtia, vel Sacro Chriſmate, aut Oleo Sancto, vel Sanctorum reliquijs, vel Agnus Dei, vel aqua benedicta, aut candelis benedictis, vel alijs Sacramentalibus, vel verbis Sacræ Scripturæ, vel Orationibus S. Eccleſiæ, vt Pater noſter, aut Aue Maria, abiurare debent de vehementi. Quia præſumitur malè de his ſacris, & ſacramentalibus ſentire, & in eis ineſſe vim operandi ſortilegia, maleficia, & alios nefandos effectus, quod eſt manifeſtè hæreticum: vt notant Petrus Binsfeld. *in comment.ad l.Eorum, Cod.de maleficis, & mathemat.q.2.concluſ.5.* Suarez *de relig.lib.2.de ſuperſtit. c.19. num.10.* Graſſius *lib.2.cap.5.n.13.* Martinus del Rio *vbi ſup.verſ.Dico tertio*, Farinacius *q.181.n.19.& ſequ.*Carena *loc.cit.num.23.*& alij.

31 Quintò, qui baptizant magnetem, vel animal brutum, vel imaginem cuiuslibet materiæ, aut rebaptizant pueros, vel circa eoſdem abutuntur Sacramento Confirmationis, vel Ordinis, de vehementi abiurare debent ob ſupradictam eandem rationem. Oſtendunt enim malè ſentire de his Sacramentis, & ideò hoc ſortilegium, vt manifeſtè hæreticale, reputatur: vt ſtatuit Adrianus VI. in ſua extrauag. ædita Anno Domini 1523. incip. *Dudum*, relata à Pegna. Et affirmat Gloſſa *in c. Accuſatus, §.Sanè in verb. Saperent, de hæreticis*, Sylueſter *verb. Hæreticus 2.n.4.*Roſella *ſumma, in verb. Hæreticus, nu.3.*& eſt ſupradictorum, & aliorum omnium Doctorum ſententia.

32 Sextò, abiurare debent de vehemẽti, qui ſortilegia faciunt, ad nocendum hominibus, vel animalibus, vel terræ frugibus: quia, vt ſtatuitur in Conſtitut. Innocentij VIII. ædita ann. 1484. incip. *Summis deſiderantes affectibus*, & Alexandri VI. incip. *Cum acceperimus*, relata à Pegna, & in dicta *l.Eorum, Cod.de maleſ.*& notant Decianus *in tract. crimin.lib.1.cap.17.verſ 36.* Farinacius *de hæret.q.181.nu.31.* ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti. Et ſimiliter, qui huiuſmodi ſortilegia maleficis conſulunt, aut ea fieri petunt: vt probat Martinus del Rio *lib.5.diſquiſ.magic.ſect.16.verſicul. Omnibus autem*: quia iſti ſunt maleficiorum cooperatores, & in eaſdem incidunt pœnas, in quas ipſi malefici.

33 Septimò, qui Dœmonem alligatum in annulo, vel in ſpeculo, aut in phiala, vel in alia qualibet re, retinere credũt: quamuis falſum ſit, Dœmones ab hominibus in his rebus poſſe alligari; nã ſimulant ſe ibi vinctos, & alligatos, vt alios alligent, & decipiant. Qui ergo his modis à Dœmone petunt aliquid, & reſpon-

reſponſum recipiunt, & eorum deſideria implent, præſumuntur hæretici: cum huiuſmodi reſponſiones haberi non poſſint, niſi ex fœdere inito cum ipſo Dæmone: qui certè, nec etiam reſponderet, niſi per illicitas inuocationes, & venerationes. Et ideò inter magicas, & hæreticales ſuperſtitiones, hoc ſortilegium, enumeratur in extrauag. Ioannis XXII. quæ incipit: *Super illius ſpecula.* Et ità ſentiunt Eymericus *par.2. direct. q.43.n.9.* & ibi Pegna *verſ. Annulum, vel ſpeculum*, Symanchas *de cathol. inſtitut.tit.63.de ſuperſtit.nu.29.* Campegius *in addit. ad Zanchinum, tr. de hæret.c.22.lit.G.* Farinacius *q.181.n.28.* & alij. Et conſequenter etiam abiurare debent de vehementi.

34 Octauò, qui tacitè Demonem inuocat, figuris, characteribus, verbis, & ſignis ignotis, & ſuperſtitioſis, ad aliquid faciendum, ſimiliter de vehementi abiurare debet: quia hæc, natura ſua, nullam habent virtutem. Ergo Dæmon per illa operatur. Et conſequenter, qui illis vtitur, de hæreſi vehementer ſuſpectus eſt: vt docent Campegius *loc. cit.lit.C.verb. Inquiſitor*, Eymericus *in direct.par.2.q.43.n.2.* & ibi, Pegna *comment.68.lit.E.* Azorius *par.1.lib. 9. cap. 26.q.6.* Toletus *in ſumma, lib.4. cap.14. n.6.verſ. Secundo cum characteres*, Graſſius *lib.2.c.5.n.10.* & alij.

35 Abiurare debet de vehementi, qui à Dæmone ſcire inquirit futura, quæ, vel abſolutè pendent à diuina voluntate: vt ſunt myſteria ſupernaturalia, gubernationes, & mutationes Regnorum, & rerum publicarum: vel pendent à libero hominis arbitrio: vel quæ ſunt omnina futura contingentia, & certam, & determinatam cauſam non habent: vel ſecreta cordis alicuius hominis, & eius cogitationes in animo manētes: & alia, quæ ſunt prorſus occulta, quæ naturaliter ſciri non poſſunt, & ſunt etiam ipſis Dæmonibus ignota: quia de his illos interrogans, eſt vehementer de hæreſi ſuſpectus: vt docent Pegna *loc. cit.verſ. Sed hoc*, Martinus del Rio *lib.4. c.2.q.2.verſ. Primò nequit Dæmon*, Zanchinus *de hæreſi, c.22.nu.4.* Petrus Binsfeld. *in c.de maleſ.& mathemat. notab. 10.concluſ.9.* Farinacius *de hæret. quæſt. 181.n.8.& ſeq.*

36 Idem dicendum de eo, qui ad inueniẽda furta, vel ſcienda alia occulta, accipit phialam plenam aqua benedicta, & antè illã ponit puerum, vel puellam virginem, cum candela benedicta accenſa in manu, reſpicientem dictam aquam, & dicentem: *Angelo bianco, Angelo Sãto per la tua ſantità, e per la mia verginità moſtrami, chi hà tolto la tal coſa, e che n'hà fatto.* Et tũc aliquãdo apparere ſolet in phiala imago latronis, vel rei ablatæ, vel loci vbi eſt repoſita, vel alterius rei, aut negotij occulti, quod quæritur. Hoc autem ſortilegiũ manifeſtam hæreſim ſapit, vt probat Barbatius *lib.1. conſ.55.* quem ſequuntur Vmbertus Locatus *in iudic. inquiſ. in verbo Diuinationes, n.4.verſ. Et nota*, Decianus *in tr.crimin.lib.5.cap.7. verſ. Item hæreticus eſt, qui per phialam, col.4.* Pegna *par.2.qu.43. comment.68. litt.G.* Vbi ait, quod Necromantici ſolent lucidam ampullam, aut quid ſimile, corã puero, vel puella ſtatuere: in qua Dæmonum arte apparent ſpectra, & ſimulacra eorum, quæ ſcire cupiunt. Et quæ ipſi videre non poſſunt; videntur tamẽ ab innocentibus pueris, & puellis, & ab illis referuntur. Et idem dicendum, quando immiſcentur aliqua verba ſacra, vt *Euangelium, Symbolum, Pater noſter, Aue Maria, Pſalmus, Orationes, vel Sacræ Scripturæ verba.* Dum ergo, qui hoc ſortilegio vtitur eſt manifeſtè de hæreſi ſuſpectus, de vehementi abiurare debet.

37 Abiurare de vehementi item debẽt, qui circulos in terra faciunt, illoſque aliquibus ſignis muniunt, & puerum in medio ponunt, aut quid ſimile faciunt, & Dæmonem inuocant: quia de hæreſi vehementer ſuſpecti ſunt: etiamſi in tali actu non appareat, quod Dæmoni aliquis honor exhibeatur. Quia ſemper in tali ſortilegio aliquis honor Dæmoni tribuitur: circulus enim eſt ſignum diuinitatis. Ità Zecchius *par. 1. tit.de fide*,

fide,c.15.nu.5. Campegius *in addit. ad Zanchinum in tr.de hæreticis,c.27. lit.C. in verb.Inquiſitor, verſ. Tertiam cõcluſionem,*Farinacius *de hæret. qu.*181.§.2. *n.*70.Carena *par.2.tit.* 12.§.10. *nu.* 56.

38 De vehementi item abiurare debet, qui per artes magicas, & ſortilegia quærit familiaritates, & amicitias, aut auxilia Dæmonum, vel eis promittit quamcunque rem, vt eius deſiderium adimpleat,aut in Dæmonum honorem aliquid oſculatur, vel portat: quia hæc ſunt ſpecies idololatriæ; vt notat Pegna *par.2.comment.68. verſ.Eſt autem.* Et fuit determinatum à Theologis Pariſienſ. anno Domini 1398. vt teſtatur Gerſon *tom.* 1. *in tractatu de erroribus, circa artem magicam.*

39 Similiter abiurare de vehementi debet,qui per ſortilegia, cum Dæmonis inuocatione, aut cum mixtione rei ſacræ,vel ſacramentalium,curat morbos, tempeſtates ſedat, maleficia tollit, facturas diſſoluit, & magica remedia infirmis applicat. Quia etiam qui Dæmonem ad bonum effectum conſequẽdum his modis inuocat, ſuſpectus de hæreſi vehementer præſumitur. Huiuſmodi autem ſortilegia, eò ſuperſtitioſiora ſunt, quo ſanctiores res,quę in eis miſcẽtur:res enim Deo debitę,& dedicatæ in ſortilegijs adhibitæ, Dæmoni offeruntur. Et ideò iure Canonico, & ſecundum legem diuinam, nunquam licitum eſt, petere diſſolutionem maleficij,vel aliquid aliud ob bonum finem à malefico,& ſortilego, qui nõ niſi alio maleficio, vel Dæmonis auxilio, illud diſſoluit: vt docent Symanchas *de cathol.inſtitut. tit.* 62. *rubr.de ſuperſtit.nu.* 19.*& ſeq.* Petrus Gregor.*ſyntagma iuris,lib.*34.*c.*9.*n.*9.*& ſeq.& c.*18. *de magijs ad bonum quendam finem, & c.*20. *n.*13. Farinacius *de hæreſi, q.*181. *n.*33. Pegna *par.2.comment.68. verſ. Articulus quintus,* vbi affirmat, hæreticum eſſe, credere licitum eſſe: vti magicis artibus, vel alijs quibuſcunque ſuperſtitionibus, à Deo,& Eccleſia prohibitis, ad bonum finem, & maleficia maleficijs repellere.

40 Item de vehementi abiurare debent lamiæ,ſeu ſtriges,quæ ſiuè corporaliter transferantur à Dęmone ad conuentus ipſarum lamiarum,vbi fiunt conuiuia, tripudia,Dæmonis adorationes, nefarij concubitus, & ſimilia: ſiuè Dæmon, cũ ipſe lamiæ dormiunt, in ipſarum phantaſia, & imaginatione, hæc omnia repræſentat,ac ſi re ipſa fierent, itaut ſibi perſuadeant:ſe ea omnia re ipſa egiſſe, quamuis non egerint,ſed ſomniauerint. Quia etiam illæ lamiæ, quæ in ſomno deluſæ ſunt,puniendę ſunt,propter deſiderium, & conatum, faciendi ea,quæ cõſopitæ ſibi facere videntur: hac enim ratione ſe vngunt, & ſignis magicis ſignant: vt illa faciant re ipſa, & poſteà, cùm putant facta,approbant.Et eò magis, quia, vt plurimum apoſtatæ ſunt à fide catholica, & Chriſtum negarunt, Dæmoni obedientiam promiſerunt; & multa faciunt, quæ hæreſim manifeſtã ſapiunt. Ità docent Syluester *verb.Hæreſis* 3. *n.*10. Vmbertus Locatus *in iudicial.inquiſ.in verbo Lamia,*Royas *ſingul.*98.*n.*6. Symanchas *de cathol. inſtit. tit.*37.*rubr.de Lamijs,*Eymericus *par.*2. *direct.q.*43.*num.*8.*verſ.Ex his apparet,* Martinus del Rio *diſquiſ. magic. lib.* 5. *ſect.*15.*&* 16.Farinacius *de hæreſi, qu.* 181.*n.*45.& alij.

Inuocantibus Dœmonem in ſortilegio ad amorem, uel odium prouocandum, quænam abiuratio eſt iniungenda?

41 RESp. Dœmonem inuocans in ſortilegio ad amorem,vel odiũ prouocandum, ſi credidit: Dœmonem poſſe cogere tali medio viri, vel mulieris voluntatem, ad amandum, vel odio habendum: abiurare debet,ne dũ de vehementi,ſed de formali, quia tractandus eſt, vt hæreticus: niſi ignorantia illum excuſaret. Ità docent Alphõſus à Caſtro *de iuſta hæret. punit.lib.*1. *c.*15. *in fin.* Pegna *par.* 2. *comment.*68. *verſ.Rurſus id quoque,* Binsfeldius *in comment. legis* 4. *Cod. de maleſ. & ma-*

*them.q.2.concluſ.*4. Graffius *lib.2. deciſ. c.5.n.22.*Farinacius *de hæreſi, q.181.n.86.*Martinus del Rio *diſquiſ. magic.lib. 3.par. 1.q.3.ſect.5.*Carena *par.2.tit.12. n.51.*& alij. Ideò ſuper credulitate iſta eſt diligenter examinandus, & interrogandus.Quia Dæmones,nullius hominis voluntatem,ad amandum, aut odio habendum,cogere poſſunt: ſed ſuadere tantùm; mouendo phantaſmata in hominis imaginatione; vt eius voluntas alliciatur, ad deſiderium copulæ carnalis; non cum vno potius, quàm cùm altero,ſed cum aliquo in genere: facilè tamen fieri poteſt, quòd ſi eo tẽpore, maleficus amator, ad illam mulierem accedat, & inſtãter eam vrgeat, vt eius voluntati illa conſentiat: vt cũ communi Doctorum ſententia notant Martinus del Rio,Farinacius,& alij *locis citatis.*

42 Si autem maleficus in intellectu nõ erraret, nec crederet,poſſe Dæmonem, cogere hominis voluntatem,ſed in ſortilegio,vel iniret pactum expreſſum cũ Dæmone, vel verbis deprecatiuis illũ inuocaret,vel admiſceret Sacramenta Catholicæ Eccleſiæ, vt hoſtiam conſecratam,vel Oleum Sanctum Baptiſmatis, ſeu Chriſmatis, aut Extremæ Vnctionis: vel verba Sacræ Scripturæ,aut Orationes Eccleſiæ, vel particulas oſſium,capillorum, veſtium, & alias Sanctorum reliquias. Vel Sacramentalia ſcilicet aquam benedictam, ramos oliuarum, aut palmarum benedictarum, candelas benedictas, Sacros Agnos Dei,partem cerei Paſchalis, incenſum benedictum. Vel fruſtula quædam indumentorum Sacerdotalium, aliorũq; panniculorum benedictorum, quibus ſacra myſteria celebrantur, vt purificatorij, corporalis,planetæ,tunicellæ,manipuli,ſtolæ,camiſi,amictus, mappæ altaris,vel lapidis ſacrati,patenæ,calicis. Aut Sanctorum imagines conculcaret, vel ſputis fœdaret, vel Cruces deijceret,atque confringeret. In his caſibus, & ſimilibus iniungenda eſſet malefico abiuratio de vehementi: quia vehemẽter eſſet de hæreſi ſuſpectus:vt affirmãt Eymericus *in direct.par.2.q.43.* & ibi, Pegna,Farinacius *vbi ſup.n.85.*Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.21. rubr.de diuinat.& reuelat.n.13.*Menochius *de præſumpt.lib.5.præſumpt.7.nu.20.*& alij communiter. Et ab Inquiſitoribus iure puniri poteſt: vt ex *cap. Accuſatus de hæreticis in 6.*

43 Si verò nec errorem,quis habuit in intellectu,nec abuſus fuit Sacramentis, & rebus ſacris, nec ſacramentalibus, nec verbis Sacræ Scripturæ,aut Eccleſiæ orationibus,nec Dæmonem, verbis deprecatiuis inuocauerit, nec cum eo pactum expreſſum inierit: & ſortilegiũ ad tentandam mulieris pudicitiam cõmiſit; non eſt ei iniungenda abiuratio de vehementi: quia quamuis grauiſſimè peccauit, non tamen eſt,nec fuit de hæreſi vehementer ſuſpectus: tum quia nil hæreticale effecit: tum quia per tale ſortilegium petijt à Dęmone,vt mulierem tẽtaret, quod eſt ipſius propriũ: tentator enim appellatur *Matth.* 4. Et tum etiam, quia in his ſortilegijs, ſeu poculis amatorijs, nulla adeſt vis, ad compellendam alterius liberam voluntatem, ad amandum, & odendum: ita docent Eymericus *dicta q.*43. Pegna *commẽt.*68.*verſ.Qui dedit pocula amatoria*, Petrus Binsfeld. *in comment.legis 4.Cod.de malef.& mathemat.q.2. concl. 3.*Scaccia *de iudic.tom.1.c.12.n.19.*Carena *par.2.tit.12.n.*48.& alij.

44 Vndè hæreſim non ſapit illud, quod aliquando fieri ſolet ab aliquibus mulierculis, quæ credunt hominum amorem prouocare, cum quibuſdam leuibus actionibus, aut verbis,non tamen hæreticalibus,nec hæreſim ſapientibus. Vt notat Farinacius *q.181.nu.85.in fin.*

45 Neque hæreſim ſapit, quamuis graue ſit peccatum, præbere pocula amatoria, quæ naturaliter ad libidinẽ prouocant. Conſtat enim (vt notat Azorius *par.1.lib.9.c.2. verſ.De huiuſmodi Philtris*, ex teſtimonijs Ariſtotelis, Theophraſti,Dioſcoridis, Plinij, Galeni,& aliorum, qui in ſimplicium rerum conſideratione verſati ſunt, ac tractarunt.) Multas eſſe herbas, fructus, ac

la-

lapides, quibus adhibitis amoris, & cõcupiſcentiæ flammis homines incendere poſſunt: quia amor, & concupiſcentia eſt affectio facultatis ſentientis, quæ vi ſpirituum, & humorum, excitari, incendi, confirmari, & è contra remitti, minui, & extingui poteſt. Et licet nulla ſit in rebus naturalibus uis, quæ, ex ſua natura, excitet, & incendat ad amandum, vel odio proſequendum, aliquem hominem particularem: tamen naturaliter fieri poteſt; vt certo poculi, aut cibi genere ſumpto, generatim amor, vel odium in nobis excitetur: vt teſtatur Medina *lib. 1. de recta in Deum fide, c. 7.* Et dum in dictis caſibus non eſt hæreſis manifeſta ſuſpicio, neque iniungenda eſt abiuratio. Regula enim generalis eſt, quòd quando quis committit delictum, quod inducit vehemẽtem hæreſis ſuſpicionem, debet de vehementi abiurare. Si autem leuem inducit ſuſpicionẽ, de leui emittit abiurationem. Si verò nulla adſit hæreſis ſuſpicio, abiuratio nulla eſt iniungenda: vt notant Ricciullus *tr. de iur. perſon. lib. 5. c. 11. n. 30.* Torreblanca *de magia, lib. 3. c. 20. n. 1.* Locatus *in praxi inquiſ. verb. Suſpicio, §. Suſpectus*, Diana *tom. 5. tract. 12. reſ. 1. n. 2. ex par. 4. tr. 7. reſ. 1. n. 2.* & alij communiter.

Imagines cereas conficiens, vt eas pũgens, ad libidinem mulierem prouocet, vel vitam inimici lędat, & cruciet, quonam modo abiurare debet?

46 RESp. Quod huiuſmodi imagines facere abſque vlla Dæmonis inuocatione, licet magis videatur eſſe ſuperſtitioſum, quàm hæreticum, vt ait Eymericus *par. 2. qu. 43. verſ. Et idem Oldradus*: Tamen ſemper eſt mortale peccatum: & quia effectus ſequi non poteſt, niſi ex Dæmonis inuocatione, vel ex eius pacto expreſſo, aut tacito: ideò tales ſortilegi, ob Dæmonis inuocationem, vel pactum, ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti, vt affirmant Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 21. de diuinat. & reuelat. n. 13.* Farinacius *de hæreſi, q. 181. n. 8.* Menochius *de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 7. n. 20.* & alij, quos ipſe Menochius refert. Propterea Inquiſitores contra eos procedere poſſunt, & ad abiurandum de vehementi cogere.

Inuocans Dæmonem, ſiuè in poculo amatorio, ſiuè in alio ſortilegio, verbis, non deprecatiuis, ſed imperatiuis, eſt ne cogendus, ad abiurandũ?

47 RESp. Certum eſſe, quod grauiſſimè peccat quicumque, etiam imperatiuè Dæmones inuocat in omni ſortilegio, & grauiter etiam eſt puniẽdus. Attamen ſi inuocatio verbis imperatiuis fiat, non eſt ad abiurandum cogendus. Quia quamuis D. Auguſtinus *lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 11.* optimè dicat: *Ridiculum eſſe inuocari Dæmones per modum imperij, aut eis comminando præcipere. Non enim eſt poteſtas in terra, quæ comparetur eis, vt dicitur Iob 41. neque hominum dominio ſubduntur*: Nihilominus, quia cum inuocantur etiam imperatiuè, hominibus aliquando obediunt, vel obedire fingunt, vt eos decipiant. Tunc ſic illos inuocans, non committit ſortilegium hæreticale, quia talis inuocatio eſt ſine cultu, & reuerentia, & abſque omni cogitatione ſubijciendi ſe Dæmonibus. Immò fieri poteſt cum actu interiori odij erga ipſos, vt notat Caietanus *2. 2. q. 95. art. 4.* Ideò ad abiurandum non eſt cogendus.

48 Secus verò eſt, quando Dæmones inuocantur verbis deprecatiuis. Tunc enim eis tribuitur honor ſaltem Duliæ. Sicuti ſignum eſt reuerentiæ, & deuotionis, Sanctos precibus inuocare. Et ideò contra ſic inuocantem Dæmones, magna, ſeu vehemens oritur hæreſis ſuſpicio. Ità docent Eymericus *dicta q. 43.* Pegna *commen. 68. verſ. Sed hoc eñ diſtinctionem recipit*, Scaccia *de iudic. lib. 1. c. 12. nu. 39.* Suarez *de relig. tom. 1. lib. 2. de ſuperſtit. c. 19. n. 10.* Binsfeld. *in comment. l. Eorum, Cod. de malef. qu. 2.* con-

*concluſ.*1.Graffius *tom.*1.*lib.*2.*c.*5.*nu.*8. Zanardus *tom.*2.*ſumm.c.*64.*verſ.Secundò erit ſortilegus*, Farinacius *de hæreſi,q.*181.*n.*87.Genuenſis *in praxi Archiep. c.*18.*n.*11.*verſ.Inuocare Dæmones*, Carena *par.*2.*tit.*12.*n.*61.*& ſeq.* & alij.

49 Verum vt Dæmonis inuocatio, per verba imperatiua, non ſit ſortilegium hæreticale, requiritur neceſſariò: vt fiat abſque vllo cultu, vel mixtione rei ſacræ: nec inuocetur Dæmon, vt potens operari, etiam Deo non permittente, vel vt Dei amicus: nec credat hoc non eſſe graue peccatum: nec vllum adſit pactum cum ipſo Dæmone, vt *ibid.*notat Carena.

Hac occaſione non erit præter rem aliqua de alijs abiurare merētibus addere. Ideò

Blaſphemantes hæreticaliter, quando, & quomodo abiurare debent?

50 RESP. Blaſphemantes hæreticaliter ex conſuetudine, & ex habitu, qui ad omnem leuē animi motum, & tàm in ludo, quàm extra ludum, & tàm in ira, quàm extra iram blaſphemant, debent abiurare de uehementi: quia ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti. Ità Zanardus *in ſumma, par.*1.*c.*11. *de blaſphemis, verſ.Blaſphemi autem in ira*, Lazarius *de blaſph.q.*6.*num.*17.Genuenſis *in praxi Archiep.Neap.c.*68.*n.*8.*verſ.Si verò aliquis*, Farinacius *de hæreſi,q.*178.*n.*76.Menochius *de præſumption.lib.*5.*præſumpt.*6. *nu.*29.& alij. Et multò magis eis iniungenda eſt abiuratio de vehemēti: ſi admoniti, blaſphemare non ceſſent: vt colligitur ex *cap. Qui in Eccleſia* 24.*qu.*3. Et ſi æſtimauerint blaſphemare non eſſe peccatum, de formali abiurare debent, quia hæretici eſſent, vt notant Afflictus *in Conſtitut.Regni de hæreſi,rubr.*1.*n.*48. Farinacius *loc.cit.*& alij.

51 Blaſphemantes hæreticaliter ex cōſuetudine, tantum in ira, cogendi ſunt abiurare tantum de leui: quia leuiter ſunt de hæreſi ſuſpecti. Ità Lazarius, & & Zanardus *locis citatis*, Carena *par.*2. *tit.*7.*nu.*68.Diana *tom.*5.*tr.*12. *reſol.* 8. *n.*2.*ex par.*4.*tr.*7.*reſ.*8.*nu.* 2. & Ioſeph Seſſe *tom.* 4. *deciſ. Regni Aragon. deciſ.* 170.*n.*24.refert: blaſphemantem: Renego Deum, & Beatam Virginem: abiuraſſe de leui. Et ſimiliter ad abiurandū de leui, fuiſſe coactum quendam, qui vna, & alia vice hæreticaliter blaſphemauerat. Notat verò Diana *tom.*5.*tr.*12.*reſ.*8.*n.*3.*ex par.*4.*tr.*7.*reſ.*8.*num.*3. Hoc intelligendum eſſe regulariter. Nam aliquando ex qualitate blaſphemantis, & blaſphemiarum erit imponēda abiuratio de vehementi. Et ſic in actu publico in Regno Siciliæ die 16. Octobris 1633. ipſo conſulente duos blaſphemos de vehementi abiuraſſe.

52 Inſuper notat Carena *loc.cit. nu.*70. cū Eymerico *par.*2.*q.*41. *n.*6. blaſphemantem bis, vel ter in ira, cogendum eſſe, ad abiurandum, vti leuiter de hæreſi ſuſpectum. Zanardus verò *in ſumma, c.*11.*de blaſphemia, par.*1. *verſ. Blaſphemi autem in ira*, ait, quòd blaſphemantes hæreticaliter in ira bis, aut ter non ſolent abiurare, ſi ira magna fuit, & eius cauſa iuſta. Ideò ait Carena, quod in hoc ſeruanda eſt praxis vniuſcuiuſq; Tribunalis. Si autem quis ſemèl tantùm blaſphemiam hæreticalem protulerit in ira, non ſolet abiurare, ſed graui obiurgatione ei facta dimitti ſolet, cum pœnitentijs ſalutaribus. Et aliquando, ſi perſona ſit vilis, cogitur, ſtare præ foribus Eccleſiæ cum candela accenſa in manu. Ità Genuenſis *in practic. Archiep.Neap.c.*68. *n.*13.*verſ.Item illis, qui ſemèl*, Lazarius *de blaſphemia, q.*6.*n.*21.Carena *vbi ſup.n.*69.

53 Ille autem dicitur, blaſphemare ex conſuetudine hæreticaliter, qui frequēter hæreticales blaſphemias profert: quia conſuetudo oritur ex frequentatis actibus. Quot verò actus requirātur, vt quis dicatur frequenter blaſphemare, relinquitur arbitrio prudentis Iudicis: quia quæ à lege indefinita ſunt relicta, Iudicis arbitrio definienda relinquuntur, *l.*1.*ff.de iure deliber. cap.de cauſis* 4.*de offic.deleg.* Ità Menochius *caſu* 375.Carena *par.*2.*tit.*7.§.5.*num.*26.

Bordo-

Bordonus verò *tom.1.c.26.n.*14.ait, Inquiſitorem in hoc ſequi poſſe forum pœnitentiale, iudicando conſuetudinarium blaſphemum illum, qui probatur ſepties blaſphemaſſe in diuerſis diebus. Tunc enim ipſe Inquiſitor nititur probabili iudicio. Qui autem vnico impetu protulit plures blaſphemias, ſemèl blaſphemaſſe dicitur, propter vnitatem temporis continuati: quia cenſetur dare vnitatem moralem numericã illis pluribus blaſphemijs: arg. *leg. Cum plures, ff. de euict. l. Cum eiuſdem, §. Aediles aiunt, ff. de ędil. edict.* Graffius *de caſibus reſeru.* Paulus Maria Quarti *de caſib. reſeru. ſect. 1. c. 2. de conſuetud. blaſphem.* Carena *loc. cit. n.*28. Eſt tamen talis blaſphemus, ob multiplicationem blaſphemiarum in vno actu, acrius puniendus; vt notat ipſe Carena *ibid.* cum Bellon. *conſ. fin. n.*18. Azeuedio *ad Regias Conſtitut. lib.*8. *tit.*4. *leg.*1. *n.*42. Couarr. *lib.*2. *variar. c.*10. *n.*7. *verſ. Hactenus tractatum eſt.*

54 Hæc autem conſuetudo blaſphemãdi, an probetur per teſtes ſingulares? affirmat Hyppolitus Riminaldus *conſ.* 7. *n.*21. *in fin. & nu.*83. Negant verò Alexander *conſ.* 72. *tom.* 1. Boerius *deciſ.* 301. *n.*11. Decianus *in tract. crimin. to.* 2. *lib.* 6. *c.* 4. *n.* 8. *& c.* 5. *n.* 5. Maſcardus *de probat. concluſ.* 194. *n.* 2. *lib.* 1. Farinacius *de teſtibus, q.*65. *n.*289. & alij quamplures: à qua opinione, vt ait Carena *n.*27. communiter recepta, non eſt recedendum.

55 Proferentes blaſphemias non hæreticales non ſunt de hæreſi ſuſpecti, nec abiurare tenentur, neque Inquiſitores de ipſis agnoſcunt, nec ſe intromittunt, ſed eos relinquunt ſuis Iudicibus puniendos. Ità Eymericus *par.*2. *direct. q.* 41. *n.*1. & ibi, Pegna *comment.*66. *litt. A.* & alij communiter. Hoc enim crimen, vt notat Carena *par.*2. *tit.*7. §.3. *nu.*14. Eſt mixti fori, & datur locus præuẽtioni inter Iudicem Eccleſiaſticum, & ſecularem: ex *cap.*2. *de maled.* & ità etiam omnes Doctores concludunt.

Blaſphemantes facto, conſpurcando ſcilicet imagines Chriſti Domini, & Sanctorum, quomodo cogendi ſunt abiurare?

56 RESp. Quod regulariter cogendi ſunt abiurare de vehementi. Quia in omnium ſententia ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti. Tum quia præſumuntur malè ſentire de cultu ſacrarum imaginum, & de canonizatione Sanctorum. Et tum etiam, quia grauius delictum exiſtimatur blaſphemare facto, quàm verbis. Facta enim peiora ſunt verbis, *l. De pupillo, §. Meminiſſe, ff. de noui oper. nunt. cap. Dilecti* 52. *de appell.* iuncta Gloſſa. Et maior iniuria, & cõtẽptus eſt conſpurcatio imaginis ſacræ, quàm in eandem verbalis blaſphemia. Nàm verbum tranſit, conſpurcatio remanet. Ità Alphonſus de Caſtro *lib.*1. *de iuſta hæretic. punit. lib.*1. *c.*12. *&* 15. Genuenſis *in praxi Archiep. Neap. c.*18. *n.*11. *in fin. in addit. num.*17. Zanardus *tom.*2. *c.*64. *verſ. Secundò dico,* Carena *par.*2. *tit.*7. §.7. *n.*38. & alij.

Comedentes carnes in diebus prohibitis abſque iuſta cauſa, vel non cõfitentes ſua peccata, nec Sacram Euchariſtiam ſumentes ſingulis annis, vel perſeuerantes in mortali peccato, ſunt ne cogendi, ad abiurandum, tanquam de hæreſi ſuſpecti?

57 RESp. Affirmatiuè; quia, vt cum Zanchino *tract. de hæret. c.*35. *n.* 2. & ibi, Campegio, ac Felino *in c. Ad abolendam, de hæret. nu.*2. docet Pegna *par.*3. *comment.*24. Eccleſiaſtica Sacramenta non recipere, Eccleſiæ præcepta non ſeruare, quo tempore recipienda, & ſeruanda ſunt, iuxtà Eccleſiæ leges, & conſuetudinem; vt non confiteri, non recipere Euchariſtiam, non ieiunare cũ poſſis; non abſtinere ab vſu carnium cũ debeas, & ſimilia, externa ſunt ſigna, quæ ſuſpicionem malæ credulitatis pariunt. Hæc Pegna. Sanctarellus *tract. de hæreſi, c.*41. *dub.*3. *nu.*5. ait: *Sunt de*

hæreſi

hæreſi ſuſpecti, qui ſingulis annis ſua peccata non confitentur, nec communicāt: ſicut etiam ſunt ſuſpecti de hæreſi, qui diebus vetitis carnes edunt, Genuenſis *in praxi Archiep.c.*18.*nu.*11.ait: *Comedentes carnes diebus ad Eccleſia prohibitis ſine neceſſitate, dicuntur vehementer de hæreſi ſuſpecti*, Farinacius *de hæreſi, q.*78.*n.*80.ait: *De hæreſi ſuſpectus eſt ille, qui carnes comedit in diebus prohibitis ab Eccleſia: & ideò contra ipſum tanquam de hæreſi ſuſpectum poſſunt Inquiſitores procedere. Qui ſi inuenerint illum comedere carnes in diebus prohibitis ab Eccleſia, credentem non eſſe peccatum, poterunt tanquam hæreticum punire.* Ità etiam docent Repert. Inquiſit. *in verb. Cognoſcere, verſ. Sed an Iudex Inquiſitor*, Royas *ſingul.* 98.*num.*6.Lelius Zecchius *in ſumm.tom.*1.*tit.de fide, c.*11.*n.*5.Diana *tom.*5.*tr.*10.*reſ.*87.*ex par.*4.*tr.*8.*reſ.*38.Qui etiam notat, poſſe omnia ſupradicta effici ſine mentis errore, non eſſe dubitandum. Sed ex hoc non ſequitur, quod Inquiſitores non poſſint procedere contra talia facientes. Ideò eorum arbitrio ſtandum erit, penſatis circumſtantijs, & qualitatibus facti, tēporis, & perſonarum.

58 Carena *par.*2.*tit.*15.§.3.*num.*7.*&* 8. poſtquam dixit cum alijs (Veſcentem carnibus abſque licentia, & neceſſitate diebus prohibitis eſſe ſuſpectum de hæreſi vehementer. Licet hoc interdum ab ingluuie, & voracitate prodire poſſit) ſubdit: Verum hoc intelligendum eſt; vt procedat, dummodò vltra carētiam licentiæ, & defectum cauſæ concurrant etiam, quod pluries comederit carnes; quod reprehenſus, vel reprehenſionem deſpexerit, vel protulerit verba illa hæreticorum: *Quod intrat per os non coinquinat animam*: & quod inquiſitus ſit malæ vitæ, & famæ. Vtpotè, quod Eccleſiȩ Sacramentis non vtatur, nec Eccleſias frequentat, &c. Hiſq; enim concurrentibus, non eſt dubitandum, quin vehemens oriatur ex dicta comeſtione vetita, hæreſis ſuſpicio. Alias leuis ſuſpicio tantummodò oriretur. Et conſequenter ex his arguitur, quod ſit illi iniungenda vehemens, vel leuis abiuratio, ſecundum vehementē, aut leuem hæreſis ſuſpicionem.

59 Perſeuerare in peccato mortali, eſt etiam hæreſis ſuſpicio, & contra talem peccatorem procedere poteſt Inquiſitor, tāquam de hæreſi ſuſpectum. Quia hæreſis, quamuis concludenter non probari, videatur ob grauiſſima crimina; negari tamen non poteſt, quin ex illis oriatur contra criminoſum non leuis hæreſis ſuſpicio. Ità docent Symanchas *de cathol.inſtitut. tit.* 50. *rubr. de præſumpt.n.*30. Farinacius *de hæreſi, qu.* 178.*n.*77.Repert.Inquiſ.*in verb.Cognoſcere, verſ.Sed an Iudex*, Ananias *in cap. Ad abolendam, n.*26. Felinus *in c. Excommunicamus* 1.*nu.*4.*verſ.Nota ex*, §. *E.G.* Qui diſcedit à communi vſu fidelium circa cultum diuinum, fugit bonorum virorum conſortia, nunquam agit pœnitentiam, nunquam audit diuina officia, nunquam Eccleſiæ Sacramenta recipit, neque eius, neque Dei mandata obſeruat, indubitanter de hæreſi ſuſpectus redditur: & iuxtà hanc ſuſpicionem abiurare, ab Inquiſitoribus cogendus eſt. Ità Repert.Inquiſ.*loc. cit.* Menochius *de præſumpt. lib.*5.*præſumpt.*6.*n.*27. & Decianus *in tract.crimin.lib.*5.*c.*17.*verſ.*35.*qui verſ. Item hæreticus eſt*, ait; hæreticum eſſe censēdum illum, qui ſingulis annis Euchariſtiam non recipit, nec communicandi animum habet. Secus autem ſi non cōmunicaſſet ob aliquam cauſam, & haberet animum, quandoque communicandi, tunc enim non hæreticus, ſed excommunicatus, cenſendus eſt.

Non Sacerdos Miſſam celebrans, uel Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrans, abiurare debet de uehementi, an de leui?

60 RESP. Quod abiurare debet de vehementi, quia eſt de hæreſi vehementer ſuſpectus. Nàm regulariter quicumque Sacramentis abutitur, redditur ſuſpectus vehementer de hæreſi:

reſi: vt patet ex Conſtitut. Pauli IV. ibi: *Nos in animum inducere nequeuntes,&c.Miſſam celebrans, vel Sacramētum Pœnitentiæ miniſtrans, cum Sacerdos non ſit, abutitur his Sacramentis, exiſtimans ſaltem facto ipſo; alios præter Sacerdotes, poſſe illa Sacramenta adminiſtrare.* Ergo eſt non leuiter, ſed vehementer de hæreſi ſuſpectus,& de vehementi abiurare cogendus eſt. Itâ Pegna *in direct.par.2.commen.*81.*verſ.Ille quoque*, Martinus del Rio *lib.* 5. *diſquiſ. magic. ſect.*12. *verſ.Vehemens ſuſpicio,& ſect.*15.Ricciullus *de iure perſon.extrà Eccleſiæ gremium exiſtentium, lib.*5.*c.*11.*n.*7.Carena *par.*2. *tit.*11.§.1. *nu.* 3. Et itâ ſeruatur in S. Romana Inquiſitione. Quamuis in Tribunalibus Hyſpaniæ tantum de leui abiurare cogitur, vt affirmant Souſa *in aphoriſ. inquiſ.lib.*1.*c.*32.*n.*14.Caſtro Palaus *par.* 1.*tr.*4.*diſp.*8.*punct.*16.§.9.*n.*2.

In Sacris Ordinibus ordinati,& Regulares profeſſi matrimonium contrahentes, cogendi ne ſunt abiurare de leui, an de vehementi?

61 RESp. Quod quamuis ſtylus Inquiſitionis Hyſpaniæ ſit dictis reis abiurationem de leui imponere, niſi qualitas perſonæ, & circumſtantiæ concurrerent, vt eſſet neceſſe, ad abiurandum de vehementi, illos cogere. Vt ſi e.g. Clericus in ſacris, vel Religioſus profeſſus, eſſet de Prouincia infecta lutheranæ hæreſis: nam tunc perſona redderetur ſuſpecta repectu ſuæ regionis: vt teſtantur Caſtro Palaus *par.* 1. *tract.*4.*diſp.*8.*punct.*16.§.8.*n.*2. Symāchas *de cathol.inſtitut.tit.* 40.*nu.*6. *& in Enchiridion.tit.*12.*n.*6. Diana *tom.*5. *tr.* 12.*reſ.*5.*n.*3.*ex par.*4.*tr.*7.*reſ.*5. *num.*3. Tamen in Italia alijſque locis dicti rei abiurare ſolent de vehementi: quia malè ſentire cenſentur de Eccleſiæ Sacramentis, & ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti. Itâ Pegna *par.* 2. *comment.* 81.*verſ.De eo*, Farinacius *de hæreſi, qu.* 178.*num.*68.Carena *par.*2. *tit.*17. §.3. *n.*10.

62 Idem dicendum eſt de vxorato, qui vxore viuente, Sacros Ordines ſuſcipit, niſi ipſa in Monaſterio de illius cōſenſu prius ingreſſa fuerit,& profeſſionem emiſerit: quia eadem pœna punitur, qui poſt Sacros Ordines ſuſceptos vxorem ducit, ac qui poſt conſummatum matrimonium Sacros Ordines recipit. Parum enim refert, an matrimonium Ordines Sacros ſubſequatur, vel illos præcedat. Cum in vtroque caſu, & Sacramento Matrimonij, & Sacrorū Ordinum,& Clericorum cęlibatui, par fiat iniuria; vt obſeruant Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*40.*rubr.de matrim. n.*14.Farinacius *q.*183.*nu.*74. Carena *loc.cit.n.*12.

63 Aduertendum tamen, quòd toleratur ab Eccleſia: vt Græci Catholici habentes vnicam vxorem virginem, ad Sacros Ordines promoueri poſſint, abſque vllo impedimento: quamuis mortua vxore illa, poſteà cum alia non poſſint matrimonium contrahere: vt notāt Farinacius,& Carena *n.*13.*loc.cit.*

64 Quid verò dicendum ſit, quando Clericus in ſacris, vel Religioſus profeſſus non matrimonium, ſed tantum ſponſalia contrahit: Aloyſius Riccius *in praxi variar.reſol.reſ.*373.negat crimen hoc ſpectare ad Inquiſitores: quia aliud eſt matrimonium, aliud promiſſio matrimonij,& aliud illud contrahere, aliud promiſſio de illo contrahendo, *c. penult.de electione in 6.* vbi Gloſſa *in verb.Exprimendum*. Sed hoc non obſtante, verior ſententia Doctorum eſt, & vſu recepta in Tribunali S. Inquiſitionis, quod ſic contrahens ſponſalia, vt ſuſpectus de hęreſi ſubdatur foro,& iudicio Inquiſitorum. Itâ Coſta *de remed. ſubſid.remed.*15. *n.*18. qui alios cumulat Diana *tom.*5.*tr.*12.*reſ.*4.*nu.*10.*ex p.* 4.*tr.*7.*reſ.*4.*n.* 10.Carena *par.*2. *tit.*5.§. 6. *n.*33. Quia certum eſt, quod iſte talis verè voluit vxorem ducere, & ſic abuti Sacramento Matrimonij, ex quo abuſu oritur ſuſpicio hæreſis. Et licet in effectu non ducat tunc vxorem, tamen dū contrahit ſponſalia, oſtendit, quod eſt diſpoſitus, ad illam ducendam. Et hoc

ſufficit

ſufficit,vt cẽſeatur de hæreſi ſuſpectus: nàm crimen hæreſis, etiam ſola mente, & praua intentione, perficitur: vt probat Menochius *de arbitr.iudic.caſ.*370. *num.*7.

Poligamus, qui viuente prima vxore, aliam duxit, abiurare cogendus eſt de vehementi, an de leui?

65 RESP. Quod in Hyſpania abiurare ſolet de leui: quia ibi cenſetur, ob libidinem,& concupiſcentiam tale crimen poligamos perpetraſſe,non autem in contemptum fidei. Ità Symãchas *de cathol.inſtit.tit.*40. *de matrimonio,n.*6.Guttierez *pract. quæſt.lib.*2.*q.*8. *n.*1.*& ſequ.*Carena *par.*2. *tit.*5. §.11.*n.* 57. Sed in Supremo Tribunali Sanctæ Romanæ Inquiſitionis ſemper abiurare ſolent de vehementi: quia præſumitur malè ſentire de Sacramento Matrimonij,& opinari: licitum eſſe plures vxores ſimùl ducere, prout ſentiunt Anabaptiſtæ,Lutherani,Mahumetani, & ſimiles. Ità Farinacius *de hæreſi,q.*178.*n.* 68.Gerſon *in tractatu de præteſt. conſideratione* 12.Symanchas *vbi ſup.tit.*50. *n.*27.*& in Enchiridion.violatæ Relig.titul.*41.*nu.*3.Albertinus *de hæreticis,qu.* 34.*n.*46.Pegna *par.*2.*comment.*80.*verſ. Secunda ſuſpicio*, Martinus del Rio *diſquiſ.magic.lib.*5.*ſect.*12. *verſ. Vehementer ſuſpicio*,Carena *loc.cit. num.*58. Qui *verſ. At ex abuſu Sacramenti, in fin.* refert: *Quatuor poligamos Romæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam abiuraſſe de vehementi die* 18. *Maij* 1597.Si enim ſortilegus ex amore abutens Sacramento Euchariſtiæ, vel Extremæ Vnctionis, vel Baptiſmi,regulariter eſt ſuſpectus de vehementi; ita etiam præſumendum eſt de abutente Sacramento Matrimonij, de hæreſi eſſe vehementer ſuſpectum.

66 Quoad vxoratos verò, qui viuente prima coniuge contrahunt ſponſalia cũ alia,dicendum eſt abiurare tantum debere de leui, vt leuiter de hæreſi ſuſpecti: Quia in iſtis non interuenit abuſus Sacramenti, ex quo oritur vehemens ſuſpicio hæreſis. Sed quia in iſtis adeſt praua diſpoſitio animi ad abuſum Sacramenti; ideò ſunt de hæreſi leuiter ſuſpecti,& de leui abiurare debent. Ità Carena *n.*60.

Confeſſario ad venerea ſollicitanti, indicenda eſt abiuratio de leui, an de uehemeuti?

67 RESP.Quod hęc ſollicitatio tribus modis à Confeſſario fieri poteſt. Primò, in confeſſione,vel ſub prætextu confeſſionis. Secundò, paulò antè,vel paulò pòſt confeſſionem.Tertiò, in confeſſionario extrà actum confeſſionis.Si primò modò Confeſſarius ſollicitauit: Ludouicus à Paramo *de orig. Sanctæ Inquiſ.lib.*3.*q.*10.*nu.*115. *verſ. Hoc ſuppoſito,& n.* 166. Ioſeph Seſſe *in deciſ.Regni Aragon.tom.*4.*deciſ.*449.*nu.* 3.Acugna *in tract.de Confeſſ.ſollicit.qu.* 2.*nu.*20.Antonius Souſa *opuſc. de Confeſſ.ſollicit.tr.*1.*c.*5.*n.*6.Diana *tom.*5. *tr.* 9.*reſol.*88.*n.*2.*ex par.*4.*tr.*5.*reſ.*51. *n.*2. aſſerunt, tales Confeſſarios eſſe de hæreſi leuiter ſuſpectos. Et conſequenter eis imponendam eſſe abiurationem de leui; & ità practicari in Regnis Hyſpaniarum,teſtatur etiam Carena *par.*2.*titul.*6.§.15.*n.*74. quia ibi cenſetur; Cõfeſſarium potius ex libidine, quàm ex voluntate abutendi Sacramento Pœnitentiæ,ad venerea ſollicitaſſe.

68 Sed Pegna *par.*2.*comment.*81.*verſic. Ille quoque*,Bariola *in ſuis floribus directorij inquiſ.tr.de Confeſſ.ſollicit.verſic. Suſpicio*, Genuenſis *in praxi Archiep. c.* 66.*n.*2.Modius *de ſacr.ordin. c.*27. *n.*6. Carena *loc.cit.n.*75.Leo *in Theſauro fori Eccleſiaſtici,par.*3.*c.*37.*nu.*35.docent: Confeſſarios in confeſſione ad venerea ſollicitantes eſſe de hæreſi vehementer ſuſpectos,& de vehementi abiurare debere. Quia tota hæc ſuſpicio, & abiuratio fundatur in abuſu Sacramenti Pęnitentiæ: vt patet ex Conſtitut. Pauli IV.Non enim ob tale crimen minor iniuria fit huic Sacramento, quàm cæteris Sacramentis Euchariſtiæ, Baptiſmi, Matrimonij, &c. ob eorum abuſum, quia

quia de ſimilibus, ſimile eſt iudicium. Sicut ergo qui abutitur alijs Sacramẽtis, de vehementi abiurare debet, vt ſuprà dictum eſt: ità etiam qui abutitur Sacramento Confeſſionis. Et Bariola, & Carena teſtantur: hodiè ex ſtylo Romanæ Inquiſitionis, Cõfeſſarios, ad turpia ſollicitantes, vt vehementer de hæreſi ſuſpectos, eſſe ad abiurandum de vehementi compellendos. Et ideò quidam Confeſſarius, qui ob hoc ſollicitationis crimen abiurauerat de leui, fuit iterum in Ciuitate Cremonæ, ex ordine Supremi Tribunalis, Almæ Vrbis vocatus, & abiurare de vehemẽti coactus. Hæc Carena.

69 Et idem dicendum *ex Bulla Gregorij XV. de Confeſſario, qui prætextu confeſſionis ad turpia ſollicitauit.* Nàm præſumitur malè ſentire de hoc Sacramento, dum illius prætextu vtitur, ad talẽ crimen patrandum. Et ità etiam docuit Acugna *in tractatu de Confeſſ. ſollic. q.* 15. Souſa *de Confeſſ. ſollicit. in addit. nu.* 10. Sancius *in ſelectis, diſp.* 11. *n.* 68.

70 Qui verò ſollicitauit ſecundò modo, ideſt paulò antè, vel paulò pòſt auditã confeſſionem, an ſit ad abiurandum compellendus. Souſa *tract.* 1. *de Confeſſ. ſollicit. c.* 18. *n.* 13. exiſtimat, non debere abiurare; quia non videtur eſſe de hæreſi ſuſpectus. Nàm dum potuit ſollicitare in actu confeſſionis, in quo ſollicitandi occaſio erat opportunior, fœmina peccata carnis manifeſtante, & in tam opportuna occaſione noluit, ſed ſollicitationem diſtulit, vel anticipauit: manifeſtè oſtendit noluiſſe iniuriam Sacramento inferre, & eius perfectionẽ commaculare. Ergò talis Confeſſarius non eſt de hæreſi ſuſpectus, nec abiurare debet.

71 Sed omninò dicendum: abiurationẽ ei eſſe iniungendam: quia Confeſſarius, qui paulò antè, vel paulò pòſt confeſſionem ſollicitat pœnitentem, dicitur, ſollicitare in ipſamet confeſſione. Paria enim ſunt, aliquid fieri in actu confeſſionis, vel parum antè, ſeu pòſt, vt habetur in Gloſſa *l. Pomponius*, *§. Raro*, *ff. de offic. Proconſ.* Et Gregorius XV. expreſsè ſtatuit in Bulla de ſollicitantibus Confeſſarijs, eos abuti Sacramento, ſiuè in actu ſacramentalis confeſſionis, ſiuè antè, vel pòſt immediatè. Verum quia ob ſupradictam rationem maiorem iniuriam infert Sacramento, & magis de hæreſi ſuſpectus eſt, qui in actu confeſſionis ſollicitat, quàm qui antè, vel pòſt immediatè: Ideò ille abiurare debet de vehementi, hic autem de leui.

72 Si autem Confeſſarius docuerit pœnitentes: non eſſe peccatum hanc ſollicitationem, vel tactus impudicos, & cõfeſſus fuerit, ſe hanc malam credulitatẽ habuiſſe, ac docuiſſe: abiurare debet de formali, tanquam hæreticus. Si autẽ in tortura hanc credulitatem negauerit, abiurare debet de vehementi: vt notant Carena *par.* 2. *tit.* 6. *§.* 15. *nu.* 76. *&* §. 17. *n.* 88. *in fine*, Ludouicus à Paramo *de orig. S. Inquiſ. lib.* 3. *c.* 10. *n.* 165.

73 Confeſſario, qui tertiò modo, ideſt in confeſſionario tantum, extrà actum confeſſionis ad turpia ſollicitat, fingens confeſſionem audire, quàm non audit, non eſſe iniungendam abiurationem, ſuſtinent Carena *par.* 2. *tit.* 6. *§.* 15. *num.* 76. Souſa *in aphoriſ. Inquiſ. lib.* 1. *c.* 34. *n.* 68. Quia cum in hoc caſu ceſſet abuſus Sacramenti, ceſſare etiam debet hæreſis ſuſpicio, & conſequenter talis Confeſſarius non eſt ad abiurandum cogendus. Et Carena §. 16. *per totum*, impugnat Dianam contrarium ſuſtinentem, & illius rationibus reſpondere nititur: docet tamen, Confeſſarium iſtum in Tribunali Sanctæ Inquiſitionis eſſe puniendum arbitrio Inquiſitorum.

74 Sed Fagundez *in* 2. *præcept. Eccl. lib.* 4. *c.* 3. *nu.* 80. Excobar *de Confeſſ. ſollicit. par.* 1. *q.* 1. *n.* 16. Ioſeph Ianuarius *de caſib. reſeru. reſ.* 55. *n.* 9. Diana *tom.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 91. *&* 92. *ex par.* 4. *tr.* 5. *reſ.* 50. *& ex par.* 10. *tr.* 14. *miſcell.* 4. *reſ.* 43. *aliàs* 41. docent, ſuſpectos eſſe de hæreſi, non ſolum Confeſſarios ſollicitantes in confeſſione, vel antè, aut pòſt immediatè; ſed etiam ſollicitantes in confeſſionario, & ibi loquentes turpia, nulla habita, neque ſimulata confeſſione: & ideò abiu-

abiurare debent ſaltem de leui. Quia Gregorius XV. enumerat hunc caſum, cum alijs ſupradictis abſolutè, & ſine vlla diſtinctione (& vbi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus) & poſteà ſubiungit: *Vt Inquiſitores, & Ordinarij ſuper his inquirant, & procedant, prout in cauſis fidei*. Ergo Summus Pontifex ſupponit ſollicitantes in confeſſionario, eſſe etiam de fide ſuſpectos. Confirmatur, quia ſi non eſſent de hæreſi ſuſpecti, nulla poſſet aſſignari ratio, cur neceſſariò eſſent denunciandi ad Tribunal Sancti Officij; cui ſolum ſpectat, cognoſcere cauſas fidei, vel habentes connexionem cum fide.

Qui abiurauit de vehementi, vel de leui, poteſt ne admitti ad confeſſiones audiendas?

75 Reſp. Negatiuè; quoad eum, qui abiurauit de vehementi: quia adeſt declaratio S. Congregationis S. Officij: *Ne is, qui de vehementi abiurauit admittatur amplius ad audiendas confeſſiones*. Ità teſtantur Vmbertus Locatus *in fine praxis Inquiſ.* Genuenſis *in praxi Archiep. c. 45. n. 2.* Riccius *par. 2. deciſ. 218.* Diana *tom. 5. tr. 10. reſ. 83.* Alphonſus de Leone *tr. de officio, & poteſtate Confeſſarij, par. 2. recollect. 11. num. 21.*

76 Quoad eos verò, qui de leui tantum abiurant: Genuenſis *loc. cit.* ait: fuiſſe dubitatum in Curia Archiep. An quidam Sacerdos, qui abiurauerat hæreſim de leui, eſſet admittendus ad audiendas confeſſiones fidelium. Et re delata ad Sac. Congregationem Generalis Inquiſitionis S. Officij in Vrbe: fuit reſcriptum *die 6. Martij 1596. dictum Sacerdotem non eſſe impeditum exercere ordines, & Sacramenta miniſtrare, ac etiam fidelium ſecularium confeſſiones audire*; quamuis abiuraſſet de leui. Ità Genuenſis, ac etiam Diana *loc. cit. n. 2.*

Regulares de leui abiurantes, redduntur ne inhabiles ad gradus, & dignitates Religionis?

77 Reſp. Fuiſſe olim aliquorum Doctorum ſententiam: dictos Regulares non reddi inhabiles ad gradus, & dignitates Religionis; etiamſi abiuraſſent de vehementi. Ità Freitas *in addit. ad tract. de Confeſſ. ſollicit. q. 24. nu. 70.* & Rodericus Acugna *in tr. de Confeſſ. ſollicit. q. 24. n. 22.* Antonius Souſa *in opuſc. de Confeſſ. ſollicit. tr. 2. c. 16. nu. 6.* Henriquez *lib. 13. c. 56. §. 1. in Gloſſa, litt. K.* & Garzias *tom. 2. de benef. par. 11. c. 10. n. 87.* & alij apud ipſos affirmarunt: Confeſſarium, ſiuè conuictum, ſiuè confeſſum, de ſollicitatione ad venerea, non manere inhabilem ad gradus, & dignitates Eccleſiaſticas. Quia nullus eſt Textus, nec Doctor, qui per abiurationem de leui inducat inhabilitatem ad dignitates, & officia.

78 Sed nunc contrarium omninò dicẽdum eſt, ob decretum Vrbani VIII. æditum die primo Octobris 1626. his verbis: *S. D. N. iuſtis de cauſis animum ſuum mouentibus decreuit, & ſtatuit, vt in poſterum Regulares omnes, cuiuſuis Ordinis, Religionis, Societatis, & Inſtituti, quibus pro delictis ad S. Inquiſitionis Officium ſpectantibus, pœnitentiæ genus aliquod impoſitum fuerit (ſalutaribus pœnitentijs exceptis) eo ipſo ad omnes Religionis ſuæ, gradus, & officia inhabiles cenſeantur. Et deinceps (etiamſi pœnitentiæ tempus expleuerint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoueri nullatenus poſſint, niſi prius obtẽta à S. D. N. vel ab hac Sacra Congregatione, coram Sanctitate Sua habenda ſpeciali, & expreſſa rehabilitationis gratia. Alias promotio qualibet nulla ſit, & promouentes ipſi priuationem ſuorum officiorum, ac præterea vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrant; Ad quæ reſtitui, niſi ab eodem S. D. N. vel ab eadem Sac. Congregatione, coram Sanctitate Sua habenda, non poſſint. Præſens autem decretum omnibus Religionum Superioribus intimare mandauit idem S. D. N.* Ità refert Peyrinus *in Conſtitut. 9. Pauli V. §. 2. nu. 29.* Carena *par. 3. tit. 12. §. 4. n. 14.*

Qui ut de hæreſi uehementer ſuſpectus,

ctus, de uehementi abiurauit, incurrit ne irregularitatem?

79 Reſp. Azorium *par.1.lib.8.c.21.q.* 8. docere; quod ſuſpectus vehementer de hæreſi poſt abiurationem irregularitatem incurrit, aut ſaltem tãquam irregularis habetur. Sed alij Doctores communiter docent, non incurrere irregularitatem. Quia iſte non damnatur vt hæreticus, nec imponitur ei aliqua pœna ob hæreſim, ſed ob ea geſta, ex quibus hæreſis ſuſpicio orta eſt, a qua ſe purgat per abiurationem. In iure autem imponitur pœna irregularitatis, hæreticis, non verò abiurantibus, vt ſuſpectis de hæreſi. Ità Farinacius *de hæreſi, q.192.§.5.n.80.* Nauarrus *lib.5.de hæret.conſil.16.n.1.* Portellus *in addit.ad dub.regul.verb. Irregularitas, n.20.* Sanchez *in Decal.lib.2.c.25.n.12.* Henriquez *lib.13 c.56.n.1.* Souſa *in Aphoriſ.inquiſ.lib.3.c.5.num.80.* & alij. Et poſſe Clericum poſt pœnitentiam, & abiurationem exercere ſuſceptos ordines, ſuſtinent Auila *de cenſuris, par.7. diſp.4.dub.2.* Sayrus *de cenſur.lib.7.cap.12.n.16.* Diana *tom.5.tr.5.reſ.50.n.3.et reſ.53.n.2.ex par.4.tr.2.reſ.48. & tr.4. reſ.38.*

Indicia, quæ ſufficiunt ad torturam, ſunt ne ſemper ſufficientia ad abiurationem de uehementi?

80 Reſp. Negatiuè, aliquando enim poſſunt Inquiſitores torquere reum, & non poſſunt ei imponere abiurationem. Ità Pegna *par.3.commen.39.* Diana *tom.5.tr.10.reſ.95.ex par.4.tr.8.reſ.110.* quia abiuratio eſt pœna grauior tortura, ob periculum relabendi. Ideò indicia ſufficientia ad infligendã torturam, non ſemper ſufficiunt ad imponendam abiurationem. Notat etiam ibidem Diana: quod licet reus fuerit tortus, poteſt ei, imponi abiuratio de leui tantum, vt ait etiam Cantera *in qq. crimin. cap.1.de hæret. num.95.* & Genuenſis *in praxi, c.18. num.13. & c.68. n.12.*

Sola infamia, eſt ne ſufficiens, ad imponendam abiurationem hæreſis ſuſpecto?

81 Reſp. Quod ſola infamia eſt ſufficiens, ad inquirendum, & procedendum contra ſuſpectum de hæreſi; vt docent Zanchinus *de hæreticis, c.11. n.3.* Locatus *in praxi inquiſ. verb. Accuſatio, §. Ponamus*, & ibi, Mendoſius *in addit. lit. O.* Eſt etiam ſufficiens ad purgationem canonicam indicendam, dũmodò publica vox, & fama clamet contra huiuſmodi ſuſpectos; vel de ipſorũ diffamatione apud bonos, & graues homines coram Inquiſitore, vel Epiſcopo legitimè conſtiterit; vt cum Eymerico notat Pegna *par.2.comment.82.litt.A. verſ. Ad hanc reſpondemus.* Qui etiam ſubdit in *litt.C.* quod diffamatio, aut infamia de hæreſi, perfectè probatur per duos teſtes bonos, & graues; ex Concilio Tholoſano *c.16. §. Illos autẽ.* Quod ſi duo teſtes fuerint viles, vel infames, vel maleuoli, & inimici, licet ſufficiant, vt ad inquirendum procedatur; non tamen ſufficientes ſunt, vt diffamato pœna ordinaria imponatur: ſed mitius erit tractandus. Nec ad purgationem erit cogendus, niſi plenior probatio accedat, vel alia indicia, & adminicula ſimùl cum diffamatione, concurrãt. Quia duo teſtes minus idonei, ſolum in cauſis, in quibus ad teſtificandum admittuntur, nunquam ſufficiunt ad hoc, vt ex dictis eorum, reo pœna ordinaria imponatur. Igitur purgatio tantum diffamatis iniungitur.

82 Si autem præter infamiam, alia ſuſpicionum hæreſis adeſſent indicia, abiuratio quoque erit imponenda: vt docuit Eymericus *3. par. in tertio modo terminandi fidei proceſſum.* Ità Pegna, & Diana *tom.5.tr.10.reſol.94.ex par.4.tr.8.reſ.82.*

Abiurare nolens quomodo eſt puniendus?

83 Reſp. Quod abiurare nolens, ſi ſit con-

confeſſus, vel conuictus, aut in hæreſi manifeſtè deprehenſus, dicitur pertinax hereticus,& habetur pro conuicto, & Curiæ ſeculari tradendus eſt: prout in Conſtitut. Martini V.incipiente: *Inter cunctas,verſ.Quod ſi forſan*, ædita ann.1418. & ex *cap. Ad abolendam*, §. *Præſenti verò, de hæreticis in 6.* Et ita etiam docent Eymericus *par. 2. direct. q.55. de ſuſpectis de hæreſi,nu.15.* & ibi Pegna *comment.80. verſ. Sed quid agetur,* Farinacius *de hæreſi,q.194. n.35.* & alij quamplures,quos ipſe citat. Si verò non ſit confeſſus, nec conuictus,nec in hæreſi deprehenſus: ſed de hæreſi vehementer ſuſpectus; tunc non ſtatim tradendus eſt Curiæ ſeculari: ſed prius excommunicandus eſt. Et ſi in excommunicatione per annum ſteterit:tanquã hæreticus condemnabitur, & brachio ſeculari relaxabitur. Ex *cap.Excommunicamus,§.Qui verò, de hæreſi in 6.* Ita ſupradicti Doctores *locis citatis*, & Martinus del Rio *lib. 5. diſquiſ. magic. ſect.12. verſ. Debent autem,* Locatus *in iudic.inquiſ.verb.Suſpicio, n.8.* Carena *par.3.tit.12.§.11.n.47.* & alij. Si autem ſit leuiter de hæreſi ſuſpectus, & de leui abiurare recuſauerit:eſt etiam excõmunicandus: & ſi per annum integrum in excommunicatione ſteterit,velut hereticus eſt condemnandus. Ità Hoſtiẽſis *in dicto cap. Excommunicamus*, Eymericus *par.2.q.55.n.9. verſ.Qui autẽ,* & alij.

Poteſt ne Inquiſitor ſine Epiſcopo,vel Epiſcopus ſine Inquiſitore, abiurationem reo iniungere?

84 REſp. Fuiſſe aliquorum ſententiã (vt refert Pegna *par.3.commen. 97.verſ.An autem eodem modo*) poſſe ſolum Inquiſitorem, vel ſolum Epiſcopum, abiurationem de hæreſi pœnitentibus,vel ſuſpectis indicere. Quia huiuſmodi abiurationis ſententia non videtur contra illos, ſed prò illis, cùm abſoluantur à cenſuris, & cùm Eccleſia reconcilientur. Sed vt ait Pegna, quamuis ſummo iure hæc ſententia defendi poſſit. Tamen contraria tutior,ac ſecurior eſt,& vſu recepta. Quia ſentẽtia abiurationis non poteſt propriè dici abſolutoria: immò magis participat de condemnatorijs. Quia huiuſmodi rei verè non abſoluuntur, nec liberantur omninò. Sed per abiurationem obligantur ad pœnas relapſis debitas,& ipſa abiuratio pœna quedam eſt, & condemnatio: ad condemnandum autem vterque requiritur. Ideò non ſolum in ſententijs ferendis contra hæreticos, qui brachio ſeculari relinquuntur; verum etiam in abiurationibus quibuſcumque, & purgationibus canonicis, etiam indicendis,omninò Epiſcopus,& Inquiſitor ſimùl interuenire debẽt. Ità inſinuaſſe videtur Innocentius IV. in reſcripto, quod incipit: *Tunc potiſſimè,* §.*Si verò aliqui;* relato inter litteras Apoſtolicas. Et hanc ſententiam ſuſtinẽt Pegna *loc.cit.* Bernardus Comenſis *in Lucerna Inquiſ.verb.Abſoluere,n.2.ver. Aliqui tamen,* Zanardus *in direct.Theol. par.2.c.6.q.15.* & alij.

Si ſolus Epiſcopus,vel ſolus Inquiſitor ad abiurationem reum admitteret, eſſet ne valida, vel nulla illius abiuratio?

85 REſp. Validã videri, quia quamuis ex ſupradictis cenſeatur prohibita talis abiuratio:tamen eſt de illarum prohibitionum,quæ ſi fiant, facta tenent. Nàm nullus eſt Textus, qui illam irritam,& nullam reddat.Prætereà olim antequam deſtinati fuiſſent Inquiſitores; coram ſolo Epiſcopo abiuratio fiebat, & ab ipſo tantum iniungebatur. A veteri autem iure non eſt recedendum, niſi correctum inueniatur, §. *fin. in Authent. de non alienand. reb. Eccleſiaſt.& Gloſſ.in Clement.1.in verb. Contra eos,de hæreticis:*et quod non mutatur, ſtare non prohibetur:*l.Sancimus, Cod.de teſtam.* Ergò abiuratio facta ob decretum ſolius Epiſcopi,vel ſolius Inquiſitoris, altero non contradicente, nec appellante, valida eſt. Ità Pegna

loc.

loc.cit. verſ. Rurſus dico, Zanardus *loc. cit.* Farinacius *q.*186.*n.*79. Diana *tom.*5. *tr.*10.*reſ.*100.*ex par.*4.*tr.*8.*reſ.*40. Qui etiam docent ſic abiurantem eſſe ſubiectum pœna relapſis.

Suſpecto vnius tantum hæreſis, eſt ne iniungenda abiuratio de illa tantum hæreſi, an generaliter de omnibus álijs?

86 RESp. Vel loquimur de ſuſpecto vehementer de vna hæreſi, vel de ſuſpecto leuiter: Si de primò, eſt ei iniungenda abiuratio non ſolum de illa, in quam deliquit, ſed de omnibus alijs generaliter. Ità in *cap. Accuſatus, extrà de hæreticis in 6. in cap. Inter ſollicitudines, extrà de purgat. canon. in c. Inter litteras, extrà de præſumpt.* Eymericus *par.*2.*q.*55.*n.*12.*& par.*3. *n.* 184. & ibi Pegna, & alij communiter. Illi verò, qui leuiter tantum de hæreſi ſuſpecti inuenti ſunt, an etiam generaliter de omni alia hæreſi abiurare debeant? Negatiuè reſpondet Eymericus *par.* 3.*nu.*184. vbi ait: Sufficiet, quod ſuſpectus de hæreſi leuiter, non generaliter, nec ſimpliciter, ſed ſingulariter hæreſim, de qua habitus eſt ſuſpectus, abiuret. Ità quod ſi prolabatur in aliam ſpeciem hæreſis, pœna relapſi debita, non punietur ratione abiurationis. Et ità quoque docent Pegna *comment.* 43.*verſ. Ità quod*, Gloſſa *in dicto c. Accuſatus*, §. *Eum verò*, *verſ. Simpliciter*, Calderinus *de hæret. par.*2.*c.*20. *n.* 1. *in fin.* Vmbertus Locatus *in Inquiſit. formula in tit. Forma abiurationis leuiter ſuſpecti*, & alij. Diana verò *tom.*5.*tr.* 10. *reſ.*97.*ex par.*4.*tract.*8.*reſ.*68. cũ alijs, quos ipſe citat, ſuſtinet: Inquiſitores poſſe compellere, vt abiurantes de leui abiurent generaliter omnem hęreſim. Et ità obſeruari Romæ in Sacrò Tribunali Sanctę Inquiſitionis, & in Hiſpaniarum Regnis.

Hæreſis ſuſpecto, poteſt ne ſimùl iniũgi abiuratio, & purgatio canonica?

87 RESp. Negatiuè; tum quia iuſtum non eſt, pro eodem crimine reum duabus pœnis puniri. Nàm Naũ Propheta dixit, *cap.* 1. *Non conſurget duplex tribulatio, neque vindicabit Dominus bis in idipſum*, & etiam habetur in *cap. Sceleratior, & cap. Sunt plures, de pœnit. diſt.*3. *& cap. Presbyter* 81. *diſtin.* Ergo dum iniungitur canonica purgatio, iniuſtum eſt, iniungere ſimùl abiurationem. Et tum quia per canonicam purgationem tollitur hæreſis ſuſpicio. Ergo non eſt amplius imponenda abiuratio. Ità docent Pegna *par.*2. *comm.* 14.*verſ. Ità tamen*, Panormitanus *in c. Inter ſollicitudines, n.*3.*de purgat. canon.* Symanchas *de cathol. inſtit. tit.*56. *n.*18. *& ſeq.* Et quamuis Campegius *ad Zãchinum, c.* 11.*verſ. Doctrinam hanc exiſtimet*, poſſe ſimùl imponi purgationẽ, & abiurationem; quia purgatio imponitur ratione infamiæ, & abiuratio ratione ſuſpicionis. Tamen hæc ſententia improbatur ob dictas rationes à Pegna *loc. cit.* quia purgatio canonica eſt oſtẽſio innocentiæ de crimine obiecto: conſequenter tollit omnem criminis illius ſuſpicionem: vt notant Syluester *verb. Purgatio*, Aſtẽſis *par.*2.*lib.*6.*tit.*17. *n.*2. Sayrus *de cenſuris, lib.*7.*c.*11.*nu.*17. Bonacina *tom.*1.*tr. de cenſuris, diſp.*7.*qu.*3. *punct.*1.*n.*8. Similiter, qui ſuſpicionem hæreſis per torturam ſufficienter purgauit: non eſt ei imponenda alia purgatio, vt notat Farinacius *q.*194.*nu.*58. quia non iudicatur bis in idipſum.

Hæc purgatio canonica, quando, & quomodo eſt indicenda?

88 RESp. Quod purgatio, cùm ſit criminis oppoſiti liberatio, & innocentiæ oſtenſio, indicenda eſt, quando quis infamia publica laborat, & eſt de hæreſi vehementer ſuſpectus, aut graue ſcandalum in cauſa fidei dedit, & non poteſt de illo crimine conuinci. Ità colligitur ex *cap. Ad abolendam*, §. *Qui verò, de hæreticis in 6. & cap. Inter ſollicitudines* 10. *de purgat. canon.* & docet quamplurimi, quos citat, & ſequitur Pegna

Pegna *par. 2. comment. 14. verſ. Cum propter.* Sanctiſſima enim Mater Eccleſia reſpiciens, quàm graue, & periculoſum ſit, hac hæreſis infamia laborare, varios modos excogitauit, ad illam excludendam, inter quos vnus eſt canonica purgatio. Quæ in Sacro Inquiſitionis Tribunali aliquando frequentatur, quamuis in alijs Tribunalibus ob alia crimina ferè vſus illius extinctus ſit.

89 Igitur, vt ait Eymericus. Comparet perſonaliter purgandus cùm ſuis compurgatoribus, eidem in certo numero generaliter conceſſis, qui eum, & eius vitam, & mores nouerint; & ſtabunt coram Epiſcopo, & Inquiſitore, in loco tamen vbi purgandus ipſe noſcitur de illa hæreſi infamatus, & ponetur liber Euangeliorum coram eis: ipſeque diffamatus ponet manus ſuper eum, ſic dicens: ego iuro ſuper iſta quatuor Euangelia Sacroſancta, quod talem hæreſim (exprimendo eam) de qua ſum diffamatus, nunquam tenui, nec credidi, nec docui, nec teneo, nec credo. (negabitq; cum iuramento illud, de quo eſt diffamatus, quidquid illud ſit). Quo facto omnes compurgatores, ponent manum ſuper librum Euangeliorum, & quilibet dicet: ego iuro ſuper iſta quatuor Dei Euangelia, quod credo ipſum verum iuraſſe. Et tunc canonicè eſt purgatus.Ità Eymericus *3. p. direct. n. 182.*

90 Notat Pegna *ibid. comment. 38. verſ. Hac quidem*: in purgatione iniungenda, Epiſcopum, & Inquiſitorem ſimùl conuenire debere, non ſolum in pronuncianda ſententia, ſed etiam in toto purgationis actu exercendo. Et hoc videtur, eſſe tutius obſeruandum. Inſuper ipſis compurgatoribus diſtinctè, & clarè legendus eſt ſummariè proceſſus, & indicia, & delicta ſunt illis declaranda, ob quæ purgandus ipſe captus eſt, & compulſus canonicam ſubire purgationem: quia ſi hæc non intelligent, non poterunt iurè, & debitè ipſum purgare.

91 Item notandum, quod ſi quis publicè de hæreſi diffamatus eſt, publicè quoque purgare ſe debeat. Tum vt eis publicè ſatisfaciat, ſe purgando, quos publicè per ingratum odorem infamiæ offendit: et tum etiam in ſui fauorem, vt per publicam purgationem, ei honor, & fama reſtituatur. Quod ſi publicè non fuerit diffamatus, tunc priuatè canonicam purgationem præſtabit. Ita Pegna *dicto comment. 38. verſ. Sed in hac difficultate.*

92 Sed ad indicendam hanc purgationem requiritur, vt diffamatio non ſit leuis, ſed vehemens, & publica, ex *c. Inter ſollicitudines, verſ. Attendentes, extrà de purgat. canon.* & ibi, Pegna *par. 2. comment. 14. verſ. Eſt autem*, Farinacius *q. 187. de hæreſi, num. 72.* & alij. Dicitur autem infamia, grauis, & vehemens, quando quis apud bonos viros pluries notatur infamia; vel à bonorum virorũ conſortio repellitur, vel ſuſpiciones, & indicia infamiam hęreſis augentia, accedunt, vel poſt aliquod commiſſum delictum, ſtatim aduerſus aliquem oritur infamia, & his ſimilia. Pegna *dicto comment. 38. verſ. Sed quærat.* Dicitur etiam publica, quando non ſolum penès multos, & graues viros, ſed etiam penès maiorem partem virorum Parochiæ, aut viciniæ, aut ſaltem illorum, ad quos ſpectat de ea re ſcire, non ignoratur, & originem traxit ex iuſta cauſa, & à viris fide dignis, vt notat Farinacius *ibid.*

93 Diffamatio, vt ſit ſufficiens, ad indicendam purgationem, probanda eſt per teſtes idoneos, ex Concil. Tholoſano allegato à Pegna *par. 2. comment. 82. lit. C.* Sed ſi teſtes inhabiles eſſent plures, quàm duo, & deponerent veriſimilia, etiam ſufficerent ad purgationem indicendam, vt notat idem Pegna *par. 3. comment. 19. uerſ. Duo autem teſtes*, Farinacius *ibid. n. 64.*

94 Si purgandus non inuenit compurgatores, volentes de eo, bonam fidem facere, tunc habendus eſt pro conuicto: vt docet Eymericus *par. 3. n. 147.* Sed ſi compurgatores non inuenit, quia pauper, vel extraneus eſt: tunc illi ſubueniendum eſt arbitrio Iudicis, conſiderata qualitate perſonæ, criminis, & infamiæ:

famiæ: vt docet Vmbertus Locatus *in iudicial.inquiſ.in uerbo Purgatio, n.*8. & Decianus ait in *tr.crimin.lib.*5. *cap.*48. *n.*26. quod ſi purgandus eſt aduena, & peregrinus, qui non poteſt dare purgatores, notam habentes eius vitam: tunc ſtandum eſt eius ſimplici iuramento. *Et n.* 15. ſimiliter ait, quod ſi purgandi eſſent viles, & tales, qui veriſimiliter non poſſent, dare compurgatores idoneos, tunc eſſe recipiendos mediocres, & quos dare poteſt arbitrio Iudicis: ne defenſionis facultas ei denegetur.

95 Compurgatores eſſe debent probatę vitæ, eiuſdem ſtatus, & conditionis cum purgando, & qui eum bene, & antiquo tempore nouerint. Ità Souſa *in aphoriſm.inquiſ.lib.*2.*c.*38.*n.*4. Pegna *par.*2. *comment.* 14.*uerſ.Obſeruandum*, Zanardus *in ſumm.par.*2.*c.*132. *uerſ. Quartò quoad qualitatē*, *E*ymericus *p.*3.*n.*146. Purgationis indictio, & modus eam indicendi, Iudicis arbitrio remittitur, iuxtà perſonarum qualitatem, & grauitatem ſuſpicionum: vt docent Symanchas *de cathol.inſtit.tit.*56.*rubr.de purgat.canon.n.*8. Pegna *par.*2.*commen.*14. *uerſ. Eſt autem purgatio in fin.* Decianus *in tr.crimin. lib.*5.*c.* 48.*n.*9. *uerſ. Et an ſit indicenda*, Martinus del Rio *lib.*5. *diſquiſ.magic.ſect.*83. *uerſ. Sed bene eſt.* Sed non poteſt Iudex purgationem indicere, quando ſcit, aliquem eſſe de hęreſi ſuſpectum, non ex proceſſu, ſed ſecretè, & in ſua conſcientia: vt ait Farinacius *de hæreſi, q.*194.*n.*62.

96 A decreto purgationis indictæ, & à termino ad ſe purgandum præfixo, poteſt quis appellare, vt docent Pegna *par.*3.*comment.*38.*uerſ.In cauſa purgationis*, Farinacius *loc.cit. n.*63. & alij.

97 Qui ſe purgat de vna hæreſi, tanquā de illa vehementer diffamatus, ſi in eādem reincidit, punitur, vt relaſſus, & Curię ſeculari tradendus eſt, per Textū in *cap.Ad abolendam*, §. *Illos quoque, de hæreticis in* 6. Ità *E*ymericus, & Pegna *par.*3. *comment.* 38. *uerſ. Eodem modo*, Hoſtienſis *in cap. Excommunicamus* 1. §. *Qui autem, de hæret*, & alij. Sed ſi in aliam hæreſim incidat diuerſam ab ea, de qua ſe purgauit, non punitur pœna relapſorum, nec traditur Curiæ ſeculari. Quia de illa ſolum hæreſi ſe purgauit, non autem de omni hęreſi generaliter; ſicut abiurat, vt vehementer ſuſpectus: qui omnem hæreſim abiurat, & ideò in quacunque poſteà labatur, relapſorum pœna punitur, vt ibidem notat Pegna *verſ. Quod ſi rationem.*

98. Qui autem ſe purgare noluerit, excommunicandus erit, & ſi excommunicationem per annum ſuſtinuerit, animo indurato, ex tunc, vt hæreticus condēnatur, iuxtà *c.Excommunicamus*, §. *Qui autem*, *de hæreticis*, Eymericus *par.*3. *num.*147.

Quando reus non eſt confeſſus, nec plenè conuictus, ſed tantum indiciatus, eſt ne ei indicenda purgatio, vel abiuratio, vel tortura?

99 RESp. Quod, vt ait Diana *tom.*5. *tr.*11.*reſ.*1.*n.*3.*&* 4. *& reſ.*18. *ex par.*4. *tr.*6. *reſ.*1. *&* 18. non deſunt Doctores, qui affirmant: eſſe in arbitrio Dominorum Inquiſitorum, in caſu prędicto indicere purgationem, vel abiurationem, vel torturam. Tamen Pegna *par.*3.*comment.*39. *verſ. Quare hoc articulo*, Genuenſis *in praxi Archiep.cap.* 32. & ipſe Diana probant, quod purgatio, & abiuratio cum nō tàm ſint apta, nec inducta, ad veritatem indagandam, quàm ad ſuſpicionem, & infamiā hæreſis excludēdam. Et tortura ſit magis apta, vt per eam veritas ex ore ipſius delinquentis indagetur: ideò in dicto caſu non eſt indicenda, nec purgatio, nec abiuratio, ſed tortura: vt melius veritas habeatur, & ſecurius procedi poſſit, ad iniungendam debitam pœnam, vel abſolutionem.

Tranſeuntes Chriſtiani ad ſectas, ſeu ritus Turcarum, Paganorum, vel Iudæorum, quomodo abiurare debent?

Reſp.

100 RESp. Quod, vel ſunt ſpontè cõparentes, vel ab alijs accuſati, vel denunciati. Si ſpontè redeant, & reconciliationem Eccleſiæ petant: vel fateātur, ſe ipſos fidem abnegaſſe: abiurare debent de hæreſi formali, tanquā verè hæretici, & grauis pœnitentia eis imponenda eſt, maximè ſi ſpontè, aut abſque metu incuſſo, fidem catholicam abnegarunt, & hæreticalia commiſerūt. Si verò fateantur, ſe non negaſſe fidem, nec vnquam credidiſſe; ità faciendum eſſe; ſed catholicam fidem ſemper in corde retinuiſſe; tunc abiurant, vt vehementer de hæreſi ſuſpecti; & pœnitentiæ ſalutares eis imponuntur. Si verò ſint pueri, abiurare ſolent de leui. Ità docent Genuenſis *in praxi Archiep. c.68. n.12.* Aloyſius Batiola *in aphoriſ. verb. Pueri*, §.2. Pegna *par.2. direct. cõment.59. verſ. Sed videamus*, Diana *to. 5. tr.12. reſ.3. n.2. ex par.4. tr.7. reſ.3.*

101 Si autem non compareat ſpontè, ſed accuſatus, vel denunciatus: & confiteatur, vel ſit conuictus, facta hæreticalia commiſiſſe, ſed prauam intentionem non habuiſſe, nec fidem abnegaſſe: tunc eſt ſuper intentione torquendus, vt intelligatur, an re vera, ità crediderit, nec ne. Et ſi in tortura in negatiua perſiſterit, dicens non habuiſſe prauā intentionem: abiurare debet de vehementi, vt vehementer ſuſpectus. Si verò prauam intentionem, & mentis errorem confiteatur: tunc, tanquam formalis hæreticus, abiurare compellendus eſt: vt ad veritatem Eccleſiæ reuertatur, & de iure ad perpetuum carcerē eſt condemnandus, ex *cap. Excommunicamus* 2. §. *Si qui autem, extrà de hæreticis*, vt notat Pegna *loc. cit. verſ. Quod ſi non compareat*; Ioſeph Seſſe *in deciſ. Aragon. tom.4. deciſ.444. nu.9.* Diana *loco citato.*

Dum in tortura ex ore delinquentis veritas indagatur; quare ergo ſi quis in tortura conſtanter confeſſus fuit, ſe nunquam fidem catholicam negaſſe, adhuc tanquam de hęreſi uehementer ſuſpectus, de uehementi abiurare cogendus eſt?

102 RESp. Cùm doctrina Eymerici *par.2. direct. q.56. nu.2. & 3.* quia quilibet iudicatur hæreticus, verbis, & factis. Verbis quidem, quando confeſſione propria dicit, ſe credere erroribus hæreticorum: Factis quando facta hęreticalia committit. Quia ex factis præſumitur de affectu. Argum. *cap. Qui viderit 32. q.5. l. Dolum, Cod. de dolo, c. Nuper de bigamis.* Qui ergo in torturà voluntatem ſuam verbis exprimit, non ſatisfacit factis. Immò plus eſt facto, quam verbo aliquid facere, argum. *c. Dilecti, de appellat.* & magis ſtandum eſt factis, quàm verbis, vt docuit Chriſtus *Matth.21.* Igitur qui ex factis eſt de hæreſi vehementer ſuſpectus, & conuictus: quamuis in tortura conſtanter confiteatur, ſe nunquam aliquid contra fidem credidiſſe: tamen quia factis verè illam negauit, ideò iuſtè cogitur, ad abiurandum de vehementi omnem hæreſim.

Chriſtiani tranſeuntes ad ſectas Infidelium, per uim, & metum: cogēdi ne ſunt abiurare de uehementi, an de leui?

103 RESp. Quod Royas *de hæreticis par.1. n.108.* teſtatur relatum ei fuiſſe à Saracenis, Chriſtianos ab ipſis non compelli ſuam fidem negare, niſi ſint pueri. Et ideò ſi puer per metū fidem negauit, & poſteà ad fidem catholicam reuertitur: eſt prius in fide inſtruendus, & deindè de leui abiurare cogendus eſt. Aetate verò maiores, non eſt præſumendum, per vim, & metum fidem negaſſe: quia Eccleſia non iudicat de occultis: in foro autem exteriori aſſerentes Chriſtum negaſſe, redduntur de hæreſi vehementer ſuſpecti: maximè ſi ceſſante metu, in fidei negatione perſeuerarunt. Quia diuturna continuatio demonſtrat actum, ex corde proceſſiſſe. Similiter dicendum, ſi perſona ſit grauis, nempè Theologus, Religioſus,

gioſus, Prælatus, vel alius vir doctus, & prudens. Vel metus non fuerit mortis, ſed fuſtigationis, carceris, exilij, famis, vel alterius generis, non cadentis in cõſtantem virum. In his caſibus ſuſpicio hæreſis eſtità vehemens, vt meritò indicenda ſit abiuratio de vehementi. Si autem fidei negatio facta fuit à perſonis, quæ veriſimiliter ſcire non poterãt, quam graue delictum hoc ſit, vt ſunt pueri, fœminæ, ruſtici, & ſimiles: de leui tantum abiurare debent. Ità Ricciullus *tr. de iure perſon. &c. lib. 6. c. 5. n. 7. & ſeq.* Diana *tom. 5. tr. 12. reſ. 3. n. 4. ex par. 4. tr. 7. reſ. 3. n. 4.* Pegna *par. 1. direct. cõment. 24.*

Turcę, facti Chriſtiani, ſi ad terras Turcarum fugam arripiunt, & in itinere capiuntur, quomodo ad abiurandũ cogendi ſunt?

104 RESP. Quod ex eorum fuga verſus terras Turcarum, & ex alijs circumſtantijs, quę cum tali fuga concurrere ſolent, arguitur violenta præſumptio redeundi ad Turcarum ſectas. Ideò ſubduntur Inquiſitorum iudicio, & torquendi ſunt ſuper intentione: & ſi negent voluiſſe, nec velle, à catholica fide Chriſti apoſtatare: abiurare debent de vehementi, & ad triremes, ſaltem per triẽnium, damnari. Ità Diana *tom. 5. tr. 12. reſ. 3. n. 6. ex par. 4. tr. 7. reſ. 3. n. 6.*

Chriſtianus fingens ſe Iudæum, uel infidelem, & petens iterum baptizari, ut eleemoſynas obtineret, eſt ne ad abiurandum, cogendus?

105 RESP. Paſqualigum *deciſ. 475.* opinari non eſſe ad abiurandum cogendum, quia cum abiuratio ſit deteſtatio hæreſis, in tantum quis abiurare debet, in quantum eſt, vel hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus. In caſu autem prædicto nulla eſt de hæreſi ſuſpicio; quia non petijt Baptiſmum, credens poſſe reiterari, ſed vt medium ad obtinendas eleemoſynas. Ergo cum declarat intentionem, euacuata manet omnis ſuſpicio.

106 Sed contra hanc opinionem inſurgit Diana *tom. 5. tr. 10. reſ. 99. ex par. 6. tr. 8. miſcell. 3. reſ. 9.* quia ex facto ipſo, & ex reiteratione Baptiſmi, talis eſt de hæreſi ſuſpectus: & quando factum eſt hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, nõ purgatur talis ſuſpicio ob rei confeſſionem, ſiuè iudicialem, ſiuè extraiudicialẽ: eò quod non habuit malam credulitatem; ſed reiterauit Baptiſmum, propter eleemoſynas obtinendas: quia ex abuſu Sacramenti, re vera, eſt de hæreſi ſuſpectus, & cogendus eſt abiurare. Sicuti Poligami, & Confeſſarij ſollicitãtes; non quia dicant, non habuiſſe errorem in intellectu, ſed credidiſſe omnes legis catholicæ articulos, idcircò non abiurãt: quia ex facto ipſo, & abuſu Sacramenti redduntur ſuſpecti de hæreſi.

Iudæis, Mauris, & alijs infidelibus, ſortilegia, uel alia hæreticalia committentibus, eſt ne ab Inquiſitoribus, & Epiſcopis indicenda abiuratio?

107 RESP. Affirmatiuè; quia in ijs omnibus, quæ ſunt noſtræ, & eorum fidei communia, poſſunt Inquiſitores, & Epiſcopi, eis abiurationem indicere, & illos punire. Statuit enim Gregorius XIII. in ſua Conſtitut. ædita anno 1581. in omnes ſequentes caſus, poſſe Inquiſitores contra Iudæos, & alios infideles procedere. Primò, contra negantes Deum eſſe vnum, æternũ, omnipotentem, creatorem omnium; aut id alicui etiam priuatim inſinuantes. Secundò, Dœmones inuocantes, conſulentes, eis immolantes, vel tus, & fumigationem offerentes. Tertiò, nefaria huiuſmodi, verbo, facto, eſemplo alioue modo Chriſtianos docentes, vel ad ea perducere tentantes. Quartò, Chriſtũ purum hominem, aut peccatorem, & Dei matrem non virginem, ſimileſque blaſphemias hæreticales proferentes. Quintò, ſollicitantes auxilio, conſilio, opera, fauore, Chriſtianũ à fide ad impias

pias ſectas, ſuperſtitiones,aut hæreſim. Sextò, retrahentes deortantes, impedientes quouis modo aliquem, à fidei, vel Baptiſmi ſuſceptione, poſt eius declaratam,verbo, facto, aut alio quocunque modo voluntatem. Septimò, hæreticos, & apoſtatas ſcienter receptantes,alentes, commeatu iuuantes, aſſociantes,deducentes, vel deducendos, & aſſociandos, curantes, defendentes, & quomodolibet auxilium,conſilium, fauorem, deferentes, vel facientes, ne ab eis perpetrata inueſtigari quæant. Octauò, prohibitos libros deferentes, retinentes, aut diuulgantes, vel ad eam rem operam ſuam conferentes. Nonò, deriſioni habentes Chriſtianos, ſacram Hoſtiam, Crucem, Chriſtum Dominũ conſpuentes, vel facientes quid ſimile, ouem,agnum,aut aliud quid cruci affigentes,aut appẽdentes. Decimò,Chriſtianas nutrices tenentes,vel cogentes, quando communicant vno, aut pluribus diebus, effundere lac in cloacas, aut latrinas. In omnibus his caſibus, Summus Pontifex auctoritatem præbet Inquiſitoribus, procedendi aduerſus Iudæos, & alios quoſcũque infideles. Ità obſeruant Ricciullus *tr. de iur. perſon.lib.1.c.52.n.7.*Souſa *in aphoriſm. inquiſ.lib.1.c.37.à num.18.vſque ad 27.* Scortia *in Bull.Pontif. theor.347.* Azorius *par.1. lib.8.c.22.qu.12.* Campegius *in addit.ad Zanchinum,c.36.litt.B.* Symanchas *tit.35.per totam*, Cantera *in qq.crimin.c.1.de hæret.n.72.*Diana *tom. 5.tr.12.reſ.2.ex par.4.tr.7.reſ.1.*& alij.

108 Forma autem abiurationis iſtorum eſt: ego N. Sacroſancta Dei lege poſita coram me, & meis manibus tacta,iuro, me credere corde, & ore profiteor illã veritatem,ac fidem, quam lex Dei Sacroſancta docet: at in primis Deum eſſe inuocandum, ſolumque adorandum. Et per conſequens deteſtor errorem, qui dicit,Dæmones eſſe adorandos,eiſque diuinos honores tribuendos: aut ſimilia,iuxtà qualitatem errorum, quos aduerſus fidem admiſit. Non enim in tali caſu abiurat ſuper Euangelia, quibus non credit, nec abiurat hæreſim, quæ in ipſum non cadit, vt notat Diana *loc.cit.n.5.*

Qui poſt abiurationem incidit iterum in hæreſim,quàm pœnam incurrit?

109 RESp.Quod,qui abiurauit hęreſim formalem, & poſteà in eãdem, vel in aliam formalem, vel vehementẽ hæreſis ſuſpicionẽ incidit: aut abiurauit de vehementi, & poſteà in aliquam hæreſim formalem incidit: quilibet ex his iudicandus eſt, vt relapſus, & abſq; miſericordia tradendus brachio ſeculari puniendus: quia ſufficit, vt per falsã ſuam conuerſionem ſemèl Eccleſiam deceperit. Ità in Concil. Narbonenſi *c. 11.in cap.Ad abolendam,§.Illos quoque, & in cap.Accuſatus,§.Ille quoque, de hæreticis in 6.* Et ità expreſsè docent Eymericus *par.2.direct.q.40.n.4.& qu. 58.n.1.& ſeq.* & ibi, Pegna Locatus *in iudiciali,verbo Relapſus,n.3.* Symãchas *de cathol.inſtitut.tit.57.n.4.& in Enchiridion.tit.60.nu.2.*Carena *par.2.tit.2.§. 5.n.27.*& alij.

110 Hoc autem non intelligitur de illis, qui. in hæreſim iterum, atque iterum labuntur,nulla abiuratione,ſeu ſolemnĩ pœnitentia, vel purgatione canonica interueniente, nec iudicialiter facta. Quia quamuis qui iterum, atque iterũ in eandem, aut varias hæreſes labitur, verè relapſus dici poſſit, priuſquam illas abiurauit:tamen puniri, non debet, vt relapſus; itaut tradatur Curiæ ſeculari,dummodò velit,verè pœnitere.Nã iure Pontificio is hæreticus,verè relapſus cenſendus eſt, qui poſt ſolemnem, iudicialemque hæreſim abiurationem relapſus, fuerit accuſatus, vel denunciatus.Ità docent Pegna *par.2.commen. 83.verſ.Obſeruandum eſt*, Ancharanus *de hæret.lib.6*.Alphonſus Caſtrus *lib.2. c.2.de iuſta hæret.punit.* Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.57.n.2.& ſequ.* & alij.

111 Qui abiurauit tanquam de hæreſi vehementer ſuſpectus; & poſteà conſtat, quod habuit conuerſationem cum hæreticis,& eos viſitauit, cum ipſis ſe aſſociauit,vel eis dona, aut munera miſit,

ſit,vel fauorem impendit;& ab his actibus excuſari non poſſit; vt relapſus iudicandus eſt, & relapſi pœna puniendus. Quia per hanc ſecundam depræhenſionem expreſſam, declaratur animus illius, quod in prima vice fuit in mala opinione contra fidem Chriſti: in qua præſumitur ſemper continuaſſe, dũ apparet,quòd in prima abiuratione fuit impœnitens,nec voluit veritatem fateri:Ità Ancharanus *in cap. Accuſatus, de hæret.in 6. notab.* 2. Paulus Grillandus *tr.de hæret.q.*10.*n.*1. Pegna *par.*2. *comment.*83.*verſ.Altera eſt*,Sanctarellus *de hæreſi,c.*42.*n.*6.*verſ.Quamuis bene*,Carena *par.*2.*tit.*2.*n.*33.

112 Hanc dictam doctrinam extendunt Ancharanus *loc.cit.* Matthæus de Afflictis *in Conſtitut.Siciliæ,titul.*1. *de hæret. notab.*18.*verſ.Quod autem*, Carena *vbi ſup.*habere locum etiam in eo,qui abiurauit de leui, & poſteà verè conſtitit de illo crimine,de quo anteà leuiter tantũ erat ſuſpectus. Nàm ſi poſt leuem abiurationem,inquiunt,hæreticus depræhendatur,relapſorum pœna plectendus erit. Sed Pegna *dicto comment.*83.*verſ. Vel poſt conſtitit*, ait. Hæc opinio falſa eſt, neque vſquam eſt decreta, neque vſu recepta, & miſericordiam excludit ab hoc Sacro Tribunali: & nullam in hoc caſu admittit differentiam inter abiurationem de leui, & de vehementi, quod apertiſſimè videtur aduerſari textui *in dicto cap. Accuſatus*, §.1.*verſ.Si autem leuis, de hæret.in 6.* Quamobrem meritò illã confutauit Ioannes Royas *in ſingularibus fidei,ſingul.*11.*n.*26. *in fin.*Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*1.*n.*19.*&* 20. Et hanc ſententiam profitetur apertiſſimè hoc loco Eymericus,a quã nullo pacto eſt recedendum. Hæc Pegna.

113 Qui autem poſt abiurationem de vehementi,iterum in vehementem hæreſis ſuſpicionem incidit, non eſt verè relapſus: quia, vt quis relapſus cenſeatur,neceſſariò requiritur, quod verè,& realiter conſtet, ipſum eſſe lapſum in hæreſim formalem. Ità apertiſſimè colligitur ex *dicto cap. Accuſatus*, §. *Ille quoque*: & ità docent Alphonſus Caſtrus *lib.*2.*de iuſta hæret.punit. c.* 2. Geminianus *in dicto cap. Accuſatus*,§.*Ille quoque,verſ.Quæro an ſufficiat*,Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*57.*n.*5.Farinacius *de hæreſi,q.*195.*n.*22. Carena *par.*2.*tit.*2.§.5.*nu.*35. Locatus *in iudiciali, verb. Vehemens ſuſpicio*. Qui etiam refert ità declaraſſe Pium V.in Congreg. S.Officij ann.1567.

114 Similiter neque dicitur relapſus, qui abiurauit de leui, ſi iterum in vehementem, vel leuem incidat hæreſis ſuſpicionem,licet ſit grauius puniẽdus, vt docent Eymericus *par.*2.*q.*58.*n.*3.*in fin.* Pegna *par.*2. *comment.*83. *verſ.Vel poſt conſtitut.*Farinacius *loc.cit.n.*24.Sãctarellus *de hæreſi,c.*42.*n.*11.Locatus *in iudiciali Inquiſ.verb.Abiuratio,n.*1.*ver. Et nota*.

115 Ex dictis patet, quid dicendum ſit de ſortilego, qui primò abiurauit, ob Dœmonum inuocationem in ſortilegio agendo; & poſteà de eadem inuocatione eſt conuictus,vel confeſſus. Si enim in prima, vel ſecunda vice, abiurauit,vt hæreticus formalis:quia credidit e.g. Dœmonem, poſſe licitè venerari, vel ipſum poſſe cogere liberam hominum voluntatem,vel ſimilia: tunc habendus eſt pro relapſo Secus verò ſi tàm in prima,quã in ſecũda vice abiurauit de vehementi. Ità Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*87.*n.*9. *& in Enchirid. tit.*60.*n.*4.Carena *par.*2.*tit.*2.*n.*30. Farinacius *q.*195.*de hæreſi,n.*9. & alij.

116 Si verò relapſus ſpontè compareat, & errorem ſuũ plenè fateatur, lachrymiſque miſericordiam imploret, erit ei pœna mortis remittenda, nec tradendus erit Curiæ ſeculari: vt docent Pegna *par.*3.*comment.*22.*verſ. Sed quid ſi relapſus*, Hoſtienſis *in c. Ad abolendam*, §.*Illos,in verbo Sine vlla audientia*,Albertinus *in lib.de agnoſcend.aſſert.q.*25. *n.*25.Alphonſus Caſtrus *de iuſta hæret. punit.lib.*2.*c.*2. Decianus *in tract crim. lib.*5.*c.*56.*nu.*12.Paramus *de orig. S.Inquiſ.lib.*3.*q.*4.*n.*12.& alij. Tum quia in huiuſmodi relapſo,ſpontè comparente, ceſſat illa ſuſpicio, qua relapſi putãtur, ficte

fictè conuerſi, cùm ſe ipſum pœnitentē Iudici præſentat,& veniam poſtulet. Tū quia is non cenſetur incorrigibilis, dū ſponte crimen ſuum fatetur, & veniam deprecatur. Tum quia nullus verè dici poteſt relapſus, niſi bis de hæreſi conuictus ſit. Sed qui ſponte crimen ſuum fatetur,non videtur ſecundò conuictus. Ergo non eſt,vt relapſus bis conuictus puniendus. Et tum tandem, quia Concilium Bitterenſe *c.* 2. ſtatuit, vt ſponte comparentibus impunitas mortis concedatur: et huius ſtatuti ratio eſt,quia mitius eſt agendum cum ſponte confeſſis,quàm cum conuictis, vt habetur in *c.Presbyterum* 50.*diſtinct.*& in Gloſſa *in c.De hoc verbo,in iure extrà de ſymonia*,vbi Hoſtienſis,& ibi Panormitanus *n.6.*

CAPVT XXVI.

De pœnis, quæ Sortilegis, & alijs Delinquentibus contra fidem imponuntur.

Sortilegi puniuntur ne in hoc S.Tribunali tanquam hæretici?

1 RESp. Sortilegos hæreticalia ſortilegia committentes,quę manifeſtè hæreſim ſapiunt: tanquam hæreticos eſſe puniendos. Ità ſtatuitur in extrauag.Ioannis XXII.regiſtrata ab Eymerico *in direct.inquiſ.par.*2.*q.*43. Huiuſmodi ſortilegi hæreticales ſunt, qui fœdus,ſeu pactum ineunt cum Dęmone, vel illi ſacrificia immolant, vel cultum latriæ, aut duliæ tribuunt, vel quouis modo adorant; vel annulum, aut ſpeculum,aut phialam, aut aliam quamcumque rem ad Dœmones alligandos, confidunt, aut retinent: et ab ipſo Dæmone reſponſa petunt, pro implendis eorum prauis deſiderijs,aut auxilia poſtulant. Hi omnes puniendi sūt omnibus,& ſingulis pœnis,quibus hæretici puniuntur,excepta bonorum cōfiſcatione. Ità expreſsè in dicta extrauag. Et Zanchinus *in tr. de hæret. c.*22. *n.*18.*in fine*,& ibi,Campegius *in addit. litt.C.in verb. Inquiſitor,verſ.Subdit vlterius*, Eymericus *loc.cit.* Martinus del Rio *lib.*5. *diſquiſ. magic.ſect.*16. *verſic. Quando ſunt ſortilegi hæretici.*

2 Similiter,vt hæretici puniuntur malefici,& ſagæ;ſeu lamię, etiamſi damnū aliquod alicui non intulerint,ſed tantū fateantur, fuiſſe in conuentu cum Dæmone, nocturnas eius Congregationes frequētaſſe,& alia praua crimina exercuiſſe, quæ ibi fieri ſolent. Ità Petrus Binsfeldius *in commen.ad l.Nemo, Cod. de malefic. & mathemat. q.*1. *concluſ.*1. Farinacius *de hæreſ,q.*181.*nu.*4. & alij.

3 Hæreticorum pœnis etiam ſubdūtur Sortilegi, Diuinatores, Incantatores,Idololatræ,Magi,Arioli,Aruſpices, & alij, quos enumerat Zanchinus *in tract,de hæret.c.*22.*n.*1.*& ſequ.*qui exquirunt, vel petunt à Dœmone notitiā futurorum, quæ naturaliter ſciri non poſſunt, & quæ à mero, & libero hominis arbitrio pendent,vel ſunt ſecreta cordis,vel ſolum à diuina pendent voluntate,vel ſunt futura contingentia, quæ nullam habent certam, & determinatam cauſam, nec à Dæmone præſciri poſſunt,nec ab illo fieri:vt petere reſurrectionem mortui, vel ſe transformandi in aliam ſpeciem, & ſimilia: vt notant Ioannes de Anania *in rubrica extrà de hæreticis,n.8.* Vmbertus Locatus *in iudiciali inquiſ.in verb. Apoſtata, n.*5.*& 6.* Symanchas *de cathol.inſtitut. tit.*21.*n.*4. *& ſequ.& tit.*63.*rubr.de ſuperſtit.n.*10.*& tit.*62. *rubr.de ſortilegijs, n.*1.*&* 2.Zanchinus *in tr.de hæret. c.*22. *n.*24.& ibi,Campegius,& alij.

4 Tanquam hæretici etiam puniuntur ſortilegi,abutentes Euchariſtiæ Sacramento, vt ſtatuit Adrianus VI.in ſua extrauag. ædita anno 1513. incip. *Dudum*,relata à Pegna, & omnes affirmant. Item rebaptizantes pueros, vel baptizantes hominis cadauer, vel imagines inſenſatas,vel aliquod irrationale animal. Item immiſcentes in ſortilegijs ſacrum Chriſma,& Oleum Sanctū, credentes in eis eſſe poteſtatem,explē-

di

di eorum prauos affectus: vt communiter omnes affirmant apud Farinaciũ *de hæreſi,q.*181.§.1.*per totum.*

Quænam ſunt pœnæ à iure hæreticis impoſitæ?

5 RESP. Aliàs eſſe ſpirituales, aliàs verò temporales, & corporales. Prima pœna ſpiritualis eſt excommunicationis ſententia: vt ſtatuitur *in Bulla Cœnæ,& in cap. Ad abolendam, & in cap. Excommunicamus,de hæreticis in 6.* Quæ excommunicatio incurritur ipſo iure, ſiuè hæreſis occulta ſit, ſiuè manifeſta. Secus verò ſi ſit merè mentalis:vt notant Pegna *par.3.comm.* 71.Farinacius *de hæreſi,qu.*192.*nu.*4.*& ſeq.*Sanctarellus *de hæreſi, cap.*3.*dub.*1.*n.*5.& alij omnes. A qua excommunicatione in foro iudiciali tantùm poſſunt Epiſcopi,& Inquiſitores,hæreticos pœnitentes abſoluere: vt notant Farinacius *ibid.n.*52.Sanctarellus *cap.*5.*nu.* 1. Et hæc abſolutio prodeſt etiam in foro interiori:vt affirmant Sanctarellus *loc.cit.* Ricciullus *de iure perſon.extra Eccleſiæ gremium exiſtentium, lib.*5.*cap.* 13.*n.*1.& alij. Extra forum iudiciale, neque Epiſcopi, neque Inquiſitores, poſſunt ab hac excommunicatione,etiã ſi ſit occulta,abſoluere in foro conſciẽtiæ. Nàm facultas, Epiſcopis conceſſa, abſoluendi ab hæreſi occulta, vigore Concilij Tridentini *ſeſſ.*24.*de refor.c.*6. eſt eis negata per Bullam Cęnæ: vt docent Farinacius *loc.cit.n.*53.Duardus *in Bulla Cœnæ,lib.*3.§.2.*qu.*11.*nu.*43. Ricciullus *vbi ſup.c.*14.*n.*13.*& ſeq.* Barboſa *de officio Epiſcopi,par.*2. *allegat.*40.*n.* 21.Carena *par.*2.*tit.*1.*n.*132.*& ſequ.*& alij. In articulo autem mortis,quilibet Sacerdos poteſt etiam ab hæreſi manifeſta hæreticum pœnitentem abſoluere: quia tunc nulla datur caſuum reſeruatio:vt habetur in Concil. Trident. *ſeſſ.*14.*c.*7.§.*Hanc autem.*

6 Secunda pœna, quæ ob hæreſim incurritur,eſt irregularitas. Ità *in c.Nos* 51.*diſtinct.* §. *Idem Daniel* 2. *qu.*7. Et etiamſi hæreticus ſit occultus, irregularitatem incurrit: quia ipſa irregularitas per ſe eſt annexa hæreſi: vt probat Sanchez *in Decal.lib.*2.*c.*25.*nu.*2.& Farinacius *de hæreſi,q.*192.*n.*68. Ricciullus *lib.*5. *c.*17. Durat autem hæc irregularitas, quamuis hæreticus conuerſus, & admiſſus ad gremium Eccleſiæ pœnitentiam peregerit: vt colligitur ex *cap.Conuenientibus* 1.*q.*7. *& ex cap.Inter ſollicitudines,extrà de purgat.canon.* & docet Pegna *par.* 3. *comment.* 162. *verſ. Ac primum quidem.* Verum poſt peractam pœnitentiam ei diſpenſari poteſt poſt aliquod tempus, vt in ſuſceptis ordinibus adminiſtret,ſed non vt ad ſuperiores aſcendat. Quod ſi nullum ordinem habeat, vlterius ordinari non debet,neque ad primam tonſuram, ex *cap.Saluberrimum* 1.*q.*7.& ità docet Pegna *ibid.*Antonius *tract. de cenſuris, c.*100.Syluester *verb.Irregularitas, qu.* 5.Maiolus *lib.*5.*de irregularit.c.*46.Verum ſi vrgens neceſſitas, vel euidens Eccleſiæ vtilitas id expoſcat: non ſolũ in ſuſceptis ordinibus adminiſtrãdis, poterit diſpenſari,ſed ad vlteriores, & ad Sacerdotium, & etiam ad beneficia Eccleſiaſtica promoueri, ex *c. Conuenientibus* 1.*q.*7.& docent Pegna *ibid.*& Conradus Brunus *lib.*3.*de hæret. cap.*7. Ab hac autem irregularitate, neque Epiſcopus, neque Inquiſitor, ſed ſolus Romanus Pontifex diſpenſare poteſt; vt ſentiunt Eymericus *qu.*126.Zanchinus *de hæret.c.*38.Pegna *loc.cit.verſ.Poſtremò,*Sanchez *dicto c.*25.*n.*5.*&* 6. Farinacius *dicta q.*192.*nu.*75. Carena *vbi ſup.n.*140.& alij. Hæretico verò occulto conuerſo, an poſſint Epiſcopi in irregularitate diſpenſare, vigore Concil. Trident.*ſeſſ.*24.*c.*6.negant Suarez *de cenſuris,diſp.*43.*ſect.*1.*n.*15.*& tract.de fide,diſp.*21.*ſect.*5.*n.*2. & Ricciullus *de iur.perſon. lib.*5. *c.* 16. Affirmant verò Sanchez *lib.*2.*c.*25.*n.*15.Farinacius *dicta q.*192.*nu.*79.Sanctarellus *de hæreſi, c.*25.*n.*7.*&* 8.

7 Tertia pœna eſt infamia, & nobilitatis omiſſio, ac inhabilitas ad omnes honores, dignitates,& officia publica: vt ex Conſtitut. Alexandri IV. ædita

ann.

ann.1258. incip. *Quod ſuper*, *verſ. Frequenter etiam*, & Honorij IV. ędita ann. 1286. incip. *Exhibita*, & Martini V. ædita ann. 1418. incip. *Inter cunctas*, *ver. Nec non præſentes*, *& in cap. Vt commiſſi*, *verſ. Priuandi*, *de hæreticis in 6.* vt notat Farinacius *de hæreſi*, *q.89.n.43.* cum nonnullis alijs. Vndè nec Iudex, nec teſtis, nec actor, nec tabellio, neque quid ſimile ob hæreſim, quis eſſe poteſt. Quia hæc omnia infamibus prohibita ſunt: vt habetur in *cap. Infamibus*, *de regul. iur. in 6. & in l.2. Cod. de dignitatibus*, *& in l. Quoniam*, *c. de hæret. & in cap. Excommunicamus* 1. *de hæreticis in 6.* Hæc autem pœna incurritur ipſo facto, & antè Iudicis ſentẽtiam: vt probant Pegna *par. 1. direct. comment. 4. verſ. Ex his poterit*, Alphonſus de Caſtro *lib.2.c.9. de iuſta hæret. punit.* Paulus Caſtrenſis *ibi*, *nu.*18. Farinacius *qu.* 186.*n.*55. requiritur verò declaratoria criminis, vt ait idem Farinacius *n.*56. & Sanchez *in Decal. lib.2.c.26. n.*1.

8 Hæc etiam infamia redundat in filios, & nepotes, vſque ad ſecundam generationem: ex *l. Quiſquis*, *Cod. ad legẽ Iuliam Maieſt. & ex cap. Quicunque*, *& cap. Statutum*, *de hæreticis in 6.* Ideò etiam ipſi priuantur beneficijs Eccleſiaſticis, & repelluntur ab omnibus officijs publicis, & inhabiles redduntur ad illa obtinenda. Ità in *cap. Vt commiſſi*, §. *Priuandi*, *& in dicto cap. Statutum* 1. *& in cap. Quicunque*, §. *Hæretici*, *de hæreticis in 6.* & ibi communiter omnes Canoniſtæ, & in Conſtitut. Innocentij IV. ædita ann. 1254. incip. *Nouerit vniuerſitas*, *verſ. Hæretici autem*, relata à Pegna inter litteras Apoſtolicas in *direct. inquiſ.* Et huiuſmodi infamiam, nec Epiſcopus, nec Inquiſitor, remittere, ſeu tollere poteſt, & famam reſtituere; ſed Summus Pontifex tantùm: vt probant Zanchinus *tr. de relaxat. carcerat. tit. de beneficio*, *& indulgentia Principis*, Pegna *par.1. direct. comment.*4. *verſ. Præterea*, & alij.

9 Quarta pœna ob crimen hæreſis eſt confiſcatio omnium bonorum. Ità in *l. Manichæos*, §. 1. *c. de hæreticis*; & ibi Salicetus *in ſummario*, *in Authent. Gazaros*, *c. eodem*, *in cap. Vergentis*, §. 1. *extrà de hæreticis*, & ibi Gloſſa; vt communiter Doctores affirmant. Et Hoſtienſis *in ſumma in rubr. de hæret.* §. *Qualiter*, *nu.* 6. *verſ. Si Eccleſia*, ait; hæreticis omnia bona auferenda eſſe, non ſolum de iure Ciuili, & Canonico, ſed etiam de iure naturali, & diuino: & idem confirmant Goffredus *in ſumma de hæreticis*, *nu.* 2. *& 3.* Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.9. de bonis hæret. nu.* 1. *&* 3. Vmbertus Locatus *in iudic. inquiſ. in verb. Bona hæret. nu.* 1. & alij, quos citat, & ſequitur Farinacius *de hæreſ. q.*190. *num.* 1. Hæc autem bona ipſo iure dicuntur confiſcata à die commiſſæ hęreſis: vt habetur *in cap. Cum ſecundum*, *de hæreticis in 6.* & docent Doctores apud Farinacium *loc. cit. n.*3.

10 Requiritur tamen declaratoria, & quod executio confiſcationis non fiat, donec per Eccleſiaſticam ſententiam fuerit determinata. Ità Syluester *verb. Hæreſis* 1. *n.*12. Symanchas *loc. cit. num.* 126. Locatus *ibid.* & alij quamplures apud Farinacium *nu.*5. Si verò hæreſis eſſet notoria, non deſunt Doctores, qui ſentiunt, tunc non eſſe neceſſariam, declaratoriam ſententiam: eſſe tamen neceſſariam aſſignationem termini, ad excuſandum crimen, quo elapſo, executionem fieri poſſe. Ità Nauarrus *lib.5. de hæretic. conſ.* 20. *n.*5. *& ſeq.* Pacianus *conſil.*19. *nu.*16. *& ſequ.* & alij, quos citat Sanchez *lib.2. in Decal. c.*22. *n.*14. Qui hanc ſententiam impugnat, & probat requiri neceſſariò ſententiam criminis declaratoriam. Quia verum non eſt illam exigi ſolum, vt conſtet de crimine. Sed exigitur, vt per Iudicem, tanquam per cauſam particularem, auditis delinquentis defenſionibus, pœna legis vniuerſalis applicetur huic caſui, quo ſuũ effectum ſortiatur. Et ità ſuſtinent nonnulli Doctores, quos ipſe Sanchez citat *ibid.*

11 Quinta pœna eſt ſupplicium mortis, & concremationis: vt ex *cap. Cum ſecundum*, *de hæreticis in 6. & l. Arriani*, *Cod. de hæret. & Manich.* & notant Cã-

tera

tera *in quæſt. crimin. de hæreſi, c. 2. nu. 49. verſ. Ecce textus*, Farinacius *de hæreſi, q. 189. n. 3.* Souſa *lib. 3. aphoriſ inquiſ. c. 6. n. 1.* Caſtro Palaus *tom. 1. tr. 4. diſp. 6. punct. 2.* Carena *par. 3. tit. 13. §. 1. nu. 7.* qui probant etiam hanc pœnam ignis originem duxiſſe ex veteri, & nouo teſtamento. Quia crimen hæreſis cùm ſit grauiſſimum, grauiſſima pœna ignis, & mortis, puniri debere, Sacroſanctæ leges ſtatuerunt. Combuſtio enim inter pœnas mortis primum locum tenet. Et Præſes Abauo ait *in Theoric. crimin. §. Hæreſis, n. 21.* Si pœna aliqua eſſet cōbuſtione atrocior, vtique ea eſſet hęreticis imponenda. Igitur hac pœna puniuntur hæretici impœnitentes, & negatiui. Si verò ſint pęnitentes, ſed ſint relapſi; prius ſtrangulantur, & poſteà mortui comburūtur: vt ex *cap. Ad abolendam, §. Illos quoque, de hæreticis in 6.* Erga iſtos enim praxis obſeruat: mitti duos, vel tres Eccleſiaſticos viros, qui eos in fide confirment, ad patientiam exhortentur, dum à morte excuſari nequeunt, & vt Sacramentum Pęnitentię, & Euchariſtiæ recipiant. Et poſt duos, vel tres dies Curiæ ſeculari traduntur. Itá cum nonnullis alijs Doctoribus Farinacius *de hæreſi, q. 193. nu. 35. & ſequ.* Nàm iſti recipiuntur ad pęnitentiam, non ad miſericordiam, vt ait idem Farinacius. Ideſt recipiuntur ad gremium, & vnitatem Eccleſiæ, & ad participationem Sacramentorum, ſed non ad condonationem pęnæ temporalis, & mortis.

12 Sexta pęna qua puniri ſolent malefici, diuinatores, & ſortilegi, quando non ſunt tradendi Curiæ ſeculari, vltimo ſupplicio puniendi, eſt, vel pęna triremium perpetua, vel ad tempus: vt probant Campegius *in addit. ad Zanchinū, tr. de hæret. c. 20. litt. G. in verbo Pœnas, uerſ. Adde poſtremò,* Royas *ſingul. 1. nu. 25. & in tr. de hæret. par. 2. n. 269.* Didacus Cantera *in quæſt. crimin. rubr. de hęret. c. 1. nu. 57.* Carena *par. 3. tit. 13. §. 3. n. 45.* Vel pęna carceris ſimiliter perpetui, aut ad tempus: vt colligitur ex Cōcilijs Tholoſano *cap. 10. §. Hæretici autem,* Narbonenſi *c. 9. verſ. Quamquam uerò*, & Bitterenſi; vt latè notant Farinacius *q. 193. n. 102. & ſeq.* Carena *par. 2. tit. 1. §. 32. n. 174. & ſeq.* & alij communiter. Vel pęna relegationis, aut exilij: vt teſtantur Iulius Clarus *in praxi, §. fin. q. 71. uer. Vidi ergo,* Souſa *in aphoriſ. lib. 3. c. 26. n. 5.* Farinacius *nu. 80.* Carena *par. 3. tit. 13. §. 5. & 6.* Vel pęna fuſtigationis, & verberationis: vt tradunt Clarus *loc. cit. q. 70. verſ. Eſt etiam,* Decianus *in tr. crimin. lib. 5. c. 42. n. 10.* Farinacius *n. 90.* Carena *§. 4. n. 56.* Vel pęna pecuniaria: vt aiunt Gloſſa *in Clement. 2. in uerb. Illicitis, de hæreticis,* & ibi Card. Zabarella *in §. Inquiſitoribus, n. 20. uerſ. Secundò quæro,* Eymericus *p. 3. direct. q. 103.* & ibi, Pegna *comm. 152.* Decianus *loc. cit. c. 44. nu. 7.* Farinacius *ibid. n. 108. & ſeq.* Vel pęna habitus pęnitentiæ, quæ eſt veſtis ſignata crucibus, de qua Eymericus *in ſextò modo terminandi proceſſum, n. 175.* & ibi, Pegna *comment. 42.* Cantera *de hæret. c. 1. n. 56. uerſ. Aut fuit conuictus,* Farinacius *n. 91.* Caſtro Palaus *par. 1. tr. 4. diſp. 6. punct. 3.* & alij. Vel pęna, quod in die feſtiuo ſtent præ foribus Eccleſiæ genibus flexis, cum candela accenſa in manu, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, pallium, & calceamenta non habētes, & corrigia in collum ligata; iuxta *cap. Statuimus 2. de maledicis:* vt notant Cantera *de quæſt. crimin. c. 3. n. 4.* Carena *ibid. §. 10. n. 8.* Campegius *in addit. ad Zanchinum, tr. de hæreticis, c. 20. circa finem,* Farinacius *q. 193. n. 84. circa medium.* Vel pęna priuationis officij, dignitatis, & honoris, ex Conſtitut. Alexandri IV. ædita ann. 1258. incip. *Quod ſuper*, & Honorij IV. ædita ann. 1286. incip. *Exhibita*, & Martini V. ædita anno 1418. incip. *Inter cunctas*, vt notat Farinacius cum alijs *q. 189. nu. 43.* Et ſi fuerint Clerici pęna priuationis beneficiorum, & ſuſpenſionis ordinum; vt in *cap. Vt commiſſi, §. Priuandi de hæreticis in 6.* & ex dictis Conſtitut. Alexandri, Martini, & Honorij. Si verò fuerint Regulares pęna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & muneris concionandi, & au-

audiendi cõfeſſiones: & quod in Choro,& in Refectorio, alijſque locis vltimam ſedem habeant: & quod ſuorum criminum ſententia, præſentibus omnibus Religioſis pluties legatur: vt illis ſit in exemplum, & delinquentibus in confuſionem: ità Caſtro Palaus *par.1. tr.4.diſp.9.punct.11.n.2.* Carena *par.3. tit.13.§.11.n.88.*& alij. Vel tandem pœnitentijs ſalutaribus, nempè ieiunijs, orationibus, eleemoſynis, & Sacramentorum frequentia, vt omnes affirmant.

CAPVT XXVII.

De Pœna Excommunicationis contra Maleficos, & alios Sortilegos.

Pœna excommunicationis incurritur ne à maleficis, diuinatoribus, & alijs ſortilegis ipſo facto, vel per Iudicem eſt ferenda?

1 RESp. Quod huiuſmodi ſortilegi ſæpiſſimè in maleficijs, diuinationibus, & cæteris ſortilegijs admiſcere ſolent, quæ hæreſim ſapiunt manifeſtè. E.g. Dæmoni tribuunt adorationem latriæ, vel duliæ, Deo ſoli, & eius Sanctis debitam: vel abutuntur Sacramentis, aut ſacramentalibus, & alijs rebus, aut verbis ſacris: vel petunt à Dæmone, quæ ſoli Deo reſeruata ſunt: vel pactum expreſſum cum Dæmone ineunt: vel in ludis diabolicis conueniunt: vel Dæmonem in annulo, aut in alio vaſe ligatum, retinent: & his ſimilia: & iſti in excommunicationem ipſo facto incidunt. Quia vel ſunt hæretici, vel ſaltè, vt hæretici præſumuntur. Hæreticus autem ipſo iure excommunicatus eſt. Et illa ſocietas, quàm iſti habent cum Dæmonibus inuoluit multa, quæ ſunt verè fidei contraria; vt conſideranti patet. Ità ſuſtinent Tabiena *verb. Excommunicatio 1. caſu 4.* Suarez *tom.1. de relig. lib.2. de ſuperſtit. c.19. nu.8.* Martinus del Rio *lib.4. diſquiſ. magic. c.2. qu.7. ſect.4.* Farinacius *de hæreſi, q.192. n.2. & n.12. verſic. Amplia nonò*, Graffius *lib.4. deciſ. c.18. nu.8.* & ità etiam ſtatuitur in extrauag. Ioannis XXII. incip. *Super illius ſpecula*, regiſtrata ab Eymerico *in direct. inquiſ. par.2. q.43. n.9.*

2 Si verò maleficia, diuinationes, magiæ, & cætera ſortilegia non habent hæreſim adiunctam, illa committentes non ſunt ipſo iure, ſeu ipſo facto excommunicati; ſed excommunicandi: quia nullus Canon legitimè receptus ſtatuit, iſtos ſortilegos eſſe ipſo iure excõmunicatos. Ità docet Alexãder Alẽs *2. par. q.164. mem.5.* Syluester *verb. Superſtitio, q. vlt.* Suarez *loc. cit. n.3. & ſeq.* Filliucius *tr.14. c.6. q.11. n.97.* Bonacina *tom.3. de cenſur. in ſpecie, diſp.2. q.2. punct.38. n.1.* Farinacius *vbi ſup. verſic. Si verò*, Azorius *par.1. lib.9. c.26. qu.3.* Sanchez *in Decal. lib.2. c.38. num.90. & ſeq.* Carena *par.2. tit.12. nu.304.* Thomas del Bene *tom.2. de offic. inquiſ. dub. 228. ſect.28. aduertenda, n.10.*

Pœna excommunicationis incurritur ne, quando in ſortilegio eſt magna hæreſis ſuſpicio, ſed non manifeſta?

3 RESp. Quod, vel loquimur in foro conſcientiæ, vel in foro exteriori. In foro conſcientiæ non incurritur in dicto caſu excommunicatio: quia ibi veritas ſpectanda eſt, non ſuſpicio, ſeu præſumptio. In foro autem exteriori ſpectanda eſt qualitas ſuſpicionis: ſi enim hæreſis ſuſpicio eſt vehemens, iudicandum eſt ſortilegum incurriſſe excommunicationis pœnam: ſecùs verò ſi ſuſpicio ſit leuis. Ità docet Suarez *tom.1. de relig. c.18. n.9.*

Sortilegus, occultè hæreticus, eſt ne ipſo iure excommunicatus?

4 RESp. Si ſortilegus ſit omninò occultus hæreticus, quia in corde ſuo tantum in hæreſim incidit, nec illã per verba, aut actus exteriores patefecit; non eſt excommunicatus: quia etſi peccatum hæreſis tale ſit, vt interius in men-

mente cōſummetur: tamen excommunicatio propter hæreſim purè mentalē non contrahitur. Quia nullus actus purè internus eſt materia cenſuræ. Nàm Eccleſia non habet iuriſdictionem in actus, qui nullo modo exterius poſſunt agnoſci. Regimen enim illius eſt viſibile, & circa obiecta viſibilia verſari debet, vt communiter Doctores docēt.

5 Si autem ſortilegus ſit hæreticus occultus, quia vulgus ignorat, illum eſſe talem: vel hæreticalia ſortilegia, ita ſecretè committit, vt nullo modo de ipſis conuinci poſſit. Iſte quamuis in foro exteriori non æſtimetur, nec puniatur, vt hæreticus: quia nemo de delicto damnatur, niſi fuerit conuictus, aut confeſſus. In foro tamen conſcientiæ vtique eſt excommunicatus. Quia ad incurrendam excommunicationem, ſatis eſt hæreſim verbis, ſigno, vel facto, quantumuis occultè, ac nemine præſēte manifeſtare. Nam tunc hæreſis eſt per ſe verè externa, & ſolum per accidens eſt occulta: quia nullus manifeſtationi illi præſens fuerit. Ità docent Zanchinus *de hæreticis, c.18.n.1.verſic. Quod intelligunt*, Arnaldus Albertinus *tr.de agnoſcendis aſſertionibus cathol. & hæret.q.33.* Ioannes Royas *in tr.de hæreticis, par.1.n.246.& ſeq.* vbi affirmant hanc eſſe communem Doctorum opinionem, & alij quamplures, quos citat Farinacius *de hæreſi, q.192.n.4.*

Sortilegus, errorem circa fidem in intellectu non habens, & faciens ſortilegium, manifeſtè hæreſim ſapiēs, incurrit ne pœnam excommunicationis?

6 Reſp. Affirmatiuè: quia talis ſortilegus, quamuis in foro conſciētiæ non ſit verè hæreticus, nec malè ſētiat de fide; tamen excommunicatio contra ſortilegos non fulminatur, nec afficit tantùm illos in fide errantes, ſed omnes ſortilegia hæreticalia committentes. Ideò etiamſi nullum habeant errorem in intellectu circa fidem, excommunicationem incurrunt, dum hæreticale committunt ſortilegium. Vndè qui ſola paſſione amoris, vel odij, vel vt lucrum faciat; vel ad alterius preces maleficium, ſeu ſortilegium facit, in dictam pœnam vtique incidit.

Sortilegus, vt in excommunicationē incidat, ſufficit ne, vt ſortilegium incipiat, vel requiritur, vt illud conſummet?

7 Reſp. Non ſufficere, vt ſortilegium incipiat, quamuis hoc ſufficiat, ad incurrendam culpam mortalem; ſed requiri, vt illud conſummet, ac perficiat. Quia pœna non incurritur, niſi ob delictum omninò completum, & ſequuto eius effectu. Sic pœna mortis, lata contra homicidam, non debetur percutienti aliquem, niſi ſequatur illius mors. Similiter, qui conatur percutere Clericum, ſed verè illum non percuſſit, quia impeditus fuit, vel ex alio accidēti percutere non valuit: non incurrit excommunicationem Canonis, Si quis ſuadente. Et ratio eſt, quia cum odia ſint reſtringenda, lex imponens pœnā, ſtrictè eſt intepretanda: vt communiter Doctores affirmant. Ergo vt ſortilegus excommunicationem incurrat, non ſufficit, vt ſortilegium incipiat, præparando, ad illud perficiendum, neceſſaria, vel promittendo illud efficere; ſed requiritur, vt effectiuè illud efficiat. Ità colligitur ex his, quæ docent Suarez *de cenſuris, diſp.4.ſect.3.n.4.* Sanchez *de matrim.lib.3.diſp.2.nu.5.* Auila *par.2.c.5.diſp.3.dub.5.* Diana *tom.5. tr.1. reſ.9. ex par.5.tr.9.reſ.56.*

In dubio an excommunicatio ſit lata ipſo facto, vel ſit ferenda: ſortilegus eſt ne, vt excommunicatus vitandus?

8 Reſp. Negatiuè; quia, quamuis Azorius *par.1.lib.2.c.10.q.10. & 11.* Sayrus *lib.1.c.13.n.23.& 24.* & alij doceant, cenſendum eſſe excommunicatum in dubio facti, ſecùs verò in dubio

bio iuris. Tamen probabilius eſt, quòd tàm in dubio facti, quàm in dubio iuris, neminem eſſe cenſendum excommunicatum, & conſequenter, neque vitandum. Quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Ergo cum ſortilegus poſſideat communicationem cum cęteris fidelibus, non eſt, in dubio, hac poſſeſſione priuandus, nec ab alijs vitandus: odioſa enim ſemper ſunt reſtringenda. Et ità docent Sanchez *in Decal.lib.1.c.10.n.55.* Layman *lib.2.tr.5.c.5.§.4.n.38.* Hurtadus *diſp.2. de excommunicat.diffic.3.nu.7.* Diana *tom.5. tr.1. reſ.125.ex par.4.tr.3.reſ.33.*

Mandans, vel conſulens maleficium, vel aliud ſortilegium, incurrit ne pœnam excommunicationis ſecuto effectu?

9 RESp. Quòd quamuis mandans, & mandatarius ſint correlatiui, & inter eos vnicum ſit delictum: vt probat Maſtrillus *ad indultum Cathol. Regis, c.32.n.14.& ſeq.* & mandans, vel cõſulẽs fieri maleficium, vel ſortilegium, cui eſt annexa excommunicatio, ſit particeps criminis, illud committentis. Et quamuis Martinus del Rio *lib.5.diſquiſ.ſect.16.verſ.Omnibus autem*, affirmet, quòd qui conſulunt diuinatores, vel remedia illicita petunt à maleficis, in eaſdem incidant pœnas Eccleſiaſticas, in quas, & ipſi malefici, aut diuinatores, & ſint ipſo facto excommunicati (excommunicatione tamen nulli reſeruata) et idem alij ſentiant. Nihilominus dicendum, quòd mandans, vel conſulens, non innodatur excommunicatione, in quam incidit maleficus, aut ſortilegus. Quia cenſura, lata contra committentem aliquod delictum, non ligat mandantem, vel conſulentẽ, vel aliter conſenſum præſtantem; niſi in Canone, cenſuram ferente, exprimatur. Vt docent Caietanus *in ſumma, verbo Excommunicatio, verſ.Et perſonas*, Armilla *verb. eod.n. 2.* Tabiena *verb.Excommunicatio 5.caſu 49.nu.vlt.* Nauarrus *in ſumma, c.27.n.51.* Metina *lib.1.ſumm. c.11. §.2.* Enriquez *de excomm. lib.13.c.17.n.2.in fin.& c.21.n.1.* Farinacius *de conſulent.& mandant. q.135.n.97.* qui quamplures allegat, Carena *par.2.tit.12.§.33.* Diana *tom.5.tr.1.reſ.75.ex par.5.tr.9. reſ.57.* & alij. Quia excommunicatio, cum ſit pęna, non debet extendi de caſu ad caſum. Mandãs autem fieri maleficium, aut ſortilegiũ, non dicitur verè, & phyſicè illud facere, ſed interpretatiuè. Ergo excommunicatio lata contra maleficium, & ſortilegium facientem, non compræhendit mandantem, & conſulẽtem. Gregorius enim XV. in Bulla ædita 20. Martij an. 1623. ait: *Conſtito, quod quis pactum cum Dæmone fecerit:* & infra: *Sortilegiũ, vel maleficium commiſerit*. Ergo pęna ineuntis pactum cum Dæmone, & ſortilegium, & maleficium committentis, non eſt extendenda, ad mandantem, & conſulentem, qui neque pactum cum Dæmone inierat, neque ſortilegium, aut maleficium fecerat, dum contra eum hæc pęna expreſſa non reperitur.

10 Confirmatur, quia committens homicidium proditorium, non gaudet Eccleſiæ immunitate, *cap. Inter alia de immunitate Eccleſiæ*, & ſecundum Bullã Gregorij XIV. & nihilominus mandãtes homicidium proditorium, gaudent Eccleſiæ immunitate: quia mandans non dicitur, verè facere delictum, ſed fictè, & interpretatiuè: vt docent Iulius Clarus *lib.5.recept.§.fin.q.89. verſ. Sed quæro*, Sanchez *conſil.lib.6.c.1. dub.9.n.3.* Carena *par.2.tit.12.§.33.n.268.* Reginaldus *in praxi, tom.1.lib.9. c.12. nu. 214.* & alij.

11 Similiter mutilans, vel occidens in Eccleſia, priuatur Eccleſiæ immunitate: vt in *cap.Propoſuiſti, & cap. vlt. de conſecrat. Eccleſ. & cap. vnico eodem titulo in 6.* & in Cõſtitut. Gregorij XIV. Et tamen mandans, vel conſulens mutilationem, vel homicidium in Eccleſia, ſiuè hoc mandatum, vel conſilium det intra Eccleſiam, ſiuè extrà ipſam, immunitate Eccleſiæ non priuatur: vt docent Farinacius *de immunit. Eccleſ.c.16.n.231.* Bonacina *de leg.diſp.3. q.7.§.*

4.*num.*

*4.num.*11. Megala *par.3.lib.4.cap.1.q.1.n.*13.Diana *tom.9.tr.1.reſ.73.ex par.1.tr.1.reſ.*10. & alij:quia mandare, vel conſulere occiſionem, vel mutilationẽ, propriè loquendo,non eſt verè,& phyſicè occidere, vel mutilare: & cum ſimus in pœnalibus, & libertati delinquentium, & immunitati eccleſiaſticæ contrarijs, verba legis contra occidentem,& mutilantem,non ſunt extendenda ad mandantem,& conſulentem.

12 Item Confeſſarius, pœnitentem ad turpia ſollicitans in ſacramentali confeſſione, ſiuè antè, vel pòſt immediatè, vel prætextu confeſſionis, etiam ipſa confeſſione non ſequuta: ſiuè extrà occaſionem confeſſionis in confeſſionario,aut in quocunque loco,vbi confeſſiones ſacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire: In Officio Sanctæ Inquiſitionis neceſſariò eſt denunciandus,& ſeueriſſimè puniẽdus. Vt in Conſtitut. Gregorij XV.incip. *Vniuerſi Dominici gregis curam*, ædita die 30.Auguſti 1622.At mandans Confeſſario,vt pro ſe ſollicitet pœnitẽtem in confeſſione, aut in confeſſionario, non eſt denunciandus S.Officio: quia tàm dicta Conſtitutio, quàm quęlibet alia, quæ de huiuſmodi ſollicitatione loquitur, dirigitur tantum, ad Confeſſarios: neque, quoad pœnas, mandantes compræhendit: cùm de his non loquatur. Et ſicut fœmina, Confeſſarium ſollicitans in ſacramentali confeſſione,non compręhenditur in dicta Conſtitutione, nec in alia, quia de ea non loquitur. Ità neque compræhẽditùr mandans, qui mandando non tãtùm infert iniuriam Sacramento Pœnitentiæ, ſicut fęmina Confeſſarium ſollicitando.Quia verba legis pęnalis ſunt formaliter, & propriè accipienda, nec ad alium caſum extendenda. Ità ſuſtinent Trullenchus *in Decal.tom.1.lib.1.c.3.dub.*18.*nu.*48.Leandrus *de Sacram. tom.1.tr.*51.*diſp.*13.*qu.*36. Excobàr à Corro *de Confeſſ.ſollicit.par.*1.*qu.*2.*nu.*36.Diana *tom.*5.*tr.*9.*reſ.*76.& 77.*ex p.*1.*tr.*4.*reſ.*22.& *ex par.*10.*tr.*14.*miſc.*4.*reſ.*44.*aliàs* 42. Carena *par.2.tit.6.§.6.n.*38.

13 Ergo ſimiliter mandans, vel conſulens maleficium, vel quodcunque ſortilegium, neque incurrit pęnam excõmunicationis, latam contra maleficos, & ſortilegos,dum in Conſtitut.Gregorij XV. aduerſus maleficia, ſeu ſortilegia committentes,ædita die 20. Martij 1623. quæ incipit: *Omnipotentia Dei*, nulla ſit mentio mandantis, & conſulẽtis. Quando enim lex vult punire non ſolum facientem, ſed mandantem, & conſulentem id explicat: ità *in c. Mulieres, de ſentent. excomm.* extenditur excommunicatio contra mandantes, manus violentas in Clericos inijcientes. Et in Bulla Gregorij XIII. aduerſus conſulentes duellum, et in *cap.vlt. de homicidio*, extenditur irregularitas etiam in mandantem alium occidi.

14 Si verò in ædictis Epiſcoporum, & Inquiſitorum, etiam in mandantes, & conſulentes maleficium, ſeu ſortilegiũ extenderetur excommunicatio, nulli dubium eſt, quod etiam mandatum, vel conſilium efficax dantes, in excommunicationem inciderent. Aedicta enim Epiſcoporum, & Inquiſitorum non habent minorem vim,quàm leges Canonicæ, nàm feruntur auctoritate Apoſtolica: vt probat Thomas del Bene *de offic.S.Inquiſ.tom.2.dub.*237.*ſect.*13.*punct.*4.*n.*8.

15 Ratio autem in contrarium ſupradicta intelligitur,quod mandans, & conſulens ſit particeps criminis maleficij, & ſortilegij:quoad culpam,non quoad pęnam excommunicationis: vterque enim mortaliter peccat, & ad reſtitutionem damni ſuo mandato, vel conſilio illati, tenetur: vt communiter omnes affirmant. Et quia vnicum cenſetur delictum inter mandantem, & mãdatarium: ideò mandans hoſtile maleficium,ſecuto effectu, punitur ijſdem pœnis corporalibus, ac ipſe maleficus: vt probat Torreblanca *de magia,lib.3.c.*13.cum alijs, quos ipſe citat,Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.*1.*c.*58.*nu.*14.& *ſequ.* Carena *par.2.tit.*12.§.33.*n.*271.

Mandans maleficium, ſeu ſortilegium, à quo Tribunali eſt puniendus?

16 RESp. A Tribunali S.Inquiſitionis: tum quia mandans ſortitur forum mandatarij in delictis: *l.Abſenti de pœnis, l.Hæres, ff.de iudic. l.Si vt proponitur, ff.de fideiuſſ.* Tum quia vnicum eſt delictum mandantis, & mandatarij: vt probat Maſtrillus *ad indultum Regis Catholici, c.29.n.14.* Ergo vnus, & idem eſſe debet Iudex. Tum etiam, quia ita practicatur in alijs caſibus ad Tribunal S.Officij ſpectantibus: vt patet in conſulente poligamiam, & in mandante Confeſſario, vt pro ſe pœnitentem ſollicitet in ſacramentali confeſſione: quia acceſſorium ſequitur ſuum principale. Et tum tandem, quia crimen mandantis principaliter conſtat ex depoſitione mandatarij. Si ergo ipſe mandans non puniretur à Tribunali S.Officij, vtique impunitus remaneret: quia hoc Tribunal nunquam ſcripturas, & probationes contra aliquem reum oſtendit alteri Tribunali. Ergo vt poſſit debita pœna puniri dicendum eſt, à dicto S.Officij Tribunali eſſe puniendum. Ità docet Carena *par.2.tit.6.§.6.n.40.& ſeq.*

Sortilegus ob ſortilegium hæreticale excommuuicatus, ſi per annum in excommunicatione inſordeſcit, eſt ne velut hæreticus cõdemnandus?

17 RESp. Affirmatiuè: ſi citatus ad reſpondendum, per annum contumax non comparuerit: ità enim ſtatuitur expreſsè *in cap.Cum contumacia, in cap.Vt Inquiſitionis officium in fin. & in cap. Excommunicamus, de hæreticis in 6.* & ibi Gloſſa. Vbi dicitur, quòd in hoc caſu adeſt hæreſis præſumptio, nedum violenta, ſed violentiſſima. Nàm ex perſiſtentia in excommunicatione per annum, violentiſſima fuit inducta ſuſpicio. Et ideò poteſt, vt hæreticus condemnari: ſicut notarunt etiam Hoſtienſis, & alij quamplures, quos citat, & ſequitur Farinacius *de hæreſi, q.192. n.14.& 17.* Qui etiam docent, quod in excommunicatione per annum permanens ex cauſa hæreſis, ipſo iure, & abſq; Iudicis ſententia præſumitur hæreticus. Requiritur tamen ſententia declaratoria, quamuis non requiratur condemnatoria.

18 Notandum verò eſt: ſortilegum ob hæreticale ſortilegium excommunicatum, & per annum inſordeſcentem, eſſe velut hæreticum puniendum. Sed non idcircò eſſe verè hæreticum: quia dictio illa *Velut*, ſignificat quandam ſimilitudinem, non identitatem, & proprietatem, vt cum nonnullis alijs obſeruat Farinacius *vbi ſup.n.19.* Carena *par.2. tit.8.§.5.nu.22.* Pegna *par.3. comment. 49.ſub litt.A.*

19 Inſuper inſordeſcens in excommunicatione per annum excuſatur; ſi ex aliqua iuſta cauſa comparere non potuit: vt docet Symanchas *de cathol. inſtitut.tit.14.rubr.de contumacibus, n.10.* vbi etiam videtur ſuſtinere, quòd qualiſcunque impedimenti cauſa excuſat à contumacia. Vndè prius citandus eſt ad allegandam ſuam innocentiam, & cauſam, quare non debeat, velut hæreticus condemnari; vt ait Menochius *de arbitrar.qq. lib.2.caſu* 416. *nu.*68. Nauarrus *conſ.7.nu.4. rubr. de hæret. lib.1.* Pegna *par.3. comment.*174. Farinacius *n.*22. Carena *n.*23.& alij. Nàm ſi inſtetit pro abſolutione, vel obtulit ſatisfactionem, & ſimilia: non erit velut hæreticus declarandus. Ità Vmbertus Locatus *in iudiciali inquiſit.verb. Catholica, c.25.n.2.* Ioannes Andreas *in cap.Cũ contumacia, verb.Pertinacia*, Farinacius *nu.*21.& alij. Annus autem perſiſtentiæ in excommunicatione currere incipit, non à die incurſus excommunicationis; ſed à die, in quo fuit declaratus excommunicatus: quia tunc incipit contumacia, & contemptus clauium: vt docet Arnaldus Albertinus *in rubr. de hæreticis in 6.q.13.nu.35.& ſeq.* Farinacius *loc.cit.n.29.*

20 Qui verò elapſo excommunicationis anno comparet, & velit excuſare ſuum crimen, & probare ſuam innocẽtiam, admittendus eſt ad iudicium: non ſo-

ſolum antequam ſit declaratus hæreticus: vt docuerunt Scaccia *de iudic.lib.* 1.*c.*28.*nu.*95.Pegna *par.*3. *comment.*49. *n.*214.*& comment.*174. *verſ. Sed dubitari*, Sanctarellus *de hæreſi c.*4. *dub.*5. *concluſ.*1.*nu.*3. & alij: ſed etiamſi compareat poſtquam fuit hæreticus declaratus, & eius ſtatua combuſta: vt ſuſtinent Pegna *dicto comment.* 49. *nu.*224. *verſ. Adueniente autem*, Sanctarellus *loc. cit.* Carena *par.*2.*tit.*8.§.5.*n.*24.

Excommunicatus non ex cauſa fidei, ſed ob aliam cauſam etiam ciuilem, & per annum in excommunicatione inſordeſcens, eſt ne, uelut hæreticus condemnandus?

21 RESP. Quod talis excommunicatus redditur ſuſpectus de hæreſi, & contra eum procedere poteſt Tribunal Sancti Officij, iuxtà decretũ Concil. Trident. *ſeſſ.*25. *c.*3.*de reform.* vt docent Royas *ſingul.*60.*n.*2.Symanchas *tit.*27.*n.*4.Sayrus *de cenſuris,lib.*2. *c.*10.*nu.*10.Barboſa *in collect.tom,*2.*lib.* 5.*tit.*7.*c.*15.*n.*12.& alij;quia contumax eſt in omni excommunicatione vniformis. Immò contumacia maior eſſe videtur in cauſa ciuili, & in illa, quæ ad fidem non pertinet: quia hæc, eſt inferior, & regulariter minùs retardare debet excommunicatum a comparendo, quàm cauſa fidei. Hæc autem ſuſpicio hæreſis eſt leuis, non ſufficiens ad condemnandum, vt hæreticum, neque ad torturam; ſed tantùm ad indicendam purgationem,& cogendum excommunicatum ad reſpondendum. Vt docent Eymericus *par.*2.*direct.q.*47.*n.*7. & ibi Pegna *comment.*72. Lelius Zecchius *in ſumm.par.*1.*tit.de fide,rubr. de hæreſi,c.* 11.*n.*13.& alij.Vndè Inquiſitores,licet poſſint aduerſus huiuſmodi excommunicatum inſordeſcentem procedere: ex conſuetudine tamen non procedunt,niſi contra excommunicatum in cauſa fidei: vt teſtantur Scaccia *tr. de iudic.c.* 98.*n.*36.Graffius *par.*1.*lib.*4.*c.*14. *n.*4. Pegna,& Zecchius *loc.cit.*Farinacius *de hæreſi,q.*192.*n.*23. Souſa *in aphoriſ. inquiſ.lib.*1.*c.*17.*n.*6.& alij.

22 Condemnatur talis excommunicatus per annum inſordeſcens,de illo crimine pro quo fuit excommunicatus: quia habetur pro conuicto,& confeſſo. Ità docent Gloſſa *in cap.Cum contumacia in verb.Hæreticus,de hæret.in* 6.Repertor.Inquiſ.*in verb.Contumacia, ver. Nota, quod ſi quis accuſatus*, Paulus Ghirlandus *tr.de hæreticis,q.*8.*n.*4. Farinacius *vbi ſup.*& alij. Et quia eſt de hæreſi leuiter ſuſpectus; ſufficit, vt de leui abiuret, & purgationem canonicã ei imponatur; quam ſi exequi noluerit velut hæreticus condemnari poterit; affirmant Farinacius *dicta q.*192. *n.*16. Salcedus *ad Diaz,c.*118.*n.*12. *verſicul. Quartò quod licet*, Sanctarellus *de hæreſi,c.*4.*n.*5. & alij. Sed hæc doctrina procedit de iure: quia ſecùs eſt ex conſuetudine: vt notat Carena *par.*2.*tit.*8. §.5.*n.*25.*in fin.* & ſupra dictum eſt.

Si quis,antequam ſit elapſus annus inſordeſcentiæ in excommunicatione, obtineat Bullam Apoſtolicam alicuius gratiæ cum clauſula: *Teque abſoluentes, &c.* interrumpitur ne dictus annus inſordeſcentiæ: ità ut non poſſit dici per annum in excommunicatione inſordeſcens?

23 RESP. Negatiuè; dicta enim abſolutio non prodeſt ad tollendam excommunicationem ab inſordeſcente, quia clauſula: *Teque abſoluentes, &c. Si quibus quomodolibet innodatus exiſtit*:non valet,niſi ad conſequendum effectum illius gratiæ tantum: ſic namque exprimitur ſemper *Ad effectũ præſentium dumtaxat conſequendum*. Actus autem non operatur vltra intentionem agentis. At Pontifex non intẽdit tollere excommunicationem ab inſordeſcente: ſed tantum ſuſpendere impedimentum proueniens ab ipſa excommunicatione; vt gratia ſuum ſortiatur effectum,& conſequi poſſit.Ergo ob talem abſolutionem non interrum-

pitur

pitur annus dictæ inſordeſcentiæ. Et ità ſentiunt Felinus *in cap. Apoſtolica, de exceptionibus in 6.* Nauarrus *in ſumma, c.27.n.22.* Bocrius *deciſ. 290. nu.3.* Puteus *deciſ.128. lib. 6.* Rebuffius *in praxi, par.3. tit.forma nouæ prouiſionis, verſ.Teque abſoluentes, num.10.* Henriquez *lib.13.c.13.* §. 3. Sayrus *de cenſuris, lib.2.cap.5.dub.2.concluſ.4.* Carena *par.2.tit.8.§.7.n.34.& ſeq.* Thomas del Bene *par.2.de offic.inquiſ.dub.211.ſect.7.n.1.& ſeq.*

CAPVT XXVIII.

De Excommunicatione contra legentes, vel retinentes, libros ſuperſtitiones continentes, & prohibitos.

Legentes, vel retinentes libros, ac ſcripturas continētes hæreſim, vel magicas ſuperſtitiones, ſunt ne ipſo facto excommunicati?

1 RESp. Affirmatiuè: ſic enim decernitur in Conſtitution. Ioannis XXII. contra Magos magicaſque ſuperſtitiones: quæ refertur ab Eymerico *par.2.direct.qu.43.* his verbis: *Præcipimus, & mandamus, quod nullus eorum libellos, ſcripturas quaſcunque, de præfatis damnatis erroribus* (ideſt magicis ſuperſtitionibus) *quidquàm continentes, habere, aut tenere, vel in ipſis ſtudere præſumat: quin potius volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ cunctis præcipimus; quod quicunque de ſcripturis præfatis, vel libellis quidquam habuerit, infra octo dierum ſpatium, ab huiuſmodi edicti noſtri notitia computandum, totū, & in toto, & in qualibet ſui parte abolere, & comburere teneatur. Alioquin volumus, quod incurrat ſententiam excommunicationis ipſo facto, proceſſuri contra contemptores huiuſmodi* (cum conſtiterit) *ad pœnas grauiores.* Hæc ibi. In Indice etiam librorum prohibitorum habetur: *Libri omnes, & ſcripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromātiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Occromantiæ, ſiuè in quibus continentur, ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes, artis magicæ, prorſus reijciantur.* Et Pius IV. in Bulla de approbatione dicti Indicis, ædita 24. Martij 1564. quæ incipit: *Dominici gregis*, ſtatuit: *Qui libros hæreticorum, vel cuiuſuis auctoris ſcripta, propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritue, ipſo iure in excommunicationis pœnam incidat.* Et idem ſtatuitur *in Bulla Cœnæ, n.1.*

Ad incurrendam dictam excommunicationem ipſo facto, quæ conditiones requiruntur?

2 RESp. Has conditiones exprimi in Bulla Cœnæ; vbi excommunicantur ſcienter legentes, aut retinētes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes libros hæreticorum, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, abſque licentia. Ex quibus verbis colligitur: quod ad incurrendam ipſo facto excommunicationem, requiritur primò, vt legentes, vel retinentes, & ceteri ſciant librum eſſe prohibitum: vndè in hanc excommunicationem non incidunt, qui ignoranter illum retinēt, ac legunt. Secundò, requiritur, vt auctor libri, aut ſcripturæ ſit hæreticus. Tertiò, vt hęreſim contineat, vel de Religione tractet. Quartò, vt quis librum legat, vel retineat abſque licentia. De omnibus his conditionibus aliquid eſt inquirendum, & circa primam.

Quænam ignorantia ab hac excommunicatione legentes, vel retinentes dictos libros, excuſat?

3 RESp. Quod ſi loquamur de foro interiori, excuſat ab hac excommunicatione, nedum ignorantia inuincibilis, inculpabilis, & probabilis; ſed etiam vincibilis, craſſa, & ſupina, & ex lata culpa. Niſi adeò craſſa ſit, vt ſit ingens

gens temeritas. Probatur primò,ex *leg. Igitur, verſ.Et generaliter, ff.de liberali cauſa,& ex l.Si quis id quod, verſ. Doli mali,ff.de iuriſdict.omn.iudic.*ac etiam ex Gloſſa *in l.Actionibus, de in litem iurando,verb.Non etiam.* Probatur ſecũdò ratione, quia Bulla Cœnæ petit *ſcienter hæc fieri*: ſed quando ſcientia petitur, quæuis ignorantia excuſat,niſi ingens ſit temeritas: quia vbi interuenit ignorantia, deficit voluntas delinquendi:vt notant Syluester *verb. Ignorantia,q.8.dict.4.*Couarruuias *4.de ret. 2.par.c.6.§.7.n.21.* Bartolus *in l. Quod Nerua,nu.20.ff.depoſiti*, Sanchez *lib. 2. in Decal. c.10. num.38.* Ergo quælibet ignorantia excuſat à dicta excommunicatione. Confirmatur, quia quando Canon poſtulat ſcienter aliquid fieri, petit manifeſtè dolum.Ignorantia autẽ, etiam craſſa,& ſupina,ſed non temeraria, excludit dolum.vt patet. Ergo qui non ſcienter,ſed cum hac ignorantia librum vetitum legit,vel retinet,excommunicationem non incurrit. Et ità docent Sanchez *loc.cit.*Duardus *in Bulla Cœnæ,lib.2.q.36.nu.3.* Bonacina *tom.1. de excommun.diſp.2.q.5.pun.4. nu.8.& 9.*Caſtro Palaus *tom.1.tr.4.diſp.3.pun. 2.n.3.*Peſantius *in 2.2.q.11.art.1. diſp. 1.concluſ.1.*Beccanus *tom.3.in 2.2. cap. 14.q.2.n.16.* Sanctarellus *de hæreſi,c.1. dub.5.n.23.*Vaſquez *in 2.2. diſp.126.c. 2.*Diana *tom.5.tr.12.reſ.36.n.9.ex par. 4.tr.7.reſ.36.n.9.*& alij.

Ignorantia affectata excuſat ne ab hac excommunicatione?

4 RESp. Quod negant Valentia *tom. 3.diſp.1.qu.11.pun.1.diffic.4.ad primum argumentum*, Zumel *in 2.2.qu. 76.ar.4.diſp.1.*quia ignorantia affectata, ſicut nõ excuſat à mortali, ità neque ab excommunicatione. Sed oppoſitum ſuſtinent ſupradicti Doctores, affirmãtes, ignorantiam etiam affectatam excuſare à dicta excommunicatione: dũmodò non ſit coniuncta cum ingenti temeritate; quod accidit,quando habetur magna ſuſpicio prauitatis libri: tũc enim cenſetur,adeſſe ſcientia. Quia eſt diſpar ratio de hæreſi, & alijs peccatis: quia de ratione hæreſis eſt pertinacia, quæ non eſt de ratione alterius peccati. Et ideò ignorantia, quæ non excuſat à cęteris peccatis,excuſat à peccato hęreſis, & ab illius excommunicatione. Nemo enim cõtra res fidei dicitur pertinax, niſi ſciat, & aduertat, ſe ſentire contra fidem. Quæ omnia, vt ſupra dictum eſt,intelligenda ſunt, quoad forũ interiorem. Nàm in foro exteriori, ſic errans, legendo, vel retinendo libros hæreſim continentes, & allegans ignorantiam, ei non creditur: quia tenebatur ſcire, quæ paſſim, & communiter eius qualitatis perſonæ ſciunt: et præſumitur erraſſe,nõ ex ignorantia,ſed ex malitia,vt aiunt Souſa *in aphoriſ.inquiſ. lib.1.c.12.n.14.* Caſtro Palaus *vbi ſup. n.5.*qui citat Menochium, Farinacium, & Decianum.

Qui alium legentem librum hæreſim, vel hæreticalia ſortilegia continentem,audit, incidit ne in dictam excommunicationem?

5 RESp.Negatiuè,etiamſi cauſa ſit,vt alius ſibi audienti legat: quia Bulla loquitur de legente, non de audiente; qui non dicitur, propriè legere; ſicut legere non dicitur, qui memoriter recitat. Ille verò, qui iuſſu,vel ſuaſione alterius legit, vtique excommunicationem incurrit. Quia licet ex mãdato alterius legat, reuera tamen ſciẽter librum ſub pœna excommunicationis vetitum, legit. Excuſaretur autem ſi ex graui metu illum legeret, & metus non eſſet ei incuſſus in contemptũ fidei, vel Eccleſiæ. Ità docent Vgolinus *de cenſuris Papæ reſeruatis 2. par. c.1. verb. Ac eorumdem libros, §.1.nu.4. verſ.8.9. & 10.* Duardus *in Bulla Cœnæ,lib.2.q.48.*Filliucius *tract.22.c.7.n. 207.*Bonacina *vbi ſup. nu.11.* Sanchez *lib.2.in Decal. c.10.nu.50.* Reginaldus *lib.9.n.251.*Fagundez *in Decalog. to.1. lib.1.c.14.n.27.*Diana *tom.9. tr.7.reſol. 107.n.3.ex par.12.tr.2.reſ.14.n.3.*

Sed

6 Sed Azorius *par.1.lib.8.c.16.qu.4.* Sayrus *tom.1. lib.3.c.5. nu.14.* Graſſius *par.1.lib.4.c.18.n.45*.opinantur dictam doctrinam veram eſſe, quando audiẽs non eſt cauſa illius lectionis. Qui enim nec legi curauit,nec conſuluit, neque ex ſua auditione alter ad legendum inducitur, excommunicationem non incurrit, quia nullatenus legere dicitur. Secus verò ille audiens,qui eſt legendi cauſa, iſte in excommunicationem incidit: quia dum talem lectionem præcipit,vel conſulit,vel ſuadet, moraliter legere dicitur; nam quamuis per ſe ipſum non legat, legit tamen per famulũ, vel alium, cuius miniſterio in ipſa lectione vtitur.

7 Sed hoc non obſtante Vgolinus *loc. cit.*Sanchez *ibid.nu.*48.Portellus *verb. Libri,n.*11.Bordonus *tom.1.c.14. n.*74. & alij ex ſupradictis Doctoribus docent,neque huiuſmodi audientem, qui legendi dictum librum eſt cauſa,excõmunicationem contrahit. Quia excommunicatio cum ſit pœna, non debet extendi de caſu ad caſum, & de legente ad audientem, cùm iſte tantum impropriè, & metaphoricè dicatur legere. Et ſicut cenſura lata,contra aliquid facientem, non compræhendit,mandãtes,& cõſulentes, niſi ſpecialiter exprimantur, quamuis hi impropriè, & per alium dicantur facere. Vt docent Caietanus *in ſumm. verb. Excommunicatio,verſ.Et perſonas*,Armilla *verb.Eodẽ n.2.* Tabiena *uerbo Excommunicatio* 5. *c.*49.*n.ult.*Nauarrus *c.*27. *n.*51. Suarez *tom.5.in 3.par.diſp.*25.*ſect.*2.*n.*14. Metina *lib.1.ſumm.c.*11. §.2. Ledeſma 2.*p. q.*26.*n.*2. Ità excommunicatio lata cõtra legentes non compræhendit audiẽtes,qui mandant, vel ſuadent, ac conſulunt, vt alter prohibitos libros legat, vt ipſi audiant, quamuis impropriè per alium legere dicantur.

Incurrit ne hanc excommunicationẽ, qui oculis tantum legit, nec verbis aliquid exprimit?

8 Reſp.Affirmatiuè: quia lectio non conſiſtit in prolatione verborum. Nàm verè,non ſolum legere,dicitur, qui lingua exprimit ea,quæ legit, ſed etiam, qui oculis tantum percurrit, nihil exprimendo. Ità docent Sanchez *lib.2.in Decal.c.*10.*n.*41.Graffius *par.1. dec.lib.* 4.*c.*18.*n.*45.Bonacina *tom.1.de excommun.diſp.*2.*q.*5.*pun.*4.*nu.*12.Farinacius *de hæreſi,q.*180.*n.*5.& alij.

Afficiuntur ne eadem excommunicatione legentes hos libros abſq; dolo,& praua intentione: ſed ex curioſitate,ut ſciant,quæ ab hæreticis, uel ſortilegis traduntur?

9 RESp.Affirmatiuè: quia Bulla Cœnæ in deteſtationem horum librorum intendit penitus prohibere eorum lectionẽ: & ideò etiam ſi quis eos legat ex ſimplici curioſitate, excõmunicatione afficitur: vt docent Vgolinus *de cenſuris,par.2.in Gloſſa Ac eorũdem libros,n.3.* Sanchez *loc.cit. nu.* 40. Farinacius *de hæreſi, diſp.*180. *num.*47. & alij.

Legens,vel retinens vetitos libros abſque licentia, ad confutandum eorũ errores, & abſque periculo peruerſionis, excuſatur ne ab excommunicatione?

10 RESp.Quod aliqui Doctores opinati ſunt,legentem,vel retinẽtem hos libros abſque periculo peruerſionis,& ad eos confutandos, non incidere in excommunicationem:tum quia iſte non eſt ſuſpectus de hęreſi;nõ enim illam fauet, ſed potius deſtruit: dum eam cõfutat:tum etiam, quia ceſſante legis fine in aliquo particulari, ceſſat in illo particulari legis obligatio. At finis legis prohibentis lectionem, ac retentionem librorum prohibitorũ, eſt,vt caueatur periculum peruerſionis. Ergo illos legens, vel retineas abſque hoc periculo, & abſque licentia, non incurrit excommunicationem: ità ſuſtinent

ſtinent Decianus *in tract. crimin.lib.* 5. *c.*35.*n.* 21.*verſ.Limita primò niſi confutandi gratia,& c.*46.*nu.*26. & 27. Maſcardus *de probat.lib.*2. *concluſ.*862. *nu.* 14.Caramuel *in Theolog. fundam. fundam.*17.*q.*2.*n.*434.

11 Sed hæc ſententia non eſt ſequenda, ſed potius affirmandum abſque licentia legentem,aut retinentem vetitos libros ſub pœna excommunicationis: in ipſam excommunicationem, & in hæreſis ſuſpicionem incidere, quocunque fine illos legat, vel retineat, etiam vt illorum errores confutet, & non adſit peruerſionis periculum.Ità docent Pegna *par.*2.*comment.*3. *verſ.Tametſi verò*, Vgolinus *de cenſuris, in Gloſſa Aut pertinentes, verſ. Quartò excommunicatio*,Toletus *lib.*1.*ſumm.c.*19.*nu.*9. Sanchez *lib.* 2.*c.*10.*n.*53.Farinacius *de hæreſi,q.*180.*n.*39.& 42. Suarez *de fide, diſp.*20.*ſect.*2.*n.*21.Duardus *in* 1.*Can. Bullæ Cœnæ,q.*33.*nu.*28. Ricciullus *de iur.perſon.lib.* 4.*c.*25.*nu.*5.Diana *tom.*5. *tr.*10.*reſ.*144.*nu.*8.& *ſeq.ex par.* 11.*tr.* 1.*miſc.* 1.*reſ.*1. Ouiedus *de fide, ſpe, & charit.controu.*12.*pun.*3.*num.*42. Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*2.*pun.*10. §.2. *n.* 9.Carena *par.*2.*tit.*10.§.5.*n.*30. & alij. Ratio eſt manifeſta : quia lex prohibet lectionem, & retentionem horum librorum,abſolutè:nec curat, qua intentione fiat, ſed ſub excommunicationis pœna præcipit omnibus:ne ſine ſpeciali Papæ facultate huiuſmodi libri retineantur,nec legantur. Et ſuperbum, ac temerarium eſt, hominem ſuo iudicio in hac re fidere,& præſumere, ab omni periculo ſe eſſe alienum, in materia ex ſe grauiſſima,& ingenti periculo expoſita.Eſt enim hæreſis peſſima, & contagioſiſſima peſtis,quæ facilliſſimè ſerpit, & maximè timenda eſt; & qui ad præſens ſe fingit ſecurus, pericula mortalia aggreditur; quæ fugire Eccleſia hac prohibitione intendit:et ideò præcipit, aliquẽ non poſſe ſub quouis prætextu dictos libros legere,vel retinere, etiam cauſa confutandi errores.

Quid agendum contra illum in cuius domo reperiuntur ſimùl libri hæreſim continentes, & eius ſcripta, quibus eorum errores confutabat?

12 RESp. Quod erit abſoluendus ab excommunicatione, & puniendus, quia ſine licentia, & propria auctoritate dictos libros retinuit,ac lexit. Abſtinendum verò erit ab omni tortura,& abiuratione; quia conſtaret illum non eſſe de hæreſi ſuſpectum. Ità Carena *par.*2.*tit.*10.*n.*29. & 30.

Linguam latinam penitus ignorans, & legens librum linguæ latinæ hæreſim,vel ſortilegia continentem,afficitur ne excommunicatione?

13 RESp.Negatiuè:quia idem eſt non intelligere,quod legitur,ac non legere, & in hoc caſu particulari ceſſat finis huius legis,& prohibitionis:dum nullum adeſt periculum peruerſionis ob talem lectionem. Ergo hic caſus non comprehenditur in ipſo Canone. Ità Sanchez *lib.*2.*in Decal.c.*10. *nu.*51.

Catholici, qui in Anglia, Germania, Polonia,Gallia, & in ſimilibus locis legunt, vel retinent libros,hæreſim, vel hæreticalia ſortilegia continentes,aut de Religione tractantes, incidunt ne in prædictam excommunicationem?

14 RESp.Negatiuè:ſi in ijs Prouincijs, & Regnis dicta Bulla Cœnæ, nec promulgata ſit, nec vſu recepta: quia lex non obligat,niſi promulgetur, & vſu recipiatur: vt docent Beccanus *tom.*2.*par.*15.*q.*2. *n.*6. Fagundez *lib.*1. *in Decal.c.*14.*n.*24.Carena *par.* 2. *titul.* 10.§.5.*n.*3.& alij omnes. Secus verò in illis Prouincijs, & locis prædictis, in quibus Bulla Cœnæ eſt vſu recepta;ibi enim legentes, vel retinentes libros hæreſes continentes; vel de Religione tractantes, incidunt in excommunicationem; etiamſi illis legerint,ad confutandos eorum errores: quia hoc non

excuſat, dum abeſt Romani Pontificis licentia, cui Bulla hoc reſeruat. Ità Sāchez *lib. 2.in Decal.c.10.n.42.* Azorius *par.1.lib.8.c.16.q.6.* Fagundez, Carena *locis citatis*, & alij.

Legens, vel retinens librum manuſcriptum, hæreſim, vel ſortilegia continentem, incurrit ne excommunicationem?

15 RESp. Affirmatiuè: quia liber manuſcriptus, adhuc liber eſt, & non minus in illo, quàm in impreſſo adeſt eadem ratio periculi; ne quis hæreſis labe inficiatur: vt docent Vgolinus *de cenſuris Papæ reſeruatis 2.par.c.1.verb. Ad eorundem libros, nu.1.verſ.4.* Sanchez *lib.2.in Decal.c.10.n.28.* Farinacius *de hæreſi, q.180. n.30.* & alij. Et in Bulla Pij IV. incip. *Dominici gregis*, ædita 24.Martij 2564.contra legentes, ac retinentes libros ob hæreſim, vel ob hæreſis ſuſpicionem prohibitos, habetur. *Si quis autem aduerſus eas regulas prohibitionemque fecerit; is quidem, qui hæreticorum libros, vel cuiuſuis auctoris ſcripta, propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritue; ipſo iure in excommunicationis pœnam incidat; eamque ob cauſam in eum, tanquam de hæreſi ſuſpectum inquiri, & procedi liceat, præter alias pœnas ſuper hoc ab Apoſtolica Sede, ſacriſque Canonibus conſtitutas.* Et Sixtus V. in Conſtitut. incipiente: *Cœli, & terræ Creator*, ędita ann.1585. decreuit: *Prohibentes omnes, & ſingulos libros, opera, & tractatus huiuſmodi iudiciariæ Aſtrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Heromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artes magicæ, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, ac ſuperſtitiones continentur, ac vt ſupra in memorato Indice interdictos ſub cenſuris, & pœnis in eo contentis à quibuſcumque Chriſti fidelibus legi, aut quomodolibet retineri; ſed illos Epiſcopis, & Ordinarijs locorum, vel Inquiſitoribus prædictis, præſentari, & conſignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate ſtatuimus, & mandamus, vt contra ſcięter legentes, aut retinentes libros, & ſcripta huiuſmodi, ſeu in quibus talia continentur: ſimiliter ijdem Inquiſitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coercere poſſint.* Ex quibus Conſtitutionibus patet etiā ſcripta, quæ hæreſim, vel ſortilegia cōtinent eſſe ſub dictis cenſuris, & pœnis, prohibita.

Legens, vel retinens dictos vetitos libros, eſt ne de hæreſi ſuſpectus leuiter an vehementer?

16 RESp. Quod talis legens, vel retinens, ſit de hæreſi ſuſpectus, patet ex illis verbis ſupradictæ Bullæ Pij IV. *Legerit habueritue ipſo iure in excōmunicationis pœnam incidat; eamque ob cauſam in eum, tanquam de hæreſi ſuſpectum inquiri, & procedi liceat.* An verò hæc ſuſpicio ſit leuis an vehemens, conſiderari oportet qualitas perſonæ, & librorum. Nàm fieri poteſt, vt abſq; vlla hæreſis ſuſpicione libri damnati penès aliquem reperiantur. Si enim illos retinens ſit penitus imperitus, qui eos, nec intelligat, nec legere ſciat; vel ſit vir probatiſſimus, à quo procul omnis malitia abeſſe putaretur, & ignorāter illos retinuiſſet: vel libri prohibiti nihil contra fidem continerent: tunc vel cenſendus non eſſet de hæreſi ſuſpectus, vel ſaltem de leui: vt docent Pegna *par.2.comment.3. verſ. An autem hæc ſuſpicio*, & alij infraſcripti. Secus verò ſi ſcienter legerit, ac retinuerit: vel ſi omnes libros prohibitos paſſim legeret: vel repræhenſus, nec facilè, nec ſtatim admonitus, obediuit, neque illos Epiſcopo, vel Inquiſitori deferre voluit: vel ſi inquirat vnde illos habere poſſit, aut curat ſibi aſportari: vel ſi non eſſe preſentandos, aut comburendos contendat: vel ſi ab illis abſolutionem deſpiciat: vel ſimilia contumacis ſui animi ſigna dederit: tunc magnam, ac vehementem hæreſis ſuſpicionem contrahit: vt docent Pegna Symanchas *de catbol.*

*cathol. inſtitut. tit.38.de libris, & ſcriptis,n.*21. Zanchinus *in tract. de hæreticis,c.7.n.*7.Albertinus *in tr. de agnoſcēdis aſſertionibus,q.*28.*n.* 1.Farinacius *de hæreſi,q.*180.*n.*33. Carena *par.* 2. *titul.* 10.*n.*23.Bordonus *tom.*1.*c.*14.*nu.*48.& alij.

Retinentes hos libros, & illos non legentes, afficiuntur ne excommunicatione?

17 RESp. Affirmatiuè, dummodò ſcientes, eſſe prohibitos ſub excommunicationis pœna, illos retineant: etiam ſi nunquam illos legant. Quia hi omnes verè retinentes ſunt; & retentio hæc non exigit libri intelligētiam: eò quod Pontificum, & Canonū prohibitio ordinatur ad eos libros penitus exterminandos. Vndè ſcienter retinentes,excommunicationem incurrunt,ſiuè eos retineant in ſua, ſiuè in aliena domo,ſiuè ſuo, ſiuè alterius nomine:quia verba Bullæ ſufficienter verificantur, tàm de retinente libros proprios,quàm alienos. Ità docent Vgolinus *de cenſuris Papæ reſeruatis* 2. *par.c.* 1.*verb.Aut retinentes,n.*3. *ver.*3. Graſſius *par.*1.*deciſ.lib.*4.*c.*18.*n.*48. Sayrus *tom.*1.*lib.*3.*c.*5.*n.*16.Sanchez *lib.* 2. *in Decal.c.*10.*nu.*52.*&* 53. Layman *lib.*2. *tr.*1.*c.*14.*nu.*7.Portellus *verb. Libri,nu.* 12. Bonacina, Filliucius, Diana,& alij communiter.

18 Similiter excommunicationem incurrunt retinentes libros, aut ſcripturas ſortilegia hæreticalia continentes, ex Bulla Ioannis XXII. relata in *direct̄or.Inquiſ.par.*2.*q.*43.*nu.*9. Ac etiam retinentes libros *Aſtrologiæ iudiciariæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, & ſimilium magicæ artis*, ex Conſtitution.Pij IV.& Clementis VIII. ac Sixti V. vt notant Farinacius *de hæreſi,q.*180.*n.*28. Martinus del Rio *lib.* 5. *diſquiſ. magic. ſect.* 17.*de libris magicis*,Azorius *par.*1. *lib.* 9.*c.*26.*q.*5.& alij.

19 Item retinentes ſupradictos libros ex curioſitate, vel ad ornatum Bibliothecæ, vel cauſa illos permutandi cum libris catholicis, vel confutandi eorum errores; immò etiam aromatarij ſcienter retinentes hos libros, vt aromata vendenda obuoluant: & Bibliopolæ, qui libros prohibitos retinet ad eos compaginandos. Hi omnes excommunicationem incurrunt; quia ſunt verè retinentes,& violatores prohibitionis. Ità docent Vgolinus *vbi ſupra, num.*3. *verſ.*6.Sanchez *lib.*2.*c.*10.*nu.*53.Bonacina *tom.*1.*diſp.*2.*de excommunic. qu.*5. *pun.*4.*n.*15.Duardus *lib.*2.*in Bull. Cœn. can.*1.*q.*51.*nu.*17. Caſtro Palaus *par.*1. *tr.*4.*diſp.*2.*pun.*10.§.2.*n.*7. & alij.

20 Non deſunt tamen Doctores aſſerētes, quod venditores, qui retinent hos libros, vt eorum chartis vtantur ad inuoluendum ea, quæ vendunt, etiamſi ſcienter eos retineant, non incurrant excommunicationem;quia finis cur eſt prohibita talis retentio eſt, vt hi libri deſtruantur. Sed aromatarij, & cæteri huiuſmodi retinent hos libros ad deſtructionem. Ergo non contrariantur, ſed potius cooperantur fini prohibitionis.Confirmatur, quia iſti non retinent hos libros,vt prohibitos, ſed vt maſſam quędam chartarū, apta, ad quid inuoluendum, non autem quatenus ſunt expreſſiui doctrinam ſcribentium. Ergò de his non verificatur,quod ſint retinētes libros prohibitos, ſed ſolum maſsā chartarum,aptam ad inuoluendum. Ità docet Thomas del Bene *tom.*1. *de officio Inquiſ.dub.*40.*petit.*6.

21 Item deferentes hos libros ex Germania,vel Gallia,vel ex alijs hæreticorum Prouincijs in terras fidelium:præter excommunicationem, bonorum etiam confiſcationem patientur,& alias pœnas Inquiſitorum arbitrio:quia fautores hæreticorum proculdubio cenſeri debent: vt affirmant Pegna *par.*2.*cōment.*17. *verſ.Idem iudicio*, Farinacius *dicta q.*180.*n.*15.Azorius *par.* 1. *lib.*8. *c.*17.*q.vlt.* Notandum verò eſt,quod ſi catholicus exiſtens in terris hæreticorum,emat aliquem ex his libris prohibitis, vt illum tranſmittat ad eum, qui licentiam habet legendi, ac retinendi talem librum, non incurrit excommunica-

nicationem,nec peccat,quia cui conceditur licentia legendi, & retinendi illũ, conceditur etiam medium neceſſarium ad illum obtinendum, argum. *l.1.§.fin. ff.de eo cui mandat.eſt iuriſd. l.Artibus, ff.de legatis 3. l.2. ff.de iuriſdict.omn.& cap.Prætereà,de offic.deleg.*

Ad incurrendam dictam excommunicationem, ſufficit ne lectio, vel retentio, vel aſportatio vnius tantum libri,vel eius partis?

22 R. Eſp. Affirmatiuè, nec aliter, quã ſi plures hos libros legiſſet, vel retinuiſſet, vel aſportaſſet, & tàm ſi liber ſit magnus, quàm ſi paruus: quia magis, & minus non differunt ſpecie. Et quamuis Bulla Cœnæ plurali numero vtatur; hoc tamen facit, habito reſpectu ad plures legentes,vel retinẽtes: quos neceſſe eſt, plures legiſſe, vel retinuiſſe libros: non autem quoad librorum numerum; vt notant Vgolinus *in tr.de cenſuris, lib.2. in Gloſſa At eorundem libros,nu.1.verſ. Quintò in excommunicationem incidunt*, Farinacius *q.180.n.29.* Nec ab excommunicatione excuſatur retinens partem huius libri: quia iſte dicitur etiam retinere librum prohibitum, quomodo dicitur legere librum, qui partem illius legit: ità Sanchez *lib.2.in Decal.c.10.nu.54.* Vgolinus *eod.verb.Ac retinentes, nu.3. verſ.6.* Pellizzarius *tom.1.tr.6.c.5.num.14.* Qui *n.19.* etiam affirmant legentem præfationem,epiſtolam ad Lectorem,& Indicem libri prohibiti non effugere excommunicationem: quia verè ſunt partes libri, & conſequenter prohibito libro, ipſe quoque partes ſunt prohibitæ, idque ſiuè illæ ſint ſimùl compaginatæ,ſiuè ſeiunctæ. Et idem dicendum de manuſcriptis; quia æquale periculũ peruerſionis in iſtis continetur. Vndè retinentes litteras, ſeu epiſtolas, aut alias cartulas hæreticalia ſortilegia cõtinentes,eadem excommunicatione afficiuntur; vt notant etiam Farinacius *n.31.* Bordonus *n.61.& 62.*

Paruitas materiæ excuſat ne legentes, vel retinentes hos libros ab excommunicatione?

23 R. Eſp. Affirmatiuè;quamuis Vgolinus in expoſit. præſentis Canonis ſuſtineat, legentem minimam partem horum librorum, pœnam excommunicationis incurrere. Nihilominus contrarium docent communiter cæteri Doctores, Sanchez *lib.2.in Decal.c.10.n.31.* Duardus *in Bulla Cœnæ, lib.2.q.46.* Sanctarellus *tract. de hæreſi, c.13.dub.vnic.n.1.* Bonacina *tom.1. de excommun.diſp.2.q.5.pun.4.nu.13.* Carena *par.2.tit.10.n.10.verſ.Contrarium eſt verius,& communius*, Diana *tom.5. tr.10.reſ.140.ex par.5.tr.5.reſ.43.* Suarez *de fide,diſp.20.ſect.2.nu.12.* Fagundez *lib.1.in Decal.c.14.nu.33.* Graſſius *lib.4.deciſ.c.18.* Bordonus *tom. 1. c. 14. n.71.* & alij, qui omnes docent paruitatem materiæ,tàm lectionis,quàm retentionis libri prohibiti excuſare ab excommunicationis pœna. Quia cùm in alijs rebus paruitas materiæ à mortali excuſat,non eſt cur in hac quoque non excuſet: & conſequenter excuſat etiam ab excommunicatione.

24 Quænam autem dicenda ſit hæc paruitas materiæ, non omnes conueniunt. Reginaldus, & Graffius relati à Bonacina *tom.1. de excommunic. diſp.2.qu.5. pun.4.n.13.* ſuſtinent legentem tres, vel quatuor lineas excuſari à dicta pœna; Sayrus *lib.3.de excommun.c.1.n.12.* legentem decem lineas.Sed Sanchez *lib.2.in Decal.c.10.n.31.* Duardus *in Bull. Cœnæ,lib.2.q.46.n.4.* Portellus *verb.Libri,n.7.* Bordonus *loc.cit.*& alij,quos ipſi citant,docent, excuſari legentem vnã paginam,etiã maioris voluminis:quia ob tam modicam lectionem non eſt inferenda,tàm grauis culpa,nec tàm grauis pœna,qualis eſt excommunicatio. Verum Carena *par.2.tit.10.§.1.nu.10.* optimè notat. In hac paruitate materiæ dijudicanda, ſemper antè oculos haberi debet periculum,cui legens ſe expoſuit. Nàm ſi periculum ſit notabile, ſine dubio incurritur excommunicatio,

catio, etiam in lectione paucarum linearum.

25 Similiter excuſantur ratione paruitatis materiæ retinentes dictos libros, ad breue tempus: quia ſicut in alijs rebus, prohibitis retineri, excuſat parua temporis mora; ità etiam in retinentibus dictis libris. Vndè Sanchez *loc.cit. n.*55. exiſtimat, quod excuſatur ab excommunicatione, retinens librum prohibitum per vnam, vel alteram diem; etiamſi habeat commodam occaſionẽ, illum præſentandi Inquiſitoribus: quia vna, vel altera dies eſt modica dilatio: & ideò non cenſetur ſufficiens, ad cõtrahendam tàm grauem pœnam. Sicuti accidit in reſtitutione rei alienæ, quę iure naturali obligat: & ità etiam docent Duardus *in Bulla Cœnæ, lib.*2.*can.* 1.*qu.*52. Reginaldus *in praxi, tom.*1.*lib.* 9.*c.*14.*nu.*256. Caſtro Palaus *par.*2.*tr.* 4.*diſp.*2.*pun.* 10.§.2.*n.*11. Gordonus *in ſumma, tom.*2.*lib.*2.*q.*13.*c.*8.§.3. *nu.*81. Diana *tom.*5.*tr.*10.*reſ.*140.*n.*2. *ex par.* 5.*tr.*5.*reſ.*43. Si verò aliquis habeat intentionem tradendi Inquiſitori librum, ſed non habeat commoditatem præſẽtaneam, non incurrit dictam cenſuram: quia non dicitur verè retinere contra Eccleſiæ prohibitionem, qui opportunum tradendi tempus, expectat. Sicut nec dicitur rem alienam inuito Domino retinere, expectans reſtituendi commodè occaſionem. Ità ſupradicti Doctores.

Damnato libri auctore tanquam hæretico, cenſetur ne damnatus eius liber, itaut in excommunicationem incidat illum legens, vel retinens?

26 REſp. Affirmatiuè. Tum quia plus nocent libri hæreticorũ, quàm auctores ipſi: cùm multo facilius ad plures eorum libri perueniant, quã ab eis illorum doctrina voce audiatur. Tum etiam, quia manifeſtum eſt, arbore damnata ob peſtilentes fructus, ipſi etiã fructus interdicti intelliguntur, ne illorum veneno alij inficiantur. Quod ſeruandum eſt, etiamſi in hæretici damnatione de eius libris nominatim nihil caueatur, & multa vtilia contineant: quia periculum eſt, non leue, ne inter vtilia hæreſes latitent. Sicut ait D. Gregorius *lib.*5.*moral. c.*10. *Habent quippè hoc hæretici proprium, vt malis bona permiſceant, quatenus facilè ſenſui audientes, illudant.* Et ideò indiſtinctè hæreticorum libri ſunt damnati, & prohibiti ſub excommunicationis pœna in Conſtitut. Iulij III. incip. *Cum meditatio cordis*, & Pij IV. incip. *Dominici gregis*, & in Bulla Cœnæ. Et ità notant Doctores *in c. Damnamus, de ſumma Trinit. & in cap. Fraternitatis, de hæreticis*, & Pegna cum alijs *in par.*2.*direct. comment.* 3. *verſ. Primum damnato, & ſequ.*

Si auctor libri, hæreſim continentis, nõ ſit damnatus, illum legens, vel retinens, incurrit ne excommunicationem?

27 REſp. Affirmatiuè: quia in Bulla non ſolum fit mentio de libris hæreticorum, qui damnati ſunt, tanquã hęretici, ſed de alijs, quibuſcunque hæreſim continentibus, vel de Religione tractantibus. Nec condemnatio conſtituit hominem hæreticum; ſed talem illum declarat eius doctrina: et ideò antè condemnationem erat verè hæreticus. Et idcircò vt in excommunicationem legens, vel retinens incidat, ſufficit, vt liber hæreſim contineat: etiamſi auctor non ſit, vt hæreticus, damnatus. Ità Sanchez *lib.*2.*in Decal.c.*10. *nu.*24. Carena *par.*2.*tit.*10. *n.*4. Bordonus *to.* 1.*c.*14.*n.*59.

Legens, vel retinens librum catholici, in quo ſint ad verbum inſerti errores alicuius hæretici, afficitur ne dicta excommunicatione, ſi illum legat, ad agnoſcendos illos errores?

28 REſp. Negatiuè: quia hic liber nõ eſt hæretici, ſed catholici. Et quamuis aliquis illum legat, eo tantùm animo,

animo, vt ſciat hæreticorum falſa dogmata, & argumenta, non contrahit tamen excommunicationem: quia hæc pœna non propter ſolum affectum, & ſtudium illa ſciendi, contrahitur, ſed ob factum legendi, vel retinendi libros hæreticorum. At ſupradictus liber talis minimè cenſetur. Ergo, &c. Ità docent Azorius *par.* 1. *lib.* 8. *c.* 16. *q.* 2. Nauarrus *c.* 27. *nu.* 56. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *par. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 10. Vgolinus *de caſibus Papæ reſeruatis* 2. *par. c.* 1. *verb. Ac eorundem libros*, §. 1. *n.* 1. *verſ.* 3. Sayrus *tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 5. *n.* 13. Et idem dicendum ſi in libro auctoris catholici ſint aliquæ hæreſes, quas ipſe ob ignorantiam dixit: quia adhuc non eſt liber hæretici: vt aiunt Vgolinus *loc. cit.* & Graffius 1. *p. deciſ. lib.* 4. *c.* 18. *n.* 40. *&* 43. Sanchez *vbi ſup. nu.* 24. Et ſimiliter, neque incurrit excommunicationem, tenẽs, vel imprimens libros Catholici, in quibus ſunt annotationes, & ſcholia hæreticorum, etiãſi illa legat: quia hic liber verè non eſt hæretici, ſed catholici, vt aiunt Nauarrus, Graffius, Suarez, Sanchez *locis citatis*.

Legens, vel retinens, aut imprimens, ac etiam defendens librum hæretici, nec hæreſim continentem, nec de Religione tractantem, incurrit ne excommunicationem?

29 RESP. Negatiuè: quia vna ex conditionibus requiſitis, ad incurrendam excommunicationem in Bulla Cœnæ eſt: vt liber, vel hæreſim contineat, vel de Religione tractet. Dum ergo liber neutrum continet, neque illum legens, retinens, imprimens, ac defendens excommunicationem contrahit. Ità Vgolinus *vbi ſupra, c.* 1. *verb. Vel de Religione*, Sanchez *ibid. n.* 33. Farinacius *de hæreſi, qu.* 180. *nu.* 22. Filliucius *tom.* 2. *tr.* 22. *c.* 7. *nu.* 204. Souſa *in expoſit. Bullæ Cœnæ, diſp.* 3. *c.* 2. *concluſ.* 2. Carena *par.* 2. *tit.* 10. §. 1. *nu.* 7. Duardus *in c.* 1. *dictæ Bullæ, q.* 39. *&* 40. Suarez *to.* 5. *in* 3. *par. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 10.

30 Si verò vnam tantum hæreſim liber contineat, totus eſt prohibitus: nec illo etiam deleto errore, licebit librum legere, vel retinere: quia abſolutè prohibitus eſt. Bulla enim dicit: *Libros hæreſim continentes*: quod verificatur ſi vnam ſolum hæreſim contineat. Nàm ſicut qui in vno deliquit factus eſt omnium reus: ità liber ob vnam hæreſim factus eſt totus prohibitus. Ideò ſi quis legat illius partem non continentem hæreſim excommunicationem incurrit; quia legit librum hæretici hæreſim cõtinentem, quod ſolum Bulla petit. Ita docent Vgolinus, Suarez, Sanchez, *locis citatis*, & alij.

31 Libri autem de Religione tractantes, dicuntur omnes illi, qui ad fidei expoſitionem pertinẽt, qui diuinam Scripturam, vel aliquam eius partem exponunt, & qui tractant de Theologia Scolaſtica, vel Morali, vel de lege Canonica, vel de ſtatu Eccleſiæ, vel de vitis Sanctorum, & de his ſimilibus. Omnes iſtos libros, ab hæreticis compoſitos, legentes, vel retinentes, vel imprimentes, aut defendentes excommunicationem contrahunt; etiamſi ipſi libri hæreſim non contineant: quia ſunt de Religione tractantes; et Bulla alternatiuè excommunicat legentes, &c. libros hæreticorum hæreſim continentes, vel de Religione tractantes; vt notant dicti Doctores, & Farinacius *n.* 32.

32 Libri verò de humanis litteris, de Philoſophia, de Medicina, de Lege Ciuili, de prophanis hiſtorijs, & ſimiles, niſi in eis aliqua hæreſis inſeratur, non ſunt prohibiti, licet eorũ auctores ſint hæretici. Quia dum nec hæreſim continent, nec de Religione tractant, non comprehẽduntur in prohibitione Bullæ. Ità etiam dicti Doctores Suarez *loc. cit.* Sanchez *n.* 21. Vgolinus *ibid.* Farinacius *n.* 22. & alij communiter.

Qui legit, retinet, imprimit, aut defendit libros infidelium, errores contra fidem continentes, incidit ne in dictam excommunicationem?

Reſp.

33 Reſp. Negatiuè, quia Bulla loquitur de libris hæreticorum; Infideles autem non ſunt hæretici Eccleſiæ ſubiecti, in quorum deteſtationē, & punitionem hæc prohibitio habetur; quod verum eſt etiamſi fuerint cathecumeni, & à fide receſſerint. Ità docent Vgolinus *de caſibus Papæ reſeruatis 2. par. c. 1. verb. Ac eorundem libros*, §. 1. *n.* 3. Sanchez *lib. 2. in Decal. nu.* 22. Suarez *de fide, diſp.* 20. *ſect.* 2. *nu.* 11. Farinacius *q.* 180. *nu.* 10. Caſtro Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 2. *pun.* 10. §. 1. *n.* 1. Carena *par.* 2. *tit.* 10. §. 1. *n.* 3. Similiter excommunicationem non incurrit legens libros Græcorum, Armenorum, & alios ſimiles continentes eorum ritus. Quia hi ritus nō ſunt ab Eccleſia, tanquam hæretici habiti. Ità Azorius *par.* 1. *lib.* 8. *c.* 16. *qu.* 8. Sanchez *n:* 27. Sed contrarium docent Souſa *in aphoriſ. inquiſ. lib.* 1. *c.* 21. *n.* 20. Carena *loc. cit. nu.* 5. *in fine*, quia hodiè Græci, & Armeni, vt plurimum ſunt hæretici; negant enim proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, & Purgatorium. Et idem dicendum de Sciſmaticis, qui etiam habentur, vt hæretici, cùm verè baptizati ſint. Ità Suarez *vbi ſup.* Sāctarellus *de hæreſi, c.* 13. *nu.* 17. Carena *num.* 4.

Libri, qui non ſunt prohibiti ob hæreſim, aut ob Religionis tractatum, ſed ob aliam cauſam; quia e.g. continent turpia, & ſunt contra bonos mores; ſub qua pœna prohibētur?

34 Reſp. Sub pœna peccati mortalis, & alijs pœnis arbitrio Epiſcoporum, non autem ſub dicta pœna excommunicationis. Ità expreſsè colligitur ex Indice librorum prohibitorum, & ex Bulla Pij IV. incip. *Dominici gregis*, ædita 24. Martij 1564. vbi habetur: *Qui hæreticorum libros, vel cuiuſuis auctoris ſcripta, propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, & probibita legerit, habueritue, ipſo iure in excommunicationis pœnam incidat. Qui autem libros alia de cauſa prohibitos legerit, habueritue, præter peccati mortalis reatum Epiſcoporum arbituio ſeuerè ſe nouerit puniendum.*

Legens, vel retinens libros, ob obſcenitates prohibitos, poſſunt ne ab Inquiſitoribus puniri?

35 Reſp. Affirmatiuè. Nàm quāuis in dicta Bulla Pij IV. dicitur: *Epiſcoporum arbitrio ſeuerè ſe nouerit puniendum*. Tamen Suprema Sanctæ Inquiſitionis Cōgregatio decreuit ſub die 6. Februarij 1627. vt teſtatur Carena *par.* 2. *tit.* 10. §. 2. *nu.* 19. Inquiſitores eſſe Iudices, etiam contra retinentes libros prohibitos ob res laſciuas, & contra bonos mores. Et ità etiam docent Souſa *in aphoriſ. inquiſ. lib.* 1. *c.* 21. *n.* 36. & 45. Turrianus *in ſelect. diſput. par.* 1. *in cenſura propoſitionum, cent.* 4. *dub.* 17. & alij.

Habens libros prohibitos, effugiet ne excommunicationem, ſi illos tradat alicui, facultatem habenti eos retinendi, vſque dum legendi licentiam obtineat?

36 Reſp. Quod ſicut ſuprà dictum eſt, retinens, ſiuè retineat apud ſe, ſiuè apud alios, libros vetitos, ſemper eſt illorum librorum verè retentor, & conſequenter in caſu prædicto, qui tradit talem librum, facultatem habēti retinendi, ad illum cuſtodiendum, donec ipſe licentiam legendi obtineat, non excuſatur ab excommunicatione. Ità communiter Doctores Vgolinus *de cenſuris Papæ reſeru. par.* 2. *verb. Aut retinentes, n.* 3. Duardus *in Bulla Cœn. lib.* 2. *canon.* 1. *q.* 51. *n.* 8. & *ſeq.* Graffius *par.* 1. *deciſ. lib.* 4. *c.* 18. *n.* 48. Sayrus *lib.* 3. *de cenſur. c.* 5. *n.* 16. Fagundez *in* 1. *præcept. Decal. lib.* 1. *c.* 14. *nu.* 31. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. c.* 10. *n.* 52. Souſa *in Bulla Cœnæ, diſp.* 14. *n.* 2. Bonacina *diſp.* 1. *de cenſuris in partic. q.* 2. *pun.* 4. *n.* 15.

37 Alij verò docent, probabile eſſe, retinentem apud alios huiuſmodi libros,

non

non incurrere excommunicationem. Quia aliud eſt retinere realiter,& aliud ciuiliter poſſidere. Nàm retinere importat factum; poſſidere ciuiliter,refertur ad ius,non ad factum: *l.Poſſeſſio*, §. 1. *ff.de acquir. poſſeſſ. & l.Stipulatio*, §. *Hæc quoque*,*ff.de verb.oblig.* Bulla autẽ cùm loquatur de retinentibus, videtur loqui de retinentibus corporaliter, & de facto. Ergo eius prohibitio non debet, extendi, ad retinentes vltra factũ, ſeu vltra corporalem poſſeſſionem; & conſequenter non comprehendit poſſidentem ciuiliter apud alios. Ità ſuſtinent Naldus *in ſumma*, *verb.Liber*,*n*.5. Thomas del Bene *tom*.1.*de offic. inquiſ. dub*.40.*petit*.5.*n*.6.Secundum ergo hãc doctrinam,ſi retinens aliquem ex his libris,illum tradit cuſtodiendum,habenti licẽtiam eum retinendi; ſi prius apud ſe non retinuerit per notabile tempus, non incurrit excommunicationem. Ità dictus Thomas del Bene. Excuſatur etiam à dicta excommunicatione ſeruus, qui retinet librum vetitum iuſſu Domini, habentis licentiam illum legendi, vt affirmant Doctores, quos citat,& ſequitur Ouiedus 2.2.*controuerſ*. 12. *n*.22. Et ſimiliter eſt dicendum de ligatore,qui retinet librum, vt illum liget Domino, habenti licentiam legendi. Quia talis retentio conſideratur in ordine ad illum cuius eſt liber. Et cui conceditur hæc licentia, legendi, & retinendi librum,conceduntur etiam media neceſſaria ad illum legendum; arg. *l*.1.§.*finali*, *ff.de eo, cui mandata eſt iuriſdictio*.

Excuſatur ne ab excommunicatione, qui cùm primum agnoſcit, librum eſſe prohibitum, illum non tradit Ordinario,nec Inquiſitori,ſed comburit?

38 RESp. Quod excuſatur ab excommunicatione Bullæ Cœnæ; quia ibi non præcipitur, vt liber deferatur ad Ordinarium,vel ad loci Inquiſitorẽ, & ne comburatur, ſed ne legatur, nec retineatur; vt notant Suarez *de fide*, *diſp*.20.*ſect*.2.*nu*.23. Sanchez *lib*.2.*in Decal*.*c*.10. *nu*.56. Portellus *uerb.Libri prohibiti*,*nu*.13.Farinacius *de hæreſi*,*qu*. 180.*n*.41.Thomas del Bene *par*.1.*dub*. 40.*petit*.3. & alij.

39 Sed non excuſatur ab excommunicatione lata in Bulla Iulij III. quæ incipit: *Cum meditatio*, ædita anno 1550. & relata à Pegna *in vlt.par. direct.* vbi habetur: *Omnes,& ſingulos libros, &c.à nobis, & dicta Sede quomodolibet reprobatos penès ſe eos ex quauis cauſa, etiam mercaturæ,&c.exiſtentes: Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis in Ciuitatibus,in quibus libri huiuſmodi exiſtunt,conſignare debeant realiter,& cum effectu*. Et contra inobedientes imponit pœnam excommunicationis,& alias aduerſus hereticos latas. Et ità docent ſupradicti Doctores *locis citatis*, & Pegna *par*.2. *comment*.3.*verſ.Præterea*,Azorius *par*. 1.*lib*.8.*c*.16. *q*.11. Vgolinus *in primam clauſulam Bullæ Cœnæ*, *verb.Retinentes*, *n*.4. Martinus del Rio *lib*.5.*diſquiſ.magic.ſect*.17. Barboſa *de poteſt. Epiſcop.p*. 3.*alleg*.90.*nu*.5.Duardus *in Bull.Cœnæ*, *lib*.2.*can*.1.*q*.51.& alij.

40 Idem etiam confirmauit Pius IV. in Bulla,ædita ann.1564. quæ incipit: *Locum pro munere*. Idemque prohibetur *in regul. Indicis librorum prohibitorum*, auctoritate Tridentini, æditi, & à Pio IV.confirmati,& iuſſu Clementis VIII. renouati. Finis autem huius mandati eſt, vt auctor libri agnoſcatur, & errores, qui in eo ſunt melius emendentur; & Inquiſitores, cũ ad eos liber deferatur,interrogare poſſint deferentem,vnde habuerit, à quo acceperit,& ſimilia; vt tradunt Pegna *loc. cit.* Bonacina *to*. 1.*de cenſuris*, *diſp*.2.*q*.5.*pun*.4.*in fine*, Sanchez, Azorius, Martinus del Rio, Farinacius,Barboſa *vbi ſup.* Suarez *de fide*,*diſp*.20.*ſect*.2.*n*.23.& alij. Notant etiam dicti Doctores hanc excommunicationem non eſſe reſeruatam.

41 Sed his non obſtantibus Sanchez *dicto c*.10.*n*.56. Exiſtimat comburentẽ propria auctoritate non incurrere hanc cenſuram; quia verè librum non retinet.

net. Filliucius *tom.2.tr.22.c.7. nu.208.* ſimiliter ait. Ad Inquiſitorem deferendos eſſe ex Bulla Iulij III. Quamuis ſi quis propria auctoritate combureret, vel donaret habenti facultatem eos retinendi, non incurreret excommunicationem. Fagundez *in Decal. lib.1. c.14. n.3.* ait: video tamen multos Doctores dicentes abſolutè,libros, vel Inquiſitoribus,vel igni tradendos, vt habet Repertorium Inquiſ. *verb.Libri.*Idem habẽt Zanchinus *de hæreticis,c.7.*Campegius *in Scolio Repertorij loc. cit.* Ioannes Andreas *in c.2.de hæreticis,*& Geminianus, Albertinus *tract.de agnoſc. qu.28. n.14.* Decianus *tr.crimin.lib.5. c.18.nu. 25.& c.35.n.21.& c.54.num.28.*& alij, quos ipſe Fagundez citat. Et idem ſatis probabile cenſent Diana *tom. 5. tr. 10.reſ.139.ex par.1.tr.11.reſ.37.* Thomas del Bene *to. 1. de officio inquiſ. dub. 40.petit.9.n.5.* Quia cenſuræ propoſitæ in Bulla Iulij III.ſunt contra habentem huiuſmodi libros,niſi infra 60. dies Inquiſitoribus eos conſignando,dimittat. Vnde cenſuræ non afficiunt actionem comburendi,ſed librorum retẽtionem. Ideò ſi comburantur, cenſuræ non habent locum. Vndè cum dictis Doctoribus dicendum videtur. Tutius eſſe, libros de hæreſi ſuſpectos deferendos eſſe Inquiſitoribus:ſed qui eos combureret, non incurreret pœnam excommunicationis.

Habens librum prohibitum,poteſt ne, tuta conſcientia,aliquas paginas ab eo auferre, antequam ad Inquiſitorem illum deferat, ne ipſi liber ille vſui eſſe poſſit?

42 Reſp. Negatiuè: quia finis, ob quem præcipitur talis librorũ delatio eſt,vt Inquiſitor examinet,quæcunque in eis ſcripta, reperiuntur,contra fidem,& bonos mores. Hoc autem fieri non poſſet, ſi aliquæ paginæ ab eis auferrentur. Ergo tuta conſcientia auferri non poſſunt. Confirmatur,quia, quod eſt diſpoſitum de toto,diſpoſitum cenſetur de partibus. Ergo dum totus liber eſt Inquiſitori deferendus,nulla, eius pars auferri poteſt. Ità docet Pellizzarius *tom.1.tr.6.c.5.n.30.*

Qui antequam liber prohibeatur illũ compendiauit;poſt eius prohibitionem, poteſt ne compendium illud, manuſcriptum legere, vel retinere?

43 Reſp. Negatiuè: quia periculum, infectionis,ob quod liber prohibitus eſt,locum habet, tàm in lectione libri,quàm in illius compendio, eãdem doctrinam, continente; ergo in, eandem excommunicationem incidit legens libri compendium, ac legens ipſum librum. Confirmatur, quia legẽs Indicem libri prohibiti, incidit in excommunicationem, ac ſi legeret librũ; quia Index libri complectitur ſummam eorum, quæ continentur in ipſo libro. Sed in hoc omninò conueniunt, Index libri, & libri compendium. Ergo ſub eadem excommunicatione vtrumque, prohibetur. Nec excuſat,compendium eſſe manuſcriptum. Quia liber manuſcriptus verè liber eſt, idem periculum infectionis continens. Ità colligitur ex Vgolino *de cenſuris Papæ reſeruatis, p. 2.c.1.verb.Ad eorundem libros, num.1. verſ.4.*Sanchez *lib.2.in Decal. c.10.nu. 28.29.& 30.* Pellizzario *tom.1. tr.6.c. 5.n.31.*

Dum Imprimentes libros hereſim cõtinentes, vel de Religione tractantes,innodantur excommunicatione Bullæ Cœnæ. Quinam ergo intelliguntur nomine Imprimentium?

44 Reſp. intelligi omnes, qui ad huiuſmodi libros imprimendos concurrunt. Nempè qui librum imprimi mandat, Dominus Typographiæ, ſeu officinæ patronus,cuius auctoritate dictos libros Typis mandantur; qui typos ordinant,& componunt;qui ſic cõpoſitos attingunt atramento, qui torcularia præmunt, chartas madefaciunt, aut

aut madefactas torculari ſupponunt: quia hi omnes ad impreſſionem cõcurrunt, & verè dicuntur imprimentes.Ità docent Vgolinus *vbi ſup. verb. Imprimentes,n.*1.*&* 2.§.1.*n.*1. Sanchez *n.*57. Sayrus *tom.* 1.*lib.*3. *c.*5. *nu.*17. Graffius *lib.*4.*deciſ.par.*1.*c.*18.*n.*50.Sanctarellus *de hæreſi,c.*13.*dub.vnic.n.*18.

45 An verò comprehendantur facientes impreſſionis expenſas: affirmat Sayrus,quia ad impreſſionem cooperantur. Negant Suarez *de fide, diſp.* 20.*ſect.*2. *n.*24.& Sanchez *loc.cit.*quia hi non dicuntur imprimere, nec proximè ad impreſſionem in officina concurrunt. Et Bulla ſolum loquitur de imprimentibus, non de cooperantibus, ad imprimendum: & pœnæ ſunt intra vocabuli ſignificationem continendæ, & non vltra extendendæ. Correctores incurrũt excommunicationem, non quia corrigunt, quia vt tales non ſunt impreſſores; ſunt enim eius rei,quæ impreſſa eſt inſpectores,vt aiunt Suarez, & Sãchez; ſed quia dum corrigunt, notabilem libri partem legunt, & toties hanc excommunicationem incurrunt, quoties partem dicti libri legunt.

46 His impreſſoribus vendentes characteres æneos, & papyrum, atramentum, & reliqua ad impreſſionem neceſſaria, hac excommunicatione non innodantur: quia nec imprimere dicuntur, nec ad impreſſionem dicti libri, tãquam ſocij, proximè concurrunt: ſed poſſunt illa innodari, ſi miniſteria illa exhibeant,vt hæreſi faueant: quia tunc in illam incidunt,non tanquam impreſſores, ſed tanquam hæreſim fautores. Ità Vgolinus,Sanchez *ibid.*& alij.

Innodantur etiam excommunicatione defendentes hos libros ex Bulla Cœnę. Quinam ergo ſub hoc nomine comprehenduntur?

47 RESp. Comprehendi ſcienter defendentes,ſiuè publicè, ſiuè occultè huiuſmodi libros, quauis cauſa, & quouis colore, ſiuè verbis illos defendant, aſſerentes eos eſſe bonos, & Reipublicæ vtiles, & non eſſe comburendos, neque Inquiſitoribus tradendos: ſiuè ſcriptis componendo apologias in defenſionem illorum; quamuis occultè, & in domo ſua id ſolum faciant, nec ſcripturã vnquam in publicum prodeãt,ſed eam apud ſe retineãt. Quia Bulla Cœnæ publicè,vel occultè defendentes excommunicat; vt notant ſupradicti Doctores. Comprehenduntur etiam, qui diſputationis gratia ſolũ hos libros defenderent: quia Bulla ait: *Quouis quæſito colore,& ingenio.*Ità docent Viualdus *in Candelabro Sacram.* 2.*par. in Bulla Cęnæ excomm.* 1. *nu.* 11. Vgolinus,& Sanchez *n.*58. Trullẽchus *lib.* 1.*in Decal.c.*3.*dub.*9. *n.*28. Leander *de cenſur.tr.*3.*diſp.*1.*qu.*92. & alij communiter. Secus autem ſi defenſio diſputationis non tendat, ad confirmandum errores, ſed ad inquirendam catholicam veritatem,& ad oſtendendam falſitatem hæreſis, & infirmitatem argumentorum,quibus mouentur hæretici,ad eorum errores tuendos: quia hæc diſputatio non eſt hæreſis, vel hæretici defenſio,quæ prohibetur.

Circa licentias legendi libros prohibitos, quidnam ſtatuerunt Gregorius XV.& Vrbanus VIII?

48 RESp. Quod idem,quod ſtatuerat Gregorius XV. in ſua Conſtitut.ædita anno 1623. quæ incipit: *Apoſtolatus officium*: ſtatuit etiam Vrbanus VIII.in ſua Conſtit.ædita 2.Aprilis an. 1631. ſimiliter incipiente: *Apoſtolatus officium*, his verbis: *Motu proprio,& ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtri, de qua Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulas licentias legendi, & habendi libros quoſcunque ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, ſeu per Conſtitutiones Apoſtolicas, etiam ratione Aſtrologiæ iudiciariæ, vel alias quomodolibet prohibitos, quibuſcunque perſonis Laicis, & Eccleſiaſticis, tàm ſecularibus,quàm regularibus cuiuſcunque Ordinis, Societatis, & Inſtituti exiſtentibus,ac quacunque dignitate, etiam Ecele-*

cleſiaſtica fulgentibus, cuiuſcunque ſtatus, gradus, cõditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam ſpeciali nota, & mentione dignis, ac per litteras Apoſtolicas ad tempus, ſeu ad vitam, & aliter quomodocunque à prædeceſſoribus Romanis Pontificibus, ſeu à quibuſcunque alijs ab ipſo, vel ab eis facultatem, & auctoritatẽ habentibus: non tamen à nobiſmetipſis per litteras Apoſtolicas, etiam in forma Breuis, ſeu Chyrographum, manu noſtra ſignatum, conceſſas; earum tenores præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes; hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, reuocamus, caſſamus, & annullamus, ac pro reuocatis, caſſis, & annullatis haberi, nullique ſuffragari. Quinimmò libros, per licentias huiuſmodi permiſſos, legentes, aut habentes, pœnas in Sacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Indice librorum prohibitorum continentes, incurrere, volumus, & declaramus. (& poſt alia ſubdit) *Neque de cætero ſimiles licentiæ, niſi à Congregatione S. Officij, dum ſingulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab alijs, per Nos etiã in eadem Congregatione ſpecialiter deputandis, concedantur.*

49 Ex quibus verbis patet, eſſe reuocatas omnes licentias, legendi libros prohibitos, à quibuſcunque, & quomodocunque conceſſas, præter licentias ab ipſo Vrbano VIII. per Breue, vel per Chirographum, propria manu ſignatũ, conceſſas. Ratio autem quare huiuſmodi licentias reuocauit, fuit ab ipſo Summo Põtifice ibidem expreſſa: quia nimis exceſſiua erat dictos libros hæreticorum legendi copia; quod erat magnum inconueniens.

Generales Regularium poſſunt ne ſuis ſubditis legendi libros huiuſmodi prohibitos licentiam concedere?

50 RESp. Quod quamuis olim propter conceſſionem factam à Sixto IV. & à Pio IV. & Gregorio XIII. vt referunt Rodriquez *tom. 2. q. 82. art. 3.* & Peregrinus *in compend. priuil. titul. Libri prohibiti*, poterant Prælati Religioſorum, ſuis ſubditis, licentiam legẽdi libros prohibitos, concedere. Hodiè tamen minimè poſſunt. Quia quoad libros hæreticorum, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, huiuſmodi facultates, & priuilegia reuocantur per Bullam Cœnæ Domini, quæ ſingulis annis legi ſolet. Quoad alios vero libros prohibitos, videntur reuocatæ dictæ facultates, ex dictis Bullis Gregorij XV. & Vrbani VIII. Vbi reuocantur omnes licentię legendi, & retinendi libros prohibitos, quomodolibet conceſſæ, quibuſcunque perſonis, tàm ſecularibus, quàm Eccleſiaſticis cuiuſcunque gradus, ſtatus, cõditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam ſpeciali nota, & mentione dignis. Ità docent etiam Lezana *tom. 1. c. 18. n. 96. & tom. 2. verb. Libri, nu. 30.* Portellus *in dub. regular. verb. Librorum prohibitio, n. 1. 2. & 3.* Diana *tom. 7. tr. 1. reſ. 226. n. 2. ex par. 5. tr. 13. miſcell. 1. reſ. 49. & to. 5. tr. 10. reſ. 138. n. 2. ex par. 4. tr. 8. reſol. 99. n. 2.* Bordonus *to. 1. c. 14. nu. 34.* Thomas del Bene *tom. 1. de offic. inquiſ. dub. 46. petit. 23. n. 15.*

51 Peyrinus verò *tom. 2. in Conſtitut. 9. Pauli V. n. 10.* opinatur, quod priuilegiũ Regularibus conceſſum (poſſe Generales, ac Prouinciales, ſuis ſubditis licentias ſupradictas concedere) non fuit per dictam Bullam reuocatum. Quia loquitur de licentijs particularibus cõceſſis, ad legendos libros hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, ſeu alias quomodocunque prohibitos: non autem de priuilegijs Regularibus conceſſis, neque his derogat. Et in omni caſu, ſuſpenſos, donec corrigantur, non prohibet legi ab his, qui alias habent per priuilegia facultatem. Hæc Peyrinus. Cuius doctrina probabilem ſpeculatiuè exiſtimant Lezana *tom. 1. c. 18. n. 96. in fine*, & Pellizzarius *tom. 1. tr. 6. c. 5. num. 37.* ſed probabiliorem, ac ſecuriorem eſſe dicunt ſententiam affirmantem in dicta Bulla, nedum licentias, ſed priuilegia reuocata fuiſſe, & ità in praxi eſſe conſulendum.

52 Sed probatur, non obſtare, quòd in Bul-

Bulla nulla fiat mentio de priuilegijs. Quia ſub nomine licentiæ venit etiam priuilegium. Licentia enim nihil aliud eſt, quàm facultas faciendi aliquid, quod prius non licebat. Et ſimiliter priuilegium nil aliud eſt, quàm poſſe per ipſum agere, quod anteà non erat conceſſum: argum. *cap. In ijs 30. de priuilegijs*. Et ideò ibi priuilegium celebrandi cum altari portatili, vocatur licentia. Ergo in reuocatione, & prohibitione omnium licentiarum includitur etiam omne priuilegium. Confirmatur, quia in ſupradicta Bulla, fuerunt reuocata priuilegia, Epiſcopis, & Inquiſitoribus, concedendi huiuſmodi licentias: ergo multò magis omnibus Regularibus. Hoc enim colligitur ex illis verbis: *Omnes, & ſingulas licentias, quibuſcunq; perſonis cuiuſcunque gradus, & conditionis exiſtentibus, etiam per litteras Apoſtolicas ad tempus, ſeu ad vitam, & aliter quomodocunque, & ex quacunque cauſa, &c.* Et apertius idem oſtendunt verba illa: *Neque de cætero ſimiles licentiæ, niſi à Congregatione S. Officij, dum ſingulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab alijs per Nos, etiam in eadem Congregatione ſpecialiter deputandis, cõcedatur*. Cum ergo Summus Pontifex hanc facultatem ſibi, & S. Congregationi reſeruauit. Et quæ ſpecialiter ipſe ſibi reſeruat: intelliguntur, eſſe omnibus denegata: iuxtà doctrinam Gloſſæ communiter receptã *in c. Excommunicamus, verb. Apoſtolicæ, de hæreticis in 6.* apertè ſequitur, neque virtute priuilegiorum, poſſe Generales Regularium ſuis ſubditis, licentiam legendi libros prohibitos, concedere: quia ipſis etiam cenſetur denegata.

Huiuſmodi excommunicationis abſolutio, cuinam eſt reſeruata?

53 RESP. Si loquamur de ſcienter legentibus, vel retinentibus, aut defendentibus libros, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes: eorum excommunicationis abſolutio eſt Summo Pontifici reſeruata: nec dari poteſt, niſi ab ipſo Summo Pontifice facultatem habente, quia hæc eſt vna ex excommunicationibus in Bulla Cenæ contenctis. Si autem loquamur de ſcienter legentibus, & retinentibus libros continentes diuinationes, ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, magicas incantationes, & ſimilia contencta in Indice, & in Bulla Pij IV. de approbatione Indicis, ædita ann. 1564. incip. *Dominici gregis*. Hi omnes incurrunt quidem excommunicationem ipſo iure: ſed huius excommunicationis abſolutio non eſt Summo Pontifici reſeruata: vt docent Azorius *par. 1. lib. 8. c. 16. q. 1. & q. 5*. Farinacius *de hæreſi, qu. 180. n. 6. in fin.* Filliucius *tom. 1. tr. 16. c. 2. nu. 42*. Bonacina *tom. 1. de excommun. diſp. 2. q. 5. n. 19*. Bordonus *tom. 1. c. 14. nu. 79*. Carena *par. 2. tit. 10. §. 10. n. 53*. Homobonus de Bonis *in examine Eccleſiaſtico, tom. 1. tr. 7. c. 2. qu. 9. §. His ergo*, Paſqualigus *in obſer. ad Lauret. par. 1. num. 147*. & alij. Sed quamuis hęc excommunicatio non ſit Summo Pontifici reſeruata, reſeruari tamen illam ſibi ſolent Epiſcopi, & Inquiſitores.

Confeſſarius, abſque ſpeciali facultate; abſoluens legentem, vel retinentẽ libros, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, quas pœnas incurrit?

54 RESP. Incurrere pœnam excommunicationis, & alias expreſſas in Bulla Cœnæ prope finem in hæc verba: *Illos autem, qui contra tenorem præſentium, talibus, vel eorum alicui, ſeu aliquibus abſolutionis beneficium impendere de facto, præſumpſerint, excommunicationis, & anathematizationis ſentẽtia innodamus, eiſque prædicationis, lectionis, adminiſtrationis Sacramentorũ, & audiendi confeſſiones officia, interdicimus; denunciantes eiſdem, & declarantes apertè, nos grauius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire cognouimus, proceſſuri. Et nihilominus quicquid egerint abſoluendo, vel alias*

nullius

nullius ſit roboris, vel momenti. Ità Pegna *par.2. direct. comment. 3. verſ. Ad hæc illud monendi*, Martinus del Rio *lib.5. diſquiſ. magic. ſect. 17. verſ. Hæc abſolutio*, Azorius *par.1. lib.8. c.16. q.1. & q.5.* Farinacius *de hæreſi, q.180. n.6.*

Legentes, vel retinentes libros hæreticos, poſſunt ne abſolui, in Iubilæo, ſi excipiatur hæreſis?

55 RESp. Quod Rodriquez *in Bulla Cruciatæ, §.9. n.67.* Vega *par.1. ſumm. cap.125. caſu 12.* Ledeſma *par.2. ſumm. tr.1. c.6. in fin.* Azorius *par.1. lib. 8. c.19. qu.9.* & alij aſſerunt: iſtos non poſſe abſolui, quando non adeſt facultas abſoluendi ab hæreſi: quia hi caſus concernunt hęreſim, & de illis ſunt ſpecialiter delegati Inquiſitores S. Officij. Sed probabilius docēt Henriquez *lib. 6. ſumm. c.16. n.2.* Sanchez *lib.2. ſumm. c. 12. nu.12.* Acoſta *in Bulla Cruciatæ, qū. 63. concluſ. 4.* Suarez *de fide, diſp. 24. ſect.1. n.12.* Portellus *in dub. regul. ver. Libri prohibiti in addit. nu.14.* Duardus *lib.3. in Bull. Cœn. §.2. q. 8. nu.8. & q.11. n.47.* Leonus *par.2. de Iubil. n.44.* Trullenchus *in Bull. Cruciatæ, lib.1. §.7. c.2. dub.7.* Boſſius *ſect.1. de Iubil. caſu 8. nu. 4. verſ. Sed oppoſitum*, Paſqualigus *de Iubil. q.229. nu.2.* & alij, quod conceſſio facultatis, abſoluendi tempore Iubilæi à reſeruatis in Bulla Cœnæ: etiamſi excipiatur hæreſis: ſe extendit ad omnes caſus, præterquam ad hæreſim formalem: & conſequenter ad prædictos legentes, vel retinentes, vel imprimentes libros hæreticos: dummodò non errauerint in intellectu contra fidem. Quia nomine hæreſis, & hæretici, venit tantū error contra fidem in intellectu, & habens talem errorem. Cum ergo exceptio hæreſis reſtringat facultatem, abſoluendi, conceſſam in Iubilæo, non debet extendi, vltra naturalem, & ciuilem ſignificationem ipſius hæreſis. Nàm facultas abſoluendi, cum ſit fauorabilis, non eſt reſtringenda, ſed amplianda: quia ſecluſo delicto, prædictæ lectionis, vel retentionis, aut impreſſionis, ipſi delinquentes ſunt verè fideles, & catholici. Et quamuis eorum crimen concernat aliquo modo hæreſim: tamen cū ipſi reuera hæreſim non commiſerunt in foro conſcientiæ: neque ac ſi hæreſim commiſiſſent, eſt eis tempore Iubilæi abſolutio deneganda. Ità ſupradicti Doctores.

CAPVT XXIX.

De Pœna Irregularitatis ob ſortilegia hæreticalia.

Sortilegus hæreticus occultus, eſt ne irregularis?

1 RESp. Nonnullos Doctores opinari, hæreticum tantum notorium, non autem occultum, eſſe irregularem: quia irregularitas non contrahitur, niſi in caſibus in iure expreſſis. Iura autem, ex quibus colligitur hæc irregularitas, non loquuntur, niſi de hæretico notorio. Ità *cap. Ad abolendam, de hæretic. c. Saluberrimum 1. qu.3. cap.2. §. Hæretici, de hæret. in 6. cap. Nos, §. Ità Daniel 2. q. 7. & cap. Præsbyter, de pœnis, diſtinct.5.* Ergo niſi ſortilegus ſit hæreticus notorius, non dicitur irregularis. Et ſic de hæreticis quibuſcunque ſentiunt Henriquez *lib.14. c.4. n.6. & c.5. n.2.* Sayrus *de cenſuris, lib.7. c.12. n.16.* Philiarchus *lib.4. c.15.* Garzias *de beneficijs, par.11. c.10. n.83. & 84.* Auila *de cenſuris, par. 7. diſp.4. dub.2.* Perez *lib.8. ordinat. tit. 4. lib.3. par.1. tract. de hæreſi.*

2 Sed quamuis indubitatum ſit, ſortilegū hæreticū notoriū eſſe irregularem, nihilominus communiter æſtimatur, idem dicendum de occulto, ex *c. Si qui Præsbyteri, cap. Saluberrimum, cap. Conuenientibus 1. qu.7. & cap. Nos conſuetudine, diſt.12.* Vbi Clerici ob crimē contra fidem prohibentur, ad vlteriorē gradum aſcendere: et *in cap.2. & 11. de hæreticis in 6.* redduntur inhabiles, ad beneficia Eccleſiaſtica, & officia publica. Ergo ſignum eſt, eſſe irregulares: eò quōd irregularitas non minus eſt ane-

nexa crimini hæreſis, quàm excommunicatio. Ergo ſicuti ob crimen hæreſis, ſiuè notorium, ſiuè occultum, quilibet in excommunicationem incurrit: ità etiam incurrit in irregularitatem. Confirmatur, quia ad incurrendam hanc irregularitatem, non eſt neceſſaria ſententia declaratoria criminis: vt cum alijs Doctoribus docet, & probat Suarez *tom.5. de cenſuris, diſp.43. ſect.1. num.4.* Ergo ad eam incurrendam, neque notorietas facti requiritur: quia quando ipſo iure incurritur pœna ob delictum, non eſt neceſſaria alia probatio, vel notitia, niſi tantum exterior delicti commiſſio. Confirmatur ſecundò, quia hæretici, antè ſententiam ſuper crimine, ſunt ipſo facto infames: vt cum Alphōſo de Caſtro *lib.2. c.9. de hæretic. punit.* & alijs probant Pegna *par.1. direct. cōment.4. verſ. Ex his poterit*, & Suarez *loc.cit.* Quia ſi hæreticorum complices ipſo iure fiunt infames, *cap. Excommunicamus 1. §. Credentes*: multò magis infames erunt hæretici. Quia vt docet Ariſtoteles *lib.5. de demonſtrat. Authen. Propter, quod vnumquodque tale, & illud magis.* Sed infames ſiuè iuris, ſiuè facti ſunt irregulares: vt docent Nauarrus *c.27. n.204.* Suarez *ibid. diſp.48. ſect.2.* Auila *par.7. diſp.4. dub.5.* Coninchus *diſp.18. dub.7.* Bonacina *diſp.7. de irregular. qu.3. pun.1.* & colligitur ex *c. Infames 6. q.1.* & ex regula *Infamibus, de regul. iur. in 6.* Quia in ſacrum miniſterium Domini, puri, & immaculati nominis, coaptari debent. Ergo ſortilegi hæretici, tanquam infames, ſunt irregulares. Confirmatur tertiò, quia in Conſtitut. Clementis VII. quæ incipit: *Cum ſicut*, & refertur à Pegna inter literas Apoſtolicas: conceditur Inquiſitoribus, quòd *poſſint diſpenſare in irregularitate contracta ob hæreſim occultā.* Ergo ſupponitur, quod irregularitas contrahitur, etiam ob crimen hæreſis occultum. Ità ſentiunt Pegna *in direct. par.3. comment.162. & comment. 175.* Nauarrus *c.27. nu.205.* Syluester *verb. Irregularitas, qu.5.* Toletus *lib.1. c.64.* Suarez *tom.5. de cenſuris, diſp.43. ſect.1. n.3. & tr. de fide, diſp.21. ſect.5. n.1. & 2.* Sanchez *lib.2. in Decal. c.25. n.2.* Farinacius *de hæreſi, q.189. n.43. & qu.192. n.67.* Filliucius *tr.20. c.9. n.117.* Bonacina *vbi ſup. pun.7.* Carena *par.2. tit.1. §.26. n.137.* & alij.

3 Hoc autem intelligendum eſt de ſortilego hæretico occulto, qui ſigno externo oſtendit fidem negare. Nàm qui ſola mente fidem negat: manifeſtū eſt, nō incidere in irregularitatem: quia Eccleſia non iudicat de internis: vt ſæpiùs dictum eſt. Et expreſsè ità affirmant Nauarrus *c.27. n.249.* Suarez *loc. cit. ſect.1. nu.3.* Philiarchus *de offic. Sacerd. tom.1. par.1. lib.4. c.15.* Sanchez *in Decal. lib.2. c.25. num.4.* & alij communiter.

Sortilegus qui fidem exterius, ſed non interius abnegat, fit ne irregularis?

4 RESP. Eum fieri irregularem, ſiuè ſpontè, ſiuè metu graui, ſiuè fictè fidem abnegat, quamuis verè hæreticus non ſit. Ità ſuſtinent Suarez *dict. ſect.2. n.2.* Sanchez *ibid. nu.6.* Maiolus *lib.5. de irregular. c.34. num.2.* Viualdus *Candelabro Sacram. vbi de irregularit. n.8.* & alij. Quia in *cap. Præsbyteros, diſtinct.50.* dicitur: *Immolantes Idolis ex graui timore arcendos eſſe ab ordinibus: Secus autem eum, qui clamantem, ſe Chriſtianum eſſe, vi præcisè cogitur, immolare*: Ergo ſolum excluduntur ab irregularitatis pœna; qui coactè Dœmonibus immolant, & in ea comprehendūtur, qui fictè, & etiam ob timorem, fidē abnegant: quia reuera cùm non vì præciſa, ſed ſolo timore compelluntur, nō ſunt à culpa liberi, & conſequenter, nec à dicta pœna.

5 Sed Azorius *tom.1. lib.8. c.11. q. vlt. & c.21. q.8.* Nauarrus *lib.5. conſil. titul. de hæreticis, conſil.3. in 1. ædit. & in 2. conſil.9.* Caſtro Palaus *par. 6. de cenſuris, diſp.6. pun.19. §.1. n.4.* Bonacina *de cenſuris, diſp.7. q.3. pun.7. n.2.* Diana *to. 5. tr.5. reſ.48. ex par.4. tr.2. reſ.49.* Filliucius *tom.1. tr.20. c.9. nu.230.* docent, quod quamuis probabilior ſit ſupradi-

dicta ſententia, probabilitate etiam nõ caret: non incurri irregularitatem, ſi crimen ſit occultum: quia qui tantum exterius fidem negat, & interius illam in corde retinet, non eſt verè hæreticus: & conſequenter, ſicut non eſt excommunicatus, ità nec eſt irregularis. Nec in dicto *cap. Præsbyteros*, neque alibi continetur pœna irregularitatis contra fictè negantem fidem occultè. Quia qui in dicto *cap.* timore ductus à fide apoſtatauit, ibi non dicitur, quod fictè fidẽ negauit; potuit enim timore duci, & etiam ex animo fidem negare. Deindè caſu, quo textus loqueretur de fictè negante: ſolum comprehendit publicè delinquentes. Nàm in concluſione dicitur: *Eos, quorum crimina manifeſta ſunt, antè, vel poſt ordinationem, à Sacris Ordinibus deijciendos eſſe. Quorum tamen peccata ſecreta ſunt, ſecreta ſatisfactione, ſecundum Sacerdotis ædictum, in proprijs Ordinibus remanere poſſe.* Ex quibus verbis patet, Textum loqui, non de occulto, ſed de notorio, & publico contra fidem operante: qui, etſi fictè, & abſque interiori animo, fidem negaret, vtique incurreret irregularitatem ex infamia, non autem irregularitatem peculiarem; quæ non videtur inflicta cõtra tales occultos in nullo Canone.

Fautores, & defenſores ſortilegi hæretici afficiuntur ne irregularitatẽ?

6 Reſp. Quod Suarez, Sanchez, Coninchus, & Bonacina *locis citatis*, Farinacius *q. 192. nu. 74.* Carena *par. 2. tit. 1. §. 26. n. 139.* & alij docent, fautores, ac defenſores ſupradictos incurrere irregularitatem: quia in *cap. 2. §. Hæretici, de hæreticis in 6.* prohibentur iſti: ne ad Eccleſiaſticum beneficium, aut officium publicum admittantur: et ſub officij nomine comprehenditur ordo. Henriquez verò *lib. 14. c. 4. nu. 6.* Emanuel Sà *verb. Irregularitas ex defectu animæ, n. 2.* Caſtro Palaus *par. 6. de cenſuris, diſp. 6. pun. 19. §. 1. nu. 5.* probabile eſſe, ſuſtinent, dictos fautores, & defenſores non affici irregularitate. Quia nec à dicto *cap. Præsbyteros*, neque ex alio colligitur, eos hac de cauſa fieri irregulares. Nàm quando excluduntur ab officio publico: nomine officij publici, non eſt intelligendum officium ordinis: ſed officium iuriſdictionis, vt Magiſtratus, Prætoriatus, Notariatus, & ſimile: vt de facto Gloſſa intelligit, ex Textu *in cap. Fœlices, §. Quod ſi quis, de pœnis in 6.* Quia illud vocatur officium publicum, quod ad publicam vtilitatẽ, & regimen populorum ordinatur.

Sortilegi, & omnes alij de hæreſi tantũ ſuſpecti ſunt ne irregulares?

7 Reſp. Eos eſſe irregulares ſi delictum ſit notorium, ratione infamiæ, & indecentiæ. Dicuntur autem irregulares, ſecundum quid, ideſt vſque quò purgauerint hæreſis ſuſpicionem: illa enim purgatâ, abſque diſpenſatione poterunt, ad ordines promoueri. Vndè qui propter vehementem ſuſpicionem hæreſis coactus fuit ab Inquiſitoribus, de vehementi abiurare: facta abiuratione non manet irregularis, neque inhabilis ad beneficia, & officia publica: quia non fuit tanquàm hæreticus damnatus, ſed tanquam de hæreſi ſuſpectus. Quam ſuſpicionem, abiuratione illa facta, ſe nunquam in hæreſim incurriſſe, neque vnquam incurſurum, ſufficienter purgat. Ac proindè, neque infamis, neque inhabilis ad beneficia, vel officia manet, neque eius beneficia habita vacare debent: Ità docent Nauarrus *lib. 5. conſil. tit. de hæreticis, conſ. 5. & 6. alias 8. & 19.* Flaminius *de reſignat. lib. 4. q. 3. nu. 17.* Henriquez *lib. 13. cap. 56. num. 1. & lib. 14. cap. 4. nu. 6. in fine,* Suarez *de cenſur. diſp. 43. ſect. 2. nu. 9. & 10.* Sanchez *lib. 2. in Decal. c. 25. n. 12.* Caſtro Palaus *par. 6. de cenſur. diſp. 6. pun. 19. §. 1. n. 6.* Farinacius *q. 192. nu. 81.* Coninchus *diſp. 18. dub. 7. n. 55.*

Filij, & Nepotes ſortilegi hæretici, sũt ne irregulares?

8 Reſp. Quod licet Toletus *in ſumm.*

lib. 1.

*lib.1.c.25.n.*8.& Sayrus *lib.6.theſauri,c.* 10.*n.*40.opinentur:hæreticorum,& eorum fautorum filios,& nepotes non ſubiacere irregularitati : quia nullibi aduerſus illos ſtatuta ſit: Tamen communis Doctorum ſententia eſt : illos eſſe irregulares, ſi per lineam virilem deſcendant : ſi verò per lineam fœmininam,filios tantum,non nepotes.Ità colligitur ex *cap.*2.§.*Hæretici*, *de hæreticis in 6.* Vbi idem canonicum impedimẽtum,quod imponitur hæreticis, & fautoribus eorum:ad filios illorum,vſque ad ſecundam generationem extenditur. Et declaratur quoque *in cap.Statutum 2.eodem titulo*: quoad nepotes:vt ſolum habeat locum in filijs per lineã paternam,per materam vero, quoad filios tantum.Quod ideò fortaſſe factum eſt; quia filius magis videtur, patrem repræſentare,vel imitari, quàm matrẽ. Vndè ſi mater fuerit ſortilega, ſeu maga hæretica, filij eius non autem nepotes irregulares sũt. Si autem pater fuerit ſortilegus hæreticus, filij, & nepotes irregulares fiunt. Filia verò, quia non eſt capax irregularitatis,nec etiam eius filij irregularitatem incurrunt : quia deſcendunt ab hæretico per lineã maternam:Ità docent communiter Eymericus *in direct.par.3.qu.*114.*&* 115. Pegna *ibi,comment.*164. *&* 165. Antonius Gomez *lib.3.variar. c.2. n.4.* Nauarrus *c.27.n.*207. Maiolus *lib.5. c.46.* Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.9.n.* 14. Suarez *de cenſur.diſp.43.ſect.3.n.*1.Valentia *diſp.7.q.19.pun.3. in tertia ſpecie irregul.*Sanchez *in lib. 2. in Decal. c.* 28. *n.*7.Bonacina *de cenſur. diſp. 7. de irregul.q.3.pun.7.n.9.*Caſtro Palaus *tom.6. de cenſur.diſp.6.pun.*19.*ſect.2. nu.*1. & alij. Qui etiam extendunt hanc irregularitatem ad filios illegitimos, & ſpurios. Quia nulla eſt ratio,ob quam iſti ſpeciali priuilegio, quàm filij legitimi gaudere debeant: dum textus generaliter de filijs loquitur.

Filij nati, antequam parentes inciderint in peccatum hæreſis, cenſentur ne irregulares?

9 RESp. Non eſſe cenſendos irregulares, ſuſtinent Nauarrus *conſil. 27.de hæreticis*, Symanchas *loc.cit. titul.* 23. Henriquez *lib.* 14. *c.*5.*nu.*4. Leſſius *lib.2.c.34. nu.*121. Coninchus *diſp.*18. *dub.7.n.*53.Sanchez *loc.cit.c.*27. *nu.*14. Bonacina *vbi ſup.nu.*10. Quia iſti non ſunt formaliter filij hæreticorum, ſed potius catholicorum, dum à parentibus catholicis,cõcepti,& nati ſint. Nec eſt credendum,velle Eccleſiam priuare in hoc caſu filios, iure acquiſito ad ordines ſuſcipiendos. Sed his non obſtãtibus, probabilior, & vſu receptior eſt ſententia docentium, etiam hos filios conceptos,& natos,ante parentum delictum, cenſendos eſſe irregulares : vt probat Pegna *par.3. director. comment.* 114.*verſ.Omiſſis tamen*, cum Albertino,& Salyceto *in l. Quiſquis, Cod.ad l. Iuliam Maieſt.* Gloſſa *in cap. Si quis cum militibus 6.qu.*1. *verb.Filij*,Couarruuia *lib.2.variar.reſol.c.8.nu.5. verſic. Quartò ſolet*, Antonio Gomez *tom.3. var.reſol.c.2. n.16. verſ. Sed his non obſtantibus*, Gondiſſaluo *tract. de hæreticis,q.23.n.5.*Alphonſo Caſtro *lib.1.cap. 7.de poteſtate legis pœnalis, verſ. Et primò infero,& lib.2. cap.vlt.de iuſta hæret. punit.verſ.De hac tamen re*, Repertorio Inquiſ. *verb. Filij, verſ.* §.*Sed quæro*,& cum alijs ab ipſo relatis. Et probatur, quia pœna, quæ ob peccatum parentis, deſcendit in filios, ideò impoſita eſt:vt parentes à peccando auertantur, & cæteris timor incutiatur : vt præ alijs tradit Gloſſa *extrauag. Ioann. XXII. de pœnis,§.Filij eius*, & Alphonſus Caſtrus *loc.cit.coroll.*1.Hæc autem ratio militat, tàm in filijs natis, & procreatis ante delictum; quàm in poſt delictum : cùm vtroſque, parentes æqualiter diligant. Ergò neceſſariò ſequitur, quòd indiſtinctè huiuſmodi pœnæ ſubduntur. Probatur ſecundò,quia *in cap. Statutũ 2.de hæreticis in 6.*apertè cauetur:quod filij, & nepotes illorum hæreticorum in ſupradictis pœnis comprehenduntur, quorum parentes hæreticos eſſe, & tales etiam deceſſiſſe probentur. Ergò Textus loquitur de filijs quoque na-

natis ante patris hæreſim:qui per paternum delictum cenſendi ſunt irregulares.

Filij parentis ſortilegi hæretici pœnitentis, ſubiacent ne pœna irregularitatis?

10 RESp. Negatiuè, ſi parentes ſint verè emendati,& Eccleſiæ reincorporati,quia in *dicto cap.Statutum*, expreſsè habetur: *Primum, & ſecundũ gradum per paternam lineam,comprehēdere declaramus: per maternam verò ad primum dumtaxat, volumus hæc extendi.Hoc ſanè de filijs,& nepotibus hæreticorum, credentium, & aliorum huiuſmodi, qui tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probantur,intelligendum eſſe,videtur.Nō autem illorum, quos emendatos eſſe,conſtiterit,& reincorporatos Eccleſiæ vnitati; & pro culpa huiuſmodi ad mandatũ Eccleſiæ pœnitentiam recepiſſe, vel paratos eſſe ad eam recipiendam.* Ex quibus verbis notandum eſt, quod Textus loquitur de hæreticis pœnitentibus, ſolemniter abſolutis; quia iuridica abſolutio requiritur, vt ab Eccleſia iudicẽtur,decedere ſibi reconciliati,& incorporati: vt docent Pegna, & alij Doctores infrà citati. Iſtorum autem filij non ſunt irregulares.

Eſt ne idem dicendum de filijs parentis ſortilegi hæretici relapſi, qui ob crimen repetitum damnatur ad cõbuſtionem, & ne comburatur dat pœnitentiæ ſigna?

11 RESp. Quòd Geminianus *in dicto cap.Statutum*, §.*Hoc ſanè,de hæret. in 6.* Repertorium Inquiſitorum *verb.Filij*, §.*Nunc videndum, verſ. Sed circa prædicta*, Alphonſus Montaluus *lib.2.tit.25. par.7. verſ. Eſt ergo concluſio*, & Decanus Segouienſis *tract.de hæreticis,c.18.* ſuſtinent, filios relapſorũ pœnitentium nō fieri irregulares. Quia *dictum cap.Statutum*, irregularitatem filijs hæreticorum indicens,exigit:vt in hæreſi parentes decedant. Sed relapſi pœnitentes nō decedũt in hęreſi,immò ad Sacramenta Pœnitentię,& Euchariſtiæ admittuntur. Ergo eorum filij non incurrunt pœnam irregularitatis.

12 Sed oppoſitum communiter docent Ioannes Andreas *in dict.cap.Statutum*, & ibidem Philippus Franchus,Symanchas *in Enchirid.violatæ relig. tit.63.n.7.& de cathol.inſtitut.tit.29.n.17.* Ioãnes Royas *tr. de hæret. par.2.aſſert.42.n.337.& ſeq.*Pegna *par.3.comment.64. verſ.Oppoſitam ſententiam*, Suarez *de cenſur.diſp.43.ſect.3.nu.4.* Azorius *par.1.lib.8.c.13.poſt quæſt.8.* Molina *tom.3. diſp.658.n.19.*& alij quamplures, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib.1. in Decal.c.27.à n.22.* Quia relapſi ſic pœnitentes præſumuntur, fictè conuerſi, & potius timore, ne viui comburantur, quàm fidei amore. Et quamuis ad Sacramenta admittantur, tamen non abſoluuntur ſolemniter: quæ ſolemnis, & iuridica abſolutio videtur requiſita; vt ab Eccleſia iudicentur ipſi reconciliati,& reincorporati. Et ideò in praxi obſeruatur: filios parentum relapſorũ, ſic pœnitentium in irregularitate damnari: quia eorum parentes ſic conuerſi, præſumuntur in hæreſi decedere. Et idem dicendum eſt de filijs illorum,qui in abſentia condemnantur, eorumque ſtatuæ comburuntur: quia eorum contumacia hæreſim probat:vt ex *cap.Cum cōtumacia,de hæreticis in 6.* & cum alijs Doctoribus notat Pegna *ibid. verſ. At in caſu noſtro.*

Filij denunciantes Inquiſitoribus parentes,magos, aut ſortilegos hæreticos, euadunt ne pœnam irregularitatis?

13 RESp. Affirmatiuè: quia filij denunciantes parentem hæreticum liberantur à pœnis in hæreticorũ filios à iure ſtatutis, argum.*l.Quiſquis, §. vlt. Cod. ad legem Iuliam Maieſt.* & cæteris copioſius, probat Alphonſus Caſtrus *lib.2. c. 26. de iuſta hæret.punit.* Et in praxi ità ſeruatur, vt teſtantur Pe-

Pegna *par.2.direct.comment.15.verſic. Hoc addiderim*, Sanchez *lib.2.in Decal.c.27.n.30.* Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.29.n.47.* Royas *in ſingularibus fidei,ſingul.12.n.1.* Farinacius *de hæreſi, q.191.n.37.* & alij.

Filij ſortilegi hæretici,vt pœnam irregularitatis incurrant, requiritur ne vt parentes,per ſententiam damnati ſint hæretici: vel ſufficit, vt notũ ſit,eos hæreticos deceſſiſſe?

14 RESp.Nõ requiri, vt parentes ſint per Iudicis ſententiam damnati, ſed ſufficere, vt eorum filij irregularitatem incurrant; quod ipſi parentes in iudicio fuerint conuicti, vel confeſſi, vel ꝙ res ſit ſatis publica, & omnibus probata: vel cõſtet, eos eſſe hæreticos, vel hęreticorũ fautores, aut defenſores, vel receptatores. Hoc enim importane verba illa *c.Statutũ 2.de hæreticis in 6. Qui tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probantur*. Ergo vt filij parentum ſortilegorum hæreticorum, vel hæreticorum fautorum,&c. efficiantur irregulares ſufficit, quod paterna hæreſis quomodocunque conſtet, vel probetur, ſiuè per euidentiam facti, ſiuè per propriam in iudicio confeſſionem, ſiuè per Inquiſitorum ſententiam. Ità docent Suarez *tom.5.in 3.par. diſp.43.ſect.3.n.2.* Sayrus *de cenſur.lib.6.c.10.nu.40.* Azorius *par.1.lib.8.c.13.q.8.* Sanchez *in Decal.lib.2.c.27.nu.28.* Eymericus *par.2.direct.q.15.* & alij.

Incurrunt ne irregularitatem filij parentum, illorum hæreticorum, qui cum Catholicis ſunt permixti in Germania, Anglia, & locis ſimilibus?

15 RESp. Negatiuè, quia ad incurrendam dictam irregularitatem, requiritur parentum infamia ex hæreſi contracta: vt affirmant Henriquez *lib.14.c.5.nu.4.* Emanuel Sà *verb. Irregularitas ex defectu animæ, num.4.* Sanchez *loc. cit.* Bonacina *de irregular. diſp.7.q.3.pun.7.nu.9.* In his autem regionibus parentes decedentes hæretici, non reputantur infames ob hæreſim. Ideò neque eorum filijs Catholici irregularitatem incurrunt, vt notat Caſtro Palaus *par.6.de cenſur.diſp.6.pun.19.§.2.n.7.*

Filij, & Nepotes ſortilegorum hæreticorum ad ordines promoti, antequam eorum pater in hæreſim incideret, vel antè hæreſis declarationem,aut notorietatem,priuantur ne vſu ordinum ſuſceptorum?

16 RESp.Negatiuè:quia nemo,abſq; ſua propria culpa, priuari poteſt iure iam acquiſito, vt notat Gloſſa *in cap. Satis peruerſum, diſt.56.* Sed ſi dicti filij ſuſcepiſſent aliquos ordines, ſed non omnes,non poſſent ad ſuperiores aſcendere, ſed in ſolis ſuſceptis miniſtrare: quia licet defectus ſuperueniens non priuat iure acquiſito, impedit tamen nouam acquiſitionem: vt ex *cap.2.§.Hæretici, de hæreticis in 6.* Vbi non præcipitur hos filios ab officijs adeptis ſuſpendi: ſed ad ea in poſterum non admitti. Ità docent Maiolus *lib. de irregular.c.47.nu.6.* Suarez *loc. cit.* Sanchez *ibid.n.10.* & alij.

Iudæorum, & Paganorum filij, & nepotes Chriſtiani, ſunt ne irregulares?

17 RESp. Quod Iudæorum, & Paganorum filij,vel ſunt baptizati à natiuitate,aut antè vſum rationis,vel in adulta ætate,& poſt vſum rationis. Baptizati à natiuitate, aut antè vſum rationis, non ſunt irregulares, & poſſunt ad ordines ſuſcipiendos admitti: ſiue ſint nati poſt baptizatos parentes,ſiue anteà,ſiuè etiam eorum parentes baptizati non ſint. Quia iura ſolum hæreticorum filios hac irregularitatis pœna afficiunt. Eccleſia enim Iudæos, & Pa-

ga-

ganos nõ punit, propter eorum legem; ſicut punit hæreticos, propter hæreſim. Et ideò filij hæreticorum ob delictum patris ſunt irregulares: dicti autem filij Iudæorum, & Paganorum non. Ità docent Nauarrus *in ſumm.c.27.num.*105. Couarruuias *tom.*1.1.*par.Relect.* §.2.*n.*7. Suarez *loc.cit.ſect.3.nu.*8. Sanchez *in Decal.lib.2.c.*28.*n.*19. Salcedus *in practic.Bernardi Diaz,c.*2.*nu.*8. Auila *de cenſuris,par.*7.*diſp.*4.*dub.*4. Notant verò dicti Doctores. Hoc intelligendum eſſe de iure communi, & niſi ſtatutis aliquarum Eccleſiarum, à Sede Apoſtolica confirmatis, aliud ſtatutum ſit.

18 Si autem loquamur de filijs Iudæorum, vel Paganorum, in adulta ætate baptizatis: iterum diſtinguendum eſt. Nàm iſti, vel ſunt Neophiti, ideſt de recenti baptizati, & in fide non benè inſtructi: & dicuntur irregulares: quia non admittuntur ad ordines ſuſcipiendos: vt præcipitur à D. Gregorio *lib.*8. *epiſt.*23.*ad Fortunatum, & in cap. Monaſterijs* 19.*q.*3.*& in Concil. Arelatenſi* 2.*ſub Silueſtro Papa Primo, in Concilio Leodicenſi, celebrato ſub Liberio Papa, c.*3.*in Neoceſarienſi, c.*12. & in alijs. Vel non ſunt amplius Neophiti: quia diù legem Chriſtianam profeſsi ſunt, & in ea ſunt benè inſtructi: & non dicuntur irregulares, nec comprehenduntur in prohibitione dictorum Conciliorum, & poſſunt ad ordines promoueri: Dummodò Epiſcopo viſum fuerit, illos eſſe moribus, & Chriſtiana diſciplina ſatis inſtructos: itaut veterani Chriſti milites iuſtè cenſeri poſſint. Ità in *cap.*1.*diſtinct.*57. Felinus *in cap. Cum ſit, de Iudæis,* Couarruuias *tom.*1.1.*par.Relectionis,*§.2.*nu.*7.*verſ.Tertia concluſio,* Suarez *de cenſur.diſp.*43.*ſect.*3.*nu.*6. *&* 7. Auila *de cenſuris, par.* 7. *diſp.* 4. *dub.*4. Sanchez *dicto lib.*2.*c.*28.*n.*12.& alij.

19 Determinare autem tempus, pro quo cenſendi ſunt dicti filij in fide benè inſtructi, arbitrio Epiſcopi relinquitur: vt notant Suarez *vbi ſup.* Sayrus *lib.*6.*theſaur.c.*13.*n.*10. Coninchus *diſput.*18.*dub.*7.*n.*55. Bonacina *de irregular.diſp.*7.*q.*2.*pun.*1.*n.* 6. Vndè ſi intra biennium, vel triènium à Baptiſmo ſuſcepto, ſufficienter probatæ fidei, & religionis ſigna dederint, ad Epiſcopi arbitrium: poterunt abſque vlla diſpenſatione ad ordines promoueri. Ità Coninchus *loc.cit.* Caſtro Palaus *tom.*6. *de cenſuris, diſp.*6.*pun.*19.§.3.*nu.*2. & alij. Diuus autem Gregorius *lib.* 8. *epiſt.*23. *ad Fortunatum Neopolitanum Epiſcopum,* ſcribit: *Ad religionem conuerſum antè biennium neminem debere tõſurari.*

20 Notant etiam ſupradicti Doctores: irregularitatem, quæ ad dictos Neophitos ſpectat, non eſſe alijs irregularitatibus ſimilem: quia propter eam non eſt expectanda Summi Pontificis diſpenſatio: ſed tantum ſit arbitrio Epiſcopi conſiderandum: an ex eorum probitate, & plena legis euangelicę inſtructione, dicendus ſit veneranus Chriſtianus. Et Couarruuias obſeruat: multos fuere olim ad ordines ſacros, & ad eccleſiaſticas dignitates admiſſos, qui à iudaica, vel gentilium lege fidem Chriſti ſuſceperunt, ob vitæ, & morum probitate, & quia iam diù Chriſtianæ diſciplinæ inſtitutis edocti fuerant, & nomen Neophitorum amiſerant.

Sicut punitur filius ob paternam hæreſim, punitur ne etiam pater per hæreſim filij?

21 RESp. Negatiuè: quia etiam in crimine læſæ Maieſtatis humanæ punitur filius ob delictum patris, dũ illius bonis priuatur: ſed non punitur pater pro delicto filij: vt probat Gigas *de crim.læſæ Maieſt. lib.*3.*rubr.de pœnis, quas filij incurrunt, q.*12. Salycetus *in l.Quiſquis, nu.*8. *verſ.Vel dic magis,* Decianus *in tr.crimin.lib.*7.*c.*41.*nu.*16.& alij. Ergo ſimiliter in crimine læſæ Maieſtatis Diuinæ, quamuis puniãtur filij ob paternam hæreſim, non tamen è contra punitur pater ob hæreſim filij. Ità Farinacius *de hæreſi, quæſt.*191.*nu.*41. Decianus *lib.*5.*c.*45.*nu.*9. & alij communiter.

A ſupradicta irregularitate quis diſpẽſare valet?

Reſp.

22 RESp. Quoad ſortilegos hæreticos conuerſos, & ad fidem redeuntes, ſolus Pontifex diſpenſare valet: tàm vt poſſint ad ordines initiari, quàm ad ſuperiores aſcendere: vt cum aliis Doctoribus affirmant Suarez *de cenſuris, diſp.43.ſect.1.n.6.* Sanchez *lib.2. in Decal.c.25.n.13.& 14.* Bonacina *de cenſuris, diſp.7.pun.7.q.3.n.12.*

23 Similiter quoad eorum filios, & nepotes, penes Pontifices tantum eſt, ab eadem irregularitate, poteſtas, diſpenſandi: quia, vt ſupra dictum eſt, hæc irregularitas non prouenit ex delicto occulto, ſed ex indecentia, quam filii contrahunt ob parentum delictum. Verum in ſuſceptis ordinibus, antequam delictum paternum declaretur, ac notorium fiat, poſſunt huiuſmodi filii miniſtrare, nulla diſpenſatione requiſita: quia ob delictum paternum non priuātur iure acquiſito: vt ex *dicto cap. 2. de hæreticis in 6.* & ex Gloſſa *in cap. Satis peruerſum 56. diſt.* & docent Maiolus *lib.5. de irregular.c.47.nu.6.* Suarez *loc. cit. ſect.3.n.2.* Sanchez *lib.2. in Decal.c.28.n.10.*

Qui poſt ſuſceptos ordines in hæreſim incidit, ad pęnitentiam deindè conuerſus, poteſt ne ſine diſpenſatione, ordines exercere?

24 RESp. Gaſparem Hurtadum *diſp. 2. de irregular. diffic.3. in fin.* & alios, quos tacito nomine refert Coninchus *diſp.18. dub.7. n.52.* opinari, non indigere diſpenſatione, ſed liberè poſſe ordines ſuſceptos exercere: quia in *cap. Saluberrimum 1.q.7.& cap. Nos conſuetudine, diſt.22.* id videtur permiſſum. Sed rectius ipſe Coninchus, Suarez *de cenſur. diſp.43. ſect.1. nu.6.* Sanchez *lib. 2. in Decal. c.25. n.14.* & alii docent, indigere diſpenſatione Epiſcopi; vt colligitur ex *cap. Præsbyteros 50. diſt. & in dicto cap. Saluberrimum.* Immò dicti Doctores, & Bonacina *de irregular. diſput.7. q.3. pun.7. n.13.* ſuſtinent, neque Epiſcopum diſpenſare poſſe, quoad ſacerdotii exercitium, ſed ſolum Papam. Et Pegna *par. 3. comment. 175.* refert Pium V. die 6. Septembris anni 1567. inhibuiſſe Didaco de Spinoſo Generali Hiſpaniæ Inquiſitori: *Non poſſe huiuſmodi homines, vt ad ſuperiores ordines aſcenderent, habilitare, aut cum Præsbyteris diſpenſare, vt in altaris miniſterio deſeruirent.* Et Maiolus *lib. 5. de irregular. c.46.* Nauarrus *c.27. n.205.* probant, ſolum Papam diſpenſare poſſe in irregularitatibus, prouenientibus ex defectu animæ. Eymericus etiam *par. 3. qu.126.* & Pegna ibi docent, neque Inquiſitorem poſſe cum talibus in irregularitate diſpenſare.

In irregularitate ob hæreſim occultam contracta, poteſt ne Epiſcopus, virtute Trident. Concil. *ſeſſ.24. c.6. de reform.* diſpenſare?

25 RESp. Quod ſupradicti Doctores Suarez *nu.15.* Bonacina *nu.12.* Toletus *lib.1. c.46.* Filliucius *tr. 20. nu. 231.* docent, non poſſe Epiſcopum, virtute dicti Concilii in hac irregularitate occulta, & neque deducta ad forum contentioſum, diſpenſare. Quia in *cap. Cum illorum, de ſentent. excomm.* dicitur: *Epiſcopum non habere poteſtatem diſpenſandi in caſibus, in quibus eorum abſolutio eſt illis interdicta: cum maiora, intelligantur eis prohibita, quibus vetita ſunt minora.* Sed Epiſcopis denegatur poteſtas abſoluendi ab hæreſi occulta, vt patet ex Bulla Cœnæ. Ergo cenſetur quoq; eis denegata, poteſtas diſpenſandi in irregularitate, ex illa proueniēte: quia poteſtas abſoluendi minor eſt, quàm poteſtas diſpenſandi: vt notant *in dicto cap.* Gloſſa, Abbas *n. 1. notab.3.* Felinus *notab. vnico.*

26 Sed hoc non obſtante Sanchez *lib. 2. in Decal. c.25. n.18.* Caſtro Palaus *p. 6. de cenſuris, diſp.6. punct.19. n.4.* Farinacius *de hæreſi, q.194. nu.79.* ſuſtinent: probabilius eſſe, poſſe Epiſcopum, virtute decreti Concilii Tridentini, diſpēſare in irregularitate, contracta ob hæreſim occultām, & non deductam ad forum contentioſum. Tum quia verba Con-

Concilii expreſsè dicunt, quod: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs, deductis ad forum contentioſum, diſpenſare*. Et tum etiam: quia, vt docent dicti Doctores: hæc diſpenſatio dici nequit maioris conſiderationis, quàm abſolutio à crimine hæreſis, & illius excommunicatione: quia hæc irregularitas nõ eſt certa, ſed dubia: quia vt ſuprà dictũ eſt, *nu.* 1. non deſunt Doctores, qui in hæreſi occulta illam negant. Ac proindè etiamſi intelligamus, negatam Epiſcopis eſſe poteſtatem abſoluendi ab hæreſi; non indè infertur, eſſe negatam poteſtatem diſpenſandi in illius irregularitate occulta, quæ dubia eſt.

27 Et ad dictam rationem in contrariũ, reſpondetur, quod quando dicitur poteſtatem diſpenſandi, maiorem eſſe poteſtate abſoluendi: intelligitur de poteſtate diſpenſandi in impedimento certo, non autem in dubio, quale eſt hæc irregularitas. Et ſic patet, poſſe Epiſcopum diſpenſare erga ſuos ſubditos in irregularitate orta ex crimine hæreſis occulto.

Pœna ſuſpenſionis, vel depoſitionis ab ordinibus ſacris, quando imponi ſolet in Tribuuali S. Officij, Clericis, & Sacerdotibus ſortilegis?

28 RESp. Si Clericus, vel Sacerdos ex ſimplicitate, & bono zelo, & abſque dolo ſortilegium non hæreticale commiſit: ſuſpenditur à diuinis, & à miniſterio altaris per annum, & vltra Inquiſitorum arbitrio: et termino elapſo, abſque diſpenſatione, ipſo iure, ad priſtinam adminiſtrationem reuertitur. Ità probatur ex *cap.2.de ſortilegis*, vbi per annum ſuſpenſus fuit ab altaris miniſterio Clericus, qui ex ſimplicitate, & abſque dolo ſortilegium, non hæreticale commiſerat, pro inueniendis bonis Eccleſiæ furto ſublatis. Et ità etiam docent Gloſſa *in dicto cap. verb. Viſum*, Abbas *ibi, n.4. in fin.* Ghirlandus *de ſortileg. qu.*11.*nu.*2.*&* 8. Menochius *in tr. de arbitr. lib.*2.*centur.*4.*n.*388.*n.*8.*&* 9. Farinacius *de delictis, & pœnis, qu.*20. *n.*91.

29 Si autem non ex ſimplicitate, nec bono animo, ſed malo, & ex dolo fecit ſortilegium non hæreticale: deponitur ab ordine ſacro, priuatur omnibus beneficijs, & perpetuò in Monaſterio includitur, ex *cap. Si quis Epiſcopus* 26. *q.* 5. & ibi Gloſſa, Panormitanus *in cap.*2. *de ſortileg.* Ghirnandus *loc.cit.nu.*3.8.*&* 10. Menochius *ibid. n.*10. Farinacius *n.* 92. & alij. Notat etiam idem Farinacius, quod talis ſortilegus efficitur infamis, *cap. Quiſquis* 2.*q.*8. & antequam deponatur, tonſuratur, & decaluatur in modũ ſtultorum, & eius veſtes antè, & retro ſcinduntur: iuxtà Textum *in cap. de benedicto* 32.*q.*1. Et in iſto caſu, Clericus degradatur verbaliter, non realiter, vt *in c. Admoneant* 26.*q.*7. Et *num.* 94. etiam notat, quod hodiè, tàm de iure ciuili, quàm Canonico, pœna ſortilegorum non hæreticalium eſt arbitraria, tàm in Laicis, quàm in Clericis: vt ait Abbas *in cap.*2.*de ſortileg.* & colligitur ex *l. Hodiè, l. Aut facta, ff. de pœnis, & l. Quid ergo, §. Pœna grauior, ff. de his, qui notam. infam. & cap. Non afferamus* 24. *q.*1. Idcircò pœnam ſortilegis, ac etiã eorum conſulentibus, & participantibus, imponendam, poteſt Iudex, augere, & minuere, ſecundum qualitatem facti, conditionem perſonarum, animum delinquentis, & ſcandalum indè exortũ, eius arbitrio. Verum iſtis ſortilegis nõ eſt minuenda pœna ſtatuta à Canonibus, niſi adſit iuſta cauſa: vt docent etiã Ghirlandus *q.*17.*n.*4. *&* 5. Menochius *dicto caſu* 388.*n.*11. Diaz *in pract. crimin. Canon. c.*10. & Cucchus *in inſtitut. Canon. lib.*4. *titul.*9.*rubr. de diuerſis delictis.*

Clericus ſortilegium exercens ad bonũ finem, eſt ne etiam puniendus pœna depoſitionis, & priuationis beneficiorum?

30 Reſp. Affirmatiuè. Clericus namque ſor-

ſortilegium exercens, ad ſanandum ægrotos maleficiatos, ad ſoluendas aliorum ſortilegorum facturas, ad incantandum imbres ne noceant ſegetibus, arboribus, animalibus, & ad ſimilia, iure Canonico puniendus eſt pœna depoſitionis, & priuationis beneficiorũ. Quia Eccleſia ſummoperè abhorret hęc remedia ſortilega, etiamſi fiant ad effectum recuperandæ ſanitatis. Non enim licet inuocare auxilium Dæmonis, nec etiam pro mille corporum ſanitatibus. Quia minùs malum eſt, quod pereant mille corpora, quàm quod pereat vna anima. Probantur hæc *in cap. Admoneant 26.qu.7.in cap. Mirum, §. Ad hæc autem 26.q.5.* & à D. Auguſtino *lib.10. de Ciuit.Dei*, & à D.Thoma 2.2.*qu.95. ar.3.* & ab alijs.

CAPVT XXX.

De Pœna Mortis Sortilegis hæreticis debita.

Eccleſia à quonam habet poteſtatem pœna mortis punire ſortilegos, & hæreticos?

1 RESp. Eccleſiam hanc poteſtatem habere à Chriſto Domino. Quia Ioann.15. dixit: *Si quis in me non manſerit, mittetur foras, & in ignem mittet, & ardet*: et optimè probant Bellarminus *lib.3.de Laicis, cap.21.& 22.* Valentia *tom.3.diſp.1.q.11.pun.3.* Symanchas *tit.46.à n.44.* Couarruuias *lib.2.var.c.10.nu.10.* Suarez *de fide, diſp.20.ſect.3. nu.18.& ſequ.& diſp.23.tota ſect. 1.* & alij. Quia ſine hac poteſtate non ſatis Chriſtus Eccleſiæ ſuæ prouidiſſet. Non enim poſſet, rebelles, & inobedientes coercere, & eorum delicta vindicare, neque membra putrida, & nociua à toto eius corpore reſecare. Quapropter ſaltem erroneum eſſet; hanc Eccleſiæ poteſtatem denegare; vt definitum fuit à Bonifacio VIII. in extrauag. *Vnam Sanctam, de maiorit. & obedient.* & ab Innocentio IV. *in cap. Ad Apoſtolica, de ſentent. & re iudic.in 6. & in cap.1.de homicid. in 6.* & in alijs teſtibus, quos ſupradicti Doctores referunt. Non ſolet autem Eccleſia hanc mortis pœnam per Iudices, & Miniſtros Eccleſiaſticos exequi: ſed per Laicos, & media illorũ poteſtate, iuxtà *cap. Ad abolendam, §. Præterea, de hæreticis in 6.* Quia id videtur decentius, & pietati Eccleſiæ cõformius: & ſic indicatur, poteſtatem fori ſecularis eſſe inferiorem, & ſubditã ſpirituali poteſtati, & fori Eccleſiaſtici. Et ideò vbi à Iudicibus fidei, delinquens, ſiuè ſit hoſtilis maleficus, ſiue ſortilegus hæreticalis, ſiuè quilibet alius hæreticus, brachio ſeculari puniẽdus traditur: et debet Iudex laicus pœnam ſtatim exequi, & in illius poteſtate non eſt, illam remiſſiorem facere, iuxtà *cap. Vt officium, de hæreticis in 6.* Alias vt fautor hæreticorum puniri poteſt.

Quinam ex his delinquentibus, foro ſeculari tradendi ſunt, & mortis pęna puniendi?

2 RESp. Quod foro ſeculari tradendi ſunt, & mortis pœna puniendi, primò, impœnitentes, & in hæreſi pertinaces: vt conſtat *in cap. Ad abolendã, de hæreticis in 6.* & docent Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.48. n.6.* Eymericus *par.2.direct.q.40.num.1.* & ibi Pegna *comment.65.* Decianus *tract.crimin.lib.5.c.55.in fin.* Farinacius *de hæreſi, quæſt. 196.n.1.* Iulius Clarus *lib.5. §. Hæreſis,* Suarez *de fide, diſp.23.ſec.2.n.3.* & omnes alij. Quia ſi pœna mortis, & combuſtionis alicui debetur; impœnitenti vtique, & in ſuo errore obſtinato imponenda eſt: omnium enim grauiſſimè delinquit.

3 Secundò, qui legitimis teſtibus sũt conuicti, & negant hæreſim, ſeu ſortilegium hæreticale commiſiſſe: quia præſumuntur in illo errore perſeuerare, dũ illum non confitentur; et quamuis exterius fidem Catholicam profiteri oſtẽdunt: tamen reputatur doloſa, & ficta eorum profeſſio: vt colligitur ex *dicto cap. Ad abolendam.* Et ità ſuſtinent Calde-

derinus *tract.de hæreticis,rubr.de impœnitentibus,n.*1.Royas *eodem tract.par.*1. *n.69*.Symanchas *vbi ſup.n.*25. Eymericus *par.2.q.34.nu.2.& 3.*& ibi,Pegna *n.*59.Suarez *loc.cit.n.*5.Farinacius *quæſ.* 178,*n.*20.& alij.

4 Tertiò,confitentes diminuti, & negatiui in cauſis fidei, qui non fatentur omnia crimina, & ſortilegia hæreticalia; de quibus per teſtes, omni exceptione maiores,eſſent conuicti, & veriſimiliter non poſſent credi obliti. Quia dimidiata confeſſio non eſt perfecta confeſſio, nec per illam licet, dimidiam ſperare veniam, *c. Quem pœnitet,de pœnit.diſt.*1. *c.Omnis,extra de pœnit.& remiſſ.*Symanchas *in Enchirid. tit.*61.*n.*4. Royas *de hæret.par.*2.*aſſert.*21. Pegna *par.2.comment.*59.*in fin.* Suarez *loc.cit. n.* 6. Dixi (et veriſimiliter credi non poſſint eſſe obliti) quia non eſt cenſendus diminutus confitens, qui ex obliuione omnes hæreſes, & omnia hæreticalia ſortilegia non reuelat. Quia,vt optimè notat Pegna: ſi hæc recentia ſint, in quibus non facilè præſumitur obliuio; tanquam diminutus confitens, & impœnitens, damnari poterit. Secus autem erit agendum,quoties commiſſa hæreſis crimina,ſeu hæreticalia ſortilegia eſſent antiquiora,& vetuſtiora, quę facilè à memoria receſſiſſe, credantur: vel ſi aliquæ cauſæ ſubſint;vt grauis infirmitas,læſio capitis,negotia plurima, vel alia, ex quibus præſumi poſſit obliuio. Veriſimile enim eſt,eum,qui quaſdam hæreſes fatetur, & eas grauiores, & quoſdam complices reuelat, præcipuè coniunctos, & amiciſſimos: cætera etiam fuiſſe dicturum, ſi recordaretur. Ità Pegna, Symanchas *de cathol. inſtitut.tit.*48.*n.*28. Royas *de hæret.par.* 1.*aſſert.*22.Farinacius *q.*196. *n.*16.17. & 18.& alij. Item hi diminuti non sũt, Curiæ ſeculari relaxandi, niſi diminutio ſit multum notabilis; & ex malitia facta: vt docent Cantera *in quæſt. crimin.de hæreſi,c.* 1.*n.*57. Royas *de hæret. par.2.n.*242. Paramus *de orig. S.Inquiſ. lib.3.q.9.n.*193.*& ſeq.*Carena *par.3.tit.* 13.§.1.*n.*18.& alij.

5 Quartò, qui ſuum manifeſtauit delictum in iudicio, & poſteà confeſſionẽ factam reuocat, vt impœnitens damnãdus eſt Curiæ ſeculari, niſi iuſtam reuocationis cauſam probet. Quia ex præcedenti confeſſione iam delictum eſt plenè probatum; et ſubſequens reuocatio præſumitur doloſa, ad effugiẽdam mortis pœnam. Alias ſi ob hanc reuocationem damnari non poſſet:omnibus delinquentibus daretur anſa reuocandi confeſſionem factam; vt pœnã ordinariam euitarent. Ità Farinacius *loc.cit.n.*20.Symanchas *tit.*13. *rubr.de confeſſis, n.*25. *& tit.*60. *rubr.de ſententijs,n.*8.Zanardus *tr.de hæret. c.*23.*n.*1. *& ſequ.*Calderinus *tit.de hæret.conſil.*2. *n.*1. Royas *par.2.de hæret. num.*255.*& ſequ. aſſert.* 25. Decianus *in tr. crimin. lib.*5.*c.*55.*n.*14.

6 Quintò, Curiæ ſeculari tradendus eſt,& mortis pœna puniendus, ſortilegus relapſus, qui prius abiurauerat ob Dœmonis inuocationem, & deindè iterum de eadem Dœmonis inuocatione eſt confeſſus,aut conuictus. Etiamſi prius abiurauerit,non tanquam confeſſus, vel conuictus, ſed de vehementi. Quia præſumitur fictè conuerti,& eſſe incorrigibilem. Vt habetur *in cap. Ad abſoluendam,§.Illos quoque,de hæræt.*& ibi Gloſſa. Ità docent Symanchas *de cathol.inſtit.tit.*87.*rubr.de relapſis, nu.*9. *& in Enchirid.tit.*60.*rubr.de relapſ.n.*4. Pegna *par.*3. *comment.*26. *verſ. Præterea ſententia relapſi,* Farinacius *dicta q.* 196.*n.*9.*&* 10. & alij. Dummodò ſortilegium ſit hæreticale manifeſtè: ſecus autem ſi hæreſim non ſapiat; tunc enim relapſus non traditur Curiæ ſeculari:vt docet Pegna *vbi ſup.verſ. Sed ſolus lapſus,*Tabiena *in ſumm.verb.Inquiſitor,*§. 18.*n.*19.Farinacius *n.* 12. At etiam requiritur,vt Dœmonis inuocatio fiat cũ mentis errore, itaut ſortilegus credat: Dœmones, ex ſua propria poteſtate, poſſe facere id, ad quod inuocantur, quia tunc tribuitur creaturæ, quod eſt proprium Creatoris.

7 Si verò ſortilegus ſpontè, & à nullo præuentus manifeſtaret ſe in ſortilegium

gium hæreticale abiuratum, & in priſtinam hæreſim incidiſſe, & pœnitentiam expoſtularet, pœnam mortis euaderet, quia dum à nullo præuentus, à ſe ipſo pœnitentiam petit, clarum ſignum tribuit veræ conuerſionis. Et conſequenter condonanda ei eſt pœna mortis; nec tradendus Curiæ ſeculari. Ità docent Pegna *par.3.comment.12.verſ.Sed quid ſi relapſus*, Menochius *conſil.*82. *n.*168. Decianus *tr.crimin.lib.*5.*c.*56.*n.*12. Farinacius *q.*193.*n.*39. Alphonſus de Caſtro *tract.de iuſta hæret. punit.lib.*2.*c.*1. Qui Doctores etiam docent, aduertendum eſſe, an hic relapſus, ad ſuum crimen fatendum, accedat, metu alterius denunciationis, & probationum contra ſe inſtantium: tunc enim non videtur facilè, pœnam mortis eſſe euaſurũ. Eſſe tamen illam euaſurum, etiam ſi captus, fateatur hæreſim, de qua in proceſſu non conſtabat: quia tunc non præſumitur fictè, ſed verè, conuerti.

8 Qui verò de primò hæreticali ſortilegio, ſeu de primò in hæreſim lapſu non fuit plenè conuictus; ſed abiurauit de vehementi; & in ſecundò lapſu eſt plenè conuictus, cenſeri debet quadam fictione relapſus: vt habetur *in cap.Accuſatus, de hæreticis in 6.* & ibi Doctores. Si autem ſolum de leui prius abiurauit: in eodem Textu dicitur: quòd quamquam ex hoc ſit grauius puniendus, non tamen debet relapſorum pœna puniri.

9 Inſuper qui primò abiurauit hæreſim, & poſteà incidit in illius vehementem ſuſpicionem: pœna relapſi puniri poteſt. Quia, vt quis fictione iuris reputetur relapſus, ſufficit, ſi de vno lapſu plenè, & euidenter conſtet, & de alio ſit vehemens ſuſpicio. Quod autem lapſus præſumptus antecedat, vel ſubſequatur lapſum certum, accidentarium eſſe videtur, & leuis conſiderationis: vt probant Menochius *lib.*1. *conſil.*82. *nu.*148. Alphonſus à Caſtro *de iuſta hæret. punit.lib.*2.*c.*2. Zanchinus *tr.de hæret.c.*16.*nu.*3.*verſ.Secundò modo*, Farinacius *q.*195.*n.*17. & alij. Quamuis contrariũ ſentiat Royas *tr.de hæret.c.*2.*n.*333. per Textum *in cap.Litteras, de præſumptionibus*, & Farinacius *n.* 18. teſtatur, hanc contrariam ſententiam regulariter in praxi ſeruari ab Inquiſitoribus Italiæ.

10 Eſt hæc autem doctrina extendenda, vt notat idem Farinacius *ibid. num.*32. ad eum, qui primò hæreſim abiurauit, & poſteà hæreticis fauet, iſte enim iudicandus eſt, vt relapſus. Dicitur enim in *dicto cap. Accuſatus*: *Ille quoque de cuius lapſu in hæreſim antè abiurationẽ conſtiterat, vel nunc conſtat, ſi poſtea hæreticos receptat, deducat, viſitet, ſiue aſſociet, aut dona, vel munera, ſeu fauorẽ eis impendat, meritò debet iudicari relapſus.* Et ità omnes ſentiunt. Et hoc non eſt ſolum intelligendum, vt aliqui opinantur; quando quis fauet hæreticis, profitentibus eandem hæreſim, quã ipſe prius abiurauerat, ſecus vero ſi diuerſam. Quia abiurans hæreſim expreſſè, vel tacitè, omnes hæreſes abiurat, & promittit nũquã receſſurũ à diuina reuelatione ꝑ Eccleſiã propoſita, & ſaltẽ tacitè ꝓmittit ab Eccleſia nõ diſceſſurus. Ac proindè ſi in vehemẽtẽ hæreſis ſuſpicionem incidit, vt relapſus iudicari debet. Ità Decianus *tr. crimin.lib.*5. *c.*56.*nu.*2.*&* 13. Cantera *quæſt.crimin. rubr.de hæret.c.*1.*n.*58. Pegna *par.* 2. *cõment.*65. & alij.

11 Notandum verò eſt omnibus, tàm relapſis, quàm alijs de hæreſi crimine pœnitentibus, & Curiæ ſeculari tradẽdis, danda eſſe Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, iuxtà *cap.Super eo, de hæreticis in 6.* vt affirmant Symanchas *tit.*65.*n.*7. Suarez *de fide, diſp.* 23.*ſect.* 2.*n.*12. Sacramentum autem Extremæ Vnctionis eis non datur, ſicut nec alijs vltimo ſupplicio afficiendis: quia, vt docet D.Thomas 4.*ſent.diſt.*23. *qu.*2. ſoli infirmi ſunt huius Sacramenti capaces. Sic enim ſtatutum fuit in Concil. Florentino, his verbis: *Hoc Sacramentum, niſi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet*, ait namque D. Iacobus, *c.*5. *Infirmatur quis in vobis, &c.* Vndè non confertur prælium gerentibus cum periculo mortis in bello, neque exiſtentibus in periculo naufragij, neque mulieribus

ribus cum periculo parturientibus: vt notant Dicaſtillus *de Sacram.tom.1.tr. 7.diſp.1.dub.10.n.161.* Pegna *par.3.cōment.101.verſ.Non tamen*, Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.57.n.16.*& alij.

12 Sextò,Curiæ ſeculari,& mortis pœna afficiendus eſt ſortilegus impius,qui in ſortilegio, vel quouis alio modo abutitur Sacratiſſima Euchariſtia: ſiue hoc faciat cum mentis errore, & malè ſentiens de hoc Sacramento: ſiuè credat hoc eſſe malum, & grauiſſimum ſacrilegium, & id faciat,ad placendum Dæmoni. Quamuis enim malè vtens Hoſtia ſacrata, ſine intellectus errore, non ſit hæreticus: vt aiunt Graffius *lib. 2.c.8.rubr.de hæreticis,n.2.& lib.4.c.18. n.11.& 12.*Farinacius *de hæreſi, q.181. n.43.* Ludouicus Paramus *de orig. Sanctæ Inquiſ.lib.3.q.3.n.10.*& alij. Tamen quia eſt grauiſſimum, & horrendum delictum, pœna mortis eſt puniendum; res enim ſacræ,quæ in ſortilegijs adhibentur, Dœmoni offeruntur: vt cum alijs notat Carena *par.2. tit.12. nu.33.* Quid ergo dicto ſortilegio horribilius? Ideò tale delictum committentem,eſſe Curiæ ſeculari tradendum, & pœna mortis puniendum, ex decreto Sacræ Congregationis,tradunt Carena *par.3. tit.13.§.1.n.24.* Locatus *in rubr. contra abutentes Sacramentis*, Farinacius *vbi ſup.n.44.* Genuenſis *in praxi Archiep.c. 68.n.10.* Emanuel Moura *de incant. Opuſ.1.ſect.3.c.5.nu.29.* Diana *tom.5.tr. 12.reſ.10.n.14.ex par.4.tr.7. reſ.10.nu. 14.*& alij.

13 Septimò,ſortilegus nō Sacerdos,ſeu quilibet alius ſimiliter non Sacerdos, Miſſam celebrans, traditur ſimiliter Curiæ ſeculari vltimo ſupplicio afficiēdus,quia eſt delictum grauiſſimum, iuxtà declarationem,& Bullam Pauli IV. æditam 20.Maij 1557.& aliam 17. Februarij 1559.Gregorij XIII. quæ incipit: *Officij noſtri partes*, æditam 1574. *tom.2. Bull. pag.387.* Clementis VIII. quæ incipit: *Etſi alias*,æditam 1601.*to. 3.Bull.pag.128.*& Vrbani VIII. per Epiſt.Eminentiſs.Cardin. Mellini ad Inquiſ. Generalem Luſitaniæ die 5.Martij 1622. Ità etiam ſentiunt Scortia *de Sacrificio Miſſæ,lib.2.c.6.n.10.* Peyrinus *tom.2. in Conſtitut.Pauli V. §.2.nu. 22.*Sanctarellus *de hæreſi, c.42. dub.vn. n.5.*Diana *tom.5.tr.12. reſol.11. & 12. ex par.4.tr.7.reſ.11.& 12.* Et ad violationem dictarum Bullarum, ſufficit, ſemel vnam Miſſam celebrare: quamuis verba conſecrationis non proferantur. Ità Souſa *in aphor.Inquiſ.lib.1.cap. 32.*& Diana *ibid.n.3.* Farinacius *de hæreſi,q.193.nu.39.* Vmbertus Locatus *in iudicial. Inquiſit. rubr.Contra ſine ordinibus celebrantes*. In Inquiſitione Hiſpaniæ dictæ Bullæ non ſunt vſu receptæ, quoad relaxationem Curiæ ſeculari ob dictum crimen;& ideò regulariter punitur pœna arbitraria: vt referunt Caſtro Palaus *par.1. tr.4. diſp.8.punct. 16.§.9.n.2.*Acugna *tract.de Confeſſ.ſollicit.q.13.n.10.*Diana *loc.cit.*& alij.

14 Octauò, ſortilegus,qui negauit Trinitatem in diuinis, vel diuinitatem Chriſti Domini, vel eius Conceptionē de Spiritu Sancto,vel eius mortem, vt nos redimeret, vel Beatiſſimæ Matris Mariæ virginitatem, ſeculari brachio eſt relaxandus,& vltimo ſupplicio plectendus, etiam pro primò lapſu,ex Cōſtitutione Clementis VIII. ædita die 3.Februarij 1603.Souſa *lib.2.c.44.n.6.* Carena *par.3.tit.13.§.1.nu.20.* Diana *tom.5.tr.12. reſ.24.nu.2.ex par.4. tr.7. reſ.24.n.2.*

15 Nonò, ſortilegi rebaptizantes puerum, vel baptizantes magnetem, aut hominis mortui cadauer, aut imagines cereas, vel quauis materia compoſitas, vel libros magicos. Refert enim Martinus del Rio *lib.5. diſquiſ. magic. ſect. 15.verſ. Dico quarto*: quod quidā Magi curant benedici per Sacerdotem,habentem ſtolam in collo, & cereum benedictum in manu, ſuos libros, poſitos ſub mappa altaris,qui illos aqua benedicta aſpergit:dicens: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij,& Spiritus Sancti*:credentes, ſic libros illos vim magicam accipere. Alij etiam, vt referunt Petrus Binsfeld.*in comment.ad l. Multi,Cod.de maleſ.& mathem.qu.3.* Graffius

ſius *lib.2.c.5. de ſuperſtit.obſeru.nu.12.* Toletus *in ſumm.lib.4.c.16.n.4.* Farinacius *de hæreſi,qu.181.nu.25.* conficiunt quaſdam imagines certis temporibus, & ritibus obſeruatis, & illas nomine Belzebub, Principis Dœmoniorum baptizant,& poſteà ad ignem applicãt, & à Dœmone petunt infirmitates, aut alia mala,quæ in perſona, cuius imaginem confecerunt, euenire optant. Et quãdoque etiam acubus, aut alijs aculeis ferreis perforant, aut pungunt illius imaginis caput,aut pectus, aut fœmora, aut aliam corporis partem, in qua cupiunt malum aliquod oriri in perſona illius,cui nocere intendunt: et illa grauiter torquetur in eadem parte corporis,quàm in imagine pungunt,vel transfigunt. Hi omnes ſortilegium hæreticale committunt: & vel ſunt hæretici malè credentes de Sacramento Baptiſmi, & Curiæ ſeculari ſunt tradendi, & pœna mortis puniendi: vel ſi errorem in intellectu non habent, ſunt vehementer de hæreſi ſuſpecti, & ab Inquiſitoribus grauiter puniendi. Ita Pegna *par.2. comment.67. verſ.Poſtremò*, Farinacius, Martinus del Rio *locis citatis*, & alij, quos ipſi citant Carena *par.2.tit.12.n.25.* In dubio autem præſumendum eſt,has imagines baptizantẽ habere errorem in mente, & malè ſentire de Sacramento Baptiſmi. Licet ex natura rei talis non ſit iudicandus hæreticus, niſi inquiratur de cauſa, & de ſuo errore circa fidem: quia fortaſſis non malè ſentit de illa: ſed id fecit, vt facilius à Dœmone ſuum deſiderium conſequeretur. Ità Farinacius *ibidem num.27.*

16 Decimò, ſortilegi, qui maleficio hoſtili fuerunt alicui cauſa mortis, brachio ſeculari tradendi ſunt, & vltimo ſupplicio etiam plectendi. Quia Gregorius XV. in ſua Conſtitut. incipiente: *Omnipotentis Dei*, ædita 20. Martij 1623. ità decreuit, his verbis: *Motu proprio,& ex certa ſcientia,ac matura deliberatione noſtri, de qua Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium decernimus, præcipimus, & mandamus; vt conſtito, quod aliquis pactum cum Diabolo fecerit, & à fide apoſtatando, maleficijs,ſiuè ſortilegijs vnam, ſeu plures perſonas ità læſerit, vt ex maleficio, vel ſortilegio mors ſecuta ſit, etiam pro primo lapſu, Curiæ ſeculari tradatur debitis pœnis puniendus.* Ità notant Peyrinus *tom.2.in Conſtitut.9. Pauli V.n.26.* Carena *par.3.tit.13.n.21.* Diana *tom.5. tr.12.reſ.10. ex par.4.tr.7. reſ.10.* Verum ſortilegus, ſeu maleficus, hæreticus, etiam Eccleſiaſticus, ſi fateatur, ſe in ſortilegijs, vel maleficijs homicidium commiſiſſe, & pœniteat, paratuſque ſit corrigi, non eſt ab Inquiſitoribus Curiæ ſeculari tradendus, ſed ad reconciliationem eſt admittendus; vt docent Souſa *in aphoriſ. inquiſ. lib.1.c.58.* Menochius *lib.1.centur.4. caſu 388.* Farinacius *de hæreſi, q.20.n.105. & qu. 193.n.13.* Diana *tom.5.tr.12.reſ.10. nu.4.ex par.4.tr.7.reſ.10.* Si autem Iudex ſecularis illum S.Officio conſignauit, ſuſpenſa aliorum criminum punitione; tunc expedita cauſa hæreſis, Officium Sanctæ Inquiſitionis eidem Iudici ſeculari illum reſtituere debet, & ſolet, iuxtà Conſtitution.Pij V. apud Pegnã, vt refert Thomas del Bene *par. 2. de offic.inquiſ.dub.206.ſect.6.n.2.*

17 Vndecimò, tandem ſortilegi omnes, qui Dœmones inuocant: vt notat Eymericus *par.2.q.43.n.2.*& eis ſacrificãt, vel adorant, vel orationes execrabiles effundunt,vel ſe Dœmonibus deuouẽt obedientiam promittendo, vel ſe facturos aliquid pro Dœmonibus aſſerunt, vel per Dœmonem iurant, vel per nomen alicuius Dœmonis ſuperioris Demonem inferiorem adiurant, vel laudes,aut cantus in eius reuerentia promunt, vel genuflectendo aliquid ei poſtulant,vel pro Dœmonis reuerentia, aut monito caſtitatem obſeruant, vel ieiunant, aut carnem ſuam macerant, aut veſtibus nigris, vel albis induunt, vel per characteres,& ſigna, & ignota nomina obſecrant,luminaria accendũt, aromatibus ſubfumigant, animalia immolant, ſanguinem proprium, ex ſe emittendo, offerunt, vel alia nefaria,

Dœ-

Dœmonibus conſultata,& concupita, faciunt, in quibus omnibus honor latriæ eis exhibetur. Vel nomina Dœmoniorum, inter nomina Beatorum, & Sanctorum, in ſuis nefarijs orationibus miſcent; cereos accendunt, et Deum per eorum nomina, vel merita obſecrant; vel multis alijs execrabilibus modis honorem Duliæ Dœmonibus exhibent. Iſti omnes ſi ſint iudicialiter conuicti,vel confeſſi:vt hæretici iudicio Eccleſiæ habendi ſunt; & per conſequens ſi reſipiſcant, hæreſi prius abiurata, ſunt vt pœnitentes hæretici perpetuò immurandi. Si autem noluerint deſiſtere:vel ſi dixerint,ſe velle deſiſtere,& pœnitere,ſed nolle abiurare:vel ſi abiurauerint, & poſteà in eundem errorem inciderint: ſeculari iudicio ſunt relinquendi,& vltimo ſupplicio puniẽdi.Ità Eymericus, & Pegna *comm. 68.*

Inquiſitores poſſunt ne aliquem, brachio ſeculari relaxare, inconſulto Supremo Tribunali?

18 Reſp. Negatiuè: etiam ſi vota Ordinarij,Inquiſitoris, & Cõſultorum,omninò conſentiãt: quia hæc relaxatio inter cauſas grauiſſimas cõputatur. Ità docent Molina *de iuſtit. tract.5.diſp.28. nu.*14. Diana *tom.5.tr.*10.*reſ.67.ex par.4.tr.*8. *reſ.*121. Carena *par.3.tit.*13.*§.*1.*n.*25.& alij.

Quandò conſtat de maleficio, & febre maligna ſubſequente, & poſteà de morte, mors eſt ne tribuenda maleficio, & maleficus, brachio ſeculari condemnandus?

19 Reſp. Negatiuè: niſi euidenter conſtet, febrem malignam ortum habuiſſe ex maleficio. Quia in dicto caſu mors tribuenda eſt febri, quæ eſt cauſa proximior mortis, non autem maleficio, quod eſt cauſa remotior. Quotieſcunque enim duæ eſſe poſſunt cauſæ mortis: vna præcedens, & remotior: altera ſubſequens, & proximior; præſumendum eſt, mortem ex cauſa proximiori, & ſubſequenti ortum habuiſſe: iuxta Textum *in l. Huic ſcripturæ,§.Si ſeruus,ad legem Aquiliam,& deciſionem Rotæ* 220. *&* 229. Quia ergo mors,vt plurimum ſequi ſolet ex febri, & non probatur, cauſam febris fuiſſe maleficium: mors potius eſt tribuenda febri,quàm maleficio. Ità Carena *par.2.tit.12.§.31.n.257.*

Poteſt ne maleficus homicida tradi brachio ſeculari ex indicijs indubitatis,vt ad mortem dãmnetur?

20 Reſp. Quòd quamuis in delictis, non occultis, & facilis probationis, nõ poſſit quis puniri pœna mortis ex indicijs,etiam indubitatis: vt docent Caſtrenſis *conſil.299.nu.3.* Gregorius Lopez *in l.26.tit.1.gloſ.4. partit.7.* & alij.Tamen in delictis atrocibus, occultis,& difficilis probationis, quale eſt crimen maleficij,& ſortilegij,diſtinguit Carena *par.2.tit.12.§.32.n.263.* quòd vel loquimur de Iudicibus Superioribus,& de Sacra,& Suprema Inquiſitionis Congregatione, vel de Iudicibus inferioribus. Si primo modo: certum eſt in dicto delicto, & alijs ſimilibus,ad hæreſim ſpectantibus, poſſe ex indicijs indubitatis,Sacram Congregationem, maleficum,ſeu ſortilegum homicidam, brachio ſeculari condemnare: vt mortis pœna puniatur. Sic enim etiam in alijs Tribunalibus ſeruari ſolet: Nàm per Sacrum Conſilium Neapolitanum, vt cum Io:Dominico Taſſono *in Pragmat.de antefato,verſ.*12. *obſeruat.*2.*nu.*2.refert idem Carena ann. 1606. quædam mulier imputata de homicidio viri, ob indicia indubitata,fuit ad mortẽ damnata. Et ann.1621. Cardinalis Zabata per Pragmaticam ſpecialem decreuit,poſſe Iudices ex indicijs indubitatis reos ad mortem damnare. Et ſimiliter Senatus Mediolanenſis die 16. Nouembris 1628. damnauit ad mortẽ quendam Paulum de Villa Murinentẽ, qui ſolis indicijs indubitatis, de homicidio vrgebatur: vt refert Stephanus Ga-

Garon I.C. eruditiſſimus *in tit. Conſtit. Mediolani de iure Fiſci, art. 36. nu. 15. verſ. Certè ſi verum.* Et de generali obſeruantia eiuſdem Senatus in pœnam mortis reos condemnandi ex dictis indicijs indubitatis, teſtatur Bellon. Papienſ. *lib. 2. de his, quæ fiunt in continenti, c. 115. n. 10.* Et idem in alijs Tribunalibus ſeruari, probat Carena.

21 Si verò loquamur de Iudicibus in Sancto Officio inferioribus; ipſe Carena arbitratur *nu.* 264. non poſſe eos ex indicijs indubitatis damnare maleficũ, nec quemlibet alium ad pœnam mortis ordinariam, virtute Conſtitut. Gregorij XV. ſed benè poſſe illos torquere, vel ad aliam pœnam extraordinariam condemnare. Sed Didacus Cantera *in qq. crimin. c. 2. de probat. per teſtes, q. 1. n. 60. & q. 6. n. 2.* Symanchas *in cathol. inſtitut. c. 49. n. 3.* Diana *tom. 5. tr. 10. reſ. 73. ex par. 4. tr. 8. reſ. 116.* abſque vlla diſtinctione abſolutè docent: In crimine hæreſis, probato facto, ex quo reſultat indubitatum indicium; Inquiſitores poſſe punire reum pœna ordinaria: & conſequenter poſſe relaxare Curiæ ſeculari maleficum, qui maleficio commiſit infanticidium, vel homicidium, vt vltimo ſupplicio puniatur. Notandum verò eſt; indicia indubitata illa dici, quæ animum Iudicis mouent neceſſariò ad credendum, maleficum tale delictum commiſiſſe, nec poſſe aliter credere. Ità Cantera *in qq. crimin. titul. de probation. c. 2. q. 6. n. 1. in fine*, qui alios allegat.

Maleficio pertentans tantùm alicui mortem; eſt ne brachio ſeculari tradendus; & vltimo ſupplicio afficiendus?

22 RESP. Quod vel maleficus ſola ſua cogitatione pertentauit alicui mortem: & quamuis mortale crimen commiſit, non eſt tamen, neque pœna ordinaria, neque extraordinaria puniendus: quia, vt ait Vulpius *in l. 18. ff. de pœnis*: Nemo patitur cogitationis pœnam: et ità etiam docent Doctores *in 1. 2. D. Thomæ, qu. 96. art. 4.* vt notat Vaſquez *diſp. 160. c. 2.* Beccanus *tr. 3. c. 6. qu. 5.* & Suarez *de legib. lib. 3. c. 13.* & alij. Et ſi vltra cogitationem adſunt tractatus, & maleficus non peruenit ad actum proximum, mortalis maleficij emittendi, ſed tantum ad actum remotum: tunc pœna extraordinaria tantùm eſt puniendus: vt docent Cantera *in qq. crimin. c. 7. de homicidio, n. 26.* Farinacius *qq. crimin. 124. nu. 8.* Giurba *conſil. crimin. deciſ. 46. n. 37.* Carena *par. 2. tit. 12. §. 34. n. 281.*

23 Maior difficultas eſt, quando maleficus deuenit ad actum proximum, & conſummauit delictum, præbendo maleficium ad mortem, & mors non ſit ſequuta: an tunc iuxtà Conſtitutionem ſupradictam Gregorij XV. ſit tradendus Curiæ ſeculari, & vltimo ſupplicio puniendus. Et videtur affirmatiuè reſpondendum: quia in delictis atrocibus (quale eſt dictum maleficium) ſic in alijs Tribunalibus practicatur. In Senatu enim Mediolanenſi, mandatarius, qui ad actum proximum homicidij deuenit, etiam morte offenſi non ſequuta; furca ſuſpenditur, ex Conſtitut. illius dominij, *tit. de pœnis, §. Mandantes.* In Senatu Sabaudiæ quidam fuit furca ſuſpenſus, eò quod de nocte intrauerat domum cuiuſdam, vt eum occideret, quamuis effectus non fuerit ſequutus: vt refert Præſes Abauo *in ſua praxi crimin. §. Conatus, n. 16.* Sic etiam ſeruatum fuiſſe in Regno Neapolitano, teſtantur Afflictus *in Conſtitut. Regni, lib. 1. rubr. 12. n. 11.* & Capycius *deciſ. 155.* & ſimiliter in alijs Tribunalibus: vt refert Carena *loc. cit.*

24 His tamen non obſtantibus, dicendũ eſt. Maleficum, qui maleficium ad mortem alicui intulit, & mors non ſit ſequuta, non eſſe pœna ordinaria puniẽdum: ſed extraordinaria; nec tradendũ Curiæ ſeculari. Quia Gregorius XV. expreſsè decreuit in ſua Conſtitut. quę incipit: *Omnipotentis Dei*, ędita 20. Martij 1623. *Vt conſtito, quod aliquis pactũ cum Diabolo fecerit, & maleficijs, ſeu ſortilegijs, vnam, vel plures perſonas,*

ità læſerit,vt ex maleficio, vel ſortilegio mors ſequuta ſit, etiam pro primo lapſu Curiæ ſeculari tradatur debitis pœnis puniendus. Dum ergo in prædicto caſu ſupponitur ex maleficio mortuum non eſſe maleficiatum,ſequitur maleficum non eſſe Curiæ ſeculari tradendum, vt mortis pœna puniatur. Ità notant Barboſa *in tract.var.dictione* 183.*n*.9. Menochius *de arbitr. Iudicum*, *caſu* 360. *n*.96. Carena *vbi ſup.n*.290. Erit tamen alia pœna puniendus,ſicut ibidem, ſtatuit idem Pontifex, & capite ſequenti refertur,*n*.1.

Quando autem pœna mortis ſit remittenda ſortilegis, & alijs hæreticis, vide *cap*.16.*fol*.122.*& ſequ*. de ſpontè comparentibus, & *cap*.17. de ſpontè in carcere confitentibus,*fol*.125. *& ſequ*.

CAPVT XXXI.

De Pœna Carceris maleficis, ac ſortilegis,alijſque debita.

Carceris pœna quibus maleficis, ac ſortilegis in S.Officio imponitur?

1 RESp. Quod primò imponitur illis,qui maleficia, vel ſortilegia commiſerunt: ex quibus licet mors ſequuta non ſit: infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, aut animalibus, frugibus, vel alijs fructibus damnum notabile prouenerit; iſtos enim muro claudi, ſiuè perpetuis carceribus in S. Officio Inquiſitionis mancipari, decreuit Gregorius XV. in ſupradicta ſua Conſtitutione. Secundò maleficis, ſeu ſortilegis hæreticalibus, aut alijs hæreticis pœnitentibus. Iſti enim dum ad agendam pœnitentiam redire volũt, impuniti eſſe non debent: et ne iterum in hæreticalia ſortilegia, aut in hæreſim incidant, vel ne alios inficiant, ad perpetuos carceres damnandi ſunt: iuxtà Conſtitutionem Innocentij IV. æditã ann.1254.incip. *Nouerit Vniuerſitas,verſ.Si quis autem*, & Conſtitut.Federici Imperatoris,incip.*Commiſſi*,relata à Pegna inter literas Apoſtolicas in *direct. inquiſ. & in c. Excommunicamus* 2.§.*fin.extra de hæreticis*. Vbi dicitur: *Si qui autem de prædictis poſtquam fuerint depræhenſi,redire voluerint,ad agẽdam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere damnentur*. Ità etiam affirmant quamplures Doctores, quos citat,& ſequitur Farinacius *de hæreſi, qu*. 193.*n*.101.

Malefici, & ſortilegi de criminibus atrociſſimis confeſſi, vel conuicti, poſſunt ne retineri in carcere, ità obſcuro, & tetro, vt intrà paucos dies moriantur?

2 RESp. Affirmatiuè, iuxtà doctrinã Martini del Rio *lib*.5. *diſquiſit. magic.ſect*.7.*in princ*. vbi ait: In criminibus atrociſſimis, etiam poſſunt detineri in compedibus,manicis cippis, in carcere obſcuro, & tetro,in quo intra paucos dies moriantur; ſed hoc intelligẽ poſtquàm crimen confeſſi, vel conuicti, & damnati de crimine, mortem merentur. Idem confirmat Farinacius *q*.193.*n*.107.bis verbis:*Hæretici quoad pœnam poſſunt poni in duro, & arcto carcere,dummodò id fiat ab Inquiſitore de conſenſu Epiſcopi, vel è contra*, vt apertè probare videtur Textus *in Clement*. 1. §. *Propter, de hæreticis*, in illis verbis: *Duro tamen tradere carceri, ſiuè arcto,qui magis ad pœnam, quàm ad cuſtodiam videatur*: et ibi Canoniſtæ,& præſertim Bonifacius de Vitalinis *nu*. 34.vbi duri,& arcti carceris exemplum ponit, in carcere exiſtente in loco infimo, & ſubterraneo,in quo non videtur claritas Solis,neque Lunę.Et in propoſito Martinus del Rio *lib*.5. *diſquiſ.magic.ſect*.7.*in princ*. ait: *Hæreticos confeſſos,vel conuictos, & ad mortem damnatos, poſſe retineri in carcere obſcuro, & tetro,in quo intra paucos dies moriantur*. Hæc Farinacius.

Regulariter carcer perpetuus, pœnitenti hæreticali malefico, aut ſortile-

legio, vel alio hæretico, aſſignandus, qualis eſſe debet?

3 RESp. Quod non debet eſſe ità arctus, vt abbreuiet dies incarcerati; ſufficit enim, vt ille viuat in pane triſtitiæ, & aqua doloris. Immò qui in tales carceres abbreuiantes vitam, reos pœnitentes deponeret, non euaderet irregularitatem: iuxtà Gloſſam in *cap. de hæreticis in 6.* in figuratione caſus, *verſ. Vndè iſte carcer*, Henrich Boich *in cap. Nouimus, nu. 4. de verb. ſignificat.* & ibi etiam Antonius de Butrio *n. 7. verſ. Vltimò nota*, Ioannes Royas *ſingul. 49. n. 1. & ſeq.* Campegius in *addit. ad Zanchinum in tr. de hæreticis, c. 20. litt. G. in verb. Pœnas, verſ. Tu tamen*, Decianus *in tr. crimin. lib. 5. c. 42. n. 14.* Farinacius *vbi ſup. n. 106.*

Quinam malefici, ſeu ſortilegi hæretici, pœnitentes, ad perpetuum carcerem condemnari non debent?

4 RESp. Non eſſe ad perpetuum carcerem condemnandos: Primò, qui ſponte ad S. Officium comparent, & ſua delicta fatentur, antequam accuſati, vel denunciati ſint, etiamſi metu imminentium probationum, & teſtium ad Inquiſitores veniant. Secundò, neque qui ſtatim poſtquam capti ſunt, tàm de ſe, quàm de alijs, qui complices delicti fuerunt, plenè, & integrè confitentur. Tertiò, pœna carceris perpetui condonari poteſt ab Inquiſitoribus, illis, qui puro corde confitentur, priuſquam dicta teſtium publicentur: ſecus autem eis, qui poſt dicta teſtium publicata: quia tunc iam videntur conuicti: & iure optimo in perpetuum carcerem condemnandi ſunt. Ità Pegna *par. 3. comment. 142.* Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 47. n. 29.* Royas *tr. de hæret. par. 2. nu. 197.* Farinacius *q. 193. nu. 103.* Quartò, ad perpetuum carcerem damnari non poteſt, qui ſolum eſt, de hæreſi ſuſpectus, iuxtà Textum *in cap. Excommunicamus 2. de hæret. in 6.* & tradunt Repertorium Inquiſitorum *in verb. Carcer, verſ. Viſo de carcere*, & alij, quos citat, & ſequitur Farinacius *loc. cit.* Quintò, poſt publicationem teſtium, ſi aliqua rationabilis cauſa vrgeat, poſſunt Inquiſitores cum Epiſcopis, perpetuum carcerem ad tempus reducere, vel etiã totaliter condonare, & in alias pœnitentias extraordinarias commutare; iuxtà poteſtatem eis traditam *in cap. Vt commiſſi, de hæret. in 6.* & ibi tradunt cũ Gloſſa communiter Canoniſtæ, Pegna *3. par. comment. 145.* Clarus *in pract. §. Hæreſis, n. 7.* Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 16. rubr. de cuſtodia reorum, n. 5.* Farinacius *ibid. nu. 104.* Sextò, non eſt imponenda pœna carceris perpetui, ſed ſolum ad tempus, prout Inquiſitoribus viſum fuerit, reis, qui de leui, vel de vehementi, non autem de formali abiurarunt: ità Vmbertus Locatus *in iudicial. Inquiſit. in verb. Suſpicio, n. 31.* Eymericus *par. 3. direct. rubr. de quinto modo terminandi proceſſum fidei, num. 172.* & ibi Pegna, Ioannes Royas *ſingular. 1. n. 21.* Farinacius *ibid. n. 103.*

Quid agendum cum muliere maga, quæ ſit nupta, & meretur carcerem perpetuum?

5 RESp. Si hæc mulier pœnitens ad miſericordiam recipiatur, non eſt ad carcerem perpetuum condemnanda: ſed conſulto Supremo Inquiſitionis Tribunali, loco carceris aſſignanda ei eſt domus mariti: ità Pegna *par. 3. comment. 142. verſ. Poſtremò*, Lelius Zecchius *in ſumm. par. 1. tit. de fide, rubr. de hæreſi, c. 11. n. 8. verſ. Secundò loco*, Farinacius *n. 105.*

Sacerdos celebrans ſuper rebus ad ſortilegia ſeruientibus, punitur ne pœna carceris?

6 RESp. Affirmatiuè. Sacerdos enim celebrans ſuper rebus aptis ad ſortilegia; vt ſunt hoſtia non conſecrata, circumſcripta certis notis, & litteris ſanguineis, vel curicula, qua infantis naſcentis caput eſt inuolutum, vel panis

nis incoctus,ſeu maſſa cruda, aut panis coctus in placenta,vel calamita, & his ſimilia:vel abuſus ſit vaſis,aut veſtibus ſacris, e.g.pallio altaris,calice,patena, purificatorio, tabernaculo Euchariſtię, aut reliquiarum,lapide ſacrato,vel eius fruſtro,corporali,manipulo, ſtola, alba, vel ſanctuarijs,&c. vel in Miſſæ ſacrificio præces, quæ non tendunt ad Dei cultum, & animarum ſalutem,ſed potius in peccatum, obtulerit: beneficijs eſt priuandus, & in carcerem etiam perpetuum detrudendus. Ità Diaz *pract.crimin.c.*19.Grillandus *qu.*14. *&* 16.Menochius *de arbitr. caſu* 188. *nu.* 12.Martinus del Rio *lib.*5. *diſquiſ.magic. ſect.* 16. *verſ. Sacerdos celebrans*, Thomas del Bene *de offic. inquiſ.par.*2. *dub.*229.*ſect.*9. *n.* 7. Souſa *in aphoriſm. inquiſ.lib.*1.*c.*58.*n.*10.*& ſeq.*

In Sacris Ordinibus conſtitutus, condemnatus ad perpetuum carcerẽ, eſt ne degradandus?

7 RESp. Affirmatiuè, iuxtà *cap. Quoniam Epiſcoporum, de hæreſi in* 6. & reſcriptum Vrbani IV. quod incipit: *Conſultus*, §. *Quæſtioni verò*, & refertur à Pegna *par.*3.*comment.*46. *verſ. Et conſequenter*. Ait enim Pontifex: *Quæſtioni verò, qua quæritur vtrum conſtitutus in ſacris,depræhenſus in hæreſim, ac propter hoc immurandus perpetuo, prius ſit ab Ordinibus à ſuo Epiſcopo degradandus,antequam tradatur huiuſmodi pœnitentiæ: Reſpondemus: quòd talis, qui eſt perpetuo immurandus prius debet à ſuis Ordinibus degradari*. Hæc ibi. Notat Eymericus *par.*3. *direct. qu.* 94. nullam eſſe differentiam inter carcerem, & murum, nàm pro eodem ſumitur *in cap. Excommunicamus vlt. & in cap.Vt commiſſi, & in cap.Accuſatus in fin.de hæreticis in* 6.Et Pegna *loc. cit.* ait: ſupradicta verba accipienda eſſe de degradatione reali, & actuali: non autẽ de ſuſpenſione ab Ordinum executione. Et ſimiliter dicendum de illo,qui in perpetuum ad triremes damnatur, iſte enim debet etiam actualiter degradari: cum par ſit vbique ratio. Et iſti degradari debent: quia damnatus in perpetuum ad carcerem, vel ad triremes æquiparatur damnato ad mortem: vt ait Innocentius *in cap. Qualiter, & quando* 2.*de accuſation.*

8 Verum hæc de iure vera ſunt, ſed regulariter benignitas huius Tribunalis introduxit,vt qui in perpetuum carcerem, vel in perpetuum ad triremes condemnantur, non ſoleant actualiter degradari,ſed tantum ſuſpendi ab Ordinum executione. Ità notat Pegna *par.*3.*comment.*46. *verſ. Tametſi verò.*

Sortilegis deprehenſis in hęretica prauitate, & pœnitentibus, eſt ne imponenda cum pœna carceris alia pœnitentia?

9 RESp. Affirmatiuè. Nàm, vt notat Eymericus *par.*3. *direct. qu.*95. Conſueuit Sanctæ Inquiſitionis Tribunal, iniungi eis, vt cruces deferant antè, & retrò, & ſtent in valuis Eccleſiarum certis diebus Dominicis, & feſtiuis, & quod crucientur pane anguſtiæ,& aqua doloris. Vt per has pœnitentias ſatisfaciant debito, quod per culpam contraxerunt: et appareat; an ſint verè pœnitentes, an fictè conuerſi, & cùm eas peragunt recordentur delicti contra fidem commiſſi, & illud deteſtentur, & defleant. Ità cum Eymerico Pegna *comment.*144. In his autem pęnitentijs imponendis,docent Zanchinus *tr.de hæret.c.*20. obſeruari debere perſonarum qualitatem, & grauitatem maiorem, vel minorem culpæ, ac etiam vt veriſimiliter credant Iudices fidei, à pęnitentibus fore peragendas, & non deſerendas,*cap.Pœnitentes* 50.*diſt.*

Pœna perpetui carceris, poteſt ne mitigari, & in aliam commutari?

10 RESp. Poſſe ex iuſta cauſa ab Inquiſitoribus, & Ordinarijs, vt ſuprà dictum eſt, iuxtà Textum *in c. Vt commiſſi, verſ. Et illorum, de hæreticis in* 6.vbi dicitur:*Et illorum, qui veſtris mãdatis*

datis obedientes humiliter ſtant, propter hæreſim in carcere, vel muro recluſi, pœnam una cum Prælatis; quorum iuriſdictioni ſubſunt, mitigandi, vel mutandi, cũ videritis expedire. Et ità docent quamplures Doctores, quos citat, & ſequitur Farinacius *de hæreſi, q.* 193. *n.* 104. Hæc autem commutatio perpetui carceris admittenda eſt, quando ſortilegus, vel maleficus, vel alius hæreticus non fuit notoriæ in hæreſi deprehenſus, & timor non adeſt, quod alios corrumpat: vt aduertit Vmbertus Locatus *in iudicial. Inquiſit. in verb. Hæreticus, nu.* 34. Tempus carceris, in quo commutari poteſt carcer perpetuus reo impoſitus, relictum eſt arbitrio Inquiſitorum: vt colligitur ex *dicto cap. Vt commiſſi*: et affirmant Pegna *par.* 3. *comment.* 108. *verſ. Quæſitum ſcio*, Farinacius *dicto n.* 104. Repertorium Inquiſitorum *in verbo Carcer, verſ. Item nota, quod non ſolum.* Qui cum alijs etiam docent. Quod Inquiſitores etiam poſt ſententiam poſſunt pœnitenti, ad perpetuos carceres condemnato, pœnam commutare, & abbreuiare eorũ arbitrio. Regulariter tamen cum condemnato ad carcerem perpetuũ nõ diſpenſatur, niſi poſt annos tres. Cum condẽnato ad carcerẽ perpetuum irremiſſibilem, non diſpenſatur, niſi poſt annos octo. Poſſunt etiam, vt notat Farinacius; loco carceris imponere alias pœnas pœnitentiales; vt ieiunare, Sanctorum limina viſitare, errorem ſuum in publicum deteſtari, & his ſimilia. Symãchas quoque *de cathol. inſtitut. titul.* 16. *rubr. de cuſtodia reorum, num.* 5. *&* 6. ait: poſſe Inquiſitores pœnitentibus pro carcere, aſſignare Monaſteria, Hoſpitalia; vel alias domos religioſas. In Hiſpania verò ex ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicæ perpetui carceris diſpenſatio, cõmutatio, vel ad tempus relaxatio, ſicut & veſtis crucibus ſignatæ depoſitio, ſolum ſpectat ad Inquiſitorem Generalem. Ità Royas *ſingul.* 155. *n.* 5. Symanchas *loc. cit. n.* 20. Pegna, & Farinacius *vbi ſup.*

Frangens carceres S. Officij, & aufugiens, quá pœna puniri ſolet?

11 RESP. Quod vel loquimur de detencto in carcere ob cuſtodiam pendente proceſſu, vel de ibi detencto pro ſui criminis pœnitentia. Si primò modo. Non deſunt Doctores, qui opinantur: quod carcerem frangens, & ab eo fugiens, vel fugere, & carcerem frangere tentans, habendus eſt pro conuicto, & tanquam hæreticus damnari poteſt. Secus verò ſi aufugerit, ex carcere oſtio aperto; tunc enim non habetur pro conuicto; ſed excommunicatur, ſi in termino ſibi aſſignato, ad carceres nõ reddit: et ſi per annum excommunicationem ſuſtinuerit, tanquam hæreticus punitur. Ità Vmbertus Locatus *in iudicial. Inquiſit. in verb. Carcer, n.* 16. *verſic. Ex carceribus fugiens, & ſeq.* Zanchinus *in tr. de hæret. c.* 10. *nu.* 4. & ibi, Campegius *in addit. litt. P. verſ. Fugit carcerem*, Maſcardus *de probation. tom.* 2. *concluſ.* 820. Farinacius *de hæreſi, q.* 193. *n.* 137. & alij. Sed reum carcerem frangentem, & fugientem, non eſſe pro conuicto habendum, neque tanquam hæreticum puniendum, docent Symanchas *in annotat. ad Zanchinum, cap.* 8. *& in cathol. inſtitut. tit.* 16. *n.* 23. Royas *de hæret. par.* 2. *aſſert.* 15. Pegna *par.* 3. *direct. commen.* 35. Souſa *in aphoriſm. inquiſ. lib.* 2. *c.* 26. *n.* 37. Paramus *lib.* 3. *q.* 4. *num.* 72. *& ſeq.* Diana *tom.* 5. *tr.* 12. *reſ.* 15. *ex par.* 4. *tr.* 7. *reſ.* 15. Quia in tali caſu præſumendũ eſt, fugiſſe carceris tedio, aut metu falſorum teſtium, vel tormentorum, & non quia haberet circa fidem errorem in intellectu. Non debet tamen ob dictam fugam impunitus, euadere; ſed pœna arbitraria eſt puniendus: et ſi eſt Nobilis, aut Doctor, aut Religioſus, vel alius honorabilis Ciuis, cuſtodiendus eſt arctius, & puniendus durius. Si verò ſit vilis verberibus eſt publicè flagellandus, & cauſa hereſis in ſuo ſtatu permanet; & tractatur: et alijs pœnis arbitrarijs puniri poteſt. Et mitius eſt agendum cum illo, qui ex negligentia Cuſtodis è carcere aufugit. Ità Pegna, & alij. Reſultat etiam ex ipſa fuga contra ipſum, in-

indicium ad torturam; et ſi citatus non compareat, poteſt condemnari: vt ait Seſſe *tom.4.deciſ.471.n.8.*

12 Qui verò è carcere ſibi aſſignato, ad implendas pœnitentias, aufugit, & illũ fregit. Si ſtatim ſe præſentat coram Inquiſitore, vel Supremo Tribunali Sanctæ Inquiſitionis, nulla pœna eſt afficiendus: quia qui ad Superiorem vadit, non dicitur frangere carceres; vt probant Franciſcus de Auiles *in ſuis commentarijs ad leges Prætorum, c.18.* Iacob à Sancto Georgio *in l.1.n.9.Cod. de ſeruis fugitiuis,* Marius Giurba *conſ. deciſ.69.nu.19.*Carena *par.2. tit.17.nu. 77.* Si autem è carcere ſine iuſta excuſatione aufugit, & arrepta fuga ſe occultet, & poſteà pœnitens fugæ, quàm fecit, ſpontè ſe præſentat, & miſericordiam petat, & ſe offerat de nouo pariturum: recipiendus eſt, iniuncta ſibi, arbitrio Inquiſitoris, pœnitentia ſui falli. Si verò captus fuit, & paratus ſit Eccleſiæ ſatisfacere: iniungenda eſt ei maior, ſed non ſine miſericordia, pœna propter fugam: vt ait Pegna *par.3. comment.146.* Sed ſi fugiens, non permittit ſe capi: tunc contra ipſum proceditur, ſicut contra contumacem: quia ex eius fuga non modicam oritur impœnitentiæ ſignum: reputatur enim fictè conuerſus, & tanquam impœnitens contumax, condemnari debet. Ideò citandus eſt per ædictum, vt accedat intra certum tẽpus præfixum, & ſi non acceſſerit intra illud tempus, pronunciandus eſt excommunicatus; in qua excommunicatione ſi per annum animo pertinaci extiterit, illo completo, tanquam hæreticus, eſt damnandus, ex *cap. Cum cõtumacia, de hæreticis in 6.* Ità Eymericus *par.3.direct.nu.112.* Pegna *par.3. commen.33.49.& 91.* & alij communiter.

Pœna carceris ad tempus in Sancto Tribunali Inquiſitionis quibus imponitur?

13 RESp. Quòd imponi ſolet omnibus de hæreſi tantum ſuſpectis, qui de leui, vel de vehementi abiurant: quales ſunt ſortilegi hæreticalia ſortilegia committentes: Confeſſarij ſollicitantes ad turpia in confeſſione, vel in confeſſionario; Blaſphemantes hæreticaliter; conſpurcantes, vel cõculcantes Sanctorum imagines; mulieres, quæ viuente primo viro, tranſeunt ad ſecundas nuptias; Aſtrologi, & Diuinatores, qui de futuris contingentibus, & à libera hominum voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmant, & ſimiles de hæreſi ſuſpecti; vt in *cap. Excommunicamus 2.de hæreſi in 6.* & docẽt etiam communiter Doctores.

CAPVT XXXII.

De Pœna Triremium, Fuſtigationis, Exilij, & Habitu Pœnitentiæ.

Pœna triremium, quando, & quibus delinquẽtibus imponi ſolet ab Ordinarijs, & Inquiſitoribus?

1 RESp. Eſſe ſolitos puniri pœna triremium. Primò, hæreticos pœnitentes, qui puniri merentur carcere perpetuo. Iſti enim damnari ſolent per quinquennium ad triremes, vt teſtantur Royas *par.2. de hæret. nu. 203.* Carena *par.3.tit.13.§.3.n.33.*

2 Secundò, ſortilegi hæreticalia ſortilegia, & proximi læſiua patrantes; vt ait Zanardus *par.3.ſummæ, c. 64. verſ. Ideò animaduertere,* Cantera *de ſortilegijs, c.6.nu.6.* Et ſic ad triremes fuiſſe damnatum quendam ſortilegum per ſeptennium ob abuſum Sacramenti Baptiſmi, & quendam Subdiaconum, qui pluries confeſſiones exceperat: refert Carena *loc.cit.n.45.& 46.*

3 Tertiò, poligami regulariter damnari ſolent ad triremes per quinquennium, vel ſeptennium, ſi ſemèl tantum viuente prima vxore, aliam duxerunt; nàm ſi vlterius matrimonium contraxerunt grauius puniendi ſunt, & lon-

giori tempore in triremibus damnandi, arbitrio Inquiſitorum: ità Carena, & alijs relatis *par.2. tit.5.* §.12. *nu.*61.*&* 62. Qui etiam notat cum Farinacio *de hæreſi,q.*178.*n.*73.In Hiſpania hos poligamos damnari ad pęnam triremium per decem annos.

4 Quartò,teſtes, qui in foro Epiſcopali,vt quis poſſit tranſire ad ſecunda vota, deponunt,eſſe mortuam primam coniugem,cum ſit viua:regulariter vna cum poligamis ad triremes quinquennales,vel etiam ſeptemnales, iuxtà eorum culpam,arbitrio Inquiſitorum dānantur,Carena *vbi ſup.*§.13.*num.*67.Et eadem pœna eſſe puniendos teſtes alios falſum deponentes in hoc S.Tribunali, vel falſum denunciantes; affirmant Souſa *lib.*2. *cap.* 8. Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*8.*punct.*16. §.6. *num.*9. Diana *to.*5.*tr.*12. *reſ.*16.*ex par.*4. *tr.*7. *reſ.etiam* 16.& alij.

5 Quintò, eadem pœna triremium damnandi ſunt, qui, cum ſint in ſacris Ordinibus conſtituti, matrimonium contrahunt. Diana *tom.*5.*tr.*12.*reſol.*5. *ex par.*4.*tr.*7. *reſ.*5. Caſtro Palaus *par.* 1.*tr.*4.*diſp.*8.*pun.*16.§.8.*n.*4.

6 Sextò, Confeſſarij ad turpia in cōfeſſione ſollicitantes, ad triremes damnantur: ità Freitas *de Confeſſ. ſollicit. q.* 24.*n.*115.Caſtro Palaus *diſp.*9.*pun.*11. *n.*2.Souſa *in aphoriſm. c.*34. *num.*67.& Diana *vbi ſup.reſ.*7.teſtatur,*n.*4.fuiſſe quendam Confeſſarium ad triremes per ſeptemnium ob ſollicitationem damnatum. Et ità generaliter ſeruari in praxi Inquiſitionis Romanæ, affirmant Aloyſius Bariola *in tr. de Confeſſ. ſollicit.poſt Flores Inquiſit.*Freitas *loc.cit.* & alij.

7 Septimò,Blaſphemi hæreticales,ex conſuetudine, ſi non ſint nobiles, ad triremes, alij damnātur per triennium, alij per quinquennium, & alij per decemnium. Et eadem pœna puniuntur conſpurcantes, vel conculcantes Crucem,vel imagines Sanctorum; vt affirmat Carena *par.*3.*tit.*13.§.3. *nu.*41.*& ſeq.*Genuenſis *in praxi,c.*18.*nu.*12. Royas *de hæret.par.*2.*n.*176. Pegna *par.*2. *comment.*66.Diana *loc.cit.reſ.*8.*n.*4.

8 Octauò, non Sacerdotes, Miſſam celebrantes, vel confeſſiones audientes,ex decreto Clementis VIII. tradūtur brachio ſeculari; ſed in Hiſpania damnari ſolent ad triremes: vt aiunt Souſa *in aphoriſ.lib.*1.*c.*32.*n.*12.Diana *vbi ſup.reſ.*11.*&* 12. A noſtris Inquiſitoribus idem ſeruatur,quando,vel delictum non eſt ità plenè probatum, vel adſunt aliquæ cauſæ de iure delictum minuentes: vt cum reus eſſet infrà vigeſimum annum. Ità Carena *par.*3.*tit.* 13.§.3.*n.*44.

9 Nonò, qui officium Inquiſitionis vſurpauit,vt aliquos terreret,vel pecunias extorqueret,aut alia crimina præſtaret,pœna fuſtigationis, & triremium eſt afficiendus pro qualitate delicti. Ità Symanchas *de cathol. inſtitut. titul.* 46. *col.vlt.& in Enchirid.c.vlt.n.*15. Iulius Clarus *lib.*5.*recep.ſent.tit.ad l. Corneliā teſtamentariam*, Caſtro Palaus *par.*1. *tr.*4.*diſp.*8.*punct.*16.§.7.*nu.*4. Carena *n.*52.

10 Decimò, qui teſtes, vel denunciantes, ob eorum teſtificationem, vel denunciationem contra delinquentem, percutit, ſi percuſſio ſit grauis, etiamſi mors non ſequatur, ad mortem ab hoc Sancto Tribunali damnari ſolet,ſi autē ſit leuis, & facta baculo, ad triremes mittitur,ex Conſtitut. Pij V. *Si de protegendis*: vt notat Carena *ibid. n.*45.

11 Vndecimò,poſſunt etiam Inquiſitores hæreticis pœnitentibus pœnam triremium, non ſolum ad tempus, ſed perpetuò imponere: vt cum Campegio, & alijs docet Farinacius *de hæreſi, q.*192.*n.*88.

12 Duodecimò,miſcentes in ſortilegijs Oleum Sanctum,ſeu Sacrum Chriſma, vel ſacramentalia, vel orationes, aut verba ſacra: et negent ſe credere, quod prædicta vim habeant, ad cogendum arbitrium,aut ad alios turpes effectus, abiurare debent de vehementi, & poſſunt (ſpectata perſonarum qualitate) induti mitra infami, in publicum produci,vel cum vituperatione, propè fores Eccleſiæ conſtitui: vt affirmant Syman-

manchas *tit.21.n.22*.Pegna *par.2.comment.67*.Ioſeph Seſſe *tom.4. deciſ.466. n.13*.Sed de ſtylo Inquiſitionis Romanæ ſolent,ad triremes condemnari:ita Genuenſis *in praxi, c.68.n.8.* Martinus del Rio *lib. 5. diſquiſ. magic. ſect. 16.* Diana *tom.5.tr.12. reſ.16. ex par.4.tr. 7.reſ.16*.Souſa *in aphoriſ.inquiſ. lib.1.c. 58.n.10*.& alij.

13 Tertiodecimò, teſtes falſi, vt ſupra dictum eſt,ex inueterata conſuetudine, damnantur ad triremes, & aliquando mitra infami, etiam fuſtigantur: vt ait Souſa *lib.2. c.8.n.27*. Et eadem pœna puniuntur; ſi pro defenſione inquiſiti, falſum depoſuerunt, & abiurant, tanquam fautores hæreticorum. Vt docet Caſtro Palaus *par.1.tr.4.diſp.8. punct. 15.§.6.n.9.& 10*.Symanchas *tit.64.nu. 90*.Diana *tom.5.tr.12. reſ.16.n.3.ex p. 4.tr.7.reſ.16.n.3.*

14 Quartodecimò,qui precibus,vel minis, vel pecunia, teſtem corrumpit, vt falsò contra aliquem in hoc S. Tribunali deponat, plectendus eſt ijſdem pœnis,quibus plectuntur falſi teſtes.Quia plus delinquit, qui teſti mandat, vel ſuadet, vt falſum teſtimonium dicat: quàm teſtis ipſe,quia nocendi animum habet,& alium, ad falſum teſtandum, inducit: vt notant Pegna *par.3. comm. 122*.Symanchas *loc.cit.n.96*. & Diana *vbi ſup*.refert,*n.5*. quendam,qui in Sãcto Tribunali alios, ad teſtificandum falſum corruperat, damnatum fuiſſe ad triremes per decennium cum alijs pœnis.

15 Quintodecimò,qui è triremibus aufugit: ſi ibi erat ad tempus damnatus, punitur duplicatione temporis, quod ibi manere debebat. Si autem damnatus erat ad decennium, punitur ad triremes perpetuò. Et ſi ibi perpetuò dãnatus erat, punitur pœna mortis. Ita Clarus *in praxi,§.fin.q.71. verſ.Quæro quæ pœna*, Carena *par.3.tit.13.§.6.nu. 76*.& alij.

Pœna fuſtigationis, & verberationis, quibus imponenda eſt?

16 Reſp. Quòd hac pœna puniuntur. Primò, mulieres ſortilegæ, & quæ, viuente primo viro, ſecundum matrimonium contrahunt. Ità Souſa *in aphoriſ.inquiſ.lib.1.cap.35.nu.20*. Salzedus *in addit. ad pract. crimin.* Diaz *cap. 8. litt.B.* Diana *tom.5.tr.12.reſ.4. ex par. 4.tr.7.reſ.4.n.6*.Carena *par.3. tit.13.§. 4.n.55.& 56.* Secundò, conſulens binas nuptias primo viro viuente; vt obſeruat *ibid.* Diana *n.8.* cum Emanuele Moura *de incant.Opuſc.1.ſect.3. c.6.nu. 11*.vbi refert eadem pœna fuiſſe damnatam, matrem conſulentem filiam, vt ſecundò nuberet, non mortuo primo coniuge,ac ipſam filiam. Quia non minor ſuſpicio, male ſentiendi de Sacramento matrimonij,adeſt contra matrẽ, quàm contra filiam. Tertiò, ſortilegus, ac poligamus,qui non eſt habilis ad remigandum,non tantum ſemèl,ſed pluries fuſtigari ſolet: vt teſtatur Carena *loc.cit.n.57.& 60*. Quartò, fuſtigantur teſtes falſi vltra pœnam triremium: ità Souſa *in aphor.inquiſ.lib.2.c.8.nu.27*.& Carena *n.58*.Qui *n.60*.ait etiam, quod quando teſtes falſi ſunt mulieres, quæ damnari non poſſunt ad triremes,ſemèl vel pluries,iuxtà qualitatem delicti fuſtigari ſolent.Quintò,idem Carena *nu. 59.* refert ſæpè viſitatum fuiſſe, præſertim in Hiſpania:Religioſos in ſuo Monaſterio virgis cedi ab alijs Religioſis,præſente Notario S.Officij ob ſollicitationem ad turpia in confeſſione. Sextò,qui de vehementi abiurant, fuſtigari poſſunt, & ad carcerem, vel ad triremes damnari, iuxtà qualitatem perſonæ,ac delicti. Ità Michael Zanardus *in direct.Theol.par.3.cap.134*. Genuenſis *in praxi Archiep.cap.68. nu.8*. Septimò,qui abiurant de leui condemnari poſſunt, non ſolum ad aliquam pœnitentiam,& ad pœnam pecuniariã, vel ad carcerem,& ad triremes pro aliquo tempore, ſed etiam ad pœnam fuſtigationis,arbitrio Inquiſitorum,cõſiderata ſimiliter qualitate perſonæ, & grauitate delicti. Ità Caſtro Palaus *p. 1.tract.4.diſp.7.pun.1.nu.9*.Diana *to.5. tr.12.reſ.1.n.1.ex par.4.tr.7.n.1.* Octauò,quandoque etiam hæretici puniun-

tur pœna fuſtigationis, vt ait Farinacius *de hæreſi,q.193.num.*90. Decianus *tr.crimin.lib.*5.*cap.*42.*n.*11.

17 Notandum verò, non eſſe damnandas ad pœnam fuſtigationis, mulieres habentes virum, vel filias nubiles. Nè marito fiant exoſæ in odium Sacramẽti matrimonij,& ne filiæ nubiles, ob id cogantur carere matrimonio. Ità Souſa *in aphoriſ.lib.*4.*c.*13.*n.*6. Carena *loc. cit.n.*61. Qui etiam affirmant idem eſſe dicendum de patre nubiles habente filias.

18 Notandum quoque, hanc pœnam imponendam eſſe citrà ſanguinem, vt cum alijs affirmant Decianus, & Farinacius *locis ſuprà citatis.*

Pœna exilij, vel relegationis, quibus delinquentibus eſt imponenda?

19 RESp. Eſſe imponendam. Primò, tàm viris, quàm mulieribus ſortilegos poſt fuſtigationem, quando damnari non debent pœnis ſupradictis grauioribus: quia expedit à dictis perſonis Ciuitatem, vel Regnum purgari, vt notat Faber *in ſuo Cod. tit. de malef.& mathem. defec.* 1. & dicitur *in l.*1.*de officio Præſidis*. Et ità fuiſſe multoties ſeruatum, affirmat Carena *par.*3. *tit.*13.§.6.*nu.*71. Securius vero eſt, huiuſmodi perſonas in determinatum locum relegari; vt poſſint diligentius obſeruari,& ne alienæ Ciuitates, & loca ab eis inficiantur. Ità Cantera *de hæret.c.*1. *n.* 55. Præſes Abauo *in ſua praxi,*§.*Sortilegium,nu.*98. Carena *loc. cit.* Secundò, exiliantur Confeſſarij ſollicitantes in confeſſione à locis vbi deliquerunt. Ità Souſa *de Confeſſ. ſollicit. tr.*2.*c.*15.*n.*13. et ità præcipitur in Cõſtitut. Gregorij XV. *contra Confeſſ. ſollicit.* Tertiò, blaſphemi nedum nobiles, ſed etiam ignobiles,& viles, poſt abiurationem de leui, in exilium mittuntur: vt teſtatur Seſſe *in deciſ. Regni Aragoniæ,tom.*4.*deciſ.*470.*n.*24. Viles autem aliquando poſt fuſtigationem: vt notat Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.* 8.*n.*10. Salzedus ad Diaz *c.*110.*ſub lit. A.* Quartò, Sacerdos, qui Miſſas defunctorum celebrat pro viuentibus, vt moriantur, exilio perpetuo punitur: ità Souſa *in aphor.lib.*1.*c.*58.*nu.*12. Menochius *caſu* 388.*n.*15.& alij. Quintò, Sacerdos, qui ſortilegè celebrauit ſuper rebus aptis ad maleficia; per multos annos relegatus fuit cum conditione, quod ſingulis menſibus ſe præſentaret Reuerendiſſimo Inquiſitori illius Ciuitatis. Teſtatur Carena *par.*3. *tit.*13. §. 5.*n.*66. Sextò, qui habens vxorem, ſpõſalia contrahit cum alia, vel ad alium actum proximum contrahendi aliud matrimonium deuenit; vt ſi dotem ſtipulet, vel determinet; vel publicationes in Eccleſia fieri mandet, & ſimilia: abiurat de leui, & in exilium, vel in carcerem mittitur, vel alijs pœnis arbitrarijs punitur: Souſa *ibid.c.*35.*nu.*6. Diana *tom.*5.*tr.*12.*reſ.*4.*n.*10.*ex par.*4. *tr.*7.*reſ.*4.*num.*10. Septimò, vir nobilis, qui nulliter contraxit primum matrimonium, & antequam illius nullitas ab Eccleſia declaretur, contrahit ſecũdum: in Italia, pœna arbitraria punitur,& abiurat de vehementi: vt teſtatur Pegna *par.*2.*direct.comment.*81.*verſic. De eo,* Farinacius *de hæreſi,q.*178. *n.* 68. In Hiſpania verò abiurat de leui, & exilio,& pœna pecuniaria punitur. Sed ſi plebeius ſit, flagellis ceditur, & ad triremes per quinquennium damnatur. Ità Symanchas *de cathol. inſtit.tit.* 40.*n.*5. Farinacius *ibid. nu.*174. Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*8.*punct.*8.*nu.*2. Qui ait idem eſſe dicendum de eo, qui aliqua apparenti ratione ductus, de morte prioris coniugis, cum ſecunda contrahit. Quod procedit, tàm in viro ducente vxorem, quàm in vxore ducẽte virum: vt notant Symanchas, & Farinacius *n.*173. *vbi ſup.* Mulieres verò nobiles, quæ non mortuo primo viro, ſecundum duxerunt, relegantur: vt ait Souſa *in aphoriſ.lib.*1.*cap.*35.*n.*20. Carena *vbi ſuprà,*§.5.*n.*65. Octauò, Aſtrologi iudiciarij, qui de futuris contingẽtibus, & à libera hominum voluntate pendentibus, frequenter aliquid euenturum affirmant, & maximè cum aliorum

rum damno, merentur in actu publico abiurare de leui, & in exilium, & pœnam pecuniariam damnari: ità Diana *tom.5. tr.12. reſ.17.nu.2.ex par.4.tr.7. reſ.17.n.2.*Carena *par.3.tit.13.§.6. nu.* 72. Nonò, retinentes libros hæreticorum, vel alias ſcripturas continentes ſortilegia hæreticalia: ſi exteri ſunt, expelluntur à Diœceſi, in qua deliquerunt: vt teſtatur Genuenſis *in praxi Archiep. Neapol.cap.84. n.12. in priori ædit.& cap.68.in noua*, Carena *nu.* 73. Decimò, exiliantur in S.Officio omnes, qui concionando, vel diſcurrendo, propoſitiones dixerint ſcandaloſas: et qui incidiſſent in Conſtitution. Pauli V. & Gregorij XV. in materia Conceptionis B.Mariæ Virginis: ità Carena *loc.cit.§. 6.n.*74. Vndecimò, qui à loco vbi relegatus fuit ad tempus, aufugit, vel exiliũ frangit, ei duplicatur tempus relegationis, vel exilij: vt ex *l.Relegati, ff.de pœnis*. Si autem relegatus, vel exiliatus erat ad decennium, punitur relegatione, vel exilio perpetuo; & ſi relegatio, vel exilium, erat perpetuum; pœna mortis punitur: ità Iulius Clarus *in praxi,§.fin.q.*71. Pro hac autem materia videndus eſt Giurba *conſil. crim.*47. *n.*21.*& ſeq.* vbi plures de hac re caſus diſtinguit, ac reſoluit. Duodecimò, fautores, defenſores, & receptatores hæreticorum, in perpetuum relegantur, & bona confiſcata amittunt: ità videntur ſtatuiſſe Innocentius IV. & Clemens IV. ac etiam Federicus Imperator, relati à Pegna *par.2.commen.76. verſ.Ac præter cæteras*:et ità docent Zanchinus *tr.de hæret.c.*17. *n.*4. Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*15.*n.*14. & alij: ſed mitius puniuntur ſi ſint vxores, patres, fratres, filij, & ſimiles perſonæ: quia, vt ait Pegna *loc.cit. & comment.* 81. ratione ſanguinis, & naturalis affectionis, non fidei contemptu, aut hæreſi amore, id feciſſe, videntur.

Pœna habitus pœnitentialis, quænam eſt, & quare, ac quibus in S.Officio imponitur, & cũ qua obligatione?

20 RESp. Quod hæc pœna eſt quædã veſtis, ſeu ſaccus benedictus, in cuius ſuperiori parte sũt duæ cruces crocei, ſeu rubei coloris longitudinis duorum palmorum, & dimidij, latitudinis duorum palmorum, & in ſe trium digitorum habentes latitudinem; vnã anterius in pectore, & aliam poſterius inter ſpatulas; quæ veſtis, ſuperius, & patenter portanda eſt, nec occultanda: vt qui publicè deteſtati ſunt catholicã fidem, patenter etiam ſignum conuerſionis, & deteſtationis erroris commiſſi, portent. Huius autem ſigni portatio eſt pœna, propter infamiam, quàm affert, manifeſtans portantem fuiſſe hæreticum. Et ità ſtatutum fuit in Concilijs Tarraconenſi, Thòloſano, & Bitterenſi, vt refert Pegña *par.3.commen.*42. Et fuit per totum orbem vſu receptũ: vt teſtantur Farinacius *de hæreſi,q.*193. *n.*91.Caſtro Palaus *par.1. tr.4. diſp. 6. punct.3.n.1.*& alij apud ipſos.

21 Hæc autem pœna iniungitur hæreticis, pœnitentibus, reconciliatis, & non relapſis, ex dictis Concilijs: et affirmãt Eymericus *in 6. modo terminandi proceſſum.n.*175. Pegna *dicto comment.*42. & cæteri omnes. Imponitur hæc pœna, aliquando ad tempus, & aliquando in perpetuum, vt cum alijs notat Farinacius *vbi ſup.* Vbi etiam docet cum Symancha *de cathol.inſtitut.tit.*47.*rubr.de pœnitentibus,& conuerſis,n.*11.quod Inquiſitores non poſſunt, præfinitum tempus deferendi hunc habitum, moderare, aut remittere ſine ordine Supremæ Inquiſitionis.

Qui dictum habitum occultauerit, aut abiecerit, poteſt ne ab Inquiſitoribus puniri, tanquam de hæreſi ſuſpectus, & vt impœnitens?

22 RESp. Affirmatiuè, quia non leuem ſuſpicionem ingerit, conuerſionem antecedentem fuiſſe fictam, & ſuũ errorem non ex animo deteſtaſſe, dum ſatisfactionem, & pœnitentiam paruipendit, & omittit. Ità Eymericus *3.par. q.97.*& ibi, Pegna *comment.*146.Symã-

chas

chas *loc.cit.tit.*48.*n.*29.*&* 30.& Farinacius *n.*123.

In hoc caſu qua pęna eſt puniendus?

23 RESP. Quod Vmbertus Locatus *in iudicial.Inquiſ.verb.Carcer, n.*16.*verſ.Carceres autem fugiens*, Zanchinus *tr.de hæret. c.*10.*n.*4. *verſ.De eo vero,& n.*5.& ibi Campegius *in addit. litt.C.in verb.Detruſus*,& alij ſuſtinent, eſſe,tanquam impœnitentem, & relapſum condemnandum, & Curiæ ſeculari tradendum. Quia, vt ſuprà dictum eſt. Omittens ſine cauſa pœnitentiam ſibi iniunctam exequi, præſumitur fictè eſſe conuerſum, & in errore priſtino perſeuerare: et conſequenter, quod ſit relapſus, dum in errorem reprobatum perſeuerat. Sed probabilior ſententia eſt,hunc violantem iniunctam pœnitētiam,eſſe impœnitentem,non autem relapſum, & contra illum tanquam contra impœnitentem procedi poſſe, dum in illo ſtatu perſeuerat. Et ideò ſi à cōtumacia recedit, & miſericordiam poſtulat admittendus eſt, & nullo modo Curiæ ſeculari tradendus. Debet tamē pro crimine violatæ pœnitentiæ abſq; cauſa,arbitrio Inquiſitorum puniri: vel pœna pecuniaria,vel fuſtibus,vel ieiunijs,penſata qualitate perſonæ, & grauitate criminis. Ità Pegna *loc.cit.verſic. Itaque*, Royas *tr.de hæret.* 2.*par.aſſert.* 41.*nu.*335.*verſ.Tertiò fuit*,Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*16.*rubr.de cuſtodia reorum,n.*24.*&* 25.Farinacius *q.* 193.*n.* 136. *&* 146. Lelius Zecchius *par.*1. *ſummæ,tit.de fide,rubr.de hæreſi,c.*11.*n.* 19.Caſtro Palaus *par.*1.*tr.*4.*diſp.*6.*pun.* 3.*n.*4. & alij apud ipſos.

Extendenda ne eſt hæc ſententia, vt procedat etiamſi hæreticus pœnitens ſub iuramento, & pœna relapſi, ſe obligaſſet ad pœnitentiæ executionem?

24 RESP.Affirmatiuè, quia obligatio cuiuſcunque metienda eſt, iuxtà iuris regulas, quibus cenſendus eſt quilibet,ſe velle obligare, *l.Si duo,ff.de acquirenda,vel omittenda hæredit. & l. Nemo poteſt,ff.de legatis*.Regula autem iuris non præcipit,hunc violatorem, vt relapſum puniri. Ergo hanc pœnam ex eius obligatione portare non debet. Ità idem Caſtro Palaus *nu.*5. Hyppolitus Riminaldus *conſil.*150.*num.*6.*&* 7. Menochius *conſil.*82.*n.*113.*& ſequ.*Pegna,& Farinacius *nu.* 142. *locis citatis.*

Hæc pœnitentia delationis habitus cū Cruce,eſt ne iniungenda pœnitentibus, & conuerſis abiurantibus, vt ſuſpectis de hæreſi, ac etiam de vehementi?

25 RESP. Negatiuè, quia huiuſmodi cruces ſunt inſignia hæretici pœnitentis: ſuſpecti autem de hæreſi, etiam de vehementi, non ſunt verè hæretici. Ergo non ſunt cruce ſignandi. Ità docent Eymericus *par.* 3. *de ſextò modo terminandi proceſſum,n.*175.& ibi Pegna *comment.* 42. *verſ. Quoniam verò.*

CAPVT XXXIII.

De Pœna Pecuniaria,& confiſcatione bonorum.

Pœna pecuniaria poteſt ne ab Inquiſitoribus iniungi ſortilegis, de hæreſi ſuſpectis?

1 RESP.Affirmatiuè, ità enim habetur in Conſtitutione Alexandri IV. quæ incipit: *Super extirpatione*, & regiſtratur à Pegna inter litteras Apoſtolicas poſt *direct.Inquiſitorum*,& in Gloſſa *in Clement.*2.*in verbo Illicitis,de hæreticis*,& ibi, Cardin. Zabarella *in* §. *Inquiſitoribus,n.*20. *verſ. Secundò quæro*,Ioannes de Imola *n.*6.Bonifacius de Vitalinis *n.*57.*&* 58.Eymericus *par.*3. *direct. qu.*103. & ibi, Pegna *comment.* 152.

152. Souſa *in aphoriſ. inquiſ.lib.3.c.*28. & alij, quos citat, & ſequitur Farinacius *de hæreſi,q.*193.*nu.*108.Carena *p.3.tit.*13.§.8.*n.*80.Et Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*46.*rubr.de pœnis*, *nu.*76. declarat, hanc pœnam eſſe iniungendã vehementer ſuſpectis, qui propter infirmitatem, aut propter ſenectutem,aut ob aliam cauſam torqueri non poſſunt: tunc enim poſt abiurationem pecuniaria pœna mulctantur. Ceſſante autem impedimento torquentur,& non pecunialiter puniuntur. Idemque docent Pegna *loc.cit.*Ioannes Royas *ſingul.* 1.*n.*22.*verſ.Et Inquiſitores*, & alij.

Inquiſitores poſſunt ne pœna pecuniaria alios punire?

2 Reſp. Poſſe hac pœna punire fautores, & defenſores hæreticorũ non hæreticos?vt affirmãt dictus Card. Zabarella *verſ.De fautoribus*, Ioannes de Imola *ibid.n.*6.*verſ.Secus dicit*, Ioãnes Calderinus *tr. de hæreticis*, *rubr.de executione ſententiæ*,*nu.*3. Item eadem pœna punire poſſunt proferentes per iocũ,aut ex ira,aut ex ignorantia verba hæreticalia,vt ſuſtinent Eymericus *dict. q.*103.& Pegna *dicto commen.*152.*verſic.Rurſus Inquiſitores*, Decianus *in tr. crimin.lib.*5.*c.*44.*poſt n.*7. Farinacius *n.*113.Carena *n.*80. & alij. Item nobiles blaſphemos,vt teſtantur Salzedus *ad c.*110.Diaz *ſub litt.A.verſ.Si verò nobilis*, Souſa *in aphoriſ.lib.*1. *c.*19. *n.*20.*verſic. Quod ſi nobilis*,Cantera *de blaſphemis*,*c.*3.*n.*4. *verſ.Quoad blaſphemum*. Item ſortilegos auaros, qui hanc pecuniariã pœnam magis timent, & vehementer dolere ſolent de pecunia ſoluenda: vt aſſerunt Zanchinus *de hæret. c.*19. *nu.*3. Pegna *dicto comment.*152. *verſ. Item imponuntur*,Carena *vbi ſup.* Farinacius *n.*115.& 116.

3 Verum hæc de iure procedunt. Nunc autem Inquiſitores Italiæ, ex ſpeciali decreto Sacræ Congregationis Eminentiſsimorum Cardinalium,non poſſunt pœnis pecuniarijs ſortilegos, vel alios de hæreſi ſuſpectos damnare: niſi conſulta eadem S. Congregat. in quocunque caſu particulari. Vt omnibus notum ſit: in hoc Sancto Tribunali nihil à Iudicibus fidei prætendi, niſi animarũ ſalutẽ: vt notat Carena *p.3.tit.*13.§.8.*n.*81.& 82.Qui tamẽ ait *nu.*83. quod etiam ſtante hac prohibitione poſſunt Inquiſitores,damnare reum ad pœnam pecuniariã ſoluẽdam pro eleemoſyna alicui loco pio: quia in hoc caſu ceſſat ratio prohibitionis, *l.In omni,ff.de adoptionibus*, & ibi Bartolus, & Surdus *conſil.*375.*nu.*34.

Si condemnatus ad pœnam pecuniariam, non poſſet, vel nollet illam ſoluere, quid ab Inquiſitoribus agendum?

4 Reſp.Poſſe illam, ne dum antè ſẽtentiam,ſed etiam poſt,commutare in pœnam corporalem, iuxtà regulam: *Qui non poteſt ſoluere luat in corpore.* Ità Quintilianus Mandos *in addit.ad Repert.Inquiſit.in verb.Pœna*, *litt.R.verſ.Vnde ſi condemnatus*,Gundiſaluus *tr.de hæret.q.*17.*nu.*6. Tutius tamen aliqui exiſtimant, vt fiat in eadem ſententia, dicendo: Condemnamus te in tantam pecuniam, quàm niſi ſolueris infra tantum terminum, mandamus, quòd patiaris talem pœnam corporalem. Sed Pegna *dicto comment.* 152. *verſ. Addit Repertorium*; hanc practicã minimè admittendam eſſe in Sancto Officio, affirmat. Quia antequam quis condemnatur in pecunia, videndum eſt; an eam ſoluere poſſit. Sed non negat,poſſe poſt ſententiam,corporalem pœnam imponi ob defectum pecuniariæ. Ità etiam alij apud Farinacium *loc.cit.n.*114.

Inquiſitores poſſunt ne hanc pœnam pecuniariam imponere reo Clerico beneficiato, qui patrimonium non habet?

5 Reſp. Affirmatiuè: dummodò recipiat fructus beneficiorum in proprios vſus:ità Pegna *par.3.commen.*152.

152. *verſ. De Clericis, & commen.* 161. *verſ. Ex prædictis*: vbi ait, Clericis poſſunt imponi pœnitentiæ pecuniariæ ſi ipſi in fructibus beneficiorum habeant dominium, quamuis non habeant patrimonium. Repertorium verò Inquiſitorum *verb. Clericus*, §. *An Clericis*, cõtrarium ſuſtinet. Sed extra controuerſiam eſt, ſi proprium habeant patrimonium poſſe eis dictam pœnam imponere. Ità Zanchinus *tr. de hæret. c.* 19. *n.* 5. Bernardinus Diaz *in pract. crimin. canon. c.* 134. Pegna *dicto comment.* 152.

Pœnæ pecuniariæ, in quos vſus ab Inquiſitoribus applicari debent?

6 RESP. Non eſſe applicandas in proprios particulares vſus ipſorum Inquiſitorum: quia in omnibus Iudicibus vehementer eſt reprehendẽda, & euitanda auaritiæ, & cupiditatis ſuſpicio. Sed multò magis hoc eſt euitandum in Inquiſitoribus, quos integerrimos eſſe oportet, & omni cupiditatis ſuſpicione carentes; vt ex Fulcodio indicat Eymericus *par.* 3. *q.* 103. *in fin.* & Pegna *dicto comment.* 152. *in fin.* Farinacius *de hæreſi, q.* 193. *nu.* 119. Sed huiuſmodi pœnæ applicari debent, vel pro expenſis, & neceſſitatibus Sacræ Inquiſitionis Officio, cùm in Italia omnes ferè Inquiſitiones ſint pauperes, & aliquæ, nec habent, vndè ſumptus neceſſarios ſumant. Vel applicandæ ſunt ad ædificandas Eccleſias, vel ad alendos pauperes, vel ad inopes virgines dotandas, vel ad ſimiles pios vſus. Ità Eymericus, Pegna, & Farinacius *loc. cit.* Vmbertus Locatus *in iudicial. Inquiſ. in verbo Mulcta*, Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.* 46. *rubr. de pœnis, nu.* 76. *verſ. Sed has pœnas*, Decianus *in tr. crimin. lib.* 5. *c.* 44. *n.* 7. & alij communiter.

Poſſunt ne Inquiſitores, ſortilegis, & alijs de hæreſi ſuſpectis, imponere pœnam confiſcationis bonorum?

7 RESP. Negatiuè: vt docent Zanchinus *tr. de hæret. c.* 19. *n.* 2. *in fin. verſ. Caueat tamen, & cap.* 20. *nu.* 2. *verſ. Dum tamen*, Decianus *vbi ſup.* Repertorium Inquiſitorum *in verb. Cõfiſcatio, verſ. An autem veniant*, Clarus *in praxi*, §. *Hæreſis, n.* 23. *in fin.* Petrus Binsfeldius *de confeſſ. malef. prælud.* 14. *verſ. Confiſcatio bonorum*, Farinacius *de hæreſi, q.* 181. *nu.* 4. *& n.* 53. *& q.* 193. *n.* 120. Quia in extrauag. Ioann. XXII. contra magos, magicaſque ſuperſtitiones facientes, relata ab Eymerico *par.* 2. *direct. q.* 43. *num.* 9. ſtatuitur, quòd ſortilegi ineuntes fœdus, pactũq; facientes cum Dæmone, vel illi immolantes, aut illum adorantes, vel annulum, ſpeculum, phialam, vel aliam quãcunque rem ad Dœmonem alligandũ conficientes, & ab eo petentes reſponſa, vel pro implendis eorum prauis deſiderijs auxilia poſtulantes; in his omnibus caſibus puniri debeant omnibus, & ſingulis pœnis, quibus hæretici puniuntur, excepta bonorum confiſcatione: Et ideò tali pœna iure Canonico in ſortilegis locum non habet.

8 De iure verò Ciuili, ſortilegi cuiuſcunque generis ſint, & quomodócunque faciant ſortilegia, puniuntur pœna mortis naturalis, & bonorum cõfiſcatione, ex Text. *in l. Nemo, in l. Multi, in l. Et ſi excepta, & in l. Eorum, Cod. de malef. & mathem.* Ità Ghirlandus *de ſortileg. q.* 2. *n.* 10. *& q.* 11. *nu.* 5. 7. 11. 12. *&* 27. Menochius *de arbitr. lib.* 2. *cent.* 4. *caſu* 388. *nu.* 5. Clarus *in pract.* §. *fin. q.* 68. *verſ. Sortilegi, & malefici*, Farinacius *de delictis, & pœnis, qu.* 20. *num.* 88. Qui *n.* 89. ſubdit, quòd quidquid ſit de iure, de conſuetudine tamen hæc pęna mortis naturalis, & confiſcationis bonorum non ſeruatur tàm rigorosè. Nã ſortilegi conficientes ſortilegia non hæreticalia, vel fuſtigantur, vel mitrantur in publico, & deindè banniuntur, vel alia pęna arbitraria plectuntur. Ita Farinacius cum alijs.

Hæc pœna confiſcationis quando incurritur, ac debetur, & exigi poteſt?

9 Reſp. Quod incurritur à die commiſſæ

miſſæ hæreſis: quia quamuis Panormitanus *in cap. Vergentis, de hæreticis, notab.*2. affirmet: bona hæreticorum non eſſe ipſo facto confiſcata: ſed confiſcāda: eius tamen doctrina intelligitur, de tempore antequam fuiſſet decretum in *cap. Cum ſecundum leges, de hæreticis in* 6. Nàm in hoc *cap.* expreſsè ſtatutum fuit à Summo Pontifice: vt ipſo iure, ſeu ipſo facto bona hæreticorum ſint confiſcata: et ità docet Pegna *par.3.directl.comment.* 158. *verſ. His ità poſitis,* Et Farinacius *de delictis, & pœnis, q.*25. *n.*13. ait: In hæreſis crimine bona confiſcantur ipſo iure, & ſtatim à die commiſſi delicti dominium tranſit in Fiſcū, & reus adminiſtrationem ſuorum bonorum amittit: ex *dicto cap. Cum ſecundum*: et ibi Gloſſa, & communiter Doctores. Qui etiam docent, quod licet in Fiſcum ipſo iure tranſeat dominium bonorum hæretici: non tamen tranſit eorum poſſeſſio, per regulam, quod in illis caſibus, in quibus tranſit dominiū ſine traditione, non tranſit poſſeſſio, niſi expreſsè dicatur: vt in *l. Cum hæredes, ff. de acquirenda poſſeſſione.*

Qui in hæreſim incidit: antequam à Iudice condemnetur, tenetur ne in foro conſcientiæ omnia bona ſua, quę ob commiſſum hęreſis crimen amiſit, Fiſco offerre, itaut ſi ei illa non tradat, mortaliter peccet?

10 RESp. Quòd Panormitanus, & Felinus *in cap.*1. *extrà de conſtit.* & Alphonſus Caſtrus *lib.*3.*c.*10. *de poteſtate legis pœnalis, & lib.*2.*c.*6. *de iuſta hæret. punit.* & alij, ſuſtinent teneri. Sed contraria ſententia, quæ docet, non teneri, verior, benignior, & tutior eſt: quia nemo obligatur ad pœnam erga ſe ipſum exequendam: neque cogitur, vt ſe ipſum in publicum prodat: iuxtà Text. *in cap. Quis aliquando, de pœnit. diſt.*1. Et graues, & importabiles obligationes non ſunt imponendæ: vt *Matthæi cap.*23. Et vtique grauis, & importabilis obligatio eſſet, ſi quis in foro conſcientiæ teneretur, ad pœnam priuationis omnium bonorum ſuorum, erga ſe ipſum exequendam. Ità ſentiunt Conradus *de contractib. qu.*7. *concluſ.*2. Syluester *verb. Hæreſis* 1. *qu.*8. Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.*9. *nu.*157. *& ſequ.* & alij, quos citat, & ſequitur Pegna *loc. cit. verſ. Cæterum.*

Qui, antè ſententiam, & antequam Fiſcus apprehendat poſſeſſionem dictorum bonorum, ſincero corde, hæreſim abiurando, ad fidem catholicam reuertitur, illius bona trāſeunt ne ad Fiſcum?

11 RESp. Negatiuè, ſed ipſi integrè remanent, quia redeundo ad vnitatem Eccleſiæ, debet etiam redire ad exercitium iurium ſuorum bonorum. Ità Abbas *in cap. Quia diligenti, de elect.* Squillacenſis *in tr. de fide cathol. cap.*23. *in fin.* Farinacius *de delictis, & pœnis, q.*25. *nu.*16. & alij. Qui verò poſtquam per ſententiam traditus eſt Curiæ ſeculari, etiamſi per pœnitentiā ad miſericordiam admittatur, bona ſua amittit, nec illa recuperat, niſi Domini temporales voluerint ei ſua bona condonare. Ità Pegna *par.*3. *comment.*158. *verſ. Secunda concluſio.* Qui etiam addit *verſ. Mihi autem.* Non eſſe faciendam talem condonationem illi, qui poſtquā traditus eſt Curię ſeculari, conuertitur. Quia omninò indignus eſt tanta benignitate. Nec videtur iuſtum, vt duo tàm inſignia, & ingentia priuilegia, vitæ ſcilicet, & condonationis bonorum, conferantur indigniſſimo, & perditiſſimo homini. Immò in S. Tribunali Inquiſitionis Hiſpaniæ, nulli hæretico fit bonorum condonatio: niſi tantum ſpōtè comparenti, qui, nullo metu probationis, & teſtificationis ductus, ad Inquiſitores accedit, & hæreſim ſuam manifeſtando, miſericordiam poſtulat: ità in Inſtruct. Toletana ann. 1561. *nu.* 41. Vt notat Diana *to.*5. *tr.*10. *reſ.*126. *ex par.*4. *tr.*8. *reſ.*44.

Hæc pœna confiſcationis exigi ne poteſt antè Epiſcopi, & Inquiſitoris ſententiam, in qua declaretur, reum hæreticum eſſe impœnitentem, vel relapſum, & illam incurriſſe?

12 RESp. Negatiuè, quia ità ſtatuitur *in cap. Vt inquiſitionis, §. Prohibemus, & cap. Cum ſecundum leges, §. fin. de hæreticis in 6.* his verbis: *Confiſcationis tamen huiuſmodi executio, vel bonorum ipſorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios Dominos temporales, antequam per Epiſcopum loci, vel aliam perſonam Eccleſiaſticam, quæ ſuper hoc habeat poteſtatem, ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata.* Et ità etiam ſentiunt Zanchinus *tr. de hæret. c. 34. nu. 2.* Pegna *par. 3. comment. 158. verſ. At labentibus,* Farinacius *de hæreſi, q. 190. n. 5.* & alij quamplures, quos ipſe refert. Qui etiam docent, poſſeſſionem dictorum bonorum à Iudice Eccleſiaſtico accipiendam eſſe: vt *ibid.* notat Farinacius *n. 168.*

13 Hæc autem ſententia declaratoria requiritur etiam de iure ciuili, etiamſi hæreſis crimen ſit notorium, & in iudicio confeſſatum: & propterea, ſi antè hanc declaratoriam ſententiam hæretici bona confiſcarentur, eſſent reſtituenda. Ità Farinacius *ibid.* Sanchez *in Decal. lib. 2. c. 22. nu. 15. & ſequ.* qui alios multos pro hac ſententia adducit.

Bona fautorum hæreticorum, eorumque defenſorum, credentium, & receptatorum, ſunt ne confiſcanda, ſicut bona hæreticorum?

14 RESp. Negatiuè de iure Canonico. Affirmatiuè de iure ciuili. Quia de iure Canonico bona fautorum, receptatorum, & defenſorum hæreticorum non confiſcantur, niſi plenè, & cõcludenter hæreſis probata ſit, aut per teſtes idoneos, aut per eorum confeſſionem: ſecus verò per ſolam ſuſpicionẽ, vt ſuprà dictum eſt: et docent Tabiena *in ſumm. in verb. Hæreticus, n. 1. verſ. Et aduertenda,* Repertorium Inquiſitorum *in verb. Confiſcatio, verſ. Item ſciendum,* Vmbertus Locatus *in iudic. inquiſ. in verb. Bona hæreticorum, n. 1. in fin. verſ. Et aduerte,* Zanchinus *de hæret. c. 25. n. 1. & c. 28. nu. 3.* Farinacius *de hæreſi, qu. 190. n. 26.* & alij. Fautores, defenſores, receptatores hæreticorum, & ſimiles, vt tales, ſunt tantum de hæreſi ſuſpecti: vt affirmant dictum Repertorium *loc. cit.* Decianus *in tr. crimin. lib. 5. c. 51. nu. 67.* Didacus Cantera *in quæſt. crimin. rubr. de hæret. & cap. 1. n. 55. in fin.* Farinacius *q. 182. n. 52.* & alij. Ergo de iure Canonico eorum bona non ſunt confiſcanda, niſi verè conſtet illos eſſe hæreticos, & defendant potius eorum errores, quàm perſonas.

15 Secus autem de iure ciuili, quia extat Conſtitutio Federici Imperatoris, incip. *Patarenorum,* relata à Pegna inter litter. Apoſtolicas, in qua receptatoribus, & fautoribus hæreticorum imponitur pœna confiſcationis bonorum cum perpetua relegatione. Et ità ſuſtinent Zanchinus *tr. de hæret. c. 17. num. 4.* Pegna *par. 2. direct. comment. 76. verſic. Præter cæteras, & comment. 77. in fine,* Afflictus *in Conſtitut. Regni, de hæret. rubr. 2. n. 25.* Decianus *vbi ſup. n. 79. in fine,* Farinacius *loc. cit. n. 51. & 53.*

Bona hæreticorum confiſcata, cui applicanda, ſeu tradenda ſunt?

16 RESp. Quod Summi Pontifices in eorum Conſtitutionibus diuerſimodè ſtatuerunt circa applicationem dictorum bonorum. Nàm primò Innocentius III. anno Domini 1199. ſeu 1200. ſtatuit: vt bona hæreticis confiſcata, in terris Eccleſiæ, applicarentur Fiſco Eccleſiæ; in terris verò Imperij, Fiſco Iudicis ſecularis. Idque obſeruari præcepit, etiamſi hæretici filios haberent catholicos, quia ſuccedere non debent in bonis paternis: ità in *c. Vergentis, extra de hæreticis in 6.* Innocentius verò IV. ann. 1252. in Conſtitut. *Ad extirpanda,* Alexander IV. ann. 1259. & Clemens IV. ann. 1265. ſtatuerunt; omnia

nia bona hæreticorum, quæ per dictos Officiales fuerint occupata, ſeu inuenta, & condemnationes pro his exactas, diuidantur tali modo; vt vna pars deueniat in commune Ciuitatis, vel loci: ſecunda in fauorem, & expeditionem officij detur Officialibus, qui tunc negotia ipſa peregerint: tertia ponatur in aliquo tuto loco, ſecundum quod dictis Diœceſano, & Inquiſitoribus videbitur, reſeruanda, & expendenda per conſilium eorundem in fauorem fidei, & ad hæreticos extirpandos.

17 Notat autem Pater Bernardinus Comenſis *in Lucerna Inquiſitorum in verb. Bona hæreticorum, n.* 2. Quòd communitas Ciuitatis, vel loci, ſecundum prædictam Conſtitutionem, tunc tenebatur ſoluere, & dare certam pecuniã quolibet die Officialibus S. Inquiſitionis, quando exhibant à Ciuitate, vel loco pro hoc S. Officio exequendo. Et quia nunc communitates, & loca hoc non ſeruant: ideò amplius dari non ſolet aliqua pars ipſis communitatibus, & locis, dictorum bonorum.

18 Notat etiam Farinacius *de hæreſi, q.* 190. *nu.* 181. ſupradictam tripartitam diuiſionem bonorum confiſcatorum fuiſſe ſublatam per Apoſtolica reſcripta: ex quibus declaratur: Romanam Eccleſiam velle dimidiam dictorum bonorum aſſignari ſuæ Cameræ Apoſtolicæ; & aliam dimidiam remanere Officio S. Inquiſitionis pro ſubuentione illius neceſſitatis: ità Repertorium Inquiſitorum *in verb. Diuiſio, verſ. Hodiè tamen,* Zanchinus *in tr. de hæreticis, cap.* 19. *n.* 5. *&* *cap.* 26. *nu.* 1. *&* 2. Tabiena *in ſumm. in verb. Hæreticus, nu.* 7. *verſ. Hodiè tamen*, Vmbertus Locatus *in iudic. Inquiſ. in verb. Hæreticus, n.* 7. *verſ. Hodiè tamen dicunt*, Cardinalis Tuſchus *in verb. Hæreticus, concluſ.* 102. *num.* 16. Quia hæretici cum eorum hæreſi Eccleſiam offendunt; ergo ſatisfaciendum eſt principaliter eidem Eccleſiæ offenſæ: vt notat Felinus *in cap. Vergentis, extrà de hæreticis.* Et confirmatur ex illo Iacobi Butrigarij *in l. Quicunque, C. de hæreticis*; dicens. Quod vbicunque delictum eſt Eccleſiaſticum, bona confiſcata, Eccleſiæ applicari debent. Alij etiam Doctores docent: bona hæreticorum confiſcata applicanda eſſe, nec Cameræ Apoſtolicæ, nec Imperialis, nec communitatibus, aut Officialibus, nec Fiſco ſeculari, aut Eccleſiaſtico: ſed tãtum Sancto Inquiſitionis Officio, & Inquiſitoribus. Quia nec Domini, nec communitates, nec Officiales, ſed Inquiſitores prouident carceribus, & carceratis, & alijs neceſſarijs impenſis dicti Sancti Tribunalis. Ità Gloſſa *in leg. Quicunque, verb. Fiſco, Cod. de hæreticis*, & ibi Iacobus Butrigarius *in verſ. Nota quod vbicunque*, Albericus *in* 3. *par. Statutorum, q.* 18. *n.* 9. *in fin.* Felinus *in c. Cum nobis poſt n.* 12. *verſ. Cæterum*, Lucerna Inquiſitorum *in verb. Bona hæreticorum, n.* 6. *verſ. Et quia nunc*, Nauarrus *conſil.* 20. *nu.* 2. *lib.* 5. Vmbertus Locatus *in iudic. inquiſ. verb. Fiſcus, verſic. Hodiè dicunt*, & alij, quos citat Farinacius *loc. cit. n.* 185. Pegna *dicto comment.* 158. *verſ. Quia verò.* Alij tandem affirmant circa applicationem dictorum bonorum confiſcatorum, ſeruandas eſſe conſuetudines locorum, dummodò ſint rationabiles, legitimè, præſcriptæ, & Papalibus Conſtitutionibus conformes: iuxtà *cap. fin. extrà de conſuetudine.* Ità expreſsè ſentiunt Burſatus *conſ.* 43. *n.* 51. *& ſeq.* Clarus *in pract. crim.* §. *Hæreſis, n.* 11. *verſ. In hoc autem Ducatu*, Mendoſ. *in addit. ad Repert. Inquiſ. in verb. Diuiſio, litt. A. in fin.* Martinus Laudenſ. *conſil. crimin. diuerſ.* 58. *antè n.* 1. *verſ. Reſeruata debita portione, lib.* 1. Farinacius *q.* 190. *n.* 187. & alij.

Quare in Hiſpania omnia hæreticorũ bona confiſcata, ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, Regio Fiſco applicantur?

19 RESp. Quia Rex noſter Catholicus veræ fidei columna; non ſolum curam habet conſtituendi ſapiẽtiſſimum Senatum, qui omnes cauſas, ad hæreſis punitionem pertinentes, tractat; ſed etiam Inquiſitoribus, ad extir-

pandas hæreticæ prauitatis labem, expenſas abundè ſubminiſtrat; & omnia, quæ neceſſaria ſunt ad conſeruationē Sanctæ Inquiſitionis, ex ſuo patrimonio diſpenſat. Vt conſtat, & teſtantur Pegna *in dicto comment.*158.*verſ.Hinc conſequitur*, Couarruuias *lib.2. variar. reſol.c.9.nu.*12.Sanctarellus *de hæreſi, c.* 23.*dub.*1.*n.*3. Symanchas *de cathol. inſtit.tit.9.n.*132.Diana *tom.5. tr.10. reſ.* 128. *ex par.4. tr.8. reſ.* 43. & alij. Et quamuis attento iure Canonico bona Clericorum confiſcata, tradenda ſint Fiſco Eccleſiæ: vt probat Couarruuias *dicto lib.2.variar.c.9.n.*12. Tamen in Hiſpania etiam bona Clericorum, ſiue mobilia, ſiuè immobilia, quæ ob ipſorū hæreſim confiſcantur, applicantur Regio Fiſco, ob ſupradictam rationem, vt teſtantur, & approbant Couarruuias *loc.cit.* Sanchez *in Decal.lib.2.c.20. nu.* 26. Hieronymus Rodriquez *in Compend.qq.Regular.reſ.*73.*n.*14. Barboſa *in collect.to.2.lib.5.tit.7.c.*13.*nu.*8.Lorca *in* 2.2.*q.*11.*ar.*4.*diſp.*46.*memb.*1.*nu.* 6.& alij.

20 In ſtatu Mediolanenſi bona hæreticorum confiſcata, diuiduntur in tres partes æquales, & vna tribuitur Fiſco Ducali, alia Epiſcopo, & alia Inquiſitori, vt referunt Clarus *in pract.crimin.*§. *Hæreſis,n.*11.*verſ. In hoc autem Ducatu*, Tuſchus *in verb. Hæreticus, concluſ.* 102.*n.*16.Farinacius *de hæreſi, qu.*190. *n.*191.

21 In Sabaudia, bona hæreticorum ex particulari conceſſione Gregorij XIII. die 28.Septembris 1584.in qua decreuit: *Si eorum valor ad ſcuta mille aſcēderit, & vſque ad illum valorem, pro medietate Cameræ, & Fiſco Ducali, pro altera vero medietate Officio Sanctæ Inquiſitionis applicentur. Si verò dicta bona excesſerint valorem mille ſcutorum, omnia applicentur eidem Cameræ, & Fiſco Ducali. Sed dicti Ducis Miniſtri pro qualibet confiſcatione, realiter, & cum effectu, & ſine vlla mora, Sanctæ Inquiſitionis Officio, ſcuta quingenta omninò ſoluere teneantur*. Ità refert Farinacius *loc.cit.n.*193.

22 In Placentia, & Mantua ſupradicta bona diuiduntur in duas partes, & vna applicatur Fiſco Principis, qui brachium ſuum Sancto Inquiſitionis Officio confert. Altera verò Sancto Inquiſitionis Officio. Ità teſtantur Vmbertus Locatus *in iudicial. Inquiſ.in verb. Fiſcus,n.*1.*verſ.Conſuetudo tamen*, Burſatus *in conſil.*43.*n.*45. *lib.*1. Farinacius *n.*189.& 190.

Poſſunt ne hæc bona confiſcata in alios vſus pios expendi?

23 RESp. Cum Pegna *par.3. commen.* 158. *verſ. Et quamquam*: quòd quandoque ſupradicta bona confiſcata poſſunt expēdi, & applicari ad alios pios vſus: vt ad impenſas belli contra infideles, aut ad alias ſimiles, & Reipublicæ Chriſtianæ vtiles. Sicut tempore Catholicorum Regum Hiſpaniæ, Ferdinandi, & Iſabellæ, magna pars bonorum, ob hæreſim confiſcatorum, applicata fuit bello contra Saracenos, & Granatenſes, quod tunc gerebatur: vt teſtatur Auctor Repertorij Inquiſ. *in verb. Diuiſio bonorum.*

Ad Epiſcopum ordinarium ſpectat ne aliqua pars iſtorum bonorum?

24 RESp. Quod Ordinarius, ſeu Diœceſanus nil penitus habere debet de parte prouentuum ex bonis hæreticorum, deputata Officio Inquiſitionis, quamuis ipſe in Inquiſitionis Officio procedat. Sed debet illud quod opus eſt, proprijs explere ſtipendijs, & ex redditibus ſuis, cùm ſit Ordinarius. Ità in extrauag.Benedicti XI.ædita an. 1303. quæ incipit: *Ex eo quod*; & in Gloſſa *in verbo Prouidebit, Clement.* 1. *de hæreticis.* Nec Inquiſitores tenentur reddere rationem ipſis Diœceſanis de bonis habitis ex Officio Inquiſitionis. Quia ſic dictus Pontifex in eadem extrauag.præcipit, his verbis: *Rationem autem ijdem Diœceſani, prouentuum obuenientium ex Inquiſitionis Officio (nō obſtante aliqua Conſtitutione, conſuetudine,*

dine,vel mandato contrarijs) non expoſcant. Sed eam Cameræ noſtræ, vel alij, cui nos,vel ſucceſſores noſtri Romani Põtifices mandabimus reddendam, reddatis, quæ generaliter obſeruari iubemus: Hactenus ibi.

Poſt mortem hæretici, poteſt ne ab Inquiſitoribus declarari, illum fuiſſe hæreticum, vt eius bona confiſchentur?

25 RESp. Affirmatiuè, quia crimen hæreſis, quoad confiſcationem bonorum,non extinguitur morte ipſius hæretici, vt probat Geminianus *in cap. Accuſatus*, §.*In eo vero, de hæret.in 6.* Et facit optimè Gloſſa *in verb. Mortuos,cap.A nobis 2.de ſenten.excommun.* Et confirmant Panormitanus *in c.Vergentis,eod.tit.in 2.notab.* Quia cum bona hæreticorum ſint confiſcata ipſo iure à die commiſſi criminis; vt patet ex *cap.Cum ſecundum leges, de hæreticis in 6.* ſequitur, quòd etiam poſt ipſorum mortem, poſſunt declarari eſſe confiſcata. Notat verò Gloſſa *in dicto c. Accuſatus*: hoc eſſe intelligendum vſque ad quadraginta annos,ſi filij, vel nepotes fuerunt Catholici, & bona fide,bona patrum hæreticorum poſſederunt, quia *in cap.2.§.2.de præſcriptionibus in 6.*ſancitur: *Bona hæreticorum defunctorum præſcribi per filios, vel hæredes Catholicos ſpatio quadraginta annorum dummodò ea poſſederint bona fide.* Sed tunc bona fide, cenſendum eſt, poſſediſſe, quando tempore mortis, & toto quadraginta annorum ſpatio crediderunt,& intellexerũt, defunctum deceſſiſſe catholicum. Quia intra hos quadraginta annos quandocunque intellexerint: defunctum, hæreticum deceſſiſſe; cùm iam inceperint, eſſe in mala fide,non amplius preſcribere potuerunt. Nàm ad præſcriptionem,inter cætera, ſaltem de iure Canonico, requiritur per omne tempus,bona fides: *c.fin.de præſcriptionibus*. Ideò ſi dicti filij, vel hæredes mala fide poſſederunt, Fiſcus Sancti Officij talia bona, etiam poſt quadraginta annos,occupare poteſt.Ità docent Zanchinus *tr. de hæret. c.24. & 25.*Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.18. n.11.& ſeq.* Repert.Inquiſ.*verb. Bona*, §.*Sed an ſint*, Franciſcus Squillacenſis *tr.de fide cathol.cap.34.* Ioannes Royas *ſingul.50.incip. Delictum defunctorum*, Pegna *par.3.comment.92.*& alij.

Inquiſitores, ex dictis bonis confiſcatis,tenentur ne,præſtare legitimam, vel alimenta, hæreticorum filijs catholicis?

26 RESp. Non deeſſe Doctores,qui affirmant, teneri Inquiſitores legitimam,& alimenta,præſtare hæreticorum filijs catholicis ex dictis bonis confiſcatis. Ità enim ſentiunt Torreblanca *lib.3.de magia,c.11.n.46.& 47.* Surdus *conſil.386.n.8.*Plotus *inter conſilia criminalia Ziletti lib.1. conſil.130, n.83.*Soccinus *lib.1.conſil.30.n.3.*Ioannes Royas *ſingul. 47. & 95.* & alij.Sed hoc procedere poteſt, vt notat Farinacius *de hæreſi,q.191.n.4.* de iure ciuili, iuxtà Textum *in l.Manichæos,& in leg. Cognouimus, Cod.de hæreticis*. De iure enim ciuili hæreticorum filij catholici non priuantur hæreditate paterna; vt probat idem Farinacius *ibid. n.29.*

27 De iure autem Canonico certum eſt, non teneri Inquiſitores dictis filijs præſtare,nec legitimam, nec alimenta: quia propter paternam hæreſim filij, etiam catholici priuantur hæreditate paterna: vt expreſsè ſtatuitur *in c.Vergentis,de hæreticis in 6.*Quia ſi in crimine læſæ Maieſtatis humanæ, filij paterna hæreditate priuantur; multò magis priuari debent in crimine læſæ Maieſtatis diuinæ, quod maius delictum eſt. Confirmatur, quia parentes, quamuis iure naturali aſtringantur, ad alendos filios; poſſunt tamen omnia eorum bona alicui hypothecare per contractum: & ob id ſæpè à creditoribus omnia eorum bona vſurpantur, non deductis filiorum alimentis,nec legitima. Ergo à fortiori ob hæreſis atrociſſimum crimẽ, hoc iuſtiſſimè fit ob bonum commune,

& vt

& vt parentes ob talem pœnam arceãtur,ab hoc atroci crimine patrando.Ità ſentiunt Gloſſa *in dicto cap. Vergentis, verſ.Cum enim, & verſ. Nec exhæredatio,& verſ.Item in crimine hæreſis*, Hoſtienſis *ibid.nu.9.verb. Exhæredatio,& verſ.Nec mireris*,Syluester *in verb. Hæreticus*,§.1.*n.*14. *verſ. Etſi habuerit catholicos filios*, Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.9.rubr.de bonis hæretic. n.*4. *& ſeq.& tit.*20.*rubr.de filijs,& minoribus, n.*1.*& ſeq.*Farinacius *de hæreſi,qu.*191. *n.*1.*& ſeq.*Sanchez *in Decal.lib.*2. *c.*16. *n.*26.Ricciullus *tr.de iure perſon. lib.*5. *c.*40.*n.* 1. Diana *tom.*5.*tr.*10.*reſ.*119.*ex par.*4.*tr.*8.*reſ.*45. Eymericus *in direct. par.*2.*c.*10.& alij communiter.

28 Notat verò Pegna *par.*2.*comment.*9. *verſ.Inquiſitores tamen*, quòd Inquiſitores pueris, & puellis hæreticorum damnatorum pauperibus relictis, prouidebunt ex miſericordia, itaut rationẽ habeant ſexus, & ætatis. Nàm maſculos iam corpore validos,alicui arti mechanicæ iubebunt,addici,fœminas aliquibus honeſtis eiuſdem Ciuitatis Matronis aſſignàbunt: vt eis famulentur, & ab eis in fide inſtruantur. Cæteris quibus per ætatem,aut incommodam valetudinem laborare non licet, tenuia alimenta ex paternis bonis ex ſola miſericordia ſubminiſtrabunt. Deprecantes interdum Principes, tàm Eccleſiaſticos,quàm ſeculares; vt in huiuſmodi filios damnatorum, aliquam exerceant liberalitatem. Quæ res ad eos ſpectat, ad quos damnatorum bona ex confiſcatione peruenerunt. Et ità ſtatutum etiam fuit in *c.* 22. Instructionis Hiſpalenſis, ann.1484. Quod ſi magni alicuius Principis ob hoc crimen bona præſcripta fuerint,iſque filias habuerit:honorificè ab eo, cui bona obuenerunt, erunt dotandæ. Exemplo Ferdinandi Regis Neapolitani, qui filias Principis Roſſani, qui Maieſtatis crimen admiſerat,& ob id bona amiſerat, ex eiſdem bonis ditiſſimè dotauit: vt memoriæ prodit Gigas *tr.de crimine læſæ Maieſtatis,lib.*3.*tit.de pœnis,q.*15. *nu.*2. Hæc Pegna.

Inquiſitores poſſunt ne,confiſcare bona maioratus,& fidei commiſſi hæreticorum?

29 RESP. Quod Inquiſitores poſſunt confiſcare bona maioratus, & fidei commiſſi, quando inſtitutor eſt ille idem,qui in hæreſim incidit. Quia à die delicti, vt ſuprà dictum eſt,erant illa bona Fiſco obligata: cui iuri acquiſito, nequit inſtitutor,præiudicare. Ita docent Vaſquez 1.2.*q.*96. *artic.*5.*diſp.* 169.*n.*39.Sanchez *in Decal. lib.*2.*c.*18. *nu.*60.Azorius *par.*1.*lib.*8.*c.*12. *qu.*13. Symanchas *de cathol.inſtitut. tit.*13.*nu.* 252.*& ſeq.* Confiſcantur autem dicta bona in perpetuum, quando maioratus,vel fidei commiſſum fuit inſtitutũ, poſt hæreſis crimen commiſſum, vel in teſtamento, aut codicillo, vel donatione cauſa mortis. Tum ob dictam rationem,& tum etiam, quia cùm ea bona tunc temporis, non dum erant alicui obligata; Iudex ea auferens,nulli præiudicat: vt docent Molina *lib.*4.*de primog.c.vlt.n.*20. *&* 21. Molina Societatis Ieſu *tom.*3.*de iuſt.diſp.*659.*n.*2.Sanchez *ibid.n.* 63. Confiſcantur verò ad tempus, & durante vita delinquentis quando ſua vita durante tantum, gaudere poterat illorum bonorum fructibus:& poſt eius mortem,maioratus, vel fidei commiſſi dominium tranſire debet ad alios in illo vocatos, & ſucceſſores: quod accidit, quando inſtitutor non eſt is,qui deliquit.

30 Et ſimiliter non confiſcantur in perpetuum, quando maioratus, aut fidei cõmiſſum fuit ab inſtitutore fundatũ, contractu irreuocabili antè ipſius delictum, & donatio illa fuit acceptata. Quia tunc ſicut inſtitutor nequit illa bona contractu aliquo alienare:ità neque ob ſequens eius delictum poſſunt confiſcari. Sicut etiam donationes aliæ antè delictum factæ, nequeunt, à Fiſco reuocari;niſi in eius fraudem factæ ſint, *l.Poſt contractum* 15.*ff.de donationibus.* Ità Molina *lib.*4.*de primog. cap. vlt.nu.* 18.Sarmiento *lib.*3.*ſelect. cap.*4.*num.*5. Antonius Gomez *l.*40.*Tauri, num.*91.

colum.

*colum.3.*Vaſquez 1.2.*qu.96.art.5. diſp.* *196.n.39.& diſp.*171. *n.*17. Alter Molina *to.3.de iuſt.diſp.*659.*nu.*1.Sanchez *loc.cit.n.64.*Symanchas *ibid.n.59.*

31 Si autem maioratus inſtitutus ſit, contractu reuocabili inter viuos,neque confiſcari poterit in perpetuum, ſed tãtum vita durante ipſius inſtitutoris: quia cum talis contractus ſit perfectus, ac validus: quamuis reuocabilis ab ipſo inſtitutore;tamen ius eſt acquiſitum ſucceſſoribus: et illud ius reuocandi, non tranſit ad Fiſcum,ſeu ad Inquiſitores: quia eſt perſonale: vt docent vterque Molina, & Antonius Gomez, ac Sanchez *locis citatis.* Immò ſi tempore, quo inſtitutor in hæreſim incidit, non poſſideret maioratum, vel fideicommiſſum, ſed ſucceſſori tradidiſſet, neque ad tempus, & durante vita ipſius inſtitutoris, confiſcari poſſet: quia eius delictum nequit præiudicare ſucceſſori,qui iam verus dominus erat maioratus,vel fideicommiſſi: & re vera huiuſmodi bona nõ erant amplius inter bona delinquentis:vt ipſemet Sãchez notat *n.65.*

32 Si autem inſtitutor maioratus,vel fideicommiſſi non fuerit ipſe delinquẽs, ſed aliquis ex eius antenatis, tunc obſeruanda eſt forma inſtitutionis,& Regij Priuilegij.Quia ſi in eius inſtitutione, vel priuilegio, adeſt clauſula: vt eo ipſo,quod poſſeſſor ſtatuerit,vel tractauerit,committere crimen leſæ Maieſtatis Diuinæ,vel humanæ, amittat maioratum, vel fideicommiſſum, & ad ſequentem vocatum tranſeat cum omnibus ſuis fructibus. Tunc nec maioratum, aut fideicommiſſum,nec illorum fructus, in perpetuum, vel ad tempus, confiſcari poſſunt. Sed à die commiſſi delicti, ad ſequentem vocatum trãſeũt. Quia huiuſmodi clauſula non eſt appoſita,in fraudem Fiſci, nec in vtilitatẽ poſſeſſoris delinquentis; ſed in commodum, & fauorem familiæ. Et teſtator,ſeu inſtitutor,qui non deliquit, poteſt hoc onus ſuis bonis imponere, & alium Fiſco præferre. Neque videtur dolo hoc fieri, dum quis vtitur iure ſuo. Ità docent Antonius Gomez *l.*40. *Tauri,n.*91.*colum.penult.verſ.Quod tamen,*Molina *lib.4. de primog.cap.vlt.nu.* 16. Peregrinus *de iure Fiſci, lib.5.tit.*1. *nu.*103. & 104. Cantera *in ſuis quæſt. crimin.tit.de punit.delict.c.*1.*nu.*51.Menochius *conſ.*91. *nu.6.volum.*1. Farinacius *tit.de delictis,& pœnis,q.*25. *nu.*25. *& ſeq.*Alter Molina *tom.3. de iuſtit. diſput.656.n.vlt.*Sanchez *in Decal. lib.*2. *c.*18.*n.*23.Diana *tom.*5. *tr.*10. *reſ.* 120. *ex par.4.tr.8.reſ.60.*

33 Verum ſi in inſtitutione,& priuilegio adeſt clauſula: vt à die commiſſi criminis læſę Maieſtatis diuinę,vel humanæ bona maioratus, vel fideicommiſſi,tranſeant in Fiſcum.Tunc in perpetuum confiſcantur: quia à die commiſſi criminis illorum bonorum dominium in Fiſcum transfertur; quamuis executio, vel bonorum ipſorum occupatio,fieri non debeat,niſi ſententia ſuper hæreſis crimine fuerit promulgata. Vt præcipitur in *c. Cum ſecundum leges,de hæreticis in 6.* Ità docent Molina *lib.2.de primog. c.2. n.*10.*& c.*12.*nu.* 57.*& lib.4.c.vlt. nu.63.* Gregorius Lopez *lib.6.qu.2. tit.*11.*par. 6.* Antonius Gomez *l.4.Tauri,n.91.colum.4. & vlt.* Cantera *in ſuis quæſt.crimin.tit.de quæſ. tangent.punit.delict.cap.*1. *nu.*52. Alter Molina *tom.3.de iuſt.diſp.* 582. *nu.*1.*& diſp.657.n.2.*& alij.

Propter mariti hæreſim,poſſunt ne Inquiſitores,confiſcare dotem, & alia bona vxoris catholicæ?

34 RESp.Negatiuè; niſi fœmina ſciẽter matrimonium contraxerit cum hæretico: tunc enim in pœnam ſui delicti,ob mariti hæreſim, eius dos confiſcatur. Ità his verbis decernitur in *cap.Decreuit, de hæreticis in 6. Decreuit felicis recordationis Innocentius Papa IV. quòd propter hæreſim maritorum, vxorum catholicarum dotes non debeant confiſcari. Niſi fortè mulieres ipſæ cum viris matrimonia contraxiſſent, quos hæreticos, tunc ſciebant.* Et ibi hoc adnotarunt Gloſſa, Ioannes An-

Andreas *nu.* 1. *verſ. Secus ſi tunc ſciuit*, Geminianus *n.2.verſ.Nota quod vxor*, *& verſ.Aut ſciebat,& num.3.* Syluester *verb.Hæreticus*,§.1.*n.*13. *verſ.Dos autẽ vxoris,& n.*14.*verſ.Septima quod vxores*, Eymericus *par.*1.*direct.qu.*101.& ibi,Pegna *comment.*160.*verſ.Ratio verò*,Farinacius *de hæreſi,q.*190.*nu.*43. & 49. & alij quamplures, quos ipſe citat. Et rationem reddit Didacus Cantera *in quæſt.crimin.rubr.de hæreticis,c.*1.*nu.*2.quia mulier ſcienter nubens cum viro hæretico, eſt de hæreſi ſuſpecta, & cenſetur hæreticorum fautrix. Et Pegna etiam ait: quia mulier ſcienter cõtrahens cum viro hæretico eius errori conſentire videtur,& hæretica putatur.

35 Si vero vxor à principio neſciuit virum, cui nubebat eſſe hæreticum, etiam ſi poſteà talem eſſe ſciat, dummodò illius peccato non conſentiat, dotem non amittit: quia initium reſpicitur. Ità Gloſſa *loc. cit.* & ſupradicti Doctores, & alij communiter. Præſumitur autem ignorantia, ni ſi probetur, ſciuiſſe: vt ex *l.Verius,ff.de probationib.* Neque dotem vxor amittit,ſi S.Officio non reuelat, maritum eſſe hæreticum: quia ex reuelationis omiſſione non cõtrahitur hæreſis: ſed hæreſis ſuſpicio: pœna autem confiſcationis non infligitur ob ſolam hæreſis ſuſpicionem, ſed ob hæreſim formalem: vt colligitur ex *dicto cap.Decreuit.* Nec etiam dotem amittit: quia receptat hæreticum; quia potius affectu maritali, quam affectu illius criminis id facere, videtur: vt notant Gigas *tr.de crimine læſæ Maieſtatis,lib.3.tit.de pœnis,q.*20.*nu.*2. Pegna *loc.cit.uerſ.Non autem*,& alij.

36 Si autem Fiſcus mulieris dotem occupauerit cum alijs bonis viri,poteſt illa ſuam dotem repetere: *l.*1.*cum ibi notatis,Cod.de repud.*& ità docent Baptiſta à S.Blaſio *tr.de priuileg. dotal.priuileg.*146.Campegius *tr.de dote* 3. *par.q.*23.Hieronymus Gigas *tr. de crim. læſæ Maieſt.lib.*3. *tit. de pœnis quas filij incurrunt,q.*18.*n.*6.Pegna *par.*3.*commen.*160. *uerſ.Sed in uiam.* Reſtituenda tamen ei eſt illa dos,quàm verè eius maritus receperit, non illam, quam in inſtrumentis dotalibus maritus ſe habuiſſe affirmauit,iuxtà *l.Si quis poſthac, Cod. de bonis præſcripto*. Vbi dicitur. Dos etiam, non quæ aliquoties inaniter dotalium inſtrumentorum tenore conſcribitur; ſed quam ſe corporaliter tradidiſſe docuerit,repræſentetur. Ita Pegna *ibid.uerſ.Non ergo.*

37 Similiter reſtituenda ſunt vxori bona paraphernalia, & alia eiuſdem propria, quocunque titulo illa habebat, etiamſi ſcienter cum hæretico contraxerit. Quia *in dicto cap.Decreuit, de hæreticis in* 6. Pontifex ſolum de bonis dotalibus mentionem fecit. Et ſi voluiſſet, vt ob contractum matrimoniũ ſcienter cum hæretico, vxor amitteret omnia bona ſua,id exprexiſſet,& non ſe reſtrinxiſſet ad dotem. Pœnæ enim non ſunt extendendæ. Ità ſentiunt Sãchez *in Decal.lib.*2.*c.*17.*nu.*22. Sanctarellus *de hæreſi,c.*19.*dub.*3. *nu.*14. Barboſa *in collect.tom.*3.*lib.*5.*tit.*2.*c.*14.*nu.*2.Diana *tom.*5.*tr.*10. *reſ.*122.*ex par.*4. *tr.*8.*reſ.*62.

38 Vnde ea, quæ mulier antè nuptias à viro titulo donationis acceperat,& alia munuſcula,quæ ei datę fuerant, cum primum copularentur: non confiſcantur: quia pudicitiæ præmio cedunt: vt ex *l. Si quis poſthac, Cod. de bonis præſcript.* Neque propter hæreſim mariti confiſcantur vxori,quę dono ipſa accepit à conſanguineis eiuſdem mariti, niſi nominatim ab eo,qui ei donauit dictũ ſit, vt marito acquirantur. Quia huiuſmodi donationes non intuitu viri, ſed vxoris factæ videntur: & eò magis ſi res donatæ ſint tales, vt potius vxori, quàm viro competant: vt affirmant Palacius Rubius *in rubr.de donation. inter uirum,& uxorem*,§.45.Symanchas *de cathol.inſtitut.tit.*9.*n.*76. Pegna *ibidem:* Qui etiam ſentiunt non eſſe confiſcanda ob mariti hæreſim, quæ vxor conſtante matrimonio acquiſierit. Quia nõ eſt rationi conſonum, vt bona lucrata ex parte vxoris non committentis delictum, Fiſco cadant, *l.Ob maritorum; Cod.Ne uxor pro marito.*

In-

Inquiſitores quænam bona confiſcare poſſunt Clericis hæreticis, & quibus illa applicare debent?

39 RESp. Quòd bona, quæ à Clericis poſſidentur, vt notat Pegna, ſunt in triplici genere. Quædam ſunt patrimonialia, quæ à parentibus, conſanguineis, & amicis, aut ex propria induſtria compararunt. Quædam, quæ ſunt Eccleſię, quorum fructus, & redditus ab ipſis Clericis percipiuntur. Et quædam, quæ ex beneficijs Eccleſiaſticis ad Clericos perueniunt. Inquiſitores igitur Clericis hæreticis confiſcare poſſunt bona patrimonialia, & quæ ex eorum induſtria, vel ratione alicuius miniſterij Eccleſiaſtici, vt ex celebratione Miſſarum, vel ex concionando, docendo, ſepeliendo defunctos, & his ſimilibus miniſterijs, acquiſierunt. Quia in his bonis Clerici habent verum dominium, & ſicut ad eorum libitum ea poſſunt alienare: ità ab Inquiſitoribus ob eorum hæreſim poſſunt confiſcari: ità docent Oldradus *conſil.* 17. Paulus Caſtrenſis *conſil.* 154. Couarruuias *lib. 2. variar. reſol. c. 9. nu.* 12. Repertorium Inquiſitorum *verb. Confiſcatio*, §. *Bona Clericorum*, Symanchas *de cathol. inſtit. tit. 9. nu.* 92. Pegna *par. 3. comment.* 161. *verſ. Poſtremò*, Farinacius *de hæreſi, qu. 190. n.* 154.

40 Hæc autem bona applicanda eſſe Fiſco Eccleſiæ, & Epiſcopi, in vſus pios diſtribuenda, (ſi ipſe Clericus non habebat ſtipendia ab aliqua alia Eccleſia) affirmant Felinus *in cap. Vergentis, n. 1. in fin. verſ. Subdit tamen*, & allegati ab eo, Ancharanus *in cap. Excommunicamus. 1. nu. 4. in fin. extra de hæret.* & alij quamplures, quos citat, & ſequitur Farinacius *vbi ſup. n.* 158. Alij verò ſuſtinent, quod bona Clericorum patrimonialia immobilia ob hæreſim ab Inquiſitoribus confiſcata, applicari debent Regio Fiſco. Ità voluiſſe videtur Oldradus *conſil.* 17. Repertorium Inquiſitorum *verb. Confiſcatio, verſ. Bona Clericorum*, Gulielmus de Benedictis *in repetitione, cap. Raynutius in verb. Et vxorem, nu. 242. & ſeq. de teſtamentis.* Et ità ſeruari in Regnis Hiſpanię, & Franciæ, teſtatur Didacus Cantera *in quæſt. crimin. rubr. de hæreticis apoſtatis, c. 1. n.* 41. Alij verò docent huiuſmodi bona eſſe applicanda Sancto Inquiſitionis Officio. Ità Lelius Zecchius *in ſumm. par. 1. tit. de fide, rubr. de hæreſi, c. 11. nu. 16. poſt decimam ampliationem, verſic. Quod ſi Clerici*, Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 9. rubr. de bonis hæreticorum, n. 90. & ſeq.* In hac opinionum varietate crederem ſtandum eſſe locorum cōſuetudini, aut conſulendum Supremū Sanctæ Inquiſitionis Romanæ Tribunal.

41 Si verò Clericus bona feudalia habeat, ea non confiſcantur ob eius hæreſim, ſed ad directos dominos reuertuntur: vt tradunt Hoſtienſis *in cap. Excommunicamus, de hæreticis, §. Moneantur*, Albertinus *in lib. de ſtatutis 3. par. q.* 7. Hieronymus Gigas *tr. de crim. læſæ Maieſt. q.* 5. Pegna *dicto commen. 161. verſ. Quod ſi Clericus*. Idem dicēdum eſt de bonis reſtitutioni ſubiectis. Ea enim non confiſcantur ob hæreſim poſſidentium: ſed reſtituenda ſunt, quibus reſtituenda erant: vt notant Symanchas *vbi ſup. n.* 93. Pegna *verſicul. Idipſum*, Gabriel Quemada *in Compendio quæſt. de bonis confiſcatis, qu.* 17. & alij.

42 Bona, quæ ſunt alicuius Eccleſiæ, vt poſſeſſiones, domus, prædia, & ſimilia; quorum fructus, & redditus ab ipſis Clericis percipiuntur in eorum vſum, & alimentum; ob eorum hæreſim confiſcari nequeunt; ſed Eccleſijs, quarum erant totaliter relinquuntur. Quia delictum miniſtrorum præiudicare non debet Eccleſiæ. Neque æquum eſt, vt eius bona minuantur, propter eorum facinora. Ità docent Eymericus *3. par. direct. q.* 112. Pegna *dicto commen. 161. verſ. Quo autem plenius*, Repertorium Inquiſitorum *verb. Confiſcatio, §. An bona*, Symanchas *loc. cit. nu.* 88. Sotus *lib. 10. de iuſt. q. 4. art.* 3. Farinacius *vbi ſup. n.* 162. & alij communiter.

43 Bona, quæ perueniunt ex beneficijs Ec-

Eccleſiaſticis, an ſint confiſcanda, & cui applicanda ob Clericorum hæreſim, diſtinguendum eſt. Nàm vel Clerici poſſident beneficia curam animarum habentia; vel ſimplicia, & non habentia animarum curam. Si primò modo. Cũ fructus talium beneficiorum non omnes ſpectent ad Clericos beneficiatos, ſed ſint diſtribuendi in cultum diuinũ, & Eccleſię ornatum, in vſus pauperum, & in neceſſitates ipſorum Clericorum: ideò ipſi ſuper his beneficijs dominiũ totale non habent: vt docent D. Thomas 2.2.*q.*185.*art.*7. & Sotus *lib.*10.*de iuſtit. & iure, q.*4.*art.*3. & alij. Sed tantũ dominium habent in illa portione, quæ per Canones eſt deputata, ad ſuam, & ſuorum ſuſtentationem, *cap. de redditibus* 12.*q.*2. Sequitur ergo, quod in hac tantum portione fieri poteſt confiſcatio. Quia de hac portione idem videtur, dicendum, ac de fructibus perceptis, à non habentibus curam animarũ beneficiatis: vt docent Pegna *dicto comment.* 161. *uerſ. Dixi cum non omnes*, Farinacius *de hæreſi, q.*190.*nu.*160. & alij. Si ſecundò modo. Fructus, & redditus eccleſiaſticorum beneficiorum ſimplicium, & abſque animarum cura, confiſcari poſſunt ab Inquiſitoribus: quia beneficiati verum dominium illorum nanciſcuntur: vt docent Ioannes Maior *lib.*4.*ſentent. diſtinct.*24. *qu.*20. Gabriel *diſt.*15.*qu.*8. Syluester *uerb. Clericus* 4. Corneus *conſil.*314.*lib.*3. Couarruuias *in cap. Cum in officijs, de teſtamẽtis*, Sotus *de iuſtit. lib.*10.*qu.*4.*art.*3. & alij. Et iſtorum beneficiorum fructus ob hereſim poſſidentium, applicari poſſunt, non Eccleſijs, à quibus ſtipendia habuerunt, ſed Sacro Inquiſitionis Officio.Ità Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.*9.*nu.*90. Pegna *dicto comment.* 161. *uerſ. Quod ſi Clerici*, Farinacius *loc. cit. n.* 160. & alij.

44 Et idem dicendum de bonis à Clericis acquiſitis ex quotidianis diſtributionibus eccleſiaſticis: quia etiam in his bonis verum dominium ipſi habẽt. Et ſicut in illis ſuccederent eorum hæredes: ità ſi committant hæreſis crimẽ, videtur poſſe ſuccedere Officium Sãctę Inquiſitionis: quando ab Inquiſitoribus huiuſmodi bona eis confiſcantur. Ita Pegna *ubi ſup. uerſ. Quemadmodum*, Symanchas *loc. cit.* Sed Farinacius *ubi ſup.* etiam cum Pegna ait: quod quoad applicationem horum fructuum, & bonorum ex illis acquiſitorum, vel attendẽda eſt conſuetudo loci, vel conſulendus Supremus Senatus Sanctæ Inquiſitionis Romanæ: quod melius eſt. Cætera, quæ de hæreticorum bonorum confiſcatione deſiderantur, videri poſſunt apud Farinacium *de hæreſi, qu.* 190. *&* 191. Sanchez *lib.*2. *in Decal. à cap.* 14. *uſque ad* 23. Sanctarellum *de hæreſi, c.* 16. *& pluribus ſequentibus*, Thomam del Bene *to.*1. *de offic. Inquiſ. à dub.*106. *uſque ad* 146. Ferdinandum de Caſtro Palao *par.*1. *tr.*4. *diſp.*5. *à punct.*1. *uſq; ad* 26. Fagundez *tom.*1. *in Decal. à cap.* 19. *ad* 24. & alios quamplures, quos citat Pegna *par.*3. *comment.*158. *uerſ. De ea igitur.*

CAPVT XXXIV.

De Pœna Priuationis Beneficiorum, & Officiorum.

Clericus hæreticale ſortilegium committens, incurrit ne ipſo facto in pœnam priuationis beneficiorum, an vero poſt ſententiam?

1 RESP. Quod Alphonſus de Caſtro *de iuſta hæreticorum punitione, lib.*2.*c.*4. Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.*46. *rubr. de pœnis, nu.*72. & alij opinantur, requiri ad dictam priuationem beneficiorum, Iudicis ſententiam. Quia *in cap. Vt commiſſi*, §. *Priuandi, de hæreticis in* 6. dicitur: priuandi prætereà, vel priuatos nunciandi, dignitatibus, & alijs beneficijs eccleſiaſticis. Dictio enim illa, *Priuandi*, ſignificat non latam à lege ſententiam, ſed à Iudice proferendam. Sed hoc non obſtante omninò dicendum, non requiri Iudicis ſententiam: ſed dum Clericus in manife-

nifeſtam hæreſim in patrando ſortilegium incidit, ipſo iure, ſeu ipſo facto priuatus intelligitur beneficijs eccleſiaſticis à die commiſſi criminis, & ad alia obtinenda inhabilis. Ità ex *cap. Ad abolendam, §. Si Clericus, extrà de hæreticis*. Vbi Geminianus ponderat verbũ, ſpoliatos, quod executionem ipſo iure importat. Couarruuias *in var. reſol. lib. 2. c. 8. n. 4. verſ. Nihilominus*; vbi ait hoc probari, ex *cap. Quo iure 8. diſtinct.* Vmbertus Locatus *poſt iudicial. Inquiſit. fol. mihi 473.* Vbi refert decretum Pauli IV. factum in Congregatione S. Officij, *Quod hæreticorum beneficia vacent à die commiſſi criminis*, Ignatius Lopez *in addit. litt. A. verſ. Quæ hodiè*, Sanchez *in Decal. lib. 2. c. 26. nu. 6.* Farinacius *de hæreſi, q. 189. n. 73. & 77.* Pegna *par. 3. comment. 162. verſ. Poſtremò.* Qui omnes, & alij docent: Quidquid ſit de iure veteri, de iure tamen nouo nullo pacto negari poteſt, quod hęretici ſint ipſo iure à die commiſſi criminis, ſuis beneficijs priuati, & ad alia inhabiles. Nàm Pius V. in quodam reſcripto, incip. *Cum ex Apoſtolatus*, & refertur à Pegna inter litteras Apoſtolicas: dum vniuerſa beneficia, cuiuſcunque generis fuerint, ob hæreſis crimen, Sedi Apoſtolicæ reſeruauit, apertiſſimè ſupponit: ipſo iure ea ob crimen hæreſis commiſſum, vacare, & illis priuari, & inhabiles ad alia reddi.

2 Et ad propoſitam rationem in contrarium reſpondetur, quod illa verba *cap. Vt commiſſi; (Priuandi, vel priuatos denunciandi)* non ſunt intelligenda diſiunctiuè, ſed expoſitiuè: ità ut ſenſus ſit, *priuandi*, ideſt *priuatos denunciandi*. Vel dictio illa *priuandi*, refertur ad hæreticorum fautores, receptatores, & defenſores. Dictio autem *priuatos denunciãdi*, ad hæreſis crimen committentes: vt docent Couarruuias, Pegna, Sanchez *locis citatis*, & alij. Vndè apertiſſimè ſequitur committentes hæreſis crimen ipſo iure, & ipſo facto eſſe ſuis beneficijs priuatos, & inhabiles.

3 Exigitur tamen ſententia declaratoria, Clericum commiſiſſe hæreſis crimen, ſeu ſortilegium manifeſtè hęreticale, vt, beneficium antè tale crimen adeptum, dimittere teneatur. Quia cõmunior ſententia docet; priuatos ipſo iure beneficijs, non teneri, ea dimittere vſque ad ſententiam criminis declaratoriam. Et confirmatur; quia etſi à die commiſſi criminis, titulo beneficij ſortilegus hæreticalis careat; tamen poſſeſſionem retinet, quæ ſufficit, vt illud retinere valeat: vt in præcedenti *cap. de bonorum confiſcatione ob crimen hæreſis* dictum eſt. Et ità ſentiunt Menochius *de arbitrarijs, lib. 2. centur. 5. caſu 416. n. 62. & ſeq.* Salzedus *in pract. Bernardi Diaz, cap. 114.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 13. q. 8.* Enriquez *lib. 14. de irreg. c. 4. nu. 6. & lib. 13. de excomm. c. 56. nu. 2.* Sanchez *loc. cit. n. 7.* Farinacius *q. 189. n. 80.* & alij, quos ipſi citant.

4 Inſuper neque talis Clericus, declaratus, quòd crimen hæreſis commiſit in ſortilegio, tenetur ſe beneficijs ſpoliare. Quia etiam dum quis priuatur ipſo iure beneficio, vltra ſententiam declaratoriam, requiritur ſententiæ executio; vt docent Couarruuias *4. decret. 2. par. cap. 6. §. 8. nu. 8.* Enriquez *lib. 13. de excommun. c. 56. nu. 3. in fin.* Azorius *tom. 1. lib. 5. c. 8. q. 4.* Sanchez *vbi ſuprà, n. 8.*

Clericus lata ſententia, quod ſortilegia hæreticalia commiſit, priuatur ne non ſolum in poſterum beneficio, ſed etiam fructibus perceptis à die commiſſi ſortilegij?

5 RESp. Affirmatiuè; quia pęna emiſſionis ipſo facto benficij, hoc operatur, vt delinquens, cum fuerit lata ſententia declaratoria ipſius criminis, priuatur beneficio, & fructibus perceptis à die criminis commiſſi. Ità docent Bernardus Diaz *pract. canon. c. 131. nu. 5.* Couarruuias *4. decret. 2. par. c. 6. §. 8. n. 8.* Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 96. in fin.* Enriquez *lib. 13. de excommun. c. 56. nu. 2.* Sanchez *vbi ſup. n. 10.*

Clericus, ſi poſt commiſſionem ſortilegij, manifeſtè hæreticalis, ſuum beneficium alteri Clerico reſignat, eſt ne valida illius reſignatio?

6 RESp. Negatiuè, quia quamuis talis reſignatio non ſit nullius momenti: nàm ille, cui reſignatur, acquirit ius, percipiendi fructus illius beneficij, donec declaretur Clericum reſignantem, ſortilegium manifeſtè hæreſim ſapiens, commiſiſſe. Nihilominus facta declaratione hac, retrotraitur ſententia, vſque ad diem commiſſi criminis, & renunciatio beneficij reſcinditur, ac ſi facta non fuiſſet. Vt affirmant Bernardus Diaz *in pract. canonica, c.* 114. *n.* 2. Salzedus *ibi*, Pegna *par.* 3. *comment.* 162. Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 26. *n.* 9. Qui etiam docent idem dicendum eſſe de permutatione beneficiorum. Si enim Clericus, qui hæreſis crimen commiſit, commutauit ſuum beneficium cum beneficio alterius Clerici, qui huiuſmodi crimen non commiſit; talis permutatio reſcinditur, vt nulliter facta. Sed cum hac differentia, quòd dum Clericus innocens ſpoliatur beneficio, habito à Clerico de hæreſi reo, poteſt ad ſuum beneficium, quod illi dederat redire. Et videtur, eſſe illi certò reddendum: quia non abſolutè ſuum beneficium reſignauit, ſed via permutationis, & ea lege, vt permutatio omninò teneret, & haberet ſuum effectum. Ità ſuſtinent Flaminius *de reſignat. benef. lib.* 1. *q.* 14. *à n.* 6. Sanchez *in Decal. lib.* 2. *c.* 26. *n.* 9. & alij.

Beneficium Clerici, qui in hæreſim incidit, poteſt ne antè illius ſententiam declaratoriam ab alio impetrari, illo non citato?

7 RESp. Affirmatiuè, ſed beneficij poſſeſſio alteri conferri nequit, illo non vocato. Quia hoc fieri poteſt, quoties beneficium ipſo iure perditur. Ità colligitur ex *cap. Licet Epiſcopus, de præbendis in* 6. & ibi Gloſſa *verb. Te nō vocato*, ac etiam Francus, & Dominicus *in fin.* Flaminius *de reſignat. benef. lib.* 3. *q.* 1. *nu.* 37. Lambertus *de iure patronatus, par.* 1. *lib.* 2. *q.* 6. *ar.* 9. & 10. Azorius *tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 8. *q.* 3. Decianus *in ſua practica, lib.* 5. *cap.* 44. *n.* 26. Sanchez *loc. cit. n.* 12. & alij.

Clericus, qui in hæreſim incidit, ſi conuertatur, recuperat ne beneficium?

8 RESp. Quod quamuis Eymericus affirmet *par.* 3. *q.* 113. *in fin.* Pœnam priuationis beneficiorum non habere locum in hæreticis pœnitentibus. Tamen hoc intelligendum eſt, de ſpōtè comparentibus, qui, vt notat Pegna ibi, *comment.* 162. *verſ. Iam ſi ſimpliciter.* Si Religioſi aut Clerici ſpontè cōparuerint, mitiſſimè tractari debent, & facilius poſſunt, ad ſua reſtitui beneficia. Quod ſi poſt deprehenſionem tardius, & poſt multas admonitiones reuertantur: ad officia, & beneficia non tàm facilè debent reſtitui. Immò verbaliter degradati, in Monaſterium conijcientur, ad agendam condignam pœnitentiam: nec facilè debent habilitari in poſterum, ad aliqua beneficia obtinenda. Hæc Pegna. Et idem docent Sanchez *in Decal. lib.* 2. *c.* 26. *nu.* 13. Symanchas *in Enchiridio Iudicum, tit.* 58. *n.* 4. qui hoc probant ratione. Nàm, cū eò ipſo, quod quis in hæreſim incidit, ſit verus hæreticus, amittit ſtatim beneficium, ſicut & alia bona. Ergo ſicut nō recuperat alia bona, ità nec beneficiū.

Poſſunt ne Inquiſitores, non ſpoliare beneficijs prædictos Clericos, vel illis ſpoliatos, eiſdem propria auctoritate, illa reſtituere?

9 RESp. Negatiuè: quia extat proprius motus Pij V. incipiens: *Cum ex Apoſtolatus.* Vbi beneficia qualiacunq; ſint ob hæreſim vacantia, Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſeruauit. Et ideò cum ex ſupradictis conſtet, beneficia ob hæreſim ipſo iure vacare: Summus Pontifex ſolus de illis diſponit. Et ita ſuſti-

ſuſtinent Pegna *loc.cit.verſ.Reſtituere autem*, Azorius *tom.1.lib.8.cap.13. q.8.* Thomas Zerola *in praxi Epiſcop.par.2. verb. Beneficium, verſ. 2.* Sanchez *vbi ſup.n.13.in fine.*

Clericus ſortilegus, ſuſpectus tantum de hæreſi, eſt ne beneficijs ipſo iure priuatus?

10 RESP. Negatiuè: ſed iuxtà ſortilegij qualitatem eſt beneficijs per ſententiam priuandus. Quia pœna, quæ debetur Clerico ipſo iure de hæreſi conuicto, vel confeſſo, non extenditur ad hæreſi tantum ſuſpectum. Ita docent Pegna *ibid.verſ.Beneficia verò*, Sanchez *n.14.* Farinacius *de hæreſi, qu. 189.n.86.* Vndè talis Clericus, de hæreſi tantum ſuſpectus, poteſt antè ſententiam, beneficium alteri renunciare: & renunciatio, ſequuta contra eum ſententia, non reſcinditur: vt docent ſupradicti Doctores. Et Farinacius ibi, refert, ità fuiſſe decisum in Rota, coram Comitulo in vna Gadicen. Canonicatus 20. Iunij 1587. Et Sanchez *cap. 25. num.12.* ait, quod iſtius beneficia non vacant, virtute dicti motus proprij Pij V. quia ſuſpectus de hæreſi, nō eſt verè hæreticus: vt notant etiam Nauarrus *lib.5.conſil. tit.de hæreticis in 1.ædit.conſ.5.& 6.& in 2.ædit. cōſil.18. & 19.* Flaminius *de reſignat.benef.lib.4. q.3.n.16.* Enriquez *lib.13.de excommunic.cap.56.n.1.* Emanuel Sà *in ſumma, verb.Hæreſis, n.5.*

Receptatores, defenſores, & fautores ſortilegi hæretici, ſunt ne ipſo iure beneficijs priuati, vel per ſententiā priuandi?

11 RESP. Non eſſe beneficijs ipſo iure priuatos, ſed per ſententiam priuandos, iuxtà *c.Excommunicamus 1. §.Credentes, de hæreticis*: quia iſti ſunt tantum de hæreſi ſuſpecti: ſuſpecti autem de hæreſi (vt *n.* præcedenti dictum eſt) non ſunt ipſo iure beneficijs priuati, ſed priuandi. Ità docent Couarruuias *lib.2.var.c.8.nn.4.* Pegna *par.3. comment.162. verſ.De hæreticorum verò*, Sāchez *dicto cap.26.n.15.* Farinacius *q.189.nu.81.* Et iſti validè poſſunt beneficia renunciare in alterius fauorem, antequam de illis per ſententiam priuentur. Et talis renunciatio per latam ſententiam non reſcinditur, ſed ſuum robur retinet, etiamſi aliquis à Pontifice in euentum vacationis ea obtinuerit. Quia priuandus, per ſententiam beneficio, poteſt adhuc lite pendente, antè ſententiam in fauorem tertij, illud renunciare: quia donec illo priuetur eſt ſuum, beneficium illud. Ità multis citatis, docet Flaminius *lib.5. de reſignat. benef.q.16.n.8.* Enriquez *lib.13. de excommunic.c.36.n.4.* Sanchez *de matrimon.lib.7.diſp.42.n.2.& in Decal. lib.2. c.26.n.16.*

Clerici filij ſortilegi, qui in hæreſim incidit, ſunt ne ipſo iure beneficijs priuati, & inhabiles ad alia obtinenda?

12 RESP. Affirmatiuè. Et quod ob hæreſim paternam Clerici priuentur ipſo iure eccleſiaſticis beneficijs, probatur ex *cap.Vt commiſſi, §.Priuandi, de hæreticis in 6.* & ex Conſtitut. Alexandri IV. ædita ann. 1258. incip. *Quod ſuper relata*, & ex alia eiuſdem Pontificis, ædita ann. 1259. incip. *Ad extirpanda, verſ.Teneatur quoque*, & ex alia Honorij IV. ædita ann. 1286. incip. *Exhibita*. Quæ conſtitutiones referuntur à Pegna inter litteras Apoſtolicas *poſt direct.Inquiſ.* Et ſic expreſsè docēt Doctores; quos citat, & ſequitur Farinacius *de hæreſi, qu.191. nu.44. & 46.* Couarruuias *var.reſol.lib.2.cap.8.n.4. verſ.Cæterum*, vbi alijs relatis, teſtatur de cōmuni Doctorum opinione. Thomas Sanchez *in Decal. lib.2.cap.27.nu. 27.& ſeq.* & alij. Hoc tamen certum eſt, procedere in beneficijs eccleſiaſticis, à filijs acquiſitis, poſtquam eorum pater in hæreſim incidit: tunc enim ipſo iure illis priuantur. An verò in beneficijs acquiſitis antè delictum patris, idem ſit dicendum, vide infra, *n.20.*

Quod

13 Quod autē ſint inhabiles huiuſmodi Clerici, ad alia beneficia obtinenda, probatur ex *cap. Quicunque, §. Hæretici, de hæreticis in 6.* & ibi Gloſſa, & Doctores, & ex *cap. Statutum* 1. *eod. tit. in 6.* & ibi etiam Gloſſa, & alij. Extat etiam Conſtitutio Nicolai III. ædita ann. 1281. incip. *Nouerit vniuerſitas*, *verſic. Hæretici autem*, relata à Pegna inter literas Apoſtolicas: & idem confirmant communiter quamplures Doctores relati à Farinacio *loc. cit. n.* 48.

Eſt ne idem dicendum de nepotibus, & deſcendentibus ad ſecundam generationem?

14 RESp. Affirmatiuè, etiam iſti priuati ſunt eccleſiaſticis beneficijs, & ad alia obtinenda inhabiles: vt expreſsè habetur in *cap. Vt commiſſi, in cap. Statutum* 1. *in cap. Quicunque, de hæreticis in 6.* & ibi communiter Canoniſtæ: extat etiam Conſtitutio Innocentij IV. ædita ann. 1254. incip. *Nouerit vniuerſitas*, relata à Pegna inter litteras Apoſtolicas. Ità Couarruuias *variar. reſol. lib.* 2. *c.* 8. *num.* 2. & Farinacius *vbi ſup. n.* 50. qui alijs relatis teſtantur de communi.

15 Sed hoc intelligendum eſt de nepotibus, & deſcendentibus ex linea paterna, & maſculina. Nàm deſcendentes ex linea materna, & fœminina, non priuantur beneficijs, nec ad obtinenda, ſunt inhabiles; niſi vſque ad primam generationem. Ità expreſsè habetur in *cap. Statutum* 1. *de hæret. in 6.* his verbis: *Primum, & ſecundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus. Per maternam verò ad primū dumtaxat volumus extendi.* Et ibi notat Gloſſa, ꝙ nepotes hęretici ex filia, & nepotes ex muliere hęretica non cōprehenduntur ſub dicta pœna: quia filij magis patrem, quàm matrem repræſentant. Et ſicut nobilitas familiæ deſcendit in poſteros magis ex patre, quàm ex matre: ità maiorem iacturam ex hęreſi paterna, quàm ex materna eos pati, iuſtiſſimum eſt: vt notant Eymericus *p.* 3. *direct. q.* 115. Pegna ibi, *commen.* 164. *verſ. Quantum ad primum*, Antonius Gomez *tom.* 3. *var. reſol. c.* 2. *nu.* 4. & alij quamplures, quos citant, & ſequuntur Sanchez *in Decal. lib.* 2. *c.* 27. *nu.* 2. Farinacius *de hæreſ. q.* 191. *n.* 51.

16 Et idem dicendum de filijs hæreticorum credentium, receptatorum, & fautorum, qui inhabiles etiam ſunt ad beneficia eccleſiaſtica, & ad dignitates, & officia publica inſtar eorum parentū, per lineam paternam ad primam, & ſecundam generationem, & per lineam maternam ad primam tantum generationem. Vt ex *cap. Vt commiſſi, cap. Credentium, cap. Quicunque, & cap. Statutum, de hæreticis in 6.* & ibi communiter omnes Canoniſtæ: vt referunt Farinacius, & Sanchez *loc. cit.*

Clerici, qui ſunt illegitimi, aut ſpurij, priuantur ne beneficijs Eccleſiaſticis, & ad illa obtinenda, ſunt ne inhabiles, propter hæreſim paternā?

17 RESp. Affirmatiuè, alias eſſet melior conditio illegitimorum, quàm legitimorum. Immò huiuſmodi filij duplici ex capite ſunt inhabiles ad beneficia, & irregulares. Primò, propter hæreſis crimen paternum: ſecundò, quia ſunt illegitimi, vel ſpurij, vel nati ex coitu damnato: dummodò certum ſit, eos eſſe illegitimos, vel ſpurios, & hæretici filios. Ità Zanchinus *tr. de hæret. c.* 28. *n.* 13. Repertorium Inquiſitorum *in verbo Filij, verſ. Sed præſuppoſito*, Couarruuias *var. reſol. lib.* 2. *c.* 8. *n.* 3. Symāchas *de cathol. inſtitut. tit.* 29. *de filijs, & minoribus, n.* 16. Pegna *par.* 3. *comment.* 163. *verſ. Sed in primis.*

Filij, vel nepotes patris, qui vt contumax noluit, comparere ad reſpondendum in cauſā ſuæ hæreſis, ſeu ſortilegij hæreticalis, ſunt ne ad beneficia inhabiles?

18 RESp. Quod Pegna *par.* 3. *commen.* 164. *verſ. At in caſu noſtro*, Molina

lina *tom.3.de iuſtit.par.1.diſp.658.num.19.*Sanchez *in Decal. lib.2.c.27.nu.19.* ſuſtinent, incurri à filijs, & nepotibus, damnati patris ob contumaciam, omnes pœnas, tanquam ſi ille fuiſſet conuictus,& pertinax hæreticus, & conſequenter eos eſſe inhabiles ad beneficia eccleſiaſtica. Quia contumax in iudicio Eccleſiæ pro hæretico habetur, & condemnatur: vt ex *cap. Cum contumacia, de hæreticis in 6. & in cap. Excommunicamus 1.§.Qui autem,extrà de hæret.* tradunt Gloſſa, Ioannes Andreas, Francus,& alij.

19 Sed probabilius docent Gigas *de crimine læſæ Maieſt. lib.3.tit.1. de pœnis quas incurrunt filij, n.3.* Farinacius *qu.116.n.150.& q.191.num.68.*& alij diſtinguendum eſſe. Nàm vel pater contumax, fuit condemnatus præcedentibus plenis, & concludentibus probationibus,in hæreſim incidiſſe;& eius filij, & nepotes vtique inhabiles ſunt ad omnia beneficia, & ſubduntur omnibus pœnis filiorum hæretici.Sed ſi non præcedant dictæ probationes delicti;ob ſolam patris contumaciam non reddi eius filios, & nepotes ad beneficia inhabiles,nec pœnis filiorum hæretici affici. Quia quamuis contumax habeatur pro confeſſo,& conuicto: tamen talis confeſſio dicitur ficta confeſſio,dum non egreditur ab ipſa perſona contumaci; & ideò non nocet filijs, & nepotibus. Contumax enim habetur pro confeſſo in ſui tantum præiudicium, nō autem in damnum hæredum. Vt conſtat ex *l. Eius, qui 29. ff.de iure Fiſci*, & docent Bartolus *in l. Cum filius familias 49.n.4.ff.de verb.obligat.* & Baldus *l.2.n.23.verſ.Secundò quæritur, Cod. de edendo.*Confirmatur,quia ſententia in contumaciam lata, nunquam tranſit in rem iudicatam, quoad pœnam corporalem.Quocunque enim tempore contumax comparet,eſt audiendus: vt patet ex *l.Annus 4. ff. de acquirendis reis.* Quod verũ eſt, etiamſi contumacis ſtatua combuſta ſit; nec ipſe ſe præſentet, ſed inuitus capiatur: vt affirmant Symanchas *de cathol. inſtitut. tit.2.nu.20.* Pegna *par.3.comment.49.in fin.* Flaminius Cantarius *tract. de execut. ſententiæ contumac.c.1.n.280.* Scacci *de iudicijs,lib.1.cap.98.n.25.* Neque ſententia contumacię infamat, vt probant Surdus *in conſil.173.n.100.volum.2.* Rolãdus *conſil.29.nu.21.& 22.volum.3.*& alij. Ergò ſententia lata ob contumaciam patris, non nocet filijs,nec idcircò redduntur inhabiles, ad obtinenda beneficia,nec priuantur obtentis.

Filij, geniti, ac nati antequam eorum pater in hæreſim incideret,ſunt ne beneficijs obtentis priuati, & ad alia obtinenda inhabiles?

20 Reſp. Duplicem eſſe huic quæſito Doctorum ſententiam. Alij enim ſuſtinent: filios genitos, & natos, antequam pater in hæreſim incideret, eſſe beneficijs obtentis priuatos,& ad alia inhabiles. Quia hæc pœna, ideò impoſita eſt vt parentes, ne eorum filij illam patiantur,hæreſum crimina non committant: vt communiter Doctores teſtantur. Sed parentes æqualiter diligũt filios:ergò hæc ratio,tàm militat in filios genitos, & natos antè delictum patris, quàm in natos, & genitos poſteà. Ergò tàm filij nati poſt delictum patris,quàm nati anteà,priuantur obtẽtis beneficijs,& ad alia obtinenda,ſunt inhabiles. Confirmatur, quia Textus loquentes de huiuſmodi pœna indiſtinctè loquuntur. Ergò indiſtinctè intelligendi ſunt. Ergò hæc pœna tàm afficit filios natos antè delictum patris, quàm natos poſteà. Ità ſentiunt Albertinus,& Salycetus *in l. Quiſquis, C. ad legem Iuliam Maieſt.* Gloſſa *in c. Si quis cum militibus 6.q.1.verb.Filij*, Antonius Gomez *tom.3.var.reſol.cap.2.n.16.verſ.Sed his non obſtantibus*, Alphõſus Caſtrus *lib. 1.c. 7. de poteſtate legis pœnalis, verſ.Et primò infero, & lib.2.c. vlt.de iuſta hæret.punit. verſ.De hac tamen re*,& alij.

21 Secunda ſentẽtia,quæ eſt benignior, & vſu magis recepta docet, filios natos antequam eorum pater hæreſis crimen

men

men committeret, non eſſe priuatos, nec priuandos beneficijs obtentis ante paternam hæreſim: ſed ſolum poſteà obtinendis. Ità ſuſtinent Calderinus *conſ.3.de hæreticis*, Cynus *in l.Quiſquis,Cod.ad legem Iuliam Maieſt.* Præpoſitus *in cap.Quo iure, diſt.*8. Symanchas *de cathol.inſtitut. tit.* 29. *n.* 23. *& ſeq.* Pegna *par.3.commen.*163.*verſ. Ego vero.* Couarruuias *var. reſol. lib.2.c.8. n.*5. Baldus *in l.2. Cod. de libert. & eorũ liberis*, Farinacius *de hæreſi,qu.*191.*nu.* 57.*verſ.Contrarium quidem*, Decianus *in tr.crimin.lib.*5.*cap.*45.*n.*5.*verſ.Limita ſeptimò*, Surdus *conſ.*386.*n.*5. Menochius *conſ.*805.*n.*33.*& conſ.*808. *n.*26. Azorius *par.*1.*lib.*8.*cap.*13.*q.*8.*in octaua hæreticorum pœna*, Sanchez *in Decal.lib.*2.*c.*27.*nu.*14.*& cap.*28.*nu.*28.& alij apud ipſos. Probatur,quia *in c.2.§. Hæretici, de hæreticis in 6.* filij, & nepotes ob paternam hęreſim ſolum redduntur inhabiles,ad beneficia, vel officia publica obtinenda: quæ inhabilitas minimè priuat obtentis: vt tradũt Gloſſa *in Clement.*1.*verb. Obtinenda de pœnis*,& ibi Cardinalis, Immola, & Bonifacius *nu.* 54. & vt refert Couarruuias *variar.reſol.lib.*2.*c.*8. *nu.*5. *verſ. Tertiò opinioni*, Gloſſa ait *in cap. Iàm itaque in verb.Reatum* 1. *qu.*4. Reatum patris tranſire in filium poſteà natum, non in eum, qui prius natus fuerat. Et idem Couarruuias *loc.cit.n.*4.*in fin*, obſeruat: quod quamuis iure Canonico, hæreticus, effectus inhabilis, ad obtinenda beneficia eccleſiaſtica, etiam obtentis priuetur: non eſt idem in eius filijs, quoad beneficia, quæ iſti obtinuerunt antè parentis lapſum. Hi etenim ob alterius culpam, inhabiles efficiuntur, ad eccleſiaſtica beneficia acquirenda; non tamen bonis proprijs priuantur: & ideò poterunt etiam retinere beneficia obtenta.

22 Hæc autem opinio maximè etiam probatur ex eo, quod nullibi expreſsũ eſt: filios obtentis beneficijs priuari ob paternum ſcelus: & qui inhabilis efficitur,ad obtinenda, regulariter obtentis non priuatur. Sic licet infamis,infamia facti,inhabilis fit,ad obtinenda beneficia eccleſiaſtica: vt ex Gloſſa *in cap.Omnipotens,de accuſationibus*, & ibi Abbas, Aretinus,& alij; & ex *cap.Inter dilectos,de exceſſibus Prælatorum*. Obtentis tamen dignitatibus,beneficijs,& honoribus non priuatur. Vt docet Panormitanus *in cap.Per inquiſitionem, colum.3.de electione*, & notant Doctores *in dicto cap.Omnipotens, & in l.2.§.ult. ff.de pœnis*, Gloſſa *in cap. Cum non liceat de præſcript.l.*1.*§.Integer,ff.Nil nouare appellat.penden.l.Furti*, §.1. *ff.de his, qui notantur infamia*. Dictam ſententiam nonnullis alijs auctoritatibus, & rationibus probat Sanchez *loc.cit.& cap.*28.*n.*30. & addit: quod filij ob paternam hæreſim, neque per ſententiam priuandi ſunt beneficijs, iàm anteà obtentis, quia ſolum ad beneficia obtinẽda, redduntur inhabiles. Et ità etiam ait, quod docent Couarruuias, Iulius Clarus, Symanchas, Salzedo, Suarez, Petrus de Ledeſma,& Pegna *comment.* 163. *uerſ. Sententiam ſuperiori oppoſitã.*

Filij,& nepotes ſicut ob paternam hæreſim ſunt inhabiles, ad beneficia in poſterum obtinenda, ſic etiam ſunt ne inhabiles ad penſiones acquirendas?

23 RESp. Affirmatiuè: quia quamuis appellatione beneficij, non veniat penſio: cùm longè inter ſe differãt: & pœna ſtrictiſſimè interpretanda ſit: Tamen Textus *in cap. Vt commiſſi, de hæreticis in 6.* priuans prædictos filios beneficijs, vtitur verbis generalibus: nempè quibuſcunque beneficijs: & in *cap.2.§.Hæretici, eod. tit.* vtitur illa negatiua generali, *Nullum beneficium.* Ergò continet etiam penſiones. Inſuper cum Textus dicat: prædictos filios ad nullum beneficium eſſe admittendos: Gloſſa ibi,& Dominicus *n.*2. aiunt, *Beneficium ſumi latè*. Sub lata autem beneficij ſignificatione comprehenditur etiam penſio. Vt latè probat Gigas *de penſionibus,tota q.*18. Ergò qui incapax

pax eſt beneficij, eſt etiam incapax pẽſionis. Confirmatur, quia cum penſio ſit fructus, eſt beneficio acceſſoria. Ergò ſequitur naturam ſui principalis, & ſub priuatione beneficij includitur etiam priuatio penſionis. Ità docent Gigas *loc.cit.* & *q.94.n.7.* & *conſil.142.n.7.verſ.Quo caſu*, Gloſſa *in Clement.2. verbo Quodcunque, de vita, & honeſt. Cleric.* Farinacius *de hæreſi,q.191.n.60.* Sanchez *in Decal.lib.2.c.28.nu.36.* vbi refert de hoc extare multas Rotæ deciſiones, & alij, quos ipſi citant.

Filij, patris pœnitentis, in hæreſis crimen incidiſſe, ſunt ne inhabiles ad alia beneficia obtinenda?

24 RESp. Negatiuè: etiamſi pater antè peractam pœnitentiam obierit: dummodò pœnitentiam, vel inceperit, vel eam recipere paratus ſit. Ità habetur *in cap. Statutum 1. de hæreticis in 6.* vbi dicitur: *Non autem illorum, quos emendatos eſſe conſtiterit, & reincorporatos Eccleſiæ veritati.* Et ibi Gloſſa *verſ.Sed vtrum, & in verbo Reincorporatos, & in verb. Parati,* Geminianus *in ſummario in princ. & in §.Hoc ſanè, n.2.verſ.Nota quod licet.* Extat etiam Conſtitutio Honorij IV. ædita anno 1286. incip. *Exhibita,* & Alexandri IV. ædita ann. 1258. incip. *Quod ſuper, verſ. Frequenter etiam,* Calderinus *in tr. de hæreticis, rubr. de pœnis hæreticorum filiorum, & nepotum, n.4. in fin.* Zanchinus *tr. de hæreticis, cap.28.nu.3. & 4.* Pegna *par.3.comment.162. verſ. Iam tandem,* Sanchez *in Decal.lib.2.cap.27.nu.26. & n.28.* Suarez *tom.5.in 3.par.diſp.43.ſec.3.n.1.* Et in hoc voluit lex conſtituere differentiam inter patrem, qui crimen hæreſis committit, & eius filios. Nàm ille, quamuis Eccleſiæ reconcilietur, adhuc manet irregularis, donec cum eo diſpenſetur: filij verò non indigent diſpenſatione, poſt parentis reconciliationem. Et ratio eſt, quia licet ob criminis grauitatem, & infamiam potuerint parentes, etiam in filijs puniri, vt ipſi parentes facilius conuerterentur. Nihilominus grauius puniẽdi ſunt parentes in tali caſu, quàm filij: & iuſtè incomparabilius impoſita eſt illis delinquentibus pœna, quàm iſtis.

Filij, & nepotes relapſi, qui ſui criminis pœnitens, Eccleſiæ reconciliatur, ſed brachio ſeculari traditur puniendus, incurrunt ne pœnam inhabilitatis ad officia, & beneficia?

25 RESp. Quod Geminianus *in dicto cap.Statutum. §.Hoc ſanè, de hæreticis in 6.* Repertorium Inquiſitorũ *verbo Filij, §.Nunc videndum, verſ.Sed circa,* Alphonſus Mõtaluus legum Caſtellæ interpres, *l.2.tit.25.par.7. verſic. Eſt ergò concluſio.* & alij ſuſtinent: filios, & nepotes relapſorum pœnitentium, & conuerſorum non fieri ad beneficia inhabiles. Quia iſtorum parentes non videntur hæretici deceſſiſſe, cùm pœniteant, & ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ admittantur: *cap. Super eo, de hæreticis in 6.* & dum hæc Sacramẽta recipiunt, incorporati videntur Eccleſiæ. Ad incurrendam verò filios hãc pœnam, requiritur in *cap.Statutum: vt parentes in hæreſim deceſſiſſe probentur.*

26 Sed quamuis hæc ſententia mitior ſit, tamen verior eſt illa, quæ docet. Filios relapſorum infames, et inhabiles fieri ad officia, & beneficia: quamuis eorum parentes conuertãtur, & admittantur ad eccleſiaſtica Sacramẽta. Probatur primò, quia relapſi pœnitentes non dicuntur propriè Eccleſiæ incorporari, in ſenſu, de quo loquitur Textus *dicti cap. Statutum.* Ibi enim, vt probat Suarez *tom.5. in 3.par.diſp.43. ſect.3.n.4.* non eſt ſermo de his, qui per Sacramentum Pœnitentiæ tantùm incorporantur Eccleſiæ, & poſteà Curiæ ſeculari traduntur puniendi; ſed de reincorporatione per abſolutionem ſolemnem, & iuridicam: quando ab Inquiſitoribus abſoluti, & ad gremium Eccleſiæ reducti, admittuntur, vt iniunctam pœnitentiam peragant. Et idem docent etiam Geminianus in *cap. Accuſa-*

ſtatus,§.*Si verò*,*n*.5.*de hæret.in* 6. Pegna *par*.3.*comment*.164.*verſ.Oppoſitam ſententiam*,Sanchez *in Decal.lib*.2. *c*.27.*n*. 23.& alij. Probatur ſecundò, quia in *dicto cap.Statutum*, duo requiruntur,vt filij eorum,qui reuertuntur ad Eccleſiæ gremium, iuris pœnas, in eos latas,effugiant. Vnum eſt, vt emendentur: alterum,vt Eccleſię reincorporentur.Relapſi autem pœnitentes,nec ſolemniter Eccleſiæ reincorporantur: vt demonſtratum eſt: nec dici poſſunt emendati, dum ſunt relapſi, & in illud crimen reinciderunt, quod ſolemniter abiurauerant,& ad quod,non reuerſuros, iuramento ſe obligauerant. Igitur omninò dicendum, dictos filios inhabiles eſſe, ad beneficia, & officia, etiamſi eorum pater relapſus conuertatur, dum brachio ſeculari puniendus traditur, tanquam fictus pœnitens.Ità hanc ſententiam tuentur ne dum dicti Doctores, ſed Gloſſa *in eod. cap. Statutum*, *verb. Reincorporato*, & ibi Io: Andreas, & Francus, Symanchas *in Enchirid. iud. tit*.63.*n*.7. Royas *tr.de hæret*. 2. *par.nu*. 337.Decianus *in pract.lib*.5.*c*.45.*nu*.3. & alij quamplures,quos citat,& ſequitur Sanchez *loc.cit*.Qui *n*.24.etiam docet.Idem dicendum eſſe de filijs,& nepotibus eorum,qui quamuis relapſi nō ſint, & ad fidem redeant,traduntur tamen brachio ſeculari puniendi. Quia cum hi ſimiliter non admittantur, ad ſolemnem reincorporationem cum Eccleſia,militat eadem ratio in eis,ac cum illis.

CAPVT XXXV.

De pœna priuationis vocis actiuę, & paſſiuæ, & Officiorum Regularium ob cauſam ad Sanctum Officium pertinentem.

Priuatio vocis actiuæ,& paſſiuę,impoſita,vt eo ipſo,ſeu ipſo facto, & abſque alia declaratione incurratur,incurritur ne antè Iudicis ſententiam declaratoriam?

1 RESp. Quod Manuel in motu proprio Pij V.*nu*.31.*&* 32. Sorbus *in compend.priuil. mendic. verb. Ingreſſus Monaſteriorum Monialium*,*num*. 10.*verſ. Notandum eſt*, *&* *verſ.Idem dicendum eſſe*, Azorius *tom*.1. *lib*.5.*c*.7. *q*.6. ſuſtinent:nullam exigi ſententiam, ad incurrendam priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ,ac etiam regularium officiorum, quando ipſo iure, ſeu ipſo facto, & abſque alia declaratione imponitur. Quia alias nihil operarentur illa verba (abſque alia declaratione) ſi reus hanc priuationem non incurreret antè Iudicis declaratoriam ſententiam.

2 Sed probabilius oppoſitum docent Couarruuias *in* 4.*lib.decret. par*.2. *cap*. 6.*n*.10.Ludouicus Lopez 1.*par.inſtruction. conſcient. cap*.296.*fol*.880. Graſſius 1.*par.deciſ.lib*.2.*cap*.11.*n*.41. Enriquez *lib*.13.*de excommun.cap*.56. *nu*.3. Sotus *lib*.1.*de iuſtit.qu*.6.*art*.6. Symanchas *de inſtitut.cathol.tit*.9.*n*.227. Sanchez *lib*.2.*in Decal.c*.22.*n*.20.Peyrinus *tom*.1.*qu*.2.*cap*.2.§.11. *verſ.Dico tertiò*, Diana *tom*.6.*tr*.1.*reſ*.36. *n*.2. *ex par*.1. *tr*.10.*reſ*.24.*n*.2. Ledeſma *in ſumm. qu*. 19.*ar*.2.Molina *de iuſt.tom*.1.*tr*.2. *diſp*. 96.*n*.8.Lezana *tom*.2.*verb. Pœna eccleſiaſtica*,*n*.8.Quia priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ, etiamſi impoſita ſit, vt *ipſo* iure,& abſque alia declaratione incurratur, non incurritur, neque obligatur delinquens in cōſcientia ad illius executionem, antè Iudicis declaratoriam ſententiam criminis; itaut probari debeat coram Iudice:tale delictum à tali fuiſſe commiſſum. Quia nullus delinquens tenetur, pœnam contra ſeipſum executioni mandare, Iudice eandem minimè exequente: vt docent D.Thomas 2.2.*q*.62.*ar*.3.& ibi,Caietanus,& alij. Et in *cap.Cum ſecundum, de hæreticis in* 6.ſtatuit Romanus Pontifex: *Declarationem Iudicis requiri in pœnis,etiā ipſo iure incuſſis; vt eorum executio iuſtè fieri poſſit*. Et in extrauag. *Ambitioſè,de rebus Eccleſiæ non alienandis*, ſtatuitur contra alienantes bona Eccleſiæ abſq; debitis ſolemnitatibus,quòd ipſo facto beneficijs priuati exiſtant, illaq; abſq; de-

declaratione aliqua vacare, cenſeantur, & liberè conferri poſſint: et tamen Doctores ſupradicti affirmant: ad incurrendam hanc pœnam, requiri declaratoriam criminis ſententiam. Ergò ſimiliter requiritur in alijs caſibus conſimilibus. Et D. Thomas *loc. cit.* docet: pœnam in foro conſcientiæ non deberi, donec reus ſit condemnatus. Si quis enim relinqueret officia, vel deſiſteret à ſuffragijs ferendis, ſe ipſum infamaret, manifeſtando aliquod delictũ, ſe commiſiſſe, propter quod exiſteret talibus priuatus. Et præceptum, de tuenda fama, eſt naturale. Ideò in praxi ità ſeruatur: non enim qui incidunt in pęnam priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ, ſtatim renunciant officia, & à dandis ſuffragijs ſe abſtinẽt. Et conſuetudo eſt optima legum interpres; vt habetur *in cap. Cum dilectus, de conſuetud.*

3 Nec obſtat ſupradicta ratio in cõtrarium. Quia illa verba: Abſque alia declaratione: intelligi debent de ſola pœnæ declaratione, & quòd non excludant criminis commiſſi declarationem. Neque dici poſſunt ſuperflua: quia adduntur, vt magis pœna ipſa exprimatur. Vt in ſimili docent Couarruuias *lib. 2. var. c. 5. n. 9.* Antonius Gomez *tom. 3. var. cap. vlt. n. 3.* Vaſquez 1. 2. *qu. 96. art. 5. diſp. 170. cap. 4. nu. 14. & 15.* Sanchez *vbi ſup.*

Regulares cognoſcentes ſuorum ſubditorum cauſas ad Sanctum Officium ſpectantes, vel non denunciãtes huic Sancto Tribunali illos de hæreſi infectos, aut ſuſpectos, quo iure inter alias pœnas, etiam priuationem officiorum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ incurrunt?

4 RESp. Illas omnes pœnas incurrere ex Conſtitutione Pauli V. ædita Kal. Septembris 1606. incip. *Romanus Pontifex*, vbi præcipitur his verbis: *Prætereà ipſis Generalibus, Superioribus, & Prælatis pari auctoritate, præcipimus, atque mandamus; vt omnes proceſſus, & acta cauſarum huiuſmodi, Inquiſitoribus, ſeu Ordinarijs prædictis reſpectiuè, remittent, & conſignent. Nec non Profeſſores, Fratres, & Religioſos ſupradictos, quos hæreſis labe infectos, vel ſuſpectos, etiam in viſitatione eſſe nouerint, abſque alia conſultatione, cum proprijs Superioribus facienda, eiſdem Inquiſitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus reſpectiuè denuncient. Quòd ſi Generales, alijque prædicti, præſentibus litteris, non paruerint; eos omnes priuationis quorumcunque dignitatum, ſeu Prælaturarum, vel officiorum ſuorum Ordinum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ, perpetuæque inhabilitatis ad eaſdem, necnõ contra fautores hæreticorum, & impeditores officij, ſtatutas, & inflictas pœnas, aliaſque cenſuras eccleſiaſticas, etiam excommunicationis maioris latæ ſententiæ, à qua non niſi à nobis, vel à Romano Pontifice, pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo, abſolutionis beneficium valeant, obtinere, eo ipſo incurriſſe.*

Regulares in quibus caſibus, exercendo Aſtrologiam iudiciariam, incurrunt cum alijs pœnis priuationem vocis actiuæ, ac paſſiuæ, & officiorum, cum inhabilitate ad illa in poſterum obtinenda?

5 RESp. Regulares huiuſmodi pęnas incurrere in caſibus expreſſis in Bulla Vrbani VIII. incip. *Inſcrutabilis*, ædita Kalend. Aprilis 1631. vbi præcipitur dictis pœnis ſubiacere: *Omnes eos, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apuſtolicæ, ſiuè de vita, aut morte Romani Pontificis, pro tempore exiſtentis; eiuſque vſque ad tertium gradum incluſiuè conſanguineorum, Mathematicos, Ariolos, Aruſpices, vaticinatoreſque nuncupatos, vel alios Aſtrologiã iudiciariam exercentes, ſeu alias quomodolibet profitentes, de cętero conſuluerint, ſiuè deſuper eorum iudicia, prognoſtica, prædictiones, ſeu præcognitiones, etiam ſi-*

bi oblatas receperint, illiſque quomodolibet vſi fuerint, vel illas penès ſe ſcienter retinuerint, aut alicui oſtenderint. Nec non Mathematicos, Ariolos, Aruſpices, vaticinatores, ſeu alios Aſtrologiam iudiciariam, ſeu quamlibet artem diuinatoriam, quomodolibet profitentes, qui iudicia, prognoſtica, ſeu præcognitiones, & prædictiones ſuper præmiſſis; etiamſi id, non certò ſe affirmare proteſtentur; fecerint, ſiuè à ſe, vel ab alijs iam facta, ſeu factas in poſterum penès ſe ſimiliter retinuerint, uel alicui dederint, ſeu oſtenderint, aut de eis quouis modo, etiam improbando ſcripto, uel uerbis tractauerint, nedum excommunicationem maiorem latæ ſententiæ, & alias pœnas, ſed etiam incurrere priuationem beneficiorum, dignitatum, & officiorum eccleſiaſticorum, & aliorum quorumcumque, & inhabilitatis perpetuæ ad illa in poſterum obtinenda.

Regularis, qui pro ſuo delicto ad pœnam temporalem à Sancto Officio damnatus fuit, expleto hoc tempore, poteſt ne promoueri ad gradus, & officia ſui Ordinis?

6 RESP. Negatiuè. Nàm Vrbanus VIII. in Sacra Congregatione vniuerſalis Inquiſitionis habita die 1. Octobris 1626. ità decreuit his verbis: vt refert Diana *tom.5.tr.13.fol.580.ex par.4. in fine*: *Sanctiſsimus D.N. iuſtis de cauſis animum ſuum mouentibus, decreuit, & ſtatuit: ut in poſterum: Regulares omnes cuiuſuis Ordinis, Religionis, Societatis, & Inſtituti, quibus pro delictis ad Sanctum Inquiſitionis Officium ſpectantibus, pœnitentiæ genus aliquod impoſitum fuerit (ſalutaribus pœnitentijs exceptis) eo ipſo ad omnes Religionis ſuæ gradus, & officia inhabiles cenſeantur: & deinceps etiamſi pœnitentiæ tempus expleuerint, nullatenus poſſint: niſi prius obtenta à S.D.N. uel ab hac Sacra Congregatione, coram Sanctiſsimo habēda, ſpeciali, & expreſſa rehabilitationis gratia. Alias promotio qualibet nulla ſit, & promouentes ipſi priuationem ſuorum officiorum, ac prætereà uocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrant, ad quæ reſtitui, niſi ab eodem S.D.N. uel ab eadem S. Congregatione coram Sanctiſſimo habenda, non poſſint. Præſens autem decretum omnibus Religioſorum Superioribus intimari mandauit idem S.D.N.*

Regularis, qui fuit priuatus voce actiua, & paſſiua, & inhabilitatus ad officia, ſi ſemèl poſteà ad ea habilitetur, manet ne in poſterum ad alia habilitatus?

7 RESP. Affirmatiuè, niſi talis rehabilitatio conceſſa ſit cum expreſſione, pro illa vice tantum. Quia quādo non exprimitur hæc limitatio, intelligitur abſolutè, generaliter, & indefinitè rehabilitatus. Sicut ſi voto caſtitatis, vel Religionis ligato, diſpenſetur, vt poſſit matrimonium contrahere, ſoluto primo matrimonio, poteſt ad ſecundas nuptias, abſque noua diſpenſatione, tranſire: quia quando id non intenditur, in diſpenſatione exprimitur. Et dum abſolutè conceditur ad matrimonium ineundum, abſolutè etiā tollit vinculum obſtans, & voti impedimentum: vt docet Sanchez *lib.8. de matrim. diſp.31.n.11.* Similiter quando cum illegitimo diſpenſatur, ad beneficium obtinendū abſque aliqua reſtrictione, intelligitur diſpenſatio abſolutè, nec coarctatur ad primum tantū, ſed extenditur ſucceſſiuè ad aliud: vt docent Ioannes Andreas *in cap.1. de filijs presbyt. in 6. & in c. Non poteſt, n.5. eod. tit.* Angelus *uerb. Beneficium, n. 24.* Armilla *uerb. eod. nu.29.* Syluester *uerb. Beneficium 3.q.11.n.14.* Tabiena *uerb. Beneficium 2.q.17.n.19.* Quia diſpenſatio illa, reddens illegitimum capacem beneficij, non reſpicit ipſum beneficiū, ſed perſonam. Ergò idem dicendum in noſtro caſu prædicto: & ſemèl habilitatus ad officium, abſque reſtrictione ad illud tantum: intelligi, debet abſolutè, & indefinitè, ad alia habilitatus.

Quia

Quia vbi militat eadem ratio, militat etiam eadem iuris diſpoſitio.

Si in aliqua Bulla inferatur pœna priuationis vocis, abſque expreſſione vocis actiuæ, & paſſiuæ, huiuſmodi pœna eſt ne intelligenda de vtraq; voce, an de actiua tantum?

8 RESp. Leſſium *lib. 2. cap. 34. dub. 19. nu. 105.* ſuſtinere, vtramque vocem eſſe compræhenſam, itaut nec eligere, nec eligi poſſit. Quia vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Sed Garzias *3. par. de benefic. c. 4. n. 15.* Caſtro Palaus *par. 2. tr. 13. diſp. 5. punct. 6. n. 15.* Diana *tom. 6. tr. 1. reſ. 37. ex par. 5. tr. 13. miſcell. 1. reſ. 91.* docent, probabilius eſſe, pœnam in tali caſu debere intelligi, de ſola voce actiua: quia pœnæ non ſunt extendendæ, & vox actiua propriè, & abſolutè vox dicitur. Ergò pro ſola priuatione vocis actiuæ talis pœna intelligenda eſt, Verba enim abſolutè prolata accipienda ſunt pro famoſiori ſignificatu.

Nomine priuationis graduum officiorum, & dignitatum, compræhenduntur ne Magiſtri Nouitiorum, Concionatores, Lectores, Confeſſarij, Præfecti Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ, Definitores, Conſultores, Diſcreti, & ſimiles?

9 RESp. Negatiuè: quia nomine graduum officiorum, & dignitatum propriè intelligitur gradus honorificus cum ſuperioritate, quæ habeat adminiſtrationem cum iuriſdictione, tàm in foro interno, quàm externo. Cuiuſmodi ſunt Generales, Prouinciales, Viſitatores, Abbates, Præpoſiti, Priores, Guardiani, Commiſſarij Generales, Vicarij, tàm Religioſorum, quàm Monialium, & ſimiles; qui cum adminiſtratione iuriſdictionem habent. Hoc autē nomine non veniunt Conſultores, Definitores, Magiſtri Nouitiorum, Miniſtri, Admonitores, Concionatores, Lectores Theologiæ, Confeſſarij, Præfecti, & ſimiles, qui nec ſuperioritatem, nec iuriſdictionem habent. Ità docent Sanchez *in Decal. tom. 2. lib. 6. cap. 15. n. 66. & cap. 18. n. 25.* Rodriquez *in expoſit. motus proprij Pij V. n. 21.* Bonacina *tom. 1. de largitione munerum, diſp. 3. punct. 5. n. 2.* Filliucius *tom. 2. tr. 34. c. 3. n. 77.* Diana *tom. 6. tr. 1. reſ. 34. n. 2. ex p. 4. tr. 4. reſ. 224.*

Pęna priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ, quando incurritur à Regularibus, non obſeruantibus decretum S. C. iuſſu Vrbani VIII. æditum 14. April. 1633. legendi litteras Apoſtolicas ad Sanctum Officium pertinentes?

10 RESp. Quod in dicto decreto Sanctiſsimus mandat, ac præcipit, vt *Omnes Superiores cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ, Regulares, aut cuiuſuis alterius Inſtituti, etiam quantumuis exempti, & priuilegiati, teneantur ſub pœna priuationis officij, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ, ipſo facto incurrenda, alijſque arbitrio Sanctitatis ſuæ infligendis in perpetuum, ſemèl ſaltem in anno, ideſt Feria 6. poſt octauam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, in publica menſa, vel in Capitulo adhoc ſpecialiter conuocato. Et inſuper in quocunque Generali, ac Prouinciali Capitulo, Conuentu, Dieta, vel alio quouis nomine nuncupato, capitulari congreſſu ſuos ſubditos, ac Religioſos commonere, de iniuncta omnibus obſeruantia, & executione eorundem Apoſtolicarum Conſtitutionum, & decretorū, ad S. Officium Inquiſitionis, aduerſus hæreticam prauitatem continentium, &c.* Et tandem ſic idem Pōtifex concludit. *Et inſuper ijdem Superiores teneantur, curare, & efficere, vt huius decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conſeruentur, itaut ab eiſdem ſubditis Religioſis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque huiuſmodi*

modi commonitione publico documento ſtatim certiorem facere Congregationem Supremæ Inquiſitionis in Vrbe. Et ita mandat, ac præcipit Sanctitas ſua.

Tempus præfixum in ſupradicto decreto, poteſt ne, aliquantulum anticipari, vel poſponi?

11 RESp. Affirmatiuè, & quoad anticipationem nulli dubium eſt fieri poſſe: quia plus ſoluit, qui anticipatè ſoluit. Quoad dilationẽ verò Sacra Congregatio 11. Februarij 1638. declarauit ad petitionem Canonicorũ Regularium S. Auguſtini: *Tempus faciendi dictam commonitionem extendi per totum menſem Auguſti, & hanc extẽſionem ſuffragari omnibus Religioſis*. Et eadem Sacra Congregatio die 16. Aprilis 1638. decreuit: *Vt in poſterum dictas ordinationes perlegi facere poſſint: vel in die in ipſis ordinationibus preſcripta: vel intra terminũ vnius mẽſis immediatè ſubſequentis*: vt refert Peyrinus *tom.2.fol.mihi* 443.

Prælatus Regularis, ne dictam pœnam incurrat, tenetur ne, vt decretum iſtud legatur per extenſum, vel ſufficit, vt ſuos ſubditos de illius obſeruantia commoneat?

12 RESp. Sufficere ſi verbis, vel per ſchedulam publicè lectam, ſuos ſubditos de illius obſeruantia commoneat: quia in dicto decreto Superioribus præcipitur ſuos ſubditos commonere: vt notat Pellizzarius *tom.2.tr.7. cap.6.ſect.2. n.38. verſ. Circa cuius decreti*. Verùm, ad euitandos rumores, expedit, vt publicè legatur per extenſum.

Si in aliquo Monaſterio adſit Generalis, vel Prouincialis, cum ſuperiori locali, & in die preſcriptâ non commoneantur ſubditi de huius decreti obſeruantia, ſubiacet ne prædictę pœnæ, etiam Generalis, vel Prouincialis, vel ſolus Superior localis?

13 RESp. Subiacere ſolum Superiorem localem; quia ipſe habet ſpecialem, & immediatam adminiſtrationem Monaſterij: & onus eius eſt, cõmonere ſuos ſubditos, ad obſeruantiã dicti decreti: & cùm Generalis, & Prouincialis illius Monaſterij curam habeant generalem, & mediatam, & lectio huius decreti pertineat ad habentem ſpecialem Monaſterij adminiſtrationem. Ideò Superior localis dictam pœnam incurrit, & non illi. Confirmatur, quia lex reſpicit communiter contingentia; communiter autem omiſſio huius lectionis, ſeu commonitionis accidit, ex defectu Superioris localis, qui in ſuo Monaſterio ſemper degit; Generalis, & Prouincialis modo ad hoc, modo ad illud Monaſterium abeunt. Ergò pœna talis omiſſionis Superiori locali debetur. Et idem eſt dicendum ſi tempore faciendi hanc commonitionẽ Superior localis abeſſet è Monaſterio, & eius Vicarius omitteret eam facere: ipſe Vicarius pęnam incurreret, quamuis in Monaſterio tunc adeſſet Generalis, vel Prouincialis: quia ſicut eo tẽpore Vicarius ſuccedit in Superioris iuriſdictionem, & Monaſterij gubernationem ità ad ipſum ſpectat talem cõmonitionem facere, & ſi illam omittat, ipſe pœnam incurret. Ità Pellizzarius *tom.2.tr.7.cap.6.ſect.2.n.38.verſ.Nota tertiò.*

Ignorantia, ſeu negligentia, vel obliuio exequendi, die pręfixo, ſupradictum decretum, excuſat ne Superiores à prædicta pœna?

14 RESp. Affirmatiuè, Peyrinus *tom. 2.in Conſtitut.Vrbani VIII.c.8. n.*4. vbi ait: Cum pœna priuationis non ſit ſtatuta, ad canonizandum diem ibi præfixum; ſed ſolum, ad inducendam obligationem lectionis dictarum Conſtitutionum, ne vllo vnquam tempore in obliuionem, aut deſuetudinẽ abeant,

quod

quod eſt finale motiuum dictæ lectionis; dicẽdum eſt, quòd qui ex ignorantia, ſeu negligentia, vel obliuione, dictas Conſtitutiones diebus præfixis non curauerit legi, non incurrit dictam pœnam, ſi alio tempore, poſt menſem. V.g. termini præfixi legi faciat; & legere feciſſet termino ſtatuto, ſi meminiſſet, vel ſciuiſſet. Vbi namque quis facit ſine culpa, contra legem præcipientem, vel prohibentem aliquid fieri, pœnam non meretur. Sed ignorantia, inconſideratio, & negligentia non craſſa, quæ eſt cauſa, cur non impleatur præceptum, excuſat à culpa omninò, vel multum illam minuit: iuxtà doctrinam D. Thomæ 1.2.*q.76.art.3. & 4.* Ergò etiam à grauiſſima priuationis pœna. Atque ità in ſimili docent Ledeſma *tom.2.ſumm. tr.1.c.4.concl.10.dub.3.* Nauarrus *lib.2. conſil.de iure iurando, conſ.11.nu.1.* Filliucius *tom.3.tr.41.c.6.nu.10.* Azorius *par.2. lib.7. c.2. qu. 5.* Scortia *in ſelect. Bull.epiſt.84.theor.207. verſ. Quærenti*, Sanchez *in Decal.lib.2.c.5.nu.5.* & alij. Adde, quod pœnæ Conſtitutionum Pontificalium ſolent eſſe moderatæ, itaut delicti menſuram non excedant: iuxtà illud *Deuter.16. Ad menſuram delicti ſit, & plagarum modus*. At culpa, cur non legantur dicta decreta die præfixa, prouenit ex ignorantia, inaduertentia, & negligentia, quæ ſuppletur altero die, nec graue peccatum eſt. Ergò pro ea non eſt imponenda tàm grauis pœna, qualis eſt officij priuatio. Hæc Peyrinus. Quem ſequitur Diana *tom.7. tr.1.reſ.18.ex par.5. tr.14. miſc. 2.reſ.15.* qui etiam ait: idem dicendum eſſe de alia Conſtitut. Vrbani VIII. ædita die 14. April. 1643. de obſeruantia Bullarum pertinentium ad Sanctum Officium. Vlterius confirmatur, quia iuxtà communem Doctorum ſententiam: obliuio inculpabilis, & naturalis inaduertentia, ſeu actualis inconſideratio inculpata, æquiualet ignorantiæ inuincibili: vt docent Caietanus *in ſum. verb. Inconſideratio*, Syluester *verb. Naufragium in fin.* Vaſquez 1.2. *diſp. 107.c.3.* & alij. Sed ignorantia inuincibilis excuſat ab incurſu cenſurarum, & à culpa. Ergò etiam excuſat obliuio inculpabilis, & naturalis inaduertentia, ſeu inconſideratio inculpata, & conſequenter excuſat à pœna, quę nunquam debetur, niſi ob culpam.

Quomodo probari poteſt huiuſmodi ignorantia, vel inaduertentia, aut obliuio, vt excuſet à ſupradicta pœna?

15 RESp. Probari poſſe medio iuramento: in dubio enim ſtandum eſt iuramento. Neque obſtaret. Si quis diceret, quod contra Superiorem adeſt præſumptio iuris, quia ius præſumit illum non ignoraſſe, quæ tenebatur ſcire, pertinentia ad ſuum officium. Nàm ei reſponderi, poſſet, quod etiam præſumptio iuris eliditur per iuramentum in contrarium: vt in *cap. Cum in tua, qui matrim.accuſ.poſſ.* & ibi Gloſſa, & docent Portellus *in reſponſ. Regul. par. 1. caſ.27.n.3.* Nauarrus *lib. 1.conſil.tit.de conſtit.conſ.1.q.2.n.6. & 7.* Diana *tom. 7.tr.1.reſ.19.n.2.ex par.5.tr.14.miſcel. 2.reſ.24.* & alij.

Quænam ignorantia à ſupradicta pœna, delinquentem excuſare poteſt?

16 RESp. Superiorem excuſari à ſupradicta pœna, non ſolum ob ignorantiam inuincibilem, tàm iuris, quàm facti, quæ reddit actum ſimpliciter non voluntarium: ſed etiam ob ignorantiam moraliter vincibilem: dũmodò non ſit craſſa, ſeu ſupina. Quia ſupradictas pœnas incurrunt Superiores ratione contemptus. Sed contemptus adeſſe non dicitur, quando ignorantia non eſt craſſa, vel ſupina. Ergò neque ob ignorantiam vincibilem Superiores tales pœnas incurrunt. Inſuper omiſſio ſupradictę lectionis, vel cõmonitionis non eſt imputanda ad culpam, niſi voluntaria ſit: ſed voluntaria dici non poteſt, dum cogitatio dictæ obligationis in mentem, non venit: ergò talis omiſſio Superioribus non eſt impu-

imputanda ad culpam. Sed ceſſante culpa, ceſſare debet etiam pœna, quæ eſt effectus culpæ. Ergò dum omittitur talis lectio, aut commonitio ob ignorantiam, vel obliuionem, aut inconſiderationem non craſſam, neque ſupinam, nulla pœna incurritur. Et quod hæc ignorantia, etiam vincibilis, ſed non craſſa, neque ſupina excuſet à cenſuris, & pœnis, ſuſtinent Sanchez *tom.3. lib. 9. de matrim. diſp.32. n.31.* Portellus *in addit. ad dub. regular. verb. Ignorantia, n.25.* Bonacina *de cenſuris, diſp.1. qu.2. pun.1. n.10.* Barboſa *in collect. tom.3. lib. 1. ſexti decretal. tit.2. c.2. nu.8.* Diana *to. 5. tr.1. reſ.33. & 34. ex par.5. tr.5. reſol. 13. & tr.9. reſ.17.* & alij.

Inſuper quænam eſt ignorantia craſſa, ſeu ſupina, quæ Superiores, vt ſuprà, delinquentes, non excuſat à dictis pœnis?

17 RESp. Ignorantiam craſſam, & ſupinam eſſe dicendam, quę procedit ex lata culpa in adimplenda diligentia, vt colligitur ex *cap. Quæſitū, de pœnit. & remiſſ.* & docent Gloſſa *in cap. 2. de conſtitut. in 6. verb. Supina,* & ibi Ancharanus *nu.3.* Francus *nu.9.* D. Antoninus *3. par. tit.24. c.75. in fin.* Angelus *uerb. Excommunicatio 7. caſu ult. n.8.* Syluester *uerb. Ignorantia, §.5.* Sanchez *loc. cit. nu.32.* & alij. Lata autem culpa eſt, quæ vel ex nimia negligentia, vel ex malitia, ſeu dolo procedit: vt docent Graffius *par.1. deciſ. lib.4. c.8. n. 20.* Portellus *in addit. ad dubia Regularium, uerb. Ignorantia, n.25.* Sanchez *n.33.* Diana *tom.5. tr.1. reſ.33. ex par.3. tr.5. miſc.1. reſ.13.* & alij.

Subditus tenetur ne ſub mortali, monere Superiorem de dictis decretis legendis, ſeu commonendis?

18 RESp. Affirmatiuè, vt notat Peyrinus *tom.2. in additam. ad Conſtitut. Vrbani VIII. c.8. n.4.* vbi ait: ſubditus ſcienter omittens monere Prælatum ſuum, vt die ſtatuta legi faciat dicta decreta, mortaliter peccat, propter graue damnum, quod ex ſua omiſſione malitioſa Prælato ſuo infert. Vndè poteſt, & debet à Superiore puniri. Hæc Peyrinus.

Regulares legentes, aut retinentes libros continentes ſortilegia hæreticalia, vel alios prohibitos, ſubiacent ne, non ſolum pœnæ excommunicationis, ſed etiam priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ?

19 RESp. Affirmatiuè: quia in regula 9. Indicis librorum prohibitorum auctoritate Concilii Tridentini: prohibiti, numerantur omnes libri, & ſcripta Geomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, ſiuè alia, in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia & incantationes artis magicæ. Et Pius IV. in ſua Conſtitut. ædita 24. Martii 1564. quæ incipit: *Dominici gregis,* decreuit: vt legentes, vel retinentes dictos libros prohibitos, non ſolum in excommunicationis pœnam, incidant: ſed etiam Epiſcoporum arbitrio puniantur. Quia quamuis legens, vel retinens dictos libros, verè coram Deo non ſit hæreticus. In foro tamen exteriori hæreticus reputatur: quia ex hoc oritur contra eum vehemens hæreſis ſuſpicio: vt affirmant Martinus del Rio *lib.5. diſquiſ. magic. ſect.17.* Farinacius *de hæreſi, q.180. n.8.* Symanchas, Campegius, Zanchinus, Pegna, Nauarrus, Azorius ab ipſis relati. Et ratione probatur: quia huiuſmodi libri præſcribūt cultum Dœmoni exhibendum, & docent alia multa flagitia, tanquam media ad obtinendum id, quod deſideratur à Dœmone. Immò Carena *par. 2. tit.10. §.9. nu.49.* exiſtimat, tales Regulares non ſolum priuari poſſe officiis, & voce actiua, & paſſiua, ſed etiam ſuſpendi à Diuinis, & à muneribus legendi, concionandi, &c. Verum Doctores alii ſuſtinent, ipſos eſſe condemnandos, ac puniendos Inquiſitorum arbitrio: qui pro qualitate perſonarū, & cir-

& circumſtantiarum, aliquando de vehementi, aliquando de leui hæreſis ſuſpicione, eos condemnabunt. Ita Paramus *de orig. S. Inquiſ. lib. 3 1. q. 9. nu.* 147. Maſcardus *tom. 2. concluſ. 862. n.* 7. Farinacius *loc. cit.* & alij.

CAPVT XXXVI.

De Pœnitentijs ſalutaribus reorum pœnitentium.

Quænam ſunt huiuſmodi pœnitentiæ ſalutares, & quid in illis iniungendis conſiderare debēt Inquiſitores?

1 RESp. Has pœnitentias eſſe ieiunia, orationes, eleemoſynæ, peregrinationes, frequentiam Sacramentorum confeſſionis, & Euchariſtiæ: aſſiſtere certis diebus ſolemnibus in foribus Eccleſiæ, vel circa Altare, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, cum candela accenſa in manibus: ſe præſentare coram Inquiſitore ſemel in mēſe, vel in hebdomada: & alia multa ſimilia Inquiſitoris arbitrario. Ita Zanchinus *in tr. de hæreticis, c. 2 1. nu. 1. & 2.* & ibi Campegius *in addit.* Eymericus *p. 3. direct. q. 95. & q. 103. verſ. Reſpondemus*, Farinacius *de hæreſi, q. 193. nu.* 8. & alij, quos ipſe citat. Dicuntur pœnitētiæ ſalutares: quia ſunt medicinæ contra peccati venenum, ordinatæ ad animæ ſalutem: maximam enim vim habent, ad vitanda peccata, & ad catholicam fidem perſeuerandam.

2 Et tàm in iniungendas has pœnitentias, quàm in alias pœnas arbitrarias, vti debent Inquiſitores miſericordia cum iuſtitia: vt *Prouerb. 3.* ait Salomon *Miſericordia, & veritas te non deſerant*. Conſiderare etiam debent grauitatem, & circumſtantias delicti, an illud fuerit completum, an ſolum tentatum: vt notat Menochius *de arbitr. iudic. caſu 360. cent. 4.* Quo loco, & quo tempore fuerit cōmiſſum: locus enim, & tempus aliquando illud augent, aliquando minuunt, *l. Aut facta, de pœnis, l. Prætor, de iniurijs, l. 3. §. ult. de re militari*. Attendere etiam debent ſubſtantiam maleficij, & ſortilegij: quia vnum maleficium, & ſortilegium, altero grauius eſt: ſcandalum indè exortū, iuxtà cuius menſuram, pœna modo maior, modo minor debetur: vt ait Souſa *in aphoriſ. Inquiſ. lib. 3. c. 30. n. 17. & ſeq.* Item perſonæ delinquentis qualitatem: grauius enim puniendus eſt reus, diffamatus, quàm integræ famæ. Et ſimiliter, qui pluries, quàm qui ſemel deliquit: *l. Capitalium, de pœnis*, Souſa *loc. cit. n.* 10. magis qui conſultò, quàm qui ignoranter: *l. Reſpiciendum, de pęnis*: magis qui ex mala voluntate; quàm qui ex magna ira, orta ex cauſa iuſta; vt notat Souſa *c. 32. n. 6.* magis maior, quàm minor: vt ait idem Souſa *n.* 18. magis doctus, quàm indoctus, & ruſticus: & magis vir, quàm mulier: vt probant Farinacius *de pęnis temperandis, q. 90. caſ.* 10. *n.* 8. Souſa *c. 36. nu. 1. & ſequ.*

3 Inſuper in hac pœnitentiarum iniunctione conſiderare debent Inquiſitores: an pœnitens ſtatim reuerſus fuerit, vel poſt longum tempus: quia mitius agendum eſt cum ijs, qui ſtatim, in hæreſim depræhenſi, pœnitentes, miſericordiam petunt, quàm cum illis, qui pertinaciter in errore perſiſtunt: & non niſi poſt longum tempus cōuertuntur: vt aduertunt Eymericus *par. 3. qu. 103. uerſ. Reſpondemus*, Pegna ibi, *& comm. 63. uerſ. Cæterum uerò.* Item conſiderare debent: an ſpontè comparuerunt; an verò vocati; an ſit Clericus, vel laicus; an ſenex, vel iuuenis; an Prælatus, vel ſubditus, vt aduertunt Pegna *par. 3. cōment.* 91. Decianus *in tr. crimin. lib. 5. c. 44. n. 36. & 37. & c. 49. per totum, & c. 54. n. 3. & n. 27. &* 28. Habenda eſt etiã ratio contritionis, quæ quandoque tãta eſſe poteſt; vt ex toto pœnitentia remitti poſſit, vel ſaltem leuiſſima ſit iniungenda. Ità idem Decianus, Ioannes Royas *tr. de hæreticis, par. 2. nu. 382. & ſingul. 155. nu. 2.* & alii. Tandem in his pœnitentiis imponendis, obſeruandum eſt: vt talis ſit pœnitentia, quàm veriſi-

militer credant Inquiſitores, à pœnitẽtibus eſſe peragendas, & non deferendas, *c. Pœnitentes* 50.*diſt.* Pegna *par.3. comment.*144.*verſ.Iam in his.*

Damnatis ad carcerem, vel ad ſimilem pœnam, debent ne Inquiſitores pœnitentias ſalutares iniũgere?

4 RESp. Affirmatiuè. Ità Eymericus *par.3.q.*95. Pegna ibi,*comm.*144. vbi ait: Hæreticis redeuntibus præter carceris perpetui pœnam, iniungendas eſſe alias pœnitentias ſalutares. Quæ iniunguntur; tum vt per eas ſatisfaciãt debito, quod per culpam contraxerunt; tum vt appareat, an ſint verè pœnitentes, an fictè conuerſi: & cum eas peragunt, recordentur delicti contra fidem commiſſi, & illud deteſtentur, ac defleant. Idem ait Farinacius *de hæreſi,q.*193.*n.*102.

Si pœnitentia ſalutaris ſit iniũcta perſonæ, & in eius bonis, diſtribuendis in pietatis operibus, ipſo moriente, poſſunt ne compelli hæredes, ad illam implendam?

5 RESp. Certum eſſe illas pœnitentias ſalutares, quæ à ſola perſona, cui impoſita fuerunt, abſolui poterant; vt ieiunia, orationes, peregrinationes, & ſimiles, eo moriente, ceſſat obligatio. Si verò pœnitentia non ſit tantũ perſonalis, ſed in bonis exequenda, quia in operibus pietatis conſiſtit: vt e.g. in eleemoſynis faciẽdis alicui Eccleſiæ, vel Hoſpitali: & ad hanc pœnitentiam adimplendam, compelli poſſunt, hæredes defuncti. Quia illius bona ad eos hæredes peruenerunt cum onere ipſius: & ſicut ipſe viuens compelli poterat, ad illud opus pium implendum: ità etiam poſt eius mortem compelli poſſunt hæredes. Ità docent Zanchinus *tr.de hæreticis,c.*28.*n.*6. Repertorium Inquiſitorum *verb. Filij*, §. *Nunc ſubſequenter,& verb. Obligatio*,§. *Quid ſi quis*, & luculenter *Concilium Bitterren.c.*10. relatum à Pegna *par. 3. comment.*169. *verſ.Tertiam obſeruationem*: & ità etiam colligitur ex *cap.Accuſatus,§.Si verò,de hæreticis in 6.*

Inquiſitores poſſunt ne has pœnitentias aggrauare, vel mitigare, & cõmutare?

6 RESp. Affirmatiuè, quia in ipſa ſententia hanc facultatem ſibi reſeruare ſolent, his verbis: *Reſeruantes nobis ex certa ſcientia,& expreſsè, quod poſſimus, liberè dictam ſententiam, ſeu pœnitentiam, mitigare, aggrauare, commutare, tollere totaliter, vel in parte, ſi & quando, & prout nobis, & toties quoties videbitur, faciendum.* Ità Eymericus *par.3.direct.tit.Forma ſententiæ cõtra eum, qui abiurauit, vt hæreticus pœnitens,n.*194.Pegna *comment.*44.*verſic. Retinentes.* Qui etiam notat ita decretum fuiſſe in Concilio Narbonenſi, *c.* 7.& in Concilio Bitterenſi,*c.*22. & hoc eſſe inſigne Inquiſitorum priuilegium: vt etiam poſt ſententiam pronunciatã eorum iuriſdictio in eadem cauſa non expiret, vt copiosè docet Guido Fulcodius *in conſult.ad Inquiſit. q.*13. quẽ ſequitur Archidiaconus *in cap. Vt cõmiſſi,de hæreticis in 6.*

Inquiſitor, qui ex obliuione, vel ex alia cauſa, hanc poteſtatem ſibi non reſeruauit: poteſt ne pœnitentias augere, vel minuere, aut mutare, vel tollere?

7 RESp. Affirmatiuè cum Eymerico, & Pegna *locis citatis*, *verſ. Sed quid ſi Inquiſitor*, aſſerentes, quod poteſtatem habẽt Epiſcopus, & Inquiſitor, etiamſi illã non reſeruent; & hoc de iure: vt in *dicto cap.Vt commiſſi.* Quia alias delinquentes, vel exiguitate pœnitentiæ iniunctæ elati, & indeuoti effecti, facilè relaberentur; vel illius aſperitate, eam non adimplerent, aut in deſperationem inciderent.

Quænam

Quænam ſunt cauſæ rationabiles, ob quas Inquiſitores augere, vel minuere, aut remittere, debent iniunctas pœnitentias?

8 RESp. Quod hoc pendet ex Inquiſitorum prudentia, qui conſiderata delicti, ac delinquentis qualitate, ac illius conuerſione, & humilitate, vel illius indeuotione, & malitia, quid expedire videbitur, iudicabunt. Sic etiam detrahere poterunt iniunctis pœnitentijs, eaſque minuere, vel remittere, ob pœnitentis infirmam valetudinem, vel ob inſignem humilitatem, ac deuotionem, & veram conuerſionem. Et è cõtra illas augere, ob conuerſi indeuotionem, malitiam, contẽtionem, rixam, & ſimilia, quæ animum eius, & voluntatem parum Dei legi, & iniunctis ſibi mandatis, obedientem indicant: vt ibidem aduertit Pegna *verſ. Quæ autem ſint cauſæ.*

Non adimplens pœnitentias ſibi iniunctas ab Inquiſitoribus, peccat ne mortaliter?

9 RESp. Quod qui, ex legitima cauſa impeditus, pœnitentias iniũctas non adimplet, non peccat mortaliter. Secus autem ſi abſque legitima cauſa illas omitteret. Qui enim promiſerat ieiunare, orare, viſitare Eccleſias, eleemoſynas dare, & ſimilia, & abſque iuſta cauſa, non ieiunat, nec orat, nec Eccleſias viſitat, nec eleemoſynas tribuit, vtique peccat mortaliter: quia quando abiurauit, iuramento ſe aſtrinxit, adimplendi pœnitentias, ſibi iniunctas, vel iniungendas, nec in aliquo cõtrauenire. Et inſuper, vt impœnitens, niſi reſipiſcat, puniendus eſt grauioribus pœnitentijs: vt ait Textus in *cap. Ad abolendam*, §. *Præſenti*, *de hæreticis in 6.* & notat Pegna *vbi ſup. verſ. Quod ſi poſt iniunctas cum ſequ.*

Pœnitentiæ ſalutares, quibus delinquentibus iniungendæ ſunt?

10 RESp. Eſſe iniungendas, primò, ſpontè comparentibus, ſiuè ſint ſortilegi, ſiuè pœnitentes hæretici, ſiuè quomodolibet de hęreſi ſuſpecti. Quia, vt determinatum fuit in Concilio Bitterenſi, *c.* 2. ſpontè venientes, pœnitentes, & dicentes plenam de ſe, ac de alijs veritatem, habent impunitatem mortis, immorationis exilij, & confiſcationis bonorum, & benignè Inquiſitorum arbitrio tractantur: vt eleemoſynas aliquas erogent, vel charitatis opera præſtent, ieiunent, orent, & ſimiles pœnitẽtias ſalutares agant: vt notant Symanchas *de cathol. inſtit. tit.* 44. *n.* 3. & in Inſtruct. Hiſpalenſis 1. *cap.* 3. *&* 7. Pegna *par.* 3. *comment.* 12. *verſ. Magnam veniam, & ſequ.* & alij. Secundò, huiuſmodi pœnitentiæ imponuntur, leuiter de hæreſi ſuſpectis, & contra quos leuiſſima ſunt indicia: vt docent Repertorium Inquiſitorum *in verb. Teſtes, verſ. Nota quod ſufficit*, Decianus *in tr. criminali, lib.* 5. *c.* 38. *n.* 7. Farinacius *de hæreſi, q.* 187. *n.* 33. Tertiò, damnatis ad carceres, vel ad exilium, & ad ſimiles pœnas ob rationes ſupradictas: vt affirmant Eymericus *par.* 3. *q.* 95. Pegna ibi, *comment.* 144. Farinacius *q.* 193. *nu.* 102. & alij.

CAPVT XXXVII.

De Pœna Talionis.

Accuſator non probans alterius crimen, ad quod probandum, in Tribunali Sanctæ Inquiſitionis ſe obligauerat, eſt ne pœna talionis puniendus?

1 RESp. Talem accuſatorem eſſe puniendum arbitrio Inquiſitorum, ſed non pœna talionis: non quia tali pœna dignus non ſit, ſed quia Eccleſia vult cum illo miſericordiam, & non rigoroſam iuſtitiam exercere. Et ideò hæc pœna eſt iam per inſuetudinem abolita, & ſublata. Nàm ſi accuſatoribus infligeretur, difficilè reperi-

rentur, qui vellent aliquem accuſare; & ſic crimina remanerent impunita, in maximum Reipublicæ detrimentum. Ità teſtantur Ioannes Andreas *in addit. ad Speculat. tit. Qui accuſare non poſſit*, Gaudinus *tract. de malef. cod. tit. n.*38. Salycetus *in l. Qui crimen, nu.*4. *C. Qui accuſare nō poſſit*, Couarruuias *lib.* 2. *variar. reſol. c.*9. *n.*1. Bartolus *in l. Sicut, de accuſat.* Ioannes Royas *in ſingularibus fidei, ſingul.*6. Symanchas *de cathol. inſtit. tit.*64. *n.*93. Pegna *par.*3. *direct. comment.*14. *verſ. His poſitis*, Thomas del Bene *de offic. inquiſ. tom.*1. *dub.* 181. *petit.*1. *n.*1. & alij communiter.

2 Immò etiam ſi accuſator, ſe inſcribat ad pœnam talionis, & in criminis probatione deficiat, neque puniendus eſt pœna talionis, *l. In prauitatis, ff. ad turpilia*, Gloſſa *in cap. Tuæ, verb. Effectum, de procurat.* Et ità docēt Couarruuias, Royas *locis citatis*, Pegna *ibid. verſ. Ex his redditur*, Farinacius *de hæreſi, q.*185. *n.*37. Non enim ſi ad pœnā talionis ſe obligauit, & in probatione defecit, eſt tradendus Curiæ ſeculari, ſi formalem hæreſim reo obieciſſet, nec probaſſet; vt probat Textus *in cap. Super his, de accuſat.* Nec aliquando in hoc Sancto Tribunali accuſator pœna talionis punitus fuit, vt ibidem teſtatur Pegna *verſ. Sed quid.* Erit autem arbitrio Inquiſitorū puniendus, ſiuè ſe inſcribat ad pœnam talionis, ſiuè non, ex Textu *in cap. Super his, de accuſationib.* vt ait Pegna *ibid.*

Qui ſciens aliquem innocentem, & de falsò, illum Sancto Inquiſitionis Tribunali accuſat, qua pœna eſt puniendus?

3 RESp. Quod neque eſt puniendus pœna talionis, ſed multo acrius, ac ſupradictus, qui ſolum in probatione defecit. Et Symanchas *de cathol. inſtit. tit.*4. *rubr. de accuſat. n.*7. Decianus *in tr. crimin. lib.*5. *c.*28. *num.*12. Ioannes Royas *ſingul.* 8. Farinacius *vbi ſup.* & alij docent, hunc accuſatorem eſſe puniendum pęna calumniatoris; & Scaccia *in tract. de iudic. cauſ. ciuil. crimin. & hæreticalium, c.*52. *poſt nu.*6. *& ſequ.* Pegna *par.*3. *direct. comment.*40. *verſic. Ad hæc illud hoc loco obſeruabis*, affirmant, quod falſus accuſator punitur eadem pęna, qua punitur falſus teſtis: quia in crimine hæreſis accuſator eſt etiam teſtis: vt affirmant Royas *ſingul.* 7. Farinacius *qu.*185. *nu.*32. Souſa *in aphoriſ. lib.*2. *c.*2. *nu.*8. Carena *par.*3. *tit.* 1. §. 1. *nu.*10. & alij. Teſtis autem falſus punitur grauius, & atrocius in tali crimine, quàm in alijs: quia multò grauius delictum eſt, falſum deponere in crimine hæreſis, quàm in cæteris: vt notant Symanchas *tit.*64. *de teſtibus, n.*48. *&* 49. *& in Enhirid. tit.*38. *n.*2. Pegna *par.*3. *comment.*122. *verſ. Ad primum quàm ingens ſcelus*, Farinacius *qu.* 188. *n.*36. & magis patebit ex dicēdis *n.*7.

Denunciator ſi conuincatur, falſum denunciaſſe, eſt ne vt calumniator, & falſus teſtis ſimiliter puniendus?

4 RESp. Affirmatiuè: quia denunciator, ex generali conſuetudine Inquiſitionis, aſſumitur, vt teſtis: vt notant Repert. Inquiſ. *verb. Accuſatio, & verb. Teſtis*, Symanchas *de cathol. inſtit. tit.*19. *rubr. de denunciatione, n.*17. Farinacius *q.*188. *n.*45. & alij communiter. Ergò tanquam teſtis falſus eſt puniendus. Confirmatur, quia ſi teſtis, qui citatus, & vocatus, ad ſe examinandum, & falſum deponens, acriter punitur: vt infrà probatur. Ergò multò magis acriter eſt puniendus denunciator, qui ſpontè alium falsò denunciat. Confirmatur ſecundò, quia ex ſola ipſa denūciatione falſa grauiſſimè leditur denūciatus: ergò meritò, tanquam calumniator puniri debet. Ità Doctores, quos citat, & ſequitur Pegna *par.*3. *rubr. de duodecimo modo terminandi proceſſum, comment.*4. *verſ. Ad hoc.* Et in Bulla Pij V. generaliter ordinatur: vt in omni crimine denunciantes per calumniam, pęna talionis puniantur. Et quamuis hæc pęna regulariter hodiè non imponatur, nihilominus ex hac Conſtitutione

ne clarè patet: falſum denunciatorem eſſe grauiſſimè plectendum.

Falſus accuſator, vel denunciator, deſiſtere volens ab accuſatione, vel denunciatione antè inquiſiti ſententiam, eſt ne ab Inquiſitoribus audiendus, vt pœnam euadat?

5 RESP. Negatiuè, quia hoc crimen grauiſſimum eſt, multumque intereſt huic Sancto Tribunali, ac toti Reipublicæ: vt puniatur. Et Imperatores etiam optimè ſanciuerunt *in l. vlt. in fin. Cod. de abolition.* vt Iudex, non minus accuſatorem, ad probanda, quæ detulit, quàm reum, ad purganda, quæ negat, vrgere, debeat. Et hoc idem ſeruandum eſt in eo, qui denunciat, qui ſi dicat falsò denunciaſſe, non eſt facilè audiendus. Ità docet Pegna *par. 3. direct. comment.* 14. *verſ. Iam ſi reus*, Farinacius *q.* 185. *n.* 36. Ioannes Andreas *in c. Excommunicamus 2. extra de hæreticis*, quem communiter omnes Canoniſtæ ſequuntur.

Si accuſator in probatione contra inquiſitum deficiat, eſt ne aliqua ratio, ob quam excuſari poſſit, vt ei minuatur pœna.

6 RESP. Affirmatiuè, quia excuſari poteſt, vel producendo vnum teſtem in confirmationem ſuæ accuſationis, vel ſi docuerit, de eo crimine publicam fuiſſe famam, aut audiuiſſe illud crimen ab amicis, vel conſanguineis inquiſiti, vel ab alijs fide dignis: tunc ſi deficiat in probatione criminis delati, minuenda erit illi pęna. Ita docent Bartolus *in l. fin. ff. de hæret. inſtit.* Marſilius *ſingul.* 47. Pegna *vbi ſup. verſ. Tandem accuſatori.*

Teſtis falſus in hoc S. Tribunali punitur ne pœna talionis?

7 RESP. Non deeſſe Doctores ſuſtinẽtes teſtem falſum in hoc S. Tribunali puniri poſſe pęna talionis, & tradi Curię ſeculari, vna cum confiſcatione bonorum: quia Leo X. in ſuo Diplomate directo Adriano Cardinali, Generali Inquiſitori Hiſpaniæ anno 1518. incip. *Intelleximus*, relato à Pegna *par. 3. comment.* 122. *verſ. Poſtremò*, & inter litteras Apoſtolicas poſt *direct. Inquiſ.* facultatem dedit illis Inquiſitoribus, tradendi falſum teſtem Curiæ ſeculari; ſi ipſis viſum fuerit: et ſic videtur arbitrariam pęnam poſſe extendi ad mortem. Ita ſuſtinent Symanchas *de catbol. inſtitut. tit.* 64. *rubr. de teſtibus, nu.* 86. *&* 90. *& in Enchirid. tit.* 38. *de teſtibus, n.* 2. *&* 3. Ioannes Royas *in tract. de hæreticis, par.* 2. *aſſert.* 8. *nu.* 156. *& ſequ.* Antonius Gomez *in l. Tauri* 83. *n.* 8. *in fin.* Ignatius Lopez *in addit. ad Diaz in pract. crimin. canon. c.* 93. *lit. B. verſic. Hic ſanè*, Lelius Zecchius *in ſumm. p.* 1. *tit. de fide, rubr. de hæreſi, c.* 11. *n.* 14. *verſic. Quod ſi teſtes.*

8 Sed quamuis de iure ſuſtineri poſſit, teſtem deponentem falſum in cauſa hæreſis contra aliquem, poſſe puniri pęna talionis, & eadem, qua puniretur inquiſitus, ſi teſtis verum dixiſſet. Iure enim pati deberet, quod proximo ſuo facere cogitauit. Et licet verum ſit, quod ex reſcripto Leonis X. habetur, nempè, quod teſtis falſi pęna ſit arbitraria, & extendi poſſit à Iudice, vſque ad mortem incluſiuè: tamen in Supremo S. Inquiſitionis Tribunali, regulariter falſi teſtes non puniuntur pęna mortis: ſed vel pęna fuſtigationis, vel triremium, vel ad vtramque condemnantur: vt teſtatur Farinacius *de hæreſi, q.* 188. *n.* 39. *in fin.* Eymericus quoque *par. 3. direct. num.* 209. *in rubric. de forma puniendi, & condemnandi falſos teſtes*, ait: falſum teſtem ad perpetuum carcerem eſſe condemnandum, in quo ſub vinculis ferreis, in pane doloris, & aqua anguſtiæ, quamdiù vixerit agat pęnitentiam, ſolam vitam ei de miſericordia relinquentes: & quod ponatur in tali porta Eccleſiæ, in qua ſtet ligatis manibus, & capite diſcoperto, & in camiſia ſpoliatus, vſque ad horam prãdij: Hæc Eymericus. Eſt

Eſt ne ſimiliter puniendus teſtis, qui in hoc Sancto Tribunali veritatem occultat?

9 RESp. Affirmatiuè, probatur ex *c. 1. extrà de crimine falſi*: vbi habetur: *Vterque reus eſt, & qui veritatẽ occultat, & qui mendacium dicit; quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat.* Hæc ibi. Et ità etiam docent Symanchas *de cathol. inſtitut. tit. 64. nu. 89. verſ. Eſt quoque falſus teſtis*, Pegna *par. 3. comment. 122. verſ. Falſum autem teſtem, & ſequ.* Farinacius *de hæreſi, qu. 188. n. 42.* Lelius Zecchius *in ſumm. p. 1. tit. de fide, rubr. de hæreſi, c. 11. nu. 14. verſ. Quod ſi teſtes.*

10 Notant etiam iſti Doctores: falſum eſſe teſtem, qui refert quidem verba ipſa illius contra quem teſtificatur, ſed in alio ſenſu, quàm prolata fuerũt. E.g. ſi dicat verba hæreticalia fuiſſe prolata affirmatiuè; cùm tamen, aut recitando, & referendo, aut interrogatiuè fuerunt dicta.

Teſtis qui ſua falſa teſtificatione ſortilegum, vel hæreticum, à pęna ei debita, liberauit, qua pœna plectendus eſt?

11 RESp. Eſſe plectendum eadem grauiſſima pęna: quia Deo, & eius Eccleſiæ, ac Reipublicæ Chriſtianæ, grauiſſimam intulit iniuriam: Nàm ille, qui, ſuo damnabili mendacio, liberatur, à priſtino errore non emendatur, & in eo perſeuerans, etiam alios conatur ſua inficere prauitate. Ita Pegna *dict. comment. 122. verſ. Par ratio*, Farinacius *loc. cit. n. 50.* Et Pontifex Leo X. in dicto ſuo Diplomate directo Generali Inquiſitori Hiſpaniæ ędito 14. Decemb. 1518. relato à Pegna *ibid.* ait: *Nos igitur ſceleſtum hoc hominum genus, qui in nefandi criminis cauſa, vel iniuſtæ abſolutionis, vel iniquæ condemnationis, actores exiſtunt, acriori longè ſupplicio, quàm cæteri falſidici teſtes plecti ſoleãt, dignum cenſentes, &c. tradendi, vel relaxandi Curiæ ſeculari, plenam, & liberam concedimus facultatem. Non obſtantibus, &c.*

Quando ſententia, contra reum ex falſis teſtibus, lata fuit, & executa, eſt ne ipſis falſis teſtibus pœna talionis imponenda?

12 RESp. Affirmatiuè; itáut ſi reus fuit ad mortem damnatus, etiam falſi teſtes ad mortem damnari debent, ſi ille ad triremes damnatus fuit, & iſti ſimiliter ad triremes erunt damnandi. Ita docent Farinacius *in dicta q. 188. n. 46. & 51.* Zanardus *in ſumma diuin. præcept. par. 2. rubr. de teſtibus in cauſis fidei, §. Sed notandum eſt primò*, Carena *par. 2. tit. 17. §. 15. n. 55.* & alij. Quia ſic colligitur ex dicto Diplomate Leonis X. & ibi notat Pegna *verſ. Illi verò.* Nullo modo eis eſſe parcendum, quia in hoc caſu eos grauiſſimè nocuiſſe, pluſquam manifeſtum eſt. Si autem ſententia contra reum nõ fuerit, nec executa, nec lata: tunc falſi teſtes non ſunt pœna talionis puniendi, ſed alia extraordinaria, nempè fuſtigationis, & triremium, vt ijdem Doctores docent: & Symanchas *de cathol. inſtit. tit. 64. n. 91.* & in praxi ità ſeruatur.

Qui precibus, vel prætio, aut minis, & terroribus, teſtem corrupit, vel alicui mandauit, vt illum corrumpat, ad falſum deponendum, quàm pœnam incurrit?

13 RESp. Incurrere eandem pęnam, quàm ipſe falſus teſtis; quia illius criminis auctor eſt, immò magis eſt delinquens: quia peccat ipſe, & aliũ ad peccandum inducit. Ità docent Symanchas *de cathol. inſtit. tit. 64. rubr. de teſtibus, nu. 8.* Pegna *loc. cit. verſ. Atque hoc ipſum, & ſeq.* Ignatius Lopez *in addit. ad Diaz in pract. crimin. c. 93. lit. B. in fin. verſ. Et quod de teſtibus, colum. 1.* Lelius Zecchius *in ſumm. par. 1. tit. de fide, rubr. de hæreſi, c. 11. num. 14. verſ. Quod ſi teſtes.* Probatur etiam ex dicto Di-

Diplomate Leonis X. Vbi Summus Pontifex ait: *Qui ad talia committenda minis aliquem cogunt, aut pecunia alliciunt;* (et iterum infrà) *Aut alium ad falſum deponendum, aut verum non dicendum, inducunt: ſint Curiæ ſeculari tradendi*. Idem quoque dicendum eſt de eo, qui mandauit alicui, vt teſtem aliquem prædictis modis corrumperet, *l. Is damnum dat, ff. de regulis iuris*, & ibi Doctores, Symanchas *vbi ſup. num. 96.* Pegna *verſ. Idem dicas*. Qui *verſic. ſeq.* notat: quod in his caſibus res eſt deferenda ad Supremum Sanctę Inquiſitionis Tribunal, & eius expectandum decretum.

Teſtis, qui falſum in hoc S. Tribunali depoſuit, admittitur ne ad pœnitentiam, ſi pœnitens ſuum crimen Inquiſitoribus fateatur?

14 RESp. Si ſpontè ſe ipſum detulerit, falſum dixiſſe, antequam reus, teſtibus ſit conuictus, & reintegra liberè ſuum crimen fateatur, præſertim ſi alios eiuſdem, coniurationis ſocios indicauerit, tunc mitius erit puniendus, vt pluribus iuribus, & exemplis probant, Symanchas *loc. cit. nu. 94. & 95. & in Enchirid. tit. 48. de teſtibus, n. 6. & 7.* Royas *in tr. de hæret. par. 2. aſſert. 8. n. 156. & 158.* Pegna *dict. comm. 122. verſ. Multis*, Farinacius *dicta qu. 188. nu. 43.* Si verò non ſpontè ſe detulit, licet antequam inquiſitus condemnetur, pœnitentia ductus, veniam petat, grauiſſima eſt ei pœna iniungenda, nēpè perpetui carceris, aut triremium. Ità dicti Doctores, Pegna *verſ. Cum verò*, Eymericus *par. 3. in 12. modo terminandi proceſſum fidei, num. 209.*

Si depoſitio falſi teſtis, ob aliquem defectum, ſit inualida, nec inquiſito nocuit, eſt ne ipſe teſtis, vt falſus puniendus?

15 RESp. Affirmatiuè: quia per non ſtetit, quin noceret & ſuum delictum iam conſummauit. docent Bartolus *in l. Si quis legat ff. ad legem Corneliam, de teſtibus falſis*, Panormitanus *in cap. 1. extrà de crimine falſi*, Salycetus *in l. 1. Cod. ſepulchro violato*, Iulius Clarus *in § falſum, verſ. Tu ſcis*, & alij.

Falſi teſtis ſententia, eſt ne a Inquiſitoribus in publico ſpeculo pronuncianda?

16 RESp. Affirmatiuè publicum enim ſpectacum producendus eſt, & coram pop ſuum immane ſcelus detegendum cur puniatur, ratio eſt reddenda, vt s pœna omnibus innoteſcat, & ei exemplo diſcāt cæteri, nefaria ſcelertare. Et hac ratione etiam pœna blicè executioni mandatur: & produtur infami mitra indutus, fuſtibus ctur, & ad triremes mittitur, vel alia traordinaria pœna plectitur. Ità docit Symanchas *de cathol. inſtit. tit. 64. 91.* Zanchinus *tr. de hæret.* Pegna *par. comment. 122. verſ. Contra teſtes.* Q *verſ. Illa etiam*, notat, quod falſi teſte neque per ſolum Epiſcopum, neque er ſolum Inquiſitorem puniri poteſt, [illegible]

Finis Secundæ Partis.

I N-

INDEX
RERVM NOTABILIVM
SECVNDAE PARTIS.

Litera C. Caput, N. numerum marginalem indicat.

A

Abiuratio.

QVid,& quotuplex ſit abiuratio. c.25.n.1. & 2.

Quando imponitur abiuratio de leui, quando de vehementi, quando de violenti, & quando de formandi, & in quo hæ abiurationes inter ſe differant. c.25 n.3 4.5.& 6.

Abiuratio, vt ritè,& iuris ordine fiat, multa requiruntur. c.25.n.7.

Abiuratio in multis caſibus fieri poteſt non publicè,ſed priuatè.c.25.n 8.

Abiuratio de leui aliquando ob crimen publicum, & ſcandaloſum fieri debet publicè, & abiuratio de vehementi ob rationabilem cauſam fieri poteſt ſecretò.c.25.n.8.

Abiurare non tenetur, hæreſim committens purè mentalem, nec Inquiſitorum abſolutione indiget, cùm abſolui poſſit à quolibet Confeſſario. c.25. n.9.

Ab abiurationis obligatione nulla dignitas excuſat. Abiurare enim tenentur Prælati, Cardinales,Reges,& Imperatores,ſi in hæreſim inciderunt, & abſq; abiuratione nullus eſt ad miſericordiam admittendus.c.25. n. 10.

Vehementer ſuſpectus de hæreſi, etiamſi non ſit confeſſus, nec conuictus, cogi poteſt ad abiurandum. c.25.n.11.

Ad abiurandum compelli poſſunt homines maſculi à quartodecimo anno, fœminæ à duodecimo. In pupillari autem ætate, ob malitiam, & notitiam erroris, aliquis de leui tantùm abiurare debet,niſi conſtet de hæreſi formali, tunc enim de formali abiurare debet. c.25. n. 12.

Abiuratio eſt pœna grauis. c.25.n.13.

Abiurare debent de vehementi, prout in iure ſtatuitur. Primò, qui vocatus ad reſpondẽdum in cauſa fidei,nõ comparet. c.25.n.14. Secundò, qui ſcientèr impedit directè, vel indirectè inquiſitionis officium. n.15. Tertiò, ſcientèr præſtans auxilium, conſilium, vel fauorem impediẽtibus inquiſitionis negotium.n.16. Quartò, qui citatum hæreticum, vel eius fautorem, inſtruit, vt taceat veritatem.n.17.Quintò,qui excommunicatus ex cauſa fidei,citatus, contumacitèr non comparet, vel captum pro hæretica prauitate, liberat, vel in excommunicatione per annum, animo pertinaci perſenerat. n.18. Sextò, qui hæreticos fauet, receptat, ac defendit. n. 19. Septimò, qui ob hæreticorum familiaritatem, eſt de hæreſi diffamatus. n.20.Octauò,qui hæreticos viſitat,aſſociat, munera mittit,& fauorem impendit in fidei contemptum.n 21. Nonò,qui in cauſa fidei examinatus iudicialitèr negat,quod antea affirmauerat, vel mendacium aſſeruit, aut periurium commiſit.n.22. Decimò,qui bis, aut ter facit aliquid cõtra fidem.n.23. Omnes iſti abiurare debent de vehementi.

Qui ex officio tenetur denunciare hæreticũ, & illum non denunciat ſine rationabili cauſa,abiurare debet de vehementi; Secùs autẽ ſi ob metum cadentem in conſtantem virũ, denunciare,omitteret. c.24.n.24.

Qui denunciare omiſit ob cõſanguinitatem, vel amicitiam cum hæretico, & non in defenſionem hæreſis, abiurare debet de leui. c.25. n.24.

Libros ſortilegos, aut hereticos, & prohibitos retinentes, quomodo abiurare debeant, de vehementi,an de leui. c.25.n.25.& 26.

Sortilegi, quando abiurare debeant de vehementi.c.25.n.27 *Vide Sortilegi.*

Inuocans Dęmonem verbis imperatiuis in ſortilegio, etſi mortalitèr peccet, non eſt ad abiurandum cogendus. c. 25. n.47. dummodò in ſortilegio, nec abuſus ſit rebus,vel verbis ſacris, aut ſacramentalibus, nec credidit hoc non eſſe graue peccatum. c. 25. n. 49.

Inuocans Dæmonem uerbis deprecatiuis,abiurare debet de vehementi c.25.n.48.

Non Sacerdos,& Miſſam celebrans, vel Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrans,abiurare debet de vehemēnti. c.25.n.60.

Blaſphemantes hęreticalitèr quomodò abiurare debeant Vidè Blaſphemus.

Quomodo abiurare debent, veſcentes carnibus diebus vetitis, abſque licentia,& neceſſitate. Non confitentes ſua peccata ſingulis annis:Nec Sacram Euchariſtiam ſumentes, vel perſeuerantes in peccato. c.25.n.57.58. & 59.

In Sacris Ordinibus ordinati, & Regulares profeſſi,matrimonium cōtrahentes,abiurare debent de vehementi. c.25. n.61. Idem dicendum de vxorato,qui,viuente in ſeculo vxore, ſacros ordines ſuſciperet. n.62.

Poligamus,qui,viuente prima vxore,aliam duxit, abiurare debet de vehementi. c. 22. n. 65. Contrahens tantùm ſponſalia cum ſecunda,abiurare debet de leui.n.66.

Confeſſarius ad turpia ſolicitans in confeſſione, vel confeſſionario, vel prætextu confeſſionis,quando abiurare debet de vehemēti,& quando de leui. c.25 n.67.& ſequ.

Vide Confeſſarius inquiſitus.

Regularis,qui abiurauit etiam de leui, eſt inhabilis ad gradus, & dignitates ſuæ Religionis c.25.n.77.& 78.

Abiurans,ſiue de leui,ſiue de vehementi ob hęreſis ſuſpicionem, non fit irregularis, ſed poteſt exercere ordines ſuſceptos. c. 25. n. 79.

Abiuratio eſt pœna grauior tortura. c.25. n. 80.

Indicia, quæ ſufficiunt ad torturam, non ſemper ſufficiunt ad abiurationem cogendam. c.25. n.81.

Sola infamia non eſt ſufficiens, ad imponendam abiurationem c.25.n.81.Secùs ſi adſint alia indicia. n.82.

Abiurare nolens ſi ſit confeſſus, vel conuictus, aut in hęreſi manifeſte compræhenſus,tradendus eſt Curiæ ſeculari. c.25 n.83.

Abiurare nolens, ſi non eſt confeſſus, nec conuictus, ſed de hæreſi ſuſpectus vehementèr, eſt excommunicandus, & ſi in excommunicatione per annum ſteterit, eſt tanquam hęreticus condemnandus. Et ſimilitèr eſt agēdum contra nolētem abiurare de leui.c.25. n. 83.

Ad abiurationem indicandam, omninò interuenire ſimul debēt,Epiſcopus,&Inquiſitor. c.25.n.84 Sed ſi ſolus Epiſcopus, vel ſolus Inquiſitor altero non contradicēte, nec appellante abiurationem reo indicaret,valida eſſet abiuratio.n.85.

Suſpecto vehementèr de vna tantùm hæreſi, iniungenda eſt abiuratio generalis omnium hæreſum. Lenitèr autem ſuſpecto,aliqui ſuſtinent, adiungendam eſſe tantùm abiurationem,de qua erat ſuſpectus; Alij etiam generalem. c.25.n. 86.& c.30.n. 10.

Suſpecto de hæreſi, non poteſt ſimul iniungi abiuratio,& purgatio canonica. c.25.n.87.

Tranſeuntes Chriſtiani ad ſectas Turcarum, Paganorum, vel Iudęorum, quomodo abiurare debeant,tàm ſi ſint ſpontè comparētes, quàm ſi ſint denunciati. c.25.n.100.& 101.

Quare qui in tortura conſtanter confeſſus fuit, ſe nunquam in actu externo hęreticali, fidem catholicam negaſſe,abiurare debet de vehementi.c.25.n.102.

Chriſtiani tranſeuntes per vim,& metum,ad ſectas infidelium,ſi ſint ętate maiores,& docti in fide, abiurare debent de vehementi. Si autem ſint pueri,fœminæ,ac ruſtici, de leui tantùm. c.25.n.103.

Turcæ facti Chriſtiani, ſi ad terras Turcarum fugam arripiāt, & in itinere capiantur,ſubduntur Inquiſitorum iudicio, & ſi negent, à fide catholica apoſtatare, voluiſſe,nec velle: abiurare debent de vehementi. c.25.n.104.

Qui poſt abiurationem iterum in hæreſim incidit,qua pœna ſit puniendus. Vide Relapſus.

Abſoluere.

Abſoluere poſſunt in foro externo Inquiſitores hæreticum pœnitentem ab excommunicatione. c.2. n.14.

Abſoluere etiam poſſunt illum in foro conſciētiæ,quando cauſa cognita pronunciatur ſua ſententia. c.2.n.15.

Abſoluere in foro conſcientiæ an poſſint Inquiſitores hæreticum occultum, non denūciatum, ſed ſecretò ſuam hæreſim confitentem,aliqui affirmant, communitèr verò alij negant. c.2.n.15. Et ità S. Congregatio declarauit n. 16.

In Regnis Hiſpaniæ, & Siciliæ, Inquiſitores facultatem habent abſoluendi ab hæreſi, nō ſolùm in foro externo, ſed etiam in foro cōſcientiæ. c.2.n.17.

Vide verb.Confeſſio Sacramentalis, & Confeſſarius.

Accuſator.

Accuſator neceſſariò proponere debet in ſcriptis ſuam accuſationem, quæ ſcriptura ſufficit ſi fiat à Notario S.Officij coram Inquiſitore, ſed non eſt neceſſarium,vt ſe obliget ad pœnam talionis,neq; ad hoc eſt compellendus,ſed ſi in probatione deficiat, acritèr eſt puniendus. c.14. n.6.

Accuſator, ſi ad pœnam talionis ſe obligauit, & in probationibus defecit,non eſt puniendus ea pœna,quam reus recepiſſet,ſi crimen probatum fuiſſet, ſed mitius.Nec eſt tradē-

dus

dus curiæ ſeculari, ſi formalem hæreſim reo obiecit, & illam non probauit. c. 14. n. 7.

Inimicus capitalis non eſt admittendus, ad accuſandum. c. 14. n. 8. Nonnulli uerò Doctores docent, poſſe admitti vt ſuſpectum. n. 9.

Accuſator in multis caſibus poteſt, ac debet, ab accuſatione deſiſtere. c. 14. n. 10.

Iudex ſi videat, quod accuſatus non poteſt ſine magna Reipublicæ perturbatione puniri, vel quod bono publico ſit neceſſarius, aut valdè vtilis, poteſt, conſulto Supremo Tribunali, accuſationem inchoatam abolere, ne ſequatur damnum publicum. c. 14. n. 10.

Si Accuſator, poſt factam rei accuſationem, velit ab illius accuſatione deſiſtere, non eſt facilè ab Inquiſitore exaudiendus. c. 14. n. 11.

Si Teſtes ab Accuſatore producti contra reum, vel nihil, vel non plenè probent: an poſſit Inquiſitor admonere accuſatorem, vt ab accuſatione deſiſtat. c. 14 n. 12.

In cauſis ad S. Officium ſpectantibus admittitur, ad accuſandum, etiam inhabilis. c. 14. n. 13.

Accuſator in hoc S. Tribunali habetur loco teſtis c. 14. n. 14.

In accuſatione neceſſarium non eſt exprimere locum loci, ſed Ciuitatem, menſem, & annum commiſſi criminis. c. 14 n. 15

Si reus petat exprimi diem, & horam cõmiſſi ſui criminis, eſt cogendus accuſator illas exprimere. c. 14 n. 16.

Accuſator, ne calumniator cenſeatur, ſufficit, ſi ſemiplenè probet rei delictum. c. 14 n. 17. & c. 37. n. 6.

Accuſator falſus, vel non probans contra accuſatum. Vide Pœna talionis.

Aduocatus, & Procurator.

Aduocatus, vel Procurator non eſt denegandus inquiſito, non confeſſo, nec conuicto, ſi illum petierit; ſecus autem confeſſo, & conuicto. c. 7. n. 1. & 6.

Aduocatus offerri ſolet in hoc S. Tribunali ſummæ pietatis, etiam inquiſito ex proprio ore confeſſo. c. 7. n. 2.

Aduocatus inquiſiti in S. Officio eſſe debet, de fide non ſuſpectus, ſed zelator, qui nõ ex malo genere natus ſit, ſed ab originarijs fidelibus Chriſtianis, in vtroq; iure ſit peritus, & in materijs, ad S. Officium ſpectantibus, non mediocriter verſatus, & iuramentum præſtet, ſe fideliter iuxtà ueritatem eum defenſurum, & cuſtodire ſecretum de his, quæ audiet, aut videbit in ipſo S. Tribunali. c. 7. n. 3.

Aduocati iſtius munus eſt, reum totis viribus perſuadere, vt veritatem Inquiſitori fateatur; & humilitèr pœnitentiam ſui criminis petat; ipſius rei reſponſiones Fiſcali manifeſtare, legitimis tantum modis illum defendere, in iuris allegatione breuem eſſe, et ſi agnouerit, eius cauſam eſſe iniuſtam, omninò eam deferere, & proceſſum Inquiſitori reſtituere. c. 7. n 4.

Aduocatus ſi non adeſſet, qui reum defendere vellet, poteſt cogi per cenſuras ab Inquiſitore, vt in illius cauſa ipſum patrocinetur, & ſi reus eſſet diues, eſſet ab eo ſoluendus, ſi verò eſſet pauper, teneretur gratis cum patrocinari. c. 7. n 5.

Aduocatus non poteſt cauſam hæretici pertinacis patrocinari, alias incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ, & infamiam hæretici defenſoris. c. 7. n. 7.

Aduocatus conceſſus inquiſito de hæreſi, ratiò concedendus ei etiam eſt Procurator, ſed ſi ei concedatur, habere debet eaſdem conditiones; & qualitates ſupradicti Aduocati. c. 7. n. 8.

Aduocatus inquiſiti in S. Officio, non poteſt in eius defenſionem ab Inquiſitorum definitiua ſententia appellare. c. 7. n. 10. Poſſet verò non per viam appellationis, ſed quærelæ, vel ſupplicationis, ad Superiorem recurrere. n. 12. A decretis verò interlocutorijs, vt E. g. à decreto torturæ poteſt appellare. n. 13.

Vide Appellare, ſeu Appellatio, Defenſiones, & Miniſtri S. Inquiſitionis.

Aduocatus Fiſcalis. Vide Fiſcalis S. Officij.

Amens, & Amentia.

In amentia, vel ebrietate, aut furore proferens verba hæreticalia, excuſatur à crimine. c. 20. n. 26.

Amentia, aut ebrietas, vel furor, ſi in totum non tollit rationis vſum, ſed tantùm diminuit, excuſat reum à tanto, ſed non à toto, & ille non eſt pœna ordinaria, ſed extraordinaria puniendus. c. 20 n. 28.

Si amens, vel furioſus, lucida habens interualla, circa res fidei deliquit, & ignoratur, an tempare ſanæ mentis, vel amentiæ; præſumendum eſt, deliquiſſe tempore furoris, & amentiæ. c. 20. n 29.

Qui commiſit crimen hæreſis tempore ſanæ mentis, & poſteà ei ſuperuenit amentia, uel furor, & ſic perſeuerat. Cuſtodiendus eſt in carceribus S. Officij, & citatis hæredibus proſequenda eſt cauſa priuationis bonorũ. c. 20. n. 30.

Appellare, ſeu Appellatio.

A rei ſententia definitiua Inquiſitorum non datur appellatio, ſed ſolùm appellari poteſt à decretis interloeutorijs, aut à decreto tor-

turæ,& ſimilibus. c.7. n.10.13 & 14.
Appellationis cauſa, ſi euidenter ſit friuola,ab eiſdem Inquiſitoribus cognoſci poteſt,&;eſt reijcienda. n. 14 Si verò ſit dubium, an ſit friuola,vel legitima,Inquiſitores ſuperſedere debent, & expectare Iudicis determinationem. n. 15.
Ab interlocutorijs decretis Inquiſitorum appellatur ad Summum Pontificem, & ad Supremam S. Inquiſitionis Congregationem. Aliqui verò Doctores exiſtimant poſſe appellari ad Metropolitanum. Niſi ſit cõtrouerſia. An hoc, vel illud ſit de fide, nam tunc ad Summum Pontificem ſpectat determinatio. c 7. n.16.
Appellatione pendente,ſi reus ſit de alia hæreſis ſuſpicione denunciatus,poteſt Inquiſitor in hac noua cauſa procedere. Niſi cauſa appellationis fuerit ſuſpicio ipſius Inquiſitoris.c.7.n.17.Sed ſi delictum de nouo denunciatum eſſet graue, & ità manifeſtum, vt reus eſſet conuictus, poſſet Inquiſitor non obſtante appellatione,contra eum procedere,& de hoc ſecundo delicto illum condemnare. ibidem.
Si reus appellaret,vt ei nomina teſtium noticentur ; eius appellatio non eſt admittenda. c.23. n.6.
Appellationis beneficium denegatur hæreticis, eorumq; fautoribus . A tortura verò poſſunt appellare, niſi conſtet friuolam eſſe appellationem. c.23. n.7.
Appellatio dicitur friuola, quando in proceſſu apparent legitima,ad torquendum indicia.Alij etiam docent hoc remittendum eſſe arbitrio Inquiſitorum. c.23 n.8 & 9.
In dubio an appellatio ſit friuola, & calumnioſa,ſiue dubium ſit iuris,ſiue facti,ſemper eſt admittenda. c.23. n.10.
In appellatione exprimenda eſt cauſa, non ſolùm in genere, ſed in ſpecie, itaut ex eius inſpectione appareat appellãtem fuiſſe grauatum.c.23.n.11.
In cauſis fidei ab interloquutorijs decretis appellatur, vel ad Supremum Tribunal S. Inquiſitionis,vel ad Summum Pontificem. In Regnis verò Hiſpaniæ ad Inquiſitorem generalem. c.23.n. 12.
A decretis interloquutorijs Epiſcopi contra non exemptos,Caſtro Palaus docet,non eſſe improbabile, poſſe appellari ad Metropolitanum. c.23.n.13.
Appellatione admiſſa deſinit Iudicis facultas in ea cauſa tantùm, non in alijs ſuperuenientibus. c.23. n.14.

B

Bannitus.

Bannitus poteſt vt teſtis admitti in cauſis ad S.Officium ſpectantibus cum ſaluo cõducto Inquiſitorum. c.19. n.13.
Bãnito ad finem teſtificandi in cauſis fidei poteſt concedi ab Inquiſitore ſaluum conductum. c.19. n. 13.

Beneficia Eccleſiaſtica.

Beneficijs Eccleſiaſticis priuatur Clericus,hæreticale ſortilegium committens,non ſolùm poſt ſententiam,vt aliqui opinantur, ſed ipſo facto, & ipſo iure, à die commiſſi criminis,& ad alia inhabilis redditur,vt communitèr alij docẽt.c.34.n. 1.& 2. Exigitur verò ſententia declaratoria,Clericum commiſiſſe crimen hæreticale. n.3. Et interim non tenetur ſe beneficijs ſpoliare. n.4.
Lata ſententia declaratoria commiſſi ſortilegij hæreticalis,priuatur etiam fructibus beneficij à die commiſſi criminis. c.34 n.5.
Clericus,ſi poſt commiſſum hæreticale ſortilegium,beneficium ſuum alteri reſignat,talis reſignatio eſt omninò inualida, & nulla, & ſimilitèr ſi ſuum beneficiũ cum beneficio alterius commutauit. c.34. n.6.
Beneficium Clerici,qui in hæreſim incidit,poteſt ante illius ſententiam declaratoriam ab alio impetrari, ſed ad illius poſſeſſionem recipiendam, requiritur delinquentis Clerici citatio. c 34. n.7.
Clericus, qui in hæreſim incidit,ſi ſpontè cõparet, & veritatem ſui criminis integrè fateatur,beneficium non amittit;ſi verò fateatur poſt capturam, beneficium non eſt facile ei reſtituendum.c.34.n.8.
Non poſſunt Inquiſitores, non ſpoliare beneficijs dictos Clericos, vel illis ſpoliatos,propria auctoritate,eis reſtituere. c.34.n.9.
Clericus ſortilegus,ſuſpectus tantùm d. hæreſi, non eſt ipſo iure beneficijs priuatus, ſed per ſententiam priuandus. c 34.n. 10.
Fautores,receptatores, & defenſores hæreticorum non ſunt beneficijs ipſo iure priuati, ſed per ſententiam priuandi.c.34.n 11.
Filius patris, qui in hæreſim incidit, ipſo iure beneficijs obtentis poſt patris hæreſim priuatur, & eſt ad alia obtinenda inhabilis. c. 34. n.12. & 13. Sicut etiam filius matris hęreticæ.
Idem dicendum de nepotibus deſcendentibus ex linea paterna,non autem de deſcendentibus ex linea materna. c.34.n.14.& 15.
Vide Filius.
Filij,nati ante paternam hæreſim,non priuãtur beneficijs obtentis,ſed inhabiles fiunt ad alia,in poſterum obtinenda. c.34. n. 21. & 22.

22. Et idem dicendum de penſionibus. n.23.
Filij relapſi ſunt inhabiles ad officium, & beneficia, etiamſi eorum pater conuertatur. c.34. n.26.
Illegitimus, cui diſpenſatur ad primum beneficium obtinendum abſq; reſtrictione, diſpenſatio intelligitur abſolutè, & extenditur ad aliud. c. 35. n.7.

Blaſphemia, & Blaſphemus.

Blaſphemus hæreticalitèr non excuſatur à crimine ob ignorantiam. c.20. n.25.
Blaſphemus hæreticalitèr in ira, & indignatione redditur leuitèr de hæreſi ſuſpectus. c.20. n.31.
Blaſphemus hæreticalitèr ex conſuetudine, vel ex cauſa ludi, vel non ex vehementi ira, eſt vehementer de hæreſi ſuſpectus. c.20. n.32.
Blaſphemus hæreticalitèr ex cõſuetudine, tam in ira, quàm extra iram abiurare debet de vehementi. c.25. n. 50.
Blaſphemans hæreticalitèr in ira tantùm ex conſuetudine cogendus eſt ad abiurandum de leui. c.25. n. 51. Et ſimilitèr ſic blaſphemans bis, aut ter. Qui autem ſemel tantùm in ira blaſphemauit hæreticalitèr, non ſolet abiurare. c.25 n.52.
Blaſphemus hæreticalitèr ex conſuetudine quiſnam dicatur. c.25. n.53.
Blaſphemus hęreticalitèr ex cõſuetudine probatur per teſtes ſingulares. c.25. n. 54.
Blaſphemus nõ hæreticalitèr, nec abiurat, nec ab Inquiſitoribus agnoſcitur. Sed illius crimen eſt mixti fori, & inter Iudicem Eccleſiaſticum, & ſecularem datur præuentio. c.25. n.55.
Blaſphemantes facto, conſpurcando imagines Chriſti, vel Sanctorum, cogendi ſunt, abiurare de vehementi. c.25. n.56.

Bonorum confiſcatio.

Bonorum confiſcatio quando, & quibus ſit facienda. Vide Pœna confiſcationis bonorum.

Bullarum Apoſtolicarum lectio.

De obligatione legendi dictas Bullas. Vide Lectio Bullarum Apoſtolicarum.

C

Captura inquiſiti in S. Officio.

Capturam rei præcipere poteſt Inquiſitor ſine Epiſcopo, & Epiſcopus ſine Inquiſitore. c.15. n.18.
Ad capturam procedendum in S. Officio, requiritur ſemiplena probatio delicti, vel indicia ſufficientia ad torturam. c.15. n.19.
Ad capiendum reum, ſufficit teſtis vnus, qui ſit omni exceptione maior. Sed ſi reus ſit bonæ famæ, vel nobilis, plures teſteſq; requiruntur, vel certiora indicia. c.15. n.20.
In Hyſpania Inquiſitores particulares non poſſunt procedere ad capturam uiri nobilis, vel Religioſi, uel aliqua ratione inſignis, niſi prius certiorem faciant Inquiſitorem Generalem. c.15 n.20.
Ad capturam alicuius Officialis, vel perſonæ inſignis, non eſt ueueniendum, niſi conſulto Supremo Tribunali S. Inquiſitionis. c.15. n. 21.
Inquiſitor non debet, abſq; aliorum conſilio, ad delinquentis capturam, procedere. c.15. n. 21.
Ad capturã ſtrigis, & lamiæ, uel maleficæ, debet prius Inquiſitor uidere, an cõſtet de corpore delicti, vel an ſint indicia ſufficiẽtia ad illud probandum. Secundò eſſe non debet facile, ad procedendum ob famæ indicium. Tertiò in eius captura ab ipſo Inquiſitore, vel eius Commiſſario cum Notario, eſt facienda perquiſitio domus. Quartò, examinare debet Medicos diligentèr, circa qualitates, & circumſtantias infirmitatis maleficiati. Quintò huiuſmodi lamiæ, & maleficæ ſunt ſingulæ, in ſeparatis carceribus, cuſtodiẽdæ. Et ſextò cũ eis non alloqui debet, niſi iudicialitèr, & cum eas examinat. c.15. n.22.
Lamiæ iſtę, ac ſortilegi capi poſſunt etiam in Eccleſia, quia non gaudent immunitate. c.15. n.23.
Rei in carcerem coniecti, & cauſa eorum pẽdente, non ſunt, in diebus feſtis ad Miſſam audiendam, admittendi. c.15. n.24.
Inquiſitores an capere poſſint reum ſubditum in alieno territorio, vel Diœceſi; alij affirmant, alij verò negant, niſi de licentia illius Inquiſitoris, vel Epiſcopi. c.15. n.25.
In captura alicuius perſonæ inſignis, vel magnæ auctoritatis, debet Inquiſitor formare ſummarium proceſſum, & informationem delicti, & indiciorum, & Superioribus illa mittere, & eorum reſpõſum expectare. c.15. n. 26.
Si contra plures complices ſit procedendum ad capturam, ſingulare mandatum contra ſingulos, eſt expediendum. c.15. n.27.
Quod mandatum eſt reo ab executore oſtendendum. n.28.
A captura non datur appellatio, ſed Bordonus contrarium ſuſtinet. c.15. n 30.

Carceres.

Carceres, ad reorum S. Officij cuſtodiam, habere poſſunt Inquiſitores. c.2. n.8.
Cauere debent, ne ob carceris aſperitatem delinquens ibi moriatur. c 2. n.8.
In carceribus vinctos debent Inquiſitores ſaltem bis in menſe viſitare, & ab eis quærere, an neceſſaria illis miniſtrentur. c.2. n.8.

Car-

Carcerum cuſtodes. Vide Cuſtodes carcerum.
Carceris pœna. Vide Pœna carceris.

Carcerum Cuſtodes.

Cuſtodes carcerum eligendi ſunt viri fideles, diſcreti, induſtrioſi, qui iurare debent coram Epiſcopo, & Inquiſitore, ſuum officium fidelitèr exequi, & non permittere, quod aliquis ſecretò cum in carceribus exiſtentibus, alloquatur, & quod eiſdem miniſtrabunt quodcunq; fuerit ab Epiſcopo, vel Inquiſitore ordinatum. c.11. n.1.
Nihil dare debent reis ex his, quę à cōſanguineis, vel amicis mittuntur, incōſultis Inquiſitoribus. ibid.
Quæ ab Inquiſitoribus reis dare cōceduntur, ſine vlla fraude fidelitèr tradere tenentur. ibid.
Quæ foris geruntur, ipſis reis non indicabunt, & attentè obſeruabunt, ſi illi limas retineāt, vel alia inſtrumenta, ad frangendos carceres. c.11.n.1.
Cuſtos carceris qua pœna puniendus, ſi ſua culpa reus è carcere fugiat. c.11. n.2. & 3. & qua pœna, ſi pretio corruptus, carceratum fugere permiſit n.4. In dubio an reus, incuria cuſtodis, an uerò clauibus adulterinis, aut ferro aufugit, quomodo præſumendum. n.5. 6.7. & c.15.n.36.
Cuſtos carcerum excuſatur à pœna, ſi reus fracto muro carceris, uel ex violentia conſanguinei, uel amici aufugit. c.11. n.8.
Cuſtos carceris tenetur diligentèr, & honeſtè cuſtodire mulierem carceratam, ſicut tutor pupillam, & carnalitèr eam cognoſcēs, qua pœna ſit puniendus. c.11. n.9.

Carcerem frangens, & fugiens.

Carcerem frangens, & fugiens, an ſit habendus pro confeſſo & conuicto, nonnulli Doctores affirmant, ſed probabilius alij negant. c.15.n.31.
Qua pœna talis fugitiuus ſit in hoc S. Tribunali puniendus. c.15. n.32.
Fugiens, fracto carcere, non incurrit pœnas Bullæ Pij V. *De protegendis.* c.15.n.33.
Fugiens, fracto carcere, ſi ſtatim ſe Supremo Tribunali pręſentet, nulla pœna eſt puniendus. c.15. n.32.
Indebitè carceratus, & carceres frangens, & fugiens, nec eſt puniendus, nec ad carcerem redire tenetur, nec eius fideiuſſor tenetur ad pœnam. c.15.n.34.
Quare ſtriges, & ſortilegi non poſsint ſuis vnctionibus, & ſortilegijs è carceribus fugere. c.15.n.35.
Carceratus in carceribus Inquiſitoris ad inſtātiam Epiſcopi, frangens carcerem, ſed impeditus ne fugiat, à quo eſt iudicandus, de carceris fractione, ab Inquiſitore, vel ab Epiſcopo. c.15. n.38.
Carceratus, qui ſeipſum occidere tentauit, qua pœna eſt à Iudice puniendus. c.15.n.38.

Carnes comedere in diebus vetitis.

Carnes comedens in diebus vetitis abſq; iuſta cauſa, eſt de hæreſi ſuſpectus, & an abiurare debeat de vehementi, vel de leui. c.25.n.57. & 58.

Cauſa.

In cauſis fidei poſſunt Inquiſitores, ſummariè, & de plano procedere, ſed non omittendo cauſæ, & iudicij ſubſtantialia. c.2. n.13.
Cauſæ omnes, ſiue manifeſtè hæreſim ſapientes, ſiue de hæreſi ſuſpicionem habentes, cognoſcuntur ab Inquiſitoribus, priuatiuè, quoad Iudices laicos. c.12.n.1.
Cauſæ ſuperſtitionis, quæ nullo modo hæreſim ſapiunt, & reus eſt laicus agnoſcuntur, & puniuntur à Iudice laico. c.12.n.1.
Cauſa maleficij, vel ſortilegij, de qua dubitatur, an hæreſim ſapiat, eſt decidenda ab Inquiſitoribus. c.12.n.2.
In cauſis lamiarum Inquiſitores ſoli ſine Epiſcopis procedere poſſunt, etiam ad ſententiā definitiuam. c.12.n.27.

Chriſtiani tranſeuntes ad infidelium ſectas.

Chriſtiani tranſeuntes ad ſectas Turcarum, & Paganorum, quando abiurare debent de formali, quando autem de vehementi, tàm ſpontè comparentes, quàm denunciati. c.25 n.100. & 101.
Chriſtiani, tranſeuntes ad ſectas infidelium per vim, & metum; Si ſint ætate maiores, & in fide docti, abiurare debent de vehementi, etiamſi fateantur fidem interius non negaſſe; Si verò ſint pueri, vel fœminæ, vel ruſtici in fide indocti, abiurare debent de leui. c.25. n.103.
Turcæ facti Chriſtiani, ſi ad Terras Turcarum fugam arripiant, & in itinere capiantur, ab Inquiſitoribus ſunt agnoſcendi, ac puniendi, & abiurare debent de vehementi. c.25. n.104.
Chriſtianus fingens ſe Iudæum, vel infidelem, & petens iterum baptizari, vt eleemoſynas obtineat: eſt de hæreſi ſuſpectus, & cogendus ad abiurandum, quamuis adſit opinio in contrarium. c.25. n.105. & 106.

Citatio iudicialis.

Citatio iudicialis quid, & quotuplex eſt. c.15. n.1.
Ad citationis validitatem tria requiruntur, nēpe mandatum Iudicis ſcriptum, citatio ipſa, ſeu executio dicti mādati, & relatio executoris, ſeu nuncij citantis. c.15.n.2.
Citationem iſtam Inquiſitores non poſſunt omittere, ſub prætextu procedendi ſummariè, & de plano, & ſine ſtrepitu iudicij c.15. n.2.

n. 2. Sed ſi ex citatione timetur delinquentis fuga, capiendus eſt, omiſſa verbali citatione. n. 3.

Si Inquiſitus facile capi poſsit, nec timeatur illius fuga, citãdus eſt abſq; expreſſione cauſæ, ſed ſolùm in genere dicere, Inquiſitorem velle, ab eo ſcire aliqua. c. 15. n. 3.

Si citatus non comparet, capiendus eſt, ſi capi poteſt, ſin minus, inferenda eſt in citatione cauſa, ſcilicèt vt de fide reſpondeat. c. 15. n. 3.

Trina citatio facta domi æquiparatur citationi perſonali. c. 15. n. 4.

Inquiſitus ſi non ſit abſens, neq; contumax, ſed præſens, ſufficit, vt citetur vnica citatione, quæ tribus æquiualet, ſignato termino competenti, & peremptorio, ad comparendum. Si verò ſit abſens, vel abſconditus, trina citatio expediri ſolet, & in qualibet illarum ſignandus eſt competens terminus. c. 15. n. 4.

Citationes iſtæ, quando reus eſt abſens, vel abſconditus, fieri poſſunt eius domi, & per edictum ad valuas Cathedralis Eccleſiæ. c. 15. n. 6

Citatio huiuſmodi, non ſolùm neceſſaria eſt, ad conteſtandum proceſſum, ſed multò magis ad ſententiam pronunciandam, & audiendam. c. 15. n. 5.

Nuntio atteſtante, ſe citaſſe reum, eſt ei adhibenda fides. c. 15. n. 7.

Citatio ſi non exprimatur in proceſſu, non præſumitur facta. c. 15. n. 8.

Inquiſitor non poteſt citare, nec capere reum ſubditum, extra ſuum territorium, niſi de licentia Epiſcopi, vel Inquiſitoris illius Diœceſis, vbi reus reperitur. c. 15. n. 9.

Ad condemnandum hæreticum formalem abſentem, & contumacem requiruntur tres monitiones; ad præſentem, & nõ contumacem ſufficit vna c. 15. n. 10.

Citatus ad reſpondẽdum de fide, ſi per annum integrum, nullo allegato impedimento, non reſponderit, habetur pro confeſſo, & condemnari poteſt. c. 15. n. 11.

Citatus de fide leuitèr ſuſpectus, ſi intrà terminum nõ reſponderit, illa ſuſpicio leuis trãſit in vehementem, & ſi in hac negligentia per annum perſtiterit, ſuſpicio vehemens tranſit in violentam. c. 15. n. 11. & 12.

Citatus ab Epiſcopo, & Inquiſitore in diuerſis temporibus, comparere debet coram vtroque. Si in eodem tempore, comparere debet coram Inquiſitore. Et ſimilitèr ſi prius citatus fuit ab Epiſcopo, & poſtea ab Inquiſitore, comparere debet coram Inquiſitore. Et ſi Epiſcopus præuenit in captura, Inquiſitor poteſt illum repetere. Et altero illorum iubente, ne reus capiatur parendum eſt Inquiſitori. Diana verò opinatur in hoc caſu dari locum præuentioni. c. 15. n. 13. 14. & 15.

Si Epiſcopus procedat contra exemptum auctoritate delegata, citatus poteſt comparere coram quo illi placet, quia tunc Epiſcopus, & Inquiſitor parem habent auctoritatem. c. 15. n. 16.

Supradicta de Inquiſitore cum Epiſcopo dicenda etiam ſunt de Inquiſitoris Vicarijs, ſeu Commiſſarijs, ſi electi ſint à Summo Põtifice, ſecùs autem ſi ſint electi ab ipſo Inquiſitore. c. 15. n. 17.

Executa citatione, tenetur nuncius, in actis cum iuramẽto referre, talem citaſſe eo modo quo ab Inquiſitore fuit ei mandatum. c. 15. n. 29.

Commiſſarij.

Commiſſarij Inquiſitorum. Vide Vicarij Inquiſitorum.

Confeſſarius inquiſitus de ſolicitatione.

Confeſſarius ob denunciationem vnius fœminæ, bonæ famæ, in confeſſione ab eo ſolicitatæ, ãtùm, non eſt torquendus. c. 23. n. 32.

Ad torquendum Confeſſarium de ſolicitatione, requiritur maior numerus teſtium, iuxtà prudentem iudicium Inquiſitorum. c. 23. n. 33.

Confeſſarius, qui fatetur dixiſſe verba ſolicitationem indicantia, ſed abſq; intentione ſolicitandi ad turpia: Si eius verba di cltè, & cla è indicant illum ſolicitaſſe, non eſt admittenda eius excuſatio. Si verò verba ſunt dubia, & ſolùm indirectè, ac remotè ſolicitationem important: tunc vel Confeſſarius eſt malæ famæ: & poteſt ſuper intentione torqueri. Sed ſi ſit bonæ famæ, eſt ſibi credendum abſq; tortura. c. 23. n. 34.

Confeſſarium, ad turpia ſolicitãtẽ in confeſſione, vel ſub prætextu confeſsionis, aliqui ſuſtinent, eſſe de leui tantùm de hæreſi ſuſpectũ, & de leui debere abiurare. Sed alij probabiliùs docent, eſſe de hæreſi vehementèr ſuſpectum, & de vehementi abiurare, debere. c. 25. n. 67. 68 & 69.

Confeſſarium ſolicitãtem ad turpia, paulò ante, vel poſt confeſsionem, quamuis aliquis ſuſtineat non eſſe ad abiurandum, compellendum, dicendum tamen, debere, abiurare de leui. c 25. n. 70. & 71.

Similitèr dicendum de Confeſſario ſolicitante in confeſſionario. c. 25. n. 73. & 74.

Confeſſarius, qui docuit pœnitenti, talem ſolicitationem, & actus impudicos, nõ eſſe peccatum, abiurare debet de formali. c. 25. n. 72.

Confeſſarius, qui abiurauit de vehementi, non

eſt

eſt amplius admittendus; ad confeſsiones audiendas. Secùs autem, qui abiurauit de leui. c.25.n.75 & 76.

Confeſſio Sacramentalis.

Confeſſiones Sacramentales audire non debẽt Inquiſitores, nè Inquiſitionis officium deludatur. c.2 n.15.

Cõfeſſarius ſciens in confeſsione, aliquem fuiſſe magum, & hæreticum, non poteſt illum denunciare. c. 13. n. 18.

Confeſſarius, an ſit concedendus de hæreſi ſuſpecto in carcere detento, quoties ab illo petitus ſit? benignior ſententia affirmat. c. 18. n. 1.

Talis Confeſſarius qualis eſſe debeat, & ab Inquiſitoribus inſtructus. c.18.n.1.

Confeſſarius non debet abſoluere reum S. Officij infirmum, niſi prius iudicialitèr Inquiſitoribus ſatisfaciat. Si autem non ſit in ſtatu, in quo examinari poſsit, ſed in articulo mortis, & ſit verè contritus, & paratus obedire, eſt ſacramentalitèr abſoluendus. c.18. n. 2.

Confeſſarius, cui hæreſis reus crimen ſuum manifeſtauit, non in ordine ad confeſsionẽ, ſed ſub ſecretò illud nunquam reuelandi; ſi producatur in teſtem, debet illius crimen deponere, & veritatem reuelare. c. 18. n. *3*.

Si Confeſſarius, ſiue imprudentèr, ſiue malitioſè, crimen delinquentis in confeſsione auditũ si Inquiſitoribus reuelaret, nõ eſt ei adhibenda fides, ſed eſt grauitèr puniendus. c. 18. n. 4.

Abſolutus in articulo mortis ab hæreſis crimine ſacramentalitèr, ſi conualeſcit, non cenſetur abſolutus in foro externo, & ſi ſponte non comparet, abſolutio ab excommunicatione, in illo articulo obtenta, ei amplius non ſuffragatur: quia iterum in illam incidit. c. 18. n. 5. & *6*.

Abſolutus ab hereſis crimine in articulo mortis, ſi pœnitentiam humilitèr impleuit, in foro externo eſt mitius puniendus. c.18. n.7.

Si Confeſſarius teſtetur, pœnitentem hæreticum ante mortem abſoluiſſe, & teſtes in foro iudiciali deponant illum impœnitentem deceſſiſſe, conſulendum eſt Supremum Tribunal, & illius determinationem exequi, dum Doctores, alij docent potius credendum eſſe Confeſſario, quàm teſtibus. Alij contrà potius teſtibus. c. 18. n.8. & *9*.

Confeſſio iudicialis.

Confeſſio ſola rei de crimine hæreſis eſt ſufficiens, ad illius condemnationem, quamuis in alijs delictis non ſufficiat, niſi cõſtet de corpore delicti. c.7. n.1. & 2.

Rei confeſſio delicti in tortura, & poſteà ratificata, eſt nullitèr facta, ſi torturam paſſus fuit ex decreto Epiſcopi, ſine Inquiſitore, vel Inquiſitoris ſine Epiſcopo. c. 12. n.22.

Rei confeſsio iudicialis eſſe debet indiuidua, ſpecifica, & certa, nec ſufficit dubia, incerta, ambigua, æquiuoca, & generalis. c.21. n.25. & 26.

Reuocans confeſſionem factam, an ſit admittenda eius reuocatio. c.21. n.27.

Incidentèr confitens aliud delictum, præter illud, de quo agitatur, an ſit de illo puniẽdus pœna ordinaria. c.21. n.28.

Confeſsio ſurdi, vel muti, quæ per ſeipſum ſpecificari non poteſt, niſi nutu, & ſignis, vti dubia, & incerta non eſt ſufficiens, ad illum condemnandum, niſi per depoſitiones teſtiũ ſit conuinctus. c.21. n.25.

Confeſsio rei facta per Iudicis ſuggeſtionem, ei non nocet, neque per illam condemnari poteſt. c.21. n.*29*.

Confeſsio minoris inquiſiti. Vide Minor.

Confeſsio rei metu tormentorum extorta an ſit neceſſariò ratificanda. c.2*3*. n.41.

Confeſſio rei extraiudicialis.

Confeſsio extraiudicialis ipſius rei ſui delicti, eſt indicium ad torturam, dummodò ſit veriſimilis, nec ſit facta generalis, ſed ſpecialis criminis commiſsi, cum expreſsione loci, & temporis, nec ſit facta ioco, aut calore iracũdiæ, ſed ſeriò, & ſit probata à duobus teſtibus. c.22. n 44. Aliqui ſuſtinent non requiri, vt facta ſit cum expreſsione loci, & temporis. n. 45.

Confeſsio extraiudicialis rei, ſi non probetur per conteſtes, ſed per ſingulares, non eſt ſufficiens indicium ad torturam, ſed in crimine hæreſis aliqui docent eſſe ſufficiens, maximè ſi ſint plures, quàm duo. c.22. n.4*6*.

Confeſsio extraiudicialis, per teſtes probata, ſed ipſo reo negante; alij docent non ſufficere, alij verò ſufficere, ad torturam. c.22. n. 47.

Confeſsio extraiudicialis rei, dicti, vel facti hæreticalis; ſi ipſe reus neget habuiſſe intentionem hæreticam, adhùc eſt indicium ad torturam. c.22. n.48.

Confeſsio extraiudicialis rei, confirmata in tortura, eſt etiam ratificanda poſt torturã. c.22. n.49.

Confiſcatio bonorum.

Confiſcatio bonorum debetur ob crimen hæreſis, non ſolùm de iure Canonico, & Ciuili, ſed de iure naturali, & diuino. c.2*6*. n.*9*.

Ad confiſcationem bonorum exequendam, requiritur criminis ſententia declaratoria. c.2*6*. n.10.

Vide pœna confiſcationis bonorum.

Con-

Conſultores S. Officij.

Conſultores S.Officij eſſe debent probatæ vitę, prudentes,ſanctæ fidei zelatores,& eruditi, Theologi,vel Canoniſtæ,& iuris Doctores. c.5.n. 1.

Alij eſſe debent Theologi, vt propoſitiones, & doctrinæ ad fidem ſpectantes, rectæ expendantur.Et alij vtriuſque iuris Doctores, vt ritè,ac iuſtè abſoluantur abſoluendi,& dānentur condemnandi. c.5.n.1.

Eligi poſſunt tam Regulares,quàm ſeculares, etiam laici. ibid.

Eorum electio fieri poteſt ab Inquiſitoribus, & in multis Ciuitatibus ab eis deputantur. In alijs verò Ciuitatibus ab Inquiſitoribus nominantur, & ab Eminentiſſimis Cardinalibus Supremæ S. Inquiſitionis Congregationis eliguntur. Et ſæpè etiam abſq; Inquiſitorum nominatione ab ipſa S.Congregatione deputantur. c.5.n.2.

Electi à S.C. non poſſunt ab Inquiſitoribus remoueri. Et ſi ipſi renunciare voluerint eidem S. Congregationi facienda eſt renunciatio. ibid.

Conſultores vocandi ſunt ab Inquiſitoribus, non ſolùm quando contra delinquentem ferenda eſt ſentētia, ſed etiam quoties in alijs iudicii actibus occurrit aliqua difficultas. Et ſi oportuerit, poſſunt etiam ab eiſdem ad præſtandam eorum aſsiſtentiam, per cēſuras cogi.c.5.n.3.

Conſultorum vota ſunt conſultiua, non deciſiua, ſed quando ſunt omnes eiuſdem voti, vel maior eorum pars,conſentit erga inquiſiti innocentiam, debent Inquiſitores ab eis non diſſentire.c.5.n.4.

Inquiſitores Theologi, nō debent à votis Cōſultorū iuris peritorū diſcedere in reis iudicādis,& ſimilitèr vtriuſq; iuris Doctores à votis Theologorum,in expendendis propoſitionibus hęreticis, & catholicis, & earum qualitatibus. c.5. n.5.

Conſultores tenentur gratis conſulere,& laborare in cauſis fidei Et ſi aliquis pretium aliquod pro hac re peteret,& acciperet,peccaret mortalitèr. c.5. n.6.

In actu quo recipiuntur in Conſultores, tenentur, iurare,ſeruare ſecretum de rebus in S.Tribunali,ſeu Congregatione tractandis, & de his, quæ concernunt cauſas S. Officij, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, à qua non poſſunt abſolui, niſi à Suprema S. Inquiſitionis Congregatione. c.5. n.7.

Si aliquis Conſultor hoc iuramentum non emiſiſſet, adhùc teneretur dictum ſecretum cuſtodire.ibid.

Inquiſitores poſſunt etiam Cōſultoribus hoc ſecretum,ſub pœnā excommunicationis ipſo facto, indicere. ibid.

Conſultores non prohibentur inter ſe loqui extra Congregationem, alijs non audientibus,de meritis cauſarum in Congregatione, ſibi propoſitarum.c.5.n.8.

Conſultor publicata ſententia delinquētis poteſt dicere: Ego fui in tali voto, dummodò non adſit ſcandalum, nec periculum incitādi rixas,aut cognitionis voti aliorum Conſultorum. ibid.

Conſultor, in S Officio delinquens,etiamſi ſit Religioſus,puniendus eſt ab Inquiſitore:ſed ſi deliquerit contra diſciplinam regularem à Superiore Regulari eſt puniendus. c.5. n.9.

Conſultores gaudent priuilegio fori Tribunalis S.Officij in cauſis criminalibus,&in multis locis etiam in causis ciuilibus. Si ſint abſentes ob S.Officij cauſam,lucrantur diſtributiones, quæ ſolis intereſſentibus debētur. Poſſunt ex rationabili cauſa impunè deferre arma. Et quoties Conſilium in S. Officio præſtant, vel ad abiurationem aſsiſtunt,indulgentiam trium annorum lucrantur,& in morte plenariam. c.5. n.10.

Conſultorum regularium priuilegia. c 5.n.11.

Ex Conſultoribus poteſt aliquis fieri Aduocatus Fiſcalis S. Officij, vel Aduocatus ipſius rei.c.5. n.12. Sed in eius cauſa abſtinere debet à Congregationis uoto. c.20. n.8.

Contumacia,& Contumax.

Contumax,quamuis habeatur pro confeſſo, & conuicto, tamen talis confeſsio dicitur ficta confeſsio, quæ nō nocet filijs,& nepotibus, ſed tantùm ipſi contumaci.c.34.n.19.

Contumax quocumq; tempore comparet, eſt audiendus, & ſenrentia in contumaciam lata,non tranſit in rem iudicatam,etiamſi cōtumacis ſtatua combuſta ſit. c.34.n.19.

Curator.

Curator quando dandus ſit neceſſariò minori. Vide Minor.

Proceſſus, formatus contra minorem, inaudito eius Curatore,eſt nullus,etiamsi minor cum iuramento confiteatur delictum. c.23. n. 24.

Curator non poteſt eſſe præſens, quando minor à Iudice interrogatur, vel torquetur. c.23. n.27.

Curator eſt audiendus, antequam minor torqueatur, vt poſsit illum defēdere,an ſit torquendus.ibid.

Curator eſſe debet præſens in ratificatione confeſsionis factæ à minore in tortura, vt ſit illa valida c.23.n.27.

D

Defenſiones inquiſiti.

Defensiones in hoc S. Tribunali conceduntur inquisitis, & tempus aptum ad illas probandas. c.20.n.1.

Concedendæ ſunt etiam confeſſo,& conuicto, si illas petierit. c.20. n.2.

Reus, qui verè deliquit, poteſt ſuas defensiones licitas petere sine peccato. c.20. n.3.

In defensione rei concedendus eſt; Aduocatus, qui sit vir probatę vitę, non ſuſpectus, vtriuſq; iuris Doctor, & fidei zelator: Procurator eiuſdem qualitatis: Et totius proceſſus copia, ſuppreſsis nominibus teſtium, & denunciantis, vel accuſantis.c.20.n.4.

In rei defensione quomodo ſe gerere debeat Aduocatus. Vide Aduocatus.

Si reus petat etiã procuratorem peteret,nõ eſt ei denegandus, uerùm nũc raro conceditur, quia eius munus Aduocatus ſufficiẽtèr exercet.c.20.n.5.

Si reus petat alium Aduocatum, præter conſtitutum à Tribunali Inquisitionis,poteſt ei ab Inquisitione concedi, cum quo obſeruãdæ ſunt omnes ſolemnitates requiſitæ Aduocatis deputatis S.Officij.c.20.n.8.

Quando diſputatur, an reus ſit torquendus, uocandus eſt eius Aduocatus, vt illum iuſtè tueatur. c.20. n.9.

In rei defenſionem eſt admittendus eius procurator allegans cauſas rationales illius abſentiæ, & exceptiones, quæ opponi ſolent ante litis conteſtationem. c.20.n.10.

In rei defenſionem ſi Aduocatus velit probare articulum, ex quo reſultaret defenſionem complicis abſentis, eſt admittendus ab Inquiſitore cum expreſſione, quod probationes faciendæ prodeſſe non poſsint reo abſenti. c.20.n.11.

Poteſt reus renunciare terminum ab Inquisitore ei aſsignatum in ſui defensionem, ſed non poteſt renunciare ſuas defensiones in cauſa criminali graui,nec Inquisitor poteſt illas acceptare. Secùs verò in cauſa leui, ob quam leuis pœna sit imponenda.c.20.n.12. & 13.

Quando non timetur pœna grauis corporalis,ſed tãtùm iacturę famę, vel bonorum externorum: an poſsit reus renunciare termino,ab Inquiſitore ſibi aſsignato, ad ſuas defenſiones probandas,& an Inquiſitor poſsit hanc renunciationem acceptare. c.20.n.14.

Defenſiones in duobus caſibus non ſunt reo cõcedendę:quando ſcilicet delictum eſt ità notorium, vt nulla tergiuerſatione, excuſari poteſt, & quando reus repertus fuit in fraganti crimine, in quo nulla afferri poteſt excuſatio. c.20. n.15.

Hæretico notorio, & pertinaci non ſunt concedendæ defenſiones. Secùs verò si non ſit pertinax, & eius verba, vel propositiones, aut facta sint dubia,an ſint hæretica. c.20. n.16. Idem dicendum de relapſo. n.17.

Reus ſciens denunciantem, vel teſtes, qui contra ipſum depoſuerunt,non poteſt in ſui defenſionem contra illos opponere,nisi inimicitiam capitalem.c.20.n.20.

Reus defendi poteſt ab hæreticalibus dictis,uel factis, ob ignorantiam,vel per amentiam,& ebrietatem.c.20.n.24.& ſeq. Vide Ignorantia. Amentia.Dubium.

Blaſphemus hæreticalis defendi poteſt, quod non ex habitu,vel conſuetudine, ſed raro,& ex ira, & indignatione blaſphemauit. c.20. n.31.& 32.Vide Blaſphemus.

Poteſt reus defendi, quia nunquam ſolitus fuit contra fidem delinquere, & ex vna vice cõmiſsi delicti, defensionem ſumere, pro diminuenda pœna. c.20.n.33.

Poteſt defendi ob minorem ętatem.c.20.n.34. Vide Minor.

Poteſt defendi ad diminuendam pœnam ob ſenectutem. c. 20. n.37. ac etiam ob vim, & metum sibi incuſſum. n.38. Vide Metus.

Difficillimè defendi poteſt,quod aliquis signa hęresis,vel infidelitatis externa dedit, & interius fidem catholicam retinuit.c.20.n.43.

Reus defendi poteſt,ut ob ſortilegium amatorium mitigetur ei pœna,quia ui uehementis amoris illud commisit. c.20.n. 44.

Quibus modis probari poteſt innocentia inquisiti.c.2.n.45.

Reus ad ſui defenſionem, an poſsit aliquando recuſare Inquisitorem, ne sit ſuus Iudex. c.20 n.46.

Hæc autem cauſa recuſationis ad Summum Pontificem,uel ad Supremum Tribunal Inquisitionis remittenda eſt. c 20.n.47.

A decreto torturæ,& similibus interlocutorijs ante ſententiam, poteſt appellari in rei defensionem; ſecùs autem à ſententia definitiua. c.20.n.48.

Hæc appellatio fieri debet ad Sanctiſsimum, uel ad Supremum Tribunal. c 20. n.49.

An poſt ſententiam definitiuam sit interdictus reo recurſus ad Summum Pontificem, uel ad Supremum Tribunal, non per uiam appellationis,ſed per uiam quærelæ,& ſupplicationis. c.20. n. 50.

Defenſores hæreticorum.

Defenſores hæreticorum dicuntur, qui defendunt, vel eorum errores, vel eorum perſonas. Qui defendunt eorum errores,ſunt etiã manifeſtè hæretici. c.3.n.16.

Qui defendunt eorum perſonas, nempè ne hæretici in manus Inquisitionis ueniãt, uel ne de-

denuncientur; ne teſtes examinentur contra eos, uel quouis modo eorum capturam, condemnationem, & ſupplicium impediũt, vel prohibent, ſunt de hæreſi ſuſpecti vehementèr, vel leuitèr, iuxtà defenſionis qualitatem, & ſunt excommunicati in Bulla Cænæ.c.3.n.16.

Aduocati, & Procuratores, qui ſine Inquiſitorum licentia, & in caſibus non permiſſis, patrocinium hæreticis prçſtant, ſunt etiam de hæreſi ſuſpecti, & contra eos poſſunt Inquiſitores procedere.c.3.n.17.

Qui hæreticos defendunt extrà cauſam hæreſis, & in cauſis ciuilibus, vel ne ab inimicis occidantur, non incurrunt excommunicationem, nec alias pœnas contrà hæreticorũ defenſores impoſitas.c.3.n.18.

Delegatus delegare.

Inquiſitores ſunt Delegati Summi Pontificis eius Perſonam repræſentantes.c.2.n.1.

Inquiſitores, an delegare poſſint facultatem abſoluendi in foro conſcientiæ hæreticum occultum, alij negant, alij verò probabiliùs, affirmant. c.2.n. 18.& 19.

Inquiſitores poſſunt uices ſuas alijs delegare, & ſibi inſtituere Vicarios, & Commiſſarios. c.2. n.21.

Dæmon.

Dæmon, quibus modis inducere ſolet taciturnitatem reo, in tormentis expoſito, & impedire, ne ille ex tormentis dolorem ſentiat, & delicti ueritatem fateatur. c. 23. n.45.

Ad eruendam hanc diabolicam taciturnitatẽ, & incantamenta, quid agere debent Inquiſitores. c.23.n.46.

Denunciatio.

Denunciatio iudicialis quid eſt, & in quo differt ab accuſatione.c.14.n.18.& in quo differt à denunciatione charitatiua.c.13.n.2.

Denunciatio quomodo eſt facienda, vt quis à Confeſſario abſolui poſſit. c. 13.n.50.

In denunciatione requiritur neceſſario, vt denuncians ſe ſubſcribat, alias teſtes in ea nominati, non poſſent validè ab Inquiſitoribus examinari. c.13.n.51.

Denunciatio facta in ſcriptis ſine ſubſcriptione denunciantis, non eſt recipienda, niſi denuncians cum iuramento examinetur.c.14. n.19.

Denunciandi obligatio.

Denunciandi obligatio nõ continet onus, probandi crimen rei denunciati. c.13.n.1.

Denunciandi ſunt Epiſcopo, vel Inquiſitori, non ſolùm hæretici, & de hæreſi vehemẽtèr ſuſpecti, ſed etiam ſuſpecti de leui. c.13.n.3.

Tenetur quis denunciare delinquenti, etiamſi illius crimen probare nõ poſsit, & ſine præuia correctione. c.13. n.4.& 5.

Quare ergà de hæreſi ſuſpectos non ſit ſeruandum correctionis fraternæ præceptum. c.13. n.5. & 6.

An teneatur quis denunciare maleficum, aut ſortilegum, vel quemlibet de hæreſi ſuſpectum emendatum. c.13.n.7.8.9.& 10.

Quãdo cenſeri poteſt ſuſpectus de hæreſi emẽdatus, ità vt ceſſet obligatio, illum denunciãdi. c. 13. n.11.

Denunciandus omninò eſt delinquens, de quo dubitatur, an ſit verè emendatus, vel recidiuus.c.13 n.12.

Denunciare tenetur filius, patrem, vel matrẽ, & pater, & mater, filium, & uxor virum, & vir vxorem, & fratres inter ſe, quando aliquis illorum eſt hæreticus, & ſecundùm aliquos Doctores, etiam quando eſt de hæreſi ſuſpectus.c.13.n.13.

Tenetur quis denunciare Inquiſitori de hæreſi ſuſpectum, etiam exemptum ab illius iuriſdictione. c.13.n.17.

Denunciare tenetur Confeſſarius, ſi magus, aut hæreticus, confesſionem ei fingeret, nõ animo confitendi peccata, ſed illum peruertẽdi, & inducendi ad malum. c.13. n.19.

Sciens ſub ſecreto naturali, aliquem eſſe magum, uel ſortilegum, ſiue hæreticum, ſiue de hæreſi ſuſpectum, tenetur illum denunciare, quamuis cum iuramento promiſiſſet, ſecretum, & illum non denunciãdum. c.13.n.20. & 21.

Mulier conſentiens ſollicitationi ſibi factæ in confeſſione, vel in confeſſionario, tenetur denunciare Confeſſarium tacendo propriũ conſenſum. c.13. n.29.

Mulier, quæ ex ſimplicitate, & ignorantia, cõmiſit ſortilegium hæreticale, ſi admonita nõ ſe correxit, eſt denuncianda.c.13.n.30.

Mulier nomen maleficæ habens, & ad quam plures pro maleficijs concurrunt: ſed re vera non eſt malefica, eſt etiam denuncianda. c.13. n.31.

Denunciare omittentis pœna.

Qui tenetur denunciare, & non denunciat, incurrit pœnam excommunicationis reſeruatæ quouſque denunciat, & eſt de hæreſi ſuſpectus. c.13. n.49.

Qui ex officio, vel præcepto, tenetur hæreticũ, vel de hæreſi ſuſpectum denunciare, & non denunciat, eſt tanquam hæretici fautor puniendus. Qui autem non tenetur ex officio eſt puniendus, non vt fautor hæretici, ſed vt de hæreſi ſuſpectus.c.13.n.41.& 42.

Qui abſq; rationabili cauſa, non denunciat, vel ab Inquiſitore interrogatus, alterius delictũ celat, vel non reuelat, eſt de hæreſi vehemẽtèr ſuſpectus. Qui autem non denunciat ratione conſanguinitatis, vel amicitiæ, eſt le-

uitèr de hæreſi ſuſpectus. c.13.n.44.

Denunciatio quo tempore eſt facienda.

Denunciatio facienda eſt ante confesſionem, nec pœnitens prius eſt abſoluendus. c. 13. n. 37.

Si necesſitas vrgeret communionis, & pœnitens eſſet timoratæ conſcientiæ, & promitteret, quamprimum denunciare; Confeſſarius poteſt illum abſoluere. c.13.n.38.

Qui conſcius Inquiſitoris edicto, denunciandi intra determinatos dies omnes de hæreſi quomodolibet ſuſpectos, illos non denũciat excommunicationem incurrit, & in ea perſeuerat, donec denunciando, edicto obediat. c.13.n.34.

Qui per impotentiam, uel per edicti ignorantiam, delinquentem non denunciauit intra terminum præfixum, ab impedimentis expeditus, vel factus edicti conſcius, tenetur illum denunciare ſtatim iuxtà aliquorum sẽtentiam, iuxtà aliorum vero intra tot alios dies, quos edictum ſignauerat. c.13.n.33.

Qui prǣuidet impedimentum denunciandi intra terminum præſcriptum, tenetur præuenire denunciationem. c.13. n.36.

Si Inquiſitores, & locorum ordinarij, ex negligentia, vel ex alia cauſa, edictum denunciãdi, nõ publicarent, adhùc ſub pœna excommunicationis tenetur quis delinquentem denunciare. c.13.n.39.

Qui non denunciauit tempore debito, & excõmunicationem incurrit, ſi promittit poſt confesſionem denunciare, an posſit virtute Bullæ Cruciatæ abſolui.

A denunciandi obligatione, qui excuſantur.

Excuſantur ab obligatione denunciandi, qui probabilitèr timent periculum mortis, vel grauis infamiæ, ſiue ſui ipſius, ſiue ſuorum parentum, & conſanguineorum, vel affiniũ, & amicorum innocentium. c. 13. n. 15. & 16.

Confeſſarius ſciens in confesſione ſacramẽtali, aliquem eſſe magum, aut ſortilegum hæreticum, non poteſt illum denunciare. c.13. n. 18.

Qui crimen alicuius, de hæreſi ſuſpecti, nouit extra confesſionem ex conſultatione ſecreta, ordinata ad ipſam confesſionem, non tenetur, nec debet illum denunciare. c.13. n. 22.

Aduocatus, vel Medicus, vel quilibet vir doctus, & prudens, cui delinquens ſuum delictum ſub ſigillo aperuit, conſilium petens, non tenetur illum denunciare, etiamſi prǣceſſerit criminis infamia, uel adſit ſemiplena probatio, dummodò ex obſeruatione ſecreti, non ſequatur aliquod damnum publicũ, vel innocentis. c.13.n.23.

Qui literas delinquentis aperuit, vel aliquem per vim, & metum coegit ad notitiam illius criminis habendam, non debet iilum denunciare, niſi illius crimen vergeret in damnũ publicum, vel innocentis. c.13.n.24.

Sciens delictum ex auditu viri paruæ æſtimationis, vel non bonæ famæ, iuxtà aliquorum ſententiam non tenetur ad denunciandum. n..25. Sed alij probabilius docent, teneri. n. 26.

Nemo tenetur denunciare ſeipſum, ſed tutius eſt ſpontè comparere, & crimen ſuum Inquiſitori, uel Epiſcopo fateri. c.27.n.13.

Nolens ſpontè ſeipſum denunciare, neq; denũciare tenetur ſocios, & complices ſui criminis. c.13.n.28. niſi mulier conſentiens Confeſſario, ad turpia ſolicitanti in confeſsione, vel in confesſionario. c.13.n.29.

Vxor timens graue ſibi malum imminere, ſi denunciet maritum, comedentem carnes diebus uetitis abſq; necesſitate, uel alia hęreticalia committentem, excuſatur à denunciatione. Et ſimilitèr, qui ex graui metu aliquem denunciare omittit. c. 13. n.43.

Diſpenſatio.

Diſpenſatio ab irregularitate ob hęreſim contracta. Vide Irregularitas.

Diſtributiones quotidianæ.

Inquiſitores, & eorum Miniſtri abſentes, poſſunt percipere diſtributiones quotidianas, ac ſi eſſent præſentes. c.2. n.33.

Dubium.

In dubio, an reus carceratus, in curia cuſtodis, aufugit, uel clauibus adulterinis, aut ferro, quomodo præſumendum. c.11.n.5.6.& 7.

In dubio, an maleficium, uel ſortilegium hæreſim ſapiat, ad Iudicem Eccleſiaſticum, priuatiuè quoad laicum, ſpectat huius cauſæ deciſio. c.12. n.2.

In dubio an delinquens ſit emendatus, uel recidiuus, eſt omninò denunciandus. c.13.n.12.

In dubio an teſtes de diuerſis ſortilegijs, vel de vno deponant, cenſendi ſunt conteſtes ſi cõueniant de eodem loco, & tempore, ſecùs ſi in hoc ſunt diſcordes. c.19. n.44.

In dubio an aliquis ſit hęreticus, vel an eius doctrina, aut verba ſint hæreticalia, ſunt ei cõcedendæ defenſiones. c.20.n.16.

In dubio an amens, lucida habens interualla, deliquit tempore amentiæ, an tempore ſanæ mentis, præſumendum eſt deliquiſſe tempore amentiæ. c.20.n.29.

In dubio quilibet præſumitur bonus, & fauorabiliores ſunt partes rei. c.24.n.24.

In dubio an excommunicatio ſit lata ipſo facto, vel ſit ferenda, ſortilegus non eſt vt excommunicatus vitandus. c.27. n.8.

Ec-

E

Eccleſia.

ECcleſia non iudicat de internis;quando tẽperat pœnam,quam imponere poſſet pro actu exterius tantùm hæretico, vel de hæreſi ſuſpecto, ſed mitius punit talem delinquentem,ne in eius pœna comprehendatur, etiam actus internus prauæ intentionis. c.20. n.41.

Eccleſia habet à Chriſto Domino poteſtatem, puniendi pœna mortis in hęreſim delinquẽtes, & contrarium aſſerere eſt ſaltèm erroneum.Non ſolent autem eius Miniſtri Iudices, niſi per laicos hac pœna, delinquentes punire,quia ità decentius,& ſuæ pietati cõformius, iudicatur. c.30. n.1.

Edicta.

Edicta publicare aduerſus hæreticos,eorumq; complices,& fautores, poſſunt Inquiſitores inconſulto Epiſcopo.c.2.n. 10.

Edicta Epiſcoporum non poſſunt ab Inquiſitoribus reuocari, ſed poſſunt confirmari. c.2. n. 10.

Emendatus.

Emendatus de hæreſis crimine, an ſit neceſſariò Inquiſitori denunciandus. c. 13. n. 7. & ſequ.

Quãdo ſuſpectus de hæreſi cenſeri poteſt emẽdatus,itaut non ſit denunciandus.c.13 n.11.

Vide denunciandi obligatio.

Energumenus.

Energumenus non poteſt ad torturam damnari.c.23. n.21.

Epiſcopus.

Epiſcopus de iure communi procedit contra hæreticos, & de hæreſi ſuſpectos, nec eius iuriſdictio aliquo modo præiudicatur à iuriſdictione Inquiſitoris. c.3.n.62.

Epiſcopi, in Regnis Hyſpaniæ, non poſſunt, ſeparatim ab Inquiſitoribus,de cauſis hæreticalibus cognoſcere. c.3.n 63.

Epiſcopi,prætextu S.Officij, pecuniam extorquentes,incurrunt pœnas antiquas, ſed non illas,quas ob eandem cauſam incurrunt Inquiſitores. c.3. n.74.

Epiſcopi malitioſè,vel lucri cauſa,contra de hæreſi inquiſitos procedere, omittentes, cũ poſsint,cenſentur hæreticorum fautores, & pœna ſuſpenſionis ab officio per triennium puniuntur. c.3.n.78.& 79. Niſi talis eorum omiſsio fieret ex ignorantia,vel ad euitandũ graue ſcandalum.n.80.

Epiſcopus contra delinquentes in cauſis fidei, ad quid procedere, non poſſunt ſine aſsiſtẽtia Inquiſitoris.Vide Inquiſitoris iuriſdictio cum Epiſcopo.

Epiſcopus non poteſt ſine Inquiſitore, nec Inquiſitor ſine Epiſcopo, procedere, ad reum torquendum. c.23.n.3.

Ad Epiſcopum ſpectat,determinare,an filij,& nepotes Iudæorum,& Paganorum, in adulta ætate baptizati, ſint benè in fide inſtructi,& ſi poſſint, ad ordines eccleſiaſticos ſuſcipiendos, admitti. c.29.n.19.& 20.

Epiſcopus poteſt diſpenſare, vt qui,poſt ſuſceptos ordines,in hæreſim incidit, & ad pœnitentiam eſt conuerſus, poſſit ordines ſuſceptos exercere: ſed nõ ad Sacerdotij exercitium.c.29.n.24.

Epiſcopus poteſt diſpenſare ab irregularitate, contracta ob hæreſim occultam,& non deductam ad forum contentioſum. c.29.n.26.

Examen Rei.

Quomodo examinandi ſunt rei, in S. Inquiſitionis Tribunali,inquiſiti. c.21.n.1.

Si Reus petat dilationem ad reſpondendum, non eſt illi concedendum. c.21. n.2.

Non tenetur Inquiſitor,reo manifeſtare, quod legitimè eum interroget. c.21.n.3.

Non poteſt Inquiſitor reo promittere impunitatem, ſed poteſt ei offerre amplam miſericordiam, ſi ueritatem protinùs fateatur. c 21.n.4.5.& 6.

Rei confeſsio,ob miſericordiæ promiſſionem, dici non poteſt illegitimè extorta.c.21.n.6.

Non eſt illicitum Iudici in rei examine,ad extorquendam veritatem, vti aliqua amphibologia, & æquiuocatione. c.21.n.7.

Inquiſitor,ſi promitteret impunitatẽ reo,veritatem fatenti, an eſſet illi obſeruãda: Aliqui negant,Alij affirmãt,Alij diſtingunt, quod ſi promiſsio facta ſit à Supremo Tribunali, erit ei ſeruanda; ſecùs autem ſi facta ſit ab inferiori Inquiſitore, ſemper verò erit mitius puniendus. c.21.n.8.9.& 10.

Ad extorquendam veritatem à reis, nil eſt faciendum, quod æquitas, & iuſtitia non admittit.c. 21.n.11.

Qui in ſuo examine fatetur feciſſe ſortilegium, ſed cum proteſtatione, ſi conſtet de proteſtatione,& hæc non ſit contraria facto, non eſt cenſendus hæreticus; ſecùs verò ſi proteſtatio ſit contraria facto, quia E.g. in ſortilegio vſus fuit rebus,vel uerbis ſacris, aut ſacramentalibus. c.21.n.12.& 13.

Qui fatetur ignorantèr deliquiſſe,ſi eius ignorantia, ſiue iuris,ſiue facti,ſit inculpabilis,& inuincibilis, excuſatur ab hæreſi, ſecùs autẽ ſi fuit culpabilis;quia errauit in his,quæ ſcire tenebatur. c.21. n.14.

Qui fatetur erraſſe in his, quæ ſunt fidei, quæ tamen ſcire non tenebatur, ſeductus à uiro docto, quem æſtimabat pium, & catholicũ, excuſandus eſt ab hæreſi. c.21.n.15.Et idem di-

dicendum,quando filij errant à fide, à parētibus ſeducti,diſcipuli à magiſtris,& præceptoribus,& ſubditi à ſuperioribus. ibid.

Reus dum ab Inquiſitore legitimè examinatur, præſtito iuramento, tenetur veritatem fateri, nec ad illam occultandam, vti poteſt amphibologia.c.21.n.16. etiamſi morte ſit plectendus. n.17.

Si crimen non ſit plenè probatum, an posſit tunc reus, celare Inquiſitori veritatem, ad euadendam mortem,vel aliam pœnam grauem, aliqui affirmant, ſed melius alij negant. c.21.n.18.

Reus dubitans,an Inquiſitor legitimè interroget,tenetur illi veritatem fateri. c.21. n.19.

Inquiſitor agnoſcens reum, difficilem ad fatēdum delictum, & facilem, ad periurandum, debet nihilominùs illi dare iuramentum, de veritate dicenda.c.21.n.20.

Reus ſciens, in proceſſu non conſtare de corpore ſui delicti, ſi delictum eſt de his, quæ relinquunt aliquod veſtigium, vt infanticidium,ſacræ Imaginis conſpurcatio,& ſimile,non tenetur illud fateri.Secùs aut ſi eſt de his,quæ occultè committuntur, vt maleficia,& ſortilegia,quæ conſtant per indicia. c.21.n.21.

Rei confesſio dicitur qualificata,quando ipſe confeſſioni ſuæ addit qualitatem, diminuētem delictum, vt quando fatetur delictum hæreticale, & negat intentionem hæreticalem. Et in hoc caſu Inquiſitor acceptare debet confesſionem delicti, & remanet reo, onus probandi qualitatem ſuæ intentionis. c. 21. n.22.

Quid agendum ab Inquiſitore, quādo qualitas catholicæ intentionis,addita confeſsioni delicti, eſt veriſimilis ex communiter accidenbus,& quando eſt inueriſimilis. c.21. n.23. & 24.

Qui in ſuo examine reſpondet ambiguè, & æquiuocè, uel incertè, ſi nolit ſe Inquiſitori declarare,poteſt cogi ad hoc per torturam. c.21.n.25.& 26.

Si reus reuocet confeſsionem factam in ſuo examine, quando eſt ab Inquiſitore admittenda hæc reuocatio,quādo verò non.c.21. n.27.

Si reus in ſuo examine incidentèr fateatur aliud delictum,extra principale,de quo agitatur,puniri poteſt pœna ordinaria, etiam de illo delicto, incidentèr confeſſo. c.21. n. 28.

Confeſsio rei extorta in ſuo examine interrogatorijs ſuggeſtiuis,ei nocere non debet,neque per illam condemnandus eſt.c.21.n.29.

Quando Reus renunciat ſuas defenſiones, & remittit ſe benignitati Tribunalis S. Officij, an tunc cenſeatur delictum confeſſum.c.21. n. 30.

Examen Lamiæ, ſeu Maleficæ.

Lamiæ,& Maleficę,quænam interrogationes, in eorum examine, faciendæ ſunt ab Inquiſitore. c.21. n.34.

Lamia, vel quilibet ſortilegus, ſi confiteatur factum hæreticale, ſed neget intentionem hæreſis, non eſt admittenda hæc excuſatio, ſed eſt torquendus ſuper intentione. c.21. n.35.& 36.

Lamiæ dicētes feciſſe maleficia, uel ſortilegia, ignorātes eſſe contra fidem, non eſt admittenda talis earum excuſatio. c.21. n.37.

Quæ interrogationes faciendę ſunt lamijs,quę accedunt ad nocturnos ludos magicos,& cū Dęmonibus conueniunt,ac miſcentur.c.23. n. 43.

Excommunicatio,& Excommunicatus.

Excōmunicari non poſſunt Inquiſitores, nec alii S.Inquiſitionis Miniſtri abſq; ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia,neq; à Summi Pontificis delegatis. c 2. n.27.

Inquiſitor, obligatus ad ſoluendam penſionē, aut quodlibet aliud in forma cameræ, non ſoluens, ſtatuto tempore debitum, non poteſt excommunicari abſq; expreſſa Romani Pontificis facultate. c.2.n.27.

Inquiſitor, & eius ſocius poſſunt ſe mutuo ab excommunicatione abſoluere, & in irregularitate diſpenſare,tribus caſibus exceptis. c.2.n.28.& 29.

Excommunicatio incurritur ipſo iure ob hęreſim,ſiue manifeſtam,ſiue occultam, ſecùs uerò ob hæreſim tantùm mentalem. c. 26. n.5.& c.27.n 1.& 2.

Epiſcopi, & Inquisitores, in foro iudiciali, poſſunt hęreticos pœnitentes abſoluere, quæ abſolutio prodeſt eis etiam in foro interiori. Secùs autem extrà forum iudiciale etiamſi hæreſis ſit occulta. c.26. n.5.

Excommunicatio non incurritur in foro conſcientiæ per ſolam ſuſpicionem hęreſis, ſed per manifeſtam. In foro autem externo incurritur per ſuſpicionem hæreſis uehemētem,non autem per leuem. c.27.n.3.

Ad excommunicationem incurrendam ſatis eſt hæreſim uerbis,aut ſigno,uel facto,quāuis occulto,manifeſtare.c.27.n.5.

In dubio nemo cenſendus eſt excommunicatus, nec uitandus, ſiue dubium ſit iuris,ſiue facti. c.27.n.8.

Mandans maleficium non incurrit excommunicationem, quam incurrit mandatarius. c.27.n.9. & ſequ.

Ob ſacrilegium hæreticale excommunicatus, ſi per annum inſordeſcet, velut hæreticus eſt condemnandus.c.27.n.17.& 18.

In

In excommunicatione per annum inſordeſcēs, ſi pro aliqua iuſta cauſa comparere nō potuit, excuſatur. Et non erit velut hæreticus declarandus, nec puniendus. c.27.n.19.

Excommunicatus comparens elapſo anno, ſi velit probare ſuam innocentiam, eſt admittendus, etiamſi fuiſſet velut hæreticus condemnatus, & eius ſtatua combuſta. c. 27. n. 20.

Excommunicatus non ex cauſa fidei, ſed ex cauſa ciuili, & per annum inſordeſcens, redditur de leui ſuſpectus de hæreſi, & contra eum procedere poteſt Tribunal S.Officij, nō ad condemnandum, vt hæreticum, neque ad torturam, ſed tantùm ad illum cogendū, ad reſpondendum, & ad illi indicādam purgationem canonicam. c.27.n.21.

Si quis antequam ſit elapſus annus inſordeſcētiæ in excommunicatione, obtineat Bullam alicuius gratiæ cum clauſula: *Teq; abſoluentes, &c.* non interrumpitur annus dictæ inſordeſcentiæ; nec illa abſolutio prodeſt, ad tollendam hāc excommunicationem. c. 27. n. 23.

In excommunicationem ipſo facto incurrunt legentes, vel retinentes, libros, hæreſim, vel magicas ſuperſtitiones continentes. c.28. n. 1.

Ad incurrendam dictam excommunicationē ipſo facto, quid requiratur. c.28.n.2.

Ignorantia etiam affectata excuſat ab hac excommunicatione in foro conſcientiæ, ſecùs in foro exteriori. c.28. n.3.& 4.

Vide libros prohibitos legentes, vel retinentes, qui excommunicationem incurrunt.

F

FAmæ reſtitutio. Vide Reſtitutio.

Mala fama ſola non eſt indicium ſufficiēs ad torturam. c.22.n.30. neq; ad imponendā abiurationem. c.25.n.81.

Mala fama malefici, vel ſortilegi, per teſtes idoneos, & fide dignos probata, eſt indicium ad torturam. c.22.n.31.

Mala fama vehemens, an ſit indicium ad torturam, aliqui Doctores negant, ſed probabilius alij affirmant. c.22.n.32.

Ad agnoſcendam malam famam inquiſiti eſſe vehementem, quid animaduertere debeat Iudex. c. 22.n.33.

Mala fama illius, qui eſt malæ vitæ, & deprauatos habet mores, eſt indicium ad torturā commiſſi criminis. c. 22. n.34.

Probatio bonæ famæ inquiſiti in genere, non tollit illius malam famam in genere, ſed aliqualitèr tantùm illam diminuit, itaut leuius torquendus ſit. c. 22. n. 35.

Malæ famæ in genere probatio auget ſuſpicionem delicti ipſius inquiſiti. c.22.n.35.

Mala fama alicuius criminis, alias commiſſi, auget ſuſpicionem delicti præſentis, & eſt indicium ad torturam. c.22.n.36.

Mala fama, vt ſit indicium ad torturam probanda eſt à duobus teſtibus adminus, qui ſint omni exceptione maiores, & nominent perſonas, à quibus audierunt inquiſiti delictum. c.22.n.37. & c.25.n.81.

Mala fama, orta poſt delinquentis carcerationem, non eſt indicium ſufficiens ad torturā. c. 22. n.38.

In delictis occultis, & difficilis probationis, mala fama ſola eſt indicium ad torturam, dummodò non ſit orta à maleuolis ipſius inquiſiti. c.22.n.39.

Si teſtes deponant ſe audiuiſſe, ità publicè dici, & ità eſſe publicam vocem, & famam, vt eorum teſtificatio ſit indicium ad torturā, debent adducere cauſas, & coniecturas veriſimiles, ex quibus ortum habuit talis fama; & quare id neceſſariò concludant; alitèr non probant ſufficientèr. c.22. n.40.

Si teſtes deponentes ſuper mala fama, eſſent diuerſi in nominibus perſonarum, à quibus illam audiuiſſent, vel in tempore, & loco auditus, probant infamiam rei. c.22.n.41.

Fama de aliquo eſt in eo loco quærenda, in quo inquiſitus verſatur, uel uerſatus fuit. c.22.n.42.

Vnus teſtis, & fama, faciunt ſemiplenam probationem, & ſufficiens indicium ad torturā. c.22. n.43.

Sola infamia eſt ſufficiens ad inquirendum, & procedendum contra ſuſpectum de hæreſi, & ad indicandam purgationem canonicam. c.25.n.81.

Familia armata, & familiares.

Familiam armatam habere poſſunt Inquiſitores. c.2. n. 5.

Familiam armatam Inquiſitoribus prohibens, puniri poteſt, vt impeditor S.Officij. c. 2. n. 5.

Nomine familiæ armatæ veniunt etiam omnes, qui S. Officio inſeruiunt, nempè Aduocati, Notarij, Conſultores, Cuſtodes carcerum, quibus omnibus Inquiſitores licentiā arma deferendi, concedere valent. c.2.n.5.

Familiares iſti eſſe debent uiri pacifici, fideles, deuoti, laudabilis conuerſationis, & vitæ, & ſcientes munus ſuum exercere. c.2. n. 6. & c.10. n.1.

Numerus iſtorum eſt conſtituendus ab Eminentiſſimis Cardinalibus Congregationis S. Officij, vel ab Inquiſitoribus, iuxtà Conſtitutionem Clementis IV. c.10.n.1.

Poſſunt arma deferre die, ac nocte, non obſtā-

te

te quacumq; lege ciuili, aut municipali in contrarium. c. 10. n. 2.

Familiares iſti, licentia ferendi arma, abutentes, ſunt grauitèr ab Inquiſitoribus puniendi. c. 2. n. 6. & c. 10. n. 6.

Arma deferre, non ſolùm poſſunt dicti familiares, ſed cæteri Miniſtri S. Officij, veluti Aduocati, Conſultores, Notarij, Cuſtodes carcerum, ac etiam Scribentes aduerſus hæreticos. c. 10 n. 3.

Familiaris monens inquiſitum in S. Officio, ne capiatur, incurrit excommunicationem, & eſt puniendus tanquam periurus, & hæretici fautor. c. 10. n. 4.

Domini temporales impedientes dictos familiares, ne arma deferant, puniri poſſunt ab Inquiſitoribus, tanquam turbatores S. Inquiſitionis. c. 10. n. 5.

Familiares dicti, delinquentes in aliquo delicto, ſunt puniendi ab Inquiſitoribus, præterquam in delictis, rebellionis, læſæ Maieſtatis, publicæ ſeditionis, & ſimilium. c. 10. n. 6.

Fautores hæreticorum.

Fautores hæreticorum, alij ſunt ex omiſſione, & negligentia; alij ex facto, & cooperatione; & alij ex verbis, & conſilio. c. 3. n. 19.

Fautores ex omiſsione, & negligentia ſunt Primò Epiſcopi, Inquiſitores, & eorum Miniſtri, qui non procedunt, ſicut tenentur contra hæreticos, eoſq; non puniunt, vt merentur. Secundò, qui, vel eos non denunciant, vel impediunt, ne denuncientur, vel eorum hæreſim celare procurant. Tertiò, qui poſſunt hæreticos ab hæreſi reuocare, & non reuocant. Quartò, Domini Seculares & Officiales Miniſtri, qui uel omittunt hæreticũ inquirere, & capere, uel negligentes ſunt, ad eos extirpandos a terris ſuis; vel dare nolũt milites, ad eos capiendos ad Inquiſitorum requiſitionem. c. 3. n. 19.

Fautores hæreticorum facto, & cooperatione ſunt, qui pecunias, alimenta, arma, & alia auxilia eis ſumminiſtrant. Vel illis fauent, vt è carcere fugiant, aut ne in Inquiſitorũ manus deueniant. Vel proceſſus contra hæreticos lacerant, aut occupant, teſtes examinatos uerberant, Miniſtros, & Officiales S. Inquiſitionis offendunt. Vel Inquiſitorem vexant, perturbant, & iniuria afficiunt, niſi hæreticum liberet: Vel hæreticum in loco ſacro ſepeliunt. c. 3. n. 20.

Fautores hæreticorum conſilio, & verbis ſunt, qui pro eis intercedunt, ſupplicant, veniam petunt, & Officium S. Inquiſitionis impediunt: Vel Inquiſitorũ famam lædunt, quod iniuſtè contra hæreticum procedat, vel nõ debere tam grauitèr illum punire, vel eſſe laude, & honore dignum. Vel aliquem hæreticum monet, vt ſe abſcondat, ne capiatur, vel docet modum quo ſe falſo defendere poſsit, & ſuam hæreſim celare. c. 3. n. 21.

Fautores hęreticorum ſunt de hæreſi ſuſpecti, & excommunicati in Bulla Cœnæ. c. 3. n. 21.

Fautor hæretici eſt, qui vt hæreticum liberet, fingit ſeipſum eſſe hæreticum inquiſitum: qui eſt puniendus perpetuò carcere, & omnibus bonis ſpoliandus. c. 3. n. 20.

Fautores, receptatores, & defenſores hæretici non ſunt ipſo iure beneficijs Eccleſiaſticis priuati, ſed per ſententiam priuandi. c. 34. n. 11.

Filij, & nepotes fautoris, uel receptatoris, uel defenſoris hæretici ſunt inhabiles ad beneficia, dignitates, & officia eccleſiaſtica per lineam paternam, & per lineam maternam ta..tùm filij. c. 34. n. 16.

Filius.

Filj hæreticorum quoad irregularitatem. Vide Irregularitas.

Filius parentis, qui in hæreſim incidit, priuatur ipſo iure beneficijs obtentis poſt hæreſim patris; & eſt ad alia obtinenda inhabilis. c. 34. n. 12. & 13. Et ſimilitèr filius Fautoris, uel receptatoris, aut defenſoris hæretici. c. 34. n. 16. Idem dicendum de filijs illegitimis, & ſpurijs propter hęreſim paternam, vel maternam. n. 17.

Filij, & nepotes patris contumacis, qui noluit comparere, ad reſpondendum in cauſa hæreſis ſunt inhabiles, ad beneficia obtinenda, ſi pater contumax fuit condemnatus, præcedentibus plenis, & concludentibus probationibus, in hęreſim incidiſſe. Secus autẽ ſi non præceſſerint dictæ probationes delicti, ob ſolam patris contumaciam. c. 34. n. 18. & 19.

Filij, & nepotes, natos, antequam eorum pater in hæreſim incideret, alij ſuſtinent eſſe beneficijs obtentis priuatos, & ad alia inhabiles. Alij probabilius: non eſſe priuatos, nec priuandos, ſed ſolùm ad alia inhabiles. c. 34. n. 21. & 22.

Filij, & nepotes ſunt etiam inhabiles, ad obtinenda in poſterum non ſolùm beneficia, ſed etiam penſiones. c. 34. n. 23.

Filij patris pœnitẽtis incidiſſe in hæreſis crimen, nõ ſunt inhabiles ad alia beneficia obtinenda. c. 34. n. 24.

Filij, & nepotes relapſi pœnitẽtis, ſunt inhabiles, ad officia, & beneficia, quamuis aliqui contrarium opinentur. c. 34. n. 25.

Filij patris pœnitẽtis in hæreſim incidiſſe, & Eccleſiæ recõciliati, non ſunt irregulares. c. 34. n. 24.

Fi

Fiſcalis Aduocatus S. Officij.

Fiſcalis Aduocatus, ſeu promotor neceſſariò dandus eſt Tribunali S. Inquiſitionis. c. 6. n. 1. Et eligitur à Summo Pontifice, vel à Suprema S. Inquiſitionis Congregatione n. 2.

Eſſe debet probatæ vitæ, fidei zelator, Iuris peritus, vir diligens, & induſtrius, ac verſatus in agnitione delictorum ad S. Officium ſpectantium, illorumq; pœnarum, ac Bullarum Apoſtolicarum. c. 6. n. 2.

Eius munus eſt diligentèr iuriſdictionem S. huius Tribunalis defendere, contra delinquentes in fide, poſt captam informationem, eorum accuſationes porrigere, dicta teſtium exquirere, libros denunciationum reuoluere, proceſſus contra reos attentè ſcrutari, vt debitis pœnis mulctentur inſtare, tempore relationis tàm in facto, quàm in iure allegare, vt Inquiſitores ſæpè eorum edicta promulgent, petere, & ſimilia. c. 6. n. 3.

Fiſcalis præſens eſſe debet Inquiſitori, quando eſt ab eo vocatus, vt in teſtium examine interueniat, vel in Congregationibus, dùm delinquentium cauſæ agitantur, & dùm rei torquentur, quamuis in Hyſpaniarum Regnis non hæc omnia ſeruentur. c. 6. n. 4.

Fiſcalis non habet in hoc S. Tribunali votum deciſiuum, nec regularitèr à reo poteſt, vt ſuſpectus, recuſari. Si verò contra eum inimicitia capitalis probaretur, deberet à tali cauſa abſtinere, & Inquiſitor alium ſubrogare. c. 6. n. 5. Quæ autem dicatur inimicitia capitalis. n. 6.

Fiſcalis S. Officij præſtare debet iuramentum calumniæ, ſi ab eo reus illud petat, ne veritas occultetur. c 6. n. 7.

Fiſcali S. Officij non eſt deneganda facultas, appellandi in omnibus caſibus, in quibus dari poteſt appe latio. c. 6. n. 9.

Fiſcalis prædictus tenetur recipere depoſitiones teſtium tam contra inquiſitum, quàm in illius defenſionem; ſi verò defenſiones in iure non ſubſiſtunt, poteſt illas impugnare, & reijcere. c. 6. n. 10.

G

Gabellæ.

INquiſitores, & eorum ſocij, Notarij, & familiares, ſunt immunes ab omnibus gabellis, datijs, & ſimilibus oneribus. c. 2. n. 34.

Generales.

Contra Generales Religionum recipere poſſunt Inquiſitores eorum denunciationes: ſed non poſſunt procedere, niſi conſulta S. Congregatione. c. 3. n. 61.

H.

Hæreſis ſuſpecti.

HÆreſis ſuſpecti ſunt Primò, qui impediũt S. Inquiſitionis Officium. Secundò, qui cum hæreticis conuerſantur, vel conciones eorum audiũt, vel eos receptant, defendũt, fauent, viſitant, munera mittunt, vel cũ eis confederationem contrahunt, aut eos in loco ſacro ſepeliunt. Tertiò, qui hæreticum non reuelant, vel cõtra eum examinari nolunt, vel prius de ſe, aut de alijs hæreſim cõfeſſi, poſteà illam negant. Quartò, qui cum hæreticis matrimonium contrahunt, vel Poligami ſunt, duas vxores, eodem tempore viuentes, ducentes: vel mulieres conſanguineas, uel affines, aut commatres, uel moniales carnalitèr cognoſcunt. Quintò, Regulares profeſsi, vel Clerici ſeculares, in ſacris conſtituti, qui matrimonium contrahunt, vel apoſtatę à Religione per annum perſiſtunt in excommunicatione. Sextò, qui fidẽ Chriſti ore negant, ſed non corde, vel propoſitiones hæreticas, aut hæreſim ſapientes, vel ſcãdaloſas, & temerarias proferunt, vel hæreticalitèr blaſphemant. Septimò, qui libros hæreticorum, etiam manuſcriptos legunt, uel retinent, aut imprimunt, vel quomodolibet defendunt. Vel legunt, aut retinẽt libros cõtra bonos mores prohibitos. Octauò, qui ſingulis annis ſua peccata non confitẽtur, nec S. Euchariſtiam ſumunt, feſtis diebus Miſſam non audiunt, diebus præceptis non ieiunant, vel diebus uetitis carnes abſq; neceſſitate comedunt. Nonò, Sacerdotes ad inhoneſta ſolicitantes, ſiue in cõfeſſione, ſiue antè, vel poſt immediatè, ſiue prętextu confeſsionis, ſiue in cõfeſſionario. Decimò, qui non ordinati Sacerdotes Miſſam celebrant, uel confeſsiones audiant: Vel ordinati Sacerdotes, Miſſam celebrant, & nõ conſecrãt, vel hoſtiam conſecratam de nouo conſecrant, uel baptizatos rebaptizant, vel baptizant magnetem, aut animal brutum, aut cadauer hominis. Duodecimò, exercentes Aſtrologię iudiciarię artem, & prædicentes futuros caſus fortuitos, vel pendẽtes ex libero hominis arbitrio, vel de ſtatu Eccleſiæ, vel de aſſumptione ad Summum Pontificatum, vel de vita, & morte Summi Pontificis, aut eius conſanguineorum vſque ad tertium gradum incluſiuè. Vel prædicentes ex aſtris myſteria fidei, vel reuelantes res præteritas, aut præſentes omninò occultas: vel legentes, aut retinentes libros de diuinatione tractantes. Duodecimò, Sortilegi, Diuinatores, Magi, Striges, & alij conſimiles, qui pactum expreſſum, vel taci-

 tum

tum cum Dæmone inierunt, vel illum, cultu latriæ, uel duliæ, colunt, vel in ſortilegij rebus, aut verbis ſacris, aut ſacramentalibus abutuntur. Decimotertiò, qui Chriſti Crucem, & Sanctorum imagines conculcant, Dæmonibus thura adolent, ſacrificia offerunt, candelas accendunt, genuflectunt, preces fundunt, ſe eis deuouent, obedientiam promittunt, laudes canunt, pro eorum reuerentia ieiunant, carnem macerant, veſtibus nigris, vel albis ſe induunt, characteres, & ſigna in eorum corporibus imprimunt, aut ſanguinis proprij ſcriptionibus Dæmonibus inſeruire ſe aſtringunt. Omnes iſti uel ſunt hæretici, vel ſaltem de hæreſi ſuſpecti. c. 3. n. 22.

Retinens ſchedulam, continentem ſortilegiũ, vel maleficium taciturnitatis eſt ſuſpectus de illius vſu, & ſi in tortura negat hunc vſũ, eſt etiam de hæreſi ſuſpectus. c. 12. n. 14. & 15.

De hæreſi ſuſpectus, quando cenſeri poteſt emendatus. c. 13. n. 11.

Quinam dicuntur de hæreſi ſuſpecti leuitèr, uel vehementèr, uel uiolẽtèr. Vide Suſpicio hæreſis.

Hæreticus.

Hæreticus pœnitens poteſt ab Inquiſitore in foro externo abſolui ab excommunicatione. c. 2. n. 14.

Hæreticus ſponte comparens, & non inquiſitus poteſt admitti ad ſecretam abiurationẽ, & abſolutionem ab excommunicatione ab Inquiſitore, & quoad abſolutionem in foro conſcientiæ remitti ad Confeſſariũ proprium. c. 2. n. 16.

Hæreticus dicitur, qui habet errorem aliquem contra fidem in intellectu cum pertinacia, vel qui pertinacitèr dubitat de rebus fidei, vel qui fidem Chriſtianam in baptiſmo promiſit, relinquit, & tranſit ad Iudæos, Turchas, & ad ſimiles. c. 2. n. 11. & 12. Hæreticus etiam dicitur Schiſmaticus. n. 13.

Hæreticorum credentes dicuntur, qui credunt hæreticorum erroribus. Vel credunt hæreticos eſſe, viros bonos, & bonam fidem habere; Vel quamuis eorum errores non credant tamen verbis, & factis illis adhærent, & ſeruiunt, ac libros eorum legunt, aut retinent. c. 3. n. 14.

Hæreticorum receptatores dicuntur, qui ſciẽtes aliquem eſſe hæreticum, latentèr eum receptant, ne ad manus S. Inquiſionis perueniat. c. 3. n. 15. Vide Receptatores hæreticorum.

Hæreticorum defenſores ſunt qui defendunt, vel eorum errores, vel eorum perſonas, ne denuncientur, vel ne puniantur. c. 3. n. 16. Vide Defenſores hæreticorum.

Hæreticorum fautores ſunt, qui vel omiſſione, & negligentia, vel cooperatione, & facto, vel uerbis, & conſilio hæreticos fauent. c. 3. n. 19. *Vide* Fautores hæreticorum.

Hæreticus difficillimè cenſeri poteſt emendatus. c. 13. n. 11.

Difficillimè probari poteſt, aliquem, qui ſigna hęreſis, uel infidelitatis externa dedit, interius fidem catholicam retinuiſſe, ideò tanquam uerè hæreticus, eſt puniendus. c. 20. n. 43.

Fingens ſe eſſe hæreticum, vel Iudæum, uel infidelem, ſiue ob metum cadentem in conſtãtem virum, ſiue ob ſpem lucri, & auaritiam, vel ob aliam cauſam, & interius Chriſti fidẽ non negans, non eſt uerè, & formalitèr hæreticus. c. 20. n. 4.

Hęreticis denegatur beneficium appellationis ab hæreſis ſententia, conceditur verò ab actibus, & decretis interlocutorijs, niſi euidentèr conſtet appellationem eſſe friuolam. c. 23. n. 7.

Quando autem appellatio dicatur friuola. *Vide* Appellatio.

Hæretici ſunt puniendi pœna mortis, & combuſtionis ſi ſint impœnitẽtes. Si uerò ſint pœnitẽtes, ſed relapſi prius ſtrangulantur, & poſt mortem comburuntur. c. 26. n. 11.

Hæreticus defunctus.

Contra hæreticum defunctum poteſt agere Inquiſitor, & illum declarare excommunicatum, & inhibere, ne ſuffragia pro eo offerantur, & eius cadauer è loco ſacro expellatur, & comburatur. c. 3. n. 39.

Hæc Inquiſitoris iuriſdictio non extinguitur ſpatio 40 annorum. c. 3. n. 39.

Contra ſuſpectos de hæreſi defunctos nõ procedunt Inquiſitores. c. 3. n. 40.

Contra hæreticos defunctos proceditur, vt eorum memoria damnetur, & eorum bona confiſchentur. c. 3. n. 41.

Non eſt contra eos procedendum, niſi adſit plena hæreſis probatio. c. 3. n. 41.

Contra defunctos hęreticos, quomodo ſit procedendum, & quomodo ſententia ferenda. c. 3. n. 41.

I

Ignorantia.

QVi ex ignorantia, falſum contra aliquem depoſuit, ob quam depoſitionem ille notabile damnum paſſus eſt, an teneatur ad reſtitutionem damni illati. c. 19. n. 59.

Ignorantia non excuſat errantes contra fidem, ideò non excuſat blaſphemantes hæreticalitèr, neque ſortilegos, qui vtuntur rebus, vel ver-

verbis ſacris. c. 20. n. 25.
Quęnam dicitur ignorantia iuris, & quænam facti, & quænam inculpabilis, & inuincibilis,& quæ culpabilis,& inuincibilis. c.21. n. 14.
Ignorantia, ſiue iuris, ſiue facti, inculpabilis, probabilis, & inuincibilis, excuſat à peccato. Secùs culpabilis, improbabilis, & vincibilis. c.21.n.14. & 15.
Ignorantia quænam dicitur affectata, & quænam craſſa, ſeu ſupina. c.21.n.38.
Errans in his, quæ ſunt fidei, & ſcire debet, ignorantia affectata, hæreticus cenſendus eſt. c.21.n.37.
Quælibet ignorantia, etiam affectata, dummodò non ſit coniuncta cum temeritate, excuſat, in foro conſcientiæ, ab excommunicatione legendi, uel retinendi vetitos libros, & ſcripturas. Secùs verò in foro exteriori. c. 28 n.3. & 4.
Ignorantia, uel negligentia, aut obliuio, obſeruandi decretum, legendi bullas præceptas, ſtatutis diebus, excuſat aliquando à pœnis in eiſdem bullis contentis. c.35. n. 14.
Hæc autem ignorantia probatur per iuramẽtum. c.35. n.15.
Ignorantia etiam uincibilis, dummodò non ſit craſſa, nec ſupina, excuſat à dictis pœnis. c.35. n.16.
Quænam ſit ignorantia craſſa, vel ſupina, non excuſans ſuperiorem ab omiſſione legendi dictas Bullas ſtatutis diebus. c.35.n.17.

Imagines Chriſti, & Sanctorum.

Conſpurcantes imagines Chriſti, & Sanctorũ, cogendi ſunt, abiurare de uehementi. c.25. n. 56.

Indicium ad torturam.

Indicium quid ſit. c.22. n.1.
Indicium aliud eſt indubitatum, aliud dubium, Aliud proximum, aliud remotum. Et aliud leue, aliud graue, & aliud grauiſſimum. c.22. n. 2.
Ob indicia indubitata delicti non occulti, ſed facilis probationis non poteſt reus, damnari ad pœnam ordinariam. c 22.n.3. Si autem delictum ſit graue, & occultum, & difficilis probationis poteſt reus ob indicia indubitata à Supremo Tribunali damnari ad pœnã ordinariam, etiam vltimi ſupplicij. Ab Inquiſitoribus verò inferioribus ſolùm dãnari poteſt ad torturam, uel ad pœnam extraordinariam. c.22. n.4.
Vnicum indicium proximum ſufficit, ad reum torquendum, remota autem plura requirũtur. c.22.n.5. aliquandò verò etiam vnicum remotum indicium poteſt ſufficere ad torturam. c.22.n.6.
Indicia proxima, ſufficit, vt per vnum teſtem omni exceptione maiorem, probentur, vt reus torqueri poſsit. Si indicia ſint remota debent ſaltem per duos teſtes conteſtes omni exceptione maiores probari. c.22.n.7.
Si plura ſint contra reum indicia remota, & plures etiã teſtes ſingulares omni exceptione maiores, & deponunt de indicijs diuerſis, & valdè à delicto remotis, non ſufficiunt ad reum torquendum. Si autẽ deponunt de indicijs à delicto non ualdè remotis, tunc ſufficiunt ad reum torquendum. c.22.n.8. Aliqui uerò Doctores affirmant, quod quando teſtes ſingulares ſunt plures, quam duo, & omnes omni exceptione maiores, & plura ſint indicia remota, poteſt reus, arbitrio prudentis Inquiſitoris, torqueri. n.9. Sed ualdè moderatè. n. 10.
De indicijs inquiſiti bonę, uel malę famę. Vide Fama.
Confeſſio extraiudicialis rei, ſui commiſſi criminis, an, & quando ſit indicium ad torturam. Vide Confeſsio extraiudicialis.
Variatio, uacillatio, vultus mutatio, mendaciũ rei, dum à Iudice interrogatur, non ſunt indicia ſufficientia ad torturam. c.22. n.50. ſufficerent uerò cum aliquo alio indicio. n.51. Ideò hoc remittendum eſt prudẽti iudicio Iudicis. n 52. & 53.
Minæ faciendi maleficium alicui, an & quando ſint indicia ad torturam. c. 22. n.54. & 55.
Inſtrumenta magica reperta in domo lamiæ, uel malefici, ſunt indicia ad torturam. c.22. n. 56.
Retinere libros ſortilegia, uel maleficia continentes, eſt indicium ad torturam. c.22. n.57. Sed in hac librorum prohibitorum retentione, habenda eſt ratio perſonarum, & librorum. c.22. n.58.
An & quando fuga malefici, uel ſortilegi, ſit indicium ad torturam. c.22.n.60. & ſequ.
Contumacia cum ſententia condemnationis, eſt ſufficiens indicium ad torturam. c. 22. n. 66.
Dictum Dæmonis per exorciſmos extortum, contra lamiam, vel ſortilegum, non eſt indicium ad torturam. c.22.n.67.
Depoſitiones de uiſu duarum lamiarum, atteſtantium, ſe uidiſſe inquiſitum in conuentu dęmoniaco, non faciunt indicium ad torturam. c.22. n.68. & 69.
Enumerantur nonnulla indicia ad torturam cõtra lamias, ſortilegos, & alios de hæreſi ſuſpectos. c.22.n.70.
Leuia indicia cõtra reum nõ ſufficiunt ad torturam. c.22.n.71.
Cõuerſatio cum hominibus infamatis de eodem delicto, eſt indicium remotum, inſuffi-

ci:ns ad torturam. c.22. n.72.

Qui commiſſo maleficio, ne ſibi imputetur, cõfeſtim inſtat, inquiri contra delinquentem, quando ad eum non pertinet, dat indicium, ad inquirendum contra ipſum, non autem ad torturam. c.22.n.73.

Conſuetudo peccandi in aliquo crimine, eſt indicium ad inquirendum, non autem ad torturam. c.22. n.74.

Malum nomen, & mala alicuius phyſiognomia, non eſt indicium ad torturam. c. 22. n. 75.

Origo ex mala patria, in qua ſunt multi ſortilegi, vel de hæreſi ſuſpecti, vel natus ex malefica matre eſt indicium leue, inſufficiens ad torturam. c.22. n.76.

Stigma, ſeu ſignum, quod Diabolus ſuis maleficis, & lamijs ſolet imprimere in aliqua corporis parte, eſt indicium incertum, & leue inſufficiens ad torturam. c.22. n.77.

Muliercula, quæ vel ratione amoris, aut odij, vel ratione vtilitatis, & commodi, cauſam habuit, efficiendi aliquod maleficium, ſi cõſtet de corpore delicti, nec alteri imputetur, & ipſa naturalitèr inclinet ad amorem, vel odium, vel auaritiam, eſt maleficij indicium. c. 22. n.78.

Cauſa delicti, vt faciat contra reum indicium, debet eſſe grauis, & uerisimilis. c.22.n.78.

Inuentio maleficæ in loco infanticidij, vel alterius maleficij, eſt indicium ſufficiens, ad inquirendum contra illam, ſed inſufficiens ad torturam. c.22.n.79.

Malefica, vel ſortilegus ſæpè poſt ſui diffamationem, vel complicis capturam, habitationem mutans, non dat indicium ad torturã, niſi accedant alia indicia c.22.n.80.

Malefica, vel ſortilegus utens quadam ſanctitatis oſtentatione externa, non dat indicium ſui delicti, ſufficiens ad torturam. c.22.n.81.

Emiſſio ſanguinis à cadauere occiſi coram malefico homicida, an ſit indicium ſufficiẽs ad torturam, aliqui affirmant, ſed probabilius alij negant. c.22. n.82 83.& 84.

Potens impedire maleficium, & non impediẽs: Si tenebatur ex ſola charitate, non dat indicium cooperationis ad torturam. Secùs uerò ſi tenebatur ex iuſtitia impedire. c. 22. n. 85.

Sine indicijs, in quibus caſibus licitum eſt torquere reum. c.22.n.86.

Indulgentiæ.

Inquiſitores indulgentiam plenariam conſequuntur, quoties laborant pro eiuſdem S. Inquiſitionis Officio, & in morte. c.2. n.34.

Notarijs, & omnibus alijs Inquiſitorum miniſtris auxilium pro S.Officio præſtantes, indulgentia trium annorum, & in morte plenaria conceditur. c.2. n.35.

Inquiſitores poſſunt concedere indulgentiam viginti, vel quadraginta dierum Clero, & Populo, quoties actio aliqua in fauorem fidei celebratur. c. 2.n.36.

Infamia.

Infamiæ pœna incurritur ipſo facto, & ante Iudicis ſententiam, ob hæreſis cauſam, ſed requiritur declaratoria criminis. c.26. n.7.

Conſiſtit autem hæc pœna in amiſſione nobilitatis, & in inhabilitate, ad omnes honores, dignitates, & officia publica. ibid.

Infamia hæc redundat in Filios, & Nepotes vſque ad ſecũdam generationem, & ipſi etiã priuantur beneficijs eccleſiaſticis, & repelluntur ab omnibus officijs publicis, & inhabiles ſunt ad illa obtinenda. c.26.n.9.

Inimicitia.

Inimicitia quænam dicatur Capitalis. c.6.n.6.

Inimicitia capitalis, ob quam in hoc S.Tribunali repelluntur teſtes eſt Primò, quæ oritur contra eum, qui interfecit conſanguineum, vel dedit operam vt occideretur. Secundò qui conatus eſt, occidere illum, contra quem vult teſtificari. Tertiò, quæ oritur ex minis de occidendo. Quartò, quãdo quis accuſauit alterũ de criminali delicto. Quintò, quando parauit inſidias aduerſus illum, contra quem vult teſtificari. Sextò, quando quis alias depoſuit contra eum in cauſa criminali. Septimò, quando quis detinuit aliquando in carcere illum, qui nunc contra ſe teſtificari vult. Octauò, quãdo inter nobiles præceſſit grauis iniuria. Nonò, quando quis pudicitiã attentauit vxoris, vel filiæ, uel ſororis. Decimò, quando per uim, aut per litẽ vſurpare uoluit, uel omnia illius bona, uel maiorem partem. Vndecimò, qui alterum offendit in perſona, uel in rebus. Duodecimò, ſi longa fuit inimicitia, & recens recõciliatio. Tertiodecimò, quando quis deſcendit à parentibus inimicis. Quartodecimò, quando quis commoratur, vel parentelam contraxit cum inimico capitali. Quintodecimò, quando quis eſt de familia, vel factione, alteri omnino contraria. Sextodecimò, quando etiam inimicitia contracta eſt culpa illius contra quem deponitur. c. 19. n. 24.

Inimicitia hæc contra teſtem non militat, ſi per fraudem procurata eſt, quod an ſit, Iudicis arbitrio relinquitur, uel ſi non ſit capitalis, uel contra ipſos inimicos interfuit poſt inimicitiam benè fundata reconciliatio. c.19.n.25.

Vt de inimicitia habenda ſit ratio in iudicio, probanda eſt per duos conteſtes, omni exceptione maiores. c.20.n.23.

Inquiſitoris S. Officij qualitates.

Inquiſitoris qualitates. c. 1. n. 1. Ipſe eſſe debet vitæ exemplaris. n. 2. Prudentiæ circumſpectus. n. 3. Conſtans firmiter in rei veritatem agnoſcendam. n. 4. In fidei doctrina eminentèr eruditus. n. 5. Ità virtutibus circumfultus, vt decentèr, Summum Pontificem repræſentet. n. 6. Et an exigatur vt ſit ætatis 40. annorum. n. 7.

Inquiſitoris S. Officij auctoritas.

Inquiſitoris auctoritas, in cauſis ad S. Officium ſpectantibus, maior eſt Epiſcopi ordinaria. c. 2. n. 1. & c. 3. n. 2.

Inquiſitor S. Officij eſt delegatus Summi Pontificis, eius perſonam repræſentans. c. 2. n. 1.

Iuquiſitor, & Epiſcopus, ambo inquirentes cõtra reum, tanquam delegati à Summo Pontifice, vterq; parem habet auctoritatem. c. 3. n. 2.

Quando Epiſcopus procedit, non vt delegatus, ſed auctoritate ordinaria, citatus eodem tempore ab ipſo Epiſcopo, & ab Inquiſitore, comparere debet coram Inquiſitore. c. 3. n. 2. & c. 15. n. 14.

Inquiſitorum priuilegia.

Inquiſitores poſſunt habere familiam armatã. c. 2. n. 5. Et quoties opus fuerit, poſſunt per cenſuras compellere magiſtratus ſeculares, ad præbendum pro S. Officio auxilium neceſſarium. c. 2. n. 7.

Poſſunt habere carceres particulares ad reorũ cuſtodiam. Quoad pœnam verò illas habent communes cum Epiſcopo loci. c. 2. n. 8.

Poſſunt edicta, ad S. Officium ſpectantia, promulgare, & edicta Epiſcopi confirmare. c. 2. n. 10.

Poſſunt ſtatuta contra reos S Officij interpretari, & alia condere. Sed in hoc tutius erit Supremæ S. Inquiſitionis Congregationis conſilium adhibere, vel ſaltem Epiſcopi. c. 2. n. 9. & 11.

Poſſunt contra reos S. Officij procedere ſummariè, & de plano, dummodò ad iudicium ſubſtantialia non omittant, & illorum ſententiam pronunciatam mitigare, vel aggrauare, aut commutare. c. 2. n. 12. & 18.

Poſſunt vices ſuas alijs delegare, & in officio ſibi tradito, Vicarios, ſeu Commiſſarios inſtituere. c. 2. n. 21.

Non poſſunt excommunicari, neq; à Prælatis Sedis Apoſtolicæ delegatis abſq; expreſſa Romani Pontificis facultate. c. 2. n. 27.

Poſſunt percipere integros fructus ſuarũ præbendarum, cum quotidianis diſtributionibus, etiamſi ſint abſentes. c. 2. n. 33. Et ſunt immunes ab omnibus datijs, gabellis, & gratiaminibus. n. 34.

Non comprehenduntur in prohibitione, legendi libros hæreticorum, ſed poſſunt illos legere, & retinere. c. 2. n. 23. & 24. Sed non poſſunt hanc licentiam alijs concedere. c. 2. n. 26.

Contra Inquiſitorem delinquentem, nec Epiſcopus, nec alij Inquiſitores procedere poſſunt. c. 3. n. 7. niſi in caſu manifeſtiſſimæ hæreſis. n. 8.

Conſequuntur indulgentiam plenariam, quoties laborant pro S. Inquiſitionis Officio, & in morte, ſi in proſecutione S. Officij diem obierint. c. 2. n. 34.

Poſſunt, quoties actio aliqua in fauorem fidei celebratur, conferre Clero, & populo indulgentiam viginti, vel quadraginta dierum. c. 2. n. 36.

Poſſunt etiam Inquiſitores hæreticum pœnitentem in foro externo abſoluere, & in foro conſcientiæ, quando, cauſa cognita, publicatur eius ſententia, & in vtroque foro abſoluitur. c. 2. n. 14. & 15.

Poſſunt ad ſecretam abiurationem, & ſecretã pœnitentiam hæreticos ſpontè comparentes admittere, & illos ad Confeſſarium remittere, vt ſacramentalitèr abſoluantur. c. 2. n. 16.

Inquiſitoris regularis priuilegia.

Inquiſitores regulares gaudent omnibus facultatibus, & priuilegijs ſupradictis: quia etiam ipſi ſunt in cauſis fidei delegati Summi Põtificis, & eius perſonam repræſentant. c. 2. n. 2.

In ſpectantibus ad S Officium, non ſubduntur Prælatis ſui Ordinis, ſed Supremæ Inquiſitionis Congregationi. Et ſi in his delinquẽt, ab ipſa S. Congregatione ſunt adiudicandi, & puniendi. In alijs verò delictis, poſſunt Prælati regulares, informationem contra eos recipere, non autem punire, ſed informationem ad S. Congregationem tranſmittere, vt ab ipſa puniãtur. c. 2. n. 2.

Eis debetur titulus Reuerendiſſimi Patris, & locus ſupra Vicarios Generales Epiſcoporum. c. 2. n. 3. & 4.

Eis ſubduntur, in cauſis ad S. Officium ſpectãtibus, Epiſcoporum Vicarij Generales. c. 2. n. 4.

Prælati regulares tenentur, Inquiſitoribus ſocios deſtinare ad eorum ſatisfactionem. c. 9. n. 1.

Inquiſitores liberè accedere poſſunt ad Romanam Curiam cum uno ſocio ſui Ordinis, nõ obtenta, nec petita quorumcumq; Prælatorum ſuorum licentia c. 9. n. 2.

Inquiſitor, & eius ſocius poſſunt, ſe mutuo ab excommunicatione abſoluere, & ab irregularitate diſpenſare, præterquam in tribus caſibus; quorũ primus eſt, ſi omiſerint pro-

ce-

cedere contra quem procedere debebant. Secundus, ſi prætextu S.Officij, modis illicitis pecuniam extortorſerint . Tertius ſi alicui falsò crimen hæreſis impoſuerint, aut dixerint, aliquem impediuiſſe S Officium, & reuera non impediuit. c.2.n.28 .29.& 30.

Inquiſitorum S. Officij iuriſdictio.

Inquiſitorum iuriſdictio eſt delegata à Summo Pontifice ſuper omnibus delictis , & criminibus contra fidem , etiam illorum Inquiſitorum, qui eliguntur à Generali Hyſpaniarum Inquiſitore. c.3. n.1.

Inquiſitores, vt delegati Summi Pōtificis, eius perſonam repræſentant, & vices gerunt. Et ideò eorum iuriſdictio , in dictis cauſis contra fidem , excedit iuriſdictionem ordinariā Epiſcoporum. c.3.n.2.

Eorum iuriſdictio extenditur contra omnes perſonas, de hæreſi crimine delinquentes. c.3.n.3. Pręter perſonam Summi Pontificis. n 4. Et præter Nuntios, & Officiales Apoſtolicos. n. 5. ac etiam præter Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos. n. 6.

Poſſunt procedere contra quoſcunq; Religioſos exemptos, & eorum Prælatos: Contra Generales verò tam Ordinum Regularium, quàm Militarium , non debent inquirere, inconſulta S.Congregatione. c.3.n.9.

Quamuis procedere poſſint contra omnes laicos, cuiuſcumq; dignitatis, & gradus, tutius tamen erit, inconſultò Summo Pontifice, vel Supremo Tribunali, non procedere contra Reges, Duces, Principes, Marchiones, Senatores, Magiſtratus, Conſiliarios, Gubernatores, & ſimiles, à quibus facilè Inquiſitores violenter impedirentur. c.3.n.10.

Poſſunt procedere contra omnes hæreticos, habentes errorem in intellectu cum pertinacia contra fidem. c.3. n.11. Contra baptizatos, tranſeuntes ad Iudæos, Turchas, Saracenos, Idololatras, vel ad alios infideles. n. 12. Contrà Schiſmaticos, qui ab vnitate Romanæ Eccleſiæ ſe diuiſerunt. n.13. Contra hæreticorum credentes. n.14. Receptatores. n.15. Defenſores. n. 16.& 17. Fautores n.19. 20.& 21. Quinam ſub his nominibus comprehendantur ibidem exprimitur.

Poſſunt procedere contra omnes ſuſpectos de hæreſi, & quinam iſti ſunt. c.3. n.22.

Inquiſitores an poſſint procedere, contra celebrantes bis Miſſam in eadem die, præter diē Natiuitatis Domini, abſq; vrgenti neceſſitate. c.3.n.23.

Habent iuriſdictionem , iudicandi cauſas criminales ſuorum familiarium, itaut ſi alij Iudices illos capiant, tenentur ad ipſos Inquiſitores remittere , exceptis criminibus læſæ Maieſtatis, rebellionis, & ſimilibus. c. 3. n. 23.& 24. Cauſæ autem ciuiles dictorum familiarium in aliquibus Regnis, etiam ab Inquiſitoribus cognoſcuntur; in alijs uerò ſeruanda eſt conſuetudo. c.3.n.26.

Habent iuriſdictionem , extrahendi ab Eccleſia non ſolùm hæreticos, ſed etiam de hæreſi ſuſpectos. c.3. n.27.

Poſſunt procedere contra delinquentes abſētes. n.28. Modus autem procedendi, & eos condemnandi habetur. n.29.& ſequ. Poſſunt etiam procedere ad capturam rei, qui extrà ſuam Prouinciam deliquit, ſed non ad vlteriora, niſi in crimine hæreſis. c.3.n.33. & 34. Verùm ſi Inquiſitor loci petat, reum ſibi remitti, eſt ei remittendus n.35. dummodò conſtet reum in ſuo loco deliquiſſe, & quod non deliquerit etiam vbi detinetur, & delictum ſit graue, cum alijs circumſtantijs. n. 36.

Poſſunt etiam in multis caſibus, procedere cōtra regulares apoſtatas, ſed non ob apoſtaſiam tantùm à ſtatu regulari. c.3 n.37.

Poſſunt procedere contra turpes quęſtuarios, prædicatores de rebus fidei, vel contra eos, qui prætextu indulgentiarum, eleemoſynas mendicant, vel reliquias Sanctorum vendūt, vel cum pacto aliquid recipiendum, illas oſtendunt, vel locant, aut tradunt. c.3 n.38.

Poſſunt procedere cōtra hæreticos defunctos: ſed non contra de hæreſi tantùm ſuſpectos mortuos. c.3.n.3.& 40.

Poſſunt procedere contra ſepelientes ſcienter in loco ſacro hæreticos, vel hæreticorum credentes, fautores, receptatores, & defendentes. c.3. n.42. Qui autem ueniant nomine ſepelientes. n.43.

Poſſunt procedere contra Iudæos, & infideles, negantes illa , quæ nobiſcum ſunt communia tradenda; vt Deum eſſe vnum, omnipotentem, Creatorem, æternum, & ſimilia. c.3. n.44. & 45. vel Dæmones inuocantes, aut ſacrificia offerentes, aut alia obſequia præſtantes. n. 46. Vel Chriſtianos, qui quouis modo ad ea nefaria perpetranda, attentauerint, uel docuerint. n.47. Vel Chriſtum Dominum, aut B.Virginem blaſphemauerint, aut vilipenderint, aut in eorum contumeliam, & Eccleſiæ aliquid fecerint. n.48. Vel eorum conſilio ; aut ſuaſione aliquis Chriſtianus à fide diſceſſerit. n.49. Vel quēcumq; ex Iudæis, aut infidelibus, ad fidem Chriſti venire, volentem, quocumque modo retraxerint, uel impediuerint. n.50. Vel ſi hæreticum ſcienter domi acceptauerint, aluerint, abſconderint, uel quouis modo auxilium, aut fauorem præſtiterint. n. 51. Vel libros hæreticos, Thalmudicos, aut Iudaicos,

coſ,damnatos, uel alios prohibitos retinuerint, aut diuulgauerint. n. 52. Vel Chriſtum Dominum ludibrio habuerint, aut Chriſtianos deriſerint. n. 53. Vel nutrices chriſtianas, contra Sacrorum Canonum ſtatuta, retinuerint. n. 54. Vel à Biblijs verba, quæ Chriſto conuenire poſſunt, abraſeriut, n. 55. Vel in die Sabati à Chriſtianis ignem accẽdi fecerint, & in alijs ſeruitijs vilibus illis abuſi fuerint. n. 56. Vel aliquis Iudæus ad ſectam Saracenorum tranſierit. n. 58. & 59.

Procedere etiam poſſunt contra iniuriantes ſe ipſos, quia qui eos iniuriat offendit S. Inquiſitionis officium. c. 3. n. 60.

Inquiſitorum iuriſdictioni ſubduntur etiam omnes Regulares, de hæreſi ſuſpectos. c. 3. n. 61.

Inquiſitoris iuriſdictio nõ expirat ob mortem concedentis. c. 3. n. 64.

Inquiſitoris iuriſdictio non expirat poſt rei sẽtentiam pronunciatam. c. 12. n. 17.

Rei pœnitentes, durante pœnitentię tempore, iuriſdictioni Inquiſitorum ſubduntur, ſi pœnitentias non ſeruant, vel è carcere fugiant. c. 12. n. 18.

Si plures Inquiſitores pro una Prouincia eligantur, poſſunt ſimùl, & ſeparatìm iuriſdictionem exercere. c. 12. n. 19.

Inquiſitoris iuriſdictio ſimul cum Epiſcopo.

Inquiſitorum iuriſdictio non eſt priuatiuè, ſed cumulatiuè cũ Epiſcopis. c. 3. n. 62. In Hyſpania verò Inquiſitores ſoli de hæreſi cognoſcunt. n. 63.

Inquiſitores ſine Epiſcopis, & Epiſcopi ſine Inquiſitoribus poſſunt, denunciationes contra reos recipere, teſtes examinare, ipſos reos capere, & captos in compedibus ponere, & contra eos inquirere. c. 12. n. 20.

Quando Inquiſitor, & Epiſcopus diuiſim procedunt, & diſtinctum formant contra reum proceſſum, tenentur ſibi inuicem communicare proceſſus, quando vnus non poteſt, cõmodè procedere, niſi viſo alterius proceſſu, & poſtulat ſibi oſtendi. c. 12. n. 21.

Non poteſt Epiſcopus ſine Inquiſitore, nec Inquiſitor ſine Epiſcopo, vel eius Vicario, vel ſine Delegato Capituli Sede vacante. Primo ſententiam torturæ contra reum pronunciare. Et ità ſeruatur etiam in Hyſpania. c. 12. n. 22. Secundò neq; poſſunt diuiſim, ſentẽtiam definitiuam proferre, nec ad carceris pœnam damnare. n. 23. Tertiò neque priuare reum beneficijs, & dignitatibus Eccleſiaſticis, antea poſſeſſis. n. 24. Quartò neq; vehementer de hæreſi ſuſpectum, ad abiurandum cogere. n. 25.

Si Epiſcopus ſine Inquiſitore, vel Inquiſitor ſine Epiſcopo, ſententiam torturæ contra reum proferret, & ille in tortura ſuum delictum confiteretur, & ratificaret, ipſa cõfeſſio, & ratificatio eſſet nullitèr facta. c. 12. n. 22. Et ſimilitèr ſupradictæ aliæ ſententię ex Clement. 1. *de hæreticis*. n. 23. & 26.

Si Epiſcopus ſine Inquiſitore, vel econtra, reũ vehementer de hæreſi ſuſpectum, ad abiurandum cogeret, non maneret ille ſubiectus pœnæ relapſi. c. 12. n. 26.

In cauſis lamiarum Inquiſitores procedere poſſunt ſoli, ſine Epiſcopis, ob priuilegium Alexandri VI. c. 12. n. 27.

Poſſunt etiam, ſine Epiſcopis abſolutoriam rei ſententiam proferre. Sed tutius in praxi eſt, vnum ſine altero ad illam non deuenire. In Hyſpania verò Inquiſitores ſine Epiſcopo illam ferunt. c. 12. n. 28.

Antequam ad torturam, & definitiuam ſentẽtiam deueniatur, tenentur Epiſcopus, & Inquiſitor, ſe inuicem requirere, & per octo dies requiſitum expectare, quibus elapſis, ſi non conuenerit, nec ſubſtituerit, nec aſſensũ miſerit; tunc requirens, ad expeditionẽ cauſæ poterit ſolus procedere. c. 12. n. 29.

Neque Epiſcopus ſolus, neq; ſolus Inquiſitor, poteſt mitigare, vel mutare pœnam delinquenti impoſitam, ſed ſolùm vtroque conſentiente. c. 12. n. 30.

Diſſentientibus Epiſcopo, & Inquiſitore, tam in ſententia definitiua, quàm in interlocutoria, recurrendum eſt ad Supremum S. Inquiſitionis Tribunal. c. 12. n. 31.

Grauiſſimè peccant, qui vel ob negligentiam ſtudendi, vel ob aliam cauſam, occaſionem præbent, ne Epiſcopus, & Inquiſitor in ferendis ſententijs ſint concordes. c. 12. n. 32.

Sede uacante, Vicarius Generalis electus, eſt Iudex ordinarius, ſimul cum Inquiſitione, in ſententijs ferendis. c. 12. n. 33.

Citatus ab Inquiſitore, & ab Epiſcopo, cui cõparere prius debeat, vide verb. Citatiò iudicialis.

Inquiſitor quoad Iudicem laicum.

Inquiſitor poteſt Iudicem laicum cogere, vt ſibi remittat maleficam, vel ſortilegum carceratum cum ſuo proceſſu, & ſcripturis, vt de illius maleficijs, vel ſortilegijs iudicet, & puniat. c. 12. n. 3.

Malefica, capta à Iudice laico ob cõmmiſſum infanticidium, aut aliud delictũ ſeculare, eſt ab Inquiſitoribus iudicanda prius de delicto hæreſim ſapiente, & poſtea Iudici ſeculari reſtituenda, vt de alijs delictis illam puniat. c. 12. n. 4.

Magiſtratus ſecularis poteſt cogi ab Inquiſitoribus, ad exhibendos reos de hæreſi ſuſpectos, ſed non poteſt Inquiſitores cogere, ad exhi-

exhibendos reos de hæreſi non ſuſpectos. c.12. n.5.
Exhibita à Iudice ſeculari malefica, vel ſortilego Inquiſitoribus, poteſt ipſe Iudex ſecularis procedere ad capiendam informationē aliorum illius rei delictorum. c.12. n.6.
Reus condemnatus ab Inquiſitore ad carcerē, vel ad triremes, eſt reſtituendus Iudici ſeculari, vt pro alijs delictis illum iudicet. c.12. n. 7.
Iudex laicus reperiens in rei tortura, illum penès ſe retinere ſortilegium taciturnitatis, ad non ſentiendos tormenti dolores, & cōmiſſum delictum tacendum, tenetur ad Inquiſitores illum remittere, vt ab ipſis prius de ſortilegio iudicetur, & puniatur. c.12. n.8. etiam ſi tantùm dubitetur, an ſortilegium hæreſim ſapiat. n.9. Et reſpondetur ad oppoſita. n.10. 11. & 12.
Retinens ſchedulam, continētem ſortilegium, eſt ſuſpectus de illius vſu, & etiamſi in tortura neget talem vſum, adhùc eſt de hæreſi ſuſpectus. c.12. n.14. & 15.
Inquiſitores permittere non poſſunt, abſque Summi Pontificis conceſſione, vt Iudices laici ſecum aſſiſtant in cauſis fidei. c. 12. n. 16.
Inquiſitores poſſunt, per cenſuras compellere Iudices laicos, negligentes exequi eorum ſententiam contra reum, vt eam executioni mandent. c.12. n.34. Neque ex hoc incurrunt irregularitatem. n.35.

Inquiſitoris ab officio ſuo remotio.

Inquiſitores olim remoueri poterant, & de loco ad locum transferri, non ſolùm à Summo Pontifice, ſed à Generalibus, & Prouincialibus S. Dominici, & S.Franciſci. Hodie verò in Italia, vel à Summo Pontifice, vel à Suprema S. Officij Congregatione. In Hiſpania ab Inquiſitore Generali. c.3. n.65.
Cauſæ, ob quas transferri poteſt de loco ad locum ſunt, quia negotia fidei in aliquo loco peragenda indigent, vt ab aptiori Miniſtro exerceantur: vel quia proceſſit contra nobiles, & inſignes perſonas, & ſuſcitatæ ſunt contra eum rixæ, & odia; Vel quia non benè ſe habet cum illius loci Principe. c. 3. n. 66.
Cauſæ, ob quas remoueri debent ſunt impotētia, uel negligentia, vel iniquitas. Impotens dicitur infirmus morbo perpetuo, vel quaſi: Senex, qui rectum iudicium ad iudicandum amiſit, & ignarus, qui hoc officium exercere neſciat. Negligens, qui contra hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, vel non procedit, uel non tempore debito. Iniquus, qui prætextu S.Officij pecuniam, vel aliquid pretio æſtimabile extorſit. c.3. n.67.
Inquiſitor pecuniam, ſub prætextu S. Officij extorquens, incurrit pœnam excommunicationis ipſo facto, à qua abſolui nō poteſt, niſi in articulo mortis, & priuationis officij, & alias pœnas arbitrio ſuorum Prælatorum. c.3. n 68. & 69.
Prælati non punientes talem Inquiſitorem, ſunt, ex præcepto, S.Sedi Apoſtolicæ denūciandi. c. 30. n.70. & 71.
Inquiſitor, cui ſpontè aliquod munus offertur, & illud recipit, non incurrit dictam excōmunicationem. c.3. n.72. Si uerò pecuniam, vel quid ſimile extorqueret, ſed non prætextu S.Officij, peccaret mortalitèr, ſed non incurreret dictam excommunicationem.
Ab hac excommunicatione, non poteſt quis abſolui, niſi facta reſtitutione, ſed ea impleta, non eſt amplius abſolutio reſeruata. c.3. n.75. Quod ſi reſtitutio ob inopiam fieri non poſſet, non eſſet ei neganda abſolutio. n.76.
Inquiſitor non procedens, quando debet contra inquiſitos in S.Officio, incurrit excommunicationis pœnam Summo Pontifici reſeruatā. Et cùm poſsit, omittens eos capere, & punire, cenſetur eorum fautor. c.3. n.77. 78. & 79. Verùm ſi omiſerit, procedere cōtra aliquem, non odij, vel amoris, uel lucri cauſa, ſed ob uitanda peiora ſcandala, non incurreret excommunicationem, & alias pœnas. n.80.
Inquiſitor, an poſſit, ut ſuſpectus à reo recuſari, & ob quam cauſam. Vide Appellare, & Suſpicio Inquiſitoris.

Irregularitas.

Inquiſitor, & eius ſocius poſſunt, ſe mutuo in irregularitate diſpēſare. c.2. n.28. & 30. Sed non poſſunt alijs diſpenſare in irregularitate, contracta ob hæreſim occultam. c. 2. n. 32.
Abiurans, tanquam de hæreſi ſuſpectus de leui, vel etiam de uehementi, non fit irregularis, ſed poteſt exercere ordines ſuſceptos. c.25. n.79.
In irregularitatem quis incurrit, etiam ob hæreſim occultam, quæ durat donec pœnitentiam egerit. Et poſt peractam pœnitētiam, ei diſpenſari poteſt, vt in ſuſceptis ordinibus miniſtret, non autem vt ad ſuperiores aſcendat. Et ſi nullum ordinem habeat, ad illos ordinari non debet, neque ad primam tonſuram, niſi ob urgētem neceſſitatem, aut in euidentem Eccleſiæ utilitatem. Et ab hac irregularitate ſolus Sūmus Pontifex diſpenſare poteſt. c.26. n.6. & c.29. n.1.2. & 3.
Qui coactè fidem exterius, ſed non interius abnegat non fit irregularis. Sed ſi non coactè, ſed ſpontè, vel ex metu, & publicè fidem exterius,

terius,

terius, ſed non interius abnegat, fit irregularis. c.29. n.4. & 5.
Sortilegus, qui fictè, & occultè, fidem exterius abnegat, ſed non interius, an fiat irregularis, alij affirmant, alij verò negant. c. 29. n.4 & 5.
Fautores, & defenſores ſortilegi hæretici, aliqui affirmant fieri irregulares, alij negant. c.29. n.6.
Suſpecti tantùm de hæreſi ſunt irregulares ſecundùm quid, ideſt vſquequò non purgauerint hæreſis ſuſpicionem; ſed iſta purgata, etiam per abiurationem de vehementi, non manent irregulares. c.29. n. 7.
Filij, & nepotes patris hæretici ſunt irregulares: ſed matris hæreticæ tantùm filij, non nepotes. c.29. n.8.
Filij nati, antequam parentes inciderent in peccatum hæreſis, iuxtà probabiliorem, & vſu receptam ſententiam, ſunt irregulares. c.29. n. 9.
Filij parentis hæretici pœnitentis, & emendati non ſunt irregulares. c.29. n.10.
Filij parentis hæretici relapſi pœnitentis, ſecundum communiorem ſententiam, ſunt irregulares. c. 29 n.11. & 12.
Filij denunciantes parentem magum, aut ſortilegum hæreticum, euadunt pœnam irregularitatis. c.29. n.13.
Filij parentis hæretici, vt irregularitatem incurrant ſufficit: vt parentis hæreſis conſtet, ſiue per euidentiam facti, ſiue per propriam in iudicio confeſſionem, ſiue per Inquiſitorum ſententiam. c.29. n.14.
Filij catholici illorum hæreticorum, qui ſunt permixti cum catholicis, vt in Germania, Anglia, & locis ſimilibus, per hæreſim paternam non fiunt irregulares. c.29. n.15.
Filij, & nepotes ad ordines promoti antequam eorum pater in hæreſim incideret, vel ante illius hæreſim declarationem, aut notorietatem, non priuantur vſu ſuſcepti ordinis, ſed non admittuntur ad ordines ſuperiores aſcendere. c.29. n.16 & n.23.
Filij, & nepotes Iudæorum, & Paganorū Chriſtiani, ſi ſint baptizati à natiuitate, vel ante vſum rationis non ſunt irregulares, & poſſunt ad ordines ſuſcipiendos, admitti. c.29. n.17. Si autem ſint baptizati in adulta ætate, non poſſunt ad ordines promoueri, niſi diu Chriſtianam legem profeſſi ſint, & ab Epiſcopo cogniti, in fide benè inſtructi. n. 18.
Determinare, quando cenſendi ſunt benè in fide inſtructi Epiſcopo remittitur, nec per ordinum ſuſceptionem requiritur Summi Pontificis diſpenſatio. c. 29. n.19. & 20.
Pater non fit irregularis propter filij hæreſim. c.29. n.21.
A ſupradicta irregularitate ſolus Summus Pōtifex poteſt diſpenſare. c.29. n.22. & 23. & ſimiliter quoad Sacerdotij exercitium, ſi quis poſt ordines ſuſceptos, in hæreſim incidat. n. 24.
Ab irregularitate ob hæreſim occultam contracta, probabilius eſt, poſſe Epiſcopum diſpenſare. c.29. n.25 26. & 27.
Qui in carceres, abbreuiantes vitam reos pœnitentes deponeret, non euaderet irregularitatem. c.31. n.3.
Relapſus pœnitens, & Eccleſiæ reconciliatus manet irregularis, non autem eius filij, & nepotes. c.34. n.24.
Iudæi.
Iudæi in nonnullis caſibus ſubduntur Inquiſitoribus, & ab eis puniuntur. c.3. n.44. vſque ad 59. & c.25. n.107.
Iudæi ſunt idonei teſtes contrà Chriſtianum tranſeuntem, vel redeuntem, ad iudaiſmum. c.19. n.15.
Iudæi, quando admittuntur in teſtes, debent iurare ſuper legem Moyſis; & infidelis ſecūdùm leges ſuas. c.19. n.16.
Iudæi, retinentes libros prohibitos, incidunt in eaſdem pœnas Chriſtianorum, & ab Inquiſitoribus puniri poſſunt. c.22. n.59.
Iudæi, & Mauri, & cæteri infideles, ſortilegia, vel alia hæreticalia committentes, ſunt cogendi ab Inquiſitoribus ad abiurandum. c.25. n. 107.
Forma abiurationis notatur. n.108.
Iudex laicus.
Vide Inquiſitor quoad Iudices laicos.
Iudex laicus, reperiens reum in tortura, retinere ſortilegium taciturnitatis, vt tormenta ſine dolore ſuſtineat, & veritatem delicti nō fateatur, non poteſt de hoc crimine illum iudicare, & punire. c.12. n.8.
Iudex laicus poteſt mandare, vt rei corpus abradatur, & lauetur, ne in illis pilis lateat maleficium taciturnitatis, vel in aliqua corporis vnctione. c.12. n.13.
Iudex, examinando reum, debet ei ſtatum proceſſus, & quod ipſe iuridicè procedit, notificare. c.21. n.3.
Iudex, vt legitimè reum interroget, quid requiritur. c.21. n.16. Debet etiam conſtare de corpore delicti. c. 21. n. 21. Non poteſt vti interrogatorijs ſuggeſtiuis. c.21. n.29.
Iudex laicus tenetur Inquiſitorum ſententiam exequi, & reum intra ſex dies pœna mortis punire. c.24. n.69. & 70.
Iudex laicus non poteſt examinare cauſam condemnati ab Inquiſitoribus. c.24. n.70. & 71.
Iudex laicus, agnoſcens euidenter, condemnatum ab Epiſcopo, & Inquiſitore, eſſe innocen-

centem, debet illos rogare, vt ab onere exequendi eorum ſententiam,ipſum abſoluant. c.24. n.72.

Iudex laicus differens pluſquam per ſex dies ſententiam Inquiſitorum exequi, poteſt ab illis cogi, ſub pœna excommunicationis,& alijs arbitrarijs,ad illam exequendam.c.24. n. 73.

Iudex laicus poteſt procedere contra blaſphemum non hæreticaliter,& in hoc crimine datur præuentio inter ipſum,& Iudicem Eccleſiaſticum. c.25.n.55.

L

Lectio Bullarum Apoſtolicarum.

NOn obſeruantes decretum Vrbani VIII. legendi Bullas ad S.Officium ſpectantes incurrunt pœnam priuationis officiorum, & vocis actuæ, & paſſiuæ. c.35. n.10.

Tempus præfixum ad legendas dictas Bullas poteſt aliquantulum anticipari,& poſponi. c. 5. n.11

An ſatisfaceret ſuę obligationi Superior ſi verbis, vel per ſchedulam ſubditos admoneret de contentis in dictis Bullis. c.35.n.12.

Si in aliquo Monaſterio adeſſet Generalis, vel Prouincialis cum Superiore locali, & non fuiſſent lectæ dictæ Bullæ,pœnam incurreret ſolus Superior localis. c.35. n.15.

Ignorantia,inaduertentia,obliuio,& negligentia excuſare poſſunt Superiorē à ſupradicta pœna.c.35.n.14 Vide Ignorantia.

Subditus tenetur ſub mortali monere Superiorem de tempore legendi dictas Bullas. c.35. n.18.

Libri prohibiti lectio, vel retentio.

Inquiſitores non comprehenduntur in prohibitione legendi, ac retinendi libros hæreticorum,quamuis alij hoc negent. c.2. n.23. & 24.

Inquiſitorum Vicarij, & Commiſſarij huiuſmodi libros, nec legere,nec retinere poſsūt, niſi ſint,auctoritate Sedis Apoſtolicæ,creati. c.2. n.25 & 26.

Inquiſitores facultatem non habent concedendi licentiam,legēdi,vel retinendi libros prohibitos. c.2.n.26.

Libros ſortilegia continentes, retinere, eſt indicium ad torturam, & ſi retentor eſt malæ famæ, eſt de hæreſi vehementer ſuſpectus. c.22.n.57. Sed in hac librorum retentione habenda eſt ratio perſonarum,& librorum. n. 58.

Iudæi, Chriſtianorum ſubditi, retinētes libros prohibitos, incidunt in eaſdē pœnas Chriſtianorum, & ab Inquiſitoribus puniri poſſunt. c.22. n.59.

Retinentes libros ſortilegos, aut hæreticos, & alios prohibitos,aliquando abiurare debent de vehementi,aliquando de leui,& aliquando ab abiuratione excuſantur. c.25. n.25. & 26.

Quinam dicuntur libri de religione tractātes. c.28.n.31.

Deferens Inquiſitori librum prohibitum, nō poteſt tuta conſcientia, ab illo lacerare aliquas paginas,ne ipſe Inquiſitor illo vti poſſit.c.28.n.42.

Legentes, vel retinentes libros, ac ſcripturas, hæreſim, vel magicas ſuperſtitiones continentes,ſunt ipſo facto excommunicati.c.28. n. 1. Quid requiratur ad incurrendam hanc excommunicationem. n.2.

Cauſæ,quæ excuſant legentes, vel retinentes libros vetitos ab excommunicatione.

Quælibet ignorantia excuſat in foro interiori ab hac excommunicatione,ſecùs in foro exteriori. c.28.n.3.& 4.

Qui audit alium legentem librum hæreſim,vel hæreticalia continentem, non incidit in dictam excommunicationem. c.28.n.5.

Audiens, qui eſt legendi cauſa,an incidat in dictam excommunicationem, aliqui affirmant,alij verò negant.c.28 n.6.& 7.

Afficiuntur hac excommunicatione, tam qui oculis tantùm, & non verbis legit, quàm qui non ex praua intentione, ſed ex curioſitate c.28. n.8. & 9.

Legens, ac retinens vetitos libros abſq; licentia,& abſque periculo peruerſionis, non excuſatur ab excommunicatione,& neque excuſatur,qui illos legit abſque licentia,ad cōfutandum eorum errores, quamuis aliqui contrarium ſentiant. c.28.n.10.& 11.

Qui repertus eſt, retinere in ſua domo libros prohibitos, ad eorum errores confutandos, eſt abſoluendus ab excommunicatione, & puniendus, ſed non eſt ad torturam, nec ad abiurationem condemnandus. c.28.n.12.

Linguam latinam ignorans, & legens librum linguæ latinæ prohibitum,non afficitur excommunicatione. c.28. n.13.

Catholici,qui in Anglia,Germania, Polonia, Gallia,& locis ſimilibus legunt, vel retinent libros de religione tractantes, vel hæreſim, & ſortilegia continentes,non incurrunt excommunicationem in illis locis, vbi Bulla Cœnæ non eſt promulgata,nec vſu recepta. c.28. n.14.

Legens, vel retinens librum manu ſcriptum, vel alia ſcripta,continētia hæreſim,aut ſortilegia,excommunicationem incurrit.c. 28. n. 15.

Legens,vel retinens libros prohibitos,quando

ſit

ſit de hæreſi vehementèr ſuſpectus, & quando de leui. c.28.n.16.
Retinentes ſcientèr libros vetitos, & illos non legentes, ſiue in propria, ſiue in aliena domo; ſiue ſuo, ſiue allerius nomine, ſiue ad ornatum bibliothecæ, ſiue ad illos cũ libris catholicis permutandos; ſiue ad illos vendẽdos, vel ad eos compaginandos, omnes illi excommunicatione afficiuntur. c.28.n.17. 18. & 19.
Aromatarij, & ſimiles, qui retinent hos libros, vt eorum chartis vtantur, ad inuoluenda ea, quæ vendunt, etiamſi ſcientèr eos retineant, non incurrunt excommunicationem. c.28.n.20.
Deferentes hos libros à locis de hęreſi infectis, in terras fidelium, præter excommunicatiotionem, alijs pœnis ſubduntur arbitrio Inquiſitorum. c.28. n.21.
Catholicus, exiſtens in terris hæreticorum, emens aliquem ex his libris, vt illum tranſmittat, ad habentem licentiam retinendi, & legendi, non afficitur excommunicatione. ibid.
Legentes, vel retinentes, vel aſportantes librũ vetitum, ſiue magnum, ſiue paruum, ſiue integrum, ſiue partem, excommunicationem incurrit. c.28.n.22.
Legens præfationem, vel epiſtolam ad lectorem, vel indicem libri prohibiti, non excuſatur ab excommunicatione. Et idem dicẽdum de manuſcriptis. c.28.n.22.
Paruitas materiæ, tam in lectione, quàm in retentione libri prohibiti, excuſat ab excommunicatione. c.28. n.23. & 26.
Quænam dicenda ſit hæc paruitas materiæ. n.24. & 25.
Damnato libri auctore, tanquam hæretico, cenſetur damnatus eius liber, & illum legens, aut retinens, eſt excõmunicatus. c.28. n.26. Sed ſi auctor libri non ſit hæreticus, ad incurrendam excommunicationem, ſufficit, vt liber hæreſim contineat. n.27.
Legens, vel retinens librum catholici, in quo ſunt ad verbum inſerti errores alicuius hæretici, non afficitur dicta excommunicatione. c.28.n.28. Et idem dicendum, ſi in libro auctoris catholici, ſint aliquæ hæreſes ignorantèr dictæ, dummodò adhuc non ſit prohibitus. ibid.
Neq; incurrit excommunicationem legens, vel retinens, vel imprimens librum catholici, in quo ſunt annotationes, & ſcholia hęreticorum. c.28. n.28.
Legens, vel retinens, aut imprimens, ac etiam defendens librum hęretici, nec hęreſim continentem, nec de religione tractantem, non incurrit excommunicationem; ſecùs verò ſi vnam tantùm hęreſim contineret, ita ut neque iſta relicta, librum legere poſſit. c. 28. n.29. & 30.
Libri de humanis literis, de Philoſophia, de Medicina, de Lege ciuili, de prophanis hiſtorijs, & ſimilibus, in quibus nulla eſt hæreſis inſerta, non ſunt prohibiti, licet nomen auctoris ſit hæretici. c.28.n.32.
Legens, uel retinens, aut imprimens libros infidelium, non incurrit excommunicationẽ. c.28.n.33.
Legentes, vel retinentes libros Gręcorum, & Armenorum continentes eorum ritus: alij affirmant, alij verò negant incurrere excõmunicationem. c.28.n.33.
Legens libros prohibitos, non ob hęreſim, ſed quia continent turpia, & ſunt contra bonos mores, peccat mortalitèr, & eſt ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore puniendus. c.28.n.34. & 35.
Habens libros prohibitos, & illos tradens facultatem habenti, eos retinendi: alij affirmant, quod incurrit excommunicationem, alij verò negant. c.28. n.36.
Seruus retinens librum uetitum iuſſu Domini ſui, habentis licentiam, illum legendi, uel retinendi, non incurrit excommunicationem, & ſimilitèr, qui illum retinet, vt liget Domino, licentiam legendi habenti. c. 28. n. 36.
Habens librum prohibitum, tenetur illum deferre Epiſcopo, vel Inquiſitori, ſed ſi illum comburit propria auctoritate, non incurrit excommunicationem. c.28. n.38. 39 40. & 41.
Qui antequam liber prohibeatur, illum compendiauit, non poteſt poſt illius prohibitionem, compendium illud manuſcriptum, legere, uel retinere, alias in eandem excommunicationem incidet. c.28.n.43.
Nomine imprimentium libros vetitos, ven iũt: qui librum imprimi mandat: Dominus typographiæ, cuius auctoritate liber imprimitur: qui typos ordinant, & componunt: qui ſic compoſitos attingunt atramẽto: qui torcularia præmunt, chartas madefaciunt, aut madefactas torculari ſupponunt. Omnes iſti dicuntur imprimentes libros uetitos, & excommunicationem incurrunt, quam etiã incurrunt Correctores. c.28. n.44. & 45.
Facientes impreſſionis expenſas, alij ſuſtinent excommunicationem incurrere, alij negãt. c.28. n.45.
Vendentes characteres, papyrum, atramentũ, & ſimilia imprimentibus libros vetitos, non incurrunt excommunicationem. c.28.n.46.
Quinam comprehendũtur, ſub nomine defendentium libros uetitos, qui etiam incidunt

in excommunicationem Bullæ Cœnę.c.28. n.47.

Omnes licentiæ, legendi libros prohibitos,reuocatæ ſunt per Bullas Greg.XV. & Vrbani VIII.c.28. n.49.

An in reuocatione dictarum licētiarum compręhendatur priuilegium, concedendi has licentias. c.28.n.50.51.& 52.

Excommunicationis abſolutio legentium, vel retinentium,aut defendentium libros de hęreſi,vel de Religione tractantes,eſt Summo Pontifici reſeruata. c.28.n.53.

Excōmunicationis abſolutio legentium ſcientèr libros,continentes diuinationes,ſortilegia, & ſimilia, non eſt Summo Pontifici reſeruata: ſed reſeruari ſolet ab Epiſcopis, & Inquiſitoribus. c.28. n.53.

Confeſſarius abſoluens abſq; ſpeciali facultate legentem, vel retinentem libros de hæreſi, uel de Religione tractantes,pœnam excommunicationis incurrit.

Legentes, uel retinentes libros hæreticos, an poſſint abſolui tēpore Iubilei, aliqui negāt, ſed probabilius alij affirmant, dummodò errorem non habuerint in intellectu. c. 28. n. 55.

Regulares legentes, aut retinētes libros continentes ſortilegia hæreticalia,vel alios prohibitos præter pœnā excommunicationis, alijs etiam pœnis puniri poſſunt ab Inquiſitoribus. c.35.n.19.

M

Maleficium.

QVi tractauit maleficio aliquem occidere, ſed maleficus non peruenit ad actum tribuendi maleficium, non eſt tradēdus Curiæ ſeculari, ſed pœna extraordinaria,puniendus c. 30. n.22.

Qui conſummauit delictum, & præbuit maleficium ad mortem, ſed maleficiatus, mortuus non fuit, an ſit tradendus Curiæ ſeculari, vel pœna extraordinaria plectendus. c. 30.n.23. & 24.

Mandans.

Mandans maleficium, uel ſortilegium, uel diuinationem, & ſimilia, peccat mortalitèr, ſed non incurrit excommunicationē mandatarij. c.27.n.9.

Cenſura, lata contra committentem aliquod delictum, non ligat mandantem,nec conſulētem, niſi in cenſura exprimatur. c.27.n.9.

Mandās homicidium proditorium gaudet Eccleſiæ immunitate,quam non gaudet mandatarius. c.27. n.10.

Mandans,vel conſulens mutilationem, vel homicidium in Eccleſia, etiamſi illud mandet intra Eccleſiam, non priuatur Eccleſię immunitate. c.27. n.11.

Mandans Confeſſario, vt pro ſe ſolicitet in confeſsione pœnitentem,non incurrit excōmunicationem,& tamen illam incurrit Cōfeſſarius. c.27. n.12.

Mandans,uel conſulens maleficium,uel ſortilegium, quando in edicto Epiſcopi, vel Inquiſitoris, etiam mandantes, & conſulentes comprehenduntur,vtiq;incurrit excommunicationem. c.2.n.14.

Mandans maleficium,uel ſortilegium,cognoſcendus, & puniendus eſt à Tribunali S. Inquiſitionis. c.2.n.16.

Mandatarius.

Mandatarius, qui ad actum proximum homicidij deuenit,etiam morte offenſi non ſecuta,mortis pœna punitur. c.30.n.23.

Metus.

Metus excludit conſenſum,& cauſat inuoluntarium,& includit ignorantiam.c.20.n.38.

Metus etiam mortis,cadens in conſtantem virum,quamuis diminuat culpam,illam,tamē à mortali non excuſat,quādo res eſt intrinſecè ma'a. c.20.n.40.

Qui ob metum grauem,ſibi præſtitum in hæreſim incidit,non præſumitur, habuiſſe in intellectu errorem contra fidem, ſed fuiſſe non formalitèr,& intrinſecè, ſed materialitèr,& extrinſecè hæreticum. c.20.n.38.

Ob metum in hæreſim delinquens,vt grauius, vel mitius puniatur, attendi debet qualitas metus incuſſi,& qualitas ipſius delinquētis. c.20.n.39.

Miniſtri S. Inquiſitionis.

Miniſtri S.Inquiſitionis,nempè Notarij, Scriptores, Aduocati, Procuratores, Fiſcales, Conſultores, carcerum Cuſtodes; non poſſunt excommunicari abſq; ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia. c.2.n.27.

Miniſtris S. Inquiſitionis abſentibus debentur præbendæ, & diſtributiones quotidianę ac ſi eſſent præſentes.c 2.n.33.

Miniſtri S.Inquiſitionis,quando pro S.Officio laborant, lucrantur indulgētiam trium annorum,& in morte plenariam. c.2. n.35.

Miniſtri S.Inquiſitionis ſunt immunes ab omnibus datijs, gabellis, & ſimilibus oneribus. c.2. n.34.

Miniſtri S.Inquiſitionis poſſunt arma deferre ad eorum defenſionem. c.10.n.3.

Minor.

Minor, qui habet annum vigeſimum, eſt teſtis idoneus, & poteſt in omnibus cauſis criminalibus recipi, & cogi, ad teſtificandum. c.19. n.22.

Minor annis 20. & maior 14. in cauſis criminalibus non ſemper admittitur,ſed in cauſis

ad

ad S. Officium ſpectantibus,admitti poteſt, & cogi,ad teſtificaudum. c.19.n.22.

Minor 14.& habens ſaltèm annos decem cum dimidio, licet non admittatur, ad probandum, niſi eius dictũ ſit adminiculatum alijs præſumptionibus, & cõiecturis,admittitur tamen ad veritatem inquirendam. In cauſis verò S.Officij admittitur, & cogi poteſt,ad teſtificandum. c.19.n. 22.

Infans ſi ſit ſupra ſeptimum annum,& doli capax, ex eius qualitate, & modo dicendi, arbitrari poſſunt Inquiſitores,an ſit examinãdus. c.19.n.22.

Minores delinquentes in cauſis, quæ ad S.Officium ſpectant, ſunt mitius puniendi, & ſi corrigi parati ſint,mitiſſimè ſunt tractandi. c.20.n. 34. non tamen omninò impuniti dimittendi. n.35.

Qui in minori ætate in hæreſim incidit, & in illa perſeuerat in maiori ætate, non eſt mitius puniendus. c.20. n.36.

Minori 25.annis, inquiſito in Tribunali S. Officij,dandus omninò eſt Curator, vt eum defendat. c.21.n.31.

Minoris confeſſio ſine Curatore, etiam iuramento firmata,ei nocere non debet. c.21. n. 32.

Minor cogi non poteſt, vt ſibi nominet in Curatorem aliquem de Miniſtris S.Officij,neq; ipſe poteſt ſibi nominare, ad hoc munus exercendum,proprium parentem. c.21. n. 33.

Minores annis 14.an ſint torquendi, aliqui affirmant cum certis conditionibus. Alij verò tutius negant: ſed eſſe terrendos, & verberandos. c.23.n.17.& 18.

Minor annis 25. vt legitimè torqueri poſſit, dandus ei eſt Curator, vt illum defendat, an ſit torquendus. c.23.n.23.

Miſſa.

Miſſam bis in eodem die celebrans abſque vrgenti cauſa,prẹter diem Natiuitatis Domini,an ſit de hẹreſi ſuſpectus. c.3.n.23.

MIſſam bis in eodem die celebrari poteſt prẹter diem Natiuitatis Domini.Primò,quando vnus Sacerdos præficitur Parochus duabus Eccleſijs,nec habet coadiutorem. Secũdò, quando communicandus eſt per viaticũ morti proximus, & nulla adeſt particula conſecrata. Tertiò, quando in locis eſt raritas magna Sacerdotum,& difficultas celebrandi Miſſas,vt E.g.in Anglia licet Sacerdoti pluſquam ſemel celebrare, & toties, quoties neceſſitas eodem die occurrat;dummodò Sacerdos ieiunus celebret, nec purificationem ſumat. c.3.n. 23.

N

Nepotes.

NEpotes deſcendentes ex linea paterna, priuantur ipſo iure beneficijs Eccleſiaſticis, & ſunt ad alia obtinenda inhabiles ob hæreſim paternam, non autem ob hæreſim maternam.c 34.n.14.15.& 16.

Nepotes. Vide Filius.

Notarij, ſeu Cancellarij Inquiſitorum S. Officij.

Notarj S.Inquiſitionis. Vide Miniſtri S.Inquiſitionis.

Notarij, ſeu Cancellarij S.Officij Inquiſitorũ, eligi poſſunt, non ſolùm ab Epiſcopis, ſed etiam ab Inquiſitoribus, & eorum Vicarijs, ſeu Commiſſarijs. c.8. n.1. Vt autem hæc electio ſit valida, requiritur, vt Epiſcopus, vel Inquiſitor coram alio Notario, & adhibitis teſtibus, & alia vt moris eſt illũ eligat addito ſolemni iuramento, de fideliter exercendo ſuum officium,& de ſilentio ſeruãdo. c.8 n 2.

Notarij S. Officij eſſe poſſunt nedùm Clerici ſeculares,ſed etiam Religioſi,qui ſi in ſeculo Notarij fuerunt,poſſunt compelli ab Inquiſitoribus,ad exercendum hoc officium, in cauſis ad fidem ſpectantibus. c.8. n.3.

Notarius,qui in ſui creatione iurauerat,fideliter ſuum officium exercere,tenetur,quando eligitur ab Inquiſitore,iterum iuramentum præſtare,de officio fideliter exercendo,& de ſecreto ſeruando,ſub pœna periurij,& excõmunicationis. c 8. n 4.

Notarij munus eſt diligenter, ac fideliter acta S. Tribunalis ſcribere, denunciationes recipere,in teſtium,& reorũ examine, tam quæ contra, quàm quæ in defenſionem reorum fideliter notare, & alia. c.8.n.5.

Notarijs ſalarium ſtabiliri ſolet ab Inquiſitoribus, ex redditibus S. Tribunalis, nec poteſt excedere taxam Supremæ S.Cõgregationis. Si autem eis non ſit ſtabilitum,an poſſint illud exigere ab inquiſitis, alij affirmant, alij omninò negant. c.8.n.6.

Notarij præſtantes conſilium, auxilium, vel fauorem inquiſitis in S.Officio, puniuntur pœna perpetuæ infamiæ, & priuationis officij.c.8.n.7. Et tanquam de hæreſi vehemẽter ſuſpecti. n.10.

Si teſtis neget depoſuiſſe, prout Notarius ſcripſit,credendum eſt magis Notario, quàm teſti, ſi iſte fuit examinatus coram Inquiſitore,vel ſuum examen ei lectum fuit,& illud ſubſcripſit,vel,neſciens ſcribere, ſigno crucis ſignauit, vel Notarius adhibuit ſcriptorem.Si autem plures teſtes Notario contradicant, tunc inſpicienda eſt qualitas Notarij,

rij,& teſtium. Et ſi Notarius eſt bonæ famę, magis illi credendum eſt,quàm pluribus teſtibus,& ècontra ſi ipſe ſit parum idoneus, & teſtes bonæ famæ. c.8.n.9.

O

Ordines Sacri.

IN Ordinibus Sacri ordinati, matrimonium contrahentes,ſunt de hæreſi uehemētèr ſuſpecti,& de uehemēti abiurare debent.c.25. n.61. Et ſimilitèr qui, poſt conſummatum matrimoniom,ſacros ordines ſuſciperet, niſi eius vxor fuerit in Monaſterio profeſſa. n. 62.

Græcis catholicis permiſſum eſt, ad ſacros ordines promoueri, & vnicam vxorem virginem accipere. Sed mortua iſta, non poſſunt aliam ducere. c.25.n.63.

In ſacris conſtitutus,& cōtrahens tantùm ſpōſalia,an ſit ab Inquiſitoribus puniendus,aliqui negant,ſed probabilius alij affirmant. c.25. n.64.

Ab ordinibus ſacris, quando, & quomodo ſuſpendantur, vel deponantur ob ſortilegium hæreticale commiſſum. c.29.n.28.& 29.

Clericus ſortilegium hæreticale committens ob bonum finem, eſt etiam puniēdus pœna ſuſpenſionis,vel depoſitionis,& priuationis beneficiorum. c.29. n.30.

In ſacris ordinibus conſtitutus, condemnatus ad perpetuum carcerem,vel ſimilitèr ad triremes, de iure eſt degradandus, ſed ob benignitatem S. Tribunalis regularitèr non degradatur, ſed ſolùm ſuſpenditur ab Ordinū exercitio. c.31.n.7.& 8.

P

Pœna.

POEnę à iure hæreticis impoſitæ,ſunt, Excommunicatio in Bulla Cœnæ, Irregularitas, Infamia, & inhabilitas ad omnes honores, quæ redundat in filios, & nepotes; Confiſcatio bonorum, ſupplicium mortis, & concremationis. c.26. à n.5. vſque in finem.

Pœnæ quibus puniri ſolent malefici diuinatores, & ſortilegi, quando non ſunt tradendi Curiæ ſeculari,& mortis ſupplicio. c. 26. n. 12.

Pœna excommunicationis. Vide Excommunicatio.

Pœna irregularitatis. Vide Irregularitas.

Pœna infamiæ. Vide Infamia. Pœna confiſcationis. Vide Confiſcatio bonorum. Pœna mortis. Vide Supplicium mortis.

Qua pœna puniri ſoleant Sortilegi, Malefici, Diuinatores,& ſimiles, quādo non damnātur ad mortis ſupplicium. c.26.n. 12.

Qua pœna puniendus eſt Clericus, vel Sacerdos ſortilegium committens. c.29. n.28 & 29 puniendus eſt etiam ſi ſortilegium fecerit ob bonum finem. n.30.

Pœna mortis de hæreſi inquiſitis debita.

Pœna mortis poteſt Eccleſia ſuos delinquētes inquiſitos punire. c.30.n.1.

Pœna mortis puniendi ſunt Primò, de hæreſi impœnitentes, & in ea pertinaces. n. 2. Secundò,per teſtes de hæreſi conuicti,& ſuum errorem,ſeu delictum negantes.n.3.Tertiò, per teſtes conuicti, & diminuti confitentes. n.4. Quartò, qui poſt confeſſionem ſui delicti,illam reuocant, nec iuſtam reuocationis cauſam probant.n.5. Quintò Relapſus, qui prius de hæreſi, vel ſe ſortilegio hæreticali abiurauerat de uehementi, & iterum de eodem crimine eſt conuictus. n.6. Sextò, qui poſt abiurationem de hæreſi, incidit in vehementem hæreſis ſuſpicionem, vel hæreticis fauet. n.9.& 10. Septimò, qui in ſortilegio,vel in alio quouis modo abuſus fuit Sāctiſsima Euchariſtia.n.12. Octauò, quilibet non Sacerdos celebrans Miſſam,vel confeſſiones audiens. n.13. Nonò, qui negauit in diuinis Trinitatem, uel aliquem alium fidei articulum.n.14. Decimò,Sortilegi rebaptizantes puerum, aut baptizātes aliquod animal irrationale,vel magnetē, aut cadaueri vel quid ſimile. n.15. Vndecimò, qui hoſti, maleficio fuit alicui cauſa mortis. n. 16. Duodecimò, qui Dæmones inuocant, vel adorant, vel eis ſacrificia offerunt, vel obedientiam promittunt, vel ſeipſos ſanguine proprio offerunt, & ſimilia nefaria in eorū cultum faciunt. n.17.

Pœnam mortis euadit relapſus, qui à nullo præuentus,ſe in priſtinam hæreſim incidiſſe fatetur ſponte,& veniam expoſtulat.c.30 n. 7.

Pœna mortis damnato, danda ſunt Sacramēta Pœnitentię,& Euchariſtiæ, non autem Extremę vnctionis c.30. n.15.

Inquiſitores non poſſunt, aliquem reum brachio ſeculari relaxare puniendum, inconſulta Suprema S. Inquiſitionis Cōgregatione. c.30. n.18.

In dubio, an aliquis mortuus ſit, ex febre, vel maleficio,non poteſt inquiſitus damnari ad mortem, niſi conſtet, febrem cauſatam ex maleficio. c.30. n.19

Maleficus homicida, an ob indicia indubitata tradendus ſit Curiæ ſeculari, vt ad mortem damnetur.c. 30.n.20.& 21.

Qui tentauit maleficio dare alicui mortem,ſed mors non eſt ſecuta, an ſit tradendus Curię ſe-

ſeculari ad mortem. c.30.n.23.& 24.

Pœna Carceris.

Pœna carceris, quibus maleficis, ac ſortilegis in Sancto Tribunali imponitur. c.31.n.1.

Pœna carceris eſt reo imponenda ab Epiſcopo, & Inquiſitore ſimul.c.31.n.2.

Malefici, & ſortilegi hæretici confeſſi, & conuicti, & damnati ad mortem, poſſunt retineri in carcere obſcuro, ac tetro, in quo intra paucos dies moriantur. c.31.n.2.

Carcer perpetuus de hæreſi inquiſito aſſignandus non eſt, itá arctus, & rigoroſus, vt ei vitam abbreuiet. c.31. n.3.

Ad carcerem perpetuum non eſt condemnandus, qui ſpontè ſua delicta fatetur, antequā ſit denunciatus, etiamſi compareat ob metū denunciantis, & ob teſtium probationes. Neque qui captus, ſtatim de ſe, & ſocijs veritatem cōmiſsi delicti integrè fatetur. Neq; qui priuſquam dicta teſtium publicentur, puro corde confitetur. Neq; qui ſolùm eſt de hæreſi ſuſpectus. Neq; qui non de formali, ſed tantùm de leui, aut de vehementi abiurauit. c.31. n.4.

Carcer perpetuus, ob rationabilē cauſam, poteſt ab Epiſcopo, & Inquiſitore ſimul ad tēpus reduci, vel cū aliis pœnitentiis commutari.c.31.n.4.& 10.

Magę, quæ ſit nupta, & meretur carcerē perpetuum, couſulto Supremo Tribunali, poteſt loco carceris domum mariti aſsignari. c.31. n.5.

Sacerdos celebrans ſuper rebus, ad maleficia, ſeu ſortilegia ſeruientibus, pœna carceris perpetui eſt puniendus. c.31. n.6.

Carcer perpetuus cōmutari poteſt ad tempus ſortilego, ac malefico, quando non fuit notoriè in hæreſim depræhenſus, nec adſit timor, quod alios corrumpat.c.31.n 10.

Poſt quot annos diſpenſari poteſt condemnato ad carcerem perpetuum? c.31.n.10.

Carceres frangens, & fugiens, qua pœna puniri ſolet in hoc S.Tribunali. c.31. n.11.& 12.

Pœna Triremium.

Pœna triremium puniri ſolent ab Epiſcopo, & Inquiſitore. Primò de hæreſi inquiſiti pænitentes, qui merentur carcerem perpetuum, & damnari ſolent per quinquennium ad triremes.c.32.n.1. Secundò, Sortilegi hæreticalia ſortilegia, & proximi læſiua patrātes. Tertiò, Poligami, qui viuente prima vxore, aliam duxerunt. Quartò, Teſtes, qui in foro Epiſcopali deponunt, eſſe mortuam primam vxorem, cùm ſit viua. Quintò, qui cum ſint in ſacris conſtituti matrimonium contrahunt. Sextò, Confeſſarij, ad turpia ſolicitantes. Septimò, Blaſphemi hæreticales ex conſuetudine, ſi non ſint nobiles: Et conſpurcantes, vel conculcantes Sanctorum imagines. Octauò, nō Sacerdotes Miſſam celebrantes, vel confeſsiones audientes, quando delictum non eſt ità plenè probatum, vt brachio ſeculari ſint tradendi. Nonò, qui Officium Inquiſitionis vſurpauit, vt alios terreret, vel ab eis pecunias extorqueret, & ſimilia. Decimò, qui teſtes, vel denunciantes contra delinquentes in cauſa fidei leuitèr baculo percuſsit: nam ſi percuſsio ſit grauis, etiamſi mors non ſequatur, ad mortem damnari ſolent. Vndecimò, Hęretici pœnitentes. Duodecimò, miſcentes in ſortilegijs Oleum Sanctum, vel res ſacras, aut ſacramentalia. Tertiodecimò, Teſtes falſos, vel qui precibus, vel minis, aut pecunia teſtem corrumpit, vt falſum in hoc S.Tribunali deponat. Quartodecimò, qui è triremibus aufugit. cap.32. n.1. & ſequ.

Pœna fuſtigationis, vel verberationis.

Pœna fuſtigationis, vel verberationis puniuntur. Primò fœminæ ſtriges, maleficæ, ſortilegæ, & quæ, viuente primo viro, ſecundum matrimonium contrahunt. Secundò, conſulens binas nuptias primo viro viuente. Tertiò, Sortilegus, ac Poligamus, qui non eſt aptus ad remigandum, pluries fuſtigari ſolet. Quartò, fuſtigantur teſtes falſi, vltra pœnam triremium, & ſi ſint mulieres, pluries fuſtigantur. Quintò, Religioſi ſolicitautes ad turpia in confeſſione, aliquando virgis ceduntur ab alijs Religioſis, præſente Notario S.Officij. Sextò, fuſtigari poſſnnt, qui de vehementi abiura:unt, & ad carceres, vel triremes damnantur. Septimò, qui abiurarunt de leui, præter alias pœnas condēnari etiam poſſunt ad fuſtigationem. Octauò, etiam hæretici, quandoq; pœna fuſtigationis puniuntur. c.32.n.16.

Ad hanc pœnam non ſunt condemnandi patres, vel matres habentes filias nubiles.c.32. n. 17. Notandum etiam hanc pœnam imponendam eſſe ci:rà ſanguinem. n.18.

Pœna exilij, & relegationis.

Pœna exilij, & relegationis imponitur in hoc S.Tribunali. Primò tam viris, quàm mulieribus ſortilegis poſt fuſtigationem, quando non damnatur pœnis grauioribus. Secundò, exilientur Confeſſarij, ſolicitantes ad turpia in confeſſione à locis, vbi deliquerunt. Tertiò, blaſphemi hæreticales, tam nobiles, quàm viles poſt abiurationem de leui in exilium mittuntur: viles verò etiam poſt fuſtigationem. Quartò, Sacerdos, qui Miſſas defunctorum celebrauit pro viuentibus, vt citius moriantur. Quintò, Sacerdos, qui celebrauit ſuper rebus aptis ad maleficia. Sextò,

qui

qui habens vxorem,cum alia ſponſalia contrahit, vel dotem ſtipulat, aut determinat, vel publicationes fieri in Eccleſia, mandat, & ſimilia. Septimò, vir nobilis, qui nulliter contraxit matrimonium, & antequam nullitas ab Eccleſia declaretur, ſecundùm contrahit. Sed ſi plebeius ſit, flagellis ceditur, & ad triremes mittitur. Octauò, Aſtrologi iudiciarij, qui de futuris contingentibus, vel à libera hominum voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmant, poſt abiurationem de leui, & alias pœnas. Nonò, retinentes libros prohibitos, vel alias ſcripturas, hæreticalia continentes. Decimò, qui concionando, vel diſcurrendo, propoſitiones dixit ſcandaloſas. Vndecimò, qui à loco vbi relegatus fuit ad tempus, aufugit, ei duplicatur tempus relegationis. Duodecimò, fautores, defenſores, & receptatores hæreticorum, in perpetuum relegantur, & bona confiſcata amittunt. c. 32. n. 19.

Pœna habitus pœnitentiæ.

Pœna habitus pœnitentiæ, eſt quædam veſtis, ſeu ſaccus benedictus, in cuius parte ſuperiori, ſunt duæ cruces rubei coloris longitudinis duorum palmorum, & dimidij, latitudinis duorum palmorum, & in ſe iatitudinis trium digitorum, vna anterius in pectore, alia poſterius in ſpatula. c. 32. n. 20.

Qui dictum habitum occultauerit, vel abiecerit, punitur ab Inquiſitoribus, tanquam impœnitens, & ſuſpectus de hæreſi. c. 32. n 22. Non eſt tamen puniendus, vt relapſus, vt aliqui affirmarunt, ſed ſolùm vt impœnitens, arbitrio Inquiſitorum. n. 23. Quod procedit, etiamſi ſe obligaſſet iuramento, ad pœnitentiæ executionem, ſub pœna relapſi. n. 24. Hæc autem pœna delationis talis habitus, non imponitur ſuſpectis tantùm de hæreſi, etiamſi abiurauerint de vehementi, ſed tantùm hæreticis pœnitentibus. n. 25.

Pœna pecuniaria.

Pœna pecuniaria poſſunt Inquiſitores, de iure punire. Primò ſortilegos, & alios de hæreſi vehementer ſuſpectos, qui ob infirmitatem, vel ſenectutem, vel ob aliam cauſam, alia pœna puniri nequeunt. c 33. n. 1. Secundò, fautores, & defenſores hæreticorum, non hæreticos. Tertiò, proferentes ex ira, aut ex ignorantia verba hæreticalia Quartò nobiles blaſphemos. Quintò, ſortilegos auaros, quibus valdè diſplicet, hanc pœnam ſoluere. c. 33. n. 2.

Verùm de facto Inquiſitores Italiæ, ex ſpeciali decreto Sacræ Congregationis, non poſsūt hanc pœnam imponere, inconſulta eadem S. Congregatione, niſi ad illam ſoluendam pro eleemoſyna alicui pio loco. c. 33. n. 3.

Qui condemnatus ad pœnam pecuniariam, nollet eam ſoluere, eſt ei commutanda in pœnam corporalem. c. 33. n. 4.

Poſſunt Inquiſitores hanc pœnam imponere reo Clerico beneficiato, qui habet patrimonium, & ſecundùm aliquos Doctores, etiam non habenti patrimonium, dummodò recipiat fructus beneficij in vſus proprios. c. 33. n. 5.

Hæ pecuniæ nunquam applicantur in vſus proprios ipſorum Inquiſitorum, ſed, vel pro expenſis, & neceſſitatibus ipſius Tribunalis, vel in beneficium Eccleſiæ, aut in alendos pauperes. c. 33. n. 6.

Pœna confiſcationis bonorum.

Pœna confiſcationis bonorum nequeunt Inquiſitores, punire Magos, magicaſque ſuperſtitiones facientes. c. 33. n. 7.

De iure verò ciuili ſortilegi, cuiuſcumque generis ſint, puniuntur pœna mortis, & confiſcatione bonorum. c. 33. n. 8.

In hæreſis crimine bona confiſcantur ipſo iure, & ſtatim à die commiſſi delicti, dominiū tranſit in Fiſcum. c. 33. n. 9.

Qui in hæreſim incidit, antequam à Iudice cōdemnetur, non tenetur in foro conſcientiæ, bona ſua Fiſco offerre. c. 33. n. 10.

Qui ante Inquiſitorum ſententiam, ſincero corde hæreſim ſuam abiurat, & ad catholicam fidem reuertitur, confiſcationem ſuorū bonorum non patitur. Secùs verò ſi conuertatur, poſtquam traditus eſt Curiæ ſæculari. c. 33. n. 11.

Confiſcatio bonorum fieri non poteſt, antequā publicetur ſententia Epiſcopi, & Inquiſitoris, hæreticum eſſe impœnitentem. c. 33. n. 12. & 13.

Confiſcatione bonorum non ſunt puniendi fautores, defenſores, & receptatores hæreticorum de iure Canonico, quia non ſunt hæretici, ſed de hæreſi ſuſpecti. c. 33. n. 14. Secùs verò de iure Ciuili. n. 15.

Bona hæreticorum confiſcata, alij docent eſſe diuidenda; & eorum dimidiam partem tradendam eſſe Cameræ Apoſtolicæ, & aliam dimidiam partem S. Inquiſitionis Officio, pro illius neceſſitatis ſubſtentatione. Alij Sācto Tribunali Officio tantùm eſſe tradenda. Alij ſeruandam eſſe conſuetudinem rationabilem locorum. c. 33. n. 18.

In Hyſpania omnia hæreticorum bona confiſcata Regio Fiſco applicantur ex cōceſsione Sedis Apoſtolicæ: quia Rex noſter Catholicus, ad extirpādam hæreſim, Inquiſitoribus expēſas abūdè ſubminiſtrat. c. 33. n. 19.

In Statu Mediolanenſi huiuſmodi bona diuidun-

duntur in tres partes, & vna tribuitur Fiſco Ducali, alia Epiſcopo, & alia Inquiſitori. c.33.n.20.

In Sabaudia, ſi bona hæreticorum confiſcata, ſint ualoris ſcutorum mille, vel non excedunt hunc ualorem, diuiduntur pro medietate Fiſco Ducali, & Officio S. Inquiſitionis. Si verò dictum valorem excedunt, applicātur Fiſco Ducali, cum onere ſoluendi S. Inquiſitionis Officio ſcuta quingenta. c.33. n. 21.

In Placentia, & Mantua, diuiduntur in duas partes, & vna applicatur Fiſco Principis, altera S. Inquiſitionis Officio. c.33.n.22.

Poſſunt etiam hæc bona confiſcata applicari, ad impenſas belli contra infideles, aut ad alias ſimiles, Chriſtianæ Reipublicæ vtiles. c.33. n. 23.

Ex dictis bonis confiſcatis, & deputatis S. Officio Inquiſitionis, nulla eorum pars ad Epiſcopum ſpectat. c.33.n.24.

Bona hæretici poſſunt etiam poſt eius mortē confiſcari, ſed ſi eius filij, vel nepotes ſint verè catholici, & per 40. annos bona fide illa poſſederunt, & intrà hoc tempus nunquā intellexerint, defunctum deceſſiſſe hæreticū, ipſa bona ſibi præſcripſerunt. Secùs ſi in mala fide aliquando fuerunt. c.33.n.25.

Ex dictis bonis confiſcatis, non tenentur Inquiſitores de iure Canonico, legitimam, & alimenta, hæreticorum filijs, præſtare. c.33. n. 27. Sed ex ſola miſericordia ipſis pueris, & puellis, ex paternis bonis alimenta quædam præſtare ſolent, & deprecare interdum Principes ſeculares, & Eccleſiaſticos, vt ergà illos aliquam exerceant liberalitatē. c.33. n. 28.

In pœnam hæreſis quando confiſcatur maioratus, & fideicommiſſum.

Inquiſitores confiſcare poſſunt bona maioratus, & fideicommiſſi, quando inſtitutor eſt ille, qui in hæreſim incidit. c.33. n.29.

Confiſcantur dicta bona in perpetuum, quādo maioratus, vel fideicommiſſum fuit inſtitutum, poſt hæreſis crimen commiſſum. Confiſcatur ad tempus, & durāte vita delinquētis, quando, ſua vita durante tantùm, gaudere illorum fructibus poterat, & poſt eius mortem maioratus, vel fideicommiſſum trāſire debet ad alios vocatos. c.33. n.29.

Non confiſcatur maioratus, vel fideicommiſſum, quando fuit ab inſtitutore fundatum, contractu irreuocabili, ante illius delictum, & donatio illa fuit acceptata. c.33. n.30. Si verò inſtitutum fuit contractu reuocabili, poterit confiſcari, tantùm vita durante ipſius inſtitutoris. Et ſi tempore, quo inſtitutor in hæreſim incidit, iam illud tradiderat donatario, neq; ad tempus, & durante vita inſtitutoris, confiſcari poſſet. c.33. n.31.

Si inſtitutor fideicommiſſi, vel maioratus nō fuit ipſe delinquens, ſed aliquis ex eius antenatis cum clauſula: vt eo ipſo, quod poſſeſſor tractauerit, committere crimen læſæ Maieſtatis diuinæ, vel humanæ, ſit illo priuatus, & illius dominium ſtatim tranſeat ad ſequētem vocatum. Tunc non poterit confiſcari, nec in perpetuū, neq; ad tempus. c.33. n.32. Si verò adſit clauſula, vt à die dicti criminis, dominium illius tranſeat ad Fiſcum; in perpetuum confiſcatur. n.33.

Pœna confiſcationis bonorum vxoris.

Propter mariti hæreſim poſſunt Inquiſitores confiſcare dotem vxoris, ſi illa ſcienter cum hæretico matrimonium contraxit. Secùs verò ſi ignoranter contraxerit. c.33. n. 34. etiamſi poſtea illum eſſe hæreticum ſciat, dūmodò in eius crimine non cōſentiat. n.35. Vide Vxor,

Pœna confiſcationis bonorum Clerici.

Ob crimen hæreſis, Clericis confiſcari, poſſunt ab Inquiſitoribus bona patrimonialia, & quæ ex eorū induſtria, vel ex miniſterio ſui muneris acquiſierūt; vt ex celebratione Miſſarum, ex exequijs defunctorum, ex prædicatione, & ſimilibus. c 33. n.39 Hæc autem bona alij ſuſtinent, eſſe applicanda Fiſco Eccleſiæ, & Epiſcopi, Alij S. Inquiſitionis Officio. Et alij quoad bona patrimonialia immobilia Fiſco Regio. n 40.

Bona feudalia Clericis non confiſcantur ob crimen hęreſis, ſed ad directos Dominos reuertuntur. Et ſimiliter dicendum, de bonis reſtitutioni ſubiectis. c 33. n.40.

Bona, quæ ſunt alicuius Eccleſiæ, vt poſſeſsiones, prædia, domus, & ſimilia, quorum fructus, & redditus, ab ipſis Clericis percipiuntur; ob eorum hæreſim confiſcari nequeūt, ſed Eccleſijs, quarum erant, totaliter relinquuntur. c.33. n.41.

Fructus, & redditus beneficij eccleſiaſtici ſimplicis, & abſque animarum cura, confiſcari poſſunt ob crimen hęreſis Clerici ab Inquiſitoribus. Beneficij autem curati ſolùm confiſcari poteſt illa portio, quæ per Canones ei deputata eſt. c.33. n.43.

Bona acquiſita ex quotidianis diſtributionibus eccleſiaſticis, ob Clerici hæreſim confiſcari poſſunt, & applicanda ſunt, vel Sanctæ Inquiſitionis Officio, vel iuxtà conſuetudinē loci. c.33. n.44.

Pœna priuationis beneficiorum, & Officiorū Eccleſiaſticorum. Vide Beneficium. Filius. Nepos.

Pœna priuationis vocis actiuæ, & paſsiuę. Vide Regulares, quoad priuationē vocis actiuæ, et paſsiuæ.

Nemo tenetur, pœnam contra ſeipſum executioni mandare, Iudice non iubẽte. c. 35. n 2.

Pœna, etiamſi ipſo facto incurratur, non obligatur delinquens in conſcientia illam exequi, ante Iudicis ſententiam declaratoriam, commiſsi ab eo delicti. c. 35. n. 2.

Pœna Talionis.

Pœna talionis nõ punitur in hoc S. Tribunali accuſator, qui defecit in probationibus contra reum accuſatum, etiamſi ſe tali pœnæ ſubieciſſet, ſed a bitrio Inquiſitorum eſt puniendus. c. 37. n. 1. & 2.

Falſus accuſator non punitur pæna talionis, ſed pœna calumniatoris, aut falſi teſtis. c. 37 n. 3.

Falſus denunciator eſt etiam, vt calumniator, & falſus teſtis, puniendus. c. 37. n. 4.

Falſus accuſator, vel denunciator volens deſiſtere ab accuſatione, vel denunciatione, ante inquiſiti ſententiam, non eſt audiendus, vt pœnam euadat. c. 37. n. 5.

Falſus teſtis, de iure in hoc S. Tribunali puniri poteſt pœna talionis: ſed regularitèr condemnatur ad pœnam fuſtigationis, vel ad triremes, uel ad perpetuum carcerem. c. 37. n. 7. et 8.

Similitèr puniendus eſt teſtis, qui in hoc S. Tribunali veritatem commiſsi delicti occultauit, vel qui teſtificatur, rei uerba in alio ſenſu dicta, quàm probata fuerunt. c. 37. n. 9. & 10.

Qui ſua falſa teſtificatione ſortilegum, vel hæreticum liberauit à pœna, eadem, quam ille merebatur, plectendus eſt. c. 37. n. 11.

Eadem pœna, quæ contra aliquem, ex falſis teſtibus, lata, & executa fuit, puniẽdi ſunt falſi teſtes. c. 37. n. 12.

Qui precibus, uel pecunia, uel minis teſtem corrumpit, uel alicui mandauit, vt illum corrumpat, ad falſum deponendum, eandem pœnam quam ille falſus teſtis, incurrit. c. 37 n. 13.

Pœnitentiæ ſalutares S. Officij.

Pœnitentiæ ſalutares, quæ reis in cauſis fidei imponi ſolent ab Inquiſitoribus, quænam ſint. c. 36. n. 1.

In eis imponendis, quid cõſiderare debent Inquiſitores. c. 36. n. 2. & 3.

Damnatis ad carcerem, & ad ſimiles pœnas, imponendæ etiam ſunt pœnitentiæ ſalutares. c. 36. n. 4.

Si pœnitentiæ ſalutares ſint, eleemoſynæ faciendæ alicui Eccleſię, vel Hoſpitali, & reus ante mortem illas non adimpleuit, poſſunt compelli hæredes, ad illas ſatisfaciendas. c. 36. n. 5.

Has pœnitentias poſſunt Inquiſitores, mitigare, aggrauare, commutare, & condonare, etiamſi ex obliuione, in ferenda ſententia hanc poteſtatem ſibi non reſeruarunt. c. 36, n. 6.

Cauſæ rationabiles diminuendi dictas pœnitentias, ſunt, delinquentis magna deuotio, vel humilitas, aut infirmitas; augendi verò eius indeuotio, rixa, contentio, malitia, & ſimiles. c. 36. n. 8.

Non adimplens has pœnitentias abſq; legitima cauſa, peccat mortalitèr, quia iurauit, illas implere. c. 36. n. 9.

Pœnitentiæ huiuſmodi imponendę ſunt Primò ſpontè comparentibus, ſiue ſint ſortilegi, aut de hæreſi quomodolibet ſuſpecti, ſiue ſint pœnitentes hęretici. Secundò, leuitèr de hęreſi ſuſpectis, & cõtra quos leuisſima ſunt indicia. Tertiò, damnatis ad carceres, vel ad exilium, & ad ſimiles pœnas. c. 36. n. 10.

Periti.

Periti tam in Theologia, quàm in Iure Canonico, & Ciuili, tenentur ex mandato Inquiſitoris conſilium in cauſis fidei præſtare gratis. Sed ſi aliquid eis offeratur pro labore, poſſunt illud recipere. c. 24. n. 20.

Peritis eſt communicãdus totus proceſſus pręter nomina teſtium, & eſt eis explicãdum, ſuper quibus cõſulere debent, & qualitates teſtium, an ſcilicet ſint Religioſi, vel ſeculares, an probatæ vitæ, vel minus probatæ, & ſimilia. c. 24. n. 21. & 22.

Si Periti nouerint, teſtes eſſe inimicos: tunc Inquiſitores poſſunt, nomina teſtium illis manifeſtare, & ſecretum cum iuramẽto imponere, & ſi opus fuerit, etiam ſub pœna excommunicationis. c. 24. n. 23.

Si Periti ſint diſcordes, Inquiſitores tenentur opinionem probabiliorem ſequi; & ſi ęqualitèr ſint opiniones probabiles, tenẽtur ſequi illam, quæ magis fauet reo. c. 24. n. 24.

Si Epiſcopus, & Inquiſitor ſint concordes, eorum ſententiæ ſtandum eſt, quamuis Periti, & Conſultores numero plures, contrarium ſentiant. c. 24. n. 25.

Si ſentẽtia condemnatoria, uel abſolutoria, feratur ab Epiſcopo, & Inquiſitore abſque Peritorum conſilio, an ſit ualida. c. 24. n. 26. & 27.

Quãdo in fauorẽ hæretici, adeſt opinio probabilis Peritorum, Inquiſitores tenentur eã ſequi, relicta probabiliori. Secùs uerò, quãdo reus eſt tãtùm ſuſpectus de hæreſi. c. 24 n. 28, 29. & 30.

Priuilegium.

Priuilegia Inquiſitorum. Vide Inquiſitorum priuilegia.

Proceſſus, & procedere contra inquiſitos.

Procedere poſſunt Inquiſitores contra ſortilegos, & magos, & alios, vel hæreticos, uel de hæ-

hæreſi ſuſpectos, ſummariè, ſimpliciter, & dè plano.c.14.n.1.& 2.

Procedere modo dicto, quid importat, indicatur à Clemente V.c.14.n.3.

In dicto modo procedendi nunquam omittũruntur probationes neceſſariæ, ad indagandam ueritatem, neq; partium citationes, et defenſiones, neq; iuramenta teſtium. c.14. n. 4.

Contra inquiſitos in S. Officio procedi poteſt triplici modo, ſcilicet per viam accuſationis, denunciationis, et inquiſitionis. c.14. n.5.

Procedere per viam accuſationis, eſt in S. Officio ex cõſuetudine abrogatum; ſed non idcirco alicui hic modus procedendi, non cõceditur. c.14.n.6.

Accuſator, qui ſe ſubſcripſit, et ad pœnam talionis ſe obligauit, ſi in probatione defecit, quomodo eſt puniendus.c.14.n.7. Reliqua de accuſatore. Vide Accuſator, et Pœna talionis.

Facta denũciatione Inquiſitor procedit, non ad inſtãtiam denũciantis, ſed ex officio ad examen teſtium, qui in ipſa denũciatione ſunt allegati. c.14 n.20

Si denũciator conuincatur, falſum denũciaſſe, puniẽdus eſt, tãquam calumniator, et teſtis falſus. c.14.n.21.

Vide Denũciatio, et Denũciationis obligatio.

Procedere poſſunt Inquiſitores per viam inquiſitionis dupliciter, per inquiſitionem generalem, et per ſpecialem. c.14.n 22.

Per inquiſitionem ſpecialem nõ poſſunt procedere, niſi præcedat infamia. c. 14.n.22.

Inquiſitor prius procedere debet, ad inquirendum de infamia delinquentis, citando aliquos teſtes graues, et eos examinãdo tãtùm, an ſit ille de hæreſi diffamatus. c.14.n.22.

Ad generaliter inquirendum per viam inquiſitionis, ſufficit leuis ſuſpicio, etiã nulla præcedente diffamatione. c.14. n.23.

An leuis ſuſpicio de fide ſufficiat, ad inquirendum de aliquo particulari: aliqui affirmãt, alij negant, & alij ſuſtinent requiri, vt leuis ſuſpicio hæreſis oriatur ex delicto, cui à iure, vel ex conſuetudine talis ſuſpicio annexa ſit.c.14.n.24.25.& 26

Quãdo quis redditur ſuſpectus de fide leuiter, quando vehementer, & quando violenter. c.14.n.28. 29.& 30.

Vt ritè procedatur in cauſis contra ſortilegos, maleficos, & lamias, aliquando requiritur neceſſariò, vt conſtet de corpore delicti, aliquando verò non.c. 14.n.31. 32.& 33.

Quænam ſunt de ſubſtantia, & eſſentia proceſſus; & quibus ex cauſis redditur nullus.c.20. n. 18.

Epiſcopus ſine Inquiſitore, & Inquiſitor ſine Epiſcopo, nõ poſſunt procedere ad rei torturam.c.23.n.3. Neq; ad rei abiurationem. c.25. n.84.

Procurator.

Procurator an & quando, ſit concedendus inquiſito in S. Officij Tribunali. Vide Aduocatus.

Purgatio Canonica.

Purgatio Canonica eſt criminis oppoſiti liberatio, & innocentiæ oſtenſio. c.25.n 88.

Purgatio canonica indicenda eſt, quando quis infamia publica laborat, quod ſit de hæreſi ſuſpectus, & non poteſt de crimine conuinci.c.25. n.88.

Purgatio canonica indicta quando executioni demandatur. c.25.n.89.

In purgatione canonica, tam iniungenda, quã exequẽda, interuenire debent ſimul Epiſcopus, & Inquiſitor.c.25.n.90.

Purgatio canonica eſt publicè facienda, quando inquiſiti infamia eſt publica. Sed priuatè, quando infamia non eſt publica. c.25. n. 91.

Ad purgationem iſtam publicam indicẽdam, requiritur infamia grauis, vehemens, & publica. c.25.n.92.

Quando infamia dicitur grauis, uehemens, & publica. c.25.n.92.

Diffamatio, vt ſit ſufficiens, ad indicẽdam purgationem, probanda eſt per teſtes idoneos. c.25. n.93.

Si purgandus non inuenit compurgatores, volentes de eo, bonam fidem facere, habendus eſt pro conuicto: Sed ſi compurgatores non inuenit, quia eſt pauper, vel extraneus, ſubueniendum illi eſt arbitrio Iudicis.c.25.n.94

Compurgatores eſſe debẽt probatæ vitæ, eiuſdem ſtatus, & conditionis cum purgãdo, & qui eum benè, & antiquo tẽpore nouerint. c.25.n.95.

Purgationem indicere, non valet Iudex, quando ſcit ſecretè, & in conſcientia, & non ex proceſſu, inquiſitum verè eſſe de hæreſi ſuſpectum. c.25.n.95.

A decreto purgationis indictæ, & à termino præfixo, ad ſe purgandum, poteſt inquiſitus appellare. c.25. n.96.

Qui ſe purgat de vna hæreſi, vehementer diffamatus, ſi poſt purgationẽ in eandem incidit, punitur, vt relapſus, & Curiæ ſeculari tradendus eſt. Secus verò ſi in aliam diuerſam hæreſim incidat. c.25.n.87.

Qui purgare ſe nolit, excommunicandus eſt, & ſi in excommunicatione per annum ſteterit, animo induraro, vt hæreticus habendus eſt. c.25. n.98.

Quando reus non eſt confeſſus, nec conuictus,

ſed tantùm indiciatus, non eſt ei indicenda purgatio, vt aliqui affirmant, ſed tortura, vt melius ueritas habeatur. c.25. n.99.

Q

Quæſtuarij.

QVæſtuarij, qui modis illicitis, eleemoſynas quærunt, ſubijciuntur iudicio Inquiſitorum S.Officij. c.3. n.38.

R

Ratificatio delicti.

COnfeſſio rei, extorta à Iudice per metum tormentorum remotorum, non indiget ratificatione; ſecùs autem ob metum tormētorum proximorum. c.23. n.41.

Reus confeſſus in tortura, vt ad eius condemnationem procedatur, requiritur neceſſariò illius confeſſionis ratificatio. c.23. n.53.

Ratificatio delicti commiſſi, & confeſſi in tortura, quomodo, & quando fieri debeat. c.23. n.54. & 55.

Tortus, & confeſſus, ſi reuocauerit ſuam confeſſionem, & poſt reuocationem, illa denuò confeſſus fuerit, valet hæc ratificatio. c.23. n.56

Qui poſt torturam ratificauit ſuam confeſſionem, ſi poſteà allegauerit ſe erraſſe, & reuocauerit ratificationem, ſi errorem probauerit, cenſenda erit ſua confeſſio reuocata, ſi autem non probauerit, non iterum erit torquendus, ſed condemnandus. c.23. n.57.

Tortus, & confeſſus, ſi noluit ſuum delictum ratificare, poteſt iterum torqueri. c.23. n.58.

Qui bis tortus, & bis confeſſus, bis etiam noluit ſuam confeſſionem ratificare, an ſit tertio torquendus. c.23. n.59.

Receptatores hæreticorum.

Receptatores hæreticorum ſunt, qui ſcientes, aliquem eſſe hæreticum, latentèr eum receptant, ne ad manus Eccleſiæ perueniat. c.3. n. 15.

Qui ignorans, aliquem eſſe hæreticum, illum receptat, non dicitur hæretici receptator, nec vt talis eſt puniendus, & in dubio hæc ignorantia præſumitur. c.3. n.15.

Si hæreticus ſit occultus, Fiſco incumbit probare, receptantem non ignoraſſe, illum eſſe hæreticum. Si autem ille eſſet hæreticus notorius, ad receptantem ſpectet, probare ſuã ignorantiam. c.3. n. 15.

Receptans hæreticum conſanguineum, non excuſatur à tota pœna, ſed mitius eſt puniēdus, iuxtà conſanguinitatis gradum: Itaut E. g. mitius puniatur pater, receptans filium hæreticum, quàm frater, fratrem. c.3. n.15.

Receptans hæreticum grandem amicum, non excuſatur à tota pœna, ſed etiam mitius eſt puniendus. c.3. n.15.

Receptans coactè, & metu mortis, hæreticum, excuſatur à tota pœna. c.3. n.15.

Regulares.

Regulares Apoſtatæ, ſi in apoſtaſia, & excommunicatione, per annum perſiſterint, ab Epiſcopis, & ab Inquiſitoribus, tanquam de hæreſi ſuſpecti, iudicari, & puniri, poſſunt. c.3. n.37.

Regulares de hæreſi ſuſpecti, ſubduntur Inquiſitorum iuriſdictioni. c.3. n.61.

Regulares indiciati, & non diffamati, an ſint torquendi, aliqui Doctores negant. Alij in cauſis fidei affirmant. c.23. n.28. & 29.

Indicia ad eorum torturam, eſſe debent grauiora, & mitius torquendi ſunt, quàm laici. c.23. n.30. & 31.

Regularis profeſſus, matrimonium contrahēs, eſt de hęreſi uehementèr ſuſpectus, & de vehementi abiurare debet. c.25. n.61.

Regularis profeſſus, contrahens tantùm ſponſalia, an ſit contra eum procedendum ab Inquiſitoribus, aliqui negant, ſed probabilius alij affirmant. c. 25. n.63.

Regulares, quibus pro delictis ad S. Officium ſpectantibus, pœnitentiæ genus aliquod impoſitum fuit, ſunt inhabiles ad omnes Religionis ſuæ gradus, & officia. c.25. n.78.

Regulares quoad pęnam priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ.

Regulares non priuantur voce actiua, & paſſiua, & eorum officijs, ob cauſam ad S.Officium ſpectantem, ante Iudicis ſententiam, quamuis impoſita ſit, vt ipſo facto, & ipſo iure eam incurrant. c.35. n.2. & 3.

Regulares omnes, etiam Pręlati, & Generales, tenentur ſub pœna priuationis vocis actiuę, et paſſiuæ, et officiorum perpetuæque inhabilitatis ad ea, et ſub pœna excommunicationis reſeruatæ, et alijs, denunciare Religioſos, de hæreſis labe infectos, uel ſuſpectos. c.35. n.4.

Regulares, quomodolibet diuinatores, et Aſtrologiam iudiciariam exercentes, præter alias pœnas, et cēſuras, incurrunt priuationem vocis actiuæ, et paſſiuæ, & officiorum. c.35. n.5.

Regularis, qui pro ſuo delicto, ad pœnam tēporalem damnatus fuit à S.Officio, expleto tali tempore, non poteſt ad officia, et gradus promoueri, niſi ex ſpeciali rehabilitatione Supremi huius Tribunalis. c.35. n.6.

Regularis, qui fuit priuatus uoce actiua, & paſſiua, et inhabilitatus ad officia, ſi ſemel poſtea ad ea ſemel habilitetur manet in poſterum, ad alia habilitatus. c.35. n.7.

Quan-

Quando imponitur pœna priuationis vocis, abſque expreſsione actiuæ, vel paſsiuæ, aliqui ſuſtinent intelligendam eſſe de vtraque, alij verò de actiua tantùm. c.35.n.8.

Nomine priuationis officiorum, & dignitatū, veniunt gradus cum ſuperioritate, & iuriſdictione, non autem qui nec ſuperioritatē, nec iuriſdictionem habent. c.35.n.9.

Pœnam priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & paſsiuæ, ipſo facto incurrunt regulares, non obſeruantes decretum, legendi literas, ſeu bullas, ad S. Officium pertinentes. c.35. n.10.

Tempus præfixum in dicta lectione poteſt, aliquantulum anticipari, & poſponi, abſque incurſione dictæ pœnæ. c.35.n.11.

An ſit excuſandus Prælatus Regularis à dicta pœna, ſi uerbis, aut per ſchedulam, ſubditos admonet, de contentis in dicta Bulla Vrbani VIII.

Si in aliquo Monaſterio adſit Generalis, vel Prouincialis cum Superiore locali, & non fuit ſeruatum decretum, legendi dictas bullas, pœnam ſupradictam incurrit ſolùm Superior localis. c 35.n.13.

An ignorantia, vel inconſideratio, aut obliuio excuſet à dicta pœna. Vide ignorantia.

Relapſus.

Qui poſt abiurationem de formali, vel de vehementi ſi in hæreſim iterum incidit, habendus eſt, vt relapſus, & omnino brachio ſeculari puniendus, tradēdus eſt. c.25.n.109

Qui nulla abiuratione, nec purgatione canonica facta, pluries in hæreſim incidit, non dicitur relapſus, neq: vt relapſus eſt puniēdus. c.25.n.110.

Qui poſt abiurationem de formali, vel de vehementi, hæreticos viſitat, conuerſatur, vel munera mittit, vel fauet, & ab his actibus excuſari non poſsit, relapſi pœna puniendus eſt. c.25. n.111.

Qui poſt abiurationem de leui, iterum in hæreſis ſuſpicionem, ſiue de leui, ſiue de vehemēti, incidit non eſt vt relapſus puniendus. c.25.n.112.& 114.

Vt quis relapſus cenſeatur, neceſſariò requiritur, quòd verè, & realitèr conſtet, ipſum eſſe relapſum in hæreſim formalem. c.25.n.113

Qui poſt abiurationem de vehementi, iterum in vehementem hæreſis ſuſpicionem labitur, non eſt verè relapſus. c.25.n.113.& 115.

Relapſo ſponte cōparēti, pœna mortis remittitur, nec curiæ ſæculari traditur. c.25. n. 116.

Relapſus hæreticus pœnitens, admitttitur ad pœnitentiam, non ad miſericordiam, ideſt ad participationem Sacramentorum, nō ad condonationem pœnæ mortis. c.26.n.11.

Relapſus pœnitens, & Eccleſiæ reconciliatus, manet irregularis, ſed non filij, & nepotes. c.34. n.24.

Reus.

Reus pœnitens, durante pœnitentiæ tempore, Inquiſitoribus ſubditur, & ſi pœnitentias non ſeruat, vel è carcere fugiat. c.12.n.18.

Rei pœnitentes quoad criminalia, quæ hæreſim non ſapiunt, & quoad ciuilia conueniri poſſunt apud Iudicem ſecularem. c.12.n.18.

Reus ab vno Inquiſitore punitus, non poteſt, de illo eodem delicto, ab alio puniri. c.12. n. 19.

Reus quoad torturam. Vide Tortura.

Reus quoad defenſiones. Vide Defenſiones, quoad pœnam. Vide Pœna.

Reſtitutio.

Teſtis falſus reſtituere tenetur damnum illatū. c. 19 n.55. Vide Teſtis.

Reſtitutio famæ, ob infamiam contractam ex cauſa hæreſis, fieri non poteſt ab Epiſcopo, & Inquiſitore, ſed tantùm à Summo Pontifice. c.26.n.8.

S

Sacerdos.

NOn Sacerdos, & Miſſam celebrans, vel Pœnitentiç Sacramentum adminiſtrās, eſt de hæreſi vehementèr ſuſpectus, & ad abiurandum de vehementi cogendus. c.25. n. 60.

Sacerdos celebrans ſuper rebus, ad maleficia, ſeu ſortilegia ſeruientibus, pœna carceris perpetui eſt puniendus. c.31. n 6.

Sacramenta.

Sacramenta pœnitentię, & Euchariſtiæ danda ſunt, de hæreſi inquiſitis pœnitentibus, ad mortem damnatis, non autem extrema vnctio. c. 30. n.11.

Schiſmaticus.

Schiſmaticus eſt, qui ſe diuidit ab vnitate Eccleſiæ Romanæ, & Summo Pontifici ſubeſſe renuit, & determinationibus Eccleſiæ, vt de fide factis, pertinacitèr credere non vult. c.3. n.13.

Sententia.

Sententia quid, & quotuplex ſit, & in quo differt à decreto. c. 24.n.1.2.et 3.

Sententia condemnatoria contra inquiſitum in S. Officio, quomodo, et à quibus ferenda ſit. c.24. n.4 et 5.

In ſententia abſolutoria non eſt declarandus inquiſitus, à culpa immunis, et innocens, ſed tantùm quod contra illum nihil probatum ſit. c.24. n.6.

Sententia neceſſariò ferenda eſt, citato inquiſito, & in ſcriptis, alias eſſet inualida, et nulla. c.2 n.7.et 8.

In

In ſententia condemnatoria exprimendi ſunt omnes errores inquiſiti. c.24.n.9.
In ſentētia autem abſolutoria non ſunt exprimendi errores. c.24.n.10.
Si reus confeſſus ſit homicidium coram Inquiſitore, pro quo poſſet à Iudice laico puniri pœna mortis, non eſt exprimendum in ſententia, quàm contra eum in Tribunali S. Inquiſitionis fertur. c.24.n.10.
Sententia condemnatoria, ſiue definitiua, ſiue interlocutoria, proferri non poteſt ab Epiſcopo ſine Inquiſitore, nec ab Inquiſitore ſine Epiſcopo, vel eius Vicario. c.24.n.11. An idē ſit dicendū, de ſententia abſolutoria: alij negant, ſed tutius alij affirmant. n.12. 13. et 14. In Hyſpania ſemper vterq; interuenit. n.15.
Epiſcopum, et Inquiſitorem, quamuis probabilius ſit, non teneri peritorum conſilium ſequi, tamen quotieſcumq; manifeſta ratio in contrarium non vrgeat, tutius eſt cōſilio illorum acquieſcere, tam in ferēdis ſentētijs, quàm in alijs grauibus totius iudicij actibus. c.24.n.16. et ſequ.
Vide Periti.
Sententia, ſiue abſolutoria, ſiue condēnatoria ſi feratur ab Epiſcopo, & Inquiſitore, abſq; Peritorum conſilio, an ſit ualida. c.24.n.26. et 27.
Inquiſitores, quādo in fauorem hæretici adeſt opinio probabilis Peritorum, tenentur relicta opinione probabiliori, iuxta Peritorum probabilem, ferre ſententiam. c.24. n.28. et 29.
Si condemnādus, ſit tātùm ſuſpectus de hæreſi, Inquiſitores debēt, relicta probabili opinione in eius fauore, probabiliorem contra eū ſequi. c.24.n.30.
Inquiſitores, in ferendis ſentētijs, poſſunt ſibi reſeruare facultatem, augendi, uel minuēdi, vel mutandi pœnitētias reo impoſitas. c.24 n.31. Quando adeſt cauſa legitima. n. 32. Sed in Italia nō ſine Epiſcopo, nec Epiſcopus ſine Inquiſitore. n. 33. Et quādo ipſi ex mandato S. Congregationis hāc ſentētiam ferunt, ad ipſam S. Congregationem ſpectat pœnam augere, uel minuere, uel commutare. n.34.
Sententiæ latæ in cauſis fidei nunquam tranſeunt in rem iudicatam, itaut nouis ſuperuenientibus probationibus, non poſſint Inquiſitores, de eodem crimine reum condemnare, etiamſi erat abſolutus. c.24. n.35. & 36.
Sententia vnius, tàm abſolutoria, quàm condemnatoria, quando eſt etiam abſolutoria, vel condemnatoria alterius complicis, & quando non. c.24.n.37.
A ſententia condemnatoria contra duos, ſi vnus appellauit, altero non appellante, Iudex poteſt, executioni demandare ſententiā non appellantis, ſed non contra appellantē. c.24. n.38.
Sententia condemnatoria mādantis delictum, non præiudicat mandatarium, nec ſententia mandatarij, mandantem. c.24. n.39.
Sententiæ in cauſis fidei fieri poſſunt, & debent, in diebus feſtiuis. c.24. n.40.

Sententia contra abſentem, & contumacem.

Sententia in fidei cauſa contra fugitiuum, vel abſentem, aut contumacem, quomodo ferēda. c.24. n.41. & 42.
Sententia condemnatoria contra reum cōtumacem, elapſo anno, quamuis cenſeatur ipſo iure lata: tamen debent Inquiſitores, declarare, illum incurriſſe in pœnas ſibi debitas, & coram populo eius ſtatuam producere, & Curiæ ſeculari tradere, comburendam. c.24. n.45.
Qui per ſententiam poſt annum, velut hæreticus contumax, eſt declaratus, & Curiæ ſeculari tradendus, ſi poſteà comparet, ad probandam ſuam innocentiam, eſt audiendus, ſed non ſunt ei reſtituenda bona confiſcata, niſi probata eius innocentia, & legitimo impedimento. c 24.n.46.
Reus profugus, & contumax, ſi ſit in ſacris cōſtitutus, quomodo eſt degradādus. c.24.n.47 Et an ſit Curiæ ſeculari tradendus. n.48.

Sententia contra defunctum hæreticum.

Sententia ferenda eſt contra hæreticum etiam defunctum, ſi plenè, & clarè probetur, in hęreſim deceſſiſſe. c.24.n.49.50. & 51.
Hæreticus defunctus, quomodo citandus eſt, et contra eum formādus proceſſus. c.24.n.52. & ſeq.
Si defunctus ſit abſoluendus ab hæreſi, eius ſētentia, quomodo ferenda eſt. c.24. n.56. Et quomodo ſi ſit condemnandus. n.57.
Defunctum, de hæreſi inquiſitum, quomodo probari poteſt, non deceſsiſſe hæreticum. c.24.n.58. & 59.
Reus contumax non hæreticus, ſed de hæreſi ſuſpectus, ſi moriatur intra annum, & delictum ſuum non ſit plenè probatum, non eſt ad eius condemnationem procedendum. c.24. n.60.
Contra hæreticorum fautores, receptatores, & defenſores, mortuos, non eſt procedendū. c.24. n.61.
Actio procedendi contra defunctum, ad finem damnandi eius memoriam, & declarandi impœnitentem deceſsiſſe, nunquam extinguitur. c.24.n.62. Ad finem verò confiſcandi eius bona, durat per annos 40. ſiue applicatio fiat Fiſco Eccleſiæ, ſiue Fiſco ſeculari. c.24.n.63.

A de-

A definitiua ſententia in cauſis fidei, nulla datur appellatio,ſed ſolùm ab interlocutoria. c.24.n.64.& 65.

Iudex laicus tenetur, Inquiſitorum ſententiam exequi, & reum intrà ſex dies pęna mortis punire.c.24.n. 69.& 70.

Sepelire.

Sepelientes in loco ſacro hæreticos, vel eorũ credentes, receptatores, fautores, & defendentes,ſunt ipſo iure excommunicati, & de hæreſi ſuſpecti, & ſubijciuntur Inquiſitorũ iuriſdictioni.c. 3.n.42.

Nomine ſcienter ſupradictos ſepelientes, quinam comprehenduntur.c.3.n.43.

Socius criminis.

Socius criminis non eſt, teſtis omni exceptione maior. c.22.n.17.

Socij criminis depoſitio cum iuramento iudicialitèr facta, de crimine hæreſis, & ſimilibus exceptis,ſufficit ad torturam. Secùs de criminibus non exceptis, niſi cum illius depoſitione concurrat alia præſumptio, vel adminiculum. c.22 n.17.

Quænam adminicula requiruntur, vt dictum ſocij criminis ſit indicium ad torturam. c.22.n.18. & 19.

Depoſitio duorum ſociorum criminis facta in tortura, & iuramento confirmata, eſt indicium ſufficiens ad torturam. c.22. n.20.

Depoſitio duorum ſociorũ in diuerſis criminibus,non eſt ſufficiens indicium ad torturam. Secùs autem ſi deponant de eodem delicto,ſed de diuerſis actibus illius.c.22.n.21.

Socius criminis vt faciat indicium ad torturã, requiritur,vt non patiatur alium defectum, niſi fuiſſe ſocium, ſeu complicem delicti. c.22. n.22.

In cauſa hæreſis, an ſocius criminis, habens alios defectus,faciat indicium ad torturam, alij negant,alij affirmant. c.22.n.23.

Depoſitio duorum ſociorum criminis contra aliquem bonæ famæ, non eſt indicium ſufficiens ad torturam, niſi etiam concurrant alia adminicula,& præſumptiones. c.22. n. 24.

Socius criminis ſpontè comparens, ad exonerandam ſuam conſcientiam,ſe ipſum,& cõplices reuelans, facit indicium contra hos complices ad torturam. c.22. n.25.

Similitèr ſocius criminis, qui recepto à Iudice iuramẽto, de veritate dicenda,ſtatim complices reuelat, facit contra eos indicium ad torturam. c.22 n.25.

Socius criminis,qui, ad ſuggeſtionem Iudicis, complices delicti reuelauit, non facit cõtra eos indicium ad torturam,nec ſua confeſsio illis nocere valet.c.22.n.26.

Socius criminis an ſufficiat ad fidem faciendã, vt iuramento deponat ſuos complices, an verò requiratur,vt in tortura illos etiam reuelet, alij affirmant, alij verò negant. c. 22. n. 27.

Socij criminis depoſitio contra complicem,vt fidem faciat, debent Iudices diligentèr animaduertere Primò qualitatem perſonæ deponentis,& perſonæ ab ipſo nominatæ.Secundò, an inter ſocium criminis,& perſonã ab ipſo nominatam adſit inimicitia.Tertiò, an illam nominet ſpe, gaudendi impunitate,vel auxilio. Quartò,quod ſicut illius dictum contra complicem, ità & illius exculpationem recipiant. c.22.n.28.

Socius criminis in cauſis fidei dicitur mandãs, E.g.maleficium,vel ſortilegium, conſulens, participans,delinquenti fauens, vel illum ad delinquendum inducens, vel cooperans. c.22. n.29.

Socius Inquiſitoris Regularis.

Prælati Regulares tenentur ſub præcepto Inquiſitoribus ſocios concedere gratos, & ad eorum ſatisfactionem, & quoties opus fuerit pro S Officij negotijs de alijs eiuſdem Ordinis prouidere. c.9.n.1.

Inquiſitor,Romam iturus, poteſt non obtenta, nec petita licentia Prælatorum ſui Ordinis,ſuum ſocium mutare, & alium ex illa Prouincia aſſumere.c.9 n.2.

Socius Inquiſitoris abſque ſui Superioris licẽtia, poteſt illum Romam iturum aſſociari, & ſecum ibi commorari. c.9.n.2.

Vide Inquiſitoris Regularis priuilegia.

Sortilegi de hæreſi vehementer ſuſpecti.

Sortilegi de hæreſi vehementèr ſuſpecti ſunt. Primò,qui Dęmonibus exhibent cultum latrię ſoli Deo debitum;nempè illos adorant, vel ſacrificium offerunt,vel ſeruitutem promittunt,& ſimilia. n.27. Secundò, qui Dæmonibus cultum tribuunt Duliæ, debitum Angelis, Beatis,ac Sanctis, illos vt Sanctos exiſtimãtes, inuocãtes,venerantes,&c.n.28. Tertiò, ineuntes pactum expreſſum cũ eis. n.29. Quartò, in ſortilegijs,diuinationibus, maleficijs, abutentes Sanctiſsima Euchariſtia,vel Oleo Sancto,vel Sanctorũ reliquijs, & alijs rebus,aut verbis ſacris. n.30. Quintò, baptizantes magnetem,vel animal brutum, vel homines rebaptizantes.n.31. Sextò,ſortilegia facientes, ad nocendum hominibus, vel animalibus,vel terræ frugibus.n.32. Septimò, qui Dæmonem alligatum in anulo, vel in ſpeculo, aut in phiala, retinet. n.33. Octauò,qui tacitè Dæmonem inuocat characteribus,verbis,& ſignis ignotis,& ſuperſtitioſis.n.34. Nonò, qui ſcire à Dæmone inquirit futura contingentia,vel pręterita occulta, vel quæ pendent à diuina prouidẽtia.

tia, vel à libero hominis arbitrio, uel ſecreta cordis alicuius,& ſimilia. n.35.& 36. Decimò, qui circulos quoſdam in terra faciunt, illoſq; aliquibus ſignis muniunt, &c. n.37. Vndecimò, qui per artes magicas quærit auxilia Dæmonum, vel eis promittit obſequium,& honorem. n.38. Duodecimò, qui cum Dæmonis inuocatione, et mixtione rei ſacræ, vel ſacramentalium, curat morbos, tempeſtates ſedat, maleficia tollit, facturas diſſoluit, et magica remedia infirmis applicat. n.39 Tertiodecimò, lamiæ, quæ ſiue corporalitèr, ſiue phantaſticè, & imaginariè à Dæmonibus transferuntur ad conuentus ipſarum, vbi fiunt tripudia, Dæmonum adorationes, & cum ipſis nefarij concubitus. n.40. Omnes iſti ſortilegi ſunt uehementèr de hęresi ſuſpecti, et de vehementi abiurare tenentur.

Inuocans Dæmonem in ſortilegio, ad amorē, vel odium prouocās: ſi credidit Dæmonem cogere poſſe hominis voluntatem ad amandum, vel odio habendum, eſt formalitèr hęreticus, et abiurare debet de formali. c.25. n 41. Si non errauit, in credendo, Dæmonē poſſe, cogere hominis volūtatem, ſed in ſortilegio abuſus fuit rebus, vel verbis ſacris, vel ſacramentalibus eſt de hæresi vehementer ſuſpectus,& abiurare debet de vehemēti. n.42. Si autem ſortilegium, leuem de hęresi ſuſpicionem inducit, de leui abiurare debet. n.43.44. et 45. Et ſi nulla adſit hęresis ſuſpicio, nulla eſt iniungenda abiuratio. n. 45.

Imagines cereas conficiens, vt eas pungens, ad libidinem mulierem prouocet, vel vt vitam inimici lædat, & cruciet, eſt vehementèr de hęresi ſuſpectus, & ad abiurandum de vehementi cogendus. c.25. n 45.

Sortilegi hæreticales, qui committunt ſortilegia, quæ manifeſtè hæresim ſapiunt, tanquā hæretici ſunt puniendi. c.26. n.1. Similitèr malefici,& lamię, etiamsi damnum aliquod alicui non intulerint, ſed tantùm fateantur, fuiſſe in conuentu cum Dæmone. n.2. Et ità etiam diuinatores, incantatores, magi, & ſimiles. n.3.

Sortilegi, quando non ſunt vltimo ſupplicio puniendi, qua pœna puniri ſolent. c.26. n. 12

Sortilegus occultus hæreticus, in foro conſcientiæ eſt excommunicatus, quamuis in foro externo talis non æſtimetur. c.27. n.5.

Sortilegus interius non errans in fide, ſed exterius faciens ſortilegium manifeſtè hæresim ſapiens, incurrit pœnam excommunicationis. c.27. n.6.

Sortilegus promittens maleficium, & illud incipiens, ſed nō perficiens, peccat vtiq; mortalitèr, ſed nō incidit in excommunicationem. c.27. n. 7.

Sortilegus quando dubitatur, an ſit excommunicatus, non eſt vitandus. c.27. n.8.

Sortilegus quādo incurrit excommunicationem. Vide Excommunicatio.

Sortilegus hęreticalis quādo ſit pœna mortis puniendus. Vide Pœna mortis.

Sortilegus homicida, an ob ſola indicia manifeſta poſsit Curiæ ſeculari tradi, vt ad mortem damnetur. c.30. n.20. & 21.

Sortilegus, qui ſortilegio hæreticali tentauit dare alicui mortem, ſed mors non eſt ſecuta, an ſit Curiæ ſeculari tradendus. c. 30. n.23. & 24

Sortilegus in hæretica prauitate deprehenſus, & pœnitens, eſt pœna carceris, et alijs pœnitentijs, puniendus. c.31. n.9.

Spontè comparens.

Spontè comparens hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus, debet iudicialitèr crimen ſuum confiteri Inquiſitori, Notario eius confeſſionē ſcribente, & facta ſecreta abiuratione, Inquiſitor in foro exteriori illum abſoluit, iniuncta aliqua pœnitentia, & quoad abſolutionem in foro conſcientiæ illum remittere debet ad proprium Confeſſarium. c.2. n.15.& 16. Et poteſt Inquiſitor hanc facultatem abſoluendi Confeſſario delegare. n.18.

Spontè comperens dicitur, qui nec accuſatione, nec denunciatione præuentus, nec citatus, nec vocatus, ſpontè coram Epiſcopo, vel Inquiſitore comparet, & plenam, ac integrā veritatem commiſſi criminis, contra fidei documēta, omneſq; ſocios fatetur. c. 16. n.1.

Spontè comparens benignè, ac mitiſſimè in hoc S. Tribunali tractatur, & ſola ſalutari pœnitentia ei imponitur. c.16. n.2.

Spontè comparens, quomodo interrogandus, & admonendus ſit. c.16. n.3.

Qui alibi, eſt denunciatus in S. Officio, non dicitur ſpontè comparens. c.16. n. 3.

Si crimen, vel delictum commiſſum fuit cum complice, vel coram alijs, vel ad aliorum aures peruenit, ſpontè comparentis confeſſio, recipienda eſt ab Inquiſitore cum Notario, qui illam regiſtret. c. 16. n.4.

Si crimen, vel delictum ſit totalitèr ſecretum, nec aliquis illud ſcire poſsit, poteſt Inquiſitor per ſeipſum, abſq; Notario, ſine ſcriptis, oretenus confeſsionem delinquentis recipere, & cum ſalutari pœnitentia, & admonitione illum dimittere; ſed tutius eſt, vt iudicialitèr etiam Notarius coram Inquiſitore eius confeſsionem recipiat in ſcriptis, & regiſtret. c.16. n.5.

Spontè comparentis Confeſſarij ſolicitātis ad turpia confeſsionem, Inquiſitor ſine Notario, in ſcriptis neceſſariò recipere debet. c.16. n. 6.

Spon-

Spontè comparens, ſed nolens crimen ſuum detegere, niſi in confeſſione ſacramentali, non eſt ab Inquiſitore ad confeſſionem ſacramentalem admittendus. c.16.n.7.

Spontè comparēs,& nolens in ſcriptis coram Notario ſuum delictum confirmare, poteſt ab Inquiſitore cogi, ad illud in ſcriptis, & coram Notario confirmandum, ſi delictum probari poteſt, vel eſt commiſſum cum cōplice. c.16.n.8.

Inquiſitor debet diligentèr animaduertere, ne ſpontè comparentes, ſimulata conuerſione, & ad euitandas pœnas, quas ob aliorum depoſitiones timēt, ſibi proximè futuras, fraudulentèr ad curiam compareant. c.16.n.9.

Spontè comparens, ſed fictè, & fraudulentèr, ſi ab Inquiſitore, nō ſit cognita illius fictio,& f. aus, abſolutionem recipiat, ſi poſteà interius ſe reſipiſcat, ac pœniteat, indiget noua Inquiſitoris abſolutione, alias eadem cenſura,& reſeruatione erit ligatus. c.16.n 10.

Spontè comparens, non citatus, nec vocatus, ſed indicijs præuentus, an gaudeat beneficio ſpontè comparentium. c.16.n.11.

Comparens non uocatus, nec citatus, ſed præuentus, quoad vnum delictum, & ipſe non ſolùm illud delictum, ſed etiam alia, de quibus nullo modo erat præuentus ſpontè fatetur. De delicto, de quo erat præuentus, gaudet in parte, nō in toto, beneficio ſpontè comparentium, quia mitius puniendus eſt. De alijs verò delictis, ſi certò ſciat, non fuiſſe præuentum, gaudet in toto, beneficio ſpontè comparentiū: ſi autem dubitet fuiſſe præuentum, gaudet in parte. c.16. n.12.

Spontè comparens euadit pœnas mortis, triremium, carceris, exilij, & pœnam confiſcationis bonorum, & ſolùm ſuſtinebit, ieiunia, eleemoſynas, orationes, & alia charitatis opera ſalutaria. c.16. n.13.& 31.

Superfluum eſt in abſolutione ſpontè comparentis apponere illam conditionem: Dummodò ex corde, ad fidem redierit, et pœnitētiam iniunctam ſeruauerit. c.16.n.14.et 15.

Solent aliquando Inquiſitores, concedere tempus gratiæ præfixum ſpontè comparentibus, infra quod confitentes, omnia ſua delicta, et ſuos complices, magnam miſericordiam conſequuntur. c.16. n.16.

Quare, qui monitus in generali Inquiſitorum edicto, fatetur intrà tempus gratiæ ſua delicta, gaudet beneficio ſpontè comparentiū, dùm qui vocatus, uel monitus comparet, illo non gaudet. c.16 n.17.

Gaudet hoc beneficio, qui ſpontè comparet elapſo tempore gratiæ, quia fuit legitimè impeditus, vel inuincibilitèr ignorauit edictum, vel ſtatim elapſo dicto tempore comparet. c.16.n.18.

Quando Inquiſitores, hoc tempus gratię ſpontè comparentibus, concedere ſolent. c.16. n.19.

Lamia, quæ commiſit infanticidium, uel aliud immane delictum, ſi verè pœnitens ſpontè compareat, gaudet beneficio ſpontè comparentium. c.16. n.20. Sed ſi ſpontè compareat poſtquam à Iudice ſeculari capta ſit; examinata,& iudicata ab Inquiſitore, eſt Iudici illo reſtituenda. n.21.

Si ſpontè comparens, ſit poligamus, qui viuēte prima vxore, ſecundam duxit, quomodo ſe gerere debeat Inquiſitor cum eo, dùm agitur de diſſolutione ſecūdi matrimonij. c.22. & 23.

Si vocatus, ad iudicium, ſtatim compareat, & metu probationum ſpontè delictum fateatur; mitius quàm pœna ordinaria, eſt puniēdus. c.16.n.24.

Relapſus, non uocatus, nec citatus, nec denunciatus, ſpontè comparens, pœnam mortis deuitat. An uerò ſit alijs pœnis puniendus, vel ad impunitatem admittendus, Supremū Tribunal eſt conſulendum. c.16. n.25.

Sortilegus hęreticalis, qui in ſortilegijs abuſus fuit Sacramētis, vel Euchariſtiæ, vel Baptiſmi, vel extremæ vnctionis. Si non vocatus, nec citatus, nec deuunciatus ab alio, ſpontè comparet, admittitur ad pœnitentiā ſpontè comparentium. c.16.n.26.

Non Sacerdos Miſſam celebrās, vel confeſſiones audiens, ſpōtè comparens, gaudet dicto priuilegio: Similitèr omnis qui aliud quodcùmq; nefarium ſcelus commiſit, etiam hęreſię formalis, vel idololatrię, ſi nō vocatus, nec citatus, nec ab alio denunciatus, ſpontè compareat, verè pœnitens, gaudet beneficio ſpontè comparentium. c.16.n.27.

Sortilegus, qui alios docuit, ſortilegia, & maleficia efficere, ſi ſpontè compareat, & cum proprio crimine, alios, quos recordatur, docuiſſe, hæc nefanda ſcelera committere, integrè cōfiteatur, gaudet dicto priuilegio. Et ſimilitèr Hęreſiarcha, Dogmatiſta, & omnes hęreſum inuentores, et magiſtri, ſi verè pœnitentes ſpontè compareant. c.16.n.28.

Sortilegus, vel quilibet de hæreſi ſuſpectus, vel etiam hęreticus, qui ſciens eſſe quamprimū denunciandum, denunciantem præuenit, & ſpontè ſuum crimen integrè fatetur, gaudet quoque dicto beneficio ſpontè comparentium. c.16.n.30.

Spontè confitentes in carceribus detenti, vel à Iudice præuenti.

A Iudice præuentus, & ſpontè, & integrè ſua crimina confitens, ad miſericordiam admittitur, & mitius punitur, et quibus pœnis. c.16.n.31.et c.17.n.1.

Quid obſeruare debeant Inquiſitores,circa ſpõtè confitentes ſua delicta in carceribus, & qualiter cum eis agendum. c.17. n.2. et 3.
An reus captus, ſi incontinenti ſponte veritatem confiteatur,poſsit veniam obtinere,iniuncta ſibi pœnitentia ſalutari, alij negant, alij verò affirmant. c.17.n.4.
In carcerem deprehenſus ſi ſponte confiteatur ſuum delictum, poſtquam teſtiũ depoſitiones ſunt receptæ, euadit pœnam,quam merebatur,& in aliam mitiorem commutatur. c.17.n 5.
Videns ſe eſſe conuictum, & ad mortem condemnandum,ſi ex corde pœnitens, ſuum delictum fateatur, euadit pœnam mortis, quæ in carcerem, vel ſimilem commutatur. c.17. n.6.
Qui in tortura confeſſus eſt ſuum delictum, & poſt torturam ſpontè illud ratificat, ad miſericordiam admittitur, & ad mortem non condemnatur. c.17 n.7.
Negatiuus,& impœnitens,ſi priuſquam ad tabulatum producatur, vel in ipſo tabulatu producto,conuertatur, & ſe offerat abiurare ſuam hæreſim, admittitur ad miſericordiam, nec traditur Curiæ ſeculari, ſed ad carcerem reducitur. c. 17.n.8.
Pertinax in ſua hæreſi,ſi, poſt mortis ſententiã, & poſtquam traditus fuit Curiæ ſeculari,ac ad palum ligatus, vt comburatur,ſi ad fidem conuertatur,etiam ad miſericordiã eſt recipiẽdus,& alij ſuſtinent mortẽ perpetuo carceri immutari poſſe. Alij verò ad miſericordiam eſſe admittendum quoad animam tãtùm, & ad recipienda Sacramenta Confeſſionis,& Communionis. c.17. n.9.& 10.
Pertinax hæreticus, ſi, poſtquam traditus eſt Curiæ ſeculari, dicat, ſe pœnitere velle, & ſui criminis ſocios reuelare, eſt reſtituendus Inquiſitoribus, vt plenariam confeſsionem faciat, & omnes complices reuelet. c.17.n.11.
An iſte ſit ad miſericordiam admittendus, & non iterum Curiæ ſeculari tradendus, alij affirmant, alij verò negant. Et in hac Doctorum varietate, quid agendum ſit, prudenti iudicio Inquiſitorum relinquendum eſt.c.17.n.11.

Statuta.

Statuta contra hæreticos, & eorum fautores interpretari poſſunt ab Inquiſitoribus, ſed tutius eſt,in re tam graui conſilium Epiſcoporum adhibere. c.2.n.9.
Statuta contra eoſdem, & alios de hæreſi ſuſpectos,condere poſſunt Inquiſitores,ſed tutius eſt in hac re Supremum Tribunal conſulere. c.2.n.11.

Supplicium mortis.

Supplicium mortis debetur ob crimen hæreſis,ac etiam pœna ignis, & concremationis. c.26. n.11.
Vide Pœna mortis.

Suſpicio hæreſis.

Suſpecti de hæreſi quinam dicantur. Vide Hæreſis ſuſpecti.
Suſpicio hæreſis quænam dicitur modica, & leuis,uel uehemens,& magna, vel violenta, & maxima. c.13 n.45.
Quinam præſumitur de hæreſi ſuſpectus leuitèr.c 13.n.46.Quinam vehementèr.n.47.& quinam violentèr. n.48.

Suſpicio Inquiſitoris.

Vt ſuſpectum non poſſe recuſari Inquiſitorem aliqui exiſtimant, ſed verius alij poſſe recuſari ob ſuſpicionem inimicitiæ capitalis. c.7.n.18.& 19.Quæ autem dicatur inimicitia capitalis, vide Inimicitia.
Suſpicio Inquiſitoris, an ſit admittenda, deferendum eſt ad Supremum S. Inquiſitionis Tribunal. c.7.n.20.
In ſuſpicione ſi reus grauetur, ſibi defenſiones non fuiſſe præſtitas: tunc Inquiſitor debet eum admittere ad ſe defendendum, & mandare ei dari copiam proceſſus, & concedere Aduocatum, vel Procuratorem, quem petit; Et ſic auſertur cauſa ſuſpicionis,& recuſatio ſit nulla. Ità Eymericus,quod non reprobatur,nec approbatur à Pegna.c.7.n.19.
Vide Appellare.

T

Teſtes citandi, vel citati ab Inquiſitoribus.

TEſtes nominati in denunciatione facta in ſcriptis contra aliquem,ſine denunciãtis nomine, non ſunt ab Inquiſitoribus citãdi, & examinandi. c.19. n.51.
Omnes teſtes compelli poſſunt ab Inquiſitoribus,ad ſe examinandos, & veritatem dicendam, non obſtante quocumq; priuilegio. c.19 n.52.
Teſtis ab Inquiſitoribus vocatus,ad teſtificandum contra reum,& abſq; impedimento venire recuſans, & veritatem fateri; cenſeri poteſt fautor hæretici, & de hæreſi ſuſpectus, & vt talis puniendus; ſecùs verò ſi vocatus recuſaret, teſtificari cõtra conſanguineum,vel affinem,vel grandẽ amicum.c.19. n. 53.
Teſtis ſub pœna excõmunicationis ab Inquiſitoribus vocatus, ad veritatẽm teſtificãdã, ſi non obedit, incurrit excommunicationẽ, niſi delinquentis crimen nouiſſet in confeſſione sacramentali. c.19.n.61.& 62.
Teſtis vocatus ab Inquiſitoribus,non poteſt,à te-

teſtificando ſe ſubtrahere, ob iuramentum, vel votum præſtitum, non teſtificandi. c. 19. n. 63.

Teſtium examinatio.

Teſtium examinatio nō eſt ab Inquiſitore, ſuo commiſſario committenda, niſi in vrgenti caſu, quando neq; ipſe Inquiſitor, neq; teſtis, ſimul conuenire poſſunt, ſed extra hunc caſum, debet ipſe perſonalitèr teſtes examinare. c. 2. n. 22.

Teſtium depoſitio reſpiciens factum, eſt indiuidua, nec poteſt pro parte acceptari, & pro parte reijci, ſed vel debet in totum acceptari, vel in totum reijci. c. 6. n. 10.

Teſtium depoſitiones, ſi non ſint iuris, nec de iure ſubſiſtāt, poſſunt impugnari, & reprobari, licet in parte principali acceptentur. c. 6. n. 10.

Teſtium depoſitiones attenduntur, quatenus factum reſpiciunt; non verò ea, quæ ſunt iuris, quæ non pendent à ſua poteſtate. c. 6. n. 10.

Teſtes negātes, depoſuiſſe ſicut Notarius ſcripſit, an ſit ipſis credendum, vel Notario. c. 8. n. 9.

Teſtes producti ab accuſatore, ſi nihil, aut nō plenè probant delictum rei: an Inquiſitor poſſit, aliquando conſulere accuſatorem, vt deſiſtat ab accuſatione. c. 14. n. 12.

Si per teſtes probetur crimen commiſſum, eſt condemnandus reus, etiamſi non probetur de die, & hora. c. 14. n. 17.

Nulli credendum eſt in foro iudiciali, quod dicit in caſu proprij commodi, niſi per teſtes illud probet. c. 20. n. 43.

Teſtes deponentes de fama. Vide Fama.

Teſtes plures deponentes, aliquem hæreticum impœnitentem deceſsiſſe; ſi Cōfeſſarius teſtetur ante mortem illum pœnitentem abſoluiſſe, cui potius eſt credendum? c. 18. n. 8. & 9.

Quinam teſtes admittuntur in cauſis fidei.

Teſtes omnes admittuntur in hoc S. Tribunali, etiam alias inhabiles, inimicis tantùm exceptis. c. 19. n. 1.

Teſtes inimici non admittuntur, quia præſumitur non ex zelo iuſtitiæ, ſed ex vindicta teſtari. c. 19. n. 2.

Teſtes infames, criminoſi, excommunicati, ſocij criminis, an ſint admittendi ſine tortura, Alij negant, Alij probabilius affirmant. c. 19. n. 3.

Teſtes ſatellites, ſeu lictores, quando vt teſtes faciunt plenam fidem in S. Officio, & quando non. c. 19. n. 4. & 5.

Teſtes inhabiles, excommunicati, criminoſi, ſocij criminis, admittuntur in hoc S. Tribunali, etiam non exiſtente defectu aliarum probationum. c. 19. n. 6.

Duo ex his teſtibus inhabilibus in cauſis fidei non ſufficiunt, ad plenam probationem cōtra reum, & ad pœnam ordinariam, niſi plures ſint, quàm duo; ſed tātùm faciunt aliqualem probationem, & indicium ad torturam, & ad pœnam extraordinariam. c. 19. n. 7.

Duo teſtes, quorum alter ſit valdè dignus, & alter minus idoneus, non faciunt plenam probationem in cauſis fidei contra reum, niſi teſtis minus idoneus ſit emendatus, & per laudabiles poſteriores actiones cenſeatur probatæ vitæ, & æſtimetur idoneus. c. 19. n. 8.

Lamiæ, ſeu Striges complices, & criminis ſociæ admittuntur, vt teſtes, quando per alios, veritas facti haberi non poteſt; Vna tantùm ſocia criminis non facit fidem; Duæ ſufficiunt ad torturam, concurrentibus alijs circumſtantijs. Sed nec duæ, neque tres ſufficiūt ad pœnam ordinariam. c. 19. n. 9.

Meretrices, & lenones in cauſis fidei admittuntur in teſtes, ſed non ſunt omni exceptione maiores. c. 19. n. 10.

Cæteri omnes infamia, ſiue iuris, ſiue facti laborantes, non repelluntur, in cauſis ad S. Officium ſpectantibus, à teſtificando, ſi ex eorum qualitate, & alijs circumſtantijs, falſa non dicere præſumuntur. c. 19. n. 11.

Teſtes huiuſmodi infames admitti non debēt, ſi ab ipſo reo producantur in ſui defenſionē. c. 19. n. 11.

Bannitus poteſt, vt teſtis in S. Officio admitti, cum ſaluo conducto Inquiſitoris c. 19. n. 13.

Teſtis periurus, & varius, ſi, ex manifeſtis indicijs appareat, eum non animi leuitate, nec odio, nec pecunia correptum, ſed zelo fidei, velle deponere contra prius dictum ſuum, vel illud corrigere, vel quæ anteà tacuerat reuelare, eſt ſine tortura admittendus. Si autem coniecturæ, de veritate dicenda, non adſint, non eſt admittendus ſine tortura. c. 19. n. 19.

Iudæi, & infideles, quamuis à teſtimonio dicēdo contra Chriſtianos, non admittantur, tamen in crimine ad S. Officium ſpectante, admittuntur. c. 19. n. 15.

Iudæi, & infideles, quando admittuntur in teſtes, debent Iudæi iurare ſuper legem Moyſi, & infideles ſecundùm leges ſuas. c. 19. n. 16.

Hæretici etſi non ſint teſtes idonei contra fidelem catholicum, in cauſis fidei, tamen admittuntur, ſed eorum depoſitio non eſt ſufficiens, neque ad torturam, neque ad capturam, ſed tantùm ad inquirendum, niſi adſint alia indicia. c. 19. n. 17.

Familiares domeſtici, & ſerui, admittuntur in teſtes, in cauſis fidei contra inquiſitum, non an-

autem in illius defenſionē, niſi perſona domeſtica eſſet valdè digna, & probatæ vitæ; vel ſi cum ipſa conueniret alius teſtis non domeſticus, omni exceptione maior. c. 19. n. 18.

Seruus ad teſtificandum contra Dominū ſuum in cauſis fidei non ſolùm admittitur, ſed cogi poteſt, & torqueri. c. 19. n. 19.

Conſanguinei, & affines contra eorum conſanguineos, & propinquos in cauſis ſupradictis admittuntur in teſtes, ſed non ad eorum defenſionem. c. 19. n. 20. Similitèr filius contra patrem, & pater contra filium, & vxor contra maritum, & maritus contra vxorem, ſed non ad probandam eorum innocentiam. c. 19. n 21.

Minores, & impuberes in cauſis ſupradictis admittuntur, & coguntur teſtificari. Infantes verò ſi ſint ſupra ſeptimum annū, & doli capaces, ex eorum qualitate, & modo dicendi, arbitrari poſſunt Inquiſitores, an ſint examinandi. c. 19. n. 22.

Inimicitia capitalis obijci poteſt aduerſus teſtes in hoc S. Tribunali, vt à teſtificando excludantur. c. 19. n. 23.

Quibus ex cauſis oriatur inimicitia capitalis. c. 19. n. 24. Vide uerb. Inimicitia.

Quando per inimicitiam non eſt repellendus teſtis. c. 19. n. 25.

Dùm in S. Officio non ſignificantur reo nomina teſtium, ad Inquiſitores ſpectat diligentèr inquirere de eorum moribus, ſupplēdo partes ipſius rei. c. 20. n. 19.

Teſtes ſingulares.

Teſtis vnus, omni exceptione maior, eſt ſufficiens, ad capiendum reum. c. 15. n. 20.

Teſtis ſingularis dicitur ille, cuius depoſitio non habet conteſtem, ſeu cum aliorum depoſitione non coniungitur. c. 19. n. 26.

Teſtium ſingularitas eſt triplex. Alia enim dicitur obſtatiua, alia adminiculatiua, & alia diuerſificatiua. Obſtatiua eſt, quæ obſtat, & repugnat alterius dicto. Adminiculatiua eſt, quæ alterius dicto fauet, & patrocinatur, vt ſi quis deponit de viſu, alter de auditu. Diuerſificatiua eſt, quando dictum vnius, quāuis in aliquo differat ab alterius dicto, tamē quoad ſubſtantiam, potius illud coadiuuat, & corroborat. Vt ſi vnus teſtis deponeret, Titium commiſiſſe ſortilegium, tali loco, & tempore; & alter deponeret commiſiſſe ſortilegiū, ſed alio loco, & tempore. c. 19. n. 26.

Teſtes ſingulares, ſingularitate obſtatiua, nihil probant, quia ſibi inuicem aduerſantur: teſtes ſingulares ſingularitate cumulatiua, ſeu adminiculatiua, ſibi inuicem adiuuant, & delictum, quamuis non probent concludēter, tamen magis probant: teſtes ſingulares, ſingularitate diuerſificatiua, probant, ſed non ità efficacius, ſicut adminiculatiua. c. 19. n. 26.

Vnus teſtis, omni exceptione maior, ſufficit ad torquendū reum malæ famæ. c. 22. n. 11. non autem ad torquendum reum bonæ famæ, ſed requiruntur alia indicia. c. 22. n. 13. aliqui verò hoc negant. n. 14.

Teſtes ſingulares, ſingularitate adminiculatiua, & diuerſificatiua, quamuis non probent delictum plenè, & quoad pœnam ordinariam, probant tamen illud, quoad pœnam extraordinariam arbitrio Inquiſitorum. c. 19. n. 27.

Teſtis ſingularis idoneus, & fama legitimè probata de eodem delicto, ſufficit, vt Inquiſitorum arbitrio reus puniatur pœna extraordinaria, non autem pœna ordinaria. c. 19. n. 28.

Vnus teſtis idoneus deponens contra delinquentem, nunquam facit plenam probationem, ſed tantùm ſemiplenam. c. 19. n. 46. & 47.

Teſtis de auditu proprio delinquentis, probat contra illum, ſecùs de auditu alieno. c. 19. n. 48. 49. & 50.

Teſtes duo in aliquo ſingulares.

Teſtes duo legitimi, & non ſingulares in cauſis fidei de iuris rigore faciunt plenam probationem, & ſufficiunt, ad reum condemnādum; tamen de iuris æquitate, nonnulli Doctores exiſtimant, non ſufficere, niſi adſint alia adminicula, & indicia. c. 19. n. 29. & 30.

Duo teſtes omni exceptione maiores deponentes de ſortilegio hæreticali diuerſo: iuxtà probabiliorem, & communiorem ſententiā, non ſufficiunt, ad reum condemnandum pœna ordinaria, ſed tātùm extraordinaria. c. 19. n. 33. & 34.

Duo teſtes idonei deponentes de ſortilegio hæreticali, vel de alio delicto, & ſolùm de loco, & tempore diſcordes, non plenè probant, neq; ſufficiunt, ad pœnam criminis ordinariam imponendam. c. 19. n. 35. & 36.

Teſtes iſti etſi nō faciāt plenam probationem, faciunt tamen illam pluſquam ſemiplenam. c. 19. n. 37.

Duo teſtes deponentes de eodem ſortilegio, ſeu delicto, ſed vnus cum expreſſione loci, & temporis, alter abſq; tali expreſſione, ſunt conteſtes, ſed non plenè probant ſortilegiū, ſeu delictum: itaut delinquens, ad pœnam ordinariam, ſed ſolùm ad extraordinariam, condemnari poſſit. c. 19. n. 38.

Plures quam duo teſtes omni exceptione maiores, ſed ſingulares, deponentes de ſortilegio hæreticali, an ſufficiant ad reum condēnandum, pœna ordinaria, aliqui affirmant, ſed

ſed melius alij negant;ſed ſolùm ad pœnam extraordinariam. Verùm talis ſortilegus, etſi in tortura neget, abiurare debet de vehementi. c.19.n.39.& 40.

Teſtes conteſtes.

Teſtes duo,vel plures,videntes per aliquod foramen ſucceſſiuè,vnus poſt alterum, committentem ſortilegium, vel aliud maleficiũ, cenſendi ſunt conteſtes. c.19.n.41.

Duo teſtes, omni exceptione maiores, conteſtes,ſufficiunt, ad probandum delinquentis delictum. Sed ſi iſte inquiſitus ſit probatæ vitæ, & opinionis, non ſufficiunt, niſi ſint tres, vel quatuor, vel alia indicia,ex quibus præſumatur delictum. c.19.n.42.& 43.

Quando duo conteſtes ſint ſufficientes, ad reũ condemnandum, & quando non, arbitrio Epiſcopi, & Inquiſitoris relinquendum eſt. c.19. n.43.

In dubio an teſtes deponant de eodem ſortilegio,vel de diuerſis; ſi conueniant in eodem loco,& tempore, præſumendi ſunt cõteſtes. Secus autem ſi in loco, & tempore ſint diſcordes. c.19. n.44.

Conteſtes ſi in omnibus,etiam in minimis, cõtra reum concordarent,videntur,ex condicto eundem ſermonem proferre. Et ideò eorum depoſitio, eſt ſuſpecta, nec facit plenam probationem. c.19.n.45.

Vt teſtes ſint conteſtes, requiritur, vt in quatuor conueniant. Primò in eodem delicto. Secundò in illius circumſtantijs. Tertiò in loco. Quartò in tempore. c.19.n.70.

Teſtes,quorum dicta non ſunt contraria, nec totalitèr paria, ſed admittunt aliquam cõcordiam,non ſunt verè conteſtes,ſed probãt aliquid amplius,quàm ſine illa concordia. c.19.n.67.

Teſtis varius.

Teſtis varius, qui cõtra prius dictum teſtatur, ſi ex manifeſtis indicijs, & coniecturis, apparet,poſterius dictum eſſe veriſimilius; & quod neque ex leuitate animi,neq; ex odio, vel amicitia, neque pecunia corruptus, ſed zelo fidei,& veritatis, dictum corrigit, aut reuocat: ſtandum eſt ſecundo eius dicto. Et ſimilitèr, quãdo fatetur crimen,quod prius celauerat, vel negauerat. c.19. n.31.

Quamuis ſtãdum ſit ſecundo iſtius teſtis dicto, tamen non eſt admittenda illius probatio, niſi cum tortura:vt agnoſcatur,in quo dicto perſiſtat,& dùm periurus fuit; nõ eſt dimittendus impunitus. c.19.n.32.

Qui in articulo mortis, pro ſuæ conſcientiæ exoneratione, ſuam depoſitionem contra aliquem iudicialitèr factam, reuocat, maximè probat innocentiam inquiſiti. c. 19. n.31.

Teſtis varius,non ſolùm torqueri poteſt,quando eſt laicus, ſed etiam Clericus. c.19.n.54.

Si ipſe teſtis in ratificatione poſt torturam,recedat à dicto in tortura, poteſt iterum torqueri, vſque ad tertiam vicem.c.19.n.54.

Prima teſtis depoſitio iudicialis, iuramento firmata,non tollitur,nec redditur nulla,per ſecundam,etiam in articulo mortis factam, ſed debilitatur. c.19. n.64.

Teſtis, qui in articulo mortis, vel extra hunc articulum, firmitèr iuramento deponit,ſe falſum depoſuiſſe in prima ſua iudiciali depoſitione,neutrum teſtimonium ualet, niſi ex coniecturis, & præſumptionibus appareat, qualis ex duabus depoſitionibus,ſit magis veriſimilis. c.19.n.65.

Teſtis falſus.

Teſtis falſus tenetur ſe retractare, etiam cum periculo propriæ vitæ,vel famæ,ſi ob ſuum falſum teſtimonium,proximi vita,vel fama, periclitetur.c.19.n.55.

Qui alios induxit,ad falſum teſtificandum cõtra aliquem, tenetur ex iuſtitia illos admonere,vt ſe retractẽt; & ſi nolint,tenetur manifeſtare Iudici ſuam machinationem,& teſtes illos falſum depoſuiſſe, etiam cum proprij æqualis damni periculo. Si verò eos nõ induxit,tenetur ex charitate,citrà præiudicium ſuæ vitæ,& famæ. c.19.n.56.

Teſtis,qui alium læſit,ſuo falſo teſtimonio,tãtùm in fama,nõ tenetur cum periculo propriæ vitæ,ſe retractare,ſed tantùm propriæ famæ. c.19. n.57.

Teſtis,qui ex ignorãtia craſſa, & vincibili, falſum depoſuit, ad reſtitutionem tenetur dãni illati. Secùs verò,ſi ex ignorãtia inuincibili, aut ex inaduertentia, non culpabili. c.19. n. 59.

Teſtis,qui falſum depoſuit, quando reus iam erat,per alios teſtes falſos conuictus,peccauit mortalitèr,ſed non tenetur ad reſtitutionem, quia non eſt cauſa damni illati. c.19. n. 60.

Qui ſcit aliquem,eſſe falſo accuſatum, vel denunciatum, tenetur in fauorem eius teſtificari, etiam cum damno accuſatoris, vel denunciantis, ſi iudicet, poſſe ſuo teſtimonio innocentem liberare. Et ſi à Iudice requiſitus, teſtificari nolit, tenetur ad reſtitutionẽ damni,quod ex ſua taciturnitate patitur innocens. c.19.n.66.

Teſtis, qui in ſuæ depoſitionis confirmationẽ, alium nominauit, & ille requiſitus,contrarium depoſuit,uterque redditur, de falſitate ſuſpectus;ſi ambo ſint in qualitate pares, ſi verò ſint qualitate diſpares, digniori credẽdum eſt. c. 19. n.68. Quando autem in hoc caſu ſit deueniendum ad torturam. n.69.

Teſtes falſi, quibus pœnis ſint puniendi. Vide Pœna talionis.

Teſtis falſus, ſi non ſponte veniam in hoc S. Tribunali petat, grauiſſima pœna carceris, aut triremiũ ei iniungenda eſt. Si verò ſponte, ante inquiſiti ſententiam, ſuum crimen fateatur, mitius erit puniendus. c.37.n.14.

Teſtis falſus, etiamſi eius depoſitio inquiſito non nocuit, eſt vt falſus teſtis puniendus. c.37. n.15.

Teſtis falſus eſt in publicum ſpectaculum producendus, & grauiſsima pœna publicè plectendus. c.37. n 16.

Teſtis pecunia corruptus.

Teſtis, qui pro teſtimonio iuſto, & vero, pecuniam petit, & accipit, peccat mortalitèr, & tenetur ad reſtitutionem, quia iniuſtè accipit, & iniuſtè retinet. c.19.n.71.

An teſtis teneatur reſtituere, quod pro iniuſto, & falſo teſtimonio recepit, aliqui negant, ſed omninò dicendum, teneri. c.19. n.72. 73. & 74.

Hęc reſtitutio, antequam ſit patratum delictũ, eſt facienda ipſi danti, poſt patratum delictum, & impletum teſtimonium falſum, reſtitutio facienda eſt Fiſco. c.19.n.75.

Qui teſtem, precibus, vel pecunia, vel minis corrupit, vel alicui mandauit, vt illum corrumperet, ad falſum deponendum, eadem pœna, qua falſus teſtis, plectendus eſt. c.37. n. 13.

Theſaurarius S Tribunalis.

Theſaurarius S. Tribunalis à S. Congregatione, vel ab ipſis Inquiſitoribus eſt eligendus, vbi adſunt redditus huius S. Tribunalis, qui eſſe debet vir probus, & locuples, ſciens rationes conficere, qui fideiubeat de ipſis redditibus, & prouentibus, fidelitèr ſeruandis, & perſoluendis; & ſæpius in anno coram Inquiſitore rationem ſuæ adminiſtrationis, reddat.c.9.n.4.

Theſaurarius S Officij, ſi ex pecunia Fiſcali emat aliquid ſuo nomine, emptio non efficitur ſua, ſed Fiſci. c.9.n.5.

Tortura.

Tortura eſt corporis cruciatus, ad eruendam, ſeu detegendam veritatem, ex ore ipſius delinquentis.c.23.n 1.

Ad torturam non eſt deueniendum, quando abſq; illa plenè ꝓbari poteſt delictũ.c.23.n.1

Ad torturam priuſquam deueniatur, neceſſariò præcedere debent ſufficientia indicia. c.23. n 2.

Quæ ſint indicia ſufficientia ad torturam. Vide Indicium ad torturam, Fama mala, Confeſſio extraiudicialis, ſocius criminis.

Ad reum torquendum, nõ poteſt Epiſcopus ſine Inquiſitore, nec Inquiſitor ſine Epiſcopo, condemnare. c.23. n.3.

Reus condemnatus ad torturam, ab Epiſcopo ſine Inquiſitore, vel ab Inquiſitore ſine Epiſcopo, ſi delictum in tortura fateatur, ei nocere, non debet. c 23. n.3.

In cauſis lamiarum poſſunt Inquiſitores, ſine Epiſcopis, procedere ad torturam, & condemnationem ex priuilegio *Alexandri Papæ*. c.23.n.4.

Antequam reus torqueatur, danda eſt ei copia proceſſus, ſuppreſſis nominibus denunciantis, & teſtium.c.23.n.5.

Si reus inſtet, vt ad ſui defenſionem teſtium nomina notificentur, non eſt audiendus. Et ſi ob id appellaret, non eſt admittenda eius appellatio.c.23.n.5.

Sunt nonnulli, qui ex priuilegio torqueri non poſſunt.c.23.n.15. niſi ob crimen læſæ Maieſtatis. n.16.

In cauſis fidei, & ad S. Officium ſpectantibus, omnes torqueri poſſunt; nec vllus hoc priuilegio, non eſſe torquendum, gaudet.c.23. n. 16.

An minores 14. annis, in cauſis fidei torqueri poſſint, aliqui affirmant, dummodò ſint pubertati proximi, & Medicorum cõſilio torqueantur, & leuitèr: *Alij* probabilius non eſſe torquendos, ſed terrendos, & verberandos.c.23.n.17.& 18.

Senes ſexagenarij, ſi ſint robuſti, torqueri poſſunt; ſecùs ſi ſint infirmę ſalutis, ac debiles. c.23.n.19.

Decrepiti, qui tetigerunt annum 75. non ſunt torquendi; ſed ſecundùm aliquos terrendi tantùm. Alij verò ſuſtinent, remittendum eſſe prudenti arbitrio Inquiſitorum, quãdo ſenectus excuſat à tortura. c.23.n.19.

Mulieres pręgnantes, nec torqueri, nec terreri poſſunt, & poſtquam pepererũt, neque torquentur, niſi poſt 40.dies. c.23. n.20.

Energumeni, & à Demone obſeſſi minimè torqueri poſſunt.c.23.n.21.

Laborantes febre quartana, non ſunt torquendi, nisi leuitèr, & non in die febris, & adhibito Medicorum iudicio. c.23. n.22.

Laborãtes morbo gallico, & habentes brachiũ debilitatum, vel difficultatem anelitus patientes, non ſunt ad torturam damnandi. c.23. n.22.

In tortura minoris, non debet aſsiſtere Curator, debet tamen aſſiſtere in eius ratificatione poſt torturam. c.23.n.27.

Religioſi, & Clerici indiciati, & nõ diffamati, an sint torquendi. Aliqui Doctores negant, Alij verò affirmãt in causis fidei.c.23.n.28. & 29. Mitius quam laici ſunt torquendi. n.30. Et indicia ad eorum torturam eſſe debent grauiora. n. 31.

Con-

Cōfeſſarius, ob denſiciationem vnius fœminę, bonæ famæ ab eo in confeſſione ſolicitatæ, non eſt torquendus. c.23.n.32. Sed ad illum torquendum requiritur maior numerus teſtium, iuxtà prudentem iudicium Inquiſitorum. n. 33.

Confeſſarius, qui confitetur, dixiſſe uerba ſolicitationem indicantia, ſed abſque intentione ſolicitandi ad turpia. Si eius verba directè, proximè, & clarè indicant ſolicitationem, non eſt admittenda eius excuſatio. Si autem uerba ſint dubia, & ſolùm indirectè, ac remotè ſolicitationem important, tunc vel Confeſſarius eſt malæ famæ, & poteſt ſuper eius intētione torqueri. Si verò ſit bonæ famæ, ipſi credendum eſt abſque tortura. c.23.n.34.

Ad torquendum non eſt facilè deueniendum, ſed prius pluries eſt reus monendus, vt ueritatem fateatur, & ſi in negatiua perſtiterit, torquendus erit vſitatis tormentis, nō inſolitis, & tortura moderata, ſine ſquasſis, & pondere ad pedes, nec vnquā ultra ſpatiū horæ. c.23.n.35.

Dùm reus eſt in tortura eleuatus, non eſt pro aliquo breui ſpatio deponendus, & poſtea iterum eleuandus, niſi prius in tortura veritatem delicti, ſaltèm quoad ſubſtantiam, fateatur. c.23. n.35.

Conuictus de externo actu hæreticali, & negans, habuiſſe intentionem contra fidem. Si teſtes depoſuerunt, ab eo audiuiſſe, actum illum hæreticalem non eſſe prohibitum, vel non eſſe peccatum: non eſt admittendus ad torturam, ſed puniendus pœna ordinaria. c.23.n.36. Si autem teſtes depoſuerunt de actu externo tantùm: torquendus eſt ſuper intentione, abſq; pręiudicio probatorum. Et in tortura examinandus eſt ſuper intentione tantùm, non ſuper delicto externo. Et ſi perſiſtet In negatiua, puniendus erit, non tanquam hæreticus, ſed tanquam ſuſpectus de hæreſi. n.37.& 38.

Si reus coram Iudice laico factum hæreticale, à ſe commiſſum, fateatur, nō ſufficit Inquiſitoribus talis cōfeſsio, ad illum condemnādum, ſed ſolùm ad torquendum. c.23.n.40.

Confeſsio rei extorta à Iudice metu tormentorum remotorum, eſt valida, nec indiget ratificatione, metu autem tormentorum proximorum indiget ratificatione, vt ſit ualida. c.23.n.41.

Reus in tortura cautè eſt interrogandus, & in generali, non in particulari, ne ei detur occaſio, mentiendi cōtra ſe, & alios. c.23.n.42.

Si torquendi ſint plures pro eodem crimine, inchoandum eſt à debiliori, & prius à fœmina, quàm à viro, prius à filio, quàm à patre, & ſic de cæteiis. c.23.n.44.

Quid agere debent Inquiſitores, ad deſtruendū maleficium taciturnitatis, quando uident reum, ſine dolore torturam ſuſtinere. c.33. n.46.

Reus ſufficientèr tortus, ſi in negatiua perſeuerauit, & poſteà noua indicia contra eum ſuperueniāt, ſi hæc indicia ſint diuerſæ ſpeciei à præcedentibus, eſt iterum torquēdus. Secùs verò ſi ſint eiuſdem ſpeciei. c.23.n.47. & 48.

Reus leuitèr tortus, & ideò non confeſſus, ſi contra eum indicia ſint valdè grauia, poteſt abſque nouis indicijs, iterum torqueri, ſed cauendum eſt, ne quid nimis ſeuerum committatur. c.23.n.49.

Reus ſi ſit ſufficientèr de delicto conuictus, & ſit torquendus ſuper intentione, & complicibus, danda eſt ei tortura cum clauſula: citrà præiudicium probatorum, & dùm torquetur non eſt interrogādus de delicto, ſed ſolùm de intentione, & complicibus. c.23. n. 50.

Reus ſufficientèr tortus, & negatiuus, eius cauſa ſecundùm aliquos eſt indeciſè relinquēda, ſed probabilius alij, eſſe debito fine terminanda, & abſq; pœnis liberandus. c.23. n. 51.

Reus ſufficientèr tortus, & negatiuus, ſi inſtet per ſententiam expediri, illam non poteſt ei denegari: ſed ferenda eſt, quod de tali crimine denunciato, meritis proceſſus diſcuſsis, non inuenitur aliquid legitimè probatum contra eum. c.23.n.52.

Reus tortus, & non confeſſus, eſt brachijs adaptatis, ad locum ſuum reportandus cū clauſula, illum eſſe iterum torquendum, ſi opus fuerit. c.23. n.53.

Reus tortus ob ſemiplenam probationem tantùm, ſi fuit negatiuus, eſt abſoluendus; ſi autem fuit tortus ob pluſquam ſemiplenā probationem, & fuit negatiuus, non eſt ſimpliciter abſoluendus, ſed aliqua pœna extraordinaria puniendus. c.23. n.60.

Reus tortus, & confeſſus, debet poſt torturam, confeſsionem factam ratificare. Vide ratificatio confeſsionis factæ in tortura.

Turcæ, & Pagani.

Turcæ, & Pagani facti Chriſtiani, ſi ad terras talium infidelium fugam arripiant, & per viam capiantur, ſubduntur Inquiſitorum iudicio, & ſi negent, apoſtatare à fide, voluiſſe, nec uelle, abiurare debent de vehementi. c.25.n.104. Forma abiurationis. n.108.

V

Vicarij, ſeu Commiſſarij Inquiſitorum.

Vicarij, ſeu Commiſſarij Inquiſitorum eliguntur à Summo Pontifice, vel à Supre-

ma Inquiſitionis Congregatione; & eligi etiã poſſunt ab ipſis Inquiſitoribus. c.4.n.1.
Inquiſitorum Vicarij habere debent eaſdem qualitates, ac Inquiſitores. c.4.n.2. Vide Inquiſitor.
Vicarius Inquiſitoris, vt ſit idoneus, ſufficit vt annum trigeſimum attigerit. c.4. n.2.
Inquiſitor poteſt plures Vicarios, ſeu Commiſſarios ſibi inſtituere, dummodò non excedant numerum Vicariorum foraneorum Epiſcopi in ſua Diœceſi. c.4.n. 3.
Inquiſitores Regulares, poſſunt ſibi inſtituere Vicarios Regulares, etiam alterius Ordinis. c.4. n.4.
Inquiſitoris Vicarij, electi à Sede Apoſtolica, gaudent eadem facultate, & priuilegijs, ac ipſi Inquiſitores; ſecùs verò Electi ab Inquiſitoribus, ſed aliqui Doctores, eandem facultatem, & eadem priuilegia iſtos habere, ſuſtinent. c.4. n.5.
Vicarij nominantur ab Inquiſitoribus, ſed cõfirmantur à Suprema S. Inquiſitionis Congregatione, à qua eis iuriſdictio conceditur. c.4. n.6.
Huiuſmodi Vicarij repræſentant perſonam Summi Pontificis. c.4. n.5. & 6.
Vicarijs ſuis, poſſunt Inquiſitores generalitèr omnem ſuã facultatem, ſubdelegare. c.4.n.7. Sed non debent eis committere facultatem, pronunciandi ſententiam, neq; teſtium examinationem. c 4 n.8.
Vicarij prædicti non poſſunt facultatem ſibi ab Inquiſitoribus conceſſam, alijs ſubdelegare. c.4. n.9.
Inquiſitorum Vicarij gaudent priuilegio ad inuicem ſe abſoluendi, ab excommunicatione, & diſpẽſandi ab irregularitate. c.4.n. 10.
Incurrerent irregularitatem, ſicut & Inquiſitores, ſi delinquentem traderent in carcerẽ, tam ſeuerum, vt ille ibi moreretur. c.4.n.10.
Vicarij prędicti, electi à Suprema S. Inquiſitionis Congregatione; debent præcedere Vicarios Generales Epiſcoporum. Secùs verò electi per modum prouiſionis in locũ præmortui ab Inquiſitoribus. c.4.n.11.
Vicarij prædicti regulares, non ſunt exempti ab illis regularibus obſeruantijs, quæ S.Officij exercitium non impediunt. c.4. n.12.
Non poſſunt à ſuis Superioribus regularibus de loco ad locum remoueri. n. 13.
Neque eorum iuriſdictio expirat mortuo Inquiſitore, vel illo remoto. n.14.

Vxor.

Vxores duas habere eſt prohibitum etiam iure naturæ. c.16 n.22.
Plures vxores antiquitus nonnulli habuerunt, ex diſpenſatione Dei. ibid.
Vna vxor, nũquã diſpenſatum fuit, quoad plures viros haberet. ibid.
Secunda vxor, quæ bona fide matrimonium contraxit cum poligamo, primam vxorem habente, durante bona fide, poteſt licitè petere, & reddere debitum. c.16.n.23.
Vxor propter mariti hæreſim, non amittit ſuã dotem, niſi ſcientèr cum hęretico matrimonium contraxit, aut cum illius crimine conſentiat. c.33.n.34. & 35.
Vxor non amittit dotem, ſi S. Officio non reuelat maritum eſſe hæreticum, vel illum receptat. c.33. n.35.
Vxor poteſt repetere ſuam dotem, ſi Fiſcus propter hæreſim mariti, cum iſtius bonis, etiam ipſam dotem, confiſcauit. Fiſcus autẽ tenetur illam ſolùm reſtituere, quam verè eius maritus receperat, non illã, quæ ad põpam fuit promiſſa, uel non recepta. c.33. n. 36.
Vxori reſtituenda etiam ſunt bona paraphernalia, & alia eius propria, quocumq; titulo ea habebat, etiamſi ſcientèr cum hæretico contraxit. c.33.n.37. Et ſimilitèr, quæ ante nuptias à viro titulo donationis, & munuſcula, quæ ab alijs tunc temporis acceperat. Et quæ conſtante matrimonio acquiſierat. n. 38.

F I N I S.